A
93
3

3
8-89

Biblioteca Universitaria
GRANADA
A
03
53

3
8-89

(1) - R.2184

# COMMENTARIVS
R. P.
# CORN. CORNELII A LAPIDE
SOCIETAT. IESV
IN QVATVOR
# EVANGELIA.

R.2184



# COMMENTARIVS IN QVATVOR EVANGELIA,

AVCTORE
R.P. CORNELIO CORNELII
A LAPIDE,
E SOCIETATE IESV,
*olim in Louanienſi, poſtea in Romano Collegio, Sacrarum Litterarum Profeſſore.*

✝

TOMVS I. *complectens Commentaria in* MATTHÆVM *et* MARCVM.

ANTVERPIÆ
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
ANNO M.DC.LXX.
*Cum Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis, et Regis Hiſpaniæ.*

# EMINENTISSIMO PRINCIPI
# FRANCISCO CARDINALI BARBERINO
## S. R. E. VICE-CANCELLARIO,
### COLLEGIVM ROMANVM FELICITATEM P.

CORNELIVS A LAPIDE, nobilis Sacrarum Litterarum Interpres, & grande noſtri Collegij additamentum, poſthumâ editione ſuâ, & ductu noſtro, venit ad TE, PRINCEPS EMINENTISSIME. Probat ille mortuus, quod facere non eſt auſus viuus in terris. Erat illud tempus modeſtiæ, quæ & Tuæ præſentiæ majeſtatem reuerebatur, & verebatur ſuas laudes. Scimus, quo Te ille cultu ſuſpiceret, cùm ob alias virtutes, tum præcipuè ob Diuinarum ſtudium Literarum, quod eò in Te magis admirabatur, quò pluribus, grauioribuſque Chriſtianæ Reipublicæ negotijs perintentum non ignoraret. Sed vt laudabile ſit quælibet ſapientiæ monumenta Principum ingeniis coli; Euangeliorum Codicem vix vmquam è manibus dimitti Principum Chriſtianorum addeceret: & non magis olim, ſumpto in manus teſtimonio, id eſt, Legis Diuinæ compendio, ritu ex Diuinâ inſtitutione inducto, & religioſè adhibito, Hebræi Reges inungebantur; quàm nunc Catholicos Principes ab hoc Euangeliorum volumine inaugurationem ſumere, ac reliquæ vitæ inſtitutionem capere, par eſſet. Vt nihil interim ſingulariter de Te dicam,

*Deuter. cap. 17. Paralip. lib. 2. cap. 23.*



cam,

cam, qui Supremo proximus es Chriſtianorum Principi, Romano Pontifici Chriſti Vicario; cuius ſacrum ac ſanctum Imperium in Euangelio fundatum eſt ad Euangelium diſſeminandum ac tuendum. Subeat igitur Bibliothecam Tuam, vt apud Te cum alijs quoque ſit Cornelij à Lapide in Euangelia Commentarius, ſi non, vt augeat Bibliothecam illam, quam in mente fabricaſti ſapientię pleniſſimam, ſaltem vt Te oblectet imagine Viri Clariſſimi, quando etiam effigies Auctorum illuſtrium ſunt ornamenta Bibliothecarum. Neque enim vllam habebitis imaginem expreſſiorem eius Viri, quàm eius libros: non, inquam, corporis, quod vt mortale eſt, ita eius lineamenta non magnam habent iacturam; ſed morum & virtutum, quæ animo, meliori hominis parti; & deinceps, corpori, veram præſtare poſſunt immortalitatem. Iure enim poſſumus de illo affirmare, vt multa ſuos in libros ille incluſerit documenta viuendi; priùs illum ea omnia, quæ ad ſe poterant pertinere, viuendo expreſſiſſe; neque eius vitæ hiſtoriam poſſe conſcribi luculentiorem eâ, quam ſuis ipſe Commentarijs tradidit, normâ viuendi. Quare cùm in eius libris Religioſi hominis ſolitudinem contemplationemque peramantis ſpeciem intueberis, non multum à Cornelij imagine aberrabis. Sed quia multiforme Euangelium eſt, nec vnicam exprimit ſolitariæ Virtutis imaginem, ſæpè quoque in actuoſæ vitæ formam incurres Principum virorum propriæ, in aliena commoda regendo ac imperando inuigilantis; tunc verò non effugies, quin & Te ipſum in hoc quoque ſpeculo non ſine grato in Deum ſenſu pietatis agnoſcas. Sic VRBANO Patruo Tuo proſperam vitæ diuturnitatem, ſic bonum Tuis conſilijs euentum largiatur è cælo Deus, vti nos quotquot in hoc agimus Collegio, Tuorum olim ſtudiorum paleſtra, nunc beneuolentiæ in nos Tuæ theatro, coniunctis animis comprecamur. Vale.

FA-

## FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PER FLANDRO-BELGIVM.

EGo infra ſcriptus Societatis IESV per Flandro-Belgium Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad hoc mihi factâ ab Admodum R. P. Noſtro Mutio Vitelleſco Societatis eiuſdem Præpoſito Generali, do facultatem Iacobo Meurſio typographo Antuerpienſi, typis mandandi Commentaria R. P. Cornelij Cornelij à Lapide, eiuſdem Societatis Sacerdotis, in quatuor Euangelia. In quorum fidem has manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi.

ANDREAS IVDOCI.

---

## APPROBATIO CENSORVM ROM.

EGo Georgius Elfinſtonius è Soc. IESV, S. Theologiæ Doctor, & Collegij Scotorum de Vrbe Rector, Commentaria R. P. Corn. Cornelij à Lapide eiuſdem Societatis Theologi, in Sacroſancta quatuor Euangelia, ex commiſſione Reuerendiſſimi Domini Nicolai Riccardi Sacri Palatij Magiſtri, legi. Opus egregium, pium, doctum & eruditum, ſacrarum Litterarum, SS. Patrum, Hiſtoriæ tam Eccleſiaſticæ quàm ſæcularis, dictorum Sapientium, ſcriptorumque omnis generis variâ & mirâ eruditione plenum: opus, in quo nihil notaui, quod non ſit Orthodoxæ & Catholicæ fidei, & optimis moribus conforme: opus denique Theologis, S. Scripturæ ſtudioſis, & verbi diuini Concionatoribus, meo iudicio, vtiliſſimum. In quorum fidem hoc teſtimonium manu meâ ſubſcriptum dedi, Romæ in Collegio Scotorum 27. Martij, anno 1636.

GEORGIVS ELFINSTONIVS.

*Imprimatur*

Fr. NICOL. RICCARD. Sacr. Pal. Apoſt. Mag.

---

## APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

PErlegi & relegi Commentarium R. P. Cornelij Cornelij à Lapide Soc. IESV Sacerdotis, & ſacrarum Litterarum quondam in Vrbe Profeſſoris, & interpretis accuratiſſimi, quem in quatuor Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelia nuper elucubrauit: quem quia reconditâ & omnigenâ doctrinâ refertiſſimum, & ſenſus quadruplicis enodatione luculentum deprehendi; hinc dignum iudicaui, qui ad Reipubl. Chriſtianæ bonum, ad verbi diuini præconum vſum, atque ad ſacræ Scripturæ interpretum commodum prælo committatur, vt ita publici iuris fiat. Ita cenſeo Antuerpiæ poſtr. Kal. Iunias, anno 1639.

GASPAR ESTRIX *S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis, ac librorum Cenſor.*

## COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS IESV PRO SACRO ROMANO IMPERIO.

*CVm ex mandato Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, atque alijs quibuſcumque librariam negotiationem exercentibus, ſeriò ſtrictèque inhibeatur, ne quis libros vllos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut edendos in poſterum, intra Sacri Rom. Imperij, regnorumq́ & dominiorum Sacræ Cæſareæ Maieſt. hereditariorum fines, ſimili aliòve charactere aut formâ, ſiue in toto, ſiue in parte, excudere vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos inuehere, vendere, aut diſtrahere clàm, ſeu palàm, citra ſupradictorum Patrum conſenſum ac teſtimonium audeat vel præſumat; ego Andreas Iudoci Societat.* IESV *per Prouinciam Flandro-Belgicam Præpoſitus Prouincialis, concedo Iacobo Meurſio Typographo Antuerpienſi facultatem excudendi R.P. Cornelij Cornelij à Lapide Societatis noſtræ Theologi Commentarium in Quatuor Euangelia duobus tomis comprehenſum, ab eiuſdem Societatis Theologis examinatum & approbatum. In cuius rei fidem litteras manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi.*

ANDREAS IVDOCI.

---

## SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Commentarium in Quatuor Ieſu Chriſti Euangelia, auctore* R.P. Cornelio Cornelij à Lapide, *Societatis* IESV *ſacerdote, ſacrarum Litterarum in Collegio Romano Profeſſore, præter Iacobi Meurſij Typographi Antuerpienſis voluntatem, intra decem annos proximos in Belgio excudat, aut alibi terrarum locorúmve excuſum, in has Inferioris Germaniæ Prouincias inferat, venalémve exponat. Qui ſecùs faxit, præter confiſcationem exemplarium, triginta florenorum, pro ſingulis libris ſic illatis ſoluendorum pœnâ multabitur: ſicut latius patet in litteris datis Bruxellæ anno* M. DC. LXI. *die* XVIII. *Octobris.*

Signat

LOYENS.





# PROOEMIVM IN EVANGELIA DE EVANGELIORVM PRÆ CETERIS SACRÆ SCRIPTVRÆ LIBRIS EXCELLENTIA ET MAIESTATE EX PARALELLIS LEGIS ET EVANGELII

## CAPVT PRIMVM.

REDEO à veteri Teſtamento ad nouum; à Salomone, inquam, ad Chriſtum, quaſi à riuulo ad fontem: à Prouerbijs ad Euangelia, quaſi à flumine ad Oceanum ſapiētiæ; ac per ea ſacræ Scripturæ noui Teſtamenti coronidem impono.

*S. Scripturæ dignitas, vtilitas, maieſtas.*

Tanta eſt ſacræ Scripturæ dignitas, vtilitas, maieſtas, vt omnes Philoſophorum & Theologorum tam Hebræorum, quàm Græcorum & Latinorum libros tantum ſuperet, quantum diuina ſapientia omnem humanam tranſcendit. S. Scriptura enim eſt verbum Dei, eſt ipſa Dei loquela, & vox, quâ ſcilicet Deus ſuam ſapientiam nobis enuntiat, viamq́ue ad virtutem, ſalutem & felicitatem æternam demonſtrat. Quocirca S. Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſianum: *Quæ mēs,* inquit, *auida æternitatis, vitæq́ præſentis breuitate permota, contra huius diuinæ auctoritatis culmē, lumenq́ contendat? quæ diſputationes, quæ literæ quorumlibet Philoſophorum, quæ leges quarumlibet ciuitatum duobus præceptis, ex quibus Chriſtus dicit totam legem, Prophetaſq́ pendere, vllo modo ſint comparandæ? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximū tuum tāquā teipſum.* Deinde aſſerit S. Scripturā eſſe ſcientiarū omniū encyclopædiam, dicens: *Hîc Phyſica; quoniam omnes omnium naturarū cauſæ in Deo creatore ſunt. Hîc Ethica; quoniam vita bona & honeſta nō aliundè formatur, quàm cū ea, quæ diligenda ſunt, quēadmodū diligenda ſunt diliguntur, hoc eſt, Deus & proximus. Hîc Logica; quoniam veritas, lumēq́ animæ rationalis non niſi Deus eſt. Hîc etiam laudabilis Reipubl. ſalus; neq; enim conditur & cuſtoditur optima ciuitas, niſi fundamēto & vinculo fidei, firmæq́ concordiæ cùm bonū commune diligitur, quod ſummum ac veriſſimum Deus eſt, atque in illo inuicem ſinceriſſimè ſe diligūt homines, cùm propter illum ſe diligant, cui, quo animo diligant, occultare non poſſunt.* Et nonnullis interiectis ita concludit: *His ſalubriter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt animus, qui vel errando eam neſcit eſſe ſaluberrimam, vel odit ægrotando medicinā.*

A S. Scriptura ergo eſt ars artium, ſcientia ſcientiarum: ipſa eſt Pandora & encyclopædia ſapiētiæ. Noſtrâ memoriâ S. Tereſia, virgo ſpiritu prophetiæ, æquè ac ſanctimoniæ & miraculorum gloriâ in Hiſpaniâ celebris, à Deo didicit omnem noxam Eccleſiæ, omnia mundi damna ex hoc fonte manare, quòd mortales clarâ ſolidaque cognitione, & ſeriâ conſideratione non penetrent veritates S. Scripturæ. Auctor eſt P. Frāciſcus Ribera nobilis S. Scripturæ interpres, in eius vita. Nam, vt ait S. Baſil. hom. in Pſal. 1. *S. Scriptura eſt communis curandarum animarum officina, è qua medelam quiſque ſuo morbo ſalutarem & accommodam queat ſeligere:* ipſa ergo eſt apotheca rebus omnibus inſtructiſſima, quæ ſingulis temporibus, locis, perſonis, difficultatibus, periculis, morbis, malis pellendis, bonis accerſendis, erro-
B ribus iugulandis, orthodoxis dogmatibus ſtatuendis, virtutibus inſerendis, vitijs propulſandis pharmaca, arma, inſtrumenta ſuppeditat. Ita nimirum Eccleſia à ſacra Scriptura, dum agones erant martyrum, hauſit conſtantiam & fortitudinem; dum ſecula doctorum, ac facultas docendi diſcendique, ſapientiæ lumina, eloquentiæ flu-
C mina; dum tempora hæreticorum, fidei firmamenta, quibus errores compelleret: in proſperis ex ea didicit humilitatem & modeſtiam, in aduerſis magnanimitatem, in tepore diligentiam & feruorem. Denique ſi quando collabentibus annis ſenio, maculis, næuis deformetur, ex ea morum perditorum reſtitutionem, reditumque ad priſtinam virtutis dignitatem & ſtatum ſibi adſciſcit.

*Euangelij præcellentia.*

Porrò *inter omnes diuinas auctoritates, quæ ſacris Literis continentur,* ait S. Auguſtinus l. 1. de Conſenſu Euangeliſt. cap. 1. *Euangelium meritò excellit.*
D *Quod enim lex & Prophetæ futurum prænūtiauerunt hoc redditū & completum in Euangelio demonſtratur.* Prophetia ergo eſt Euangelium velatum, Euangelium verò eſt prophetia reuelata. Audi S. Ambroſium libr. 5. Hexam. cap. 7. *Euangelium eſt, de quo martyr aſcendit. Euangelium eſt mare, in quo piſcantur Apoſtoli, in quo mittitur rete, cui ſimile eſt regnum cælorum; Euangelium eſt mare, in quo Chriſti fi-*

*gurantur myſteria, Euangelium eſt mare, in quo Hebræus euaſit, Ægyptius interemptus eſt; Euangelium eſt mare in quo diuinæ gratiæ plenitudo eſt, & ſponſa Chriſti Eccleſia, quæ ſupra maria fundata eſt, ſicut dixit Propheta. Ipſe ſuper maria fundauit eam. Exili ſuper vndas, ô homo, quia piſcis es, non te opprimat ſæculi iſtius fluctus. Si tempeſtas eſt, pete altum; ſi ſerenitas, lude in fluctibus; ſi procella, caue à ſcopuloſo littore, ne te in rupem furens æſtus illidat.* Quocirca S. Baſilius hom. 16. *Omnis*, ait, *Euangeliorum vox, reliquis omnibus ſancti Spiritus præceptis eminentior eſſe dignoſcitur.* Et Origen. Præfat. in Ioannem: *Totius Scripturæ primitiæ*, inquit, *eſt Euangelium.*

Clamat Chriſtus: *Ego ſum lux mundi*, vtique per Euangelium, quod quaſi lumen diffundo, vt per illud totum orbem illuminem. Euangelium ergo eſt lumen mundi, & ſol terræ, qua de cauſa dum illud legitur, cerei accenduntur. **B** Vetus fuit ille mos ante tempora S. Hieronymi; ita enim ipſe ſcribit contra Vigilantium, ad lumina hæc cæcutientem & dormitantem: *Per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria, iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum: vnde & virgines illæ Euangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas, &c. vt ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus: Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis.* Pſal. 118.

*Ad Euangelium cerei accenduntur. Cur.*

Quocirca mira ſemper fuit omnium non tantùm Sanctorum, ſed & Chriſtianorum erga Euangelium reuerentia, mirus amor, mira veneratio. Conſtantinus Magnus Euangeliorum codicem auro gemmiſque ornatum dono miſit S. Nicolao Myreenſi Epiſcopo, vti habet eius vita. **C** Theodoſius Imper. Euangelium propriâ manu deſcriptum quotidie lectitabat bonâ noctis parte: Teſtis eſt Niceph. lib. 14. cap. 3. Synodi Oecumenicæ ambæ Nicenæ, Calcedonenſis, Epheſina Euangeliorum codicem in medio cõcilij ſtatuebant, vt ad illum, quaſi ad perſonam Chriſti conuerterentur; ac ſi Chriſtus ipſe eis diceret: *Iuſtum iudicium iudicate*, ait S. Cyrillus in Apolog. Iure canonico ſancitum eſt, vt in ſolenni iuramento per ſacroſancta Euangelia, ea manu tangendo iuretur: vnde etiamnum rem iuramento firmantes dicimus: *Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.* Vti ergo per Deum, ita & per Euangelia, quaſi per ſacroſanctum Dei verbum iuramus. Neque orthodoxi dumtaxat **D** ſed & hæretici plerique idipſum faciunt, qui licèt alios S. Scripturæ libros è S. Canone expunxerint, alios mutilarint, alios deprauarint, Euangelia tamen tangere & temerare non ſunt auſi, ampliùs dico, Gentiles Euangelia ſuſpexêre. Quanti ea fecerint Platonici, narrat S. Aug. l. 10. de Ciuit. Dei cap. 29. qui & lib. 7. Confeſſ. 9. docet ſe in Platonicorum libris legiſſe initium Euangelij S. Ioannis: *In principio erat Verbum*, non verò illud: *Et Verbum caro factum eſt.* Denique dæmones ipſi ad Euangeliorum codices pauore percelluntur, & ſacro quodam horrore concutiuntur: ſcribit S. Chryſoſt. hom. 51. in Ioannem, dæmones locum illum, in quo aliquis eorum ſit codex, ingredi non audere.

*Euangelij reuerentia.*

Denique per Euangelia plurima Chriſtus edidit miracula. Accipe pauca è multis. Gregor. **A** Turon. de Vita Pa[...] c. 6. narrat, quòd cùm Aruerna ciuitas inc[...]dio conflagraret, S. Gallus Eccleſiam ingreſſus diutiſſimè ante ſanctum altare Deum exorauit, ſurgenſque apprehenſo Euangeliorum codice, eoque aperto obuiam ſe igni obtulit ſubitoque incendium extinctum eſt vt ne fauillæ quidem remanerent. S. Martianus, cùm iam flamma ſerpens Eccleſiæ S. Anaſtaſiæ appropinquaret, accepto in manus ſacro Euangelio, per tegulas in tectum conſcendit, precibuſque & lacrymis illæſam ab incendio ſeruauit ita refert Nicephor. lib. 5. c. 22. Zonaras item in Baſilio Macedone ſcriptum reliquit, Rhoſos, libro Euangeliorum ab igne erepto illæſo, fidem Chriſti amplexos. Itaque Euangelia totius Scripturæ ſanctæ diuiniſſima, ſublimiſſima, fœcundiſſima, profundiſſima pars ſunt ac portio, ideo**B**que ſemper obuia in cathedris, in pulpitis, in controuerſijs, in officio diuino, in omni ſermone & publico, & priuato: quod ergo Theologi & veteres, & moderni vno ore toti S. Scripturæ tribuunt, nimirum illam eſſe omnium librorum, diſciplinarum, ſcientiarum certiſſimam, auguſtiſſimam, efficaciſſimam, ſapientiſſimam, vtiliſſimam, altiſſimam, & maximè neceſſariam, hoc propriè & primò ſibi vendicant Euangelia, ſiue materiam, ſiue auctorem, ſiue dicendi rationem, & modum ſpectes.

*Mira per Euangelium patrata.*

Materia enim eſt Deus ipſe, tum quà Deus, tum quà homo; ſcilicet Euangelia deſcribũt verba & acta Chriſti Domini, quibus tum nos redemit, tum docuit quæ credenda ſunt, quæ agenda, quibus itineribus ad vitam beatam tendere debeamus. Itaque hîc agit de præceptis diuinis, de conſilijs, de perfectione vitæ Chriſtianæ, de **C** virtutibus, de vitijs, de Sacramentis, de fide, ſpe, charitate, de Trinitate, ideoque de omni materia theologica, vt rectè Euangelia definire poſſis cum S. Hieron. *Breuiarium, vel Compendium totius Theologiæ*, & doctrinæ, vitæque Chriſtianæ.

*Materia Euangeliorum.*

Auctor ipſe, & quaſi in comœdia hac Euangelica choragus, qui penè ſolus hîc aut agit, aut loquitur, eſt Chriſtus Domius, ſapientia æterna: *Multifariam, multiſq; modis*, inquit Apoſtolus Heb. 1. *olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem vniuerſarum, per quem fecit & ſæcula.* Ergo non Moſes, non Prophetæ, non reges, ſed Vnigenitus, qui è mente Patris arcana ſapientiæ diuinæ, ipſamque increatam ſapientiam totam, quanta quanta eſt cum diuinitate hauſit, eamdem **D** hic in Euangelijs nobis communicat; ipſum, inquam, verbum omniſcium intellectus diuini ore proprio hîc ſonat, hîc loquitur, hîc eructat myſteria æternis temporibus tacita, & tot figuris legis & Prophetarum adumbrata.

*Auctor.*

Modus autem, & ratio dicendi atque diſſerendi in Euangelijs quàm admirabilis! S. Dionyſius Areopagita in Platonica & Peripatetica philoſophia inſtructiſſimus, S. Pauli diſcipulus, & Chriſtianę Theologię facilè princeps, inter alios doctiſſimos libros tres pręcipuos edidit; primum inſcripſit de Diuinis nominibus, in quo ea tantùm nomina, quę perfectionem aliquam & excellentiam continent, Deo conuenire demonſtrat, qualia ſunt ens, bonum, pulchrum, perfectum. Secundum ſcripſit de

*Methodus.*



de myſtica Theologia, in quo nullum nomen Deo propriè conuenire poſſe, & perfectius cognoſci Deum per negantem, quàm affirmantem Theologiam oſtendit. Tertium edidit de ſymbolica Theologia, in quo omnia nomina, quæcumque illa exiſtant, Deo attribui poſſe ex Scripturis ſacris demonſtrat. Euangelia triplicem hanc Theologiam ſequuntur; ſed maximè vltimam ſymbolicam, ad quàm ſpectant tot metaphoræ, tot ſimilitudines, tot parabolæ, in quibus Deus multas rerum ſpecies & hominum imagines, quaſi Proteus quidam cęleſtis propter nos induit. Iam enim comparatur regi, qui fecit nuptias filio ſuo, aut hero ponenti rationem cum ſeruis ſuis; aut duci venienti ad bellum cum decem millibus; nunc verò patrifamilias; nunc agricolæ; nunc paſtori; nunc piſcatori; nunc negotiatori; nunc fœneratori, & alijs permultis, **B** quibus ſe Chriſtus aſſimilare voluit, vt ſeipſum non tam vocibus, quàm rebus ipſis ad eruditionem noſtram, menti, oculiſque repræſentaret. Vnde hîc aduertas in Euangelijs nos tum per verba, tum per facta Chriſti edoceri: *Omnis* enim Chriſti *actio*, inquit S. Greg. *noſtra eſt inſtructio*, & Dei proprium eſt non tantùm verbis, ſed & rebus ipſis ac geſtis quaſi alphabeto quodam res diuinas & Euangelicas menti ſpectandas exhibere.

Vendicat & aliam ſibi hæc Euangelicæ ſapientiæ methodus dignitatem, ita enim eſt à Spiritu ſancto concinnata, vt & rudes & ſimplices fructu lectionis eius non deſtituantur, & magna & excelſa ingenia difficilia multa, obſcuraque, in quibus exerceri & deſudare valeant, inue**C**niant; quia neque ſemper aperta eſt, nec ſemper obſcura: *Diuinus enim ſermo*, ait S. Greg. Præfat. in Iob cap. 4. *ſicut myſterijs prudentes exercet, ſic plerumque ſuperficie ſimplices refouet. Habet in publico vnde paruulos nutriat, ſeruat in ſecreto vnde mẽtes ſublimium in admiratione ſuſpendat; Quaſi quidã quippe eſt fluuius, vt ita dixerim, planus & altus, in quo & agnus ambulet, & elephas natet.* Nimirum Chriſti doctrina facilis & peruia eſt paruulis & ſtudioſis: difficilis & imperuia mentibus ſuperbis, otioſis, ſibique præfidentibus. *Confiteor*, ait ipſe Chriſtus, *confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis; ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te.* Matth. 11.

*In Scriptura agnus ambulat, elephas na-*

Hæc & plura ad oculum perſpicies, ſi legem cum Euangelio per parallela & antitheta com**D**ponas, & opponas. Sub lege Prophetas, ceteroſque veteris Teſtamenti libros accipio, ſub Euangelio ceteros noui Teſtamenti. Euangelium enim eſt quaſi eorum baſis & centrum. Sicut enim ſol in medio lunæ, Mercurij, Veneris, Martis, Saturni, & Iouis fulgidus reſplendet, hique planetæ à ſole lumen ſuum mutuantur, ac circa eum oberrantes quaſi chorum, &, vt ita dicam, choream agunt; ſic Euangelium quaſi ſol inter Apoſtolorum ſcripta coruſcat, eiſque ſuam lucem & fulgorem impertit. Quid enim ſunt Petrus, Paulus, Iacobus, Ioannes, Iudas, niſi præcones & interpretes Euangelij? *Paulus*, ait, S. Hieronym. epiſtol. 61. ad Pammach. *tuba Euangelij, rugitus leonis noſtri, flumen eloquentiæ Chriſtianæ.* Quocirca Euangelij praxin tradunt Acta Apoſtolorum; doctrinam epiſtolæ S. Pauli & cete**A**rorum Apoſtolorum; prophetiam Apocalypſis. Quæ enim Chriſtus prædixit de Elia, antichriſto, iudicio, conſummatione ſæculi, ſigniſque illi præuijs, hæc fuſiùs enarrat & explicat S. Ioannes in Apocalypſi. Chriſtus etenim in Euangelio vti ſummus eſt legiſlator, Apoſtolus Euãgeliſta, & doctor, ita & diuinus eſt vates & Propheta.

Prima ergo antitheſis legis & Euangelij eſt in auctore, quod legis auctor ſit Moſes merus homo; Euangelij verò auctor ſit Chriſtus verus Deus & homo. ita Conc. Trid. ſeſſ. 4. *Euangeliũ*, ait, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, proprio ore primùm promulgauit. Lex*, ait Apoſtolus Galat. 3. 19. *ordinata eſt per Angelos in manu mediatoris*, ſcilicet Moſis, qui medius & mediator fuit inter Deum & populum. Quare quantum Chriſtus **B** Moſe & Angelis, quantum Creator creaturis antecellit, tantum Euangelium præcellit legi. Chriſtus enim, vt ait Apoſt. Hebr. 1. 2. *Cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* (Dei Patris) &c. *ſedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis, tantò melior* (præſtantior) *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* & c. 3. 3. *Amplioris enim gloriæ iſte* (Chriſtus) *præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet domo, qui fabricauit illam.* & v. 5. *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus verò tamquam filius in domo ſua.* Chriſto in Euangelio ſubſeruierunt Angeli omnes, velut eius adminiſtratorij Spiritus. Vnde S. Cyprian. (vel quiſquis eſt auctor) tract. de Natiuit. Chriſti: *A ſupernis*, **C** ait, *legationibus* (Gabrielis Archangeli ad B. Virginem, & ad Zachariam patrem Ioannis Baptiſtæ) *incipit Euangelium, cuius primi dictatores Angeli extiterũt.* Ceterùm Chriſtus ipſe per ſe Euangelij eſt conditor. Idcircò enim deitatem ſuam noſtrâ carne veſtiuit, vt per illam ore ſuo Euangelium dictaret: *Nam*, vt ait S. Ioannes cap. 1. 17. *lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſũ Chriſtum facta eſt.* Quid ergo eſt Euangelium? Eſt liber Chriſti, philoſophia Chriſti, Theologia Chriſti, eſt lætiſſimum Chriſti nuntium de redemptione, gratiâ & æternâ ſalute generis humani è cælo per ipſum allata, ipſiſque credentibus collata. Longè enim ſublimiora & diuiniora Chriſtus ore ſuo locutus eſt, quàm per Moſen & Prophetas locutus ſit.

*Antitheſes legis & Euangelij. Prima.*

**D** Quare Euangelium legere vel audire eſt ipſiſſimam vocem Filij Dei legere vel audire. Tantâ ergo reuerentiâ audiendum eſt Euangelium, quantâ Chriſtus ipſe; vti S. Antonium, S. Baſilium, S. Franciſcum, ſimileſque Sanctos factitaſſe legimus. *Nos itaque ſic audiamus Euangelium, quaſi præſentem Dominum*, ait S. Auguſt. tract. 30. in Ioannem: *Surſum eſt Dominus, ſed etiam hîc eſt veritas Dominus.* Quocirca dum Euangelium in templo legitur, omnes ei aſſurgant, quaſi Chriſtum in eo venerantes, ſimulque ad cælum, quòd in eo promittit, anhelantes: idque ex Apoſtolorum ſanctione. Audi S. Clementem libr. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 61. *Cùm Euangelium legitur, omnes Presbyteri, diaconi & laici aſſurgant cum magno ſilentio.* Extat & in eam ſententiam aliud Anaſtaſij Pontificis decretum ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos, in hęc verba:

*Euangelio quaſi Chriſto loquenti omnes aſſurgunt.*

ba: *Significaſtis, quoſdam in Eccleſia, quando leguntur Euangelia, ſedere.* Et paulò pòſt: *Quòd nullatenus deinceps fieri auctoritate Apoſtolicâ mandamus; ſed dum ſancta Euangelia in Eccleſia recitantur, ſacerdotes, & ceteri omnes præſentes non ſedentes, ſed venerabiliter curui in conſpectu S. Euangelij ſtantes, Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.* Can. Apoſt. de Conſecr. diſt. 1. Hanc aſſurgēdi conſuetudinem etiam in Epiſcopis probat Iſid. Peluſ. lib. 1. epiſt. 136. his verbis: *Nam cùm ipſe verus paſtor per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tum demum Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipſum paſtoralis artis ducem, ac Deum & herum adeſſe ſignificans.* Sozom. lib. 9. hiſt. tripart. cap. 39. damnat ritum Alexandrinorum, apud quos, præter communem morem, non ſurgit Epiſcopus, dum Euangelia leguntur. Porrò Synodus 8. Oecumen. action. 10. can. 3. Euangelijs honorem æqualem illi, qui cruci Chriſti defertur, decernit: *Sacram,* ait, *imaginem Domini noſtri Ieſu Chriſti & omnium Saluatoris, æquo honore cum libro ſanctorum Euangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, & ſapientes, & idiotæ cuncti ex eo, quòd in promptu eſt, perfruuntur vtilitate. Quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & Scriptura, quæ in coloribus prædicat, & commendat.*

*Idem honor Euangelio & cruci Chriſti deferendus.*

*Secunda.*

Secvnda Antitheſis conſequens ex prima petitur à doctrinæ præcellentia, Euangelij enim doctrina longè excedit eam, quæ in Moſe & lege reperitur. Lex Deum vnum credendum colendúmque proponit; Euangelium Deum vnum in eſſentia, ſed trinum in perſonis amandum adorandúmque prædicat: *Euntes,* inquit, Chriſtus, *docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. 28. fateor in lege & Prophetis extare vmbram myſterij S. Trinitatis: vnde ex illis hauſit Triſmegiſtus ſuum illud oraculum: *Monas genuit Monadem, & in ſe reflexit ardorem,* ſed myſterij veritatem non intellexit, non penetrauit. Idipſum ſecuti Platonici, ſed non aſſecuti, errore Arrianiſmo ſimili veritatem contaminarunt, dum vnum Deum ſummum, alios verò deos minores & inferiores ſtatuerunt. Chriſti ortum, vitam, paſſionem, crucem, aſcenſionem, miſſionem Spiritus ſancti, vocationem & conuerſionem omnium Gentium tenuiter & obſcurè vaticinantur Prophetæ; ac Euangelium ſolidè & clarè hæc ipſa annuntiat. Dei præſcientiam, prouidentiam, prædeſtinationem, omnipotentiam, charitatem immenſam, ceteraque attributa diſtinctè & apertè pandit non lex, ſed Euangelium: *Deum,* ait S. Ioannes cap. 1, 18. *nemo vidit vmquam: vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Ideò enim Chriſtus è ſinu Patris in ſinum matris factus homo deſcendit, vt arcana Patris ipſi ſoli cognita nobis enuntiaret. Nimirum hoc eſt *magnum pietatis ſacramentum, quod,* vt ait Apoſt. *manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria;* vtique non in lege, ſed in Euangelio. 1. Timoth. 3. 20.

*Tertia.*

Tertia Lex eſt veluti vmbra; Euangelium verò eſt ipſa veritas per legis typum adumbrata. Quantum ergo vmbræ præſtat veritas, verùmq; corpus, tātum Euangelium præſtat legi. *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum,* &c. ait Apoſt. Heb. 10. 1. Et 1. Cor. 10. 1. *Patres noſtri omnes,* ait, *ſub nube fuerūt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eamdē eſcam ſpiritualem manducauerūt, & omnes eumdem potū ſpiritualem biberunt, bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petrâ; petra autem erat Chriſtus,* &c. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* Nimirum tot Patriarcharum geſta, tot Prophetarum oracula, tot viſionum ſymbola, tot hoſtiarum ſacrificia, tot baptiſmatū & cæremoniarum ſacramenta, tot legum decreta ſanguine animalium ſancita, erant vmbræ, figuræ & typi, quæ Chriſto præluderent, eumq; quaſi in ænigmate, & ſub velamine rudi populo repræſentarent. Euangelium autem manifeſtè nobis Chriſtum, eiuſque myſteria & ſacramenta exhibet. Vnde Apoſtolus 2. Cor. 3. 8. *Nos verò omnes,* inquit, *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamde imaginem transformamur, tamquā à Domini ſpiritu.* Hac de cauſa primam ad Rom. epiſtolam Apoſtolus ita orditur: *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium; quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio,* &c.

*Quarta.*

Qvarta Lex erat nuntia timoris, Euangelium verò amoris. Lex enim mortem præuaricantibus intentabat; Euangelium præcipuè præmium credentibus oſtentat. Quare lex erat ſeruorum; Euangelium eſt liberorum & filiorum. *Deus,* inquit Paulus, *idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literâ, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Quod ſi miniſtratio mortis* (putà lex minās mortem) *literis deformata in lapidibus fuit in gloria,* &c. *quomodo non magis miniſtratio ſpiritus* (Euangelium miniſtrans ſpiritum) *erit in gloria?* 2. Cor. 3. 6. Quid ergo eſt Euangelium? Eſt lex libertatis, lex ſpiritus, lex beneficētiæ & charitatis: Chriſtus enim *pertranſijt benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cū illo.* Actor. 10. 38. Quocirca S. Ioannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexand. teſte Leontio in eius vita cap. 22. ad largiſſimas ſuas eleëmoſynas accenſus fuit Euangelio atque exemplo viri Euangelici Serapionis Sindonij, cum in actis eius legeret ipſum amictum ſuum dediſſe egeno, & iterum paululùm proceſſiſſe illinc, & frigus patienti obuiaſſe, & illi tunicam præbuiſſe, vnde quia nudus ſedebat tenens ſanctum Euāgelium, interrogatus à quodam: *Quis te expoliauit Abba?* demonſtrans ſanctum Euangelium, ait: *Iſte.* Alio quoque tempore, hoc ipſum Euangelium vendidiſſe, & dediſſe eleëmoſynam: diſcipulo verò ſuo dicente: *Abba Euangelium vbi eſt?* reſpondiſſe illum: *Crede fili, qui dixit mihi: Vende quæ habes, & da pauperibus: ipſum vendidi, & dedi eis, vt in die iudicij habeamus fiduciam abūdantiorem apud Deum.* Et quia aliàs iterùm vidua mulier petijſſet ab eodem ſancto Serapione eleëmoſynam, quoniam eſuriebant filij eius, & non habente eo aliquid omnino, tradidit ſe ei, vt venderet eum ad mimos Græcos, quos & Chriſtianos fecit in paucis diebus. Sic & S. Paulinus ſeipſum pro filio viduæ Wandalis in ſeruitutem tradidit, vt imitaretur Chriſtum, qui, cùm eſſet Dominus gloriæ, in Euangelio propter nos pauperem & ſeruum ſe feciſſe legitur, vt nos ſuâ paupertate & ſeruitute ditaret, liberoſque efficeret. Palladius in Lauſiaca cap. 116. narrat Biſarionem Abbatem ſemper Euangelium ſub axillis geſtaſſe, vt ex eo, quid agendum foret, & quâ ratione euangelicè viuendum, diſceret. Quare, cùm in nudum incidiſſet, ſe veſtibus ſuis ſpoliaſſe, vt nudum veſtiret. Cumque rogaretur: *Quis te nudauit?* protendiſſe Euangelium: *Hoc,* inquit, *me exuit.* Rurſum, cùm in alium egenum incurriſſet, nec aliud haberet quod daret, ipſum Euangelij codicem vendidiſſe, pretiumque egeno dediſſe. Cumque Dulas eius diſcipulus quæreret: *Abba, vbi tuum eſt Euangelium?* reſpondiſſe: *Ne triſtitiâ afficiaris: nam vt illic* (in cælo) *habeamus fiduciam, vendidi ipſum ſermonem, qui mihi ſemper dicebat: Vende quæ habes, & da pauperibus.*

*Serapion Euangelium vendit, vt pauperi ſuccurrat.*

*Simile fecit S. Paulinus.*

*Et Biſarion.*

*Quinta.*

Qvinta. Lex bona terrena & caduca promittebat; Euangelium verò cæleſtia & æterna. In lege non audis niſi pollicitationem abundantiæ olei, vini, mellis, pecorum, &c. In Euangelio verò viſionis & poſſeſſionis Dei, gaudiorum & bonorum ſempiternorum. Ioſue induxit Hebræos in terram lacte & melle manantem, ſed terram morientium: Ieſus verò Chriſtianos inducit in terram viuentium omni gratiâ & gloriâ ſplendentem, vti docet Apoſtolus Hebr. 4. v. 8. vnde Rom. 1. fidenter ait: *Non enim erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco,* id eſt, deinde Gentili. *Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit.* Virtus ergo Euangelij docet & perſuadet fidem, fides iuſtificat, iuſtitia ſaluat & beat.

*Sexta.*

Sexta. Lex erat onus graue; Euangelium verò leue. Audi Chriſtum, Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Lex enim plurimas ſanxit leges, eaſque triplices, morales, cæremoniales & iudiciales, quarum pleræque tranſgreſſoribus mortem decernunt: at Euangelium pauca decalogo addidit præcepta, æquè ac ſacramenta. Inſuper eis annexuit copiam gratię Spiritus & conſolationum cæleſtium. Vnde Iſaias c. 61. Chriſtum ita inducit loquentem: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me Dominus. Ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, prædicarem captiuis indulgentiam & clauſis apertionem.*

*Septima.*

Septima. Lex erat via ad Chriſtum & Euangelium: hoc verò legis eſt meta & terminus, nimirum: *Finis legis Chriſtus ad ſalutem omni credenti.* Rom. 10. 4. Quocirca S. Bernard. hom. 1. ſuper *Miſſus eſt,* docet Chriſtum promiſſionis legis, velut ſeminis & florum, fuiſſe fructum. Fructus enim finis eſt, ad quem ſemina tendunt, & in quē deſinunt. In Chriſtum ergo, vt ſcopum, collimāt Moſes & Prophetæ: quare Euangelia pariter eorumdem ſunt finis & ſcopus, omneſque illi ad Euangelia manu ducunt, Euangelijs continentur & explicantur.

*Octaua.*

Octava. Lex data fuit ſolis Iudæis, Euangelium omnibus Gentibus. Hinc Iſaias cap. 49. de Chriſto vaticinans: *Parum eſt,* inquit, *vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.*

Rurſum lex fuit temporaria, durauit enim dumtaxat vſque ad Euangelium; hoc verò permanebit ſemper, eritque æternum. Audi Apoſtolum Hebr. 7. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum,* &c. *per eum qui dixit: Iurauit Dominus, & nō pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum.* Pſal. 109.

Porrò ita miro modo à Chriſto compoſitum eſt Euangelium, vt cuique hominum ætati, ſexui, gradui conueniat, vt vniuerſalis ſit liber, ac inſtar Pandoræ ſit vniuerſitas ſapientiæ. Euangelium enim normam vitæ iuſtæ & ſanctæ, imò perfectæ præſcribit viris, feminis, pueris, coniugibus, viduis, virginibus, monachis, paſtoribus, doctoribus, Epiſcopis. Exempli ſit inſtar quod ait S. Aug. lib. de Vera relig. c. 16. *Tota vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit:* omnia enim bona mundi, cùm contempſit, contemnenda docuit: omnia mala mundi, dum perpeſſus eſt, perpetienda & ſuperanda monſtrauit. Nihil enim Chriſtus verbo docuit, quod non exemplo monſtrauit. *Satellites voluptatum diuitias pernicioſè populi appetebant, pauper eſſe voluit. Honoribus & imperijs inhiabant, rex fieri noluit. Carnales ſuos filios magnum bonum putabant; tale coniugium prolemque contempſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant; omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Iniurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: quæ maior iniuria, quàm iuſtum, innocentemq; damnari? dolores corporis execrabantur; flagellatus atque cruciatus eſt. Mori metuebant; morte mulctatus eſt. Ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant; crucifixus eſt. Omnia quæ habere cupientes non rectè viuebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes à ſemita deuiabamus veritatis, deiecit.* Hucuſque S. Aug.

*Nona.*

Nona. Lex fuit imperfecta, Euangelium verò quaquauerſum, ſiue fidem, ſiue mores ſpectes, integrum eſt & perfectum. Iudæi ergo ſub lege fuêre quaſi alphabetarij; Chriſtiani verò ſub Euangelio perfecti euadunt Theologi. Audi Apoſt. Galat. 4. 3. *Cùm eſſemus paruuli ſub elemētis mundi eramus ſeruientes. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factū ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Quocirca S. Cyrillus lib. 9. in Ioan. *Oportebat,* inquit, *per Moyſen tamquam puerum erudiri Iſraëlem, qui puerilis adhuc & rudioris mentis erat: at per Chriſtū, in quo omnes ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi, deſcriptam veram & conſummatiſſimam nobis aſſerri ſcientiam.* Quinimò Chriſtus Matth. 5. multa legis decreta reformauit, & ad meliorem virtutis pietatiſq; formam normamque reuocauit. *Audiſtis,* inquit, *quia dictum eſt antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino; neque per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum pedum eius eſt,* &c. *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram,* &c. *Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum*

*facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Hac de cauſa S. Hieronymus (vel potius S. Paulinus, vti ſtylus indicat) Celantiæ prænobili matronæ, coniugio tamen illigatæ, piæ vitæ regulam flagranti epiſt. 14. eidem reſpondens, Euangelij tramitem vt legat, aſſignat, eiuſque qui dicit: *Ego ſum veritas & via. Ad compendioſum*, ait, *quoddam commonitorium illa tibi Euangelij eligenda ſententia eſt, & ſuperſcribenda cordi tuo, quæ ad totius iuſtitiæ breuiarium Dominico ore profertur: Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Cuius præcepti vires exprimens iungit, ac dicit: Hæc enim lex & Prophetæ.* Et poſt nonnulla: *Ad omnem igitur actum, ad omne verbum, ad omnem etiam cogitatum hæc ſententia retractetur: quæ tibi quaſi ſpeculum quoddam paratum, & ad manum ſemper poſitum qualitatem tuæ voluntatis oſtendat, ac etiam vel de iniuſto opere reduarguat, vel de iuſto lætificat, quotieſcumque enim talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero ſeruari cupis, æquitatis viam tenes: quoties verò talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter iuſtitiæ dereliquiſti.* Idem S. Hier. epiſt. ad Gaudentium, eum, quâ ratione Pacatulam filiolam educet, inſtruens: *Cùm virgunculam*, ait, *ſeptimus annus exceperit, diſcat memoriter pſalterium, & Euangelia ſui cordis theſaurum faciat.*

Decima.

Decima Lex præcepta duntaxat tradit, eaque naturæ conformia: Euangelium verò & præcepta, & conſilia, & miſta ex præceptis & conſilijs, illaque naturam tranſcendentia, paradoxa, ſupernaturalia & diuina. Inter præcepta primas tenet illud nouæ charitatis: *Mandatum nouum*, inquit, *do vobis, Vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.* Ioan. 13. 34.

Conſilia ſunt: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Et, *Ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et: *Quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Matth. 5. 39. Mixta, id eſt, partim præcepta, partim conſilia ſunt: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, ceteræque octo beatitudines, quas recenſet S. Matth. c. 5. v. 3. & ſeq.

In Euangelio eſt beatitudo.

Quocircà S. Auguſt. ſerm. 112. de Tempore, docet beatitudinem huius vitæ in ſacris Literis & Euangelio conſiſtere, idque demonſtrat hoc argumento. Beatitudo, ait, conſiſtit in Dei cognitione & contemplatione. Dei cognitionem haurimus ex ſacris Literis & Euangelio: ergo in ijs eorumque ſtudio & meditatione ſita eſt beatitudo; quin & Chriſtus ad Iudæos: *Scrutamini*, ait, *Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere.* Ioan. 5. 39. & cap. 17. conuerſus ad Patrem: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, &c. Ego enim ſum via, veritas & vita*: Sum *via* incipientium, *veritas* proficientium, *vita* perfectorum: Sum *via* ſanctæ conuerſationis, *veritas* doctrinæ diuinæ, *vita* beatitudinis ſempiternæ, ait S. Leo. Sequamur ergo, inquit S. Bernard. ſerm. 2. de Aſcenſ. *Sequamur Domine te, per te ad te: quia tu es via, veritas, & vita: via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.* Cauſam dat S. Auguſt. ſerm. 112. de Tempore: *Quia*, inquit, *ſacrarum lectio Scripturarum diuina eſt præcognitio non parua beatitudinis. In his enim, quaſi in quodam ſpeculo, homo ſeipſum conſiderare poteſt qualis ſit, vel quò tendat. Lectio aſſidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia ſuperna cor inſtigat legentis. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare & legere; nam cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur.*

Sublimia Euangelij dogmata.

Tota Chriſtiani ſapientia, virtus, perfectio, & felicitas in eo ſita eſt, vt Chriſti doctrinam & vitam Euangelio deſcriptam hauriat, meditetur, & moribus exprimat. Docet Chriſtus veram iuſtitiam, & ſanctimoniam conſiſtere in interna mentis puritate & integritate, non in externa operum ſpecie, in conſcientia modeſta & ſancta coram Deo, non in pompa plauſuque hominum; in humilitate, non in oſtentatione; in honorum non ambitu, ſed fugâ & contemptu. Docet non reſiſtere malo, ſed diligere inimicos æquè ac amicos. Quis Socrates, quis Ariſtoteles, quis Plato hæc intellexit? Docet terrena vt vilia & breuia deſpicere, anhelare ad cæleſtia, vt qui mundo & ſæculo maiores eſſe cœpimus, ſupra omnes mundi luctantis æſtus & turbines mente & vitâ conuerſemur in cælis, viuamus Deo, laboremus æternitati, ideoque in agone iuſtitiæ, Deo & Chriſto ſpectante, ad propoſitam gloriæ palmam alacres procurramus, pro eaque vitam & ſanguinem ſi quis ſit, libenter & generosè profundamus. Quis Sophorum hæc cognouit? Secuti ſunt, & etiamnum ſequuntur mundani famæ & gloriæ fumos, ambiunt honorum culmina, opibus & delicijs inhiant; Chriſti diſcipulus hoc fixum habet: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Docet Chriſtus ſe à Patre miſſum in terras triplici de cauſa, vt nimirum hominibus eſſet redemptor, doctor, & vitæ exemplar. Redemptori auctorem, doctori diſciplinam, exemplari ſequelam & imitationem debemus. Hæc eſt ſumma Euangelij: Euangelia, inquit S. Baſil. in princ. S. Ioannis, Chriſtum ipſum nobis repræſentant, quaſi ſpirantem, docentem, mira patrantem, dira patientem. S. Antonius, teſte S. Anaſtaſio in eius vita. *Euangelium*, inquit, *eſt epiſtola quædam Dei è cælo emiſſa*, docens quâ viâ ad cælum tendere, quomodo Deo placere, quâ ratione benè perfecteque viuere debeamus.

Euangeliũ eſt Dei epiſtola.

Clarè & præclarè S. Bern. ſerm. 1. de Septem panibus: *Euangelium*, inquit, *ſpeculum veritatis, nemini blanditur, nullum ſeducit: talem in eo ſe quiſque reperiet, qualis fuerit, vt nec ibi timore trepidet, vbi non eſt timor; nec lætetur, cùm malè fecerit.* Eâdem metaphorâ vtitur D. Greg. lib. 2. Mor. cap. 1. *Scriptura*, inquit, *ſacra mentis oculis quaſi quoddam ſpeculum opponitur, vt interna noſtra facies in ipſa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus: ibi ſentimus, quantum proficimus: ibi à profectu quàm longè diſtamus.* Conſentit D. Ambr. ſerm. 20. in Pſal. 118. circa medium: *Euangelium*, inquit, *non ſolùm fidei doctrina, ſed etiam morum eſt magiſterium & ſpeculum conuerſationis.*

Vndecima.

Vndecima Lex nudum præceptum intellectui proponit. Euangelium ſimul cum præcepto voluntati gratiam ad illud implendum aſpirat, iuxta illud S. Leonis: *Iuſtè inſtat præcepto, qui præuenit auxilio.* Chriſtus enim, qui in Euangelio loquitur, non tantùm exteriùs inſonat auribus,



ſed & interiùs menti illabitur, illique ſoni externi ſenſum guſtumque inſinuat, vt quòd vox ſuadet, hoc ſpiritus perſuadeat: *Verba mea ſpiritus & vita ſunt*; ait ipſe Ioan. 6. & Ierem. cap. 31. quem citat Paulus Heb. 10. *Hoc*, ait, *teſtamentum, quod teſtabor ad illos, dicit Dominus; dabo leges meas in cordibus eorũ, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas.* Cùm ergo legimus Euangelium, loquitur nobis Chriſtus; cùm oramus, nos ipſi loquimur Chriſto. Potuit vna Euangelij vox. *Si vis perfectus eſſe; vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, magnum illum Antonium, iam tum iuuenem nobilitate & opibus inclytum tanto Euãgelicæ paupertatis amoris incendere, vt è veſtigio bonis omnibus, quibus ita impensè cæci mortales inhiant, ſeſe exueret, & cæleſtem in terris vitam monaſticâ profeſſione complecteretur. Inſonat Chriſtus: *Omnis, qui reliquerit domũ, vel fratres, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Matth. 19. 29. *Hæc ſunt verba*, (ait S. Bern. ſerm. *Ecce nos reliquimus omnia*,) *quæ contemptum mundi in vniuerſo mundo, & voluntariam perſuaſêre paupertatem, hæc ſunt, quæ monachis clauſtra replent; deſerta anachoretis*: hoc claſſicum in Bethleem & mandras ad vexilla crucis exciuit Hieronymos, Antonios, Frãciſcos, tenerrimas & nobiliſſimas principes, Paulas, Melanias, Pelagias, & mille agmina corporeorum Angelorum; non miror. Miretur quis placitum S. Bern. qui ſerm. 1. in Septuag. nõ dubitat aſſerere eum, qui verbum Dei cum fructu audit, legit, meditatur, ſignum habere & teſſeram ſuæ prædeſtinationis, & ne mirêre, rationem affert: *Qui ex Deo eſt, ait veritas, verba Dei audit; propterea vos auditis, quia ex Deo eſtis.* Quocircà S. Cæcilia Romæ gloria, virginum dux, martyrum anteſignana ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectore, quod nec ignes, nec gladij, nec aculei ei extorquere potuerunt; quin per illud virginitatis & martyrij lauream non tãtùm ipſa ſit aſſecuta, ſed & ſponſum Valerianum, fratremque Tiburtium, pluresque alias ad eamdem erudierit & efformarit, vt de ea meritò canat Eccleſia: *Cæcilia famula tua Domine, quaſi apis tibi argumentoſa deſeruit.* S. Hilarionis hereditas erat Euangelium propria manu deſcriptum, quod proinde moriens legauit Heſychio diſcipulo. *Octogeſimo ætatis ſuæ anno*, ait S. Hier. *cum abſens eſſet Heſychius, quaſi teſtamenti vice breuem manu propria ſcripſit epiſtolam, omnes diuitias ſuas ei derelinquens, Euangelium ſcilicet, & tunicam, ſaccum, cucullum, & palliolum.*

Ex Euangelio conſtitutiones monaſticæ acceptæ.

Ita cœnobitæ, anachoretæ, ſancti omnes ab Euangelio, ſuam quoque vitæ formam hauſerunt: multis non alius erat codex. S. Ioannes Calybita librum vnum Euangelij pro ſuo cenſu habuit, nec alium vitæ ducem, non alium doctorem philoſophiæ tam ſublimis, quâ ita patriæ & parentum affectus vicit, vt Coſmopolitanus, vt ἀπάτωρ & ἀμήτωρ videretur. S. Benedictus, S. Franciſcus, S. Auguſtin. S. Baſil. regulas ſuas, & conſtitutiones monaſticas ab Euangelio mutuati ſunt. Hinc & S. Bernard. ſerm. 43. in Cant. Euangelio acceptum refert omnem ſuum profectum à conuerſione ſua. Hac de cauſa S. Hieron. S. Euſtochio virgini religioſe præcipit diurnam & nocturnam hanc lectionem, adeò vt *tenenti codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* De S. Paula verò quàm miram ſacrarum Literarum non tantùm ſcientiam, ſed & experientiam, vſumque commemorat? feminam diceres arcam teſtamenti, & armamentarium Euangelij. In periculis, ait S. Hieron. loquebatur: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Cùm euerſio totius patrimonij nuntiabatur, aiebat: *Quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucrifecerit, animæ ſuæ detrimentum patiatur?* Et: *nudus exiui de vtero matris.* In crebra infirmitate: *quando infirma ſum, tunc fortis ſum.* Et: *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalem.* In mœrore cantabat: *Quare triſtis es anima mea; & quare conturbas me? ſpera in Deo.* Inuidiâ & probris appetita: *Cur non*, ait, *patientiâ liuorem ſuperem, cur non humilitate frãgam ſuperbiam, & percutienti maxillam offeram alteram?* Cùm nimio feruore virtutum nonnullis videretur inſana: *Theatrum*, ait, *facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus.* Et: *nos ſtulti propter Chriſtum; ſed ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus.* Cùm eleëmoſynas profunderet, ſeque ipſa nudaret: *Beati*, ait, *miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* In ſui contemptu: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*: humilis premi poteſt, opprimi non poteſt; palma eſt, quò eam magis deprimis, eò altiùs victricem comam attollit. Sola humilitas exaltat. In Paraſitos: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*; adulari non poſſum, palpones odi: Chriſtiana libertas, ſinceritas, veritas cum S. Baptiſta mihi vitâ ſunt cariora. Et quid timeo hominem, qui cras cinis erit, & vermis: ac plura, ad ſingulas vel tentationes, vel virtutes, vel vitia hac Dei armaturâ pectus obfirmans, prima in Bethleem angelicos virginum choros inſtruxit: tanti dux femina facti, viros docuit opes, gloriam, regna, plauſus, & omnia fortunæ ac mundi ludibria ridere, contemnere, pedibus premere. Hæc & plura S. Hier. ſparſim, & iiſdem ferè verbis in Epitaph. S. Paulæ.

Duodecima. Euangeliũ facit Apoſtolos.

Dvodecima Lex nullos creauit Apoſtolos: Euangelium plurimos. Cauſa eſt, quam paulò antè aſſignaui: *Viuus enim eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarũ, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.* Euangelium enim hanc vim habet vt credentem mox ſui propagandi ſatagentem, ideoque præconem & prædicatorem efficiat.

Exempla.

S. Chryſanthus, qui Romam multo ſuo, & ſuorum ſanguine purpurauit, lectione Euangelij aſſiduâ à Gentiliſmo conuerſus ad Chriſtum, ad eumdem & Dariam coniugem conuertit, ac innumeros ille viros, hæc mulieres ad fidem & caſtitatem pellexerunt. Quocirca ipſi à Numeriano imperatore poſt varia tormenta, ac poſt lupanar, in quâ Dariam à ſtupro defendit Leo à Deo immiſſus, viui in terram defoſſi & ſaxis obruti glorioſum obière martyrium anno Domini 284. 25. Octobr. quâ die anniuerſariam eorum memoriam & lauream recolit & celebrat Eccleſia, præſertim Romana, quæ idem certaminis eorum oſtendit ſepulchrum & trophæum.

Germanorum Apoſtolus S. Bonifacius, anno à Virginis partis 750. Chriſti legem cum ſuis in

Germania propagans, iugiter ſacrum Euangelij codicem ſecum deferebat, adeò vt eum nec in martyrio dimitteret, quin cùm in eius caput Friſones enſem vibrarent, hunc codicem quaſi ſpiritualem clypeum obiecit, & illuſtri miraculo, licet enſe acuto per medium ſectus ſit liber, nulla tamen litera eâ ſectione abolita eſt. S. Dominicus fax illa Eccleſiæ, Prædicatorum parens Euangelium S. Matth. perpetuum habebat comitem; itaque terebat, vt penè totum memoriter noſſet, cuius illud axioma: *Sine ſacra Scriptura prædicator eſſe non poteſt.* Rectè S. Gregorius in illud Iobi: *Habet argentum venarum ſuarum principia.* Argentum, ait, eſt eloquij vel ſapientiæ claritas. Venæ ſunt ſacræ Scripturæ, ac ſi apertè dicat: *Qui ad veræ prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt, vt earum origines à ſacris paginis ſumat, vt omne quod loquitur, ad diuinæ auctoritatis fundamentū reuocet, atque in eo ædificium locutionis ſuæ firmat.* Hac de cauſa Euãgelio S. Ioãnis immortuus eſt Ven. Beda, & penè animam agens, vt commentarium hunc abſolueret, accito ſcribâ: *Accipe*, inquit, *calamum, & feſtinanter ſcribe.* Et tandem: *conſummatum eſt*; ac cygnæum canens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, placidiſſimè ſpiritum emiſit, pro fide & labore Dei viſione beandum, anno Domini 731. Quin & Carolus Imper. vti corpore, ita ſacrarum Literarum & rerum geſtarum gloria magnus, ſub obitum coronato Aquiſgrani Ludouico filio, totum ſe orationibus, eleëmoſinis & literis dedit: ipſe ſcilicet quatuor Euãgelia ad Græca & Syra exemplaria egregiè correxit, eiſque vacauit ad vltimum vſque vitæ agonem: codex eius religioſè Aquiſgrani, vt ipſe vidi, aſſeruatur. Idem imitantur hæretici velut Catholicorum ſimię. De vno Philippo Melanchtone celebre eſt, nuſquam eum profectum eſſe, nuſquam conſediſſe, non cœnaſſe, non prandiſſe niſi à latere ei adeſſet codex Euãgelij; ita profanus, & ater hic terræ filius hac laruâ, quà ſapientiæ, quà ſanctimoniæ multis fucum fecit. Sed miſſis ſectarijs ad orthodoxos Apoſtolos redeamus. S. Barnabas primus cum ſancto Paulo gentium apoſtolus, ad eas iturus Euangelium S. Matth. propriâ manu deſcriptum quaquauerſum circumtulit, ac tandem pro eo martyr in Cypro occumbens, cum eodem quaſi cum pignore cæleſtis reſurrectionis ei promiſſæ, ſepeliri voluit: vnde Euangelium hoc in pectore eius repertum eſt ſub Zenone Imper. vti habet eius vita. S. Bartholomæus teſte Euſeb. libr. 5. Hiſtor. cap. 10. 5. Matthæi Euangelium Hebraicè ſcriptum ſecum ad Indos detulit, ibique reliquit, ac poſt centum & ampliùs annos Pantenus illud ibidem repertum Alexandriam tranſtulit. Quis Saulum effecit Paulum? vtique Euangelium. Iſti ſunt viri, ait S. Leo ſerm. 1. de SS. Petro & Paulo, per quos tibi, ô Roma, Euangelium Chriſti reſplenduit: hi Euangelium à Chriſto ſibi creditum tibi in depoſitum tradiderunt, illudque ſuo ſanguine obſignarunt, vt ipſum purum ac putum conſerues, ceteriſque Eccleſijs quaſi magiſtra veritatis tradas, & explices. Hoc eſt, quod tibi inclamat Paulus Rom. 15. 16. *Vt ſim miniſter Chriſti in gentibus ſanctificans* (Græcè ἱερουργοῦν, id eſt, conſecrans, ſacrificans) *Euangelium Dei; vt fiat oblatio gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Euangelium ergo, & Euangelij prædicatio ac interpretatio eſt ſacrificium, victima ſunt Romani & Gentes Euangelio credentes; hos enim quaſi victimam gratiſſimam euangelizando Deo obtulit. Libamen eſt ſanguis Pauli, quo hoc ſacrificium rigatum & ſancitum eſt. Idem ad Ephes. c. 3. 8. *Mihi*, ait, *omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Paulus ergo fuit doctor Angelorum docuit principatus & poteſtates Euangelium Chriſti, ait ibid. S. Chryſoſt. Idem 1. ad Cor. c. 9. *Væ mihi eſt, ſi non euangelizauero. Quæ eſt ergo merces meá, quæ gloria? vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate meâ in Euangelio.* Pauli ergo imitatores, aſſeclæ & cooperatores ſunt, qui Euangelium tractant, explicant, prædicant tam indigenis, quàm exteris; tam fidelibus, quàm infidelibus; quibus meritò gratulatur Iſaias c. 52. 7. & Paulus Rom. 10. 15. *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!*

Supereſt, vt in mores noſtros & alienos hæc Euangelij dogmata conferamus: Euangelium enim eſt ſpeculum in quo quiſque faciem ſuam, æquè ac alienam intueatur, detergat, poliat & ornet. *Non ſit*, ait S. Auguſt. ſerm. 112. de Temp. *mora in faciendo, quod intùs ſapitis intelligendo. Et ille beatiſſimus eſt, qui diuinas Scripturas vertit in opera*, vt diuina Chriſti verba in diuina eius facta imitando transferat. Audi S. Bernard. ad milites templi cap. 11. *Vita Chriſti viuendi mihi regula extitit.* Et D. Greg. lib. 30. Moral. cap. 30. *Deus*, inquit, *inter nos homo factus eſt, vt non ſolū nos ſanguine fuſo redimeret, ſed etiam oſtenſo exemplo commutaret.* Planiùs adhuc & pleniùs D. Baſil. in conſtitutionibus monaſticis, cap. 2. *Omnis actio*, inquit, *omnis item ſermo Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti; excolendæ pietatis, virtutiſq; obeundæ regula eſt. Propter hoc enim humanam naturam ſuſcepit, vt in ſe velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamq; omnibus nobis ante oculos ſtatutam, vnicuique pro viribus imitandam ſeu archetypum proponeret.* Chriſtus enim eſt α & ω, primus & vltimus. Apoc. 1. 4. *Primus æternitate*, ait S. Ambroſ. *vltimus humilitate.* Vnde ab Iſaia c. 35. v. 3. vocatur *nouiſſimus virorum*, Hebr. *deſitio vel ceſſatio virorum.* *O nouiſſimum* exclamat S. Bern. *& altiſſimum! O humilem & ſublimem! O opprobrium hominum & gloriam Angelorum!* Diſcamus igitur ex Euangelio euangelicè, id eſt, Angelicè viuere. Chriſtus enim quaſi Angelus è cælo deſcendit, vt homines angelicam doctrinam æquè ac vitam doceret, imò ex hominibus Angelos, & quaſi deos quoſdam efficeret. *Ecce ego*, ait ipſe per Malachiam cap. 3. *mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Quare ab ipſo, qui æterna eſt Patris ſapientia, aſſiduè lumen poſtulandum, ſpiritus & gratia, vt ipſe, qui olim in medio doctorum ſacram Scripturam conſedit, Euangelium inchoaturus, etiam nunc idem docentibus æquè ac diſcentibus pandat, vt illud intelligamus, & intellectum actionibus Chriſtianis compleamus. Hoc enim ei eſt volupe. *Neſcie-*



*Neſciebatis*, ait, *quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* In ſcripturis vtique priſcis, quæ mihi & Euangelio præluſerunt, de quibus audio & ſciſcitor Scribas & legis doctores, vt ex ijs me Chriſtum & Meſſiam à Patre miſſum agnoſcant. Dicamus ergo & identidem dicamus, ſi non pari, certè ſimili deuotionis affectu cum S. Auguſt. l. 4. de Trinit. cap. 1. *In hoc genere hominum* (qui dolorem habent peregrinationis ſuæ ex deſiderio patriæ, & conditoris eius beati Dei) *in familia Chriſti tui Domine Deus meus, inter pauperes tuos gemo; da mihi de pane tuo reſpondere hominibus, qui non eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, ſed ſatiati ſunt & abundant. Satiauit autem illos phantaſma eorum, non veritas tua, quam repellendo reſiliunt, & in ſuam vanitatē cadunt. Ego certè ſentio, quam multa figmenta pariat cor humanū. Et quid eſt cor meum, niſi cor humanum? ſed hoc oro Deū cordis mei, vt nihil ex eis figmentis pro ſolido vero eructem in has literas; ſed inde veniat in eas quidquid per me venire potuerit, vnde mihi quamuis proiecto à facie oculorum ſuorum, & de longinquo redire conanti per viam, quam ſtrauit humanitati diuinitas Vnigeniti ſui, aurora veritatis eius aſpergitur.* Et paucis interiectis: *Omnino enim Dei eſſentia, quæ eſt, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate: quia æterna ibi eſt veritas, & æterna charitas; & vera ibi eſt charitas, vera æternitas; & chara ibi eſt æternitas, & chara veritas.*

Aperi nobis Domine Ieſu arcana veritatis, veræque charitatis tuæ, qui habes clauem Dauid; qui aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit, vt illam clarè cognoſcamus, cognitam colamus & diligamus, dilectam opere exerceamus, quia tu es amor noſter, deſiderium noſtrum, vita & beatitudo noſtra. Amen.

# CAPVT II.

## *De Euangeliorum numero, ordine, diſſonantia, & conſonantia.*

PErmulti olim ſcripsêre Euangelia, præſertim hæretici, illaque Apoſtolis ſuppoſuerunt, & eorum nomine inſignierunt, vt illis, indeque ſuæ hęreſi auctoritatem conciliarent: *Vnde à diuerſis auctoribus edita*, ait S. Hieron. procem. in S. Matth. *diuerſarum hæreſeum fuere principia, vt eſt illud iuxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiam, & Bartholomæum, duodecimq; Apoſtolorum, Baſilidis atq; Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longiſſimum eſt: cùm tantùm impræſentiarum hoc neceſſe ſit dicere, extitiſſe quoſdam, qui ſine ſpiritu & gratia Dei conati ſunt magis ordinare narrationem, quam hiſtoriæ texere veritatem. Quibus iure poteſt illud propheticum coaptari: Væ qui prophetant de corde ſuo, qui ambulant poſt ſpiritum ſuum; qui dicunt: Dicit Dominus: & Dominus non miſit eos: de quibus & Saluator in Euãgelio Ioannis loquitur: omnes qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt.* Et poſt plura: *Quibus cunctis perſpicuè oſtenditur, quatuor tantum debere Euangelia ſuſcipi, & omnes apocryphorum nænias mortuis magis hæreticis, quàm Eccleſiaſticis, cauendas.* Igitur hæc quatuor dumtaxat ſunt Euangelia canonica, vt talia enim ea probauit Eccleſia ex doctrina & traditione Apoſtolorum. Nam Euangelium S. Marci probauit S. Petrus: S. Lucę Paulus: S. Matthæi chorus Apoſtolorū, qui abituri in ſuas prouincias, illud ſecum detulerunt: S. Ioannis omnes Aſiæ Epiſcopi, ceterique fideles. Citant Origenes & S. Hieronymus ſubinde Euangelium ſecundùm Hebræos, quaſi S. Matthæi: quare illud idem fuiſſe videtur cum Euangelio S. Matthæi, ſed additionibus varijs, iiſque incertis hinc inde deprauatum; vnde auctoritas eius eſt dubia & incerta: tranſtulit tamen illud ex Hebræo in Latinum S. Hieronymus. Audi de eo ipſum in catalogo virorum illuſtriū, in Iacobo fratre Domini: *Euangelium, quod appellatur ſecundùm Hebræos à me nuper in Græcum Latinumq; ſermonem tranſlatum, quo Origenes ſæpè vtitur, poſt reſurrectionem Saluatoris de Iacobo ſic refert: Dominus autem cùm dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei; iurauerat enim Iacobus ſe nō comeſturum panem ab illa hora, quâ biberat calicem Domini, donec videret eū reſurgentem à mortuis.* Rurſuſque poſt paululum: *Afferte*, ait Dominus, *menſam & panem*, ſtatimque additur: *Tulit panem, ac benedixit, & fregit, & dedit Iacobo iuſto, & dixit ei: Frater mi comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis à dormientibus.* Hæc Hieronymus, qui in eodem libro de Ignatio loquens, inquit: *Ignatius vnam ad Smyrnæos ſcripſit epiſtolam in qua de Euangelio, quod nuper à me tranſlatum eſt, ſuper perſona Chriſti ponit teſtimonium, dicens: Ego verò & poſt reſurrectionem eum in carne vidi, & credo, quia ſit. Et quando venit ad Petrum & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce palpate, quia ego dæmonium non ſum incorporale; & ſtatim tetigerunt eum, & crediderunt.* Inſuper Orig. tom. 2. in Ioan. ex Euangelio hoc citat illud: *Dixit Chriſtus: Modo accepit me mater mea, Spiritus ſanctus vno capillorum, & me in montem magnum Thabor portauit.* Quæ quidem ſententia, niſi candidè conſideretur, videtur continere hæreſim Gnoſticorum Valentinianorum aſſerentium Spiritum ſanctum eſſe matrem Chriſti.

*Quatuor tantùm Euangelia.*

*Vide l. 3.*

Origenes tamen hoc ita excuſat, quòd Spiritus ſanctus vocetur mater non generatione, ſed imitatione, quia imitatur patrem, eiuſque voluntati ſe conformat: quę excuſatio videtur frigida. Beda quoque hoc Euangeliū laudat, & à veteribus probatum aſſerit. Vt vt eſt, certum eſt non eſſe canonicum, nec habere auctoritatem S. Scripturæ. Porrò Euangelium hoc ſecundùm Hebræos vocatur quoque Euangelium Nazaræorum, quia eo Nazaræi vtebantur. Audi S. Hieronymum in cap. 12. Matth. v. 13. vbi agitur de manu arida à Chriſto ſanata: *In Euangelio*, inquit, *quo vtuntur Nazareni & Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur à pleriſque Matthæi authenticum) homo iſte, qui aridam habet manum, cæmentarius ſcribitur; iſtiuſmodi vocibus auxilium precans: Cæmentarius eram manibus victum quæritans: precor te Ieſu, vt mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos.*

*Euangeliū ſecundùm Hebræos nō eſt canonicum.*

Porrò Nazareni fuêre Iudæi ad Chriſtum conuerſi, qui cum Euangelio ſeruantes legem Moſis, ab Eccleſia eiecti ſunt, ac Euangelium Hebraicum S. Matthæi, quod primò purum intactumque ſeruarant, additionibus quibuſdam vitiaſſe videntur, æquè ac fecêre Ebionæi, & Carpocratiani.

QVÆRES cur præcisè quatuor ſunt Euangelia & Euangeliſtæ, non plures non pauciores? Varij varias dant cauſas. Primò S. Auguſt. lib. 1. de

*Cur quatuor Euangelia?*

*Reſp. Primò.* de Conſenſu Euang. cap. 2. reſpondet id factum eſſe ob quatuor mundi plagas, quibus predicandum erat Euangelium: *Quoniam*, inquit, *quatuor ſunt partes orbis terræ, per cuius vniuerſitatem Chriſti Eccleſiam dilatari ipſo ſui numeri exordiò quodammodo declararunt.*

*Secundò.* Secundò, hi quatuor ſunt velut *quatuor columnæ Eccleſiæ, in quibus velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit*, ait S. Greg. lib. 1. epiſt. 24. Ædificia enim quadratâ formâ fiunt, vt ſint firma. Vnde & cæleſtis Ieruſalem in quadro poſita dicitur Apoc. 21. 16.

*Tertiò,* Tertiò, quia quaternarius eſt numerus ſolidus & quadratus: hîc ergo ſignificat Euangeliorum ſoliditatem & perfectionem. Vnde Philo lib. de Mundi opificio ait, quaternarium numerum primum ſolidi naturam oſtendere: nam in vnitate cenſetur punctum, in binario linea; vbi acceſſit latitudo, fit ſuperficies ad ternarium pertinens: hæc quò minùs ſit corpus naturâ ſolidum, vnâ deſtituitur altitudine, quâ iunctâ ad ternarium, fit quaternarius. D. item Auguſt. lib. 83. quæſtionum, quæſt. 57. *Progreſſio*, ait, *à puncto ad longitudinem, à longitudine ad latitudinem, à latitudine ad altitudinem, ſoliditatem corporis facit, quæ rurſus quaternario numero continetur.* Præterea nec illud ignorandum (ait Philo) quòd primus numerorum quatuor quadrangulus eſt, pariter par, menſura æquabilitatis & iuſtitiæ, indeque omnis virtutis. Quocirca Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. cap. 12. virum perfectum comparat quadrato. Nam hic numerus eſt primus pariter par, tamquam iuſti æquique menſura. Idem continet trinam ſolidi corporis cum puncto dimenſionem. Denique quaternarius eſt denarij, qui omnium eſt perfectiſſimus, cauſa, baſis, & fons. Nam numeri omnes ab vnitate vſque ad quaternarium, ſi eidem addantur, faciunt denarium, ſcilicet adde 1. 2. 3. 4. efficies decem.

*Quartò,* Quartò, alij aſſignant cauſam quòd totidem, ſcilicet quatuor literæ ſint in nomine Dei tetragrammato יהוה, quatuor primaria Dei attributa, quæ Euangelijs explicantur, repræſentantes. Alij, quia quatuor ſunt flumina paradiſi. Ita S. Auguſtinus 13. Ciuit. cap. 21. & S. Hieronym in Prol. S. Matth. Verùm hæc omnia myſtica & ſymbolica ſunt: vnde hiſce ſimiles cauſas, vel potiùs analogias ſymbolicas ad viginti recenſet noſter Ioannes de la Haye in Apparatu Euangelico c. 29.

*Quintò. Genuinè.* Quintò ergo ad literam propria & genuina cauſa eſt, quòd ſicut in aula cæleſti ſunt quatuor Cherubini, quaſi principes & ſapientes Dei; ſic in Eccleſia terreſtri decuit eſſe quatuor Euangeliſtas, quaſi principes & Cherubinos Chriſti. *Quatuor Euangeliſtæ quatuor Cherubini.* Id ita eſſe patet Ezech. 1. vbi ipſe quatuor hoſce Cherubinos cum quatuor ſtemmatibus, quatuor Dei attributa repræſentantibus depingit. Adde duos Euãgeliſtas initio ſui Euangelij duas deſcribere Chriſti naturas, ſcilicet Mattheus humanam, Ioannes diuinam: duo verò reliqui duplicem Chriſti dignitatem; ſcilicet Marcus regiam, Lucas ſacerdotalem, ita Rupert. in cap. 1. Ezech. cap. 7. *Chriſtus enim eſt homo naſcendo, vitulus moriendo, leo reſurgendo, aquila aſcendendo*, ait S. Hieronym. Præfat. in Marcum, vel quiſquis eſt auctor. Stylus enim indicat non eſſe S. Hieronymi. Hic ergo currus Cherubicus eſt quadriga Euangelij à quatuor equis, id eſt, Euangeliſtis agitata, & toto orbe circumacta. Quocirca per quatuor Cherubinos, quos vidit Ezechiel cap. 1. & S. Ioannes Apocal. cap. 4. quatuor Euangeliſtas ſignificari docent S. Hieron. S. Athanaſius, S. Auguſtinus, S. Irenæus, S. Gregorius, S. Ambroſius, Beda, ceterique Patres & Interpretes, vnanimi conſenſu.

Audi S. Hieronymum epiſtol. 103. ad Paulinum: *Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes quadriga Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur ſcientiæ multitudo: per totum corpus oculati ſunt, ſcintillæ emicant, diſcurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in ſublime pendentes, terga pennata, & vbique volitantia. Tenent ſe mutuo, ſibi perplexi ſunt, & quaſi rota in rota voluuntur & pergunt, quocumque eos flatus S. Spiritus perduxerit.*

Iam verò Cherubini Ezechielis quaternas habebant facies & formas, ſcilicet Leonis, Vituli, Hominis, & Aquilæ. Vnde S. Ioannes Apoc. 4. illos vocat quatuor animalia: *Animal primum*, inquit, *ſimile leoni, & ſecundum ſimile vitulo, & tertium ſimile homini, & quartum ſimile aquilæ volanti.* Et poſt paululum: *Plena erant*, inquit, *oculis, & requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.*

*Leo eſt Marcus. Citrè* Leo denotat S. Marcum, cuius facies, id eſt, initium Euangelij eſt clamor & rugitus S. Ioannis Baptiſtæ in deſerto: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* *Vitulus eſt Lucas.* Vitulus denotat S. Lucam, qui Euangelium ſuum orditur à ſacerdotio veteri (cuius victima erat vitulus) Zachariæ, qui pater fuit Baptiſtæ. *Homo eſt Matthæus.* Homo denotat S. Matthæum, qui incipit ab humana Chriſti genealogia. *Aquila eſt Ioannes.* Aquila denotat S. Ioannem, altiſſimè è terra in cælum inſtar aquilæ ſe librantem, & illud diuinitatis exordium intonantem: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, vt meritò S. Dionyſ. Areopag. epiſt. ad eumdem S. Ioannem ipſum vocet *Solem Euangelij*, eiuſque Euangelium nuncupet memoriam & renouationem Theologiæ illius, quam ipſe recumbens in pectore Chriſti ex eo hauſit, ac Euangelio, quaſi ſolis radio, poſteris intuendam reliquit. Audi S. Hieron. Prooem. in S. Matth. *Hæc igitur quatuor Euangelia multò ante prædicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima viſio ita contexitur: Et in medio ſicut ſimilitudo quatuor animalium: & vultus eorum facies hominis, & facies leonis, & facies vituli, & facies aquilæ: Prima hominis facies Matthæum ſignificat, qui quaſi de homine exorſus eſt ſcribere: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Secunda Marcum, in qua vox leonis in eremo rugientis auditur: Vox clamãtis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Tertia vituli, quæ Euangeliſtam Lucam à Zacharia ſacerdote ſumpſiſſe initium præfigurat. Quarta Ioannem Euangeliſtam, qui aſſumptis pennis aquilæ ad altiora feſtinans, de verbo Dei diſputat.* *Chriſti quatuor ſtemmata.* Porrò quatuor hæc animalia primaria quatuor Chriſti attributa, & quaſi ſtemmata ſignificant, nimirum leo fortitudinem regiam, quam vel maximè in reſurrectione ex morte & ſepulchro oſtendit. Sicut enim leo rex eſt animalium; ſic Chriſtus Rex eſt fidelium, imò omnium hominum & Angelorum. Vitulus notat eiuſdem ſacerdotium, quòd ipſe in cruce ſeipſum in holocauſtum & victimam pro peccato Deo Patri offerens, peregit, & conſummauit: Homo, eiuſdem humanitatem ex Virgine aſſumptam, eiuſque dicta, factaque: Aquila, diuinitatem & aſcenſum in cælum. Singula hæc animalia quaternas habebant facies, eò quòd initia aliorum trium Euangeliſtarum, adeoque totam narrationis Euangelicæ ſeriem quartus quiſque complectatur, vt rectè notauit Primaſius. Vide dicta Ezech. 1. v. 28. qu. & Apocal. 4. Paulò aliter hæc quatuor aſſignauit S. Aug. l. 1. de Conſenſu Euang. cap. 3. & l. 4. c. 10. ac S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. & Rupertus: Matthæus, inquiunt, præcipuè commendat regiam in Chriſti humanitate dignitatem, Marcus propheticam, Lucas ſacerdotalem, Ioannes diuinam. Chriſtus enim fuit Rex, Propheta, Sacerdos, & Deus.



Iam quoad ordinem temporis, primus Euangelium ſcripſit S. Matthæus, ſecũdus S. Marcus; tertius S. Lucas; quartus S. Ioannes. Audi S. Hieronymum Prooemio in S. Matth. *Primus omnium Matthæus eſt publicanus, cognomento Leui, qui Euãgelium in Iudæa Hebræo ſermone edidit ob eorũ vel maximè cauſam, qui in Ieſum crediderãt ex Iudæis, & nequaquam legis vmbram ſuccedente Euangelij veritate ſeruabãt. Secundus Marcus, interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus: qui Dominum quidem Saluatorem ipſe non vidit, ſed ea, quæ magiſtrum audierat prædicantem, iuxta fidem magis geſtorũ narrauit quàm ordinẽ: Tertius Lucas medicus, natione Syrus, Antiochenſis, cuius laus in Euangelio qui & ipſe diſcipulus Apoſtoli Pauli, in Achaiæ Bœotiæq; partibus volumen condidit, quædã altiùs repetens: & ut ipſe in prooemio confitetur, audita magis quàm viſa deſcribens. Vltimus Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta, quem Ieſus amauit plurimùm, qui ſupra pectus Domini recumbens, puriſſima doctrinarum fluenta potauit: & qui ſolus de cruce meruit audire. Ecce Mater tua.* Audi S. Auguſtinum l. 1. de Cõſenſu Euãg. c. 2. *Primùm*, ait, *Matthæus, deinde Marcus, tertiò Lucas, vltimò Ioãnes. Vnde alius eis fuit ordo cognoſcendi, atque prædicãdi, alius autem ſcribendi. Ad cognoſcẽdum quippe, atque prædicandum, primi vtique fuerunt, qui ſecuti Dominum in carne præſentem, dicentẽ audierunt, facientemq; viderunt, atque ex eius ore ad euangelizandum miſſi ſunt; ſed in conſcribendo Euangelio, quod diuinitùs ordinatum eſſe credendum eſt, ex numero eorum, quos ante paſſionem Dominus elegit, primum atque vltimum locum duo tenuerunt. Primum Matthæus, vltimũ Ioannes, vt reliqui duo, qui ex illo numero non erant, ſed tamen Chriſtum in illis loquentem ſecuti erant, tamquam filij amplectendi ac per hoc in loco medio conſtituti, vtroque ab eis latere munirentur. Horum ſanè quatuor ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, ceteri Græco.*

Inſuper tam appoſitè hi quatuor ſcripſêre dicta, geſtaque Chriſti: vt muſicam Diateſſaron harmoniam efficere videantur: ſic enim quiſque ſcribit, vt ab alijs ſtylo diſſonet, ſed ſenſu & reipsâ conſonet. Quod enim vnus tacet, alter ſupplet; quod hic conciſè perſtringit, alter enucleatè exponit: quod ille obſcurè indicat, iſte clarè enuntiat. Audi S. Auguſtinum loco iam citato: *Et quamuis ſinguli ſuum quemdam narrandi ordinem tenuiſſe videantur; non tamen vnuſquiſque eorum velut alterius præcedentis ignarus, voluiſſe ſcribere reperitur, vel ignorata prætermiſiſſe, quæ ſcripſiſſe alius inuenitur, ſed ſicut vnicuique inſpiratum eſt, non ſuperfluam quoque cooperationem ſui laboris adiunxit.*

Plura hac de re dicam in canonibus, quos mox ſubiungam, vbi quàm diſpar ſit eorum paritas, concors diſcordia, oſtendam; ac ſimul quàm ſuauem hæc diſcors eorum concordia efficiat hiſtoriæ melodiam & concentum, demonſtrabo.

Denique hęc Euangeliſtarum diaphonia *maximum eſt teſtimonium veritatis*, ait Chryſoſt. Præfat. in Matth. *Si enim ex toto & omnibus conſonarẽt, & cum nimia diligentia atque cura vſque ad tempora & loca omnia, vſque ad ſingula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidiſſet vmquam, ſed eos communi ad decipiendum conſilio congregatos, quaſi ex humana quadam compoſitione Euangelium condidiſſe; non enim ſimplicitatis tam ſollicitam conſonantiam iudicarent.* Et poſt nonnulla: *Siue enim vnus quilibet vniuerſa dixiſſet, ſuperfluus iam fuiſſet numerus ceterorum; ſiue varia omnia inter ſe ſcripſiſſent, ac noua omnia, nullum potuiſſet conuenientiæ apparere documentum: propterea & communiter multa dixerunt, & nihilominùs quiſque proprium aliquid ac ſpeciale conſcripſit; & ne ſuperfluè & importunè aliquid videretur adiectum, ſi nihil adderetur noui; nec tota rerum fides adduceretur in dubium, ſi omnia diuerſa dixiſſent.*

## CAPVT III.

### *De Interpretibus Euangeliorum.*

SYriaca Euangeliorum ex Græco, vt videtur, interpretatio exſtat in Biblijs Regijs. Arabica cum traductione latina impreſſa eſt Romæ in typographia Medicea anno Domini 1591. vtramque crebrò citabo.

Romæ pariter in bibliotheca Vaticana, & in noſtra collegij Romani reperi Euangelia Copticè ſiue Ægyptiacè, Æthiopicè, & Perſicè cõſcripta, illaque vetuſta: mox enim à Chriſti temporibus Euãgelium in Ægyptũ illatum eſt à S. Marco, in Æthiopiam à S. Matthæo, in Perſidẽ à SS. Simone & Iuda. Vnde in his regionibus floruit tum Euangelica fides, vita & perfectio. Quocirca ibidem extitêre tot examina SS. monachorum, æquè ac fortiſſimorum martyrum. Euãgelium Perſicum à R. P. Hieronymo Xauerio Societatis Ieſu cognato S. P. Frãciſci Xauerij, ex ciuitate Agra, quę eſt regia regis Mogor, quaſi pretioſum donum, & inſigne antiquitatis monumentum tranſmiſſum eſt ad collegium Romanum, vbi illo vſus vſum. Codex hic ex originali tranſcriptus eſt anno 790. Maurorum quos ſcilicet Mauri numerãt ab ortu ſuæ ſectæ Mahometis, quæ cœpit anno Chriſti 591. Annus ergo 790. Maurorũ, eſt annus ab ortu Chriſti 1381. quo tranſcriptus eſt hic codex. Sed originale ipſum longè eſt antiquius: vnde & perplura habet vocabula Perſica valdè ijs, quibus nũc Perſæ vtũtur, diſſimilia. His omnibus ſubinde vtar, ſed ſobriè & cum grano ſalis: non enim habent iſtam auctoritatem & fidem, quam obtinent Euangelia Græca & Latina; illa tamen confirmant, & ſubinde illuſtrant. Porrò Romæ ſunt Æthiopes, ſiue Abyſſini, ideoque iuniores ex eis ſacerdotes collegium Romanum frequentarũt; ſunt & aliarum linguarum periti: in vrbe enim eſt orbis.

Hi

Hi mihi Euangelia ſuæ gentis & linguæ interpretati ſunt, ac præſertim R. P. Athanaſius Kircher Societatis noſtræ, linguarum Orientalium peritus, vti patet ex earum Lexico, quod nuper edidit.

Porrò eſto S. Matthæus prædicarit in citeriori Æthiopia, quæ vicinior eſt Ægypto, hodieque *Sonnar* nuncupatur, vbi nigriores ſunt Æthiopes, ac mortuus dicatur in ciuitate Luah; vbi etiamnum templa in honorem S. Matthæi extant: tamen reliqua Æthiopia, ſiue Abyſſia Euangelia, ceteraſque SS. Scripturas, æquè ac fidem Chriſti accepta refert cuidam monacho Æthiopi, cui nomen Aba Salama, id eſt, Pater pacis, eò quòd veram pacem & ſalutem eis attulerit. Hic educatus apud Arabes Orientales, ab eis Chriſtianam fidem & S. Scripturam hauſit, ac deinde vniuerſæ Æthiopiæ eaſdem communicauit; vnde eius habetur Apoſtolus. Quocirca Æthiopica S. Scripturæ verſio cum Arabica, ceu matrice ſua, conſentit.

Plurimi priſcis temporibus, æquè ac poſterioribus & modernis Commentarios ſcripsêre in Euangelia (nonnulli in omnia, plures in vnum aliquod) illaque ſuis commentationibus illuſtrarunt, nimirum Origenes, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Cyrillus, S. Chryſoſtomus, S. Gregorius, Beda, Theophilus, Euthym. Audi S. Hieronymum proœmio in Matthæum: *Legiſſe me fateor ante annos plurimos in Matthæum Originis viginti quinque volumina, & totidem eius homilias, commaticumque interpretationis genus: & Theophili Antiochenæ Vrbis Epiſcopi commentarios: Hippolyti quoque Martyris, & Theodori Heracleotæ, Apollinarijque Laodiceni ac Didymi Alexandrini: & Latinorum Hilarij, Victorini, Fortunatiani opuſcula: è quibus etiamſi parua carperem, dignum aliquid memoriâ ſcriberetur.*

Recentiorum penè infinitus eſt numerus. Hic ergo interpretum copia parit eligendi inopiam, vt lector dicat cum priſca Niobe:

Ouid. *Inopem me copia fecit.*

Inter tam varios enim in ſenſu euariantes, neſcis quem præferas, & ſequaris. Multi quoque ita prolixi ſunt, vt non ſtudioſi modò, ſed & doctores, qui toti S. Scripturæ vacant, ijs euoluendis tempus & otium, æquè ac capitis robur vireſque requirant. Eminent Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, qui quatuor ingentes tomos in vnum S. Matthæum elucubrauit; Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis; Franciſcus Lucas Decanus Audomarẽſis; ac è Societate noſtra Alphonſus Salmeron, Ioannes Maldonatus, Franciſcus Toletus, Sebaſtianus Barradius. Ianſenius interpretandi ſoliditate excellit, Lucas in linguis, Græcâ, Hebræâ, Chaldæâ, Syriacâ, Salmeron in adaptandis parabolis, Toletus maturitate iudicij, Barradius in Moralibus, quæ meditationi æquè ac concioni ſubſeruiunt. Nouatores quoque ac ſectarij plurimi in Euangelia commentati ſunt: Tanta enim Euangeliorum apud omnes ſemper fuit veneratio, vt noſtro æuo Lutheri aſſeclæ nuncupari voluerint Euangelici, cùm reuerà eſſent cacangelici; ac nemo diuinam Euangeliorum auctoritatem in dubium reuocare auſus ſit, præter Maniacos, Manichæos, Ebionem, Cherinthum, Carpocram, Marchionem & noſtros Enthuſiaſtas, Anabaſtaptiſtas, & Seruetanos; hæretici, inquam, innumeri Euangelia ſuis commentis inſignierunt, aut potiùs temerarunt & vitiarunt, vt Lutherus, Caluinus, Zuinglius, Beza, Pelicanus, adeò vt Auguſtinus Marloratus eorum Symmyſtes, ex eorum viginti facilè celebrioribus, catenam contexuerit.

*Qui interpretes in quo excellant*

Hoſce ego euolui, partim cùm Louanij anno Domini 1600. partim cùm Romæ publicè in ſcholis Euangelia pertractarem, docerem, & dictarem; ac nunc euoluo eos, qui poſteriùs in illa ſcripſerunt. Iam enim ſenior, ætatem penè omnem in hac ſacræ Scripturæ palæſtra diſcenda contriui, ac à quadraginta ferè annis illam quà docendo, quà ſcribendo, docere ſatago. Nemo enim in arte tam vaſta, tam ſublimi & difficili poteſt eſſe magiſter & doctor, niſi qui antè ſtudendo in ea diu fuerit doctorum diſcipulus; nimirum, *diuinatio in ore doctoris, in doctrina non errabit os eius.*

Denique bipartitus fuit, & eſt Euangelia explicandi modus & ratio; prior multorum olim & etiamnum, vt ſcilicet quatuor SS. Euangelia ſibi inuicem aptè intexentes, ex ijs vnum Monoteſſaron pulchrâ harmoniâ contexerent. Fecit id primus Theophilus, ſeptimus à S. Petro Antiochiæ Epiſcopus, inquit S. Hieronymus ad Algaſiam: deinde Tatianus Eucratitarum parens; tertiò Ammonius, quem, vt ait S. Hieronymus, ſecutus eſt Euſebius Cæſareenſis: recentiores multi id imitati ſunt, ſed magnâ præ cæteris laude Cornelius Ianſenius. Poſterior eſt eorum, qui Euangelia ſigillatim ex ordine ſunt proſecuti, & etiamnum proſequuntur: poſteriores hoſce ego ſequar: tum quia hæc methodus magis plana, obuia, & ordinata eſt. Facile enim eſt locum, quem quæris in Euangelio quolibet ſeorſim inuenire; difficile verò in Monoteſſaro, putà in concordia è quatuor in vnum conflata, ideoque confuſa: tum quia mei muneris eſt S. Scripturam vti extat, explicare: non autem nouum Euangelium, aut nouam Euangelij harmoniam cudere. Ita tamen id exequar, vt vni Euangeliſtæ illa, quæ alij commemorant, inſeram, ad illumque in alijs lectorem remittam, ne idem bis, ter, & quater repetere oporteat. Chronotaxin verò, ordinem & ſeriem omnium quatuor, æquè ac ſingulorum nunc paucis ſubiungo, & commentario velut operis ſynopſin præpono.

MONO-



# MONOTESSARON,

## SIVE

## CHRONOTAXIS ANNORVM ET GESTORVM CHRISTI:

In qua quatuor Euangelia recto ordine temporis digeruntur, & inter ſe ordinantur, vt vnam vitæ Chriſti hiſtoriam efficiant.

## INFANTIA, ADOLESCENTIA, ET IVVENTVS CHRISTI:

## SIVE

*Acta Chriſti à conceptione vſque ad annum trigeſimum completum, quando à Ioanne baptizatus eſt.*

1. VERBVM, quod erat in principio apud Deum, ideoque lux & vita mundi in tempore creati, factum eſt caro, putà Dei Filius factus eſt homo, vt homines Dei filios efficeret, anno à mundi creatione 3950. qui fuit à diluuio annus 2293. ab Abraham 2001. à Roma condita 751. à captiuitate Babylonica 591. ab hebdomadibus Danielis 453. à Machabæis 165. ab annis Iulianis 43. Auguſti Cæſaris circiter 42. Ioan. 1. idque hoc modo & ordine contigit.

2. Archangelus Gabriel miſſus à Deo, nuntiat Zachariæ conceptionem S. Ioannis Baptiſtæ, qui futurus erat præcurſor & index Chriſti: quare Eliſabeth eius vxor concepit S. Ioannem. Idem Gabriel poſt ſex menſes die 25. Martij anni iam dicti, nuntiat B. Virgini conceptionem filij Dei; conſentit illa, concipitque, ac in ea Verbum caro factum eſt. B. Virgo viſitat Eliſabetham, ac ipſam cum Ioanne implet Spiritu ſancto. Naſcitur Ioannes die 24. Iunij. Naſcitur Chriſtus in Bethleem die 25. Decembris eiuſdem anni, ac die octauâ, putà primâ die Ianuarij circumciditur, vocaturq; Ieſus, id eſt, Saluator. Lucæ c. 1. & 2. Genealogiam Chriſti ex Patriarchis & regibus texit Matthæus c. 1. & Lucas c. 3.

3. Die 13. ab ortu Chriſti, putà die 6. Ianuarij proximè ſequentis, Magi duce ſtellâ exciti veniunt in Bethleem, Chriſtum adorant, eique offerunt aurum, thus, & myrrham; & fugientes Herodem, aliâ viâ reuertuntur in terram ſuam. Matth. 2. 1.

4. Die 40. ab ortu Chriſti, putà die 2. Februarij quaſi die purificationis puerperæ lege præſcripto, B. Virgo puerum Ieſum offert in templo, quem S. Simeon in vlnas accipiens, Meſſiam prædicat, æquè ac Anna propheteſſa. Luc. 2. 22.

5. Herodes ſe deluſum videns à Magis, occidit omnes infantes in Bethleem, hoc fine, vt inter eos & Chriſtum occideret; ſed is iam Angeli monitu à Ioſeph & Mariâ abductus erat in Ægyptum, qui mortuo Herode reducitur die 7. Ianuarij, moraturque in Nazareth; vnde Nazaræus cognominatur. Matth. 2. 23.

6. Chriſtus duodennis aſcendens cum parentibus Hieroſolymam, ab ijs perditus, poſt triduum repertus eſt in templo inter doctores, cum quibus reuerſus in Nazareth, ſubditus illis proficiebat ætate, ſapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines. Lucæ 2. 42.

7. A duodecimo anno vſque ad trigeſimum Chriſtus delituit, & artem fabrilem exercuit. Lucæ 3. 23. Marci 6. 3. Matth. 13. 55.

## VIRILIS CHRISTI ÆTAS.

*Acta Chriſti à baptiſmo vſque ad proximum Paſcha, putà acta per tres menſes proximos, ſcilicet ab initio Ianuarij anni 31. Chriſti, vſque ad 25. Martij.*

8. ANno 15. Tiberij Cæſaris S. Ioannes Baptiſta in deſerto iuxta Iordanem iuſſu Dei cœpit prædicare pœnitentiam, & baptizare, viamque Chriſto præparare. Lucæ 3. 1.

9. Eodem anno Chriſtus, expleto anno ætatis trigeſimo, ac trigeſimo primo per tredecim dies inchoato, baptizatus eſt à Ioanne die 6. Ianuarij, eâdem ſcilicet die, quâ ante triginta annos puer adoratus fuerat à Magis Lucæ 3. 21. Matth. 3. 13. Marci 1. 9. tumque à Deo declaratus eſt quis eſſet, ſcilicet filius non Ioſeph, ſed Dei; nam Spiritus ſanctus in eum ſpecie columbæ deſcendit, & vox Patris intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. 16. Lucæ 3. 21. Ioann. 1. 23. Ex hac voce Ioannes teſtatus eſt ipſum eſſe Meſſiam Patribus promiſſum, id eſt, Redemptorem & Saluatorem mundi. Ibidem.

10. Illicò à baptiſmo, putà eâdem die 6. Ianuarij, Chriſtus receſſit in deſertum, vbi, vt ſe ad opus prædicationis præpararet, per quadraginta dies vacauit orationi & ieiunio, poſt quos eſuriens tentatus à diabolo, eum ſuperauit, ac Angeli ei,



vt

vt Domino ſuo, miniſtrauerunt. Matth. 4.1. Lucæ 4.1. Marc. 1.12. Cœpit ergo Chriſtus ieiunium quadragenarium die 7. Ianuarij, finijt die 40. quæ fuit 15. Februarij, quo die, victo tentatore diabolo, reuertitur in Galilæam, & quindecim diebus manet in Nazareth, ait S. Epiphan. hæreſi 15.

11. Die 56. à baptiſmo, ait S. Epiphan. hæreſi 51. ſcilicet die primâ Martij (erat enim ille annus biſſextilis, ac conſequenter Februarius habebat 29. dies) Iudæi legatos miſerunt ad Ioannem, rogantes an ipſe eſſet Meſſias? negauit ipſe, & poſtero die, quæ fuit 2. Martij, Ioannes videns Chriſtum venientem, eumdem digito demonſtrauit, dicens; *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Idem fecit, dixitque Ioannes poſtridie, putà die tertiâ Martij; quo audito duo ex eius diſcipulis ſecuti ſunt illicò Ieſum, quorum vnus Andreas fratrem ſuum Simonem poſtridie ad Ieſum adduxit. Poſtridie item, putà die 4. Martij, Ieſus vocauit Philippum, qui Nathanaelem adduxit; ita enim hæc per ſingulos dies exarrat & conſignat S. Ioannes c. 1. 2. 29. 35. 43. 45.

12. Tertiâ exinde die à vocatione Petri & Andreæ, ſcilicet die 5. Martij, quæ fuit ſexageſima à baptiſmo Chriſti, ait S. Epiphan. hæreſ. 51. Chriſtus vocatus ad nuptias in Cana Galilææ, mutauit aquam in vinum; hocque primum eius fuit miraculum, quo ſe, quis eſſet, mundo patefecit. Ioan. 2. 1. Mox deſcendit Capharnaum. Ibidē verſ. 12.

## ANNVS PRIMVS
### Prædicationis Chriſti.

*Nimirum acta Chriſti à primo Paſchate poſt baptiſmum vſque ad Paſcha ſecundum, ſcilicet acta à die 25. Martij anni 31. Chriſti, vſque ad finem Martij anni 32. Chriſti.*

13. CHriſtus ex vrbe Capharnao, inſtante Paſchate aſcendit Hieroſolymam, vbi flagello eijciens ementes & vendentes è templo, ac prædicans, pluraque miracula patrans, multos ad credendum in ſe pellexit. Ioan. 2. v. 13. & 14. Hæc omnia contigerunt in Martio eiuſdem anni, qui fuit 31. Chriſti.

14. E quibus vnus fuit Nicodemus princeps Iudæorum, cui Chriſtus ſpiritalis regenerationis, per baptiſmum & fidem in Chriſtum crucifigendum, neceſſitatem oſtendit. Ioan. 3. 1.

15. Cœpit ergo Chriſtus anno ætatis trigeſimo primo ſub Paſcha per ſe prædicare, & per Apoſtolos ſub initium Aprilis in Iudæa baptizare: quare multi à Ioanne, ipſo probante & inſtigante, ad Chriſtum tranſierunt. Vnde Ioannes, quaſi ſuo defunctus officio, Herodem ob adulterium reprehendens, ſub Decembrem ab eo coniectus eſt in vincula. Ioan. 3. 22. & 23. Matt. 14. 3. Marci 6. 17. Lucæ 3. 19. Quare Chriſtus Herodem fugiēs à Iudæa initio anni 32. (vt patet ex eo, quod ipſe ait: *Adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit.* Ioan. 4. 35.) perrexit in Galilæam, ac in itinere tranſiens per Samariam, Samaritanam adulteram, & per eam cæteros Samaritanos conuertit, ac poſt biduum proſequens iter in Galilæam, à Galilæis benignè exceptus eſt. Igitur ſub initium Februarij egreſſus in Canam Galilææ, ibi rogatus à regulo, filium eius febricitantem à febribus liberauit, fuitque hoc ſecundum Chriſti ibidem miraculum, quod plura alia ſecuta ſunt, quibus ipſe prædicationem ſuam in Capharnao confirmauit. Matth. 4. 12. & 13. Marci 1. 14. Ioan. 3. 22. & c. 4. v. 1. 4. 45. & 46.

16. Inde ambulans iuxta mare Galilææ, per miraculum capturæ piſcium Petrum & Andream, mox Iacobum & Ioannem ad ſui ſequelam euocauit, eoſque piſcatores hominum effecit. Matth. 4. 18. Lucæ 5. 1. Marci 1. 16.

17. Cum his introiens ſynagogam Capharnai, prædicans dæmoniacum à dæmone liberauit, & domum Petri ingreſſus ſocrum eius à febribus, multoſque alios à varijs morbis ſanauit. Poſtridie orandi cauſâ ſeceſſit in deſertum, vbi à Petro, & mox à turbis repertus, vt eas fugeret, iuſſit diſcipulos transfretare, & in naui obdormiens, ortâ tempeſtate, à diſcipulis excitatus, ventis imperauit & mari. Marci 1. 21. 29. 32. 42. Lucæ 4. 23. 31. 38. 40. 42. Matth. 8. 14. 16. 18. 24. Hæc & ſequentia videntur contigiſſe initio Martij anni Chriſti 32. ante Paſcha.

18. Transfretans ergo peruenit in regionem Geraſenorum, vbi duos dæmoniacos ſanauit; permittens dæmonibus id poſtulantibus, vt in porcos introirent, qui in eos ingreſſi eorum duo millia in mari ſubmerſerunt; quare rogatus ab incolis vt diſcederet, rurſus transfretans redijt Capharnaum, vbi paralyticum, per tectum ad ſe ſubmiſſum, curauit. Matt. 8. 28. & c. 9. 1. Marci 5. 1. & c. 2. 1. Lucæ 8. 26. & c. 5. 18.

19. Inde egrediens ad mare, Matthæum ad telonium ſedentem ad ſui ſequelam euocauit. Mox Iairi filiam à morte ſuſcitauit, & in itinere hæmorrhoiſſam à fluxu ſanguinis curauit, ac duos cæcos illuminauit, & dæmonem mutum expulit. Matth. 9. 9. 18. & 27. Marci 2. 14. & c. 5. 22. Lucæ 5. 27. & c. 8. 41.

## ANNVS SECVNDVS
### Prædicationis Chriſti.

*Continens acta à ſecundo Paſchate poſt baptiſmum vſque ad tertium, putà à fine Martij anni 32. Chriſti, vſque ad finem Martij anni 33. Chriſti.*

20. CHriſtus à Galilæa profectus Hieroſolymam ad ſecundum Paſcha, ægrotum per 38. annos decumbentem ad probaticam piſcinam ſanauit, iuſſitque ei grabatum tollere die Sabbati: quare illud opus quaſi Sabbati violationem accuſant Iudæi; ſed Chriſtus multis idipſum defēdit. Ioan. 5. 2. Sic & Phariſæos taxantes eius diſcipulos, quòd famentes in Sabbato vellerent ſpicas (ſub finem Aprilis anni 32. Chriſti) confutat. Lucæ 6. Matth. 12. 2. Marci 2. 23. Idem præſtitit, cùm alio Sabbato cuidam manum aridam reſtituiſſet. Vnde Iudæorum iras declinans, contulit ſe ad mare, vbi turbā docuit, & plurimos ægros, ac à diabolo poſſeſſos curauit. Matth. 12. 9. & 15. Marci 3. 1. & 7. Lucæ 6. 6.

21. Inde ſub medium Maij ſeceſſit in montem, & pernoctans in oratione, manè duodecim Apoſtolos elegit, ad quos coram ingenti hominum multitudine habuit ſermonem, qui in monte cognominatur, ac ſummam vitæ Chriſtianæ, & perfectionis Euangelicæ complectitur. Marci 3. 13. Lucæ 6. 12. & 17. Matth. 5. 1.

22. Deſcendens de monte in agro Capharnaenſi, leproſum mundauit: & vrbem ingreſſus, ſeruum Centurionis paralyſi liberauit: ac in ingreſſu Naim filium viduæ à morte ſuſcitauit. Matth. 8. 1. & 5. Marci 1. Lucæ 5. & cap. 7. v. 1. & 11.

23. Hæc audiens Ioannes in carcere, miſit ad eum duos diſcipulos, vt ab eo diſcerent, ipſum eſſe Meſſiam; quibus ad Ioannem regredientibus, Chriſtus laudat Ioannem, taxatque Scribas & Phariſæos, quòd nec Ioanni, nec ſibi crederent, quare eis præfert publicanos & meretrices pœnitentes. Lucæ 7. 18. & 24. Matth. 11. 2. & 7.

24. Quocirca prandens apud Simonem Phariſæū, Magdalenæ pœnitenti peccata condonat, eamq; Simoni præfert. Lucæ 7. 36. Mox Capharnai dæmoniacum, cæcum ac mutum ſanat; ac Phariſæos hæc miracula quaſi magica carpentes, confutat. Matth. 12. 22. 24. Lucæ 11. 14. 14. 15. Marci 3. v. 21.

25. Aduolant cognati, vt eum quaſi furioſum ligent. Marc. 3. verſ. 21. Significanti adeſſe cognatos reſpondet, fratres & cognatos ſuos eſſe eos, qui audiunt & cuſtodiunt Verbum Dei. Matth. 13. 43. Marci 3. 31. Lucæ 8. 19.

26. E domo vadens ad mare, ibi turbam docuit per varias parabolas ſeminis, zizaniorum, ſinapis, fermenti, quas domi diſcipulis explanauit, addens alias, theſauri, margaritæ, & ſagenæ miſſæ in mare. Matt. 13. 1. Lucæ 8. 4. Marci 4. 1.

27. Pergens in Nazareth patriam ſuam, ibiq; concionans, à ſuis non eſt auditus, imò vrbe expulſus, & ferè præcipitatus, quare vicinas vrbes, ceteroſque Galilææ vicos, & ciuitates, euangelizando, cum ſuis parambulat. Marc. 6. 6. Luc. 8. 1.

28. Duodecim Apoſtolos mittit binos ad regnum Dei prædicandum, & ſanandum ægros: illi vbique prædicant, dæmones pellunt, ægros oleo vngentes ſanant. Idem facit Ieſus Galilæam obeundo. Matth. 10. 1. & c. 11. v. 1. Marci 6. 7. 12.

29. Herodes hæc audiens, ſuſpicatur Ieſum eſſe Ioannem, paulò antè à ſe occiſum, & iam à morte ſuſcitatum. Lucæ 9. 7. Matth. 14. 1. Marci 6. 14. Quare eius inſidias declinans Ieſus, ſeceſſit cum ſuis trans mare Galilææ in deſertum, ibique turbas affluentes docens & ſanans, quinque millia virorum pauit quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus: quare cùm turba vellet eum regem creare, iubens diſcipulos transfretare, ipſe ſolus veſpere fugit in montem orandi causâ: ſed diſcipulis in mari periclitantibus, ambulans ſuper mare Petrum ad ſe venientem, ſed fide titubantem, cùm iam mergeretur, erexit, & tempeſtàtem ſedauit, ac appellens in terram Geneſareth, omnes ægros tactu fimbriæ ſanauit. Matth. 14. 13. 22. 24. 34. Marc. 6. 30. 45. 48. 53. Luc. 9. 10. Ioan. 6. 1. 15. 18.

30. Poſtridie, multis eum ob multiplicationem panum ſequentibus, eos traduxit ad deſiderandum panem ſpiritualem & cæleſtem, qui dat vitam mundo, & ſine quo nemo viuere poteſt; atque hunc panem ſe eſſe aſſerit: nam ſuam carnem eſſe cibum, & ſuum ſanguinem eſſe potum, qui confert vitam æternam. Ioan. 6. 24.

## TERTIVS ANNVS.
### Prædicationis Chriſti.

*Continens acta eiuſdem à tertio Paſchate vſq; ad inſtans Paſcha quartum, putà vſq; ad ſuſcitationem Lazari; hoc eſt, acta Chriſti à fine Martij anni 33. ætatis Chriſti, vſq; ad initium Martij anni 34. eiuſdem.*

31. TErtio hoc Paſchate Ieſus non aſcendit Hieroſolymam, vti ex lege ſolebat, quia Iudæi ei necem machinabantur: ſeceſſit ergo in Galilæam, vbi Scribis diſcipulos eius arguētibus, quòd illotis manibus manducarent, docet non illa quæ in os intrant, ſed quæ de corde exeunt, hominem contaminare. Ioan. 7. 1. Matt. 15. 1. Marc. 7. 1.

32. Sub initium Maij, vt videtur, è Galilæa abijt in partes Tyri & Sidonis, vbi Chananææ filiam victus matris precibus à dæmone liberauit, inde regreſſus in Galilæam multorum languores depulit, ac ſurdum & mutum digitis in aures immiſſis, & linguæ ſaliuâ contingens curauit. Matth. 15. verſ. 21. & 29. Marci 7. verſ. 32.

33. Mox miſertus turbæ ſe ſequentis & famentis, rurſum quatuor millia virorum pauit ſeptem panibus, & paucis piſciculis; deinde conſcensâ naui venit in fines Magedan. Matth. 15. 32. & 39. Marci 8. verſ. 1. & cap. 7. verſ. 10.

34. Ibi curioſitatem Phariſæorum ſignum de cælo flagitantium retundit. Rurſum transfretans monet diſcipulos, vt caueant à fermento, id eſt, hypocryſi Phariſæorum; ac veniens Bethſaidam cæcum extra vicum illuminat: inde accedens ad partes Cæſareæ Philippi ob Petri fidem, quâ dicebat: *Tu es filius Dei viui*, eum petram Eccleſiæ futurum promittit; mox mortem crucis ſe Hieroſolymæ ſubiturum prædicit, quàm cùm Petrus exhorreſceret, à Ieſu corripitur, doceturque cuiq; qui ſaluari velit, ſuam crucē eſſe ferendam. Matth. 16. 1. 13. 21. Marc. 8. 11. 22. 27. 31. Lucæ 9. 18. & 22. Id videtur contigiſſe ſub finem Iulij: nam

35. Octauo exinde die, quæ fuit ſextâ Auguſti (hac enim die Eccleſia recolit memoriam transfigurationis Chriſti) transfiguratur coram Petro, Iacobo, & Ioanne, ac reſplendens vt ſol cum Elia & Enoch de ſua morte colloquitur. Acceſſit vox Patris: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite.*

36. Poſtridie, putà ſeptimâ Auguſti deſcendens de monte ad turbas, ſanauit dæmoniacum, quem diſcipuli ſanare nequiuerant, eo quod hoc genus dæmoniorum non pellatur, niſi oratione & ieiunio. Proficiſcens per Galilæam, rurſum prædicit ſuam mortem & reſurrectionem. Ingrediens Capharnaum iuſſit ſolui publicanis didrachmum vnum pro ſe, & alterum pro Petro. Matth. 17. 14. 22. 24. Marci 9. 13. 29. Lucæ 9. 37. 44.

37. Ibi reuelauit & redarguit ambitionem Apoſtolorū, qui in itinere de primatu contenderant: docuitq; valdè cauenda eſſe ſcandala, ac modum, quo corripiendus eſt proximus peccans, eique, ſi peccauerit, veniam eſſe dandam; idque probat parabolâ ſerui immiſericordis, à quo herus omne debitum iam remiſſum repetijt. Matth. 18. 1. 6. Marci 9. 32. 41. Lucæ 9. 46. & c. 17. 1.

38. Inde in Septembri aſcendit Hieroſolymam ad feſtum Tabernaculorum (quod celebrabatur die 15. menſis Tiſri, quæ illo anno videtur incidiſſe in diem 29. Septembris) ſed occultè: in via malè exceptus à Samaritanis, cùm Ioannes & Iacobus vellent eos perdi fulmine, docuit ſuum Spiritum non eſſe vltionis, ſed charitatis; ideoque Samaritanum leproſum curauit, ac gratum præ alijs laudauit. Ingreſſus Hieroſolymam vltimo die feſti Tabernaculorum, putà die ſextâ Octobris, tantâ gratiâ concionatus eſt, vt miniſtri ad eum capiendum miſſi, ipſi caperentur: veſpere verò exiit in montem Oliueti. Matth.19.1.Ioan.7.2. & 14.c 8.1.Lucæ.9.51.& c.17.11.

39. Ex monte Oliueti poſterò die regreſſus in templum, adulteram, pudefactis Scribis eam accuſantibus, abſoluit: mox docens ſe eſſe Dei Filium, cùm Iudæi eum quaſi blaſphemum lapidare vellent, ſecretò exiit è templo. Inde cæcum à natiuitate die Sabbati oculos luto ex ſputo obliniens, illuminauit: mox aſſerens ſe eſſe bonum paſtorem de eo, ac de mercenario, & ouibus fuſè diſſeruit. Ioan.8.2.12.& cap.9.1.& cap. 10.1.

40. Diſcedens Hieroſolymâ peragrat vicos & vrbes Iudææ, ac 72. diſcipulos deſignans, miſit eos binos inſtar Apoſtolorum cum mandatis in omnem locum, ad quem erat ipſe venturus. Quos cum gaudio ad ſe reuertentes modeſtiæ admonet, & felices prædicat, ac ſpiritu exultans celebrat Dei ſapientiam, quæ ſua arcana reuelat paruulis, illamque à ſuperbis ſapientibus abſcondit. Lucæ 10.1.17. Matth.11.25. Huculque ordo certus eſt. Ceterorum, quæ ſequuntur, ordo probabilis eſt, at non planè certus.

41. Ieſus à Legiſperito tentatus, quæ ſit via ad vitam æternam, mandatum dilectionis Dei & proximi aſſignat: inſtante illo, quis ſit proximus, idipſum per parabolam Samaritani, qui vulnerati curam ſuſcepit, declarat. Lucæ 10.25.

42. Nouembri menſe hoſpitio excipitur à Martha & Magdalena, ac pium huius otium ſollicito illius miniſterio præfert. Lucæ 10.38.

43. Peractâ oratione, tradit diſcipulis normam orandi: *Pater noſter*, &c. monetq; perſeuerandum eſſe in oratione, cuius vim per parabolam importunè noctu petentis panes pro hoſpite amico, oſtendit. Lucæ 10.1.5.& c.18.1.

44. Inuitatus à Phariſæo ad menſam Phariſæorum, lotiones, ſuperbiam, hypocriſim, &c. redarguit. Lucæ 11.37.

45. Interpellatus à quodam dicente: *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem*, auocat ab auaritia & ſollicitudine temporalium, & ad curam æternorum, ſpemq; diuinæ prouidentiæ, oſtendens huius vitæ breuitatem, & aduentus Domini incertitudinem multis adhortatur. Lucæ 12.13.

46. Audiens Galilæos à Pilato occiſos, omnes ſtimulat ad pœnitentiam, ne ſimiliter inſtar ficus ſterilis excidantur. Lucæ 13.1.

47. Sabbato ſanans feminam contractam, ideoq; reprehenſus ab Archiſynagogo, eius præpoſterã religionem confutat; ac per parabolam grani ſinapis, & alteram fermenti demonſtrat Euangelicam prædicationem à paruis initiis ad magna incrementa proceſſuram. Lucæ 13.10.

48. Rogatus, an pauci ſaluarentur, affirmauit; ideò arctam virtutis viam cuique eſſe capeſſendam, idque citò, ne clauſo cæli oſtio fruſtrà illud pulſemus. Eodem die monitus, vt caueret ſibi ab Herode, reſpondit ſe non ab Herode, ſed à Hieroſolymitis occidendum, ideoque illos à Tito eſſe vaſtandos. Lucæ 13.22.& 31.

49. Decembri menſe inuitatus à principe Phariſæorum ad menſam, die Sabbati ſanat hydropicum, idque licêre euincit, ac docet inuitatos humilitatem, vt imum locum capeſſant; inuitantes verò miſericordiam in egenos. Vnde inducit parabolam inuitantis ad cœnam, qui, diuitibus ſe excuſantibus, vocauit pauperes vndequaque collectos, quo ſignificat Iudæis ob ſuperbiam reiectis, gentes humiles ad cæleſte Chriſti epulum vocandas. Lucæ 14.1.

50. Affluentem turbam docet, eum, qui ſuus velit eſſe diſcipulus, debere terrenis affectibus renuntiare, ac ſuam crucem tollere; ideoq; inſtar ædificantis & bellantis debere priùs vires ſuas explorare, an ad tam ardua ſufficiant. Luc.14.25.

51. Reuerſus Hieroſolymam ad feſtum Encæniorum, quod celebrabatur die 25. menſis Caſleu, quam Mathematici cenſent illo anno incidiſſe in diem ſeptimam Decembris, rogatus à Iudæis, vt clarè ediceret, an ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit, opera ſua idipſum demonſtrare, ſed illos non credere, eò quòd ex ouibus ſuis non eſſent; quare illorum iræ & perfidiæ ſe ſubducens, abiit in Bethabara, vbi Ioannes baptizarat, cumq; eò multi etiam peccatores & publicani confluerent, illos more ſuo docuit & curauit. Murmurantes Phariſæos, quòd peccatores reciperet, confutauit tribus parabolis, ſcilicet ouis errantis, drachmæ perditæ, & filij prodigi. Ioan.10.22.40.41.Matth. 19.2.Marc.10.1.Lucæ 15.1.

52. Excitat deinde ad eleëmoſynam per exempla villici iniqui, diuitis epulonis. Lucæ 16.1. quibus tacitè taxat Phariſæorum auaritiam.

53. Ibidem diſputat cum Phariſæis de diuortio, ac cælibatum præfert coniugio. Matth. 19.3. Marci 10.2.

54. Ineunte Ianuario monet diſcipulos de cauendis ſcandalis, de fide vt grano ſinapis, de ſeruo arante, &c. Luc.17.v.1.5.& 7. Mox in Februario Phariſæorum ſuperbiam retundit per parabolam Phariſæi & publicani, qui humiliter confitens ſe peccatorem, iuſtificatus eſt præ illo. Item per exemplum paruulorum, quos ipſe ſibi oblatos, manibus impoſitis, benedixit: *Sinite*, inquit, *paruulos venire ad me, talium enim eſt regnum cælorum.* Lucæ 18.verſ.9.& 15.Matth.19.13.Marci 10. 13.

55. Adoleſcentem diuitem ſeruantem Dei mandata, hortatur ad conſilium paupertatis Euangelicæ: ſed ille re tam arduâ perculſus, reſiliit. Vnde oſtendit Chriſtus, quàm difficile ſit diuitem ſaluari, quamque ſapientes ſint, qui omnia Dei amore relinquunt, vt Chriſtum ſequantur, quibus proinde centuplum, & vitam æternam promittit. Matth.19.23.Marci 10.17.23. Lucæ 18. 18.24.

56. Denique per parabolam operariorum diuerſis temporibus conductorum ad colendam vineam, docet in cælo primos fore nouiſſimos, & nouiſſimos primos, multos enim eſſe vocatos, paucos verò electos. Matth.20.1.





## QVARTVS ANNVS.

Prædicationis, paſſionis, & reſurrectionis Chriſti:

*Continens acta eius à ſuſcitatione Lazari, vſque ad aſcenſum in cælum.*

SVſcitatio hæc Lazari contigit paulò antè quartum & vltimum Paſcha, quo crucifixus eſt Chriſtus, imò ipſa fuit cauſa, vel potiùs occaſio necis Chriſti, vt mox dicam: Chriſtus enim vixit 33. annos, & tres menſes, qui à natali eius excurrunt vſque ad Paſcha. Quare quartus hic prædicationis & paſſionis Chriſti annus fuit tantùm inchoatus, non completus, imò duos tantùm menſes complectitur, ſcilicet Martium & Aprilem, ac initium Maij, quibus omnia illa egit, & paſſus eſt, quæ à ſuſcitato Lazaro, vſq; ad aſcenſionem in Euangelijs narrantur: Chriſtus enim ſuſcitauit Lazarum poſt initium Martij, crucifixus eſt die 25. Martij; reſurrexit die 27. Martij; aſcendit in cælum die 5. Maij anno ætatis ſuæ 34. inchoato per quatuor menſes.

57. Chriſtus Lazarum mortuum quatriduanum in Bethania à morte ſuſcitat, quo miraculo permoti multi in Chriſtum crediderunt: quare inuidentes ei Pontifices & Phariſæi in concilio, cui præerat Caiphas, decernunt eum eſſe occidendum, Id ſciens Ieſus, ſeceſſit ad fines Iudææ in vrbem Ephrem, mox inſtante Paſchate, aſcendit Hieroſolymam, ac in via edixit Apoſtolis, inſtare ſibi crucem & mortem: ſeque vltrò ad illam pergere. Ioan.11.17.46.54.65. Matth.20.17. Marc. 10.32. Lucæ 18.31.

58. Ioannes & Iacobus opinantes Chriſtum aſcendere Hieroſolymam regni ſui ineundi causâ, per matrem poſtulant, vt in regno hoc poſt eum primas obtineant; ſed Ieſus pro regno calicem paſſionis eis propinat. Matth.20.20. Marci 10.35. Lucæ 19.11.

59. Ieſus tranſiens per Iericho, Zachæum publicanum ſe inuitantem conuertit; inde pergens Hieroſolymam, duos cæcos, quorum vni nomen erat Bartimæus, illuminat, ac ante ſex dies Paſchæ, ſcilicet die Veneris ante Dominicam Palmarum venit Bethaniam. Lucæ 18.35.& c.19.1. Matth. 20.29. Marc.10.46. Ioan.12.1.

60. Ibi poſtero die, putà Sabbatho, in domo Simonis Leproſi cœnat cum Lazaro: Martha miniſtrat, Magdalena vnguentũ nardinum in caput eius effundit: id ægrè ferens auarus Iudas, à Ieſu corripitur. Matt.26.6.8. Marci 14.3.4. Io.12.2.4.

61. Poſtridiè, putà Dominicâ palmarum, quæ illo anno incidit in diem 20. Martij, Bethaniâ abiens Bethphage, illinc aſino vectus, pallijs diſcipulorum ſtrato, populo cum ramis palmarũ applaudente, clamanteque: *Hoſanna filio Dauid*, quaſi triumphans & Meſſias Hieroſolymam ingreditur; cumque ei appropinquaret, eius excidium prædicens illacrymauit. Matth.21.1. Marci 11.1. Lucæ 19.29.& 41. Ioan.12.12.

62. Vrbem ingreſſus primò templum adiit, ex eoque ementes & vendentes eiecit, multoſque ægros ſanauit, frendentibus idcircò Phariſæis: Gentiles excitantur, vt eum videant & noſcant. Vnde vox de cælo miſſa Ieſum glorificat. Matth. 21.12.15. Marci 11.15. Lucæ 19.45.& 39. Ioan. 12.20.

63. Eâdem die, ſcilicet veſpere Dominicæ palmarum, vrbe egreſſus iuit Bethaniam; poſtero manè, nimirum feriâ 2. ſiue die Lunæ 21. Martij in vrbem regrediens maledixit ficui ficubus carenti; atque eiecit vendentes è templo: inde cùm tota die docuiſſet in templo, veſpere rurſus exiuit Bethaniam. Matth.21.17. Marci 11.11.

64. Poſterò manè, quæ fuit feria 3. ſiue dies Martis, 22. Martij, in vrbem reuertens, cùm diſcipuli ficum à Ieſu maledictam, arefactam mirarentur, quanta eſſet vis viuæ fidei & orationis oſtendit. Inde more ſuo docens in templo, Phariſæos ſibi obſtrepentes confutat, eiſque excidium intentat. Illi vt eum capiant in ſermone, captioſas ei proponunt quæſtiones de cenſu, reſurrectione, & mandato maximo, quas omnes ipſe prudentiſſimè reſoluit, ac viciſſim eis quæſtionem de Meſſiæ deitate proponens, eiſdem os occluſit, eorumque hypocriſim; ſuperbiam, auaritiam, aliaque vitia taxauit. Matth.21.20.23.& c.22.15.41.& c.23. 1. Marci 11.20.27.& c.12.v.13.15.38. Lucæ 20.1.20.41.45.

65. Mox ſedens contra gazophylacium, pauperem viduam duo minuta offerentem ceteris offerentibus prætulit. Egreſſus templo, ac diſcipulis fabricam templi admirantibus, eius ruinam prædixit. Marci 12.41.& cap.13.1. Lucæ 21.5. Matth.24.1.

66. Templo egreſſus in montem Oliuarum, cùm diſcipuli rogarent: *Quando hæc erunt, & quod ſignũ aduentus tui, & conſummationis ſæculi?* edixit ſigna conſummationis tum vrbis, tum orbis: diem tamen aduentus ſui ad iudicium fore incertum; ideoque cuique vigilandum eſſe, vt ad eum ſe comparet, docet varijs parabolis, virginum ſapientium & fatuarum, ſerui pigri, furis, diluuij Noë. Matth.24.3.36. Marci 13.3.32. Luc. 21. 7.34. Denique formam iudicij vltimi graphicè depingit. Matth.25.31.

67. Feriâ quartâ, ſiue die Mercurij, 23. Martij prædicit Ieſus, ſe poſt biduum, putà in die Paſchæ, crucifigendũ. Vnde Iudas de eo Iudæis vendendo cum eis pretio 30. argenteorum paciſcitur. Matt. 26.1.3.14. Marci 14.1.10. Luc.22.1.

68. Feriâ quintâ, ſiue die Iouis, 24. Martij præmittit Petrum & Ioannem in vrbem, vt parent Paſcha, id eſt, neceſſaria ad cœnam Agni Paſchalis, quos ipſe ſecutus, veſpere cum diſcipulis cœnam Agni celebrauit, ac poſt eam pedes diſcipulorum lauit, & Euchariſtiam inſtituit, eamque diſcipulis diſtribuit. Mox Iudæ proditionem prædixit, ac proditorem ſigno buccellæ Iudæ porrectæ, Ioanni indicauit: Iudas notatum ſe ſentiens, egreſſus eſt ad ſcelus perficiendũ. Contendentes rurſum de primatu diſcipulos, præcepto humilitatis repreſſit, ac nouum dilectionis mandatum edidit, comprehenſionem ſibi inſtantem; ac diſcipulorum fugam, Petroq; conſtantiam ſuam iactanti, trinam negationem prædixit: inde mœſtis diſcipulis valedicens, longum ſermonem amore & ſpiritu æſtuantem texit, quem S. Ioannes à c.14. vſque ad 18. fuſè deſcribit; denique eos Patri commendans, finit & valedicit. Matth.26.17.20. 26. Marci 14.12.17.22.18. Lucæ 22.7.14.19. 21.24.26.31. Ioan.c.13.v.21.20.34.36.& c.14. c.15.c.16.c.17.

### Series paſſionis Chriſti.

69. INde eâdem nocte hymno gratiarum actionis dicto, cœnaculo & vrbe egreſſus, in montem Oliuarum oraturus ſeceſſit in hortum, ac ſeorſim coram Petro, Iacobo, & Ioanne, ex viua apprehenſione inſtantis paſſionis cœpit pauere, tædere, contriſtari, & mœſtus eſſe. Vnde orans: *Pater mi*, inquit, *ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Tandem agoniam ſubiens, ſudauit aquam & ſanguinem; ideoque ab Angelo confortatus mox vltrò ſe Iudæ oſculandum, & Iudęis vinciendum obtulit, Petrumq; gladium ſtringentem cohibuit: Matth. 26.31.36.37.39.41.51. Marci 14.27.32.33.35.44.47. Lucæ 22.39.40.42.47.50. Ioan. 18.1.3.7.10.

70. Vinctus ergo Ieſus ductus eſt primò ad Annam, deinde ad Caipham illius anni Pontificem; cui liberè reſpondens, à ſatellite cæſus eſt alapâ; productis falſis teſtibus, & ob falſitatem reiectis, rogatus ipſe Ieſus, an eſſet Meſſias Dei Filius, cùm id aſſereret, quaſi blaſphemus damnatur & illuditur. Interim Petrus ab ancilla & Iudæis, an Chriſti foret diſcipulus, interrogatus, ter negauit; ſed aſpiciente eum Chriſto, pœnitens, egreſſus fleuit amarè. Hæc die Iouis nocte poſt cœnam geſta ſunt. Ioan. 18.13.19.16. Matth. 26.59.63.69.67. Marci 14.55.61.66.65. Lucę 22.56.63.

71. Feriâ ſextâ, ſiue die Veneris, 25. Martij, manè concilium à Caipha coactum Ieſum iterùm damnauit, ac plectendum tradidit Pilato Romanorum præſidi. Id videns Iudas, deſperans laqueo ſe ſuſpendit, proiectis priùs in templo argenteis, quibus Iudæi emerunt agrum pro ſepeliendis peregrinis. Lucæ 22.66. & c. 23.1.2. Matth. 27.1.3.6. Marci 15.1. Ioan. 18.28.

72. Pilatus Ieſum, licèt à Pontificibus damnatum, ab eis ſibi traditum, damnare renuit, niſi cognitâ eius cauſâ. Accuſant ergo eum, quòd ſe Regem Iudæorum fecerit, ac tumultum concitarit à Iudæa vſque in Galilæam. Pilatus ergo rogat Ieſum, an verè Rex ſit Iudæorum? aſſerit ille, ſed addit, regnum ſuum eſſe cæleſte, non mundanũ, à quo proinde ſibi timere non debeat Tiberius Cæſar, eiuſque præſes Pilatus. Quare innocentem & ſanctum eſſe Ieſum Pilatus agnoſcens, variis modis eum abſoluere & dimittere ſatagit. Primò enim, audito nomine Galilææ, rogat an Ieſus ſit Galilæus? quo cognito, eum ad Herodem Galilææ regem, quaſi illi ſubditum amandat; atque hoc honore ei reconciliatur. Herodes à Ieſu ſigna & mirabilia expectans, cùm nil tale videret, eum veſte albâ indutum ſpernit, & ad Pilatum remittit. Ioan. 18.29.33. Lucæ 23.23.46.8. Matth. 27.11. Marci 15.2.

73. Secundò, Pilatus Ieſum ad ſe remiſſum liberare laborat, componens eum cum Barabba ſeditioſo homicida, vt de more in Paſchate vnum à morte liberaturi Ieſum eligant & liberent: at illi Pontificum ſuggeſtu Barabbam liberari poſtulant, Ieſum, verò crucifigi. Matth. 27.15. Marci 15.6. Lucæ 23.17. Ioan. 18.39.

74. Tertiò, Pilatus videns Iudæorum in Chriſtum rabiem, vt eam ſedet, iubet eum flagellari, ac flagellis deformatum, & coronâ ſpineâ, veſteque purpureâ, velut fictum pictumque regem, illuſum, Iudæis ſpectandum exhibet, vt tam afflicti miſereantur: at illi crudeliores effecti, contentis vocibus poſtulant eum crucifigi, minanturque Pilato illum non habendum amicum Cæſaris, ſi Ieſum, qui ſe regem fecit, impunè dimittat. Quare Pilatus lotis manibus, innocentiam Ieſu teſtatus; Iudæis ſucclamantibus: *Sanguis eius ſuper nos, & filios noſtros*, eum Iudæis crucifigendum tradidit, licèt paulò antè ab vxore monitus eſſet, ne ſe morti viri tam iuſti immiſceret Matt. 27.28.19.23. Marci 15.17.14. Lucæ 23.15.20. Ioan. 19.1.7.13.15.

75. Educitur ergo Ieſus prætorio in montem Caluariæ crucem ſuam humeris geſtans, quam Iudæi in exitu portæ, verentes, ne Ieſus illi ſuccumberet, Simoni Cyrenæo poſt Ieſum baiulandam imponunt. Sequuntur mulieres piæ plangentes, quas Ieſus ſuper ſeipſas & filios ſuos plangere iubet, ob imminens vrbi Deicidæ excidium. Matth. 27.31.32. Lucę 23.25.26.27. Marci 15.21.

76. Vt ventum eſt in montem Caluariæ, Iudæi Chriſto propinant vinum felle mixtum, & deinde myrrhatum; neutrum ipſe bibere voluit: mox veſtibus ſpoliatus, & humi in crucem ſtratus, eidem clauis affixus eſt horâ ſextâ, putà in meridie: crux deinde erecta eſt cum titulo cauſæ, atque ab vtroque eius latere fuêre ſuſpenſi duo latrones, quaſi ipſe eorum eſſet princeps. Deniq; in conſpectu eius milites veſtimenta inter ſe partiti ſunt. Matth. 27.34.35.37.38.39. Marci 15.23.26.27.24. Lucæ 23.33.38.33.34. Ioan. 16.19.18.23.

77. Principes & populus Ieſu crucifixo inſultant & conuitiantur, ille pro eis orat Patrem. Eidem conuitiatur latro à ſiniſtris pendens, quem alter reprehendit, Ieſumque Meſſiam confeſſus deprecatur, ideoque à Ieſu audit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Matth. 27.39. Marci 15.29. Lucæ 23.35.39.

78. Matrem deinde S. Ioanni commendat. A Patre ſe derelictum queritur. Clamat: *Sitio*; quare aceto potatur, ac tandem vociferatur: *Conſummatum eſt.* Denique in manus Patris commendans ſpiritum ſuum, emittit circa horam nonam. Interim ſol obſcuratur, terra concutitur, petræ ſcinduntur, monumenta aperiuntur, velum templi ſcinditur, vt omnes creaturæ Creatoris ſui mortem lugere & deplorare videantur; quibus commotus Centurio, multique è populo ſpectante percuſſi ſunt, & tundentes pectora, domum reuerſi. Ioan. 19.25.28.30. Matth. 27.45.46.49.51. Marci 15.33.34.37.38. Lucæ 23.44.46.47.

79. Mortuo Ieſu, Iudæi latronum adhuc viuentium, vt citò morerentur, crura fregerunt; Ieſu verò minimè, ſed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, ex quo manauit ſanguis & aqua: mox de cruce depoſitum Chriſti corpus, & vnguentis delibutum, honorificè à Ioſepho ab Arimathia & Nicodemo ſepelitur; denique ſepulchro cuſtodes à Pilato apponuntur, ac ſepulchri os lapide clauditur & obſignatur. Ioan. 19.31.38. Matth. 27.57.62. Marci 15.42. Lucæ 23.50.

Series



### Series reſurrectionis Chriſti.

80. IESVS die tertiâ à morte ſua, ſcilicet die Dominicâ, quæ fuit 27. Martij, è ſepulchro glorioſus reſurrexit ante auroram, ac lapidem quo ſepulchrum claudebatur, per dotem ſubtilitatis penetrans exiuit: lapidem deinde remouit Angelus, ac cuſtodes exterruit, & in fugam compulit, vt mulieres venturæ ſepulchrum ingredi poſſent. Quare mulieres, quæ emerant, & parauerant vnguenta ad corpus Ieſu vngendum, cùm die Dominico ſummo manè ad ſepulchrum venirent, ſepulchrum apertum, & corpore Chriſti ſublato, eius tantùm linteamina repererunt, ac ab angelis audierunt Chriſtum reſurrexiſſe. Id ipſæ illicò nuntiarunt Apoſtolis: mox Petrus & Ioannes cucurrerunt ad ſepulchrum: ſecutę ſunt eos mulieres, cum Magdalena. Petrus & Ioannes viſis tantùm Chriſti linteaminibus, admirantes redierunt domum: ſecutę ſunt eos rurſum mulieres; ſola Magdalena hærens ad ſepulchrũ, & plorans, meruit prima videre Ieſum ſpecie hortulani, at non agnouit; ſed audiens ab eo MARIA, illicò cognouit. Mox ſecuta mulieres; eis narrauit ſe vidiſſe Ieſum, & ecce Ieſus omnibus occurrit obuius, dicens: *Auete.* Hæc eſt prima Chriſti reſurgentis apparitio, quæ in Scriptura extat, facta Magdalenæ & mulieribus. Matth. 28.1.2.3.5.9. Marci 16.5. Lucæ 29.1.3.4. Ioan. 20.1.

81. Mulieribus teſtantibus Ieſum reſurrexiſſe, cùm non crederent Apoſtoli, ſecundò apparuit Ieſus ipſi Petro. Lucæ 24.34.

82. Tertiò, eâdem die, putà Dominicâ, quâ reſurrexit, apparuit Chriſtus duobus diſcipulis euntibus in Emmaus, ac veſperè in menſa ex fractione panis ab eis fuit agnitus. Luc. 24.13. Matth. 16.12.

83. Quartò, eâdem die & veſperâ apparuit vndecim diſcipulis in cœnaculo, abſente Thomâ, eiſque ſe palpandum exhibuit, ac cum eis manducauit, deditque poteſtatem remittendi peccata. Marci 16.14. Lucæ 24.36. Ioan. 20.19.

84. Quintò, apparuit iiſdem octauo die, ſcilicet die 3. Aprilis, præſente iam Thomâ, eiſq; vulnerum cicatrices videndas palpandaſque præbuit, quare Thomas iam credens reſurrexiſſe, exclamat: *Dominus meus, & Deus meus.* Ioan. 20.24.

85. Sextò, apparuit in littore ſeptem diſcipulis piſcantibus in mari Tiberiadis, ab eiſq; ex ingenti piſcium capturâ fuit cognitus. Ibidem Petro dixit: *Paſce oues meas.* Ioan. 21.1.

86. Septimò, apparuit Apoſtolis ceteriſque fidelibus in monte Galilęę, quem eis iam antè deſignarat, ibique iuſſit eos euangelizare & baptizare omnes Gentes, ac Euangelium miraculis confirmare. Matth. 28.19.

87. Denique quadrageſimo à reſurrectione die, putà die 5. Maij, illos educens in montẽ Oliueti, docens & inſtruens, promittenſq; Spiritum ſanctum in Pentecoſte, datâ benedictione, in cælum glorioſus aſcendit, ſedetq; ad dexteram Dei atq; inde Eccleſiam ſuam gubernat, ac ſenſim illam carpit, & ad ſe colligit. Marci 16.19. Luc. 24.50

# CANONES, QVI FACEM EVANGELIIS ET EVANGELISTIS PRÆFERVNT.

PRIMVS Euangeliſtarum ſcopus & propoſitum fuit, non omnia dicta, factaque Chriſti enarrare (hoc enim prolixum fuiſſet, & penè impoſſibile) ſed pauca è multis præcipua è communibus ſeligére, vt per ea doctrinæ & vitæ Chriſti imaginem, & quaſi ideam nobis proponerent, vti disertè aſſerit S. Ioannes in fine Euangelij, nimirum vt oſtenderent Ieſum B. Mariæ filium eſſe Chriſtum, ſiue Meſſiam in lege & Prophetis olim promiſſum, & nunc ad homines à peccato, morte, & inferno redimendos miſſum; ipſumque non eſſe merum hominem, ſed verum Deum, verumq; hominem in vna perſona Filij Dei ſubſiſtentem, ac conſequenter in Chriſto attributa Dei attribuenda pariter eſſe homini, & quæ hominis ſunt, danda eſſe Deo per communicationem idiomatum, vt Deus dicatur natus, crucifixus, mortuus, quia hic homo, putà Ieſus, qui ſimul erat Deus, natus, crucifixus, & mortuus eſt pro hominum ſalute.

SECVNDVS: Hac de cauſa ſæpè non ſeruant ordinem temporis in recenſendis Chriſti dictis & factis; multa etiam ſilet vnus, quæ alij exprimunt, & tamen ſic ſuam continuat & proſequitur narrationem, quaſi nihil ſit omiſſum, vt patet in apparitione Chriſti poſt reſurrectionem factâ mulieribus, quam valdè diuerſimodè narrant. Quocirca diſparatas non rarò iungunt ſententias, parabolas, ſermones, quæ nullum inter ſe habent nexum vel ordinem, ſed alio tempore, âliâ occaſione, & de alia materia dictæ ſunt à Chriſto.

TERTIVS: Euangeliſtæ, ne omninò idem dicere videantur, verbis diſcordant, ſed ſenſu concordant. Inter ſe ergo conferendi ſunt Euangeliſtæ illi, qui idem Chriſti factum, dictumue narrant (qui proinde in Biblijs ad marginem adnotari ſolent) vt ex omnium collatione plena rei hiſtoria colligatur: ſicubi contrarium dicere videantur, conciliandi ſunt, quod aliam & aliam circumſtantiam temporis, loci, perſonarum, &c. ab alijs omiſſam ſpectarint, iuxta illud: *Diſtingue tempora, & conciliabimus iura.* Præclarè S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 28. *Per huiuſmodi*, inquit, *Euangeliſtarum locutiones varias, ſed non contrarias, rem planè vtiliſſimam diſcimus & pernecesſariam: nihil in cuiuſque verbis nos debere inſpicere, niſi voluntatem, cui debent verba ſeruire: nec mentiri quemquam, ſi alijs verbis dixerit, quod ille voluerit, cuius verba non dicit: neque miſeri aucupes vocum apicibus quodammodò litterarum putent ligandum eſſe veritatem, cùm vtique non in verbis tantùm, ſed etiam*



in

*in ceteris omnibus ſignis animorum, non ſit niſi ipſe animus inquirendus.*

Qvartvs: Chriſtus priſcos ſequens ſapientes & ethicos, preſertim Hebreos, doctrinam Euangelicam de moribus per breues gnomas & diſparatas ſententias tradit, vti fecit Salomon in Prouerbijs, & Siracides in Eccleſiaſtico. Quare in his fruſtrà quæritur connexio, vt patet in ſermone Chriſti habito in monte. Matth. 5. & ſeq.

Qvintvs: Chriſtus eamdem ſententiam, preſertim ſi ſit prouerbium, plures, & ad plura, diuerſaque propoſita accommodat. Exemplum eſt Matth. 5. 15. vbi per hoc prouerbium: *Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Chriſtus docet Apoſtolos debere publicum dare omnibus virtutis exemplum, vnde illud huic applicat, cùm illicò ſubiicit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* At Lucæ 8.17. & Marci 4.21. Chriſtus per hoc idem prouerbiū docet Apoſtolos Euangelium non abſcondere, ſed publicè omnibus prædicare debere: vnde ſubdit: *Non enim eſt occultum, quod non manifeſtetur; nec abſconditum, quod non cognoſcatur.* Genericè ergo hoc prouerbium: *Lucerna ponenda eſt ſuper candelabrum*, ſignificat doctores cæteris omnibus tam verbo, quàm exemplo ſanctæ vitæ prælucere debere. Aliud: Chriſtus Matth. 18. 24. per hoc prouerbium: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrū, nec ſeruus ſuper dominum ſuum*, probat Apoſtolos non debere eſſe melioris conditionis, quàm ipſe ſit, nec honorem & laudem debere expectare à mundo, à quo ipſe accepit vituperium; vnde ſubijcit: *Si patremſamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* At Ioan. 13.16. per hoc idem probat Apoſtolos ſibi inuicem debere ſeruire & lauare pedes, cùm ipſe illis eoſdem lauerit: *Exemplum enim*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Lucæ verò cap. 16. 40. per hoc idem probat diſcipulum non eſſe doctiorem & meliorem magiſtro: quare ſi magiſter ſit cæcus, indoctus, & vitioſus, non debere ſperare diſcipulum ſuum fore oculatum, doctum, & virtute præditum. Igitur hoc prouerbium: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*, genericè accipiendum eſt, vt ſignificet diſcipulum magiſtro, nec honore, nec commoditate, nec gloriâ, nec doctrinâ, nec virtute, &c. eſſe ſuperiorem.

Sextvs: Chriſtus, quia cardiagnoſtes, & cordium inſpector, magis ad mentem & ſenſa interna eorum, qui ſecum agebant, quàm ad interrogationes & verba externa ſermonem ſuum attemperat & accommodat, ait S. Chryſoſt. in Matth. 9. 3. vbi clarum in ſe extat exemplum: *Et ecce quidam*, ait S. Matth. *de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et cap. 12. 25. cùm Phariſæi intra ſe cogitarent: *Hic non eijcit dæmonia, niſi in Beelzebub*, ſubdit Matth. *Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis*, &c.

Septimvs: Deitas vna prædicatur in lege à Moſe: dualitas perſonarum à Prophetis: Trinitas à Chriſto in Euangelio. Moſes enim dicit: *Audi Iſrael; Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* Deuter. 6. 4. Prophetæ prædicunt, & prædicant Patrem miſſurum Filium in mundum pro ſalute hominum. Chriſtus verò ait: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. 28. Non quod in lege & Prophetis S. Trinitas negetur, aut nullo modo proponatur, ſed quod rarò, tenuiter, & obſcurè predicetur; in Euangelio verò crebrò, diſertè, & clarè. Ita S. Epiphan. hæreſi 74. poſt medium: *Deitas vna*, inquit, *in Moſe maximè denuntiatur: dualitas in Prophetis vehementer prædicatur: Trinitas autē in Euangelijs manifeſtatur, amplius iuxta temporum occaſiones, ac generationes conueniens iuſto in cognitionem & fidem*; ſenſim enim in mundo, Deo plura reuelante Prophetis & Apoſtolis, creuit fides & cognitio Dei, & ſanctę Trinitatis; ſicut ſol creſcit ab auroræ caligine, vſque in claram lucem meridiei. 2. Petri 1:19.

Octavvs: In Chriſto, ait S. Greg. Nazianz. ad Cledonium, eſt aliud & aliud, ſcilicet alia natura diuina, alia humana. In S. Trinitate verò eſt alius & alius, quia in ea ſunt tres hypoſtaſes, ſiue perſonæ, putà Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, quæ tamen in eſſentia ſunt vnum, ſcilicet vna deitas.

Nonvs: De Deo Patre ſæpè dicitur, quòd ipſe ſit Deus vnus aut ſolus, vt Ioan. 17. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, ſupple & repete, eſſe ſolum Deum verum. Vox enim, *Solus*, hîc non excludit Filium, & Spiritum ſanctum, ſed idola & falſos Gentium deos, qui diuerſæ à Deo Patre ſunt naturæ: Filius autem, & Spiritus ſanctus eiuſdem ſunt cum Patre naturę diuinę, ideoque idem cum eo Deus, qui vnus dumtaxat eſt & ſolus, non multi vel plures: ita S. Chryſoſt. hom. 72. in Matth. *Quando*, ait, *in Scriptura, ſiue veteri, ſiue noua dicitur vnum eſſe Deum, & præter eum alium non eſſe; non ad excluſionem Filij, ſed ad excluſionem dictum eſt idolorum.* Sic & S. Hieronymus in Iſaiæ cap. 43. ante medium, Nazian. orat. 4. de Theolog. S. Auguſt. lib. de Spiritu & litera, cap. 33. & paſſim Theologi.

Decimvs: Chriſtus certam habet futurorum quorumlibet cognitionem & præſcientiam; addit tamen ſubinde aduerbium dubitandi *fortè*, vel *forſitan*, non vt rem in ſe vel ſibi dubiam & incertam ſignificet, ſed vt oſtendat rem futuram eſſe contingentem, non neceſſariam, eamque ſubiacere libero hominum arbitrio, vt homines dubij & incerti de ſua perſeuerantia & ſalute, magis ſint ſolliciti, & ſtudioſiùs eam curent. *Fortè* ergo non tollit Dei præſcientiam, ſed notat rei contingentiam, & arbitrij humani libertatem, cuius tamen electionem futuram determinatè & certò præſcit, ac per immenſitatem aciei mentis ſuæ præuidet Deus. Quare libertas non repugnat præſcientiæ Dei, nec præſcientia tollit homini libertatem, quia naturâ poſterior eſt re præuiſâ, & liberè ab homine electa. Ideò enim, vt rectè ait Damaſcenus, præſcit Deus Petrum, v. g. peccaturum, quia Petrus liberè volet peccare; non verò ideò peccabit, quia Deus præuidet eum peccaturum: ſicut quia ambulo, hinc Deus videt me ambulantem; non verò è contrario, quia Deus videt me ambulantem, idcircò ego ambulo. *Fortè*, ergo ſignificat rem non neceſſariò, ſed caſu, & quaſi per ſortem euenire, ſi cauſas ſecundas, & hominis libertatem ſpe-



ctes: Deo enim nihil eſt fortuitum, ſed omnia certò præuiſa & prouiſa. Id ita eſſe patet ex textu Græco, qui pro *forte* habet ἄν, quæ particula expletiua eſt & confirmantis, non dubitantis, ſignificans *ſanè, certè*. Sic Chriſtus ait de Capharnao: *Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte* (Græcè ἄν, id eſt, *certè*) *manſiſſent vſque in hanc diem.* Matth. 11. 23. q. d. Si in Sodomis facta eſſent miracula, quę ego feci in Capharnao, vtique Sodomitæ pœnituiſſent, & pœnitentiâ Deum placantes, excidium per conflagrationem euaſiſſent.

Vndecimvs: Chriſtus ægros ſanans ſæpè ſanitatem, ſiue ſalutem animæ & corporis tribuit fidei, dicens: *Fides tua te ſaluum fecit*, vbi fidem non ſolam & nudam intelligit, vti volunt hæretici, ſed fidem charitate veſtitam, ac per actus ſpei, pœnitentiæ, amoris, &c. operantem, vt patet in pœnitentia Magdalenæ, quæ ex dilectione & contritione ardentiſſima in publico conuiuio lachrymis lauans pedes Chriſti, capillis tergens, ore oſculans, audire ab eo meruit: *Remittuntur tibi peccata, &c. Fides tua te ſaluam fecit. Vnde in pace*, Lucæ 7. 48. & ſeq. Nominat tamen ſolam fidem, tum quia initio prædicationis eius maximè neceſſaria erat fides in ipſum, quòd ſcilicet ipſe qui exteriùs videbatur pauper, vilis & deſpectus, eſſet verus Meſſias, orbis doctor & redemptor: tum quia fides principium & radix eſt ſpei, pœnitentiæ, Charitatis, ceterarumque virtutum. Quare Chriſtus, & ex eo Paulus, ſub fide vt principio omnia dona & virtutes, quaſi fructus in arbore & radice intelligit per metonymiam: fidem enim opponit non charitati & gratiæ, ſed legi veteri & naturæ viribus, idque vt oſtendat neceſſitatem fidei & gratiæ ſuæ, quæ initium eſt iuſtificationis & ſalutis. Ita S. Auguſt. libr. de Fide & Operat. cap. 14. & Trident. ſeſſ. 6. cap. 8.

Dvodecimvs: Verba apud Hebræos actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc perfectum & conſummatum ſignificant, vt *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Matth. 5. 1. *Beati*, ſcilicet inchoatiuè, ſiue in ſpe, ſed necdum in re, quia nimirum ſunt in via, quæ tendit & ducit ad beatitudinem æternam. Continuatum, vt cùm per miraculum conuerſionis aquæ in vinum in Cana Galilææ diſcipuli dicuntur crediſſe in Ieſum. Ioan. 2. 11. *crediſſe*, id eſt, in credendo confirmati fuiſſe. Iam antè enim in eum crediderant, vtpote eius ſequaces & diſcipuli. Conſummatum, vt cùm Ioan. 20. 17. Ieſus ait Magdalenæ: *Noli me tangere*, id eſt, noli in hoc tactu mei hærere & deſidere, ſed vade properè, & nuntia Apoſtolis meis de morte mea mœſtiſſimis, me iam reſurrexiſſe. Et: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Marci 16. 16. ſcilicet, qui crediderit perfectè, non tantùm corde & ore, ſed & opere, vt ea quæ corde credit, ore confiteatur, & opere exequatur, idque continuè & perſeueranter vſque ad finem vitæ. Si enim quis poſtquam crediderit, à fide apoſtatet, aut ſceleratè viuat, hic vtique non ſaluabitur, ſed damnabitur.

Decimvstertivs: Affirmantes propoſitiones, præſertim quæ continent promiſſiones, benedictiones, beatitudines, prœmia, &c. ſæpè intelligendæ ſunt non abſolutè & vniuerſaliter, ſed commodè, & cum exceptione, ſcilicet, vt ſignificent virtutem & naturam rei, quantum eſt ex parte ipſius, nimirum rem eſſe talem, quæ ad tantum premium, bonumue, hominem perducere nata ſit, niſi quid aliud impediat, aut ſi cetera requiſita adſint. Sic dicit medicus ægro: *Hæc medicina ſanabit te*, id eſt, potens eſt, & nata curare tuam ægritudinem, ſcilicet, niſi eius operatio aliundè, vt per tuam intemperantiam vel imprudentiam impediatur. Sic Chriſtus ſalutem æternam rurſum tribuit fidei, Ioan. 3. 1. Rom. 1. 22. & ſeq. quia ſcilicet fides, quantum eſt ex parte ſua, nata eſt perducere hominem ad ſpem, timorem, pœnitentiam, charitatem & ſalutem, niſi ipſe hanc eius operationem ſuâ malitiâ vel pigritiâ impediat & iicidat. Aliquando verò ſalus tribuitur inuocationi Dei, vt Ioan. 2. 32. *Quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*, ſcilicet ſi cetera requiſita adſint; nam alibi ſalus tribuitur charitati, ſpei, timori, pœnitentiæ, & bonis operibus, vt Lucæ 7. 47. 1. Cor. 13. 2. Iſaię 40. 31. alioqui enim, niſi adhibeatur moderatio, concludetur pari modo, nec Sacramenta requiri, & eum, qui ſemel crediderit, ſaluum fore, etiamſi poſteà fiat infidelis.

Negantes verò propoſitiones abſolutè, & ſine alia ſuperaddita conditione intelligendę ſunt, vt: *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces.* Romanorum 13. 9.

Decimvsqvartvs: S. Matthæus maximè doctrinę & verbis Chriſti, ad mores hominum rectè formandos idoneis fusè ordinateque recenſendis inſiſtit: Lucas verò magis factis geſtiſque Chriſti inhęret. Marcus Matthæi eſt abbreuiator, & ſubinde interpres. Ioannes maximè diuinitatem Chriſti aſtruit; vt per eius cum Scribis & Phariſęis diſputationes & miracula oſtendat Chriſtum verè eſſe Deum, Deique Filium, idq; contra Cherinthum & Ebionem, ſimileſque hęreticos iam tum ſubnaſcentes, qui docebant Chriſtum merum eſſe hominem, illumq; Deum eſſe negabant.

Decimvsqvintvs: Chriſtus, Apoſtoli, & Prophetæ res ſpirituales & diuinas per corporales & humanas explicant, quia aliter eas homines capere non poſſent. Quidquid enim homo mente concipit, idipſum priùs per ſenſum aliquem cognouit, iuxta illud Ariſtot. *Nihil eſt in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu.* Quia ergo Deum & diuina, vti ſunt in ſe, imaginari nequimus; hinc per imagines rerum corporearum eas adumbrat, & hominibus repræſentat Chriſtus: *Neque enim aliter*, ait S. Dion. c. 1. cæleſtis Hierar. ſub medium, *fas erat infirmitati noſtræ lucere diuinum radium, niſi ſacrorum varietate velaminum (quibus ad ſuperiora ferremur) opertum, & his, quæ nobis familiaria ſunt, prouidentiâ paternâ naturæ mortalium ſeſe accommodante, veſtitum.* Hâc de cauſâ S. Scriptura Deo dat caput, manus, thronum, arma; item ſitus & paſſiones, vt ſedere, ſtare, volare, iraſci, miſereri, triſtari Anthropathῶς: quâ de re S. Auguſt. ſcripſit librum de eſſentia diuinitatis, & Eucherius Lugdun. tract. de Forma verborum ſpiritualis intelligentiæ, & Damaſc. libr. 1. de Fide, cap. 14. Sic Chriſtus tropicè vocatur leo, agnus, oſtium, lux, vitis. Sic vita æterna

æterna vocatur denarius, theſaurus, nuptiæ agni, cœna magna, menſa Chriſti, regnum cælorum, &c. Sic Angeli in Script. pinguntur quaſi iuuenes alati. Præclarè S. Aug. lib. contra Adimantum cap. 7. *Sacra Scriptura*, ait, *verbis noſtris loquens, etiam per hæc verba demonſtrat nihil dignè de Deo poſſe dici. Cur enim non etiam verba iſta dicantur de illâ maieſtate; de qua quidquid dictum fuerit, indignè dicitur, qui omnes opes linguarum omnium ineffabili ſublimitate præcedit?*

Decimvssextvs: Attributa Dei, vt bonitas, ſapientia, omnipotentia, præſcientia, prouidentia, iuſtitia, miſericordia, ſanctitas, &c. quæ reipsâ idem ſunt cum ſimpliciſſima Dei natura, ideòque vna quædam res ſunt, vnaque eſſentia ſingularis & indiuidua, S. Script. effert pluraliter, & in numero plurali, vt ſignificet plures cuiuſque attributi vires & effectus, imò & affectus, qui in hominibus & Angelis ſunt varij & multiplices, ſed in Deo vniuntur, vnumque ſunt cum deitate. Exempla accipe: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Pſal. 144. *Omnes viæ eius iudicia* Deut. 32. 4. *Iuſtitiæ Domini rectæ*. Pſal. 18. 9. *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius*. Pſal. 110.

Decimvsseptimvs: Si Chriſtus, Prophetæ, & Apoſtoli facinus aut flagitium ſuâ voce iubere aut conſulere videntur, illa vox non propriè, ſed figuratè & myſticè accipienda eſt. Tale quoque eſt omne id quod impoſſibile, aut quod ad morum honeſtatem, vel fidei veritatem vel ad Sacramenta propriè referri non poteſt; vt: *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum & proijce abs te*, &c. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te*. Matth. 18. 8. Quod literaliter accipiens Orig. caſtrauit ſeipſum, vt tentationes libidinis euaderet: ſed perperam. Non enim licet ſeipſum mutilare: quare hæ ſententiæ non ad litteram, vt ſonant, ſed figuratè accipiendæ ſunt, vt per manum, pedem, oculum accipias amicum, familiarem, cognatum, &c. qui tibi inſtar manus, oculi, pedis inſeruit & opitulatur: hic enim ſi te ſcandalizat, & ad hæreſim, libidinem, aliumúe ſcelus pellicit, omnino à conuerſatione tua abſcindendus & abiiciendus eſt. Cùm verò nullum ſcelus aut flagitium iubet Chriſtus, tunc propriè vt ſonat, id quod dicitur, intelligendum eſt, vt cùm ait: *Hoc eſt corpus meum*, &c. *Hic eſt ſanguis meus*. Matth. 26. Nec enim carnem Chriſti in Euchariſtia laniamus, aut ſanguinem cruentum vel patentem potamus, vti intelligebant, & horrebant Capharnaitæ, ſed vtrumque ſub ſpeciebus panis & vini intectum, & latentem inſtar Angeli ſumimus, quâ in re nullum eſt flagitium, nulluſque horror.

Tradit hunc Canonem S. Aug. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 19. *Quidquid*, ait, *in ſermone diuino, neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem propriè referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. Morum honeſtas ad diligendum Deum & proximum; fidei veritas ad cognoſcendum Deum & proximum pertinet*. Et cap. 16. *Si præceptiua locutio eſt, aut flagitium aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata eſt.*

Idem de catechizandis rudibus, cap. 26. *Hoc autem breuiter diſcet, vt quidquid audierit ex libris canonicis, quod ad dilectionem æternitatis, & veritatis, & ſanctitatis, & ad dilectionem proximi referri non poſſit, figuratè dictum vel geſtum eſſe credat: atque ita conetur intelligere, vt ad illam geminam referat dilectionem.* Eumdem Canonem tradit Orig. 4. Periarchon. cap. 2.

Decimvsoctavvs: Hebræorum mos eſt, vt antecedentia & cauſas taceant, ac conſequentia & effectus enarrent. Aut vice verſâ ex cauſis, quas recenſent, effectus, quos ſubticent, intelligendos relinquant. Sic Ioannes cap. 1. 43. ait: *In craſtinum voluit exire in Iudæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Ieſus: Sequere me*, vbi ex τὸ *inuenit*, intelligendum relinquit, quòd Chriſtus iam ante quæſierit Philippum, q. d. Ideò Ieſus iuit in Galilæam, vt quæreret Philippum; illum enim iam animo deſtinarat vocare ad Apoſtolatum, vnde inuenit eum, quem quærebat, & vocauit, dicens: *Sequere me*. Sic cap. 16. 14. ait: *Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eum*; vbi ex τὸ *inuenit*, intelligitur iam antè quæſiſſe eum. Nam, vt ait Matth. cap. 21. 2. Ieſus præmiſit duos diſcipulos in caſtellum vicinum, vt aſinum quærerent, & ad ſe adducerent. Non ergo caſu, ſed ſtudio quærendi eum inuenit. Pari modo ex reſponſione colligendam relinquunt præuiam interrogationem. Sic Ioannes cap. 1. 20. ait, Iudæos miſiſſe legatos ad Ioannem Baptiſtam, interrogantes *Tu quis es?* reſpondit Baptiſta: *Non ſum ego Chriſtus*: ex qua reſponſione intelligitur Iudæos interrogaſſe eum: *Tune es Meſſias, ſiue Chriſtus?* Sic cap. 3. 2. ait: *Reſpondit Ieſus* (Nicodemo) *& dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.* Ex qua reſponſione colligitur Nicodemum priùs interrogaſſe Ieſum, quâ ratione poſſet ſalutem & regnum Dei conſequi; ſed hanc interrogationem ſubticet Ioannes. Subinde tamen reſpondere apud Hebræos idem eſt, quòd ordiri ſermonem, etiamſi nullius præceſſerit interrogatio. Sic apud Græcos: vnde illud ab Homero toties iteratum:

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, id eſt, *huic reſpondens, locutus eſt pedibus celer Achilles*, quod vſurpat etiam, cùm nemo Achillem interrogat.

Simili modo ſilent nonnulla, quæ tamen dicta eſſe vel ipſi poſtea, vel alij dicunt aut inſinuant. Sic Ioan. cap. 6. 36. ait Ieſus: *Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis*, vbi & quando id dixerit Ieſus Ioannes nuſquam expreſſit, vti notat S. Chryſoſtomus. Sed ex hoc loco eum id dixiſſe conſtat. Sic Ioannis 11. 28. Martha ait Magdalenæ: *Magiſter adeſt, & vocat te*; cum tamen de hac vocatione anteà nulla facta ſit mentio in colloquio Marthæ cum Ieſu, ſed contentus fuit Ioannes illam hoc loco dumtaxat per Martham inſinuare, vti notant S. Cyril. Chryſoſt. & Leontius. Ibid. v. 40. ait Ieſus Marthæ: *Nónne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?* putà glorioſam ſuſcitationem Lazari fratris tui, cùm tamen vbi & quando id dixerit Ieſus, numquam antè expreſſerit Ioannes.

Decimvsnonvs. Hebraiſmo ſæpè verbum ponitur ſine ſuppoſito, maximè apud S. Marcum, quaſi hoc ex circumſtantijs, putà ex antecedentibus & ſequentibus facile intelligi & ſuppleri poſſit. Sic cap. 4. 26. ait S. Marcus: *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die: dormiat*,



*dormiat*, ſcilicet homo: *exurgat*, ſcilicet *ſementis*; vnde explicans ſubdit: & (& ſignificat *id eſt*) *ſemen germinet & increſcat, dum neſcit ille*. q. d. Sicut dormiente homine ſeminante ſementis ipſa exurgit creſcitq; die ac nocte: ſic Chriſto in cælis quieſcente, & quaſi dormiente, creſcit & propagatur aſſiduè Euangelij prædicatio & doctrina: ita explicant S. Hieronymus, Beda, & Gloſſa, licèt aliter planiùs interpretentur S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. vt ſuo loco dicam. Et cap. 9. 49. *Omnis enim* (ſupple qui Deo & Chriſto ſeruire, & ſe quaſi victimam offerre cupit) *igne* (tribulationis) *ſalietur*. Vnde explicans, ſubijcit: *Et omnis victima ſale ſalietur*.

Vigesimvs: Solet in Euangelio & Scriptura integer numerus exprimi, etiamſi aliquid illi deſit, aut ſuperſit: ſic numerantur diſcipuli Chriſti 70. cùm præcisè fuerint 72. S. Aug. in quæſt. Euangel. quæſt. 47. Rurſum in eo ſolet poni numerus definitus pro indefinito. Sic Chriſtus relinquentibus omnia, & ſe ſequentibus promittit *centuplum*. Matth. 19. 29 quòd Lucas cap. 18. 30. explicat, dicens: *Recipiet multò plura*.

Vigesimvsprimvs: Chriſtus ex phraſi Hebræorum ſolet comparationem duorum exprimere per affirmationem maioris, & negationem minoris; id enim quod maius eſt, & præceſſit, affirmat, quod verò minus & inferius eſt, negat. Quare per negationem tunc non propriè dictam negationem ſignificat, ſed tantùm id quod negatur, minus eſſe altero, aut certè ipſum non eſſe ſolum in hoc genere indicat, vt: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, Matth. 9. 13. hoc eſt, miſericordiam malo, & præfero ſacrificio: alioqui certum eſt ſacrificium quoque ipſi placere, & gratum eſſe in ſuo ordine & gradu, putà poſt miſericordiam. Sic Lucæ 10. 20. ait Chriſtus Apoſtolis: *Nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur: gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*, id eſt, plus gaudere quòd ſcripti ſitis in cælis, quàm quòd dæmones vobis ſubijciantur; nam & de hoc ſuo modo & gradu gaudendum eſt. Sic Lucæ 12. 44. ait Chriſtus: *Qui credit in me, non credit in me* (ſcilicet ſolum, vel præcipuè) *ſed in eum, qui miſit me*, q. d. Talis non tantùm credit mihi homini dicenti & loquenti, ſed multò magis credit Deo Patri, qui me quaſi legatum ſuum miſit.

Vigesimvssecvndvs: Cauenda in ſacræ Scripturæ explanatione nimia ſubtilitas & argutia, æquè ac plana, nimiaque craſſities & ruditas. Vnde S. Hieron. in c. 25. Matth. *Prudentem*, inquit, *ſemper admoneo lectorem, vt non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ commaticè pro fingentium dicuntur arbitrio, ſed conſideret priora, media & ſequentia, & nectat ſibi vniuerſa, quæ ſcripta ſunt.* S. Scriptura ergo inter ſe collata & compoſita, optima ſui ipſius eſt interpres.

Vigesimvstertivs: Euangeliſtæ ſæpè ludunt in verbis elegantiæ causâ, ac idem verbum vel nomen ſtatim aliter & aliter accipiunt, maximè cùm ex ſenſu literali ad allegoricum vel anagogicum aſſurgunt. Sic Chriſtus ludit in voce *mortuos* dicens: *Sequere me, & dimitte mortuos* (ſpiritualiter) *ſepelire mortuos* (corporaliter) *ſuos*. Matth. 8. 22. Nec enim mortui corporaliter poſſunt alios mortuos ſepelire, vt patet. Sic Ioan. c. 2. v. 23. & 24. ludit in verbo *credo*, dicens: *Multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat: ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis.* Prius enim *crediderunt* notat fidem diuinam, poſterius verò *credebat*, notat fidem humanam, ſiue fiduciam. q. d. Ieſus non confidebat eis, quia licèt videret eos credere in ſe, tamen ſciebat eos mutabiles, & facilè à Scribis poſſe peruerti: vnde non diu, nec ſecurè verſatus eſt cum eis. Ita S. Chryſoſt. Sic Paulus ludit in voce *peccatum*. 2. Cor. 5. 21. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.* Vbi *peccatum* priori loco propriè accipit; poſteriori verò metonymicè, vt ſignificet hoſtiam pro peccato q. d. Deus Chriſtum innocentem & ab omni peccato immunem fecit *peccatum*, id eſt, hoſtiam pro peccato, vt nos à peccato liberaret & iuſtificaret.

Vigesimvsqvartvs: Palæſtinis & Syris (qualis erat Chriſtus) familiare eſt vti parabolis, prouerbijs, & tritis catachreſibus, vt ſuauiùs in animos audientium influant: qua de cauſa Chriſtus toties vtitur parabolis, eaſque multiplicat, vt patet Matth. 13. Ita etiamnum Romæ audiuimus Maronitas, qui Syri ſunt & incolæ montis Libani, ea quæ dicunt, illicò allatis ſimilitudinibus & parabolis, venuſtare. Audi S. Hieronymum in cap. 18. Matth. ad verſ. 23. *Familiare eſt Syris, & maximè Palæſtinis, ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungere, vt quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem exemplorum teneatur.*

Vigesimvsqvintvs: Chriſtus coram naſutis & criticis, quales erant Scribæ & Phariſæi, parabolis vtitur ambiguis & obſcuris, tum quia ipſi indigni erant eas intelligere; tum quia quærebant Ieſum capere in ſermone, accuſare, & occidere; ſeorſim verò diſcipulis & amicis ſuis eaſdem interpretabatur, vt disertè patet Matth. 13. 11. & cap. 7. v. 6. *Nolite*, ait Chriſtus, *ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Hoc factitauit Ariſtoteles, dum libros ſuos ita tectè & inuolutè ſcripſit, vt ab æmulis carpi, confutarique nequeant: vnde ipſe libros de Phyſico auditu ad Alexandrum, ſcribit fuiſſe conſcriptos, & non fuiſſe conſcriptos, eò quòd maximis ambiguitatibus & obſcuritatibus, quibus ipſe, quaſi ſepia ſe inuoluit & obtegit, conſtent.

Vigesimvssextvs: Senſus literalis parabolæ non eſt is, quem voces primâ facie oſtendunt, ſed qui per res vocibus ſignificatas deſignatur: prior vocum ſenſus, eſt grammaticalis, quæ literæ corticem, putà verba voceſque explicat; poſterior eſt parabolicus, ideoque in parabola proprius, literalis, & genuinus: v. g. Matth. 6. 22. & Lucæ 14. 16. in parabola Regis inuitantis ad nuptias debiles & claudos, eò quòd honeſtiores ſe excuſarent, ſenſus literalis non eſt is, quem γράμματα, id eſt, literæ & voces oſtentant, ſcilicet quòd verè Rex quiſpiam idipſum fecerit, cùm hoc ad ſcopum Chriſti ſit impertinens, & fortè numquam contigerit; ſed ad litteram parabolicè ſignificatur, quòd Chriſtus ad Eccleſiam gratiam, & gloriam ſuam vocarit Gentiles idololatras, ideoque viles & abiectos, eò quòd Iudæi legi Moſi præfiſi Chriſtum reſpuerint.

Vigesimvsseptimvs : Tres ſunt parabolæ, apologi, & fabulæ patres, ſcilicet προμύθιον, μῦθος, ἐπιμύθιον; hoc eſt, profabulatio, fabula, & affabulatio, ſiue proparabola, parabola, & epiparabola. Profabulatio eſt procemium parabolæ vel fabulæ, & quaſi prologus, ſiue guſtus & prælibatio quædam parabolæ, qui illi præmittitur, vt indicet, quo fine, & contra quos parabola dicenda ſit: poſt quam ſequitur ipſa parabola, vel fabula: ac deniq; ſubiungitur affabulatio, ſiue poſtfabulatio, quaſi concluſio & applicatio fabulæ aut parabolæ, quæ parabolam vel fabulam explicat, applicatque ad id quod ſignificat, quodque in moribus corrigendum vel faciendum denotat. Exemplum clarum eſt Lucæ 18. 9. in parabola Phariſæi & publicani, vbi προμύθιον, ſiue profabulatio præmittitur, cùm dicitur: *Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam iuſti, & aſpernabantur cæteros; parabolam iſtam.* Ipſam deinde parabolam enarrat. Deniq; v. 14. ἐπιμύθιον, ſiue poſtfabulationem, quâ mentem fructumque parabolæ oſtendit, ſubiungit, dicens: *Dico vobis: Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Idem ad oculum videre eſt in fabulis Æſopi, in apologis Phædri, in emblematibus Alciati.

Vigesimvsoctavvs : In parabolis ſæpè non perſonæ perſonis, nec partes parabolæ partibus rei ſignificatæ, ſed tota parabola toti rei aut ſententiæ comparatur. Exemplum eſt Matth. 11. 16. *Similis eſt* (generatio hæc) *pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Clamauimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis*; ac deinde id applicat prædicationi Chriſti & Ioannis Baptiſtæ, non per partes, quia Chriſtus & Ioannes nequeunt comparari hiſce pueris, ſed totam parabolam toti rei ſignificatæ adæquat. Senſus enim eſt, q. d. Videre eſt in hâc generatione ſimile quippiam illi, quòd in parabola & ludo puerorum contingit, vt ſicut nec cantu, nec planctu puerorum mouentur moroſi homines ad ſaltandum vel lamentandum; ſic Scribæ & Phariſæi nec exemplo laxioris vitæ Chriſti, nec ſeuerioris Ioannis Baptiſtæ prouocari potuerint ad pœnitentiam, conuerſionem, & ſalutem. Simile eſt Matth. 13. 24. *Simile*, inquit, *eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo*, &c. nec enim præciſè & per partes ſeminans ſimilis eſt regno, ſed potiùs regi. Senſus ergo eſt. q. d. Similiter agitur in regno cælorum, perinde ac ſi quis in agro ſuo ſeminet bonum ſemen, cui deinde inimicus ſuperſeminet zizania.

Vigesimvsnonvs : In parabolis æquè ac in ſimilitudinibus non omnia ſunt ſimilia, nec applicanda rei ſignificatæ. Multa enim in ijs dicuntur ad decorem & elegantiam parabolæ, quæ vt ab alijs rei ſignificatæ applicandis diſcernas, hunc Canonem nota. In parabolis finis & ſcopus parabolæ ſpectandus eſt; illa enim quæ ad hunc ſcopum pertinent, parabolæ partes ſunt neceſſariò applicandę rebus per parabolam ſignificatis, quę verò ad eum non pertinent, parabolę ſunt emblemata & ornamenta. Ita Origenes & S. Chryſoſt. in Matth. cap. 13. & S. Aug lib. 16. de Ciuit. 2. Sic Matth. 25. 15. dicitur rex diſtribuiſſe ſeruis ſuis talenta, *vnicuique ſecundùm propriam virtutem*, quia ſcilicet rex prudens ita facere ſolet. At Chriſtus non ita; nec enim attribuit gratiam ſecundùm vires doteſque naturæ & liberi arbitrij, vti voluêre Pelagiani, vt ingenioſis, diuitibus, principibus det maiorem; rudibus verò, pauperibus & plebeijs minorem. Sic Lucæ 14. 26. in parabola computantis ſumptus ad parandum bellum, & ad ædificandum turrim, multa ſunt emblemata, vti ibidem patebit. Denique ex parabolâ, & ex poſtparabolâ, putà prologo, æquè ac ex concluſione parabolæ venandus eſt genuinus eiuſdem ſenſus. Audi S. Baſilium in regul. breuior. interrog. 55. *Sanè*, ait, *quæ afferuntur ſimilitudines, nequaquam eæ omnino ſingulis earum rerum, ad quas allatæ ſunt, partibus reſpondent; ſed illud agunt, vt mentem ad id, de quo agitur, argumentum dirigant.* Celebre eſt Auguſtini documentum lib. 16. de Ciuit. cap. 2. *Non ſanè omnia, quæ geſta narrantur, aliquid etiam ſignificare putanda ſunt; ſed propter illa, quæ aliquid ſignificant etiam ea, quæ nihil ſignificant, attexuntur: ſolo enim vomere terra proſcinditur; ſed vt hoc fieri poſſit: etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria: ita in prophetica hiſtoria dicuntur & aliqua, quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant, quæ ſignificant, & quodammodò religentur.*

Trigesimvs : In multis parabolis pręter id ad quòd primò & principaliter aſſumuntur, Chriſtus ſecundariò myſteria aliqua inſinuare voluit, quaſi ſenſu tropologico, vel allegorico, vt patet Lucæ 10. 30. vbi Chriſtus per parabolam Samaritani non tantùm oſtendere voluit, quis ſit noſter proximus, quem diligere debeamus, quod quærebat legiſperitus, ſed ſimul allegoricè ſignificauit ſe eſſe Samaritanum, qui Adamum, eiuſque poſteros, peccato primæuo ſaucios, infuſo oleo gratiæ ſuæ, & vino ſanguinis ſui, ſanaret & ſaluaret.

Trigesimvsprimvs : Parabolę ſunt duplices, aliæ ſimiles, aliæ diſſimiles. In ſimilibus vis argumenti eſt à pari vel ſimili; in diſſimilibus à minori ad majus.

Trigesimvssecvndvs : Nonnulla dicuntur in Euangelio & Scriptura non ex rei veritate, ſed ex opinione hominum illius temporis, quo geſta referuntur. Sic Ioſeph vocatur pater Chriſti etiam à B. Virgine; quia homines illius æui putabant eum eſſe patrem, cùm reuerà non eſſet pater, Lucæ 2. 48. Sic Ananias Ierem. 28. 10. vocatur Propheta, quia talis æſtimabatur à vulgo, cùm reuerà eſſet Pſeudopropheta. Ita S. Hieronymus in Ierem. 28.

Trigesimvstertivs : S. Scriptura, mutatis licèt rebus, eadem tamen priſtinaque nomina, quæ priùs habuêre, ſeruat, rebuſque aſſignat. Sic Ioan. 6. caro Chriſti in Euchariſtia vocatur panis, quia fuit panis; ſed per tranſſubſtantiationem, quæ fit in conſecratione, panis mutatus eſt in carnem Chriſti. Sic Dina à Sichem corrupta vocatur virgo, quia paulò antè fuerat virgo, Geneſ. 34. 2. Sic virga Aaronis conuerſa in ſerpentem vocatur virga, quia paulo antè fuit virga, Exodi 7. 12. *Deuorauit*, inquit, *virga Aaron virgas eorum*, hoc eſt, ſerpens, in quem virga Aaronis à Moſe conuerſa erat, deuorauit ſerpentes, in quos Magi Pharaonis ſuas pariter virgas ad oſtentationem miraculi conuerterant. Ita S. Hieronymus in Matth. 26.





Trigesimvsqvartvs : Euangeliſtæ & Apoſtoli in citanda S. Scriptura veteris Teſtamenti ſæpè illam non verbotenus, ſed quoad ſenſum citant: vt *quoniam Nazaræus vocabitur.* Matth. 2. 23. de quo ibidem plura. Sic quod Oſee ait c. 2. 1. *Dicite fratribus veſtris, populus meus: & ſorori veſtræ, miſericordiam conſecuta.* Paulus Rom. 9. 25. ſic citat: *Sicut in Oſee dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.*

Trigesimvsqvintvs : Scriptura noui Teſtamenti ſæpe alludit ad vetus Teſtamentum, quia res noui adumbratæ fuêre in veteri: *Finis enim legis Chriſtus.* Rom. 10. 4. Moſes ergo & Prophetæ fuêre πρόδρομοι, & præcurſores Chriſti. Mira igitur, mireque conſona eſt harmonia noui Teſtamenti cum veteri, cuius artifex & auctor eſt Spiritus ſanctus. Quare vt Scripturam noui Teſtamenti à radice & fundamentis explices, ſcrutare & veſtiga figuram, prophetiam vel ſententiam veteris Teſtamenti, ad quam alludit, vetus enim lex nouę fuit pręludium; noua veteris eſt complementum, vti fusè docet S. Auguſt. libr. pluribus, quos ſcripſit contra Fauſtum Manichęum, & Tertull. lib. quatuor; quos ſcripſit contra Marcionem.

Trigesimvssextvs : Interpres latinus idem verbum Gręcum diuerſimodè vertit, pręſertim dum vna vox Latina vim verbi Gręci non aſſequitur, nec adæquat: ſic ἐπιτιμάω, in Marco ferè ſemper vertit *comminari*, in Luca *increpare*, in Matthæo *imperare* vel *præcipere*, vt Marc. 4. 39. Et *Exurgens*, inquit, *comminatus eſt vento.* Sed Lucæ c. 8. 25. *At ille ſurgens*, inquit, *increpauit ventũ.* Matth. 8. autem v. 26. *Tunc ſurgens*, inquit, *imperauit ventis & mari*: quia ἐπιτιμάω ſignificat *præcipere* ſiue *imperare*, non ſimpliciter, ſed *cum increpatione, obiurgatione, & comminatione, additis minis obiurgare, interminari, & interdicere.*

Denique huc ſpectant Canones 64. quos Epiſtolis S. Pauli pręfixi. Epiſtolę enim iſtę explicāt Euangelium: quia Paulus interpres eſt Chriſti.

Trigesimvsseptimvs : Euangeliſtæ ſæpè breuitatis ſtudio rem geſtam implicant & conuoluunt, quâ de causâ ſubinde repugnantia dicere videntur: quare res geſta Interpreti fuſiùs explicanda & diſtinctiùs enucleanda eſt, vt conſonantia appareat. Sic Lucas c. 7. v. 3. de Centurione mittente legatos ad Chriſtum, vt ſeruum ſuum ſanaret; ait: *Et cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius*; cùm tamen paulò poſt ſubdit eumdem dixiſſe: *Propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te*, quia ſcilicet ego ſum Gentilis, ideoque indignus tuo aſpectu & alloquio, quare pro me ſubmiſi ad te ſeniores Iudæorum: quomodo ergo paulò antè putat eo ſe dignum, imò rogat vt Chriſtus veniat ad ſe? Reſp. *τὸ rogans*, quatenus refertur ad *τὸ vt ſaluaret ſeruum eius*, pertinet ad ipſum Centurionem, quatenus verò refertur ad *τὸ vt veniret*, pertinet ad ſeniores Iudæorum, qui de ſuo hoc addiderunt, putantes hoc decere, & Centurionem tacitè hoc cupere: Lucas tamen tribuit idipſum quoque Centurioni, quia quæ legatus dicit, & petit nomine legantis hæc legans ipſe dicere & petere cenſetur, de quo plura Matth. 8. v. 6. Sic Lucas c. 19. 9. ait Chriſtum dixiſſe Zachæo, cùm domum eius ingrederetur: *Quia hodie ſalus domui huic facta eſt*, vbi inuolutè ſignificat, Zachæo in Chriſtum credente & conuerſo, totam familiam heri ſui exemplum ſecutam in Chriſtum credidiſſe, & ſanctificatam fuiſſe, etiamſi paulò antè ſolius Zachæi credentis meminerit. Sic octo beatitudines, quas recenſet Matthæus cap. 5. v. 1. & ſeq. Lucas c. 6. 20. in quatuor contrahit.

Trigesimvsoctavvs : Chriſtus ſanaturus ægrotos, priùs ab eis ſolet requirere fidem, quâ ſcilicet credant Chriſtum id poſſe facere, ſperentq; facturum; quare fides hæc non eſt hiſtorica & nuda, non etiam charitate formata & iuſtificans; ſed eſt fides miraculorum, quæ includit certam ſpem & fiduciam miraculi, quòd ſcilicet Chriſtus eos ſuâ omnipotenti manu ſanabit, qualis fuit fides S. Gregorij, qui idcircò cognominatus eſt Thaumaturgus, id eſt, miraculorum opifex. Hanc enim fidem quaſi congruam ad miraculum diſpoſitionem, prærequirit Chriſtus; vnde de illa ait: *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Matth. 17. 19.

POſtremò in Euangelijs ſolerter expendendum eſt & ſecernendum, an id quod Chriſtus ait, ſit conſilium, an præceptum, an promiſſio, an permiſſio dumtaxat (qualis eſt illa ad Iudam proditorem: *quòd facis, fac citiùs.* Ioan. 13. 27.) an parabola, an adagium, an emblema, &c. Quocirca in gratiam lectoris ex ſingulis Euangelijs collegi (eò quòd nemo hucuſque id præſtiterit) omnia Euangelica conſilia, præcepta, promiſſa, minas, miracula, oracula, ſacramenta, paradoxa, parabolas, adagia, emblemata & ænigmata, eaque ordine ſuo diſpoſita hîc ſubijcio.

Accipe ergo primò omnia Conſilia per Euangelium ſparſa hîc in vnum collecta, deinde præcepta Euangelio propria, denique mixta, id eſt, partim conſilia, partim præcepta. Conſilia & præcepta voco quæ vt plurimùm ſunt talia; nam & conſilia in neceſſitate fiunt præcepta, & præcepta citra neceſſitatem ſubinde fiunt conſilia, vt patet in præcepto eleemoſynæ.

## CONSILIA EVANGELICA:

### Quæ omnia ſunt de actibus heroicis virtutum Chriſtianarum, imò Apoſtolicarum.

1. SIne modò: Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Matth. 3. 15.
2. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth. 5. 3.
3. Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.
4. Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.
5. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.
6. Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.
7. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.
8. Beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.
9. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.
10. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſùm vos, mentientes propter me:

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.

11. Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Matth. 5. v. 39.
12. Et qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. ibid. v. 40.
13. Quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. Ibid. v. 41.
14. Omni petenti te tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. Lucæ 6. 30. Matth. 5. 42.
15. Eſtote vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Matth. 5. 48.
16. Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Matth. 8. 22.
17. Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Matt. 23. 8.
18. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt. Ibid.

Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt, Chriſtus. Ibid.

19. Qui maior eſt veſtrûm erit miniſter veſter. Ibid.

Qui autem ſe exaltauerit humiliabitur: & qui ſe humiliauerit exaltabitur. Ibid.

20. Oportet ſemper orare, & numquam deficere. Lucæ 18. 1.
21. Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorũ. Qui poteſt capere, capiat. Matth. 19. 12.
22. De Virginibus autem præceptũ Domini non habeo: conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.

Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.

23. Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me. Matth. 19. 21.
24. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ 10. 42.
25. Maiorem hâc dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ioan. 15. 13.
26. Mutuum date nihil inde ſperantes. Lucæ 6. 35.
27. Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequẽtibus & calumniantibus vos. Matth. 5. 44.
28. Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter ſequar te quocumque ieris.

Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Matth. 8. 19.

29. Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis? Matth. 19. 27.
30. Denique conſilium Euangelicum eſt, euangelizare gratis, non accepto vllo prædicationis ſtipendio aut ſumptu, vti fecit S. Paulus labore manuum ſe, ſuoſque ſuſtentans, qui proinde ait: Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponã Euangelium. 1. Corinth. 9. 18. Iure enim naturę & diuino Apoſtolus viuere poteſt ex Euãgelio: dignus eſt enim operarius mercede ſua: vnde ſi gratis euangelizat, facit opus liberale & ſupererogationis, quod conſilij eſt, non præcepti.

Ex dictis liquet multa eſſe Cõſilia Euangelica, ſed pręcipuè tria, ſcilicet voluntarię paupertatis, caſtitatis, & obedientię religioſæ, vti cõtra nouantes vno ore docent omnes orthodoxi.

## PRÆCEPTA EVANGELIO PROPRIA,

### nec in Lege veteri expreſſa.

1. POenitentiam agite: appropinquauit enim regnũ cælorum. Matth. 4. 17.
2. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem, qui in cælis eſt. Matth. 5. 16.
3. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5. 23.
4. Eſto conſentiens aduerſario (actori & accuſatori, quem verbo & verbere læſiſti) tuo, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtris, & in carcerem mittaris. Matth. 5. 25.
5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matth. 5. 28.
6. Quòd ſi oculus tuus (vel manus) dexter ſcandalizat te, erue eum & proijce abs te. Matth. 5. 29.
7. Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam exceptâ fornicationis cauſâ, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Matth. 5. 32.
8. Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Matth. 5. 43.



9. Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo raca, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Matt. 5. 22.
10. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Matth. 6. 1.
11. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Ibid. verſ. 6.
12. Orantes nolite multùm loqui (ore, ſed corde) ſicut Ethnici. ibid. v. 7.
13. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua, &c.
14. Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, &c. ſed in cælo. Matth. 6. 19.
15. Non poteſtis Deo ſeruire & mãmonæ. Matt. 6. 24.
16. Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neq; corpori veſtro quid induamini. Matth. 6. 25.
17. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum. Matth. 6. 33.
18. Nolite iudicare, vt non iudicemini. Matth. 7. 1.
19. Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. q. d. Nolite ſancta dogmata tradere incredulis & obſtinatis, qui ea rideant & ſubſannent. Matth. 7. 6.
20. Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. 12.
21. Intrate per anguſtam portã, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionẽ. Matt. 7. 13.
22. Qui dixerit (verbum) contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Matth. 12. 32.
23. Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iuſtificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis. Matth. 12. 36.
24. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorũ. Matth. 18. 3.
25. Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Ibid. v. 15.
26. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnũ vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Ibid.
27. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Ibid.

Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terrã, erunt ſoluta & in cælo. ibid.

Mandatũ nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Ioan. 13. 34. His adde præcepta Sacramentorum, quæ inferiùs afferam.

## MIXTA, HOC EST, PARTIM CONSILIA, partim præcepta.

1. EGo autem dico vobis non iurare omnino. Matt. 5. 34.
2. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. Matth. 5. 37.
3. Cum ieiunas vnge caput tuum & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito. q. d. Cùm ieiunas noli id oſtentare, ſed cela & diſſimula per corporis, animiq; alacritatem & lætitiam. Matth. 6. 17. Idem dixit de Eleemoſyna. v. 3. de Oratione. verſ. 6.
4. Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. Matth. 7. 7.
5. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Matth. 10. 41.
6. Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedẽ ſuam. Ibid.
7. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Matth. 11. 28.
8. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Matth. 12. 50.
9. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matth. 16. 24.
10. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Lucæ 12. 33.
11. Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Lucæ 21. 36.
12. Scrutamini Scripturas. Ioan. 5. 39.
13. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater ſignauit Deus. Ioan. 6. 27.
14. In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Ioan. 13. 35.

## PRÆCEPTA ET CONSILIA A CHRISTO ſeorſim datæ Apoſtolis.

1. VEnite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Matth. 4. 19.
2. In viam Gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: ſed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Matth. 10. 5.
3. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum. Ibid.
4. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmonia eijcite.
5. Gratis accepiſtis, gratis date. Ibid.
6. Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. Ibid.
7. Non peram in via, neq; calceamenta, neque virgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo, ibid.

8. In quamcumque autem ciuitatem aut caſtellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis. Ibid.

9. Intrantes autem in domum, ſalutate eam dicentes; Pax huic domui. ibid.

10. Et quicumq; non receperit vos; neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. Ibidem verſ. 14.

Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Ibid.

11. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. ibid. v. 16.

12. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos. Ibid. verſ. 17.

Et ad præſides, & ad reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & Gentibus. Ibid.

13. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim nobis in illa hora quid loquamini. Ibid. v. 19.

Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Ibid.

14. Cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite ad aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſrael, donec veniat filius hominis. 14. ibid. verſ. 23.

15. Ne ergo timueritis eos: Nihil enim eſt opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur. Ibid. v. 26.

16. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Ibid.

17. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autē non poſſunt occidere, ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Ibid. v. 28.

18. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominē aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrē ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam. Et inimici hominis domeſtici eius. Ibid. v. 34.

19. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus; & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Ibid. v. 37.

20. Et qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.

21. Qui inuenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Ibid. v. 35.

22. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Ibid. v. 40.

23. Nemini dixeritis viſionē (Transfigurationis) donec filius hominis à mortuis reſurgat. Matt. 17. 9

24. Vt autem non ſcandalizemus eos (exactores didrachmi pro tributo) vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcē, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterē, illum ſumens da eis pro me & te (ô Petre.) Matth. 17. 26.

25. Quæcumq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Matth. 18. 18.

26. Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter:

Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Matth. 20. 26.

Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Ibid.

27. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hîc & vigilate mecum: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Matth. 26. 38.

28. Ego rogaui pro te (ô Petre) vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Lucæ 22. 32.

29. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuā, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ioan. 20. 27.

30. Mittite in dexterā nauigij rete & inuenietis, &c. afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc, &c. Venite, prandete. Ioan. 21. 6. & ſeq.

31. Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine tu ſcis quia amo te: Dicit ei: Paſce agnos meos.

Dicit ei iterùm: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Ibid. v. 15.

32. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcumq; mandaui vobis. Matth. 28. 19.

Et ego mitto promiſſum patris mei in vos. Vos autē ſedete in ciuitate, quoad vſque induamini virtute ex alto. Lucæ 24. 49.

## PROMISSA EVANGELICA.

1. NE timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & vxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.

Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Lucæ 1. 13.

2. Erit enim magnus coram Domino; & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Ibid.

3. Et multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum.

4. Et ipſe præcedet ante illū in ſpiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam. Ibid.

Ne timeas Maria: inueniſti enim gratiā apud Deū.

5. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum.

Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et regni eius non erit finis. Ibid. v. 30.

6. Beati pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Matth. 5. 3. Ibidem in ſeq. Idem regnum alijs titulis & nominibus, ceteris ſeptem beatitudinibus promittitur.

7. Qui recipit vos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum, qui me miſit. Matth. 10. 40.

8. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedē Prophetæ accipiet; & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Ibid.

9. Et quicumq; potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli: amen



amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. ibi.

10. Iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum. Matth. 13. v. 43.

11. Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Matth. 16. 17.

12. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

13. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram: erit ſolutum & in cælis. Matth. 16. 17.

14. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Matth. 18. 19.

Vbi enim ſunt duo vel tres cōgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. ibid.

15. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties?

Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. ibid.

16. Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum Matth. 19. 12.

17. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum.

Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit. Iſaiæ c. 26. v. 4.

18. Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo. Matth. 19. v. 21.

19. Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.

20. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Ibid.

21. In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo. Matth. 22. 30.

22. Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudiū Domini tui. Matth. 25. 23.

23. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. Matth. 28. 20.

24. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient; linguis loquentur nouis.

25. Serpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Marci 16. v. 17.

26. Habete fidem Dei.

27. Amen dico vobis: quia quicumque dixerit huic monti: Tollere & mittere in mare; & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.

28. Propterea dico vobis, omnia quæ orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis. Marci c. 11. v. 22.

29. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum, in pace. Lucæ 1. 29.

30. Spiritus Domini ſuper me; propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde.

31. Prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Lucæ 4. 18.

32. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.

33. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur; gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Lucæ 10. 19.

34. Martha, Martha, ſollicita es & turbaris erga plurima: Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimā partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Lucæ 10. 41.

35. Omnis quicumque confeſſus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei. Lucæ 12. 8. Matth. 10. 32.

36. Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Matth. 6. 33.

37. Ignem veni mittere in terram: & quid volo, niſi vt accendatur? Luc. 12. 49.

38. Inijcient vobis manus, &c. Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis.

Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Luc. 21. v. 13.

39. Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.

Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum:

Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Luc. c. 22. v. 28.

40. Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Luc. 24. 36.

41. Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in ciuitate, quoadúſque induamini virtute ex alto. ibid. v. 49.

42. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus ſuis benedixit eis.

Et factum eſt, cùm benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum. ibid.

43. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Ieruſalē cum gaudio magno.

Et erant ſemper in templo laudantes, & benedicentes Deum. Amen. ibid.

44. Oues meæ vocem meam audiunt: & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.

Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Ioan. 10. 27.

45. Vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Ioan. 14. 2.

46. Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

47. Et quodcumque petieritis Patrē in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Ioa. 14. 12.

48. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.

Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.

49. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Ioan. 14. 16.

50. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit

ligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Ioan. 14.21.

51. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ioan. 14.23.

52. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Ioan. 15.14.

53. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis & fructum afferatis; & fructus veſter maneat: vt quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Ioan. 15.15.

54. Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.

Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Ioan. 16.26.

55. Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ioan. 16.13.

56. Sanctifica eos in veritate, &c. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Ioan. 17.17.

57. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbũ eorum in me. ibid. v. 20.

58. Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus, quia tu me miſiſti. ibid. v. 21.

Et ego charitatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. ibid. v. 22.

59. Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant charitatem meam, quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante conſtitutionẽ mundi. Ioan. 17.24.

60. Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Ioan. 19.26.

# MINÆ EVANGELICÆ.

1. QVicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris.

2. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Matth. 10.14.

3. Væ tibi Corozain: Væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Matth. 11.21.

4. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij quàm vobis. ibid. v. 22.

5. Et tu Capharnaum, numquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes; quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hanc diem. Ibid.

6. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi. Ibid.

7. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce pluſquam Ionas hic. Matth. 12.41.

8. Regina Auſtri ſurget in iudicio cũ generatione iſta, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquam Salomon hic. ibid.

9. Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli & ſeparabunt malos de medio iuſtorũ. Matt. 13.40.

10. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium. ibid. v. 48.

11. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala: verumtamen væ illi, per quem ſcandalum venit. Matth. 18.7.

12. Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizet te, abſcide eum, & proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Matth. 18. v. 8.

13 Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorũ ante homines, &c. Matth. 23.13.

14. Væ vobis Scribæ, &c. quia comeditis domos viduarum, &c. Matthæi 23. verſ. 14. & ſequent. vbi continuò vſque ad finem capitis. Væ, fulmen æternæ damnationis in Scribas ob eorum ſuperbiam, auaritiam, ſæuitiam, impietatem detonat.

15. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Matth. 23.35.

Amen dico vobis: venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.

16. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. ibid.

17. Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo: moram facit dominus meus venire.

Et cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autẽ & bibat cum ebrioſis.

Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & horâ quam ignorat.

Et diuidet eum, patremq; eius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus & ſtridor dentiũ. Matth. 24.48.

18. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. Matth. 25.46.

19. Væ homini illi (Iudæ) per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. Matth. 26.24.

20. Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram.

21. Væ vobis, quia ſaturati eſtis; quia eſurietis: væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.

22. Væ cùm benedixerint vobis homines: ſecundùm hæc enim faciebant Pſeudoprophetis patres eorum. Lucæ 6.24.

23. Ille autem ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis.

24. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

25. Omnis autem, cui multum datũ eſt, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo: Lucæ 12.48.

26. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Lucæ 13.3.

MIRA-



# MIRACVLA CHRISTI ORDINE TEMPORIS quo patrata ſunt, ſigillatim digeſta.

1. ET factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth. Lucæ 1.41.

2. Et exclamauit voce magna, & dixit: benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui. ibid.

3. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? ibid.

4. Chriſtus recenter natus miſit Angelum, qui paſtoribus, & ſtellam, quæ Magis nuntiaret ſuam natiuitatem, eoſque ad ſe viſendum adorandumque vocaret. Lucæ 2. v. 9. Matth. 3.2.

5. Oblatus in templo fecit, vt Simeon & Anna ſe vt Meſſiam agnoſcerent, ac de ſe prophetarent. Lucæ 2.25.

6. In Chriſtum, cùm baptizaretur à Ioanne, Spiritus ſanctus ſpecie columbæ illapſus eſt, & vox Patris intonuit: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3.14.

7. Chriſtus mox à Baptiſmo ſecedens in deſertum, ibi 40. diebus ieiunauit, & per miraculum ab omni cibo potuque abſtinuit: Matth. 4.

8. Chriſtus in nuptijs Canæ Galilææ mutat aquam in vinum. Ioan. 2.11.

9. Mox in Paſchate omnes vendentes & ementes vultûs ſui maieſtate percellens, flagello eiicit è templo. Ioan. 2.15.

10. Filium Reguli ægrum ſanat Capharnai. Ioa. 4.50.

11. Dæmoniacum ibidem in Synagoga à dæmone liberat. Marci 1.23.

12. Socrum Petri febrientem, multoſque ægros curat. Matth. 8.15.

13. Dormiens in naui excitatur à diſcipulis, ac ſedat maris tempeſtatem, ventiſque & fluctibus imperat. Matth. 8.15.

14. Sanat duos dæmoniacos in regione Geraſenorum, ac dæmonibus permittit ingredi in porcos, qui eos præcipitant in mare. Matt. 8.28.

15. Sanat paralyticum per tegula ante ſe demiſſum. Matth. 9.2.

16. Vocat Matthæum à telonio, itaque mentem eius immutat, vt omnibus relictis illicò eum ſequatur. Matth. 9.9.

17. Archiſynagogi filiam à morte reuocat, & Hæmorrhoiſſæ fluxum ſanguinis ſiſtit. Matth 9.18.

18. Duos cæcos illuminat, & dæmoniacum mutum curat. Matth. 9.27.

19. Ad probaticam piſcinam in Sabbato ſanat ægrum per 38. annos. Ioan. 5.2.

20. Manco manum aridam reſtituit. Matth. 12.13.

21. Leproſum à lepra mundat. Matth. 1.2.

22. Centurionis ſeruum paralyticum ſanat. Matthæi 8.5.

23. Filium viduæ in Naim à morte ſuſcitat. Lucæ 7.11.

24. Magdalenam à morte animæ, & à dæmonibus liberat. Lucæ 7.

25. Curat dæmoniacum cæcum & mutum. Matth. 12.22.

26. Quinque panibus paſcit quinque hominum millia. Ioan. 8.11.

27. Ambulat Ieſus ſuper mare, & Petrum ſuper illud ambulare facit. Matth. 14.25.

28. Sanat filiam Chananææ à dæmone vexatam. Matth. 15.28.

29. Sanat ſurdum & mutum mittens digitos in auriculas, & expuens tangenſque linguam eius, dicens, Ephphetha, id eſt, adaperire. Marci 7.34.

30. Septem panibus paſcit quinque hominum millia. Matth. 15.36.

31. Illuminat cæcum in Bethſaida, dicentem: Video homines ſicut arbores ambulantes. Marci 8.24.

32. Transfigurat ſe Chriſtus in monte Tabor: Et reſplenduit facies eius ſicut ſol, & apparuerunt Moyſes & Elias cum eo loquentes. Matth. 17.2.

33. Eijcit dæmonem lunaticum, quem diſcipuli eijcere non potuerant: quia hoc genus, inquit, non eijcitur niſi per orationem & ieiuniũ. Matth. 17.14.

34. Facit vt Petrus in ore piſcis inueniat didrachma, illudque pro tributo perſoluat. Matth. 17.26.

35. Mundat decem leproſos. Luc. 17.12.

36. Cæco nato viſum reſtituit. Ioan. 9.1.

37. Sanat mulierem contractam. Lucæ 13.11.

40. Sanat hydropicum in Sabbato, prandens cũ Phariſæo. Lucæ 14.2.

41. In feſto Encæniorum eripit ſe è lapidantium manibus. Ioan. 10. v. 31. & 39.

42. Lazarum quatriduanum è ſepulchro euocat & ſuſcitat. Ioan. 11.1.

43. Duos cæcos iuxta Iericho illuminat, è quibus vnus famoſior erat, nomine Bartimæus. Matth. 20.29. Marci 10.46. Lucæ 18.35.

44. Inſidens aſino glorioſè quaſi Meſſias ingreditur Ieruſalem, turbis cum ramis palmarum acclamantibus, quin & infantibus: Hoſanna filio Dauid. Matth. 21.9.

45. Mox cæcos & claudos in templo curat. Matth. 21.14.

46. Ficulneam maledicendo arefacit. ibidem v. 19.

47. Eijcit rurſum vendentes & ementes è templo. Lucæ 19.45. Matth. 21.12.

48. Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Lucæ 22.42.

49. Vt ergo dixit eis, ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Ioan. 18.6.

50. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam. Matth. 27.45.

51. Chriſtus in paſſione & cruce fuit miraculum miraculorum; fuit enim portentum, imò abyſſus humilitatis, patientię, obedientię, charitatis, fortitudinis, martyrij, omniumque virtutum. Matth. 27.

 52. Cla-

52. Clamans: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, per miraculum expirat: morientis enim vox, vita, & ſpiritus deficit. Matth. ibidem v. 50.

53. Et ecce velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt & monumenta aperta ſunt & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes: verè Filius Dei erat iſte. Ibid. v. 51.

54. Vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Ioan. 19. 34.

55. Chriſtus tertio poſt mortem die ſeipſum reſuſcitat, & corpus gloria, ceteriſque dotibus beatitudinis condecorat, & beat. Matt. 28. Marc. 16. Luc. 24.

56. Et factum eſt dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum, & dixerunt ad inuicem: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Lucæ 24. 30.

57. Chriſtus die 40. à reſurrectione ſua coram Apoſtolis, è monte Oliueti glorioſus in cęlum aſcendit, ſedetque à dexteris Dei. Luc. 24. 51. Marc. 16. 19.

# ORACVLA ET PROPHETIÆ CHRISTI
## eo ordine, quo ab ipſo per ſe vel ſuos editæ ſunt, diſpoſitæ.

1. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Lucæ 1. 48.

2. Et tu puer Propheta Altiſsimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

3. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſsionem peccatorum eorum. Lucæ 1. 76.

4. Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur.

5. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Lucæ 2. 34.

6. Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te. Ioan. 1. 48.

7. Videbitis cælum apertum & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis. ibid.

8. Chriſtus eiiciens ementes & vendentes è templo, Iudęis petentibus ſignum aſſignat ſuam mortem & reſurrectionem; vtramq; prædicens primò, Ioan. 2. 19. ſecundò, paulò antè, & poſt transfiguratione̅ ſuam. Matth. 17. 21. tertiò, paulò ante mortem, cùm ad eam, Hieroſolymam pergeret. Matth. 20. 18. quartò, in vltima cœna paucis horis antequam caperetur. Matth. 26. 2.

9. Chriſtus mulieri Samaritanæ edicit occulta, quæ per vitam geſſerat, itaque eam & Samaritanos conuertit. Ioan. 4. 18.

10. Venit hora & nunc eſt, qua̅do veri adoratores adorabunt Patre̅ in ſpiritu & veritate. Ioan. 4. 23.

11. Leuate oculos & videte regiones, quia illæ iam albæ ſunt ad meſſem. Ioan. 4. 35.

12. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius (Antichriſtus) venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Ioan. 5. 43.

13. Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? ſcilicet Iudas, qui me tradet. Ioan. 6. 71.

14. Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Matth. 8. 11.

15. Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.

16. Et ad præſides, & ad reges ducemini propter me, in teſtimonium illis & Gentibus. Matth. 10. 17.

17. Tradet aute̅ frater fratre̅ in morte̅, & pater filium: & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient.

18. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. ibid. v. 21.

19. Amen dico vobis: ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo. Matth. 16. 28.

20. Elias venturus eſt, & reſtituet omnia. Matt. 17. 11.

21. Vade (ô Petre) ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro te & me. Matth. 17. 26.

22. Calicem quidem meum bibetis: ſedere autem ad dextram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Matth. 20. 23.

23. Digito ſcribens in terra, occulta Phariſæoru̅ adulteram accuſantium ſcelera pandit, eoſque confundit. Ioan. 8. 8.

Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, in quod introeuntes inuenietis pullum aſinæ alligatu̅, cui nemo vmquam hominum ſedit: ſoluite illu̅, & adducite.

24. Et ſi vos interrogauerit: Quare ſoluitis? ſic dicetis ei: Quia Dominus operam eius deſiderat.

25. Abierunt autem qui miſsi erant: & inuenerunt ſicut dixit illis, ſtantem pullum. Lucæ 19. 30.

26. Venient dies in te (ô Ieruſalem) & circumdabunt te inimici tui vallo & circumdabunt te, & coanguſtabunt te.

Et ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Lucæ 19. 43.

27. Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis; & ex eis flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem.

28. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Matth. 23. 34.

29. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. ibid.

30. Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. ibid. v. 38.

31. Multi enim venient in nomine meo, dice̅tes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent. Matth. 24. 5.



32. Audituri enim eſtis prælia & opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Ibid.

33. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus per loca. Ibid.

Hæc autem omnia initia ſunt dolorum. Ibid.

34. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus Gentibus propter nomen meum. ibid.

35. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuice̅ tradent & odio habebunt inuicem. ibid.

36. Et multi Pſeudo prophetæ ſurgent, & ſeducent multos. ibid.

37. Et quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. ibid.

38. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. ibid.

39. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus: & tunc veniet conſummatio. ibid.

40. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. ibid. v. 29.

41. Et tunc parebit ſignu̅ Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maieſtate. ibid.

42. Et mittet Angelos ſuos cu̅ tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſu̅mis cælorum vſque ad terminos eorum. ibid.

43. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vſque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam. ibid. v. 38.

Et non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes; ita erit & aduentus Filij hominis. ibid.

44. Tunc duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.

Duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & vna relinquetur. ibid.

Vigilate ergo quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. ibid.

45. Cùm autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. Matth. 25. 31.

46. Et congregabuntur ante eum omnes Gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. ibid.

47. Et ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. ibid.

48. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. ibid.

49. Ieruſalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum. Lucæ. 21. 14.

50. Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum in quam intrat.

51. Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magiſter: Vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?

52. Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratu̅, & ibi parate.

Euntes autem inuenerunt ſicut dixit illis, & parauerunt Paſcha. Lucæ 22. 10.

53. Amen dico vobis, quia vnus veſtrûm me traditurus eſt. Matth. 26. 21.

54. Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. ibid. v. 23.

55. Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simoni Iſcariotæ.

56. Et poſt buccellam introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Ieſus: Quod facis fac citius. Ioan. 13. 26.

57. Reſpondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti. Matthæi 26. 25.

Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. ibid.

Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. ibid.

Reſpondens aute̅ Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor.

Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.

58. Chriſtus tam ante quàm poſt mortem prædixit aduentum Spiritus ſancti. Ioan. 14. 16. Lucæ 24. v. 49.

59. Non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei. Matth. 26. 29.

60. Ecce appropinquauit hora & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. Matth. 26. 45.

61. Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.

62. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.

63. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, & collibus: Operite nos.

64. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Lucæ 23. 28.

65. Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo. Luc. 23. 43.

66. Tunc ait illis (mulieribus venientibus ad Chriſti ſepulchrum) Ieſus: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Matth. 28. 10.

His adde nonnulla ex Ioanne præter ordine̅.

67. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & voce̅ meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor. Ioan. 10. 16.

68. Reſurget frater tuus; ait Chriſtus Marthæ de Lazaro mortuo. Ioan. 11. 23.

69. Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ioan. 11. 50.

70. Sinite illam, vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud, ſcilicet vnguentu̅ Magdalenæ. Ioan. 12. 7.

71. Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo in finem dilexit eos. Ioan. 13. 1.

72. Abſque Synagogis facient vos, ſed venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.

Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Ioan. 16. 2.

73. Ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolùm relinquatis; & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.

74. Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum. Ioan. 16. 32.

SACRA-

# SACRAMENTA A CHRISTO INSTITVTA.

1. BAPTISMVS.
Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnũ Dei. Ioan. 3. 5.
Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.
Euntes docete omnes Gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.
Docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi. Matth. 28. 18.

2. CONFIRMATIO.
His auditis baptizati ſunt in nomine Ieſu. Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant. Actor. 19. 5.
Miſerunt ad illos Petrum & Ioannem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis, vt acciperent Spiritũ ſanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu.
Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Actor. 8. 14.

3. EVCHARISTIA.
Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.
Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.
Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Matth. 26. 26.
Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.
Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ioan. 6. 51.
Sacrificij Euchariſtiæ.
Hoc facite in meam commemorationẽ. Luc. 22. 19.
Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur, qui, ſcilicet calix, (vt patet ex Græco) pro vobis offeretur (nam liquida ſolent per effuſionem Deo libari & offerri) iam iam in hac vltima cœna, cùm ego & vos illum bibemus, & bibendo Deo libabimus. Lucæ 22. 20.

4. POENITENTIA.
Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ioan. 20. 22.
Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque ſolueritis ſuper terrã, erunt ſoluta & in cælo. Matth. 18. 18.

5. EXTREMA VNCTIO.
Vngebant oleo multos ægros, & ſanabant. Marci 6. 13.
Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Iacobi c. 5. v. 14.

6. ORDO.
Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Ioan. 20. 21.
Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionẽ manuum mearum 2. Tim. 1. 6.
Tunc ieiunãtes, & orantes, imponenteſq; eis manus, dimiſerunt illos. Actor. 13. 3.
Conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Tit. 1. 5.

7. MATRIMONIVM.
Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.
Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Matth. 19. 3.
Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Epheſ. 5. 32.

# PARADOXA EVANGELICA.

1. IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ioan. 1. 1.
2. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Ioan. 1. 4.
3. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.
In propria venit, & ſui eum non receperunt.
4. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.
5. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Ioan. 1. 10.
6. Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt, quia prior me erat. ibid. v. 15.
7. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.
8. Quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.
9. Deum nemo vidit vmquam: vnigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Ioan. 1. v. 16.
10. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.
11. Vox clamantis in deſerto: parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Marci 1. 2.
12. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatũ mũdi. Io. 1. 29
13. Spiritus vbi vult ſpirat: & vocem eius audis: ſed neſcis vnde veniat aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu. Ioan. 3. 8.
14. Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo.
15. Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis;
Vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.
16. Sic enim Deus dilexit mundũ, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioan. 3. 13.
17. Illum oportet creſcere, me autẽ minui. Ioan. 3. 30.
18. Qui accepit eius teſtimonium, ſignauit, quia Deus verax eſt.
19. Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.
20. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Ioan. 3. 33.
21. Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterùm: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, nõ ſitiet in æternum.

22. Sed



22. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ioan. 4. v. 13.
23. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Ioan. 4. v. 34.
24. Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit. Ioan. 5. 19.
25. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult, viuificat.
26. Neque enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio Ioan. 5. 21.
27. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei.
28. Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Ioan. 5. 28.
29. Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vmquam. Ioan. 6. 35.
30. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.
31. Et ſcriptum eſt in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Ioan. 6. 44.
32. Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quidquã: verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. ibid. v. 64.
33. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Ioan. 7. 34,
34. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ vitæ.
35. Abrahàm pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Ioan. 8. 56.
36. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Ibid. verſ. 39.
37. Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternũ. Ioan. 11. 25.
38. Qui amat (Matth. cap. 10. 30. qui inuenit) animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ioan. 12. 24.
Beati pauperes ſpiritu. Beati mites. Beati qui lugent, &c. Matth. 5. 1.
39. Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras.
40. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.
Hoc autem dicebat ſignificans quâ morte eſſet moriturus. Ioan. 12. 31.
41. Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me: ſi cognouiſſetis me, & patrem meum vtique cognouiſſetis, & amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum. Ioan. 14. 6.
42. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Ioan. 14. 10.
43. Ego ſum vitis, & Pater meus agricola eſt, &c. Ego ſum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia ſine me nihil poteſtis facere.
44. Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.
45. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Ioan. 15. 5.
46. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.
47. Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi, vt faciam.
48. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.
49. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Ioan. 17. 3.
50. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Matth. 19. 24.
51. Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Lucæ 18. 14.
52. Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Ioan. 20. 17.

# APOLOGI ET PARABOLÆ EVANGELICÆ

## ordine hiſtorico diſpoſitæ.

1. PArabola puerorum canentium & lamentantium. Matth. 11. 16.
2. Parabola ſeminantis, in qua ſemen aliud cecidit ſecus viam, aliud in petroſa, aliud in ſpinas, aliud in terram bonam, fecitque, fructum centeſimum, ſexageſimum, trigeſimum. Matth. 13. 4.
3. Parabola zizaniorum, quæ ſemini ſuperſeminauit inimicus. ibid. v. 24.
4. Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis. ibidem v. 31.
5. Simile eſt regnum cælorum fermento in farinæ ſatis tribus. ibid. v. 38.
6. Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. ibid. v. 44.
7. Simile eſt regnum cælorum margaritæ pretioſæ. ibid. v. 45.
8. Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare. ibid. v. 47.
9. Parabola patrisfamilias, qui à ſeruo in conſeruum immiſericorde debitum decem millium talentorum, iam remiſſum repetijt. Matth. 18. 23.
10. Parabola boni paſtoris, mercenarij, & ouium. Ioan. 10. 2.
11. Parabola Samaritani, curantis eum qui inciderat in latrones, infuſo in plagas oleo & vino. Lucæ 10. 30.
12. Parabola amici petentis noctu ab amico tres panes pro hoſpite, docens modum & vim orandi. Lucæ 11. 5.
13. Parabola diuitis ſic dicentis: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: ſtulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cuius erunt? Lucæ 12. 19.
14. Parabola ſerui vigilantis noctu, & dominum à nuptijs reuertentem expectantis. Lucæ 12. 36.
15. Parabola ficulneæ infrugiferæ, quæ iube-

tur

tur excidi. Lucæ 13.6.
16. Contendite intrare per anguſtam portam in cælũ, quia pauci ſaluantur, & arcta eſt ſalutis via. Lucæ 13.24.
17. Parabola de captando inter conuiuas vltimo loco. Lucæ 14.7.
18. Parabola de computandis ſumptibus ante bellum, & ante fabricam turris. Lucæ 14. 28.
19. Parabola ouis centeſimæ perditæ, quam paſtor relictis 99. requiſiuit. Lucæ 15.v.4.
20. Parabola mulieris quærentis drachmam perditam, eâque inuentâ, ſibi ſuiſque congratulantis. Lucæ 15.8.
21. Parabola filij prodigi. Lucæ 15.11.
22. Parabola de villico iniquo, faciente ſibi amicos de mammona iniquitatis, vt officio priuatus, ab eis reciperetur. Lucæ 16.1.
23. Parabola diuitis epulonis & Lazari mendici. ibid. verſ. 19.
24. Parabola iniqui iudicis & viduæ. Luc. 18.2.
25. Parabola Phariſæi & Publicani. Lucæ 18. verſ. 9.
26. Parabola de operarijs in vineam conductis hora 1.3.6.9.& 11. vbi in mercede nouiſſimi fiunt primi, & primi nouiſſimi. Matth. 20. 1.
27. Parabola de decem minis in ſeruos ad negotiandum diſtributis. Lucæ 19.v.13.
28. Parabola duorum filiorum, vnius pœnitentis & patri obedientis, alterius fingentis ſe obedire. Matth. 21.28.
29. Parabola locatæ vineæ, cuius conductores occiderunt heri ſeruos, & filium. Ibidem verſ. 33.
30. Parabola inuitantis ad nuptias filij, vbi inuitati neglexerunt venire, ſed abierunt alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam: vnde herus inuitauit omnes obuios, & ingreſſus in conuiuium, eiecit eum qui carebat veſte nuptiali. Matth. 22.1.
31. Parabola de decem virginibus, quinque prudentibus, quæ acceperunt oleum in vaſis cum lampadibus; & quinque fatuis, quæ oleum accipere neglexerunt. Matth. 25.1.
32. Parabola de talentis in ſeruos diſtributis, cùm vni dedit quinque, alteri duo, tertio vnum. Ibid. verſ. 14.

## ADAGIA, GNOMÆ, ET EMBLEMATA Euangelica.

1. VOs eſtis ſal terræ: Quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.
2. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.
3. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Matth. 5.13.
4. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Matth. 6.21.
5. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Matth. 24.
6. Sufficit diei malitia ſua. ibid. v. 34.
7. In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Matth. 7.2.
8. Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? ibid. v. 3.
9. Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos. ibid. v. 6.
10. Quis eſt ex vobis homo quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?
Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei?
Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, quantò magis Pater veſter qui in cælis eſt dabit bona petentibus ſe?
11. Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. ibid. v. 9.
12. Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus.
13. Euntes autem diſcite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Matth. 9.v.13.
14. Numquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus? venient autem dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.
15. Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit.
16. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt; ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. Matth. 9. verſ. 15.
17. Secundùm fidem veſtram fiat vobis. Matth. 9.29.
18. Meſſis multa, operarij autem pauci. ibid. v. 38.
19. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum. Matth. 10.24.
20. Nihil eſt opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non ſcietur.
21. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Matth. 10.26.
22. Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta: qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.
23. A diebus autem Ioannis Baptiſtæ vſq; nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.
24. Omnes enim Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetarunt.
25. Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt.
26. Qui habet aures audiendi, audiat. Matth. 11.v.11.
27. Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. ibid. v. 19.
28. Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.
29. Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. ibid. verſ. 26.
30. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Matth. 11.30.
31. Omne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur. Matthæi 12.25.
32. Qui non eſt mecum, contra me eſt. ibid. v. 30.
33. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. ibid. v. 50.
34. Omnis Scriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera. Matth. 13.52.





35. Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua. ibid. verſ. 57.
36. Modicæ fidei quare dubitaſti? Matth. 14.31.
37. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.
38. At illa dixit: etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Matth. 15.26.
39. Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod exit de ore, hoc coinquinat hominẽ. Matth. 15. verſ. 11.
40. Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cælum.
Et mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum.
Faciem ergo cæli dijudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? Matth. 16.2.
41. Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16.26.
42. Amen dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granũ ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. Matth. 17.19.
43. Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum. Matth. 18.v.4.
44. Domus mea domus orationis vocabitur: vos autẽ feciſtis illam ſpeluncam latronum. Matth. 21.13.
45. Scribis petentibus, an liceat tributum dare Cæſari, reſponder Chriſtus: Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium.
Et ait illis Ieſus: cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris.
Tunc ait illis: Reddite ergò quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Matth. 22.19.
46. Super cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.
Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt. Matth. 23.2.
47. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Matth. 23.32.
48. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque ad Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.
49. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet. Matth. 12.20.
50. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. ibid. v. 35.
51. Vigilate, quia neſcitis quâ horâ Dominus venturus ſit. Matth. 24.42.
52. Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Matth. 25.40.
53. Pater mi, ſi non poteſt calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Matth. 26.42.
54. Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum, itaq; Dominus eſt filius hominis, etiam Sabbati. Marci 2.28.
55. Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth. 4.4.
56. Angelis ſuis mãdauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. ibid.
57. Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Lucæ 9.62.
58. Dignus eſt operarius mercede ſua. Lucæ 10.
59. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.
At ille dixit: Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Lucæ 11.27.
60. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Lucæ 16.9.
61. Qui fidelis eſt in minimo, & in maiori fidelis eſt: & qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus eſt.
Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis; quod verum eſt, quis credet vobis?
Et ſi in alieno fideles non fuiſtis; quod veſtrum eſt quis dabit vobis? Lucæ 16.10.
62. Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.
63. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare. Lucæ 16.25.
64. Vidit quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo;
Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquàm omnes miſit.
Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deeſt illi omnem victum ſuum, quem habuit, miſit. Lucæ 21.2.
65. Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Lucæ 24.26.
66. Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ioan. 12.24.
67. Si ergo laui pedes veſtros, Dominus & Magiſter; & vos debetis alter alterius lauare pedes.
68. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ioan. 13.14.
69. Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Ioan. 20.29.

## ÆNIGMATA EVANGELICA.

1. IPſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni.
2. Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth. 3.12.
3. Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnã: & ſedentibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Matth. 4.16.
4. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.
5. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt? Matth. 6.22.
6. Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Matth. 8. 22.
7. Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.
Tunc dicit: Reuertar in domũ meam, vnde exiui; & veniens, inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam & ornatam.
Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus, ſic erit & generationi huic peſſimæ. Matth. 12.43.
8. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus

*eſt in caput anguli, &c. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Matth. 21. 42.

9. *Qui habet dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.* Marc. 4. 25.

10. *Videbo homines velut arbores ambulantes.* Marc. 7.

11. *Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.*

12. *Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.* Marci 9. 48.

13. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Lucæ 3. 8.

14. *Dicite vulpi illi* (Herodi) *Ecce eijcio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertio die conſummor.* Luc. 13. 32.

15. *Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.* Matth. 20. 30.

16. *Nunc qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & perã: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Luc. 22. 36.

17. *Modicum, & iam non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Ioan. 16. 16.

18. *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Matth. 24. 28.

19. *Et cùm venerit ille* (Paracletus) *arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio.*
*De peccato quidem: quia non crediderunt in me.*
*De iuſtitia verò: quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.*
*De iudicio autem: quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* Ioan. 16. 8.

20. *Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Ioan. 20. 17.

21. *Cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Ioan. 21. 18.

22. *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* ibid. v. 22.

23. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Matth. 23. 24.

24. *Væ vobis Scribæ, &c. quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intùs autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ.* ibid.

ARGV-



# ARGVMENTVM IN S. MATTHÆVM.

## SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM ſecundùm Matthæum.

INSCRIBITVR hic liber tam in Latinis, quàm Græcis & Syris exemplaribus: *Sanctum Ieſu Chriſti Euangelium ſecundùm Matthæum.* q.d. Hic eſt liber continens optimum & lętiſſimum Nuntium aduentus Chriſti, ſiue Meſſiæ Patriarchis promiſſi, putà Incarnationis, Natiuitatis, vitæ, prædicationis, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Chriſti ac redemptionis, ſalutis, gratię & glorię ab eo partę, & toti orbi allatę, cuius ſcriptor fuit S. Matthęus, dictator Spiritus ſanctus. Syrus interpres hunc pręfigit titulum: *In virtute Domini Deiq; noſtri Ieſcua Chriſti, incipimus ſcribere librum ſacroſancti Euangelij primumq; Euangelium Matthæi præconium,* hoc eſt, quod Matthæus præconizauit, ſiue pręd icauit. Vnde illud ſic finit: *Sancti Euangelij præconij Matthæi, quod prædicauit Hebraicè in terra Palæſtinæ, finis.* Arabicus: *Euangelium Ieſu Chriſti ſicut ſcripſit Mar* (id eſt Dominus) *Matthæus, vnus ex duodecim diſcipulis eius.* Nunc ſingula verba preſſiùs expẽdamus.

*Euangelium ſanctum: cur?* SANCTVM] Euangelium eſt, & dicitur *ſanctum*, quia omnia, quę continet, ſancta ſunt per eminentiam, ſcilicet ſancta eſt Chriſti natiuitas ex Spiritu ſancto, ſancta doctrina, ſancta opera, ſancta miracula, ſancta paſſio, ſancta reſurrectio, aſcenſio, miſſio Spiritus ſancti. Alludit ad illud Daniel. 9. 24. vbi dicitur conſummandas eſſe 70. annorum hebdomades vſque ad Chriſtum, *vt vngatur Sanctus Sanctorum.* q.d. hoc libro & Euangelio oſtenditur impleta eſſe prophetia Danielis de Chriſto venturo, qui eſt ſanctus ſanctorum, ideoque ſicut olim Iacobo Patriarchę, ſic & nunc aſſeclis ſuis Chriſtianis dabit *ſcientiam Sanctorum*; finis enim eius eſt ſanctificatio noſtra, vt *ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.* Luc. 1. 75. Porrò quanta & quàm admirabilis ſit ſanctitas, & perfectio Euangelij pręlege naturę & Moſaica, liquet ex cęleſtibus pręceptis & conſilijs, quę ſancit Chriſtus Matth. cap. 5. verſ. 6. & 7. atque ex vitis Sanctorum noui Teſtamenti: in ijs enim videre eſt, quantus fuerit zelus ſancti Pauli & Apoſtolorum; quàm cæleſtis vita & contemplatio anachoretarum & religioſorum; quàm inſuperabilis fortitudo martyrum; quàm angelica puritas Virginum; quàm heroici labores SS. Confeſſorum, Epiſcoporum, Pontificum, &c.

*Ieſus nomẽ proprium.* IESV CHRISTI] Ieſus eſt proprium nomen Verbi incarnati, putà huius hominis Verbo hy-

A poſtaticè vniti, ſicut meum nomen proprium eſt Cornelius, alterius Petrus, Paulus, Iacobus, &c. Dicitur *Ieſus* Heb. יְהוֹשֻׁעַ *Iehoſcua & cõtractè,* יֵשׁוּעַ *Ieſcua*, id eſt, ſaluator, quia, vt prædixit Gabriel Archangelus: *Ipſe populum ſuum ſaluum faciet à peccatis eorum.* Matth. 1. 21. Lucæ 1. 31.

*Chriſtus verò nomen officij & dignitatis,* *Chriſtus nomen officij.* Ieſus enim Hebraicè cognominatur מָשִׁיחַ *Meſſias*: Græcè χριστός: Latinè *vnctus*, quia à Deo Patre vnctus & conſecratus eſt in ſummum orbis Pontificem, Regem, Legiſlatorem, Prophetam & Doctorem.

*Euangeliũ eſt lætum nuntium.* EVANGELIVM] id eſt, bonum nuntium: ἀγγέλλω enim eſt *nuntio*, vnde ἄγγελος eſt nuntius, εὐαγγέλλω eſt bona nuntio, εὐάγγελος & εὐαγγελιστὴς eſt *bonus Angelus*, ſiue *lætus nuntius*, εὐαγγέλιον eſt *iucundum lætumq; nuntium.* Ita S. Chryſoſt. hîc, vide Budæum in Pandectas, vbi addit

B Euangelium per metonymiam ſignificare donarium, vel ſacrificium exhibitum pro felici nuntio. Vnde Cicero ad Atticum: *O ſuaues,* ait, *tuas Epiſtolas, quibus Euangelia deberi fateor: Euangelia*, id eſt, præmia læti nuntij: Euangelium Hebr. dicitur בְּשׂוֹרָה *beſora* à בָּשָׂר *baſar*, id eſt *caro*; quaſi *beſora*, ſit lætiſſimum incarnationis Verbi nuntium de ſalute & felicitate æterna, quod Chriſtus Dominus quaſi magni conſilij Angelus hominibus attulit. Hîc verò Euangelium metonymicè ſumitur pro libro vel ſcriptura, quæ hoc nuntium hiſtoricè enarrat.

*Vox Secũdum quid ſignificet hic* SECVNDVM MATTHÆVM] Vox ſecundùm notat *Primò.* Primò, primum & primarium Euangelij huius auctorem eſſe Spiritum ſanctum, ſecundarium verò S. Matthæum: fuit enim ipſe quaſi organum, inſtrumentum & calamus Spiritus

C ſancti ſcribens ea, quæ Spiritus ſanctus dictabat, iuxta illud: *Lingua mea calamus Scribæ velociter ſcribentis* pſal. 44.

*Secundò.* Secundò, notat vnum idemque eſſe Euangelium, ſed diuerſimodè & quadrupliciter à quatuor Euangeliſtis conſcriptum. Igitur τὸ *ſecundum* indicat Euangelium ſancti Matthæi non eſſe aliud ab Euangelio S. Lucæ, Marci & Ioannis, nec aliam afferre hiſtoriam vel doctrinam, ſed tantùm alium fuiſſe ſcriptorem, aliumque ſcribendi modum. Vnum enim eſt Euangelium, ſed à quatuor Euangeliſtis quadruplici modo, ordine, & ſtylo conſcriptum.

*Tertiò.* Tertiò, notat Spiritum ſanctum ſe naturæ & ingenio S. Matthæi attemperaſſe: illuminabat enim, excitabat & dirigebat eum Spiritus ſan-



 ctus,

ſanctus, vt ea, quæ partim viderat, vel ab Apoſtolis audierat, partim quæ Deus ei reuelabat, ſcriberet illâ methodo, ordine, ſententiâ, conceptu & phraſi, quæ ſancti Matthæi genio & ingenio congruebat. Non enim opus erat noua reuelatione Dei in his, quæ S. Matthæus iam ſciebat, quia ea viderat vel audierat, ſed tantùm aſſiſtentiâ, excitatione & directione Spiritus S. ne ex obliuione aut lapſu mentis, ſimiliúe fragilitate humana, vel in puncto à veritate aberraret, neúe aliâ vel aliter ſcriberet, quàm Spiritus S. volebat. Hinc S. Lucas initio Euangelij ait, ſe ſcribere ea, quæ ab Apoſtolis audierat. Hinc rurſum alius eſt ſtylus, alia phraſis, alia methodus S. Lucæ, alia S. Matthæi, alia S. Marci, alia S. Ioannis, ſicut cuiq; ſuus eſt dicendi ſcribendique genius.

Putant nonnulli hunc titulum ſuo Euangelio eſſe prefixum à S. Matthæo, æquè ac ſuo à S. Marco, Luca, & Ioanne. Sic enim Prophetæ ſuis prophetijs nomen ſuum prefixerunt, vt *viſio Iſaiæ; viſio Abdiæ; verba Ieremiæ, &c.*

*Titulus hic præfixus eſt ab Eccleſia.*

Verùm longè verius eſt, titulum cuiq; Euangelio eſſe prefixum non ab ipſis Euangeliſtis, ſed ab Eccleſia; id enim indicat ſimilitudo inſcriptionis: Eadem enim eſt inſcriptio, ſiue titulus cuiuſque Euangelij, mutato dumtaxat nomine Euangeliſtæ, qui illud conſcripſit. Idem clariùs indicat inſcriptio tituli Syriaca, quę ſic habet: *In virtute Domini Deiq; noſtri Ieſchua Chriſti, incipimus ſcribere librum ſacroſancti Euangelij, primumq; Euangelium, Matai* (Matthęi) *præconium.* Sic & Arabica initio citata. Atque hinc collige irrefragabile argumentum pro auctoritate traditionum, ſcilicet non ſufficere ſanctam Scripturam Eccleſiæ ad veram fidem, moreſque adſtruendos, ſed inſuper opus eſſe traditionibus Apoſtolicis: quare eas perperam negari ab Hæreticis. Dic enim ſodes, vnde ſcis Euangelium hoc eſſe S. Matthæi, eſſeque Canonicam Scripturam potiùs quàm Euangelia Thomæ, Barnabæ, duodecim Apoſtolorum, quæ olim circumferebantur, niſi ex traditione, ſenſu, conſenſu Eccleſiæ? Multi enim libri falſos habent titulos, falſoque alijs auctoribus inſcribuntur, vt patet in operibus S. Auguſtini, S. Hieronymi, S. Cypriani, S. Proſperi, & ceterorum Patrum. Sic enim nonnulla Euangelia ab Hæreticis conficta inſcribebantur nomine ſancti Bartholomæi, S. Thomæ, S. Barnabæ, &c. qui potuêre eadem arte & fraude falſa aſcribere S. Matthæo, vti de facto fecêre Gnoſtici, qui Euangelium ſancti Matthæi ſuis additionibus immutarunt & vitiarunt. Vt ergo ſciamus librum verè adſcribi ſancto Matthæo, ac magis vt ſciamus illum totum eſſe Euangelium à Spiritu ſancto dictatum, accedat oportet declaratio & definitio Eccleſiæ, qua hunc librum à Pſeudepigraphis ſecernat, & Canonicum eſſe decernat. Vnde ſapienter ſanctus Auguſtinus lib. contra Epiſtolam Manichæi, quam vocant fundamenti, cap. 4. *Euangelio,* ait, *non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoueret auctoritas.* Non quòd dignior aut maior ſit Eccleſiæ auctoritas, quàm S. Scripturæ, cùm hæc ſit verbum & oraculum Dei ipſius, ſed quòd Eccleſiæ ſit veram ſanctam Scripturam à falſa & ſuppoſititia ſegregare & indicare, eiuſque genuinam mentem & ſenſa explanare. *Cùm ergo dicimus,* ait quidam grauis auctor, *Euangeliſtas & ceteros ſcriptores ſacros eo modo, quo dictum eſt, ab Eccleſia Catholica auctoritatem habere, nullus offendi merito debet, quaſi Deo Eccleſiam anteponamus. Sic enim dicimus Eccleſiam Scripturis auctoritatem dare, quòd eas à Deo datas eſſe declaret; & ab ipſo dictatas eſſe confirmet. An Domino ſeruum præponunt, qui vulgò dicunt litteras regias à Nomophylace, qui ſigillum adhibuit, auctoritatem habere? Eccleſia profectò Dei ſigillum habet illum ipſum Spiritum, qui Eccleſiæ promiſſus & datus eſt, vt cum illa maneret in æternum, quiq; ſuam manum ſcripturamq; recognoſcit. Hic eſt, qui quatuor hæc Euangelia primùm dictauit: deinde nobis eadem à ſe dictata fuiſſe per Eccleſiam declarauit.*

*Matthæus primus ſcripſit Euangelium.*

Matthævm] Sanctus Matthæus à telonio vocatus à Chriſto ad Apoſtolatũ Matthęi 9. primus omnium ſcripſit Euangelium. Vnde hoc ei elogium dat beatus Petrus Damiani ſerm. de ſancto Matthęo: *Inter omnes planè ſanctos, qui cæleſti gloriæ de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt B. Matthæus mihi videtur inſignis atque conſpicuus, & quemdam inter eos dignitatis obtinere primatum, atque, vt clariùs dicam, nemo poſt Chriſtum eſt, cui magis debeat ſancta vniuerſalis Eccleſia: Nam quòd mundus viuit, hæc eſt cauſa, quia lux nobis Euangelica corruſcauit.* Quia, vt idem ſubdit: *tamquam dux vexillum ſequẽtibus prætulit; ſuoq; exemplo, vt ſcriberent, incitauit.* Græcè eum ſcripſiſſe cenſent Caietanus & Anabaptiſtæ hîc, eò quòd nomina Hebraica Græcè interpretetur, vt *Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcũ Deus.* Matth. 1. 23. Et *Eli, Eli lammaſabactani, hoc eſt Deus meus; Deus meus vt quid dereliquiſti me.* Matth. 27. 46. Verùm hæ interpretationes adiectæ ſunt ab interprete Græco. Quocirca S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Euſebius, cęterique omnes vno ore aſſerunt S. Matthæum ſcripſiſſe Hebraicè, vtpote rogatum à Iudæis, vt abiturus ad Gentes, quæ prædicauerat ore, eis ſcripto relinqueret, vti aſſerit ſanctus Chryſoſtomus hîc hom. 1. & ex eo Euthymius, & S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Matthæo, & Euſebius lib. 3. Hiſtor. c. 18. Addit Auctor imperfecti in proœmio: *Matthæum,* inquit, *conſcribere Euangelium cauſa compulit talis: cùm facta fuiſſet in Palæſtina perſecutio grauis, vt periclitarentur diſpergi omnes, vt carentes fortè doctoribus fidei, non carerent doctrinâ, rogarunt Matthæum, vt omnium verborum & operũ Chriſti conſcriberet eis hiſtoriam, vt vbicumque eſſent futuri, totius ſecum haberent fidei ſtatum.* S. Bartholomæus ad Indos profecturus, Euangelium ſancti Matthæi deſcriptum ſecum detulit, teſte Euſebio libr. 5. Hiſtor. cap. 10. & ſancto Hieronymo de Script. Eccleſ. in Pantæno: ac S. Barnabas illud idem ſuâ manu exaratum aſportauit in Cyprũ, vti initio dixi. Quin & S. Hieronymus loco iam citato in Matthæo aſſerit, ſe eius Euangelium Hebraicè conſcriptum vidiſſe Cæſareæ in Bibliotheca S. Pamphyli martyris, indeque illud ſe deſcripſiſſe. Iam tamen Hebræus S. Matthæi textus intercidit. Nam quod nobis obtruſit Sebaſtianus Munſterus excucullatus Apoſtata, quaſi à Iudæis acceptum, viris probis & doctis, vel ex auctore Hęretico & traditoribus Iudæis, de falſitate ſuſpectum eſt, & in ſe ſpurium olet. Verbotenus enim textum Gręcum conſectatur, & nimis pueriliter Hebraiſmos imitatur, & affectat. Adde: plures habet voces & phraſes non Hebręas, ſed exoticas & Rabbinicas; imò ſolœciſmos & barbariſmos. Denique de eius

*Hebraicè.*





parum fidâ tranſlatione variæ extant doctorum querelæ, ait noſter Gretſerus.

Scripſit S. Matthæus Euangelium Hebraicè, præcipientibus Apoſtolis, ait S. Epiphanius hęreſi 51. eodem anno quo Apoſtoli conſilium inierunt de diſperſione & profectione ad Gentes, qui fuit annus à natiuitate Chriſti 37. ab eiuſdem paſſione quartus, vti oſtendi in Chronotaxi, quam Actis Apoſtolorum prefixi. Minùs ergo veriſimile eſt quod cenſet Baronius, Matthæum ſcripſiſſe anno Chriſti 41. Minùs adhuc probabile eſt quod cenſet S. Irenæus lib. 3. cap. 1. Euangelium hoc ſcriptum eo tempore, quo SS. Petrus & Paulus Romæ prædicabant. S. Petrus enim non venit Romam ante annum ſecundum Claudij Imperatoris, Paulus non ante annum tertium Neronis. Vnde ſequeretur, quòd decimo octauo vel vigeſimo ab aſcenſu Chriſti in cælum anno ſcripſiſſet S. Matthæus, quod liquet eſſe falſum.

*Euangeliũ Matthæi conuerſum in Græcum. A quo?*

Porrò Euangelium Hebraicè ſcriptum à S. Matthęo illicò conuerſum eſt in linguam Grecã, vtpote tunc apud Gentes quas Apoſtoli adituri erant, celeberrimam & latiſſimè patentem, idque vel ab ipſomet S. Matthæo, vel à S. Ioanne, Iacobo, aut ſimili. Vnde S. Athanaſius in Synopſi S. Scripturæ: *Matthæi Euangelium,* inquit, *Hebraica dialecto conſcriptum eſt à Matthæo, editum Hieroſolymis, & interpretante Iacobo fratre Domini expoſitum.* Theophylactus verò Præfat. in Matth. *Ioannes,* inquit, *hoc ex Hebraica lingua in Græcam, vt ferunt, interpretatus eſt.* Sunt qui opinantur, Barnabam Apoſtolum Matthæi Euangelium ex Hebræo in Græcum tranſtuliſſe, inter quos eſt Sixtus Senenſis; Anaſtaſius verò Sinaïta Antioch. lib. 8. Hexameron dicit, Lucam & Paulum reddidiſſe idem Euangelium Græcè. Hinc textus Syriacus Euangelij S. Matthæi non ex Hebræo, ſed ex Græco traductus eſt, vt patet vtrumque conferenti. Hinc & S. Hieronymus iuſſu S. Damaſi corrigens quatuor Euangelia, ac inter illa Euangelium S. Matthæi, illa correxit iuxta textum Græcum, non Hebræum, atque illa Græcæ fidei reddidit, vt ipſe ait præfat. in Euang. ad Damaſum, vbi aduerte S. Hieronymum iuſſu Damaſi vertiſſe vetus Teſtamentum ex Hebræo in Latinum, nouum verò non vertiſſe, ſed correxiſſe ad Græcum autographum. Quare interpres noui Teſtamenti non fuit S. Hieronymus, ſed alius eo antiquior, minùs tamen Latinus, vt patet illud decurrenti. Vnde non mirum, ſi ſubinde aliter quàm ille, vertat hîc S. Hieronymus in Comment.

*Syrus ex Græco traductus.*

*S. Hieronymus Euangelium, non vertit, ſed correxit.*

Quocirca textus Latinus Euangelij S. Matthæi, æquè ac S. Marci, in vulgata editione non ex Hebræo, ſed ex Græco traductus videtur, vti deſertè aſſerit Bellarminus lib. de Scriptor. Eccleſ. in Matth. & Franc. Lucas præfat. in Marcum, idque conferenti textum Græcum cum Latino clarè apparebit, ſcilicet hunc ex illo eſſe expreſſum. Adi eumdem Bellarminum lib. 2. de Verbo Dei c. 7. Porrò Anaſtaſius loco citato exiſtimat, ab Apoſtolo Iacobo Matthæi Euangelium in Græcam linguam eſſe tranſlatum; alij verò Ioanni Apoſtolo, & alij ipſi Matthæo eam tranſlationem tribuunt. Sed cuiuſcumque ſit, ita recepta eſt illa tranſlatio, ac ſi eâ linguâ primum ſcriptum fuiſſet Euangelium Matthæi. Quocirca non multum egemus Euangelio Hebraico quod Munſterus edidit, nec illo etiam, quod nuper edi curauit Ioan. Tilius, in quo multa deſunt, multa ſuperuacanea ſunt, non pauca etiam immutata cernuntur, & Deus nouit vtrùm id factum non ſit ad detrahendam fidem Græcæ & Latinæ editioni, aſtutiâ videlicet Iudæorum, ex quorum promptuarijs Euangelium illud prodijt. Porrò S. Matthæus cùm ſcripſerit Hebraicè, in citandis ſententijs ex veteri Teſtamento ſecutus videtur Hebraicam veritatẽ, ait S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Matthæo; ſed interpres Græcus eius loco in Græca ſua tranſlatione ſubſtituit verſionem Grecam Septuag. Interpretum, vtpote Gentibus notiorem.

An S. Matthæus ſcripſerit Hebræâ dialecto purâ, quali ſcripſerunt Moyſes & Prophetæ; an verò in captiuitate Babylonica per Chaldæos corruptâ, purâ Syriacâ, non conſtat. Certè Iudæi tempore Chriſti loquebantur Syriacè, non purè Hebraicè: quare Syriaca tunc eis erat vernacula vnde Albertus Widmanſtadius, qui primus nouum Teſtamentum Syriacè edidit, & Guido Fabritius, qui illud in Latinum conuertit, putant Syram verſionem eſſe autographum S. Matthæi. Sic & Matthæus Gallenus Cancellarius Duacenſis præfat. in Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos contendit, Syrum textum illius Epiſtolæ, qui extat in Biblijs Regijs, eſſe ipſum S. Pauli autographum. Verùm hoc parum eſt veriſimile. Conſtat enim cetera in nouo Teſtamento ex Græco conuerſa eſſe in Syrum, idemque omnino videtur horum & illorum fuiſſe interpres. Idem liquet ex eo, quòd Hebræa, quæ citantur in Gręco autographo, diſcrepent à Syris vocibus, quæ in Syra verſione S. Matthæi nunc extant. Nam Matth. 27. 8. pro Hebręo *haceldama,* id eſt, ager ſanguinis, Syrus iam habet *agureſca dema* vbi maniſeſtè græcizat, dum ex ἀγρός, id eſt, *ager,* format *agureſca.* Sic pro Hebræo *Cephas,* habet *Kipho;* pro *Eli, Eli,* vertit *Il Il,* id eſt, *Deus Deus,* ſine *meus,* quod eſt in *Eli.* Matth. 27. 46. pro *Golgota, Golgoulto,* pro *Iaacob, Iaacoub,* pro *Ioſeph, Iauſeph,* & ſic conſequenter in ceteris diſcrepat à vocibus Hebraicis, quæ extant in Græco & Latino, quin & ipſas voces Grecas facit Syras, vt ex βουλευτής, id eſt, conſiliarius format *buleuta.* Marci 15. 43. & plura talia.

*Syrum non eſſe autographum S. Matthæi.*

Syri putant interpretem, qui nouum Teſtamentum ex Gręco in Syrum vertit, fuiſſe S. Marcum Euangeliſtam. Verùm id difficile eſt creditu. Nam vterque Cyrillus, Clemens, Alexandrinus, S. Anaſtaſius, Damaſcenus, Theodoretus, S. Ephrem & alij, qui in Syria, vel vicina Ægypto vixerunt & ſcripſerunt, illius non meminerunt. Adde quòd quædam habeat, quæ doctis vel diſplicent, vel parum placent. Videtur ergo interpres Syrus Patrum iam citatorum ætate poſterior. Hoc tamen boni habet, quòd faueat Catholicis contra Hęreticos: ſæpè enim in titulis meminit ieiuniorum, vigiliarum, feſtorum, inuocationis ſanctorum, &c.

*An Syriacæ verſionis Auctor S. Marcus?*

Iam quoad libri partitionem. Euangelium S. Matthæi à varijs variè fuit diuiſum & interpunctum; nam à vetuſtioribus Latinis ſecundùm S. Hilarij ſectionem diuiditur in Canones 33. & ſecundùm aliorum partitionem in Canones 67. apud recentiores verò Latinos in 28.

capita, apud Græcos autem iuxta Euthymium, in capita 68. iuxta Suidam, in titulos 68. capita 355. Ammonius ſimiliter & Euſebius in capita 355. illud partiuntur.

*S. Matthæus Euãgeliſtis præcellit.* *Primò.* Denique S. Matthæus ceteris Euangeliſtis in hiſce præcellit; Primò, quia omnium primus Euangelium edidit; hinc plenè cuncta & inſtanter exequitur, ait S. Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. Vnde Tertullianus lib. de Carne Chriſti, cap. 22. eum nuncupat fideliſſimum Euangelij commentatorem.

*Secundò.* Secundò, quòd regiam Chriſti dignitatem præ ceteris explicet. Ita S. Auguſtinus, Beda, Petrus Damiani, Rupert. & alij.

*Tertiò.* Tertiò, quòd diuinâ reuelatione ſit inuentum Euangelium eius Hebræum ſub Zenone Imperatore ad pectus S. Barnabæ: Rurſum deinde illud iniuriâ temporum intercidit. Vnde Nicolaus V. Pontifex quinque ducatorum millia Euangelium Matthæi Hebraicum ad ſe afferenti promiſit, vt ſcribit Ioannes Eckius Lutheromaſtrix homil. de S. Matthæo.

*Quartò.* Quartò, quòd S. Matthæus fuerit *Æthiopiæ Apoſtolus, & virginitatis victima:* occiſus enim eſt ab Hirtaco rege, eò quòd Iphigeniam regis filiam, quæ virginitatem Deo vouerat, ipſi in vxorem dari nollet.

*Quintò.* Quintò, quòd S. Matthæus valdè vſu rerum & experientiâ excellens (vnde & telonio præfectus fuit) ait S. Chryſoſtomus, ad Chriſtum conuerſus ſit, non ex viſis eius miraculis, non ex audita prædicatione, ſed vnicâ eius voce: *Sequere me,* huic enim promptiſſimè obediens, repentè in alium virum, imò Apoſtolum mutatus eſt, vt relicto telonio, opibus, familiâ, &c. Chriſtum ſecutus ſit, eiuſq; mores induerit. Adde eum deinde numquam à Chriſto diſceſſiſſe, teſtemq; ac ſpectatorem ſignorum eius & miraculorum, vitæ etiam imitatorem, itineris ſocium, atque labo- A rum, curarum & angorum fuiſſe participem: vt qui toto tempore diſpenſationis cum eo ſit verſatus, & in numerum relatus ſummorum diſcipulorum, & ſimul procedentem tempore habens virtutem.

*Matthæi etymon.* Hinc Matthæus Hebraicè idem eſt, quòd *donatus*, aiunt Origenes & Iſidorus lib. 7. Etymol. cap. 9. aut *donum*, vt vult Pagninus מַתָּן *matthan* enim eſt donum, licèt aliud etymon (vnde petitum ſit, neſcio) det Anaſtaſius Antiochenus l. 8. Hexaméron: *Matthæus,* inquit, *interpretatur mandatum altiſſimi.* Quocirca S. Greg. 18. moral. c. 16. ad illud Iob. 28. *Ferrum de terra tollitur. An non Mattheus,* inquit, *in terra inuentus eſt, qui terrenis negotijs implicatus telonij vſibus ſeruiebat? ſed de terra ſublatus in fortitudinem ferri conualuit, cuius videlicet linguâ quaſi acutiſſimo gladio, Euangelij adminiſtratione Dominus infidelium corda transfixit: & qui infirmus priùs deſpectuſq; fuerat per terrena negotia, fortis poſtmodum factus eſt ad cæleſtia prædicamenta.* Scripſit de eodem Euangeliſta Clemens Alexandrinus B Pædagog. l. 2. c. 1. quòd ſeminibus, baccis & oleribus, non carnibus veſci ſoleret.

Omitto quòd Abdias lib. 3. Hiſtor. Apoſtol. ſcripſit S. Matthæum ob Euangelium, quod Myrmidonibus prædicabat, ab idololatris fuiſſe excæcatum, ſed à S. Andrea Apoſtolo, iuſſu Angeli, ipſi viſum fuiſſe reſtitutum. Item S. Matthæum duos magos Zaroen & Arphaxat ope diuina ſuperaſſe, aliaq; plura: quia Abdias hic apocryphus eſt. Plura de S. Matthæo vide apud Surium, Baronium, Ribadeneiram, & Ioannem de la Haye in Apparatu Euangel. c. 45. & ſeq. Denique audi quid S. Matthæus de ſeipſo reuelarit S. Birgittæ oranti ad ſepulchrum eius in vrbe Malphi, lib. 1. Reuelat. c. 129. *Cùm illud* (Euangelium) *ſcriberem, tantus diuinæ inflammationis ardor perſeuerabat mecum, quòd ſi tacere voluiſſem, nullatenus præ ardore intenſo potuiſſem.*

CAPVT



# CAPVT PRIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Deſcribitur genealogia Chriſti ab Abraham vſque ad ipſum. Inde v. 18. eiuſdem Conceptio ex Spiritu ſancto, ac Natiuitas ex Virgine Deipara.*

1. LIBER Generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. 2.
Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem
genuit Iudam & fratres eius. 3. Iudas autem genuit Phares &
Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron. Eſron autem
genuit Aram. 4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab
autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. 5. Sal-
mon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed au-
tem genuit Ieſſe. 6. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit
Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ. 7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam
autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa. 8. Aſa autem genuit Ioſaphat. Io-
ſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. 9. Ozias autem genuit
Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. 10. Eze-
chias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit
Ioſiam. 11. Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Ba-
bylonis. 12. Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Sa-
lathiel autem genuit Zorobabel. 13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud au-
tem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. 14. Azor autem genuit Sadoc.
Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. 15. Eliud autem genuit
Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. 16. Iacob
autem genuit Ioſeph virum Mariæ: de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus.
17. Omnes itaque generationes ab Abraham vſq; ad Dauid, generationes quatuor-
decim, & à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis, generationes quatuorde-
cim, & à tranſmigratione Babylonis vſq; ad Chriſtum, generationes quatuordecim.
18. Chriſti autem generatio ſic erat. Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Io-
ſeph, antequàm conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. 19.
Ioſeph autem vir eius cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere: voluit occultè di-
mittere eam: 20. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in
ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam,
quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt: 21. Pariet autem filium; & vo-
cabis nomen eius IESVM, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eo-
rum. 22. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à Do-
mino per Prophetam dicentem: 23. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium:
& vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.
24. Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini: &
accepit coniugem ſuam. 25. Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum
primogenitum: & vocauit nomen eius Ieſum.

VERS. 1. LIBER GENERATIONIS.] Sic ad verbum habet textus Græcus, Latinus, Syriacus, Arabicus, Ægyptius, Perſicus: Æthiopicus verò habet: *Genealogia Ieſu Chriſti.* Porrò Matthæus imitatur Moyſen. Audi B. Petrum Damiani ſerm. de S. Matthæo: *Sicut Moyſes Prophetis, & omnibus, qui aliquid ſcripſerunt in veteri Teſtamento non abſurdè præponitur: ita Matthæus omnes iure præcellit, qui ſcripſiſſe reperiuntur in nouo; vt enim ille naſcentis mundi texit originem: ſic iſte tamquam* A *ſpiritalis cuiuſdam mundi orientem deſcripſit Eccleſiæ nouitatem, vnde, Spiritu ſancto calamum temperante, prouiſum eſt, vt vterque non diuerſum, ſed vnum idemq; ſuis libris præmitteret initiũ, dicens: Liber generationis:* Hæc Damian. Moyſes enim Geneſ. 5. c. 1. genealogiam & proſapiam Adæ protoplaſti, & poſterorum ita orditur: *Hic liber generationis Adam.* Adam enim fuit typus Chriſti. Sicut enim Adam omnibus hominibus fuit pater vitæ mortalis; ſic Chriſtus fidelibus eſt pater vitæ immortalis, vti docet Apoſtolus Roman. 5. verſ. 14. & ſeq. 1. Co-



rinth.

rinth.15.47. & ſeq. Hebr. eſt ספר תולדות *ſepher toledoth*, id eſt, liber, ſiue catalogus & enumeratio generationum Adæ. Nam Geneſ.5. plures, imò omnes generationes recēſentur, quibus ab Adam vſque ad Noë & diluuium propagata eſt ſtirps humana. Vnde veriſimile eſt S. Matthæum, qui alludit ad Moyſen, in Hebræo hìc pariter ſcripſiſſe *ſepher toledoth*, id eſt, *Liber generationum* in plurali. Septuag. tamen Geneſ. 3. verterunt βίβλος γενέσεως, id eſt, *Liber generationis*, in ſingulari, quia vna fuit generatio Adæ, quâ ipſe quaſi totius generis humani Patriarcha genuit Seth, quæ deinde à Seth & poſteris continuata & propagata fuit vſque ad Noë. Septuag. vtpote Grecos, ſecutus eſt hìc Grecus S. Matthei interpres, & qui ex Greco traductus eſt Latinus vulgatus, quia propriè hìc deſcribitur generatio & proſapia ſolius Chriſti, quę tamen per plures generationes patrum & auorum, ab Abraham deriuatur & continuatur vſque ad Chriſtum. Igitur ſicut Adam fuit mundi veteris, ſic Chriſtus eſt mundi noui & melioris origo. Vnde ab Iſaia c.9. verſ.6. vocatur *pater futuri ſæculi*. Hinc & ex Sybilla Cumana Virgil. Eclog.4. ita de eo cecinit:

*Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.*
*Magnus ab integro ſeculorum naſcitur ordo.*
*Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.*
*Iam noua progenies cælo demittitur alto.*

Nimirum vt ſubdit:

*Chara Dei ſoboles, magnum Iouis* (veriùs patris) *incrementum,*
*Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.*

Hæc enim de Chriſto à Sibylla eſſe dicta liquet, ſed Virgilius vel ignorans, vel adulans ea tranſtulit ad Pollionem Aſinij Pollionis, conſulis Romani filium.

*Liber vocatur catalogus.*

Nota τὸ *liber* hìc idem eſt quòd catalogus, ſiue enumeratio aut deſcriptio. Vnde Syrus vertit כתבא *ketobo*, id eſt, Scripturæ deſcriptio. Hoc enim propriè ſignificat hebr. ספר *ſepher*, cui reſpondet Græcum βίβλος, & Latinum Liber, à rad. ספר *ſaphar*, id eſt, enumerare, recenſere. Vnde nonnulla à *ſaphar* deriuant *ſiphra* vel *cifra*, id eſt, numerus & computus. Simili ſenſu liber repudij vocabatur charta, in qua repudium vxoris factum à marito deſcribebatur: ſic liber iuſtorum vocatur catalogus, in quo iuſtorum nomina & facta notabantur. Sic & liber vitæ eſt catalogus electorum, qui in mente Dei quaſi in libro conſcripti ſunt, & deſtinati ad vitam æternam. Sic Cicero librum nominum appellauit catalogum nominum. Sic denique dicitur pſalm.70.15. *Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini.* Litteraturam hebr. ספורות *ſephorot*, id eſt, libros, catalogos, computos. Vnde Septuag. vertunt γραμματείας, quod Noſter vertit *litteraturam*, pro quo nonnulli legunt, πραγματείας, id eſt, negotiationes. Senſus eſt, q.d. Dauid quoniam non cognoui literas ſæculares, computos putà, & negotia huius ſæculi, quæ mentem à Deo diſtrahunt, hinc accedam ad penetrandam, & celebrandam Dei potentiam, & beneficentiam erga me.

*Generatio quid? Reſp. Primò*

Nota ſecundò: τὸ *generationis*; Primò, & planiſſimè idem eſt quòd *generis* aut *genealogiæ* Chriſti: hæc enim hìc recenſetur. Hoc enim ſignificat hebr. *toledoth* & Syrum *ielidoutho*, cui reſpondet Græcum γένεσις. *Secundò.* Secundò, *generationis*, id eſt, conceptionis & natiuitatis Chriſti. Hoc ſenſu enim mox ſe explicabit v. 18. dicens: *Chriſti autem generatio ſic erat*, id eſt, hoc modo contigit.

*Tertiò.*

Tertiò, Maldonatus, *generationis*, inquit, id eſt, vitæ Chriſti. Mattheus enim hoc Euangelio totum vitæ Chriſti decurſum, quaſi hiſtoriam deſcribit. Sic Geneſ.6.9. dicitur Noë, *perfectus in generationibus ſuis*, id eſt, id omnibus partibus vitę ſuę. Verùm ibi pro *generationibus ſuis*, Hebr. non eſt *toledoth*, ſed בדורתיו *dorotau*, id eſt, in ſuis ſæculis. q.d. Noë inter homines ſuę ętatis & ſæculi corruptiſſimos, fuit iuſtus & perfectus, quare inter eos velut ſtella lucidiſſima emicuit.

*Quartò.*

Quartò, hebr. *toledoth* propriè ſignificat generationes, quæ plures ab Adam vſque ad Chriſtum interceſſerunt. Vnde in ijs toties repetitur τὸ *genuit*. Generationes haſce repræſentarunt gradus in ſcala Iocob, cui innitebatur Deus, per quos Angeli à terra in cælum aſcendebant. Sicut enim ſcala hæc quaſi iungebat terram cælo, & Iacobum Deo; ſic generationū hæc ſeries omnes Patriarchas vniuit Chriſto, qui caro factus, omnes homines ſibi, Deoq; copulauit. Vide dicta Geneſ.28.12.

FILII DAVID] *filij*, id eſt, nepotis. Hebręi enim omnes nepotes in recta generationis linea, ab auis & abauis deſcendentes, vocant filios. Dauidem præponit Abrahæ: tum quia Dauid erat proximior Chriſto, ac per eum Chriſtus ad Abraham pertingit: tum quia ſic breuiùs & commodiùs genealogiæ Chriſti, ſine repetitione ſeries texitur. Si enim præpoſuiſſet Abraham, non potuiſſet ſubiungere *filij Dauid*: Nec enim, Abraham fuit filius Dauid. Prolixè ergo dicere debuiſſet, qui Abraham fuit pater Dauid, ex quo prognatus eſt Chriſtus: voluit enim dicere Chriſtum deſcendere ex Abraham per Dauid. Ita S. Hieronymus. Tertiò, & maximè, quia promiſſio Dei facta Dauidi de Chriſto ex poſteris eius naſcituro, erat recentior, ſpecialior, & honorificentior, vti docet S. Chryſoſt. Theoph. & Euthym. Hinc Iudæi Meſſiam ſuum paſſim vocabant filium Dauid. Vnde in Dominica palmarum Chriſto ingredienti Hieroſolymam, quaſi Meſſiam acclamarunt: *Oſanna filio Dauid*, id eſt, ſalua Domine noſtrum Meſſiam, quaſi Dauidis filium & heredem.

*Chriſtus vocatur filius Dauidis cur?*

Denique nomine *filij Dauid*, innuitur nobilitas ſtirpis Meſſiæ, putà Chriſti, eiuſque regnum, quod ſcilicet ipſe velut Dauidis regis filius ſit futurus rex, iuxta illud Archangeli Gabrielis ad B. Virginem oraculum: *Hic erit magnus & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Lucæ 1.31. Hac de cauſa Prophetæ paſſim de Chriſto, quaſi de Dauidis filio & herede vaticinati ſunt, vt Iſaias cap.9.7. c.55.3. Ieremias c.25.5. Ezechiel c.34.23. & c.37.25. Amos c.9.11. &c. Porrò prima promiſſio facta Dauidi de Chriſto ex ſe naſcituro, & regnaturo in æternum extat 1. Reg. 7.12. eadem à Deo corroborata eſt, pſal.88. & 131. ac repetita Salomoni Dauidis filio 3. Reg.9.5. Mattheus ergo dicens; *Ieſu Chriſti filij Dauid* ſignificat, haſce omnes promiſſiones iam in Chriſto eſſe expletas. Ita S. Chryſoſtomus homil.2. Theoph. Euthym. & Iren. libr.8. c.8. S. Ambroſ. lib.3. in Lucam c.3. & alij.

FILII ABRAHAM] τὸ *filij* tam ad Chriſtum quàm ad Dauidem referas: Tam enim Dauid quàm



quàm Chriſtus fuit filius, id eſt, nepos Abrahæ, vtpote ex eo prognatus. Significat ergo Chriſtū per Dauidem patrem ſuum fuiſſe quoque filium, Abrahæ, qui fuit pater credentium & Eccleſiæ veteris, cui primò facta eſt expreſſa de Chriſto promiſſio, Geneſ. 22. 18. Porrò à natiuitate Abrahæ vſque ad diem natalem Chriſti fluxêre anni 2001. à morte verò Dauidis vſque ad Chriſtum fluxêre anni 1013. Tam antiqua fuêre Dei oracula & promiſſa de Chriſto, tam conſtans pariter & certa fuit eius fidelitas in ijs explendis. Atque hæc eſt cauſa, cur S. Matthæus ſtudioſè genealogiam Chriſti arceſſat ab Abraham, per continuos 42. generationes ſcilicet, vt Iudæis oſtendat Ieſum Chriſtum verum eſſe Meſſiam Abrahæ promiſſum, eiuſque & ceterorum Patriarcharum filium; ideò à Iudæis vt talem recipiendum, venerandum & colendum.

VERS. 2.

ABRAHAM GENVIT ISAAC] Hi duo, vti & ſequentes fuêre primi Patriarchæ, fundatores Synagogæ & populi Dei, ac regni Chriſti; illi ergo vt typi prælusêrę. Vide dicta in Geneſi, vbi haſce eorum genealogias explicui, quare hìc eas non repetam. Hinc Deus paſſim ſe vocat Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, de eoq; gloriatur. Vndę & Abrahæ poſteritatem, deſcendentē per Iſaac, & Iacob, ſibi in familiam & Eccleſiam delegit, eiuſque ſignum & teſſeram ei dedit circumciſionem. Quocirca Deus Abrahæ nomen commutauit, vt pro *Abram*, id eſt pater excelſus, vocaretur *Abraham*, quaſi אב רב המון *ab rab hamon*, id eſt, pater magnæ multitudinis, ſcilicet populi fidelis ex ſe naſcituri ſecundùm carnem; ſicut ex Chriſto tam Iudæi quàm Gentes in eum credentes, naſcuntur ſecundùm ſpiritum; *Iſaac* verò, id eſt, *riſus*, immolandus ab Abraham patre in monte Moria, planè repræſentauit Chriſtum, qui in eodem monte crucifixus, ſalutem & gaudium toti orbi attulit, Geneſ.22. v.2. & ſeq.

VERS. 3.

IVDAS AVTEM GENVIT PHARES ET ZARAM DE THAMAR] Vide quæ de Thamar dixi Geneſ. 38. v.29. Nota in genealogia Chriſti nullæ (demptâ eius ſanctiſſimâ matre) nominantur feminæ, niſi quatuor; illæque peccatrices, ſcilicet tres meretrices: nimirum Thamar, Bethſabee & Raab, de qua Ioſue 2. & quarta Gentilis putà Ruth Moabitis. Gentilis quoque fuit Raab, vtpote Ierichuntina. At quæ huius rei eſt cauſa?

*Cur Thamar, Bethſabee, & Raab nominantur in genealogia Chriſti?*

Reſpondent S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Euthymius hìc, id fieri, vt ſignificet Chriſtus ſe, qui propter peccata diſſoluenda & dimittenda veniebat, de peccatoribus velle naſci. Hæc ratio vera eſt, ſed allegorica. Literalis ergo & ſimplex eſt, quòd hę mulieres modo non ordinario, vti ceterę, ſed extraordinario & nouo accidente viris ſuis copulatę ſunt, ideoque typus fuerunt Eccleſię Chriſti ex Gentilibus (reiectis Iudæis) noua vocatione nouoq; modo congregandę. Thamar enim ob negatum, vel potiùs dilatum Sela maritum, ſibi promiſſum à patre Iuda, ei ſe doloſè proſtituit, quia ex eius, vtpote Iacobi, Iſaac ac Abrahæ ſtirpe prolem quęrebat. Bethſabee vxor Vriæ, Dauidi copulata eſt, primò per adulterium, deinde per coniugium. Raab nupſit Salmon, quia Hebręorum exploratores à Ioſue in Iericho ſubmiſſos, hoſpitio excepit ac protexit, ideoque in eorum fidem & religionem tranſijt. Ruth nupſit Booz, quia cum Noëmi ſocru ex Moab tranſijt in Iudæam. Vide librum Ruth.

Tropologica cauſa eſt, vt oſtendatur generis & proſapiæ vanitas, ac nobilitatem non in auorum ſtemmate, ſed in propria indole & virtute conſiſtere. Ita S. Chryſoſtomus. Quare nemini erubeſcendum eſſe de ſuis natalibus, & maioribus obſcuris, vel vilibus aut ſceleratis, ſed dicendum cum Cicerone: *Ego mea virtute meis maioribus præluxi.* Sanè non eſt dubium in cuiuſque etiam nobiliſſimi ſtirpe, ſi illa ab Adam, imò ab aliquot annorum centurijs dumtaxat repetatur, multos intercurriſſe patres & matres ignobiles, abiectas, ſceleratas & infames. Certè Plato, teſte Seneca, epiſt. 44. aſſerit omnes reges ex ſeruis natos, & omnes ſeruos ex regibus ortos, nullumque olim regem extitiſſe ligonis expertem, nec contra ligonem, ad quem non aliquando ſceptrum pertinuerit.

*Omnes reges ex ſeruis orti, & ſerui ex regibus.*

Tritum eſt Camillum, Curionem, Fabricium, & priſcos Romanorum duces, à ligone & aratro vocatos ad Romæ regimen & culmen.

Denique Salomon inter alias mundi vanitates & inconſtantias hanc recenſet: *Quod de carcere cateniſq; interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in Regno inopiâ conſumatur*, Eccleſ.4.14. vide ibi dicta.

VERS. 4.

AMINADAB] Hic fuit dux tribus Iuda in egreſſu filiorum Iſraël ex Ægypto, qui ceteris trepidantibus ingredi mare rubrum, licèt à Deo patefacto alueo diuiſum & ſiccum, primus illud animoſè ingreſſus, ſuam tribum per illud incolumem traduxit, quem deinde ceteri duces & tribus ſecuti ſunt, vti tradunt Hebræi, & ex eis Lyranus. Vnde Cantic.6. v.11. de eo dicitur: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Vide ibi dicta. Succeſſit ei in Ducatu filius Naaſſon in deſerto, vt patet num. 1. verſ.7. & ſequent.

VERS. 5.

BOOZ] Plures fuiſſe Booz cenſet Lyranus, ſed vnicum dumtaxat fuiſſe patet, eum ſcilicet, cuius fit mentio cap. Ruth 4. verſ.21. & 1. Paral. cap.2. v.11. & 12.

IESSE] vel alijs punctis *Iſai*, pater fuit Dauidis, qui ſuo nomine pręfigurauit Ieſum Chriſtum ex ſe naſciturum. Ieſſe enim & Ieſus idem quaſi ſunt nomen, ſi vtriuſque radicem Hebręam (quę eſt ישע *iaſca*, id eſt, ſaluare) ſpectes, ſi ſcilicet *Ieſſe* addas expunctum ע.

VERS. 6.

EX EA QVÆ FVIT VRIÆ] Gręcè ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου, id eſt, *ex ea quæ Vriæ*, ſcilicet fuerat vxor. Nam Vria mortuo duxit eam Dauid, ex eaque genuit Salomonem, ne quis putet Salomonem natum ex adulterio fuiſſe ſpurium, cùm ſit natus ex coniugio. Hac enim ſententia ſignificatur Deum promiſſa data Dauidi, ob eius adulterium cum Bethſabee non reuocaſſe, ſed ob vtriuſque pœnitentiam confirmaſſe. Vnde ex Bethſabee eiuſque filio Salomone prognatus eſt Chriſtus, nimirum Bethſabee pœnitens euaſit ſancta, ac Salomonem filium ſanctè educauit, imò ſpiritu prophetico claruit, vt dixi Prouerb. 31. 1. ad illa: *Verba Samuelis Regis: Viſio qua erudiuit eum mater ſua.*

VERS. 8.

IORAM AVTEM GENVIT OZIAM] Non immediatè, ſed mediantibus tribus generationibus; nam Ioram proximè genuit Ochoſiam; Ochoſias genuit Ioas, Ioas genuit Amaſiam, Amaſias genuit Azariam ſiue Oziam (erat enim binomius)

diuina erat familia, in qua paterfamillas, ideoque præſes & rector erat Ioſeph, materfamilias B. Virgo, filius verò Chriſtus. In hac igitur erant tres ſummæ & excellentiſſimæ totius orbis perſonæ: prima Chriſtus, vtpote Deus & homo: ſecunda Virgo Deipara Chriſto coniunctiſſima, quaſi mater naturalis: tertia Ioſeph, quaſi pater Chriſti matrimonialis. Hac de cauſa Chriſto debetur cultus adorationis & latriæ; B. Virgini hyperdulię; Ioſepho ſummę dulię. Quocirca errat vulgus hominum, imò multi in ſæculo ſapientes, qui S. Ioſephum vt ſimplicem & abiectum fabrum lignarium parui æſtimant: neglectus quidem fuit & incognitus hucuſque in terra, ſed eò glorioſior fuit in cęlo. Iam tamen viri docti eius excellentiam oſtendentes, multos in eius admirationem & venerationem rapuêre. Vnde nuper Gregor. XV. Pontifex feſtum eius ritu duplici ſolenniter à toto populo, totaque Eccleſia quotannis celebrari iuſſit die 19. Martij. Et meritò: Conſidera enim quanta eius fuerit præ omnibus hominibus pręrogatiua, dignitas & officium ex his quę ſubiungo.

*Dignitas S. Ioſephi. Primò.* Primò, S. Ioſeph fuit maritus B. Virginis ac pater Chriſti, vti iam oſtendi; fuit ergo ipſe caput & ſuperior tam B. Virginis quàm Chriſti, vt homo eſt. Hinc

*Secundò.* Secundò, ſingularis fuit amor & reuerentia tam B. Virginis, quàm Chriſti erga Ioſephum. Vnde Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis ſerm. de natiuit. B. Virginis: *O miranda prorſus*, inquit, *Ioſeph, ſublimitas tua, ô dignitas incomparabilis, vt mater Dei, regina cæli, Domina mundi appellare te Dominum non indignū putauerit.* Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 11. Gorgoniæ ſororis ſuæ maritum, eiuſque excellentiam hoc vno titulo indicat & celebrat, quòd Gorgonię fuerit coniux & vir: *Vultis*, ait, *vno verbo virum deſcribam? vir illius, id eſt, Gorgoniæ: nec enim ſcio quid ampliùs dicere neceſſe ſit.* Idem dicas de ſancto Ioſeph. Aues ſcire quis, qualis, quantus fuerit S. Ioſeph? vir fuit Deiparæ.

*Tertiò.* Tertiò, miniſterium & officium Ioſephi fuit nobiliſſimum, quia attigit ordinem vnionis hypoſtaticæ Verbi cum carne noſtra, vti & maternitas B. Virginis. Ioſeph enim omnes ſuos labores & actiones proximè circa Chriſti perſonam exercebat. Hinc Chriſtum aluit, fouit, cuſtodiuit, ac eum in arte fabrili ſecum exercenda direxit, vt habet communis Doctorum ſententia. Audi Franciſcum Suarez 3. part. quæſt. 29. diſput. 8. ſect. 1. Quædam, ait, miniſteria præcisè pertinent ad ordinem gratiæ gratum facientis, & in hoc ſupremum faſtigium tenent Apoſtoli, ideoque indiguerunt pluribus auxilijs gratiæ (præſertim gratis datæ & ſapientiæ) quàm ceteri. Alia verò ſunt miniſteria, quæ attingunt ordinem vnionis hypoſtaticę, qui ex ſuo genere perfectior eſt, vt patet de maternitate Dei in B. Virgine. Et in hoc ordine eſt miniſterium S. Ioſeph, quod proinde priorem excedit.

*Quartò.* Quartò, Ioſeph per familiarem & continuam cum Chriſto & B. Virgine conuerſationem, factus eſt ſecretorum diuinorum particeps, & ſummarum vtriuſque virtutum quotidianus inſpector & imitator.

*Quintò.* Quintò, Ioſeph fuit eximiæ ſanctitatis, ac eximijs naturę & gratię dotibus à Deo inſtructus,

A adeoque illo ſæculo non fuit vir ſanctior aut dignior, cui mater Dei deſponſaretur. Vnde Franciſcus Suarez 3. part. quæſt. 29. diſput. 8. ſect. 1. probabiliter opinatur Ioſephum in gratia & gloria antecellere Apoſtolos & Ioannem Baptiſtam, quia eius officium illorum officio præcellebat. Plus enim eſt eſſe patrem & rectorem Chriſti, quàm præconem & præcurſorem eiuſdem. Additque Ioſephum, cùm duxit B. Virginem, fuiſſe ætate maturâ, non iuuenili nec ſenili, eumque vitâ functum eſſe ante mortem Chriſti, & B. Virginis. Vnde in paſſione Chriſti nulla Ioſeph fit mentio. Denique eum poſt mortem cum Chriſto inter ceteros Patriarchas reſurrexiſſe, de quibus dicitur Matth. 27. 52. *Multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* His omnibus ipſe e-

B minebat.

Porrò noſtri Barradius & Ribadeneira in feſto S. Ioſephi, eum eminentis ſanctitatis fuiſſe doctè ſolideque probant, primò ex eius officio quia ipſe fuit pater Chriſti & ſponſus B. Virginis; inter ſponſos autem ſolet eſſe æqualitas; id eſt, proportio, vt ſit matrimonium congruum & commodum: Ergo præ omnibus Ioſeph acceſſit ad ſanctitatem B. Virginis. Vnde Patres cenſent Ioſeph fuiſſe virginem, & ſuâ virginitate quaſi meruiſſe, vt fieret coniux Virginis Deiparæ. Audi ſanctum Hieronymum contra Heluidium: *Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe: ego mihi plus vendico, etiam Ioſeph virginem fuiſſe per Mariam, vt ex virginali coniugio Virgo filius naſceretur.* Et ſanctus Auguſtinus ſerm. 24. in natiuitate Domini: *Habe*, ait, *Ioſeph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virginis membris virtus na-*

C *ſcitur Angelorum. Sit Maria ſponſa Chriſti in carne ſua, virginitate ſeruata: ſis autem & tu pater Chriſti, cura caſtitatis & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis, ſæculis Chriſtianis nulla ſit zelotypia.* Idem & paulò pòſt: *Gaude itaque Ioſeph, nimiumq; congaude virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita ſeparatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.* Sic & ceteri. Vnde B. Petrus Damiani epiſt. 11. ait Eccleſiæ fidem in eo eſſe, vt non modò Deipara, ſed & Ioſeph eius maritus & nutritius Chriſti, virgo habeatur.

Secundò, quia Beata Virgo vnicâ ſalutatione ſanctificauit Ioannem Baptiſtam, eumque quaſi Chriſti præcurſorem, & paranymphum conſecrauit. Quantum ergo ipſa ſanctitatis afflauit Io-

D ſepho crebrâ ſalutatione, imò continuâ conuerſatione & alloquio tot annorum.

Tertiò, quia Ioſeph quotidie videns & audiens Chriſtum, diuinaque eius verba, geſtus, & ſpiritus hauriens, mirè incendebatur eius amore & reuerentiâ. Ad hæc Chriſtus nutritus à Ioſepho corporaliter, viciſſim imò multò magis nutriebat eum ſpiritualiter, mentemque eius ſpiritualibus epulis gratijſque cumulabat.

Quartò, quia omnes Ioſephi actiones erant circa Verbum incarnatum, ideoque cæleſtes & diuinæ: fuit ergo ipſe Angelus potiùs, quàm homo.

Quocirca B. Tereſia mirâ deuotione colebat S. Ioſephum, eumdemq; omnibus commēdabat, aſſerens ſe per interceſſionem S. Ioſephi multa & magna



& magna, imò omnia, quæ habebat, à Deo impetraſſe.

Plures S. Ioſephi prærogatiuas & dignitates recenſet noſter Sebaſt. Barradius lib. 6. c. 8.

*An Ioſeph ſanctificatus in vtero matris.* Denique S. Ioſeph ſanctificatum fuiſſe in vtero matris, cenſet Gerſon hom. de Natiuit. B. Virginis, & 3. par. alphabeti 59. lib. 2. vbi ait idipſum aſſeri in officio Hieroſolymitano, & Iacobus de Valentia ſcribens ſuper *Magnificat.* Idem de S. Iacobo fratre Domini, qui eâ de cauſa vocatus ſit iuſtus, opinantur Hegeſippus apud S. Hieronymum lib. de Script. Eccleſ. in Iacobo, & Epiph. hæreſi 29. Idem de S. Nicolao, & S. Dominico ſuſpicatur S. Antonius 3. par. Summæ tit. 18. cap. 15. § 6. Idem de Iacobo Patriarcha, qui in vtero matris colliſus fuit cum Eſau, illumque ſupplantauit, cenſent S. Ambroſius lib. 4. de Fide cap. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 66. in Geneſ. & Dionyſ. Carthuſ. in Geneſ. cap. 25. & 28. vbi pro eaden ſententia citat S. Auguſtinum. Idem de Moſe autumat S. Ephrem orat. de Transfig. Chriſti. Alij idem priuilegium dant Samſoni, quia de eo dicitur Iudic. 13. *Et erit Nazaræus* (id eſt, ſeparatus, & conſecratus) *Dei ab infantia ſua, & ex matris vtero*). Verùm hæc incerta ſunt, & tantum exemptionis à communi peccati & natiuitatis maculatæ lege priuilegium nulli dandum eſt, niſi de eo conſtet è S. Scriptura, vel traditione. Hîc autem nihil tale conſtat de vllo, niſi de Ieremia cap. 1. 5. Et de Ioanne Baptiſta Lucæ 1. 44. ita Barrad. libr. 7. Concord. Euangel. cap. 12. & Franc. Suarez 1. p. quæſt. 27. diſput. 8. ſect. 1. Excipio Chriſtum ex vi ſuæ conceptionis, quia conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Maria Virgine. Item B. Virginem, vtpote matrem Dei, vti habet traditio Eccleſiæ. Potuit Deus pluribus hoc priuilegium dare, ſed an de facto dederit, neſcimus. Sanè ſi poſt B. Virginem illud alicui alteri ex initio recenſitis dedit, S. Ioſepho eius ſponſo idipſum non negaſſe videtur.

De qva natvs est Iesvs] Mutat phraſim, non enim ait, Ioſeph genuit Ieſum, vti de alijs dixit: *Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam*, &c. nec etiam dicit: *Maria genuit Ieſum*, etſi id verum ſit, ſed, *de qua natus eſt Ieſus:* quâ phraſi ſignificat primò Ieſum de Maria natum, non virtute naturali, ſed ſupernaturali, vi & operatione Spiritus ſancti. Secundò, Ieſum non eſſe genitum à patre Ioſeph, ſed natū ex ſola matre, ideoque ex virgine, ac proinde Ioſeph non aliter pertinere ad genealogiam Chriſti, quàm ratione vxoris, ſcilicet B. Mariæ, ex quâ natus eſt Chriſtus.

Præclarè S. Bernardus hom. 1. ſuper *Miſſus eſt*: *Pulchra*, ait, *permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: ſed quantâ veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat virginitatem?* Et rurſum: *Talis*, inquit, *natiuitas decebat Deum, vt non niſi ex virgine naſceretur: Talis partus decebat virginem, vt non pareret niſi Deum:* tum quia decebat, vt Chriſtus habens patrem in cælis, non haberet patrem in terris, ſed matrem dumtaxat, vt qui in cælis erat ἀμήτωρ, in terris eſſet ἀπάτωρ: tum quia conceptus & ortus Chriſti debebat eſſe remotiſſimus à pec-

A cato originali, vt nec deberet, nec poſſet illud cōtrahere, in eoq; ſuperaret matrem, quę licèt concepta ſit ſine peccato ex ſingulari Dei præſeruatione, tamen ex vi conceptionis ſuæ, quà ex Adā naturali generatione Ioachimi & Annæ prognata eſt, debebat illud contrahere, niſi à Deo Deiq; gratiâ præuenta fuiſſet: tum quia partus hic debebat eſſe puriſſimus & diuinus: tum denique vt virginitatem & caſtitatem nobis impensè commendaret. Vnde S. Gregorius Nazianz. orat. 38. de Natiuit. in principio: *Chriſtus*, inquit, *ex virgine* (naſcitur) *mulieres virginitatē colite, vt matres Chriſti eſſe poſſitis.* Et Cyril. Hieroſol. Catecheſi 12. *Chriſtus*, ait, *naſcebatur, vt virgines faceret: multò ergo magis debuit virgineum conſeruare corpus.*

*B. Virgo eſt mater Dei.* Secundò, hæc phraſis, *de qua natus eſt Ieſus*, ſignificat B. Virginem veram eſſe matrem Ieſu,

B id eſt, huius hominis, qui hypoſtaticè vnitus Deo ſimul eſt Deus & homo; quare ipſam verè eſſe matrem Dei: licèt enim ipſa non genuerit Deitatem, genuit tamen Deum, quia genuit hunc hominem: atqui hic homo eſt Deus; ergo B. Virgo genuit Deum. *Ratio à priori.* Ratio à priori eſt identitas perſonæ; quia enim vna eſt perſona, eaque diuina in Chriſto, hinc illi competunt attributa vtriuſque naturæ, fitque communicatio idiomatum, vt hic homo dicatur Deus, ac viciſſim Deus dicatur homo, filius virginis paſſus, crucifixus, &c. perſona enim eſt ſuppoſitum in ſe ſuſcipiens omnes naturæ vtriusque actiones & paſſiones; quare perſona Filij Dei, quæ eſt Deus, verè dicitur nata ex Maria Virgine, ſed ſecundùm naturam humanam, non diuinam. Indicatur ergo hîc immenſa dignitas B. Virginis. *Dignitas maternitatis Dei.* talis enim eſt mater-

C nitas Dei, per quam Filius Dei ab ipſa ſuum eſſe, & ſubſtantiam humanam, ſcilicet carnem, oſſa, ſanguinem, &c. accepit, ita vt eam coleret, amaret, reuereretur quaſi matrem, eique vt matri in omnibus obediret, igitur compellans eam: *Mater mea.* Vnde S. Bern. hom. 1. ſuper *Miſſus eſt*, id admirans exclamat: *Vtrimque ſtupor, vtrimque miraculum: & quod Deus feminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo; & quod Deo femina principetur, ſublimitas ſine ſocio.*

Virgo enim Deipara habebat ius & auctoritatem maternam in Chriſtum, vti habent aliæ matres in ſuos filios, quos genuerunt, imò pluſquam aliæ matres, quia ipſa magis fuit mater Chriſti, quàm ſint aliæ matres ſuorum filiorum, ob rationem quam mox afferam. Quocirca S.

D Thomas 1. par. q. 25. art. 6. docet: Deum non poſſe facere opus maius, quàm ſit incarnatio Verbi, & maternitas B. Virginis, quia ipſa eſt mater Dei, quo nil maius concipi poteſt; vnde Beda: *O beatiſſima Virgo*, inquit, *in te ſola Rex ille diues & prædiues exinanitus eſt;* maternitas enim Dei eſt ſumma affinitas, conſanguinitas, & coniunctio cum Deo: per illam ergo B. Virgo tam affinis & conſanguinea eſt Deo, quàm mater filio.

*Priuilegia ex ea conſequentia.* Ex hac dignitate maternitatis Dei ſequuntur omnia dona & priuilegia B. Virgini à Deo præ omnibus hominibus & Angelis conceſſa. Sicut enim humanitas Chriſti, quia Verbo vnita ab eo accepit dotes & priuilegia tali vnione & coniugio digna, quæ ſcilicet talē humanitatē ſic exaltatam & Verbo vnitam decebant, imò quæ eam exaltarent, & vnione cùm Verbo quaſi dignam

efficerent: ſic pariter Deus B. Virgini largitus eſt omnia chariſmata & decora, quæ talem matrem Chriſti & ſponſam Dei decebant. Vnde ſic concludc: B. Virgo eſt mater Dei; ergo ipſa lõgè excellentior eſt omnibus Angelis, etiam Seraphinis, & Cherubinis. Mater Dei eſt; ergo puriſſima eſt & ſanctiſſima, adeò vt ſub Deo maior puritas intelligi nequeat, ait S. Anſelm. lib. de Excellentia Virginis. Mater Dei eſt.; ergo quidquid vlli Sanctorum conceſſum eſt priuilegij, hoc illa præ omnibus obtinet.

Tertiò, *τὸ de qua natus eſt Ieſus*, ſignificat eum ex ſola matre natum, ac proinde illam ſolam Chriſto dediſſe omnem carnem & ſubſtantiam, quam ceteris filijs dant pater & mater coniunctim: filij enim partem ſubſtantiæ accipiunt à patre, partem à matre, imò plus accipiunt à patre, quàm à matre: pater enim potior eſt cauſa generationis filij, quàm ſit mater. Quare B. Virgo plus dedit Chriſto, quàm filijs ſuis dant ceteræ matres, quia ipſa dedit quoque id quod pater dare ſolet. Vnde ipſa magis eſt mater Chriſti, quàm ſint aliæ matres ſuorum filiorum; quia ipſa ſola fuit quaſi pater & mater Chriſti. Hinc ſequitur primò, quòd B. Virgo maius ius habuerit in Chriſtum, quàm habent ceteræ matres in ſuos filios. Secundò, quòd B. Virgo longè magis amauerit Chriſtum, ac Chriſtus viciſſim B. Virginem, quàm aliæ matres amẽt ſuos filios, ac filij viciſſim ament ſuas matres; tum quia ſola eum genuit; tũ quia genuit eum modo non naturali, ſed ſupernaturali & diuina. Amor ergo qui in ceteris filijs diuiditur in patrem & matrem, in Chriſto fuit vnitus, totuſque ferebatur in matrem: mater viciſſim duplicato quaſi amore patris & matris diligebat Chriſtum, ideoque duplicato quaſi ſenſu ſenſit dolores Chriſti in cruce, ac viciſſim gaudia in reſurrectione.

*Beata Virgo magis eſt mater Chriſti, quàm ſint aliæ matres ſuorum filiorum.*

Quartò, *τὸ de qua natus eſt*, ſignificat potiſſimam cauſam, & actiuitatem natiuitatis Chriſti fuiſſe Spiritum ſanctum, qui in beata Virgine ex puriſſimis eius ſãguinibus corpus Chriſti formauit, organizauit, animauit, ac Verbo hypoſtaticè vniuit in primo cõceptionis eius inſtanti. B. Virgo tamen quoque vt cauſa ſecunda, & vera mater ad generationem Chriſti, non tantùm paſſiuè ſubminiſtrando materiam, ſed & actiuè illã formando, diſponendo, organizando concurrit. Vide Franciſcum Suarez 3. p. q. 32. art. 4. ac quæſt. 33. art. 4. vbi docet generationem Chriſti ex virgine fuiſſe ſupernaturalem quoad modũ & velocitatem, quia in inſtanti perfecta eſt à Spiritu ſancto, velut cauſâ efficiente. Eamdem verò naturalem fuiſſe quoad materiam, vim originis, & terminum, quia terminus fuit proles, putà Chriſtus natus ex matre, quaſi filius eius naturalis, inſtar aliorum filiorum, qui ex ſuis matribus naturaliter oriuntur, & naſcuntur. Actio ergo pariendi in ea fuit naturalis, ſed modus fuit ſupernaturalis.

Natvs est Iesvs] q. d. Verbum caro factum eſt, Deus factus eſt homo, Filius Dei factus eſt Filius Virginis. Hoc, vt fusè docet D. Thomas 3. part. quæſt. 1. art. 1. fuit omnium Dei operum ſummum & maximum, ideoque illud ſtupuerunt, & ſtupent Angeli, Sanctique omnes. In eo enim Deus oſtendit ſummam potentiam vniendo hominem Deo, limum Verbo, terram cælo: ac ſummam ſapientiam, vt qui diuinitate pati, & nos redimere non poterat, carnem in Virgine indueret, quâ pati, & pro peccatis noſtris Deo Patri ſatisfacere poſſet: ſummam quoque iuſtitiam, quia ob dignitatem perſonæ, ex æquo quaſi Dei iræ & vindictæ moriendo in cruce ſatisfecit: ſummam etiam bonitatem, quia ſemetipſum exinaniuit, vt nos ſuis donis repleret: *Ac factus eſt filius hominis, vt nos efficeret filios Dei*, vt ait S. Aug. *Natus eſt in terra, vt homo naſceretur in cælo*, vt ait S. Greg.

Qvi vocatvr Christvs] Hoc eſt, qui eſt Meſſias ſiue Chriſtus, redemptor orbis Patribus promiſſus, ac proinde Meſſias ſiue Chriſtus ſuo iure vocari poteſt & debet, itaque nunc ab omnibus fidelibus reipsà vocatur. De nomine Ieſu & Chriſti dixi in titulo libri.

Quomodo hæc genealogia Chriſti conſentiat cum illa S. Lucæ c. 3. v. 23. ibi enucleabo.

Omnes itaqve generationes ab Abraham vsqve ad David, generationes qvatvordecim: et a David vsqve ad transmigrationem (Syrus *vſque ad exilium*) Babylonis, generationes qvatvordecim: et a transmigratione Babylonis vsqve ad Christvm, generationes qvatvordecim] Ab Abraham ergo vſque ad Chriſtum ſunt generationes 42. ter enim 14. faciunt 42. Lucas capit. 3. numerat generationes 77. ſed nullam vim ponit in numero, vti facit hîc S. Matthæus; S. Auguſtinus tamen lib. 2. de Conſenſu Euang. capit. 4. per 77. generationes cenſet denotari plenam omnium peccatorum remiſſionem & abolitionem, quæ facta eſt per Chriſtum: vnde Chriſtus iuſſit fratri peccanti dimittendum eſſe ſeptuageſies ſepties. Matth. 18. verſ. 22. Per *generationes* accipe, & numera perſonas omnes tam generantes, quam genitas: hæ enim ſunt 14. Græcè enim non eſt γένεσις, id eſt, generatio; ſed γενεὰ, id eſt progenies, genus, familia, & liberi, ætas vitæ vnius hominis. Nam generationes ipſæ præcisè ſunt tantùm 13. in prima teſſeradecade, vt videbis, ſi numeres *Tò genuit*: hoc enim in ea 13. vicibus repetitur: quia in ea ſola numeratur primus Abraham, & vltimus Dauid: in ſecunda verò teſſeradecade non numeratur primus in ea Dauid, nec in tertia primus in ea Iechonias, quia hi iam nominati & numerati ſunt vt vltimi in ſecunda & tertia teſſeradecade, quapropter in tertia teſſeradecade addi debet vna generatio, ſcilicet: *Iechonias autem genuit Iechoniam*, vt in ea conflentur 14. generationes: hoc eſt, 14. perſonæ tam generantes, quàm genitæ, vt ſuperiùs dixi. Generationes ergo omnes præciſæ ſunt 41. perſonæ verò generantes, & genitæ ſunt 42. quia primi, putà Abrahæ, generatio hîc non recenſentur, ſed ex Geneſi nota præſupponitur. — Vers. 17.

*Tres teſſe decades tant tripl. Iſraëlis ſ tium.*

Quæres, quo fine S. Matthæus tam accuratè haſce tres teſſeradecades generationum enumeret? Reſpondetur, quia voluit triplicem populi Iudaici ſtatum recenſere, primum quaſi Democraticum ſub ſingulis Patriarchis & iudicibus, quales fuêre Othoniel, Gedeon, Samſon, Heli, Samuel, &c. qui præfuerunt Iſraëli ab Abraham vſque ad Dauid: ſecundum quaſi monarchicum ſub regibus, qualis fuit Dauid, eiuſque poſteris vſque ad captiuitatem Babylonicam: tertium quaſi Ariſtocraticum ſub ducibus & põtificibus, vti fuere Iudas, Ionathas, Simon, ceterique Machabæi, qualis fuit à captiuitate Babylonica vſque ad Chriſtum. Significat ergo Matthæus triplicem hunc populi ſtatum & regimen tertiò immutatum, quartò debuiſſe per Chriſtũ mutari, & in Chriſto, qui regnum attulit æternum, terminari. Ita paſſim Patres & interpretes: vnde Nazianzenus in carmine de Genealogia Chriſti ait:

*Sic traxit regale genus, ſceptrumq; ſuperbum.*

*Dies decimuſquartus criticus.*

Addit Maldonatus medicam analogiam: Medici enim in febribus & morbis diem decimumquartum vocant criticum, eumque omnium eſſe periculoſiſſimum aſſerunt. Videtur ergo congruè ad naturam hominis, decimaquarta quaque generatione, ſiue hominis ætate & ſæculo Deus populi ſui ſtatum immutare voluiſſe, vt vna repub. quaſi ægrotante & deficiente, alia naſceretur & ſuccederet melior, donec optima per Chriſtum ſubrogaretur, quæ triplicis præcedentis defectus & infirmitates ſanaret & corrigeret: ac regnum Eccleſiæ ſtabiliret vegetum, ſanum, & æternum.

*Ratio arithmetica.*

Denique Matthæus enumerat 42. generationes per tres teſſeradecades, vt probabilem lectori coniecturam faciat, debuiſſe Chriſtum poſt exactum hunc numerum generationum venire. Sicut enim fuerunt generationes ante regnum Iudæorum ſtabilitum 14. in regno, poſt quas per 14. generationes ſenſim planè defecit, ita veriſimili coniectura potuit colligi, poſt 14. haſce generationes regnum hoc deficiens & labaſcens à Meſſia in melius fore reſtituendum. Sicut enim fuerunt 14. generationes ante regnum, & totidem in regno; ita totidem fuerunt poſt regnum Iſraëlis vſque ad Chriſtum. Rurſum ante regnum facta eſt Chriſti promiſſio Abrahæ, Iſaac, & Iacob; in regno Dauidi & Salomoni: poſt regnum eadem repetita eſt per Aggæũ, Zachariam, Malachiam, &c. vt ſenſus ſit, q. d. Omnes prophetiæ factæ de Chriſto tam ante regnum, quàm in regno, & poſt regnum terminatæ & adimpletæ ſunt in Chriſto. Primam teſſeradecadem inchoat Abraham, finit Dauid: ſecundam inchoat Salomon, finit Ioachim, ſiue Iechonias: tertiam inchoat Ioachim, ſiue Iechonias, finit Chriſtus, qui eſt finis legis, totiuſque populi & mundi captiui liberator. Ita Franciſcus Lucas. Iudæi enim ex defectu & lapſu ſuæ reipub. ac præſertim ex eo quòd ablatum eſſet ſceptrum à Iuda per Herodem, ex prophetia Iacob, Geneſ. 49. 10. ſciebant, certòq; expectabant aduentum Meſſiæ. Vnde ex eodem iam collapſo, ſceptroque tranſlato, Meſſiam iam veniſſe, nec alium eſſe quàm Ieſum Chriſtum, docet hic S. Matthæus, vt Iudæis fidem in Chriſtum perſuadeat.

*Symbolicè. Primò.*

Symbolicè Orig. hom. 27. in Num. & S. Hier. epiſtol. ad Fabiolam de 42. manſionibus notant has 42. generationes reſpondere 42. manſionibus Hebræorum in deſerto, quibus ipſi ad terrã Chanaan Abrahæ à Deo promiſã peruenerunt. Simili enim modo per haſce 42. generationes ad Meſſiam, ſiue Chriſtum eidem promiſſum peruenitur, & per eum ad terram viuentium Sanctis in cælo promiſſam.

*Secundò.*

Rurſum numerus 14. quia geminatum continet ſeptenarium, quo ſeptena Spiritus ſancti gratia declaratur, duplicatã in homine deſignat eiuſdem Spiritus largitatem, qualis fuit in Chriſto, qui proinde eodem ſymbolo die 14. menſis Niſan, cùm luna plena eſt, putà in Paſchate, paſſus morte ſua nos redemit, & gratiarum copiam nobis promeruit. Vnde de eo canit Pſaltes Pſ. 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.* Audi S. Ambroſ. orat. in obitu Theodoſij Imp. *In quartodecimo perfectionem hominis accepimus, &c. Vnde Domini Paſcha 14. luna formã celebritatis accepit. Quoniam qui Paſcha celebrat, debet eſſe perfectus, debet amare Dominum Ieſum, qui diligẽs populum ſuum perfecta charitate ſeſe obtulit paſſioni. Grande numeri myſterium, quando Pater Filium vnicũ pro nobis omnibus tradidit, cùm pleno luminis ſui orbe luna ſulgeret. Ita eſt enim Eccleſia, quæ pie Paſcha celebrat Domini noſtri Ieſu Chriſti; ſicut luna perfecta in æternum manet: quiſquis benè hîc Domini Paſcha celebrat, in lumine perpetuo erit.*

*Anagogicè.*

Anagogicè, numerus 42. conflatur ex ſex & ſeptem; ſexies enim ſeptem faciunt 42. Senarius autem notat labores huius vitæ, quibus peruenitur ad ſeptenarium, putà ad Sabbatum quietis & felicitatis æternæ, ſex enim primis mundi diebus Deus omnia operatus eſt in cælo & in terra: die autem ſeptimo, putà Sabbato, requieuit ab omni opere ſuo Geneſ. 1.

*Tropolog.*

Tropologicè quadragenario hoc generationũ numero ſignificatur noſtra vita corporis, quatuor elementis cõſtantis. Hęc enim in decem mãdatorum Dei, quæ quatuor Euangelijs perficiũtur, obſeruatione conſiſtit: duc enim quatuor in decem, efficies quadraginta. Ita Salmeron; imò S. Auguſtinus, & ex eo Petrus Bongus lib. de Numer. myſterijs, Num. 14. *Tres diſtinctiones*, ait, *in generatione Chriſti myſticè inſinuãt fidẽ S. Trinitatis, quã concorditer aſtruit doctrina legalis & Euangelica. Tres enim Trinitatis fidem; quatuor, doctrinam Euangelicã; decem, legis ſignificant inſtitutionem.* Idem quoque paulò pôſt: *Quod autem ter quatuordecim ponuntur, id veram ſignificat religionem. Quatuor enim & decem nouum & vetus Teſtamentũ indicant, quia via ad Chriſtum per decem verba legis, & quatuor Euangelia prædicatur; ita tamen, vt quidquid aſcribitur Trinitati, quæ Deus eſt, conſecremus, quia nulla præceptio impletur, niſi hic numerus colendi Deũ teneatur.* Hoc quoque numeri typo Ezechiel ca. 4. vidit quartodecimo anno percuſſionis ciuitatis, nouam ciuitatem, putà eccleſiam, quam quartadecimâ generatione poſt exciſam à Chaldæis, Ieruſalem, naſcens, morienſque Chriſtus fundauit, vt notauit Caſſiodorus in Pſal. 14. ſub finem. Denique 42. anno à paſſione Chriſti, in eius vindictam Ieruſalem exciſa eſt à Tito & Veſpaſiano, vti notat S. Hieronym. in Pſal. 108. ad illa: *In generatione vna deleatur nomen eius*: tuncque cœpit florere Eccleſia Chriſti. Hæc Bongus.

Christi avtem generatio sic erat] q. d. Chriſti ortus hoc modo contigit: Pro *generatio* enim Græcè non eſt γένεσις, id eſt, generatio propriè dicta, ſed γέννησις, id eſt, ortus, conceptus, generatio, natiuitas, quâ quis oritur, concipitur, gignitur, naſcitur. — Vers. 18.

Cvm esset desponsata mater eivs Maria Ioseph, anteqvam convenirent (copu-

(copularentur actu coniugij. Arabicus : *Antequam ſeſe cognoſcerent*) INVENTA EST IN VTERO HABENS (vterum ferre, eſſe prægnans & grauida) DE SPIRITV SANCTO.] Syrus : *De Spiritu ſanctitatis*, id eſt, ſancto, & ſanctitatis omnis auctore & fonte.

*Cur B. Virgo deſponſata Ioſepho. Reſp. Primò.*

Voluit Deus B. Virginem deſponderi Ioſeph primò, quia Ioſeph videtur fuiſſe proximus regni Dauidis heres, vt illud ab eo ad Chriſtum quaſi à Patre ad Filium recto ſucceſſionis ordine iureque deuolueretur, vti dixi verſ. 16. *Secundò.* Secundò, quia Ioſeph fuit vir ſanctiſſimus; vt ibidem dixi, ſimilis Patriarchæ Ioſeph, cuius proinde vti nomen, ſic & caſtitatem virtutemque ſortitus eſt, dictusque *Ioſeph*, id eſt, *auctus*; magnisque Dei donis & virtutibus cumulatus. Ita S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt*. Vide dicta Gen. 30. 24. & c. 39. v. 20.

B Quęres, an B. Virgo fuerit hîc deſponſata Ioſepho per ſola dumtaxat ſponſalia, an verò etiam per matrimonium reipsâ contractum, & nuptias celebratas; ac conſequenter, an Chriſtus incarnatus & cõceptus ſit ex Virgine deſponſata tantùm, an verò etiam coniugata? nam ad Virginem ſic deſponſatam miſſus eſt Gabriel nuntians incarnationem Chriſti. Lucæ 1. 27. Virgoque eius nuntio conſentiens, dicensque: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, illicò eodem inſtanti concepit Chriſtum. Multi cenſent B. Virginem tantùm deſponſatam fuiſſe per ſponſalia, ſiue per verba de futuro, quibus tantùm fit promiſſio matrimonij. Ita S. Hilarius hîc, S. Baſilius, hom. de Humana Chriſti generatione, Origenes hom. 1. in diuerſos Euang. locos, Cyrillus catecheſi 12. Abulenſis & Caietanus.

*B. Virgo fuit deſponſata, id eſt, coniugata. Prob. Primò.*

C Verùm melius alij cenſent B. Virginem deſponſatam fuiſſe non tantùm per ſponſalia, ſed etiam per matrimonium per verba de præſenti, & nuptias reipsâ contractas. Probatur primò, quia verſ. ſequenti, & verſ. 16. Ioſeph vocatur vir, id eſt, maritus Mariæ. Iam ergo per matrimonium illam ſibi maritarat. *Secundò.* Secundò, Ioſeph voluit eam, vtpote grauidam dimittere, vt dicitur verſu ſequenti. Ergo iam eam acceperat in vxorem: nemo enim dimittit id quod non habet. *Tertiò.* Tertiò, quia *deſponſatam* Lucas cap. 2. verſ. 5. interpretatur coniugatam, imò eam vocat vxorem Ioſeph. Erat ergo ipſa iam ducta, & traducta in domum ſponſi Ioſephi quaſi vxor, vt ſcilicet Ioſeph eſſet teſtis virginitatis eius, eiusque æquè ac pueri Ieſu eſſet cuſtos & nutritius. Adde: B. Virgo illicò accepto Gabrielis nuntio, iam plena Verbo viſitauit Eliſabeth, ac apud eam manſit tribus menſibus: vnde ibi nõ videtur celebraſſe matrimonium cum D Ioſepho, nec poſt reditum in Nazareth, quia nullum eius extat veſtigium: ergo ante Gabrielis nuntium, & Verbi incarnationem matrimonium hoc celebrauit: nec decebat Virginem innuptam iter tantum in montana conficere ſine marito, vel comite, vel potiùs directore aſſociante ei ancillam, vel cognatam fidelem. *Quartò.* Quartò, quia ſi non fuiſſet coniugata, Iudæi videntes vterum eius intumeſcere, illi notam fornicationis, imò adulterij impegiſſent, illamque lapidaſſent. *Quintò.* Quintò, quia planè decebat Chriſtum ex coniugata in coniugio naſci, ne à Iudæis vt ſpurius contemneretur, ſed vt legitimus acceptaretur. Et hac de cauſa Ioſeph vocatur

A pater Chriſti. Deniq; proles eſt proprius matrimonij fructus. Ita S. Hieronymus, Haymo, & S. Chryſoſtomus hîc homil. 4. Theophylactus, S. Ambroſius lib. 2. in Lucam, Ianſenius, Suarez, & alij paſſim.

*Obijcitur Primò.*

Obijcies primò: Angelus hîc ait Ioſepho: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: ergo nondũ eam acceperat in coniugem; ſed tantùm deſponderat per ſponſalia. *Reſp.* Reſpondetur, *accipere* hîc idẽ eſt quòd acceptum habere & retinere: ait enim, vocatque eam *coniugem tuam*. Erat ergo ipſa iam coniugata. Hebræa enim verba ſæpè actum non inchoatum, ſed continuatum ſignificant, vt dixi Canone 12. Senſus ergo eſt, q. d. Noli ô Ioſeph dimittere Mariam tuam coniugem, ſed acceptam ſerua & retine. Non enim dimittitur, niſi iam acceptum & habitum.

*Obijcitur Secundò.*

B Obijcies ſecundò B. Virgo hîc dicitur deſponſata antequam conuenirent, ergo ante coniugiũ. *Reſp.* Reſpondetur, nego conſequentiam, quia conuenire hîc non ſignificat contrahere matrimoniũ, nec cohabitare, ſed contracto matrimonio vti: notat enim congreſſum & actum maritalem, de quo mox plura.

*Obijcitur Tertiò.*

Obijcies tertiò, cur ergo hîc non dicitur coniugata, ſed deſponſata? *Reſp.* Reſpondetur, dicitur deſponſata, quia viro incognita, perinde ac eſt ſponſa, quæ viro necdum nupta, ſed tantùm eſt promiſſa. Ita S. Chryſoſtomus. Vnde B. Petrus Chryſol. ſerm. 175. *Ioſeph*, ait, *maritus ſolo nomine, conſcientia ſponſus*, id eſt, ſponſus per matrimoniũ ratum, ſed non maritus per conſummatum, ſiuè per copulam. Et S. Bernard. hom. 2. ſuper *Miſſus eſt*: *Virum nominat, quia homo virtutis erat, non quia maritus.*

*Verum fuit matrimoniũ inter Ioſeph & B. Virginem.*

C Porrò verum fuiſſe matrimonium inter Ioſeph & B. Virginem, certum eſt ex dictis, & ex communi Theologorũ & Iuriſperitorum axiomate: *Matrimonium facit, non copula, ſed conſenſus.* Vnde S. Auguſt. lib. 1. de Nuptijs & concup. c. 11. *Nuptiarum*, ait, *bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, Sacramentum* (hæc enim ſunt tria matrimonij bona, quæ ex S. Auguſtino illi aſſignant paſſim Theologi) *prolẽ cognoſcimus, ipſum Dominum Ieſum: fidẽ, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum diuortium.* Idem fuſiùs docet lib. 5. contra Iulianum Pelegianum (qui negabat matrimonium Ioſeph & Mariæ) cap. 9. ius enim matrimonij nõ repugnat religioni & voto caſtitatis. Ex matrimonio habeo ius in vxorem; ſed ex voto non poſſum licitè eo vti. *Ratio à priori.* Si vtor, pecco cõtra votum, non cõtra matrimonium, id eſt, facio actum irreligioſum, ſed non iniuſtum; non enim D eſt adulteriũ, vti eſſet, ſi foret vxor copulata matrimonio. Ioſeph ergo per matrimonium habebat ius in B. Virginem, vt poſſet vti copulâ maritali, ſed per caſtitatis propoſitum, &, vt videtur, votum hoc iure ſuo non eſt vſus, nec vti voluit: hęc enim duo valdè diſtincta ſunt, habere ius ad copulam, & copula vti: prius requiritur ad matrimonium, non poſterius.

*Tres effectus matrimonij virginalis.*

Ius autem hoc copulæ, & quaſi dominium coniugis, in virginibus coniugatis habet aliquos effectus non fictos, ſed veros & reales. Primus eſt, vt coniux virgo non poſſit alteri nubere. Secundus, vt licèt per copulam votum violent, non tamen ſit fornicaria. Tertiùs, vt proles diuinitùs data & nata (vti Chriſtus hîc conceptus ex

Spiritu



A Spiritu ſancto) ſit & habeatur legitima, vtpote ex legitimo coniugio prognata. Ita Suarez 3. p. q. 29. art. 1. ſect. 1.

*Matrimoniũ B. Virginis verum.*

Ex dictis collige, non tantùm verùm, ſed & licitum, imò ſanctum fuiſſe coniugium B. Mariæ cum Ioſepho. *Verum*, quia eſſentia matrimonij conſiſtit in mutua traditione & poteſtate corporum; etiamſi hæc poteſtas numquam in actum redigatur, votum autem virginitatis nemini hoc ius & poteſtatem adimit, ſed tantùm illius vſum facit illicitum. Sicut ergo dominium ſeparatur ab vſu in nõnullis religioſis, qui manent domini hereditatis paternæ, ſed ob votum paupertatis illa vti nõ poſſunt: ſic idem dominium ſeparatur ab vſu in coniugio virginum. *Licitum.* *Licitum*, quia licèt vouiſſet virginitatem B. Virgo, licitè tamen & ſine periculo violandi voti inijt matrimonium cum Ioſepho; quia ex inſtinctu Spiritus ſancti ſciebat B Ioſephum poteſtate ſua, & iure maritali nunquã vſurum ad votum hoc infringendum. Ita S. Aug. de S. Virg. ca. 4. & paſſim Theologi. Et veriſimile eſt B. Virginem hoc ſuum votũ Ioſepho ante matrimonium reuelaſſe, & Ioſephum in illud cõſenſiſſe. Addũt aliqui & promiſiſſe ſe illud cuſtoditurum. *Sanctum.* *Sãctum*, quia per matrimonium hoc Ioſeph tutatus eſt famam & virginitatem B. Virginis, ac puerum Ieſum cuſtodiuit, aluit, educauit. Quid eo ſanctius?

Vide S. Thomam 3. p. q. 29. art. 1. in corpore, vbi multas affert cauſas cur ex Virgine deſponſata natus ſit Chriſtus. Additque: Poteſt & quinta ratio eſſe, quòd mater Domini fuit deſponſata, & virgo: quia in perſona ipſius, & virginitas, & matrimonium honoratur contra hæreticos, alteri horum detrahentes. Addit aliam rationem C S. Ignatius martyr, quẽ citat S. Hieronymus hîc: *Vt partus eius*, inquit, *celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, ſed vxore generatum*; Deo ſcilicet impediente, ne diabolus videret quod naturaliter videre poterat, quid ſcilicet ageretur inter B. Virginem & Ioſeph, videlicet quòd viuerent caſtè & intactè.

*Tropol.*

Tropologicè nota hîc in B. Virgine & Ioſeph ſummum angelicæ caſtitatis & virginitatis gradum. Aliæ enim virgines fugiunt viros, & virginitatem in clauſtris & cœtibus virginum conſeruant. At B. Virgo in ipſo cõiugio, aſſiduè verſans cum viro virginitatem illibatam ſeruauit, quod tantumdem eſt, ac inter epulas eſurire, inter veſtes algere, inter honores ſe humiliare; imò in igne verſari & non ardere. Nam, vt ait S. Bernardus ſerm. 65. in Cant. *Cum femina ſemper eſſe, & non cognoſcere feminam, nónne plus eſt quàm mortuum ſuſcitare?*

*Exempla coniugum virginum.*

D Quocirca B. Virgo nonnullis eximijs perſonis ſibi deuotis, hoc continentiæ in cõiugio donum communicauit, vt S. Pulcheriæ, & Martiano Imper. SS. Iuliano & Baſiliſſæ, quibus prima nocte poſt emiſſum continentiæ votum apparuit hinc Chriſtus ſtipatus ingenti albatorũ choro, inde B. Virgo cincta virginum cœtu. Qui cum Chriſto erant, ſuccinebant: *Viciſti Iuliane, viciſti.* Quę cum B. Virgine occinebant. *Beata es Baſiliſſa, quæ terrenas nuptias ſpernens, ad æternam gloriã te præparaſti.* Quocirca Iulianus innumeros Chriſto fideles & martyres: Baſiliſſa verò innumeras virgines verbo & exemplo Chriſto peperit. Ita

*Cornel. à Lapide in Matth.*

A non ſterilis, ſed fœcundiſſima eſt virginitas coniugum, vti fuit in Deipara, quæ genuit Ieſum hominem & Deum. Vide vitam eorum apud Suriũ die 9. Ianuarij. Sic S. Eduardus Angliæ rex mirè deuotus B. Virgini, eius imitatione cum coniuge Editha illibatum pudicitiæ florem ſeruauit. Vnde ab ea per S. Ioannem Euãgeliſtam euocatus, & aſſumptus eſt in cælum anno Domini 1066. die 5. Ianuarij. Idem fecit S. Cæcilia cum ſponſo Valeriano, quibus proinde B. Virgo per Angelos coronas ex lilijs & roſis cęleſtibus tranſmiſit. Idem S. Henricus I. vel vt alij numerant, ſecundus Imper. cum coniuge ſua Cunegunde; quàm moriens parentibus reddens: *En*, inquit, *virginem à vobis accepi, virginem reſtituo.*

*In Chriſto Maria & Ioſeph fuit imago S. Trinitatis.*

Symbolicè: in hoc matrimonio, & familia Ioſeph cum Maria fuit imago S. Trinitatis, Ioſeph enim repræſentabat Patrem æternum, B. Virgo B ſpiritum ſanctum, quia ipſa erat ſanctiſſima, & quia ex Spiritu ſancto conceperat: Chriſtus ſeipſum, putà Filium Dei. Vnde primò ſicut in S. Trinitate eſt vna eſſentia deitatis in tribus perſonis: ſic hîc vnum erat matrimonium, & vna familia perfecta è tribus perſonis, ſcilicet Ioſeph, Maria, & Chriſto. Secundò, ſicut in S. Trinitate Pater ſpiritualiter generat Filium, & ſpirat Spiritũ ſanctum; ita hîc B. Virgo ſpiritualiter, non carnaliter, putà per virtutem Spiritus ſancti, concepit peperitque Chriſtum. Tertiò, in S. Trinitate Pater generat Filium, ſicut lux emittit lumen: vnde in ſymbolo canimus: *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Ita B. Virgo quaſi ſtella maris peperit Chriſtum, qui eſt *candor lucis æternæ, & ſpeculũ ſine macula.* Sap. 7. 25. Vnde ſicut ſine ſui corruptione ſidus fulgidum euibrat radium; ſic abſ C que ſui læſione Virgo genuit Chriſtum, qui eſt lux mundi: *Nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Filius Virgini ſuam integritatem*, ait S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt*. Vnde illud S. Simeonis de Chriſto: *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël*, Lucæ 2. 32.

*Familia Mariæ & Ioſephi erat cælum terrenum.*

Fuit ergo hæc familia quaſi cælum quoddam terrenum, trium non tam hominum, quàm corporeorũ Angelorum, imò trium quaſi perſonarũ diuinarum ſymbolicè. Quare non dubium illam plenam fuiſſe Angelis miniſtrantibus Virgini, quaſi Reginæ cælorum; ac Chriſto, quaſi Domino, Deoque ſuo: nimirũ ſtupebant illi, & ſummè deſiderabant videre Verbum incarnatum. Igitur domus illa quaſi cælum erat: admirandum celans myſterium, *Nigra* foris, *ſed formoſa* intùs, *ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.* Cant. 1. D 5. ait Rupert. Vnde Ioannes Gerſon ſer. de Natiuit. quaſi attonitus exclamat: O quàm dilecta Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui ſancto domus illius Trinitas, Chriſtus, Maria, Ioſeph! nil charius, nil melius, nil in terris erat excellentius. Inuidebat terris tales habitatores cælum, vtique cęlo digniores, quàm terris.

*Tropolog.*

Tropologicè: Coniuges imitentur B. Virginem & Ioſeph in caſtitate, ſanctitate, patientia, & charitate, vt alter alterius onera portet. Erat enim in familia Ioſeph, Mariæ & Chriſti ſumma omniũ concordia, ſummus amor, ſumma reuerentia, humilitas, pietas, auxiliũ, & obſequium mutuum: ab ea procul aberat non tantùm rixa,



ſed

ſed & omnis mali vel leuiſſima ſuſpicio. Hinc meruerunt gignere Chriſtum Sanctum Sanctorum; nunc ſæpè in familijs ſunt proles prauæ, inobedientes ſuperbæ, rixoſæ, obſcœnæ, quia tales ſunt parentes: Patrem enim ſequitur ſua proles, quæ, quod videt & audit à patre & matre, hoc imitatur & imbibit: proles enim ſunt ſimiæ parentum.

Antequam convenirent] Putà ante congreſſum & actum maritalem, non quaſi poſteà conuenerint, vt inferebat impurus Heluidius, qui negabat B. Virginem ſemper fuiſſe virginem aſſerebatq; eam poſteà ex Ioſeph concepiſſe ac genuiſſe eos, qui in Euangelio vocantur fratres Domini, quem multis confutat S. Hieronymus, ſed tantùm vt indiceretur miraculoſa Chriſti ex Virgine ſine opera viri conceptio. Sic vulgò dicimus: Talis habuit canos, antequam ſeneſceret, ſignificātes mirum eſſe, quòd viro nati ſint cani, etiamſi is poſteà non ſenuerit, ſed ante ſenium mortuus ſit: ſignificamus enim duntaxat, quid factum ſit ante ſenium, nō quid in ſenio, vel poſt ſenium: illud enim velut impertinens tacemus & præterimus. Simile eſt, cùm dicimus: Hic puer ſapit ante virilem ætatem, hoc eſt, præcocis eſt ingenij, etiamſi ante virilem ætatem moriatur, vti ſæpè præcoces moriūtur. Porrò fratres Domini vocantur cognati Chriſti. Nam vt ait S. Hieronymus contra Heluid. fratres dicuntur quatuor modis, naturâ, gente, cognatione, affectu. Naturâ fratres ſunt, qui ex iiſdem parentibus nati ſunt: gente, qui ex eadē gente ſunt oriundi. Sic Paulus Iudæos vocat fratres ſuos Rom. 9. v. 1. & ſequenti: cognatione, quia cognati vocātur fratres in Scriptura: affectu, vt cùm Chriſtiani amant ſe mutuo amore fraterno; hic eſt enim amor fraternitatis, quem toties commendat S. Paulus.

*Fratres quadruplices.*

Inventa est in vtero, habens (grauida eſſe, vt vertit Arabic.) de Spiritv sancto] Nota Ioſephum ex tumore vteri deprehendiſſe B. Virginem coniugem ſuam concepiſſe, ſed an ſciuerit eam concepiſſe de Spiritu ſancto, dubium eſt. Affirmant S. Baſilius, Origenes, Theophylactus, & alij ſuperiùs citati. Contrarium verius eſt, quia Ioſeph volēs eam dimittere, v. ſequenti vetatur ab Angelo, qui ei ſcrupulum eximens ſubijcit: *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Ergo ante reuelationem Angeli id neſciebat; ſi enim id ſciuiſſet, noluiſſet eam dimittere.

Dicitur ergo B. Virgo *inuenta in vtero habens de Spiritu ſancto*, eò quòd reuerà concepiſſet de Spiritu ſancto. Vnde τὸ *de Spiritu ſancto* referendum eſt ad τὸ *in vtero habens*, non autem ad τὸ *inuenta.* Ita paſſim ceteri Patres & interpretes. Addit Origenes eam inuentam ab Angelis: hi enim ſciebant eam concepiſſe de Spiritu ſancto.

De Spiritv sancto] Non quaſi de Spiritus ſancti ſubſtantia deciſus ſit Chriſtus, vti ſit in alijs prolibus, quæ deciduntur à parentibus: nec de Spiritu ſancto, vt patre; quia Chriſtus, quà homo, non erat ſimilis Spiritui ſancto, qui eſt Deus in natura; ſed de Spiritu ſancto, vt ſigulo & artifice. Ita S. Ambroſius in Lucæ 1. 35. *De Spiritu ſancto* ergo, non quaſi de Patre, ſed quaſi de patris concurſum ſupplente; quod enim facit pater in matre, hoc Spiritus ſanctus fecit in Virgine, formando Ieſum per ſuam poteſtatē & operationem, ait S. Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto, cap. 5. & S. Aug. in Enchiridio c. 39. Nam materiam corporis, quam alijs filijs ſubminiſtrat tam pater quam mater, hanc ſola B. Virgo ſubminiſtrauit Filio ſuo. Vide Frāciſcum Suarez 3. par. qu. 29. art. 1. alioqui propriè *de* ſignificat cauſam efficientem, *ex* materialem. Vnde Chriſtus dicitur in ſymbolo *conceptus de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.*

Quæres cur non æquè dicit Matthęus, *in vtero habens de Patre æterno*, aut *de Filio*, ſicut dicit, *in vtero habens de Spiritu ſancto*? Reſpōdetur id ęquè vęrè eum dicere potuiſſe. Axioma enim Theologorum eſt: Opera S. Trinitatis ad extrà (in creaturis) omnibus tribus perſonis diuinis eſſe communia: ſed maluit dicere *de Spiritu ſancto*, quia ſicut potentia appropriatur Patri, & ſapientia Filio, vtpote Verbo: ſic amor, bonitas, gratia, quæ in hoc incarnationis opere maximè elucet, attribuitur Spiritui ſancto. Nam Spiritus ſanctus à Patre, & Filio procedit per ſpirationem, quaſi terminus amoris notionalis Patris, & Filij.

Porrò S. Thomas 3 par. qu. 32. art. 1. & ſeq. ac ibidem Suarez docent τὸ *de Spiritu ſancto* tria ſignificare. Primò, ex puro amore Dei & Spiritus ſancti, ſine meritis hominum peractam eſſe Verbi incarnationem. Secundò ex eadem gratia Dei & Spiritus ſancti conceptum eſſe, ſine præuijs eius meritis, Vnde S. Aug. lib. de Prædeſt. Sanct. c. 15. Chriſtum quaſi ideam prædeſtinationis & prædeſtinatorum proponens: *Ea gratia*, inquit, *fit ab initio fidei ſuæ homo quicumq; Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt, vt nullum haberet ille peccatum.* Tertiò, Chriſtū ex vi conceptionis ſuæ fuiſſe ſanctum: ſicut enim homo, qui per generationem cōmunem propagatur ex Adam peccatore, ex vi cōceptionis ſuæ naſcitur peccator: ſic Chriſtus, qui conceptus & quaſi propagatus eſt de Spiritu ſancto, ex vi cōceptionis ſuæ conceptus eſt ſanctus: quod enim operatur Spiritus ſanctus, hoc aliud eſſe nequit, quàm ſanctum; ſicut ignis non aliud producit, quàm calorem & ignem. Quartò, τὸ *de Spiritu ſancto* ſignificat Spiritum ſanctum in efformatione humanitatis Chriſti, omnem ſuam ſanctitatē in eam transfudiſſe (quantum creatura capax eſt, poteſtque ſuo creatori aſſimilari) eamq; quaſi in ſe transformaſſe, ita vt poſt ſe fecerit eam quaſi exemplar & prototypum ſanctitatis, vt ex illo, & ad illud omnem deinde ſanctitatem omnium tā Angelorum, quàm hominum quaſi expingeret & exprimeret. Humanitas Chriſti ergo fuit opus eximium, proprium & ſanctiſſimū Spiritus ſancti, in quo ipſe omnis ſanctitatis fontem conſtituit, qui ſua puritate omnes ſcelerum ſordes ablueret, omneſque peccatores (quantum in ſe eſt) ſanctificaret.

*De Spiritu ſancto tria notat.*

Porrò S. Thomas quęſt. 32. iam citatâ, artic. 2. docet præpoſitionem *de*, cùm dicitur, *de Spiritu ſancto*, ſignificare Chriſtum eſſe conſubſtantialem Spiritui ſancto quoad diuinitatem, non quoad humanitatem, quam in Chriſto operatus eſt. Verùm negat S. Auguſt. in Enchiridio, c. 39. nam, inquit, de homine naſcitur capillus, pediculus & lumbricus, quorum nihil eſt filius, quia diuerſæ ſunt ab homine ſubſtantiæ: ergo præpoſitio *de* non ſignificat rem factam eſſe conſubſtantialem ſuo factori.



Articulo verò 4. docet D. Thomas ex Ariſtotele, & ex vtroq; Suarez B. Virginem ſolùm materialiter concurriſſe ad generationem Chriſti ſubminiſtrando corpori eius materiam, putà ſanguinem, non effectiuè, quia ſic decidiſſet ſemen, quod videtur repugnare puriſſimæ eius virginitati. Verùm contrarium cenſet S. Bonauentura & Scotus ex Galeno, qui docet matrem non tantū materialiter, ſed & effectiuè (licèt debiliori actione, quàm pater) cōcurrere ad generationem prolis: quare valdè probabile eſt B. Virginem effectiuè quoq; concurriſſe ad generationē Chriſti, quia ſic magis fuit mater Chriſti, quàm ſi ſolùm materiam ſubminiſtraſſet. Nec id obſtat illibatæ eius virginitati, quia ſine omni concupiſcentia inoperante Spiritu ſancto puriſſimus eius ſanguis (qui vicem habuit ſeminis) deciſus eſt ad formandum corpus Chriſti.

*B. Virgo effectiuè concurrit ad generationem Chriſti.*

Vers. 19. Ioseph avtem vir eivs cvm esset ivstvs, et nollet eam tradvcere, volvit occvlte dimittere eam] Primò, S. Chryſoſtomus hîc, S. Auguſtinus epiſtolâ 52. ad Macedonium, S. Iuſtinus contra Triphon. Franciſc. Lucas hîc cenſent Ioſephum malè ſuſpicatum de B. Virgine, quòd ex alio viro cōcepiſſet; id enim innuere videtur τὸ *traducere*: ſed procul abſit hæc ſuſpicio à viro tam probo de virgine tam ſancta. Quomodo enim Ioſeph de tali ſuſpicari potuiſſet eam adulterium commiſiſſe, vel fornicatam eſſe in domo parentum?

*Cur Ioſeph voluit dimittere B. Virginem. Reſp. Primò.*

*Secundò.* Secundò, alij cenſent Ioſephum ex reuerentia voluiſſe dimittere B. Virginum, quòd ſe indignū cenſeret illâ, quam Deus fœcundaſſet. Vnde cēſent pariter, quòd S. Ioſeph B. Virginem comitatus ſit dum viſitaret Eliſabeth, ab eaque audierit B. Virginem ſalutari matrem Dei, ideoque eâ ſe putaſſe indignum. Ita Origenes & S. Baſilius locis iam citatis, Theophylactus hîc & S. Bernardus hom. 2. ſuper *Miſſus eſt.* Idipſum ſibi reuelatum aſſerit S. Birgitta lib. 7 Reuelat. c. 25. vnde noſter Salmeron lib. 3. c. 30. tredecim rationibus hoc ipſum confirmat.

*Tertiò.* Tertiò, planè & genuinè, Ioſeph videns B. Virginem grauidam, rei nouitate fuit attonitus, & ſuſpenſus varios animi motus æſtuſque ſentiebat, ex quibus ſic ratiocinabatur: Scio hanc Virginem eſſe ſanctiſſimam, vnde illam fidem mihi datam fefelliſſe non credo. Eſt tamen grauida, ſcio, quòd non ex me; ex quo neſcio. An fortè à ſponſo aliquo priore? an in itinere viſitatura Eliſabetham ab aliquo vim paſſa? an dormiens à ſpiritu quodam illuſa? an potiùs, quòd eius ſanctitas ſuadet ab Angelo vel Deo ipſo impregnata? ſi ita eſt, nolim ego detinere illam, quam Angelus vel Deus ſibi ambit: indignus ea ſum, quæ digna eſt Deo, vel Angelo: quare illam ei reſignabo, & à me dimittā. Id permiſit Deus, vt conceptus Virginis ex Spiritu ſancto, tum à Ioſepho, tum ab Angelo omnibus teſtatus fieret; ſicut permiſit S. Thomam dubitare de reſurrectione Chriſti, vt ipſe tangens Chriſti vulnera, fieret teſtis irrefragabilis reſurrectionis eiuſdem. Ioſeph ergo vir iuſtus docet coniuges & fideles, ne ob indicia de perſonis probis & ſanctis malè ſuſpicentur, ſed in indicijs ſiſtant, nec vlteriùs pergant ad inferendam conſequentiam criminis, ſed potiùs illa in meliorem partem interpretentur.

Dices, cur Ioſeph non interrogauit B. Virginem, quid ſibi vellet vteri tumor, & ex quo eſſet grauida? Reſpondetur, fuit hic primus quaſi motus mentis Ioſephi, quem ex verecundia tacuit, mox præuentus fuit ab Angelo, qui pro Virgine reſpondit, eamque excuſauit, dicens eam concepiſſe ex Spiritu ſancto.

B. Virgo autem ex modeſtia, noluit vltrò ſecretum hoc diuinum Ioſepho pādere, ne ſua dona tāta & tam diuina iactare videretur, ſed Deo, Deique prouidentiæ & curæ, cuius totum hoc opus erat, idipſum reſignauit, certiſſimè cōfidens Deum ſuam innocentiam & famam tutaturum, ac rem totam opportunè vel patefacturum, vti paulò antè Eliſabethæ cognatæ patefactum eſſe experta erat, vel directurum omnia ad maiorem ſuam gloriam, & conſequenter ad maiorem conceptionis huius honorē & venerationem. Vnde vide hîc, & mirare magnanimitatem, & magnanimam B. Virginis in Deum reſignationem & confidentiam, qua omne hoc ſuſpicionis ſiniſtræ & infamiæ periculum metumque diſcuſſit: qua in re rarum dedit exemplum æquanimitatis & conſtantiæ vxoribus, quæ maritos habent zelotypos, æquè ac fiduciæ in Deum, vt ſperent, quòd Deus innocentiam & caſtitatē eorum pandet, proteget, & celebrabit, vti hîc fecit B. Virgini. Ita S. Hieronymus, *Hoc*, ait, *teſtimonium Mariæ eſt, quòd Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod euenerat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat.* Et S. Ambroſius in cap. 1. Lucæ: *Maluit*, ait, *Dominus quoſdam de ſua generatione, quàm de matris pudore dubitare.*

Hinc videtur S. Ioſeph non fuiſſe comitatus B. Virginem, dum ipſa mox à conceptione Chriſti viſitauit S. Eliſabeth: ſi enim fuiſſet comitatus, vidiſſet & audiſſet magnalia & mirabilia de B. Virgine, quæ omnem ei ſcrupulum exemiſſent, nec de eius dimiſſione cogitaſſet: ac præſertim illud quod dixit S. Eliſabeth B. Virgini: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Inde enim ſciuiſſet B. Virginem non tantùm concepiſſe ex Deo, ſed concepiſſe ipſummet Deum, eumque vtero ſuo geſtare. Nota, Ioſeph hîc vocatur iuſtus, id eſt, probus, vtpote qui ex charitate vellet coniugis ſuę famæ, imò & dignitati conſulere, dū eam occultè dimittere cogitat, qua ſe putat indignùm. Cenſent S. Hieronymus & Theophylactus lege veteri præceptum fuiſſe maritis, vt vxores, ſi adulterium commiſiſſent, traducerent, & apud iudices accuſarent, traderentq; puniendas. Verum nullum locum, in quo id præceptum ſit, afferunt. Nam locus ille. Num. 5. 2. id tantùm permittit, non verò præcipit, ſed, vt dixi, hoc crimen procul aberat à B. Virgine, & eius ſuſpicio procul à Ioſepho.

Luc. 1. 43.

Tradvcere] non in domum ſuam, vt vult Abul. Græcè enim eſt παραδειγματίσαι, id eſt, infamare, propalare, publicum exemplum facere, & vt S. Auguſt. epiſt. 50. ad Paulinum verbotenus vertit, *exemplare.* Solebant enim adulteras in

in Creta, ſicut captiuos Romæ, per mediam vrbem populo ſpectandos & deridendos traduceſe, inde traducere ſignificat diuulgare, diffamare. Vnde illa lex olim, & pœna in lenas, *Lenæ & polygami mithellati per publica ciuitatis loca efferuntur, vt catamidientur & derideantur.* Et Propert.

*Nec ſic infamis totam traduceret vrbem.*

Vide Budæum in Pandectas pag. 263. in verbo καταμεσιδάω, id eſt, derideo, traduco.

VOLVIT OCCVLTE DIMITTERE EAM] per ſecretum diuortium dando ei occultè libellum repudij, ait Abulenſis hic q. 39. aut potius & honeſtiùs ſecedendo ab ea prætextu peregrinationis, quaſi abiturus in longinquam regionem. Ita Maldonatus. Vnde Syrus vertit: *Et cogitabat clam illam derelinquere:* Arabic. *Cùm non vellet eam diuulgare, cogitauit de dimiſſione eius occultâ.*

VERS. 20. HÆC AVTEM EO COGITANTE (Non planè decernente: fuit enim hæc prima cogitatio & quaſi primus animi motus) ECCE ANGELVS DOMINI APPARVIT EI IN SOMNIS, DICENS: IOSEPH FILI DAVID NOLI TIMERE ACCIPERE (id eſt, acceptam retinere, eique deinceps indiuulsè conuiuere, iam enim duxerat in vxorem, vt dixi verſ. 18.) MARIAM CONIVGEM TVAM, QVOD ENIM IN EA NATVM EST, DE SPIRITV SANCTO EST] *Natum*, ſimul ſcilicet & eodem tempore conceptum, formatum, & animatum: hoc enim propriè dicitur γεννηθὲν, id eſt, generatum, & natum. Vide Abulenſem qu. 53. & S. Thomam 3 par. qu. 33. & 34. vbi docet Chriſti corpus à Spiritu ſancto primo conceptionis ſuæ inſtanti quoad omnia membra fuiſſe. Primò, Perfectè formatum & organizatum. Secundò, animatũ animâ rationali. Tertiò, aſſumptum à Verbo. Quartò, animam Chriſti fuiſſe impletam omni ſapientiâ & gratiâ capitis, quã ſcilicet influeret in omnia membra, id eſt, in omnes fideles. Quintò, eamdem vidiſſe Deum per viſionem beatificam. Sextò, eamdem vlam ratione etiam extra viſionem beatificam, per ſcientiam infuſam, ac per eam cognouiſſe ſe vnitam Verbo hypoſtaticè, ideoque pro hac vnione & exaltatione ſummas Deo egiſſe gratias: Deum verò ei reuelaſſe ſuam voluntatem de eius morte & cruce, vt per illam homines redimeret & ſaluaret: ipſam verò mox id acceptaſſe, ſeſeque Deo in holocauſtum & victimam pro peccato ad mundi ſalutem vltrò ſummâ humilitate, obedientiâ, reuerentiâ, amore, exultatione, & iubilo mentis obtuliſſe, dicendo: *Ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Pſal. 39. 8. & Hebr. 10. 7. Vide ibi dicta.

*Natum in Chriſto ſex mira denotat.*

DE SPIRITV SANCTO] Qui modo ineffabili & diuino hæc omnia, quæ dixi, in B. Virgine operatus eſt. Præclarè S. Auguſt. epiſtol. 54. ad Macedonium: *Apparuit*, inquit, *illi Angelus, qui doceret eſſe numinis, quod ille putauerat criminis.* Putat enim Auguſtinus Ioſephum voluiſſe dimittere B. Virginem ob ſuſpicionem adulterij, vti ſuperiùs dixi.

VERS. 21. PARIES AVTEM FILIVM, ET VOCABIS NOMEN EIVS IESVM: IPSE ENIM SALVVM FACIET POPVLVM SVVM A PECCATIS EORVM] Si Ieſus, qui, vt ſequitur, eſt *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, eſt partus & filius B. Mariæ, vt hîc dicitur; ergo ipſa eiuſdem eſt mater, ideoque non tantùm Chriſtipara, ſed & Deipara, vti definiuit Concilium Epheſinum contra Neſtorium: Mater enim & filius ſunt correlatiua. Rurſum damnatur hîc Valentinus, qui docebat Chriſtum è cælo corpus cæleſte detuliſſe, ac per B. Virginem tantùm quaſi per canalem tranſiſſe: quia, quæ parit filium, hæc verè mater eſt filij, eique corpus & membra omnia ſubminiſtrat, imò efformat.

IESVM] id eſt, Saluatorem. Hoc nomen fuit proprium Chriſto, hîc ab Angelo prænuntiatum, ſed in circumciſione illi inditum, quod eius officium, dignitatem, imò totam vitam quaſi per compendium ſignificat & repræſentat. Vide quę de hoc nomine dixi Num. 13. 17. & S. Bernard. ſerm. 15. in Cant.

VERS. 22. HOC AVTEM TOTVM FACTVM EST, VT ADIMPLERETVR QVOD DICTVM EST A DOMINO PER PROPHETAM DICENTEM? ECCE VIRGO CONCIPIET ET PARIET FILIVM, ET VOCABVNT NOMEN EIVS EMMANVEL, QVOD EST INTERPRETATVM, NOBISCVM DEVS] Syrus: *Et vocabunt nomen eius Amanuil, quod exponitur, nobiſcum Deus noſter.* Perſicus: *Immanuil. id eſt quod in nobis habitet Deus.* Ægyptiacus: *Et imponent nomen ei Emmanuel, cuius interpretatio eſt, quod Deus apud nos.* S. Matthæus lectori, vel vt alij, Angelus Ioſepho refricat oraculum Iſaię, cap. 7. 14. vt ſignificet illud iam impletum eſſe in hoc B. Virginis ſponſæ ſuæ cõceptu, & plenè implendum in eius partu, ideoque Ioſephum nuncupauit filium Dauid, quia idipſum Dauidi à Deo promiſſum fuerat. Porrò oraculum hoc expoſui Iſaiæ 7. Vide ibi dicta, ne idem hîc repetere cogar.

ECCE] Vox eſt excitans attentionem, conſiderationem & admirationem. q. d. Ecce ô Angeli, ô homines vniuerſi, videte & admiramini rem nouam, admirandam, & omnibus ſæculis inauditam, quòd Virgo concipiet & pariet Emmanuelem, hoc eſt, Deum hominem factum. Vnde Ieremias idem obſtupeſcens exclamat cap. 31. 22. *Creauit Dominus nouum ſuper terram: Femina circumdabit virum.* Primus Perſarum rex Cyrus, teſte Xenophonte, nil admirabatur, ſuoſque docebat, *nil in terris admirari.* Hoc enim eſſe magni animi & regij, omnia quaſi ſub ſe poſita deſpicere, vt parua & minora ſe. Et Seneca aiebat ſapientem nihil mirari, quia terris altior cuncta ſub ſe deſpicit. At in diuinis omnia ſunt admiranda, quia magna, imò maxima, præſertim hoc Emmanuelis myſterium, quòd eſt magnum diuinæ pietatis ſacramentum, vt ait Apoſtolus 1. Tim. 3. 10. Igitur ſtupenda & admiranda eſt pietas magni Dei, qui per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitauit nos oriens ex alto. Ecce ergo Verbum infans, puer ſapiens, Deus homo, ait S. Bernardus. Docent Theologi, virique contęmplatiui, hoc myſterium varijs modis nos poſſe conſiderare & meditari, vt per modum compaſſionis, gaudij, gratiarum actionis, amoris, imitationis, ſed ſublimiſſimè per modum ſtuporis, vt quaſi ſtupentes & attoniti iugiter ſtemus ad tantam Dei noſtri dignationem, quâ ad nos terræ vermiculos deſcendere, & vermis nobiſcum fieri dignatus eſt, idque non propter ſe, ſed propter nos,

*Sapiens nil miratur, niſi Verbum incarnatum.*



nos, vt homines velut vermes ſibi vniret, faceretque deos. Ita ſtupebat illud B. Virgo, S. Paulus, S. Bernardus, S. Franciſcus, alijque maximi Sancti; qui planè pleneque mundum, & omnia, quæ in mundo ſunt, vti exilia, breuia & caduca contempſerunt, totumque amorem, cogitationem, & ſtuporem defixerunt in Verbo incarnato, iugiterque cum Ieſu verſati ſunt, cetera omnia deſpicientes.

*Emmanuël quid?*

EMMANVEL] Syrus interpretatur; *Ammam, Elohan*, id eſt, *nobiſcũ Deus noſter*, ſed τὸ *noſter* non eſt in Hebręo *Emmanuel*. Ex Syro liquet potuiſſe S. Matthæum, ſi Syriacè ſcripſit (vt multi putant, eò quòd Iudæi, quibus ipſe ſcribebat, tempore Chriſti Syriacè loquerentur) Hebræum *Emmanuel* interpretari Syriacè *Amman Eloha*, id eſt, *nobiſcum Deus*; imò Munſterus, & alij, qui Euangelium S. Matthæi ex Latino vertunt in Hebræum, vnicam vocem Hebræam *Emmanuel* interpretantur per duas; vnde ſic habent: *Emmanuel, quod interpretatur, immanu Elohim*; id eſt, nobiſcum Deus.

*Quid Noel Gallorum?*

Alij putant hanc interpretationem factam ab interprete Græco, & deinde Latino. Galli *Emmanuel* per aphęreſin decurtarunt in *Noël*, quod in Chriſti natalitijs decantant & ingeminant. Iam nomen *Emmanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, ſignificat Verbi incarnationem, & omnem eius in carne œconomiam. Ita S. Chryſoſtomus, quia per eam propriè & phyſicè nobiſcum fuit Deus per carnem & conuerſationem; ethicè verò per reconciliationem & gratiam.

Dices, quomodo nomen *Ieſus* idem eſt, quod *Emmanuel*, vt innuit hîc S. Matthæus? Reſpondet Tertullianus libr. contra Iudæos idem eſſe non ſono, ſed ſenſu. Eſſe enim nobiſcum Deũ (quod ſignificat *Emmanuel*) idem eſt, quod eſſe *Ieſum*, id eſt Saluatorem: nec enim alius à Deo poterat nobis eſſe ſaluator. Nota Hebraiſmum, quo vocari ſumitur pro eſſe, q. d. Ieſus *vocabitur*, id eſt, erit Emmanuel, quia in ipſo, & per ipſum nobiſcum erit Deus, vt ipſe iure vocari poſſit Emmanuel. Eſt metonymia, cui planè ſimilis eſt Ieremiæ 23. 6. Zacharię 8. v. 3. & Iſaiæ 9. 6. *Et vocabitur nomen eius*, inquit, *admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Hęc enim omnia ſignificãtur vel explicitè, vel implicitè nomine Ieſu, id eſt Saluatoris. Vide ibi dicta.

Nota, Chriſtus ab Iſaia & Matthæo non vocatur *Emmanu Iehoua*, vel *Emmanu Adonai* aut *Elohim*, ſed *Emmanu El*, cùm tamen hæc omnia ſint nomina Dei; quia *Iehoua* notat Dei eſſentiam, ſignificatque Deum, quatenus eſt primum, ſummum & immẽſum ens, à quo omnia entia ſuum eſſe participant. *Adonai* notat Dei dominium, ſignificatque Deum, quatenus ipſe ſupremus eſt omnium Dominus. *Elohim* notat Dei prouidentiam, ſignificatque Deum, quà gubernator eſt, iudex & vindex omnium. *El* verò notat Dei robur & omnipotentiam, ſignificatque Deum, quà fortis eſt & omnipotens; quia Deus in incarnatione & Chriſto ſummum robur & potentiam oſtendit, dum per Chriſtum debellauit hoſtes potentiſſimos, ſcilicet dæmones, infernum, mortem, & peccatum, imò & peccata & vitia omnia quantumuis enormia & plurima. Hinc & Angelus nuntians hoc myſterium dictus eſt *Gabriel*, id eſt, *fortitudo Dei.*

Hinc & tropologicè nota: *Nobiſcum* eſt *Deus*, non tantùm per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, vti eſt in omnibus & ſingulis creaturis, ſed etiam per incarnationem verè, propriè & realiter nobiſcum eſt quaſi frater, viuens, loquens, conuerſans nobiſcum in natura humana à ſe aſſumpta; inde ſecundò nobiſcum eſt, ſeu caput cum ſuis membris. Chriſtus enim quaſi caput fidelium in eos ſenſum & motum ſpiritualem, æquè ac directionem & regimen influit. Tertiò, idem iam incarnatus in Euchariſtia nobiſcum eſt, quaſi cibus ſua carne nos paſcens, & ſuo ſanguine potans. Hęc phyſicè. Quartò, ethicè Chriſtus eſt cum Eccleſia, quaſi ſponſus cum ſponſa ei aſſiſtens, protegens, ſuſtentans, ornans, fœcundans. Vnde Pſaltes: *Si ambulauero*, ait, *in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecũ es.* Pſalm. 22. 4. Fidelis ergo in quauis difficultate, labore, tribulatione inuocet Emmanuelem, id eſt, Deum nobiſcum in carne verſantem, lætuſque dicat: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ, ibi me collocauit, &c. deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ.* Ibidem verſ. 1. Et Pſalm. 26. 1. *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quẽ timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? &c. ſi conſiſtãt aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me præliũ, in hoc ego ſperabo.* Et cum Paulo: *Si Deus pro nobis* (imò cum nobis) *quis contra nos?* Roman. 8. Iam ergo cuiuis fideli, præſertim Sancto aut martyri, dicere licet id quod Angelus dixit Gedeoni, Iudic. 6. 22. *Dominus tecum virorum fortiſſime.*

*Nobiſcum Deus in Chriſto quadrupliciter. Primo. Secundo. Tertiò. Quartò.*

VERS. 24. EXVRGENS (Græcè διεγερθεὶς, id eſt, expergefactus, excitatus) AVTEM IOSEPH A SOMNO, FECIT SICVT PRÆCEPERAT EI ANGELVS DOMINI, ET ACCEPIT, id eſt, iam acceptam non dimiſit, ſed retinuit CONIVGEM SVAM] hoc enim præceperat ei Angelus.

VERS. 25. ET NON COGNOSCEBAT EAM DONEC PEPERIT FILIVM SVVM PRIMOGENITVM: ET VOCAVIT NOMEN EVS IESVM.] Primò S. Hilarius citatus hîc à S. Thomâ in Catena, Dionyſ. Carthuſian. & Gagneius ſic exponunt. q. d. Sicut Iudæi non potuerunt inſpicere & cognoſcere faciẽ Moſis ob radios lucis, quos quaſi cornua illi Deus afflauerat, dum cum eo colloqueretur in Sina, Exodi 34. v. 29. & ſeq. Sic nec Ioſeph poterat intueri & cognoſcere B. Virginẽ, vt pote quę Deum habebat in vtero, ideoque facie erat radiantiſſima; nato autem Chriſto fulgor hic & gloria faciei deſijt, tumque à Ioſeph videri & agnoſci potuit. Ita ipſi.

Secundò, è contrario S. Epiphan. hæreſi 30. quæ eſt Ebionæorum ſic exponit, q. d. Ioſeph mente non cognouit, nec penetrauit ſanctitatem & dignitatem B. Virginis ſuæ ſponſę, donec ipſa peperit Chriſtum. Verùm hæc vel aliena ſunt, vel ſymbolica & myſtica.

Tertiò ergo ad literam genuinè cognoſcere coniugem in Scriptura ſignificat copulam maritalem, ſiue actum coniugalem: hunc enim excludit à Chriſto, vt ſignificet eum non ex Ioſeph, ſed ex Spiritu ſancto conceptum.

DONEC]. Hinc inferebant hæretici; ergo poſtquam peperit filium, Ioſeph illam cognouit. Vnde negabant B. Virginem ſemper manſiſſe virgi-

virginem,eamque aſſerebant virginitatem perdidiſſe poſt partum. Ita Heluidius,Iouinianus, Ebionæi,ceterique Antidicomariani,quos confutatS. Epiphanius,S. Hieronymus,S. Auguſtinus, & alij, qui docent τὸ *donec* dumtaxat ſignificare quid ante partum factum ſit,non quid poſt partum,hoc enim ad hunc locum erat impertinens. Hac enim voce *donec* tantùm voluit Matthæus aſſerere rem miram,inauditam & naturaliter incredibilem, ſcilicet conceptionem Chriſti ſine patre ex ſola matre virgine. Simili modo ſumitur τὸ *donec* vel *vſque*, Pſalm. 109. 2. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; non quòd tunc vlteriùs non ſedebis, ſed quod tunc longè glorioſior,quaſi victor & triũphator ſedebis ad dexteram meam. Et Matth. 5. 26. *Non exies inde,donec reddas nouiſſimum quadrantem*,hoc eſt, numquam exibis de carcere gehennæ. Et 2. Reg. 23. *Michol filiæ Saul non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ*,id eſt, nunquã. Et Geneſ. 8. 8. de coruo à Noë emiſſo ex arca dicitur: *Non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ*,id eſt, nunquam eſt reuerſus. Sic dicimus: S. Agnes manſit virgo, donec mortua eſt, id eſt, ſemper manſit virgo; nec enim poſt mortem virginitatem perdere potuit.

Donec quid notet?

Inſtabis: S. Matthæus ait: *donec peperit Filium ſuum primogenitum*: ergo alij deinde fuere ab ea geniti ex Ioſeph, ſcilicet qui in Euangelio vocantur fratres Domini. Reſp. nego conſequentiam, Primogenitus enim in Scriptura dicitur omnis is,ante quem nemo eſt natus, etiamſi ſit vnigenitus,vt patet, Exodi 4. 22. & cap. 13. 2. τὸ enim *primò* negat tantùm anteriores fuiſſe filios, nec requirit aut præſupponit poſteriores extitiſſe: ſic etiamnum primogenitus vocatur is,qui eſt vnigenitus,

*Primogenitus quis.*

Igitur B. Virginem ſemper manſiſſe virginem dogma eſt fidei,vt patet Lucæ 1. 34. Ezech. 44. 2. & ex conſenſu Patrum omnium,ac communi Eccleſiæ ſenſu,iugique traditione. Vide S. Hieronymum contra Heluidium initio tom. 2.

# CAPVT SECVNDVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*DEſcribitur primò Magorum per ſtellam vocatio, & adoratio Chriſti. Secundò v. 13. fuga Chriſti in Ægyptum. Tertiò v. 16. infanticidium Herodis. Quartò v. 20. Chriſti ex Ægypto reditus & seceſſus in Nazareth.*

1. CVm ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis regis: ecce
Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, 2. dicentes: Vbi eſt qui natus
eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellã eius in oriente,& venimus adorare eum.
3. Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo.
4. Et congregans omnes principes ſacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab
eis vbi Chriſtus naſceretur. 5. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ; ſic ſcriptum
eſt per Prophetam: 6. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in
principibus Iuda: ex te enim exiet dux,qui regat populum meum Iſrael. 7. Tunc
Herodes,clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit
eis: 8. & mittens illos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de
puero: & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.
9. Qui cùm audiſſent regem, abierunt, & ecce ſtella,quam viderant in oriente,
antecedebat eos, vſquedum veniens, ſtaret ſuprà vbi erat puer. 10. Videntes
autem ſtellam,gauiſi ſunt gaudio magno valdè. 11. Et intrantes domum,inuene-
runt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis
theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. 12. Et reſpon-
ſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in re-
gionem ſuam. 13. Qui cùm receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis
Ioſeph,dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: & e-
ſto ibi vſquedum dicam tibi. Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad
perdendum eum. 14. Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius nocte,
& ſeceſſit in Ægyptum, 15. Et ibi erat vſque ad obitum Herodis, vt adimplere-
tur quod dictum eſt à Domino per Prophetam,dicẽtem: Ex Ægypto vocaui filium
meum. 16. Tunc Herodes videns,quoniam illuſus eſſet à Magis,iratus eſt valdè:
& mittens occidit omnes pueros,qui erant in Bethleem,& in omnibus finibus eius,
à bimatu, & infrà, ſecundùm tempus,quod exquiſiuerat à Magis. 17. Tunc ad-
impletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem: 18. Vox
in Rama audita eſt,ploratus,& vlulatus multus,Rachel plorãs filios ſuos, & noluit
conſolari, quia non ſunt. 19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini
apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto, 20. dicens: Surge, & accipe puerum &
matrem eius,& vade in terram Iſrael; defuncti ſunt enim, qui quærebant animam
pueri.



pueri. 21. Qui conſurgens, accepit puerum & matrem eius,& venit in terram
Iſrael. 22. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode pa-
tre ſuo,timuit illò ire: & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ. 23. Et
veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum
eſt per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

VERS. 1. CVM ERGO NATVS ESSET IESVS IN BETHLEEM IVDA, IN DIEBVS HERODIS REGIS] *Iuda*, ita legendum cum Romanis & Græcis non *Iudæ*,multò minùs *Iudææ*. Iuda vocabatur tribus Iuda, cui poſt ſchiſma decem tribuum creantium ſibi regem Ieroboam, adhæſit tribus Benjamin, atque hoc duarum tribuum fuit regnum Iuda,in quo regnauit Roboam, ceterique ejus poſteri vſque ad captiuitatem Babylonicã. Addit hoc *S.* Matthæus ad diſtinctionem alterius Bethleem,quę erat in Galilęa in tribu Zabulon,de qua Ioſue 19. 15. Ita *S.* Hieronymus. Porrò Herodes hic fuit primus, Antipatri filius,cognomento Aſcalonita & Magnus, gente Idumæus,quem Senatus Romanus commendatione Antonij,primum ſubactæ Iudææ regem creauit, teſte Ioſepho lib. 14. Antiq. cap. 18. vel iuxta aliam diſtinctionem 26. Matthęus Herodem nominat,vt innuat tranſlatum iam eſſe ſceptrum à Iuda in alienigenũ, qualis erat Herodes,ac proinde veniſſe iam Meſſiam, ſiue Chriſtum: hoc enim ſignum aduentus eius fore prædixerat, & prophetarat Iacob Patriarcha, Geneſ. 49. 10. Ita *S.* Chryſ. & Theophyl. Id audiens & aduertens Herodes,vt regnum ſibi ſtabiliret,hoc oraculum in ſe declinauit, voluitque ipſe haberi Meſſias; atque ideò magnificentiſſimum templum Iudæis ædificauit,illudque anniuerſario regni ſui die natali dedicauit, teſte Ioſepho lib. 15. Antiq. ca. 14. & lib. 20. c. 8.

*Herodes Aſcalonita quis.*

Porrò huius Herodis Aſcalonitæ filius fuit Herodes Antipas, qui Ioannem Baptiſtam decollauit, & Chriſtum in paſſione veſte albâ induit, & illuſit: nepos verò eius ex Ariſtobulo filio fuit Herodes Aprippa, qui Iacobum Apoſtolum fratrem Ioannis occidens, ab Angelo percuſſus interijt. Act. 12. cuius Agrippæ filius fuit Herodes Agrippa iunior, coram quo Paulus vinctus cauſam ſuam perorauit. Actor. 25. 23 & ſeq.

*Herodes Antipas filius.*

*Herodes Agrippa nepos.*

*Herodes Agrippa iunior.*

Denique noſter Salianus,Scaliger,& alij cenſent Chriſtum natum anno regni Herodis 36. & penultimo,regnauit enim 37. annis,de quo plura verſ. 16. licèt Baronius putet Chriſtum natum anno regni Herodis 20. Abulenſis 30. Beda 31. Euſebius 32. Seuerus Sulpitius 33. Torniellus 34. alij alio, vt nil certi in re tam noua & incerta ſtatui poſſit.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERVNT HIEROSOLYMAM, DICENTES: VBI EST QVI NATVS EST REX IVDÆORVM] *Magi*, eſt nomen vſitatum apud Perſas (vnde Euangelium Perſicũ hoc loco habet *Maguſan*, hoc eſt, Magi, ſapientes, Aſtrologi) ſignificans ſapientes & Philoſophos. Videtur autem origine eſſe Hebręum, vt cenſet Genebrardus in Pſalm. 1. à radice הָגָה *haga*, id eſt, meditari inde מָגִים *magim*, q. d. meditantes, ſpeculantes, *Meditatio enim eſt clauis ſapientiæ*, vt ait Ptolomæus in proœmio Almageſti: hinc meditabundi vel ſunt vel fiunt ſapientes. Hebræos ſecuti Chaldæi ſuos Philoſophos vocabant Magos teſte *S.* Hieronymo in c. 2. Danielis & Eugubino lib. 1. de Perenni philoſophia c. 3. Inde Arabes, Syri, Perſæ, Æthiopes, & alij Orientales (quorũ linguæ,vel proles ſunt, vel cognatæ & affines linguæ Hebrææ) ſuos ſapientes & Aſtrologos vocant Magos, teſte Plinio lib. 25. c. 2. & Tertulliano lib. contra Iudæos. Magia ergo hæc naturalis, aſtrologica, licita & bona fuit, ſed ex Aſtrologorum abuſu tam nomẽ quàm res in vitium abijt, æquè ac aſtrologia iudiciaria (imò Aſtrologos iudiciarios fuiſſe hos Magos, opinatus eſt Origenes) hinc Magos iam vocamus ſagos & incantatores. Quocirca perperam Munſterus in Euangelio Hebręo (quod ipſe quaſi autographum *S.* Matthæi nobis obtrudit) pro *magi* vertit מְכַשְּׁפִים *mecaſſephim*, id eſt, *præſtigiatores, incantatores.* Nam Syrus, Arabicus, Perſicus, Ægyptius, æquè ac Græcus, & Latinus retinent vocem *Magi*: ſolus Æthiopicus pro *Magi* habet *adoratores*, quia Magi hi venerunt ad adorandum Chriſtum.

*Magi quis.*

Nouè quoque & perperam Theod. Beza Caluiniſta putat Magos hos oriundos, dictoſque à magia regione Mediæ, de qua Herodotus lib. 1. & 3.

Plura de Magorum nomine, vociſque vſu vide apud Baronium & Ianſenium hîc.

VENERVNT HIEROSOLYMAM] Tum quia Magi Regem Iudæorum in vrbe regia quærendum cenſebant. Ita *S.* Leo: tum quia Hieroſolymis erant Pontifices, Scribæ, & legis doctores, qui ex oraculis Prophetarum ſcire poterant, vbi & quando naſceretur Chriſtus, vti de facto hîc reſpõderunt eum naſciturum in Bethleem. Prudenter enim Magi licèt ſtellam haberent, voluerunt etiam illos adire quaſi animatos Dei interpretes, ideoque ſtella inanima ibi ſe ſubduxit, vt cogeret Magos adire Scribas; vult enim Deus homines per homines, & doctores à ſe ſtatutos viam ſalutis edoceri.

AB ORIENTE] Græcè ἀπὸ ἀνατολῶν, id eſt, *ab Orientibus*, quaſi ex diuerſis Orientis regionibus vel prouincijs venerint hi Magi. Nota, Saba, Madian, & Epha, filij Abrahæ ex Cetura, datis muneribus ſeparati ſunt à Patre Abraham, ab Iſaac filio Saræ herede ſuo, hinc ab eo diſceſſerunt ad plagam orientalem, fueruntque incolæ Arabiæ felicis. Gen. 25 6. vnde in Scriptura vocantur *filij Orientis.* Quocirca Epiphan. in fine Panarij ait, Magos hos fuiſſe ſucceſſores Abrahæ patris credentium ex Cetura, habitantes in partibus Arabiæ Magodiæ regionis.

*Filij Orientis quis?*

Quæres, ex qua regione venêre Magi? Primò, Clemens Alex. *S.* Chryſoſt. Cyrill. Alex. & *S.* Leo, quos citat Baronius, cenſent veniſſe ex Perſia, hæc enim orientalis eſt reſpectu Iudææ, Verùm obſtat diſtantia nimia. Perſia enim trecentis leucis diſtat à Iudæa, quod iter tredecim diebus ægrè conficere potuiſſent Magi. Verum eſt dromedarijs, qui quotidie 40. leucas decurrunt, potuiſſe abſolutè hoc iter tot diebus à curſoribus

*Magos fuiſſe Perſas cenſent multi.*

ſoribus peragi: verum reges delicijs rhediſque ſuis aſſueti non ſunt curſores nec ſolent, imò non poſſunt ita continuò decurrere. Communior enim patrum & doctorum ſententia eſt, Magos die 13. ab ortu ſtellæ, & à natiuitate Chriſti veniſſe in Bethleem, Chriſtumq; adoraſſe, idq; inquit τὸ *ecce*, & quia ipſi Chriſtum cum parentibus in Bethleem apud peregrinos adhuc hærentem inuenerunt, qui paulò poſt cum iiſdem in Nazareth ciuitatem ſuam redijt: ita cenſent S. Auguſt. ſer. 1. 2. & 3. de Epiphan. & S. Leo ſer. de Eadem, ac ceteri: vnde & Eccleſia hoc myſterium recolit & celebrat die 13. à natali Chriſti.

*Alij putant fuiſſe Chaldæos.*

Secundò, alij veriſimiliùs putant Magos fuiſſe Chaldæos: tum quia Chaldæi erant aſtrologiæ dediti, ſicut Magi hi ex intuitu ſtellæ agnouerunt Chriſtum: tum quia ipſi poſteri erant Abrahæ, qui à Deo è Chaldęa reuocatus eſt in Iudeam. Ita opinantur S. Hieronymus Chalcidius Platonicus ſcribens in Timæum Platonis, Ianſen. & Gloſſa, ſiue Strabus, hic enim auctor fuit Gloſſæ.

*Alij Meſopotamios.*

Tertiò, Abulenſis in Numer cap. 24. & noſter Sebaſt. Barradius hîc cenſent Magos fuiſſe Meſopotamios, quia inde oriundus fuit Balaam, qui hanc Magorum ſtellam prædixit. Numer. 24. 27.

*alii Indos.*

Quartò, Nauarrus tract. de Oratione cap. 21. aſſerit ſe accepiſſe ab Hieron. Oſorio Epiſcopo Algarbiorum, & celebri ſcriptore, in vetuſtiſſimis Calecutij annalibus haberi, regem Calecutij fuiſſe vnum è Magis, aut certè primarium ſocium trium Magorum. Credibile eſt id poſteà factũ, cùm Magi ibidem cum S. Thoma Apoſtolo prędicarunt. Vide Oſorium lib. 1. de Geſtis Emmanuelis regis Luſitan. vbi aſſerit ex Indorum traditione regem Cranganoris, qui non longè diſtat à Calecutio, fuiſſe vnum è Magis: hunc enim duobus Magis, è Perſide & Carmania, ſtellâ duce, ad Chriſtum properantibus, tertium ſe ſociũ adiunxiſſe, ideoque *Chereperimale*, id eſt, vnum è tribus nominatum. Addit eumdem fuiſſe colore ſubnigro, & quaſi Æthiopem. Similia habet noſter Maffeius lib. 2. Hiſt. Indicæ, vbi eumdem vocat *Pirimal*, aſſeritque Culani regem fuiſſe, ac Sibyllæ Indicæ monitu, duce ſtellâ ad Chriſtum veniſſe.

*Verius eſt fuiſſe Arabes.*

*Probat. Primo.*

Quintò, & veriſimillimè, Magi hi fuêre Arabes orientales. Vnde Cornelius Tacitus li. 5. Hiſtor. ait, Iudæam ab Oriente habere Arabiam. Probatur id Primò, quia ita cenſent S. Iuſtinus, Tertull. Cyprian. Epiphan. & alij, quos citant, & ſequũtur Baronius, Franc. Lucas, & Suarez.

*Secundò.*

Secũdò; quia id propriè reſpondet vaticinio Iſaiæ, qui c. 60. 6. prædicit Sabæos, Madian & Epha (hi omnes enim ſunt Arabes) venturos ad Chriſtum cum muneribus. Et ſic videtur vaticinium hoc Iſaiæ intelligere Eccleſia, cùm idipſum aſſiduè recitat in officio Eccleſiaſtico Epiphaniæ. Id quoque planè reſpondet illi oraculo Pſaltis, Pſ. 71. *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent.*

*Tertio.*

Tertiò, quia Arabia vicinior eſt Iudææ, quam Chaldæa, Perſia, India, &c.

*Quartò.*

Quartò, quia Magorum horum typus fuit regina Saba, quę ex Arabia cum ſimilibus muneribus venit ad Salomonem, Chriſti antitypum. 3. Reg. 10. Et licèt regina hæc dicatur veniſſe ex Æthiopia, tamen Æthiopia hæc non erat Abyſſia, ſed pars Arabiæ: nam venerat ex Æthiopia orientali, non occidentali, vt ait S. Anſel. libr. de Imagine mundi ca. 19. Arabia ergo complectitur & regiones huic mari adiacentes, ac præſertim vicinam Æthiopiam orientalem. Sic Madianitæ vocantur Æthiopes, quia nigri, vel fuſci. Vnde vxor Moſis Madianitis vocatur Æthiopiſſa. Num. 12. Inde enim mare rubrum dicitur ſinus Arabicus, non Æthiopicus, quia tam cis quàm vltra mare hoc porrigit ſeſe Arabia. Hinc rurſum veriſimile eſt vnum vel alterum Magorum fuiſſe nigrum, ſiue Æthiopem, tum quia vulgò omnes ita ſentiunt, itaque adorationem Magorum pingunt pictores: tum quia ex Æthiopia dicitur veniſſe regina Saba; tum denique quia Pſ. 71. dicitur: *Reges Arabum, & Saba dona adducẽt.* Et mox: *Coram illo procident Æthiopes*, Magi vocantur: *Reges Tharſis*, id eſt, maris rubri.

*Quintò.*

Quintò, id patet ex donis, quæ Magi Chriſto obtulerunt. Nam Arabia abundat auro, thure, myrrhâ: hinc cognominatur *Felix*, vtpote aurifera, thurifera, aromatifera, *Thura præter Arabiam nullis*, ait Plinius lib. 12. 24. Et Virgil.

*——Solis eſt thurea virga Sabæis.*

Et 2. Georg.

*India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.*

In hac Arabia quoque myrrhæ & aromatũ tanta eſt vbertas, vt non alia ligna ſint in vſu, quàm odorata, ne ad ignem quidem parãdum, ait Plinius lib. 12. ca. 17. Ibidem tantùm eſt auri, vt gẽtis ſupellex auro argentoque ſplendeat, imò in Saba Æthiopiæ vincula reorum fiunt ex auro. Vnde Mela lib. 3. c. 10. *Ære*, inquit, *exornatur, auro ſontium vincula fabricant.*

*Sexto.*

Sextò, quia vaticinium Balaam de hac Magorum ſtella editum fuit in Moab, quę erat in Arabia, vt docet S. Hieronymus in locis Hebr. Vide noſtrum pinedam libr. 5. de Rebus Salomonis c. 14. vbi docet reginam Saba veniſſe ad Salomonem, & tres Magos ad Chriſtum ex Saba, quæ eſt in Arabia Felice, vbi habitant Homeritæ (apud quos pronde ſub Flysbaã rege mirè floruit Chriſtiana religio, quaſi auita à patribus & regibus, purà Magis his accepta) non autem ex Saba, quæ eſt in Æthiopia.

*Magi fuêre reges.*

Communis fidelium vox & ſenſus eſt, Magos hos fuiſſe reges, id eſt regulos, ſiue principes, idque (licet id rideat Caluinus) diſertè tradunt S. Cyprianus, S. Baſilius, S. Chryſoſtomus, S. Hieronimus, S. Hilarius, Tertullianus, Iſidorus, Beda, Idacius, quos citat & ſequitur hîc Maldonatus, & Baronius, & Barradius. S. Mathęus tamen eos non vocat reges, ſed Magos, quia ex ſtella Chriſtum agnoſcere Magorum fuit, non regum. Hinc & Pſal. 71. vocantur *Reges Tharſis, reges Arabum & Saba*,

*Tres.*

Rurſum eos numero tres fuiſſe, ſecundum tria munerum genera, purà aurũ, thus, & myrrham, quæ Chriſto obtulerunt, docent S. Auguſtinus ſerm. 29. & 33. de Tempore, S. Leo ſer. 1. 3. 5. 6. de Epiphania, idque habet pia fidelium traditio, & innuit Eccleſia in officio Eccle. Epiphaniæ.

Adhæc auctor operis imperfecti in ſanctum Matthæum apud S. Chryſoſtomum aſſerit poſt Chriſti reſurrectionem ſanctum Thomam Apoſtolum adiiſſe prouinciam horum Magorum, eoſque baptizaſſe, & feciſſe ſibi ſocios prędicationis.



*Eorum nomina.*

Inſuper Ven. Beda (penes quem ſit fides) in collectaneis nõ longè à principio, ita eos nominat & depingit: *Primus dicitur fuiſſe Melchior, ſenex & canus, prolixâ barbâ & capillis: hic aurum obtulit Regi Domino. Secundus Gaſpar, iuuenis imberbis, rubicundus, thure, quaſi Deo oblatione dignâ, Deũ honorauit. Tertius Fuſcus, integrè barbatus, per myrrhã Filium hominis moriturum profeſſus eſt.* Alij opinantur Magos ſingulos terna munera, purà aurum, thus, & myrrham Chriſto obtuliſſe, vt eum profiterẽtur ſimul eſſe Regem, Deum, & moriturum pro ſalute hominum, idque veriſimilius eſt, vti inferiùs oſtendam; fieri tamen potuit, vt primus plus auri, ſecundus plus thuris, tertius plus myrrhæ obtulerit, & hoc videtur voluiſſe Beda.

*Fuêre prædicatores & martyres.*

Denique Magos hoſce Chriſtum prædicantes, ab idololatris occiſos, & martyrii lauream adeptos, ac ſeipſos quaſi aurum, thus, & myrrham Chriſto in holocauſtum obtuliſſe tradunt nonnulli, inter quos L. Dexter in Chronico anno Chriſti 70. *In Arabia Felice*, inquit, *ciuitate Seſſaniæ Adrumentorum, martyrium SS. Regum trium Magorum, Gaſparis, Balthaſaris, & Melchioris, qui Chriſtum adorarunt.* Inde ſacra eorum corpora tranſlata ſunt Conſtantinopolim, inde Mediolanum, Mediolano (cùm illud à Frederico Barbaroſa euerteretur) Coloniam, vbi hodie magno hominum concurſu & religione coluntur, ibique eadem ego ipſe ſæpè veneratus ſum.

Qvi natvs est Rex Ivdæorvm] Nota hîc, & mirare fidem & magnanimitatem Magorum, quâ in vrbe regia alium regem quærunt, nec timent iras & vires Herodis, Deo confiſi. τὸ *natus* dupliciter capi poteſt; Primò materialiter. q.d. Qui natus eſt. vt ſit, vel fiat Rex Iudæorum. Secundò formaliter. q. d. Qui natus eſt Rex, qui naturâ, aut natiuitate, ſiue naturalis eſt Rex Iudæorum; vt Chriſtus opponatur Herodi, qui fuit intruſus rex à Romanis.

*Chriſtus natus eſt rex dupliciter.*

Vtrumque verum eſt; tum quia Chriſto ob vnionem hypoſtaticam debebatur regnum omne, non ſolius Iudææ, ſed totius mundi; tum quia Chriſtus deſcendens quaſi primogenitus ex Dauide & Salomone, iure primogenituræ heres & ſucceſſor erat regni eorumdem, vt dixi cap. 1. 16. Ita Franciſcus Lucas, Ianſenius, Maldonatus, & alij.

*Rex Iudæorum, id eſt, Meſſias.*

*Rex Iudæorum.* Antonomaſticè purà Meſſias, ſiue Chriſtus: Vnde ijs auditis Herodes congregans Scribas, *ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.* Chriſti enim index erat ſtella, de qua Magi ſubdunt: *Vidimus enim ſtellam eius.* q.d. Natus eſt Rex Iudæorum, imò cælorum, quia eum nobis indicauit ſtella cælorum, noſque euocauit, imò omnes inuitauit, vt eum viſitent, honorent, & adorent. In noua enim ſtella hac in cælo producta, cælum quaſi ſtuporem ſuum tanti Regis, purà Verbi incarnati, oſtendit. Nato ergo Chriſto ſtupet cęlum, ſtupent Angeli, & attoniti ad hanc Dei ſui philanthropiam, canunt iubilantes: *Gloria in excelſis Deo*, vt homines ſtupidos ad tantæ dignationis ſtuporem & venerationem excitent. Sicut eadem de cauſa in paſſione Chriſti obſcuratus eſt ſol & luna, terra contremuit, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, vt ſignificarent Deum ſuum mori, ſeſeque ob indigniſſimam eius necem funditùs concuti, & indignari. Hoc eſt, quod prædixit Aggæus cap. 2. 7. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram* &c. Et *veniet deſideratus cunctis gentibus.* Hoc & ſtupens Habacuc capit. 3. 2. *Conſideraui*, ait, *opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognoſceris* (in præſepio à Magis & paſtoribus) vti vertunt Septuag. Quocirca Franciſcus Mayronius ſermon. de Natiuit. docet maius magiſque ſtupendum Dei opus eſſe incarnationem Verbi, quàm ſit mundi creatio: quia magis diſtat homo à Deo, quàm homo à nihilo: homo enim eſt finitus, ſed Deus eſt infinitus. In incarnatione autem Deus vnitur homini; in creatione verà homo vnitur nihilo, id eſt, corpori creato ex nihilo.

*Barchocabas, id eſt filius ſtellæ, inſignis impoſtor.*

Denique ex ſtella hac nomen ſibi impoſuit impoſtor ille, qui paulo poſt Chriſtum ſub Adriano Imperatore Meſſiam ſe exſimulans, Iudæos excitauit ad rebellandum Romanis, ac rebellium dux factus, vocauit ſe *Barchocabas*, id eſt, filius ſtellæ, dicens *ſe ob ſalutem eorum ſidus magnum cælo dilapſum, ægris mortalibus longâ obſcuritate damnatis ferre lucis auxilium*, ait Euſebius li. 4. Hiſtor. cap. 6. ſed citò hæc ſtella occidit; nam ipſe cum ſuis mox à Romanis interemptus eſt, vti ſubijcit Euſebius.

*Stella inſigne regis.*

Appoſitè ſtella duxit tres Magos reges ad Chriſtum Regem regum, quia ſtella habet ſpeciem coronæ regiæ, eiuſque fulgentis & radiantis, atque ideò ſtella ſymbolum eſt regis & regni. Vnde Deus Geneſ. 15. 5. promittit Abrahæ, dicens *Numera ſtellas cæli, ſi potes, ſic erit ſemen tuum*; vbi inter alia per ſtellas deſignauit reges Iſraël & Iuda ex Abraham naſcituros, ac præſertim Regem Chriſtum. Hinc Geneſ. 17. 6. idem Abrahæ, id explicans, diſertè ait: *Regeſque ex te egredientur.* Quocirca S. Fulgentius ſerm. 5. de Epiphan. *Quis eſt*, inquit, *iſte Rex Iudæorum? pauper & diues, humilis & ſublimis, qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus: paruulus in præſepio, immenſus in cælo: vilis in pannis, pretioſus in ſtellis.*

Hinc acceptus eſt vetus militaris ordo regum & principum Franciæ, qui inſigne ſtellæ in veſte præ ſe ferebant, cuius hoc erat emblema:

*Monſtrant regibus aſtra viam.*

Qui ordo poſteà à Ludouico XI. Franciæ rege in ordinem ſancti Michaëlis commutatus eſt, vti referunt Gaguinus lib. 10. & Genebrardus in Chronol. ad annũ Domini 1496. Hic ordo ſtellifer primitùs inſtitutus fuit à Roberto rege Franciæ, ſub annum Chriſti 1022. in honorem B. Virginis, cui rex mirè erat deuotus, ipſo eius Natiuitatis feſto die 8. Septembris, eò quòd ipſa ſit ſtella maris; obſecrans vt ipſa ſui regni, ac præſertim nobilitatis eſſet ductrix, quaſi præiens ſtella. Quare triginta equites è prima nobilitate in hunc ordinem allegit, ſinguliſque torquem aureum cum ſtella ad pectus dependente, in collum iniecit, Vide Annales Pariſienſes Iacobi Broulij.

Vidimvs enim stellam eivs] ſcilicet Regis Iudæorum, purà Meſſiæ, ſiue Chriſti recens nati. Hinc videtur, quòd ſtella hæc radios ſuos clariores & longiores extenderit verſus Iudæam, vti cometæ ſuas expandunt caudas in hanc vel illam regionem, vt ſcilicet Magi ſcirent quò ire deberent, nempe verſus Iudæam; ibi

ibi enim natum eſſe Meſſiam Regem Iudæorum; quia hoc innuit *τὸ enim*. Sapienter S. Gregorius hom. 10. *Omnia elementa*, ait, *auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt: Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia protinus ſtellam miſerunt. Mare cognouit, quia ſub plantis eius ſe calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente contremuit. Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem Dominum omnia inſenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt.*

Quæres, quomodo Magi, viſâ ſtellâ, ex ea cognouerunt natum eſſe Chriſtum?

Primò, Priſcillianiſtæ, teſte S. Gregorio homil. 10. dicebant ſtellam hanc eſſe fatum Chriſti; vt ſicut fatum ſignificat, imò determinat res futuras, ſic ſtella hæc ſignificarit & determinarit Chriſtum: ſed hos rectè refutat S. Gregorius hom. 10. in Euang. dicens: *Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum concurrit, ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ is, qui apparuit puer, fuit.* Et S. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. cap. 1. & ſeq. confutat eos, qui dicunt ſtellas cuique ſua fata diſtribuere. Huc accedunt Aſtrologi, vt Albumaſar, & ex eo Albertus Magnus (ſi tamen ipſe eſt auctor) in ſpeculo; ac Petrus de Aliaco Cardin. & Archiepiſcopus Cameracenſis quæſt. 30. in Geneſ. & lib. de Legibus & ſectis, qui cenſent Deum in aſtris prouidentiam ſuam, in ea, quæ per illam facturus eſt, certis notis ſignaſſe, & quaſi ſcripſiſſe, vt in ijs Aſtrologi legere potuerint Chriſti ortum, mores, totamq; vitam. Vnde Petrus de Aliaco ait ſub tempus natiuitatis Chriſti fuiſſe concurſum Iouis cum Saturno in Cancro: in ipſa verò Chriſti natiuitate Horoſcopus, inquit, erat pars Virginis octaua, quæ religionis mutationes (& partum Virginis) ſignificat; in culmine verò cæli erat Saturnus; in imo autem ſol. Horoſcopum hunc Chriſti in figura ſpectandũ exhibet Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. cap. 10. Hoc de aſcenſu Virginis, & benigno ſiderum in Chriſtum naſcentem aſpectu fidei nõ repugnat, ait Salmeron. Sic enim cometæ dicuntur portendere mortem regum, & mutationem regnorum; ac nominatim cùm cometæ apparent in ſigno Libræ, portendunt rebellionem populi, vti contigit in celebri illo, qui apparuit anno Domini 1618. ac præſagus fuit rebellionum & bellorum, quæ hæretici in Germania contra Imperatorem & Catholicos geſſerunt, & etiamnum gerunt.

*An in aſtris ſignata ſit Dei prouidentia?*

*Horoſcopus Chriſti.*

*Refellitur. Primò.*

Verùm nulla ſtella potuit oſtendere & ſignificare Magis ortum Chriſti ex Virgine, eiuſque mores, miracula & facta ſingula, præſertim ſupernaturalia, vt transfigurationem, reſurrectionem, aſcenſionem in cælum, &c. Primò, quia nulla res naturalis, qualis eſt ſtella, ſignificat rem ſupernaturalem, qualis eſt partus Virginis, reſurrectio, &c.

*Secundò.*

Secundò, Aſtrologorum præſagia & prædictiones fiunt experientiâ, v.g. dicunt Aſtrologi: Tali anno in concurſu Martis cum Ioue in Libra experti ſumus ſucceſſiſſe tot rebelliones & prælia; ergo hoc anno in ſimili eorum concurſu idem accidet. Hic autem nulla præceſſit expe- A rientia: numquam enim virgo pepererat; imò omnes putabant hoc eſſe ἀδύνατον, & planè impoſſibile; ergo nullo modo ex ſtellis id præſagire potuére Aſtrologi. Adde, ſtella hæc nullas habebat literas: literis enim ſcribendum erat: *Virgo pariet filium.* Et: *Chriſtus naſcetur, crucifigetur, reſurget, aſcendet in cælum*, &c. nullius enim notis, ſed ſolis literis ſignificari poterat tota ſeries vitæ Chriſti.

*Tertiò.*

Tertiò, coniectant Aſtrologi ex horoſcopo, ſiue ex concurſu ſtellarum, qui fit dum naſcitur puer, v.g. ex aſcenſu ſtellæ Iouis, infantem, qui tunc naſcitur, fore iouialem & hilarem: ex aſcenſu Martis, fore pugnacem: ex aſcenſu lunæ, fore varium & mutabilem: ex aſcenſu Saturni, fore ſuſpicacem & melancholicum: quia hæ ſtellæ ad has complexiones, & ad hos effectus naturalem habent ordinem, inclinationem, & influxum: ſed B nulla ſtella eſt, quę habeat ordinem vel influxum ad patranda miracula, verbi gratiâ, ad partum Virginis, ad Dei incarnationem: hæc enim omnem vim ſtellarum ſuperant, ac à ſola Dei omnipotentia ſupernaturali peragi queunt.

*Quartò.*

Quartò Chriſtus eſt dominus ſtellarum vti & rerum omnium: ergo eis ſubdi non debet, ſed potiùs eas ſibi ſubdere.

*Quintò.*

Denique, *Aſtra inclinant, non neceſſitant.* Quare *Sapiens dominabatur aſtris.* Vide S. Auguſt. lib. 2. contra Fauſtum c. 5. vbi confutat Manichæos dicentes Chriſtum colligatum eſſe ſtellis, & eſſe ſub fato ſtellarum; vnde concludit: *Itaq; ſtella illa, quam viderunt Magi, Chriſto ſecundùm carnem nato, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur, nec eum ſubijciebat imperio, ſed indicabat obſequio.* Et inferiùs: *Non ideò Chriſtus natus eſt, quia* C *illa extitit; ſed ideò illa noua exorta eſt, quia Chriſtus natus eſt. Vnde, ſi dici oporteret, non ſtellam Chriſti, ſed Chriſtum ſtellæ fatum fuiſſe diceremus. Ipſe quippe illi, non illa huic naſcendi attulit cauſam. Si ergo ſunt fata, quæ à fando, id eſt, dicendo appellata ſunt, quoniam Chriſtus Verbum Dei eſt, in quo, antequam eſſent, dicta ſunt omnia, non conſortium ſiderum fatum Chriſti eſt, ſed fatum etiam ſiderum Chriſtus eſt, qui & ipſam carnem ſub cælo creatã eâ voluntate aſſumpſit, quâ etiam cælum creauit; eâ poteſtate depoſuit & recepit, quâ etiam ſideribus imperauit.*

Secunda ſententia eſt Auctoris imperfecti: Stella hæc, inquit, inſignita fuit imagine pueri geſtantis crucem, quia fidei lumen oſtendit Chriſti incarnationem & crucem. Verùm hoc gratis dicitur: nulla enim hiſtoria id narrat aut teſtatur, niſi libri Sethianorum hæreticorum, de D quibus mox.

*Ex oraculo Balaam Magi, in ſtella cognouerunt Chriſtum.*

Dico ergo Magos cognouiſſe Chriſtum natum ex ſtellæ indicio; primò, quia id prophetarat Balaam, Numer. 24. 17. *Orietur*, inquit, *ſtella ex Iacob.* Magi autem fuêre poſteri vel ſucceſſores Balaam. Senſus eſt ergo. q.d. Vbinam eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam *eius*, quem ſcilicet ex vaticinio Balaam & Sibyllę, indicio ſtellę deſignandum omnes hactenus expectauimus, & iam, eâ viſâ, natum credimus. Sibyllæ enim Erythreę hoc extat oraculum lib. 8. Orac. Sibyllin.

*Et ex Sibylla.*

*Diuinamq; Magi ſtellam coluêre recentem,*
*Monſtratuſq; Dei præcepta ſequentibus infans*
*Eſt in præſepi.*

Ita



Ita ex Balaam & Sibylla Magos cognouiſſe ſtellam hanc eſſe indicem Chriſti, cenſent S. Baſilius, S. Hieronymus, Origenes, S. Leo, Euſebius, Proſper (S. Cyprianus, Procopius. & alij, quos citaui Numer. 24. 17. Hinc & Suetonius in Veſpaſino, ac Cicero lib. 2. de Diuinatione, & Oroſius lib. 6. cap. 6. ſcribit communem tum fuiſſe famam, ex Iudæa proditurum regem, qui omnibus dominaretur; quod Gentiles falsò tribuerunt Veſpaſiano, idem tradit Chalcidius, qui licèt Gentilis & Platonicus Philoſophus, commentans in Timæum Platonis, ita ſcribit: *Eſt alia* (ab Euangelio ſcilicet Matthæi) *ſanctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet de ortu ſtellæ cuiuſdam, non morbos morteſque denuntiantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ conuerſionis, rerumq; mortalium gratiam: quam ſtellam cùm nocturno itinere ſuſpexiſſent* B *Chaldæorum profectò ſapientes viri, & conſideratione rerum geſtarum ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem Dei ortum, repertaque illâ maieſtate puerili, veneratì eſſe, & vota Deo tanto conuenientia nuncupaſſe.* Addit Auctor imperfecti hom. 2. ſucceſſores Balaam poſt hoc eius oraculum de ſtella, per ſingulas generationes aliquos deputaſſe, qui continuò cęlum contemplarentur, vt obſeruarent ſtellæ huius ortum in monte, qui Victorialis dicebatur; ac tandem cùm Magi hi ibidem eius ortum expectarẽt: *Apparuit eis*, inquit, *deſcendẽs ſuper montem illum Victorialem, habens in ſe formam quaſi pueri paruuli, & ſuper ſe ſimilitudinem crucis; & locuta eſt eis, & docuit eos, & præcepit eis, vt proficiſcerentur in Iudæam. Proficiſcentibus autẽ eis per biennium præcedebat ſtella, & neque eſca, neque potus defecit in peris eorum. Cetera autem quæ geſta referuntur ab eis, in E-* C *uangelio compendioſè poſita ſunt.* Verùm hæc incertę ſunt fidei, & ex Apocryphis Sethianorum libris, vt Auctor fatetur, accepta.

*Meliùs ex inſtinctu & reuelatione Dei.*

Secundò, & potiùs id cognouerunt ex inſtinctu & reuelatione diuinâ: Magi enim ſecretiori cæleſtis numinis afflatu inſtincti, hanc quaſi cæli linguam, ait S. Auguſtinus ſerm. 2. de Epiphan. loquentem (natum eſſe in Iudæa Chriſtum) audiuerunt, eamque vſque ad Bethleem & ad cunas Chriſti proſecuti ſunt. Nam, vt ait S. Leo ſermon. 4. de Epiphan. *Dedit* (Deus) *aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſignum* (ſtellæ) *& quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inueniendum obtulit requiſitus.* Tanta enim claritas & maieſtas fuit ſtellæ, vt diuinam eſſe, ac diuinum quid portendere Magi intelligerent, ſcilicet Deum incarnatum eſſe, vti eis ſuggerebat Spiritus ſanctus.

Denique vultus Chriſti pueri diuinus cæleſtis lucis radium euibrabat, qui oculos & magis mentes Magorum feriebat & illuſtrabat, vt agnoſcerent infantem hunc non eſſe merum hominem, ſed verum Deum; nam, vt ait S. Hieron. in ca. 9. Matth. *Fulgor ipſe, & maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.*

*An ſtella fuerit Spiritus ſanctus?*

Quæres ſecundò, qualis & quanta fuerit hæc ſtella? an communis vti ceteræ, an propria & ab alijs diuerſa? Primò, Auctor de Mirabil. S. Script. lib. 3. cap. 40. qui extat tom. 3. S. Auguſt. cenſet ſtellam hanc fuiſſe Spiritum ſanctum, qui ſicut per columbam deſcendit in Chriſtum, ſic per ſtellam direxit Magos. Secundò, Origenes, A Theophyl. S. Chryſoſtomus, & Maldonatus putant ſtellam hanc fuiſſe Angelum, quia ſcilicet Angelus erat motor, & quaſi auriga ſtellæ. Tertiò, alij putant fuiſſe verum nouumque ſidus, ſimile illi quod apparuit in Caſſiopœia anno Domini 1572. Quartò, alij opinantur fuiſſe cometam. Verùm Reſp. Noua & inuſitata fuit hæc ſtella, planè differens à ceteris, eaſque ſuperans nouem priuilegiis, & quaſi portentis, ad hoc ab Angelis efformata, vt Magos raperet in ſui admirationem, illique ipſam nouum quid & diuinum præſagire cognoſcerent. Primò enim ſtella hæc ſuperabat ceteras creatione ſiue productione, quia ceteræ creatæ ſunt quarto mundi die, Gen. 1. 14. hęc verò producta eſt ipsâ nocte natiuitatis Chriſti. Noua ergo fuit, & numquam anteà viſa, nec poſteà. Ita S. Auguſtinus lib. 2. contra B Fauſtum cap. 5.

*An Angelus?*

*An cometa?*

*Stella hæc ſuperabat ceteras.*

*Primò. Productione.*

*Secundò. Materiâ.*

Secundò, materiâ: hæc enim in ceteris ſtellis eſt cæleſtis, in hac autem erat aërea. Angeli enim ex aëre condenſato, ſplendorem ei indendo, illam efformarunt.

*Tertiò. Loco.*

Tertiò, loco: ceteræ enim ſunt in cælo, hæc verò erat in aëre: præibat enim Magis viam ex Arabia in Iudæam.

*Quartò. Motu.*

Quartò, motu: quia ceteræ circularem habent motum, hæc verò habebat rectum; rectâ enim ibat ex Oriente in Occidentem, putâ in Bethleem.

*Quintò. Tempore.*

Quintò, tempore: ceteræ enim nocte dumtaxat fulgent; per diem enim lux ſolis eas obſcurat: hæc verò interdiu ſplendente ſole æquè fulgebat ac noctu.

*Sextò. Duratione.*

C Sextò, duratione: quia ceteræ perpetuæ ſunt, hæc verò erat temporanea: tantùm enim tempore itineris Magorum, quod fuit tredecim dierum durauit, & deinde euanuit.

*Septimò. Magnitudine.*

Septimò, magnitudine: ceteræ enim maiores ſunt terrâ & lunâ: hæc verò vtraque erat minor: maior tamen apparebat, quia citima erat terræ, & Magis vicinior; ſicut luna maior apparet ſtellis fixis, quia nobis vicinior, cùm reuerà iis longè ſit minor.

*Octauò. Varietate.*

Octauò, varietate: ſtella enim hæc aliquando ſe occultabat, vti fecit in Ieruſalem, aliàs verò ſe oſtendebat, eratque dux viæ. Rurſum cum ambulantibus Magis ibat, cum quieſcẽtibus quieſcebat. Denique ſtetit ſuper domum, vbi erat puer, ibique quaſi peracto iam oſtenſionis Chriſti officio, euanuit. Nil tale habent ceteræ ſtellæ.

*Nonò. Fulgore.*

Nonò, fulgore, quo ceteras omnes ſtellas vin- D cebat. Vnde S. Ignatius, qui paulò poſt Chriſtum vixit, epiſt. 14. ad Epheſios de ſtella hac ait: *Stella fulſit, exuperans omnes quotquot antè fuerant: lux enim illius erat inenarrabilis, & ſtuporem incuſſit omnibus aſpicientibus eam rei nouitas: omnia autem reliqua aſtra vnà tum ſole & luna, chorus fuêre ſtellæ illius, ipſa verò claritate exuperabat omnes.* Prudentius in hymno Eccleſ. Epiphaniæ: *Stella*, ait, *quæ ſolis rotam vincit decore & lumine.* Idem docet S. Chryſoſtomus. Vnde S. Leo ſerm. 1. de Epiphania: *Tribus Magis*, inquit, *in regione Orientis ſtella nouæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior ceteris, pulchriorque ſideribus, in ſe intuentium oculos, animoſque conuerteret, vt confeſtim aduerteretur non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur.*





Fuit

Fuit ergo hæc ſtella nouum meteorum ab Angelis ex aëre efformatum, & luce ingenti informatum, ac motum ab Angelo, perinde ac columna ignis & nubis; quæ dux Hebræorum fuit in deſerto in terram promiſſam, putà in eamdem Iudæam. Ita S. Chryſoſtomus hîc, S. Fulgentius ſerm. de Epiphania, S. Baſilius homil. de Humana Chriſti generatione, D. Thomas 3. p. q. 36. art. 7. ibique Suarez, & alij. Imò illa columna typus fuit huius ſtellæ: quare plura eius prodigia, quæ recenſui Exodi 13. 21. & Num. 9. 15 & ſeq. huic ſtellę attribue. Verè S. Chryſoſtomus hom. 16. ex varijs in Matth. locis: *Ipſe*, inquit, *aduentu tuo Magos ab Oriente vocaſti, & Euangeliſtas eos ad ſua remiſiſti*, vt ſcilicet ipſi Gentibus euangelizarent natũ eſſe Chriſtum orbis ſaluatorem, ſeque eum vidiſſe & adoraſſe in Bethleem.

Porrò ex libris quibuſdam Apocryphis, nomine Seth filij Adæ inſcriptis, multa de Magis feruntur, deque ſtella formam pueri crucem geſtantis experimente, &c. quæ commenta ab hęreticis Sethianis excogitata videntur. Ita S. Epiphanius hæreſ. 26. & 39.

Rurſum Gregorius Turon. ait Haymo, narrat ſtellam hanc cecidiſſe in puteum, ibique etiamnum videri, ſed non niſi à virginibus: Vnde cùm tres viri, inquit, ad eam inſpiciendam veniſſent, vnus ſolus, qui erat virgo, illam vidit; ſed ceteri duo, quia non erant virgines, illam non viderunt. Verùm hæ næniæ ſunt & fabulæ, ait S. Anſelmus.

*Allegoricè Chriſtus eſt ſtella.*

Allegoricè Chriſtus eſt ſtella ſplendida & matutina, Apocal. 22. verſ. 16. Vnde S. Ambroſius in Lucam cap. 2. lib. 2. *Chriſtus*, inquit, *eſt ſtella. Orietur enim ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Denique vbi Chriſtus, & ſtella eſt. Ipſe enim eſt ſtella ſplendida & matutina, ſuâ igitur ipſe luce ſe ſignat.*

*Et B. Virgo.*

Rurſum ſtella maris, id eſt, mundi huius proceloſi, quę viam nobis per illud oſtendit & pręit ad portum ſalutis, eſt B. Virgo: vnde nomen eius eſt *Maria* Hebr. מִרְיָם *Mariam*, id eſt, doctrix, ſiue magiſtra, & ductrix maris. *Aſpice ſtellam, inuoca Mariam*, ait S. Bernardus. Hinc & Eccleſia eam inuocat, dicens: *Aue maris ſtella, Dei mater alma.*

*Tropolog. ſtella eſt inſpiratio diuina.*

Tropologicè ſtella hominis fidelis primò eſt fides; ſecundò prudentia; tertiò præcepta; quartò conſilia Euangelica, ac præſertim obedientia ductuſque ſuperioris; quintò ſanctæ inſpirationes à Deo menti immiſſæ, quibus eam vocat ad actum vel ſtatum perfectiorem, v. g. ad virginitatem, ad martyrium, &c. Vide Barradium & Adamum Sasbout homil. de Stella. Vocat ergo te Deus ad ſanctitatem, & heroicam virtutem, ad ſtatum perfectionis, oſtendit tibi ſtellam, quę iter præeat in cælum, illam intuere, illam ſequere, ne ſtella hæc vocationis diuinæ à te viſa, ſed neglecta, in die iudicij coram Deo te accuſet & condemnet: *Nil ergo arduum eſt humilibus*, ait S. Leo ſerm. 5. de Epiphan. *nihil aſperum mitibus, & facilè omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.*

Audi S. Gregorium hom. 39. in Euang. *Ecce vocat* (nos Deus) *per ſe, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Apoſtolos, vocat per paſtores, vocat etiam per nos; vocat per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per huius mundi proſpera, vocat aliquando per aduerſa. Nemo contemnat, ne, dum vocatus excuſat, cum voluerit intrare non valeat. Audite quid Sapientia per Salomonem dicat: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè conſurgent, & non inuenient me. Hinc eſt, quòd fatuæ virgines tardè venientes, clamant, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.*

*Anagogicè ſtellæ ſunt doctores.*

Anagogicè, Doctores, & quicumque *ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, Daniel 12. 3. Apoc. 2. 28. Vide ibi dicta. Quocirca S. Leo ſerm. 3. de Epiphan. in fine: *Quicumque*, inquit, *in Eccleſia piè viuit, & caſtè; qui ea, quæ ſurſum ſunt, ſapit, non quæ ſuper terram, cæleſtis quodammodò inſtar eſt luminis. Et dum ipſe ſanctæ vitæ nitorem ſeruat, multis viam ad Dominũ quaſi ſtella demonſtrat. In quo ſtudio omnes, dilectiſſimi, vobis inuicem prodeſſe debetis, vt in regno Dei, ad quod rectâ fide & bonis operibus peruenitur ſicut lucis filij ſplendeatis.*

Denique ſtella nos inuitat & vocat ad cælum, vt per vitam cęleſtem tendamus ad feliciſſimum Angelorum, & cęlitum omnium conſortium.

VIDIMVS STELLAM EIVS IN ORIENTE] Aliqui τὸ *in Oriente* referunt ad τὸ *vidimus*. q. d. Nos in Oriente exiſtentes, vidimus ſtellam in Occidente incubantem Iudęæ, vt Magi ſcirent eò ſibi eſſe eundem: ſimili enim modo ſtella polaris nautis viam; & turris vel mons viatoribus oſtendit quà ſit eundum. Ita Procopius in Numer. cap. 24. verſ. 17. Alij meliùs τὸ *in Oriente* referunt ad *ſtellam*. q. d. Nos degentes in Oriente, vidimus ibidem ſtellam in Oriente fulgentem. Vtrumque eſt probabile. Primò enim ſtella hæc videtur apparuiſſe ſuprà Iudæam, vt ſignificaret natum ibi eſſe Regem Iudęorum, ibique à Magis quærendum: alioqui vnde ex ea ſciuiſſent Magi Chriſtum quęrendum in Iudęa potiùs, quàm in Gręcia, Italia, Aſſyria, India? Vnde Num. 24. 17. pro *orietur* Hebr. eſt דָּרַךְ *darach*, id eſt, *inceſſit*, hoc eſt, incedit *ſtella ex Iacob*: deinde mox eadem ſtella apparuit in Oriente, vt Magos inde euocaret ad Chriſtum. Ita Barradius.

*Aliqui putant ſtellã hæſiſſe in Oriente.*

Quæres, an ſtella hęc fixa manſerit, ſteteritque in Oriente, an verò inde Magos aſſiduè comitata fuerit vſque in Iudæam? Nonnulli probabiliter cenſent eam hæſiſſe fixam in Oriente. Ita Ianſenius, Caietanus, Clarius, Barradius, Franc. Lucas. Probant primò, quia Magi aiunt: *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, & S. Matth. verſ. 9. cùm Magi diſceſsêre è Ieruſalem, ait, *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente*. Secundò, quia Herodes & Iudæi, ac vt videtur, ceteri homines eam non viderunt; alioqui enim eam ſecuti, cum Magis veniſſent ad Chriſtum. Tertiò, quia Magi ex prophetia Balaam ſciebant ſtellam hanc portendere Regem Iudæorum iam eſſe natum, ipſi autem ſciebant iter in Iudęam; ergo ad hoc ineundum non erat opus duce ſtellâ.

*Prob. Primo. Secundo. Tertiò.*

*Veriùs alij cenſent ſtellã Magos comitatam.*

Ex aduerſo ſtellam hanc comitatam eſſe Magos vſque in Iudæam, cenſent S. Chryſoſtomus, S. Leo, Theophyl. D. Thomas, Lyranus, Abulenſis, Suarez, Maldonatus; Pererius, Conimbricen. & Chryſologus ſerm. 156. dicens: *Ambulante Mago, ſtella ambulat, ſedente, ſtat, dormiente, excubat.* Eſtque hic communis fidelium



ſenſus. Probatur primò, quia ſtella quam viderant in Oriente, poſteà apparuit in Bethleem, ſtetitq; ſuper domum vbi erat puer. Ergo eò commigrauit, non aliter vtique, quàm cum Magis; niſi dicas: Magis exeuntibus è Ieruſalem, ſtellam ex Oriente ſubitò ſe tranſtuliſſe in Bethleem, vt Magis viam præiret: neſciebant enim ipſi ſtabulum, in quo erat Chriſtus. Secundo, quia iter ex Arabia in Iudæam prolixum erat, incertum, difficile. Vt igitur Magi ad illud capeſſendum animarentur, opus fuit, vt ſtella quaſi dux iter præiret. Vnde Eccleſia in hymno Eccleſ. canit: *Ibant Magi, quam viderant ſtellam, ſequentes præuiam.*

Quòd ergo aiunt Magi, *Vidimus ſtellam, eius in Oriente*; tantũ initium viſionis ſtellæ, quod eos ad Chriſtum euocauit, ſignificant. q. d. *Vidimus*, id eſt, videre cœpimus ſtellam in Oriente, atque ex hac viſione euocati *venimus*, ſcilicet eâdem ſtellâ duce, ſecuti illam iter nobis præeuntem vſque Hieroſolymam: ſed quia ibi ſtella diſparuit, hinc adierunt Herodem & Scribas, ab eiſque ſciſcitati ſunt, vbi Chriſtus naſceretur.

*Conciliatur vtraque ſententia.*

Vtraque ſententia eſt probabilis, & quaſi problema, ac vtraque cõciliari poteſt, dicendo quòd ſtella, quæ in Oriente luce fulſerat clariſſimâ, teſte S. Ignatio epiſt. 14. vt feriret oculos Magorum (ideoque dicunt Magi: *Vidimus ſtellam eius in Oriente*, ſcilicet mirè fulgentem & radiantem) cùm de inde eos comitata eſt, vt viam præiret, obtecta fuerit nube, minuſque fulſerit, ita vt ſolis penè Magis eſſet conſpicua; ne, ſi alij homines & gentes viderent eam ita fulgidè coruſcantem, & iter præeũtem, ad Magos concurrerent, eoſque magno agmine ſequerentur in Iudæam; itaque concitarent Herodem & Iudæos contra Chriſtum, vt eum perderent. Decebat enim planè, vt ſtella euocans Magos, monſtraret eis viam ad Chriſtum ita diſſitum & occultum. Simili modo columna ignis & nubis (quę fuit typus huius ſtellę) erat dux caſtrorum Hebræorum, illaque præibat, ac noctu eis præfulgebat vt ignis, per diem verò nube tegebatur, imò ipſa ex ſe ſpargebat nubem tota caſtra adumbrantem, & ab æſtu ſolis protegentem, vt dixi Exodi 13. & Num. 9.

Quòd aliqui alij præter Magos ſtellam viderint, eſt probabile: ſtella enim magna erat, clara & viſibilis Magis, cur non & alijs? quia Deus volebat toti mundo Chriſtum patefacere; ſed pauci vel nulli ſtellam cum Magis ſecuti ſunt, tum quia eius myſterium ignorabant, tum quia curis domeſticis occupabantur. Hinc diſce, quàm neceſſaria ſit gratia potens & efficax ad quærendum Chriſtum; de qua Chriſtus Ioan. 6. 44. *Nemo*, ait, *poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Sic in paſſione Chriſti, eclipſis ſolis viſa eſt Athenis à S. Dionyſio Areopagitæ qua de cauſa ipſe conuerſus eſt à S. Paulo, cùm ipſe ab eo illius cauſam didicit, ſcilicet quòd eâdem die & horâ crucifixus & mortuus eſſet Chriſtus.

Addit Franciſcus Suarez, quòd ſtella, quæ in progreſſu erat terræ vicina, tantùm lucebat in locis, quæ vicina erant Magis per diem; noctu verò eleuabatur, minuſque erat conſpicua, vt ait Nicephorus lib. 1. Hiſtor. 13.

Denique appoſitè Magi vocantur per ſtellam, quia ipſi erant Aſtrologi; vnde ſcire poterant ſtellam hanc non eſſe communem, ſed prodigioſam, & diuinum quid portendere: quocirca ipſi ex nouo pulcherrimoque ſidere, ſiderum conditorem & Dominum, cui ſidera omnia famulantur, iam natum agnouerunt. Paſtores verò vocati ſunt per Angelos, quia ipſi erant fideles & probi, vtpote Iudæi, qualibus gaudent Angeli. Ita S. Gregorius homil. 10. in Euang.

*Cur Epiphania tãtâ ſolemnitate celebratur.*

Magi ergo fuêre primitiæ Gentium, vocati ad Chriſtum per ſtellam; paſtores fuêre primitiæ Iudæorum, vocati ad Chriſtum per Angelos: vnde Eccleſia tantâ ſolennitate celebrat feſtum Epiphaniæ, quo Magi vocati Chriſtum adorarunt, quia in ipſis & per ipſos cœpit Gentiũ vocatio & ſalus. Quocirca S. Leo ſerm. 2. de Epiphan. *Agnoſcamus*, ait, *dilectiſſimi in Magis adoratoribus Chriſti vocationis noſtræ, fideiq; primitias, & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus. Exinde enim in æternam hereditatem cœpimus introire.* Et S. Auguſt. ſerm. 2. de Epiphan. qui eſt ſermo 30. de Tempore: *Illis* (Magis) inquit, *dies iſte primus illuxit, anniuerſariâ nobis feſtiuitate redijt. Illi erãt primitiæ Gentium, nos populi Gentium. Nobis hoc lingua nuntiauit Apoſtolorum, ſtella iſtis tamquam lingua cælorum, & nobis ijdem Apoſtoli tamquam alij cæli enarrauerunt gloriam Dei.*

AVDIENS AVTEM HERODES REX TVRBATVS EST, ET OMNIS HIEROSOLYMA CVM ILLO] Herodes turbatur, quia ſe regnum Iudæorum, nato iam eius vero & legitimo rege Meſſia, perditurum metuebat, quaſi Meſſias eum eſſet regno deturbaturus. *Quid mirum ſi naſcente pietate turbatur impietas?* ait S. Auguſtinus ſerm. 2. de Innoc. Turbatur Hieroſolyma, tum quia multi in ea erant fauentes Herodi, quaſi eius clientes; tum quia Scribæ & Pontifices ſuis vacantes commodis, ijſque indormientes, non cogitabant de aduentu Meſſiæ, quòd is, tranſlato iam ſceptro à Iuda, natus eſſet, vti prædixerat Iacob, Gen. 49. 10. tum quia ceteri ſuis cupidinibus vitijſque addicti, metuebant Meſſiam, ne is illa caſtigaret, Sapienter S. Greg. ho. 10. in Euang. *Cæli Rege nato*, ait, *rex terræ turbatus eſt; quia nimirum terrena altitudo confunditur, cùm altitudo cæleſtis aperitur*; ſed in vanum, & fruſtrà. Nam, vt ait S. Fulgentius ſerm. 1. de Epiphan. *Rex iſte non venit reges pugnando ſuperare, ſed moriendo mirabiliter ſubiugare. Nec ideò natus, vt tibi ſuccedat, ſed vt in eum mundus fideliter credat. Non capit Chriſtum regia tua* (ait D. Leo ſerm. 4.) *nec mundi dominus poteſtatis tuæ ſceptri eſt contentus anguſtijs, quem in Iudæa regnare non vis, vbique regnat, & feliciùs ipſe regnares, ſi eius imperio ſubdereris.* Vers. 3.

*Herodis Aſcalonitæ ambitio effera.*

Porrò Herodes, quia Idumæus, in alienum Iudææ regnum per fraudem irrepſerat, hinc vt illud retineret, legitimos regni heredes ad vnum omnes partim dolo, partim apertâ vi occidit, adeoque in vniuerſos ſæuijt, qui in regno ſibi aſſecurando obicem poſituri videbantur. Primò ergo occidit Hyrcanum legitimum regni heredem & Pontificem, mox Ariſtobulum Hyrcani nepotem & Pontificem; tertiò Mariamnem Hyrcani filiam, & ſuã vxorem; quartò Alexandram Mariamnis matrem; quintò Alexãdrum & Ariſtobulum ſuos ex Mariamne filios:

ſextò Antipatrum ſuum ex alia vxore filium, idque ex metu amittendi regni; quo Herodes vſque ad mortem laborauit; ideóque in timoribus, ſuſpicionibus, angoribus miſerrimam & crudeliſſimam egit vitam. Atque hæc fuit cauſa cur tot innocentes paruulos occiderit, vt nimirum inter eos Chriſtum Iudææ regem iam natum interimeret, ne ipſe ſibi regnum auferret. Lege Ioſephum.

VERS. 4. ET CONVOCANS OMNES PRINCIPES SACERDOTVM, ET SCRIBAS POPVLI SCISCITABATVR AB EIS VBI CHRISTVS NASCERETVR] Scribas vocat literatos, legiſque doctores, qui ſacris Literis, putà S. Scripturæ deſcribendæ, legendæ, explicandæ vacabant: vnde alibi vocantur legiſperiti, qualis fuit Eſdras Scriba.

VERS. 5. AT ILLI DIXERVNT EI: IN BETHLEEM IVDÆ: SIC ENIM SCRIPTVM EST PER PROPHETAM: (Michæam cap. 5. 2.)

VERS. 6. ET TV BETHLEEM TERRA IVDA, NEQVAQVAM MINIMA ES IN PRINCIPIBVS IVDA: EX TE ENIM EXIET DVX, QVI REGAT POPVLVM MEVM ISRAEL] Teſtimonium hoc expoſui Michææ 5. quare ibi dicta non repetam.

Tantùm aduerte triplicem hîc eſſe S. Matthæi cum Michæa antilogiam. Prima eſt, quòd Matthæus nominat *Bethleem*, cùm Michæas eam vocet *Ephrata*. Reſpondetur, Bethleem erat binomia. A conditoribus enim dicta eſt Bethleem, & Ephrata, quia Ephrata fuit pater Bethleem. 1. Paral. 4. v. 4. Et *Ephrata* Hebr. idem eſt quòd *frugifer*; idem ſignificat *Bethleem*, id eſt, *domus panis*. Vide dicta Geneſ. 35. verſ. 16. & 19. Cauſa literalis, cur Chriſtus naſci voluerit in Bethleem, fuit vt haberetur filius Dauidis, qui natus fuit in Bethleem, illi promiſſus quaſi futurus Meſſias: moralis, vt doceret nos humilitatem, ſcilicet amplecti humiles natales, humilem patriam, humilem caſam. Vnde S. Leo ſerm. 1. in Epiphan. *Qui formam ſerui ſuſceperat*, inquit, *Bethleem prælegit natiuitati* (vt in illo loco obſcuro gloriam ortus ſui occultaret) *Hieroſolymam paſſioni*, vt probrum crucis magis eſſet publicum. Docuit ergo nos decus abſcondere, dedecus noſtrum propalare. Docuit hîc nos ſuo exemplo ſapientiam cæleſtem, & mundo paradoxam, *viam ad gloriam eſſe fugam gloriæ*. Chriſtus enim qui eſt ſtella, id eſt, lux & dux ad beatitudinem & gloriam, ſe ſuamque deitatem & dignitatem Meſſiæ abſcondit, latens in præſepio Bethleemitico, ideóque Deus pater illum toti mundo indicat & glorificat per ſtellam è cælo radiantem. Igitur ſi appetis veram gloriã, fuge gloriam, ambi ignominiam: ſi enim ambis gloriam, perdes eam: ſi contemnas, vel inuitus honoraberis. Veriſſimum enim eſt illud paradoxon: *Gloria ſequitur fugientem, ſequentem fugit, ſicut vmbra corpus. Gloriam præcedit humilitas*, ait Sapiens Prou. 15. 33. Deus enim humiles exaltat, & ſuperbos humiliat. Vnde Chriſtus exinaniuit & *humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*. Philip. 2.

*Cur in Bethleem natus eſt Chriſtus?*

*Via ad gloriam, eſt fuga gloriæ.*

Secunda antilogia eſt, quòd pro *nequaquam minima es*, vt habet Matth. Michæas dicat contrarium ſcilicet *paruulus*, id eſt, *minimus es*. Reſpondetur, apud Michæam tacitè aduerſatiuam particulam ex nexu ſermonis intelligi, vt & Pſal. 118. v. 141. & 157. q. d. Minima quidem es, ô Bethleem, ô Ephrata, ſi muros, ſi ciues, ſi ædificia, ſi celebritatem ſpectes, ſed tamen nequaquam minima es, ſi principes à te datos, & in te natos, vel naſcituros ſpectes. Ex te enim natus eſt rex Dauid, & ex te naſcetur Chriſtus Dauidis antitypus. Aliqui legunt per interrogationem in Michæa *paruulus es*? q. d. Nequaquam es minima ſed per Chriſtum euades maxima & celeberrima. Verùm Romani codices carent hac interrogatione.

Tertia, pro *in principibus* Micheas habet *in millibus*. Reſp. Hebr. אֶלֶף *eleph* & principem & mille ſignificat; ſed eòdem hîc redit vtraque verſio. Nam *in principibus* idem eſt, quod inter principes, ſcilicet vrbes Iuda, vel etiam homines, hoc eſt, in prouentu hominum principum, qui ex te prodierunt, vel prodibunt: *In millibus*, idem eſt, quod inter ciuitates, quæ continent multa populi millia, ideóque ſunt principes, & ipſæ ſuos habent principes. Nam in Chiliadas, ſiue per millia familiarum diſtributus à Moſe erat populus Iſraël, quarum quæque ſuos habebat duces & principes, vt patet Exodi 18. 25. & Iudic. 6. 15.

VERS. 7. TVNC HERODES, CLAM VOCATIS MAGIS, DILIGENTER DIDICIT AB EIS TEMPVS STELLÆ, QVÆ APPARVIT EIS] Fecit id clàm, tum ad euitandos rumores, & populi Meſſiam ſuum expectantis murmur ac tumultus; tum vt penitiùs & fidentiùs omnes ſtellę circumſtantias indagaret à Magis.

*Didicit ab eis tempus ſtellæ*, vt ex eo ſciret, quo tempore natus eſſet Chriſtus, ac omnes infantes illo tempore natos occidendo, inter eos etiam Chriſtum occideret. Iam enim animo deſtinabat infanticidium, vt ſibi regnum Iudeæ aſſecuraret. Vnde Arabicus vertit: *Certior factus fuit ab illis de tempore, in quo apparuit eis ſtella.*

VERS. 8. ET MITTENS ILLOS IN BETHLEEM, DIXIT: ITE, ET INTERROGATE DILIGENTER DE PVERO: ET CVM INVENERITIS, RENVNTIATE MIHI, VT ET EGO VENIENS ADOREM EVM] Vulpis hæc vulpina fuit fraus; vt enim Magos ſibi redderet obſequentes & fidos, fingit ſe velle Chriſtum adorare, cùm eum iugulare cogitaret. Sic Antonius Caracalla, vt ſolus imperaret, Getam fratrem conſortem imperij anno Chriſti 214. in ſinu matris occidit, vtque ſcelus pietate mitigaret, fratrem inter diuos retulit, dicens: *Sit diuus, dum non ſit viuus*. Ita Spartianus in vita Getæ. Simili modo Herodes ait Magis ſe Chriſtum adoraturum vt Deum, ſed animo deſtinat ſe eum vt hominem regemque occiſurum.

VERS. 9. QVI CVM AVDISSENT REGEM ABIERVNT, (verſus Bethleem, vbi Scribæ dixerant naſciturum Meſſiam, ET ECCE STELLA, QVAM VIDERANT IN ORIENTE (magno ſplendore radiantem, eoſque euocantem, reſumpto ſimili ſplendore) ANTECEDEBAT EOS, VSQVEDVM VENIENS STARET SVPRA VBI ERAT PVER] Hinc apparet quòd ſtella in oriente maiori fulgore ſplenduerit, deinde Magos comitans, fulgorem hunc temperarit, ac in Ieruſalem planè eum occultarit, tum vt Magos cogeret adire Pontifices & Scribas, ad quærendum vbi naſceretur



retur Chriſtus, itaque eis innoteſceret iam natum eſſe Meſſiam; tum quia Herodes, cetericque eius aſſeclæ, vtpote impij, indigni erant, qui cæleſtem hanc ſtellam viderent: nam eâ abuſi fuiſſent ad quærendum & occidendum Chriſtum. Diſcedentibus verò è Ieruſalem Magis, rurſum ſtella apparuit, & primæuâ claritate præfulſit, vt Chriſtum, qui lux, imò ſol eſt mundi, ſuo fulgore indicaret, certumque locum, putà ſtabulum, in quo ipſe natus degebat, demonſtraret, ne Magi per domos eum quærendo, diu & fruſtrà oberrarent.

VERS. 10. VIDENTES AVTEM STELLAM (ita vt primitùs coruſcantem) GAVISI SVNT GAVDIO MAGNO VALDE] id eſt, gaudio maximo. Sic enim Hebræi dicunt גְּדוֹלָה מְאוֹד *gedola meod*, id eſt, magno valdè, vel magno nimis, id eſt, maximo; quia ex ſtella ita radiante, quaſi ex certo Meſſiæ indicio, cognouerunt eum ſibi eſſe vicinum, ſeque duce ſtellâ rectà ad eum tendere.

VERS. 11. ET INTRANTES DOMVM, INVENERVNT PVERVM CVM MARIA MATRE EIVS] Hinc putant aliqui Chriſtum, cùm affluens ob deſcriptionem & cenſum turba, eo peracto, receſſiſſet, vt multæ domus in Bethleem, hoſpitibus eſſent vacuæ, Chriſtum, inquam, è ſtabulo, in quo natus erat, in honeſtam ciuis alicuius domum fuiſſe tranſlatum, ibique adoratum à Magis, quia hîc dicitur *intrantes domum*. Ita S. Epiphanius hæreſ. 51. Maldonatus, Franc. Lucas, & alij.

*Quamnam domum intraſſe dicuntur hîc Magi?*

Verùm alij paſſim cenſent domum hîc vocari locum, putà ſtabulum, in quo natus erat Chriſtus: de eo enim dixit verſ. 9. *Dum veniens ſtaret ſuprà vbi erat puer*. Hebræi enim quemlibet locũ, in quo quis degit, vocant domum. Sic Pſal. 103. 17. dicitur: *Herodij domus* (id eſt, nidus) *dux eſt eorum*, ſcilicet volucrum & auium. Cùm enim cenſus ab Auguſto toti populo indictus per multos dies, imò ſeptimanas & menſes ageretur, per ſingulos dies, affluente aliâ & aliâ diuitum cenſendorum turbâ, B. Mariæ & Chriſto, vtpote pauperibus, nullus erat locus in diuerſorio, vſque ad diem tertiumdecimum ab ortu ſuo, idque ordinauit Deus, tum ad probandam conſtantiam Magorum, tum vt eos ceteroſque doceret Chriſti regnum ſitum eſſe in paupertate, humilitate, contemptu mundi, non in opibus, faſtu, palatijs, pompiſque huius ſæculi. Ita S. Auguſtinus ſerm. 1. & 2. de Epiphan. Iuſtinus contra Triphonem, S. Chryſoſtomus, Nyſſenus, Rabanus, Euthymius, S. Bernardus, D. Thomas 3. p. q. 36. & ibidem Franc. Suarez ſect. 4. qui addit: Conſtat, inquit, in ſtabulo manſiſſe Chriſtum & B. Virginem, vtpote puerperam, vſque ad purificationem.

Vnde S. Hieronymus epiſt. 17. ad Marcellam: *Ecce*, inquit, *in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus eſt, hîc inuolutus pannis, hîc inuentus à paſtoribus, hîc adoratus à Magis*. Et S. Auguſt. ſerm. 2. de Epiphan. *In præſepi*, ait, *tunc iacebat, & Magos ab oriente ducebat: abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cælo, vt agnitus in cælo manifeſtaretur in ſtabulo*. Vtramq; ſententiam cõciliabis, ſi dicas in Bethleem, vtpote vrbe paruulâ, vnum dumtaxat fuiſſe hoſpitium publicum pro aduenis, cuius appendix fuerit ſtabulum pro illorum equis & iumentis: quare Magos dici ingreſſos domum ſiue diuerſorium, quia ingreſſi ſunt ſtabulum diuerſorij. Huic ſententiæ fauet quod ait Lucas: *Et non erat ei locus in diuerſorio*, vno ſcilicet communi, non pluribus. Et *inuenerunt infantem poſitum in præſepio*, vno ſcilicet, vnius illius hoſpitij & ſtabuli.

Ioſephi hîc nulla fit mentio, vel quia aberat, ieratque in vrbem vel agrum, vt cibos aliaque neceſſaria B. Virgini & Chriſto procuraret, idque Dei conſilio, ne Magi eum Chriſti eſſe patrem, Chriſtumque ex eo more ceterorum puerorum genitum putarent: vel ſi aderat, vt curator Chriſti æquè ac ſtabuli, ſub nomine Mariæ coniugis ſuæ intelligitur. Sed hac phraſi ſignificat Matthæus ita ſe geſſiſſe B. Virginem & Ioſephum coram Magis, vt illi ex Dei inſtinctu intelligerent Chriſtum natum ex ſola Virgine per virtutem Spiritus ſancti, Ioſephum verò tantùm eſſe eorum adminiſtrum. Vnde Auctor imperfecti: *Vides*, ait, *vt Ioſeph ad miniſterium Mariæ erat electus*. Quocirca non dubium eſt Magos cum B. Virgine per ſe Arabicè (quia B. Virgo dono linguarum pollebat) vel per interpretem Hebraicè fuiſſe collocutos, ab eaque didiciſſe modum cõceptionis, partus & natiuitatis Chriſti, ideoque Chriſtum vt Deum Deique Filium adoraſſe, ac ei terna munera obtuliſſe, ſed maiora ab eo ſpiritualia munera in mente recepiſſe, putà illuminationes, conſolationes, & ardores cæleſtes, vt pro Chriſto vſque ad fatigationem laborare, cruciari, & necari optarent. Pro auro ergo, quod obtulerunt, receperunt augmentum ſapientiæ & amoris ardentis: pro thure, donum orationis & deuotionis: pro myrrha, ſtudium puræ & incorruptæ vitæ.

ET PROCIDENTES ADORAVERVNT EVM] Arabicus: *Prociderunt eum adorando*. Eraſmus cenſet Magos non cognouiſſe Chriſtum eſſe Deum, ideoque non latriâ, ſed cultu ciuili eum vt regem Iudæorum adoraſſe, id eſt, veneratos eſſe: verùm contrarium docent Patres & interpretes, ſcilicet Magos inſtinctu Dei agnouiſſe Chriſti diuinitatem, eamque latriâ adoraſſe, ideoq; ei thus, quod ſoli Deo debetur, obtuliſſe. Ita S. Irenęus lib. 3. c. 10. S. Leo ſerm. 1. de Epiphan. & ceteri paſſim. Vnde ſapienter S. Fulgentius ſerm. de Epiphan. *Attende*, ait, *quid obtulerint, & cognoſce quid crediderint*. Hinc dies hîc à Græcis vocatur *Epiphania* & *Theophania*, id eſt, Dei apparitio, quòd Chriſtus eo die Magis declaratus ſit eſſe Deus, ac vt Deus ab eis adoratus.

*Latriâ Chriſtum adorarunt Magi.*

ET APERTIS THESAVRIS SVIS, OBTVLERVNT EI MVNERA (patria & domeſtica) AVRVM, THVS, ET MYRRHAM] Horum enim Arabia eſt ferax, teſte Ezechiele c. 27. v. 22. & Plinio li. 12. c. 14. ex qua veniebant Magi. Nam vetus Arabum & Orientalium fuit mos, regem vel principem non adire, niſi cum munere, quaſi hic ſit vectigalis honor regi debitus, vt patet Geneſ. 43. 11. 1. Regum 10. 27. Vnde Seneca epiſt. 17. *Reges Parthos*, ait, *non poteſt quiſquam ſalutare ſine munere*. Porrò Dei lex eſt, Exodi 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Denique regina Saba pretioſa dedit munera Salomoni, & maiora ab eo recepit, 2. Paral. 9. 12. Similiter factum eſt cum Magis & Chriſto, qui verus eſt Salomon.

S. Bernardus in ſententijs cenſet Magos obtuliſſe B. Virgini & Chriſto aurum, vt eorum pau-

paupertati ſuccurrerent: myrrham, ad conſolidanda infantilia Chriſti membra: thus, ad ſtabuli & animalium fœtorem abigendum. Hic ſenſus eſt humilior,& ad literæ corticem. Nam paſſim ſubtiliùs & ſublimius Patres docent Magos illuminatos à Spiritu ſancto obtuliſſe aurum Chriſto quaſi Regi ſapientiſſimo (ſapientia enim confertur & præfertur auro Prouerb.8.19. *Melior*,ait, *eſt fructus meus auro*) thus quaſi Deo, & quaſi ſummo Sacerdoti ac Pontifici, quà homo erat; myrrham quaſi homini pro generis humani redemptione morituro, ſepeliendo, & die tertia vi diuinitatis ſuæ ad immortalitatē & gloriam æternam reſurrecturo: myrrhâ enim condiuntur mortuorum corpora,vt maneant incorrupta; nam myrrha, cùm ſicca ſit, humiditatem exſiccat, nec ſinit gigni vermes. Ita S. Leo ſerm. 1. de Epiphan. *Thus*,ait, *Deo; myrrham homini; aurum offerunt regi, ſcienter diuinam humanamq; naturam in vnitate venerantes; quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur.*

*Auri, thuris, & myrrhæ ſymbola.*

Et S. Ambroſius lib.2. in 2.c. Lucæ: *Aurum regi*, inquit, *thus Deo; myrrha defuncto*. Et S. Greg. hom. 10. *Auro regem; thure Deum; Myrrhâ mortalem prædicant. Pulcherrimè*, ait S. Hieronymus hîc: *Iuuencus presbyter munerum ſacramenta vno verſiculo comprehendit:*

*Thus, aurum, myrrham, regiq;, hominiq;, Deoq;*
*Dona ferunt.*

*Thuris Etymon.*

Hinc Grammatici thus deriuant à θύω, id eſt, odorem facio; aut; potiùs à θύω, id eſt, ſacrifico, quòd qui ſacrificabant, thure vtebantur, imò prima priſcorum ſacrificia fuêre thuris ſuffumigationes, atque inde *thuris honores* vocantur honores diuini, qui ſoli Deo deferuntur. Hinc rurſum Saba, vbi thus naſcitur, alludit ad σέβω, id eſt, colo, veneror, & ad Hebr. זָבַח *zabach*, id eſt, ſacrifico: licèt Priſcianus, Varro & Seruius *tus* ſcribentes ſine aſpiratione, deriuent à *tundendo*, quod glebæ tunduntur, cum quibus fluens thus coaleſcit.

Beda in collectaneis, cuius verba ſuperiùs recitaui, aſſerit primum è Magis nomine Melchiorem Chriſto donaſſe aurum; ſecundum nomine Gaſparem thus; tertium nomine Balthaſarem myrrham.

Verùm alij meliùs cenſent ſingulos terna hæc dona Chriſto obtuliſſe; ſinguli enim hiſce donis proteſtabantur fidem ſuam in Chriſtum, ſcilicet ſe credere Chriſtum eſſe regem totius orbis, ideoque aurum ei obtulêre: eumdem quoque eſſe Deum, ideoque ei thus: ac denique moriturum pro ſalute hominum, ideoque myrrham addidêre: quiſque enim credebat Chriſtum eſſe regem, & Deum, & paſſibilem, paſſurumque pro hominibus. Ita Iuuencus, Ambroſius, Gregorius locis iam citatis, atque hoc loco Abulenſis, Lyranus, Anſelmus, Remigius, Dionyſius Carthuſ. Barradius, & alij. Vnde Gloſſa: *Diuinâ*, ait, *inſpiratione id factum eſt, ad ſignificandum in Chriſto regiam poteſtatem* (per aurum,) *diuinam maieſtatem* (per thus,) *& humanam mortalitatem* (per myrrham.)

*Allegor.*

Allegoricè hæc tria munera notant Chriſtum, qui Deo Patri ſeipſum in cruce obtulit vt aurum, dum ex aurea charitate, ſcilicet ex amore hominum ſeipſum immolauit; ac vt myrrham amariſſimæ paſſionis dolorum & tormentorum; atque vt thus ſummæ religionis, ſubmiſſionis, venerationis, & latriæ. Vnde eâdem feriâ ſextâ, quâ Chriſtus ſe obtulit in cruce, Magi quoque hæc tria munera Chriſto obtulerunt. Traditio enim eſt, Chriſtum natum eſſe die Dominico, à quo, ſi numeres tredecim dies, incides in feriam ſextam hebdomadæ ſequentis. Magi enim adorarunt eum decimotertio ab ortu eius die, quo Eccleſia eorum memoriam recolit. Ita Suarez 3.p. quæſt.36.

Rurſùs Chriſtus S. Trinitati trina obtulit dona, purà ſuam carnem, animam, & diuinitatem, æquè ac Chriſtiani eidem offerunt actus fidei, ſpei, & charitatis.

*Tropolog. Primo.*

Tropologicè primò aurum eſt charitas, item ſapientia; thus eſt oratio & deuotio; myrrha mortificatio. Vnde S. Gregorius homil. 10. *Aurum*, ait, *offerimus, ſi ſapientiæ lumine ſplēdemus: thus, ſi orationis ſtudio redolemus: myrrham, ſi carnis vitia mortificamus.* Hinc Cant. 5.14. de Chriſto ſpōſo ait ſponſa: *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*, q. d. *Manus*, id eſt, opera Chriſti adeò perfecta erant, ac ſi torno eſſent elaborata. Rurſum *tornatiles*, id eſt, verſatiles & agiles ad omne bonum: *aureæ*, quia ornatæ charitate: *plenæ hyacinthis*, quia cæleſtium amorem ſpirātes: aurea ergo opera charitatis faciūt aureas manus: quare quot opera charitatis facis, tot quaſi aureos annulos digitis tum tuis, tum Chriſti inſeris. *Bona* autem *opera*, ait S. Bern. de Conuerſ. ad Cleric. cap. 15. *ſunt ſemina æternitatis*, & æternæ gloriæ. Zeuxis pictor celeberrimus moroſè pingebat, rogatus cauſam, dedit: *Pingo*, ait, *æternitati*; ita & tu, ô fidelis, operare, viue, pinge æternitati, vt opera tua in cælo coram Deo, Angelis, & beatis per omnem æternitatem reſplendeāt. Porrò thus orationem denotare, & myrrham mortificationem, patet ex Cant. 4.7. *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*. Et c.1.13. *Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi*. Et cap. 4.14. *Odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris*, id eſt, exhalans orationem & ſuſpiria ad Deum: *Quia in omnibus operibus ſuis orat, dum perueniendi ad cæleſtia intentione, ea, quæ poteſt, bona operatur*, ait ibidem S. Gregor. Idem in c.3. Cant. *Sancta anima*, inquit, *quaſi thuribulum cor ſuum Deo facit*. Notanda eſt ſententia S. Gregorij Nyſſeni: *Peccati cauſa eſt, Dei auxilium per orationem non implorare.*

*Secunda.*

Rurſum aurum eſt voluntaria paupertas; hæc enim ditiſſima eſt, & Deo gratiſſima præ omni auro. Vnde Apoſtolus: *Tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. 2. Cor. 6.10.

Thus eſt obedientia, quâ homo ſuam voluntatem & intellectum, imò totum ſeipſum Deo quaſi thus in holocauſtum offert.

Myrrha eſt ieiunium, carnis mortificatio, &, quæ inde naſcitur, caſtitas. Quocirca multi hîc tria religioſorum vota myſticè notari cenſent, ſcilicet per thus votum obedientiæ; per myrrham votum caſtitatis; per aurum votum paupertatis.

*Tertia.*

Inſuper tribus hiſce donis denotantur tria bonorum operum genera, ſcilicet eleemoſyna, oratio, & ieiunium, ad quæ omnium virtutum opera referuntur. Eleemoſyna enim proximum iuuat: oratio Deum colit & inuocat: ieiunium hominem in ſeipſo componit. Ad hæc per hæc tria: tria, id eſt, omnia bona noſtra Deo offerimus,



mus, ſcilicet per eleemoſynam opera, per orationem animam, per ieiunium corpus.

*Anagogicè.*

Anagogicè S. Maximus hom. 3. de Epiphan. cenſet auro deſignari redemptionem hominum; thure Chriſtianam religionem, myrrhâ reſurrectionem: *Auro*, inquit, *oſtenditur captiuitatis noſtræ pretioſa redemptio; in thure autem & dæmoniorum ſuperſtitio ceſſatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur: in myrrha, quâ exanima ſolent corpora conſeruari, præfiguratur carnis noſtræ reparatio, & reſurrectio mortuorum*, &c.

ET RESPONSO (id eſt, oraculo à Deo: χρησμοὶ enim ſunt oracula. Vox *reſponſo* innuit Magos in re ancipiti Dei lumen & numen priùs imploraſſe, ac hoc reſponſum à Deo accepiſſe) ACCEPTO IN SOMNIS, NE REDIRENT AD HERODEM, PER ALIAM VIAM REVERSI SVNT IN REGIONEM SVAM] Cyrillus monachus in vita S. Theodoſij cœnobiarchæ, narrat Magos fugientes Herodem publicas vias, & publica hoſpitia declinaſſe, ac in montibus & ſpeluncis hoſpitatos eſſe, atque in iiſdem vitam egiſſe S. Theodoſium; quia, inquit, cùm ſtatuiſſent non ingredi Ieruſalem, difficile eis fuiſſet aliâ viâ domum reuerti, ſicut etiamnum videmus eos, qui à Bethleem tranſeunt per hanc (Ieruſalem) proficiſci. Auctor imperfecti admirans hîc fidem & conſtantiam Magorum, exclamat: *O fides Magorum, non contradixerunt Angelo admonenti, dicentes: Tantam viam venimus, venientes autem multitudinem ciuitatum non timuimus, regem terribilem apud illos omnino non expauimus: ſed ſtetimus, & fiducialiter, qui natus fuerat, regem prædicauimus, & quaſi Deo munera digna obtulimus, & quaſi ſeruos latenter iubes nunc fugere, vt aliâ viâ venientes, aliâ redeamus: ſed fideles conſtituti, nec tunc timuerunt cognoſci, nec modò erubuerunt occultè recedere.*

*Tropolog.*

Tropologicè, Herodes eſt diabolus, mundus, & caro; via ad eum eſt voluptas & cupiditas: qui ergo ab eo ad Chriſtum tranſeunt, per aliam viam crucis & mortificationis gradiantur, & in patriam ſuam, purà in paradiſum cæleſtem, reuertantur oportet. Audi Auctorem imperfecti homil. 2. *Qui*, inquit, *à diabolo venit ad Deum, numquam debet per illam viam ambulare, per quam venit ad diabolum. Veniſti per viam fornicationis, ambula de cetero per viā caſtitatis. Veniſti per viam auaritiæ, ambula de cetero per viam eleemoſynarum. Si autem per ipſam viam redieris, iterùm ſub regnum Herodis vadis, & ſis proditor Chriſti.* Et S. Gregor. hom. 10. *Regio noſtra*, ait, *paradiſus eſt, ad quam, Ieſu cognito, redire per viam, quâ venimus, prohibemur. A regione etenim noſtra ſuperbiendo, inobediendo, viſibilia ſequēdo, cibum vetitum guſtando diſceſſimus; ſed ad eam neceſſe eſt vt flendo, obediendo, viſibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem noſtram regredimur, quoniam qui à paradiſi gaudijs per delectamenta diſceſſimus, ad hæc per lamenta reuocamur.*

VERS. 13. QVI CVM RECESSISSENT, ECCE ANGELVS DOMINI APPARVIT IN SOMNIS IOSEPH, DICENS: SVRGE, ET ACCIPE PVERVM ET MATREM EIVS, ET FVGE IN ÆGYPTVM, ET ESTO IBI VSQVEDVM DICAM TIBI: FVTVRVM EST ENIM, VT HERODES QVÆRAT PVERVM AD PERDENDVM EVM] Nota hæc non ſtatim contigiſſe poſt adorationem Magorum: nonnulla ergo hîc ſupplenda ſunt & interſerenda ex Luca cap. 2. v. 22. ſcilicet quòd poſt abitū Magorum, ſiue poſt diem 6. Ianuarij Chriſtus ductus ſit Hieroſolymam, ibique præſentatus in templo die 2. Februarij, indeque redierit in Nazareth patriam ſuam, quæ erat in Galilæa, vt ait Lucas 2. v. 39. indeque tandem fugerit in Ægyptum. Ita Euthymius & Maldonatus hîc, & Ammonius ac Tatianus in Harmon. Euang. licèt S. Auguſtinus, & ex eo Ianſenius cenſeant Chriſtum ex Iudæa, non ex Galilæa fugiſſe in Ægyptum, ex eo quod Matthæus hîc v. 22. dicat Ioſephum redeuntem ex Ægypto, cogitaſſe ire in Iudæam: ergo, inquiunt, ex ea fugerat in Ægyptum. Verùm id expreſsè non dicit Matthæus, ſed tantùm: *Audiens autem*, inquit, *quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire*. Innuit tamen eum cogitaſſe ire in Iudæam, vt ſcilicet adiret Ieruſalem & templum, ibique pro felici reditu Deo gratias ageret; ſicut viris pijs mos eſt, cùm in aliquem locum appellunt, vt primò adeant templum, Deoque gratias agant, & ſe ſuaque commendent, de quo plura v. 22.

*Cur Chriſtus fugit in Ægyptum? Reſp. Primò.*

Cauſa, cur in Ægyptum potiùs, quàm in Aſſyriam, aliamue regionem fugerit Chriſtus: Prima eſt, quòd Ægyptus Iudææ ſit vicina, eratque illo tempore ab Herode, ceteriſque Tetrarchis libera, ac ob Nili riuos, quibus circumdatur, & ob mare, quo alluitur, ab hoſtium incurſu ſecura. Hinc Iudæi fugientes Chaldæos & Aſſyrios, ibant in Ægyptum.

*Secundo.*

Secunda, quia Abraham, Iacob, & Ioſeph, adeoque omnes filij Iſrael, ex quibus prognatus eſt Chriſtus, per ducentos annos habitarunt in Ægypto, indeque euocati ſunt à Deo per Moſem, quę erat figura & typus reuocationis Chriſti ex Ægypto, iuxta illud, quod Matthæus ſubdit: *Vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam* (Oſee c. 11.) *dicentem: ex Ægypto vocaui filium meum*: præſertim quia Hebræi liberati ſunt ex Ægypto per ſanguinem agni Paſchalis, qui typus erat Chriſti. Exodi 12. *Ne ſine illa regione pararetur ſingularis hoſtiæ Sacramentum, in qua primùm occiſione agni ſalutiferum crucis ſignum, & Paſcha Domini fuerat præformatum*, ait S. Leo ſerm. 3. de Epiphan.

*Tertio.*

Tertia, quòd Ægyptus plena erat idolis & ſuperſtitionibus. Colebat enim canem, crocodilum, felem, vitulum, arietem, hircum, & quid non? Chriſtus ergo eam ingreditur, vt à ſordibus hiſce eam expurget, & Deo vero dedicet. Audi S. Leonem ſerm. 2. de Epiphan. *Tunc etiam Ægypto Saluator illatus eſt, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam ſalutem per occultam gratiam ſignaretur; & quæ nondum eiecerat ab animo ſuperſtitionem, iam hoſpitio reciperet veritatem.*

*In Ægypto idola corruerunt veniente Chriſto.*

Vnde idipſum in ſenſu myſtico prophetans Iſaias c. 19.1. *Ecce*, ait, *Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptū, & commouebuntur ſimulacra à facie eius*. Vnde reuerà idola in Ægypto ad ingreſſum Chriſti corruiſſe, ſcribit ibidem S. Hieronymus, Palladius, Ruffinus, quos citaui Iſaiæ 19.1. & 2. vt meritò hæc traditio priſca videri poſſit.

Sozomenus lib. 5. c. 20. veterem fuiſſe famam narrat, quòd Chriſto Hermopolim vrbem Ægypti ingredienti arbor præcelſa ſe inclinarit,

eumque

eumque vt Dominum venerata ſit. Plura alia narrantur, ſed quia ex libro Apocrypho, cuius titulus: *Infantia Saluatoris*, & ex Alcorano accepta, vt de fide ſuſpecta, & fabuloſa reijcienda videntur.

FVTVRVM EST ENIM, VT HERODES QVÆRAT PVERVM AD PERDENDVM EVM] Sciebat id Angelus ex reuelatione Dei, qui ſua præſcientiâ, quâ infinita mentis ſuæ acie & vi omne verùm etiam occultum & futurum, licet contingens ac liberum, certò cognoſcit; id reuerà certè futurum præuidebat. Idem per ſe Angelus coniectabat ex Herodis ingenio, & ambitione regni. Herodis ingenium ſuſpicax, crudele & ferum ita deſcribit Ioſephus lib. 2. de Bello cap. 19. *Timore pauidus erat, & ad omnes ſuſpiciones excitabatur, multoſq; innocentes metu, ne quem nocentium prætermitteret, in tormenta ducebat.* Hinc & amicos ſibi intimos, putà Doſitheum, Lyſimachum, Antipatrum, & Coſtobarum occidit, teſte Ioſepho lib. 15. Antiq. cap. 1. Idem lib. 17. Antiq. cap. 10. *Erat in omnes ſæuus*, ait, *iræ ſeruus, iuris dominus.*

VERS. 14. QVI CONSVRGENS ACCEPIT PVERVM ET MATREM EIVS NOCTE, (nota hîc promptam obedientiam Ioſephi) ET SECESSIT IN ÆGYPTVM] vt Chriſtus eam ſuo ingreſſu ſanctificaret & benediceret. Hinc in Ægypto adeò floruit fides & ſanctitas, vt protulerit Antonios, Paulos, Macharios, & plurima Eſſæorum, monachorum & anachoreterarum, angelicam in terris vitam æmulantium examina, vt patet ex Euſebio, Palladio, S. Hieronymo, S. Athanaſio, & vitis Patrum. Vnde S. Chryſoſtomus hîc hom. 8. ait Ægyptum à Chriſto in paradiſum eſſe conuerſam: *Non ita*, inquit, *cælum varijs aſtrorum choris refulget, vt Ægyptus innumeris monachorum ac virginum diſtinguitur, & illuſtratur habitaculis.* Et Triſmegiſtus apud S. Auguſtinum lib. 8. de Ciuit. cap. 14. *Ægyptus*, ait, *cæli imago, & totius mundi templum.*

*Ieſus ſecum traxit balſamum in Ægyptum.*

Addit ex Brocardo & Saligniaco Adrichomius in deſcriptione terræ ſanctæ pag. 47. num. 116. in *Engaddi*; Ieſum ex Iudęa fugientem in Ægyptum ſecum tranſtuliſſe balſamum. Cleopatra enim amica Antonij, inuidens Herodi regi Iudææ tantam felicitatem, ab Antonio impetrauit facultatem transferendi frutices balſami ex Iudæa in Ægyptum, cui ipſa præerat vt regina, teſte Ioſepho lib. 1. Belli cap. 13. Iuſtum fuit hoc Dei vindicis iudicium, vt quia Herodes olim balſami poſſeſſor perſequebatur puerum Ieſum, Ieſus fugiens in Ægyptum, quaſi poſt ſe traheret hortum balſami: Ieſus enim eſt verum merumque mentis balſamum, iuxta illud: *Vnguentum effuſum nomen tuum.* Cant. 1. Addit Adrichomius: Hortus hic in Ægypto irroratur à fonte paruo, vberrimè tamen fluente, in quo fama eſt, ſæpè lotum à B. Virgine puerum Ieſum, adeoque ex eo potum ſibi & ſponſæ ſuæ ſanctum Ioſeph parauiſſe, cùm in Ægypto eſſet; atque ideò ab incolis in veneratione & cultu haberi maximo.

Porrò Anſelmus aſſerit Chriſtum in Ægypto habitaſſe in vrbe, cui nomen Heliopolis, id eſt, vrbs ſolis. Denique fuga hæc Chriſti non formidinis fuiſſe, ſed prudentiæ & fortitudinis. Audi Chryſologum ſerm. 150. *Sicut natus eſt Chriſtus, vt repararet hominem: ſic vt fugaces reuocaret, aufugit. Et ſi vt reuocet errantem ouem in montibus, ipſe errat; quomodo ipſe non fugiet, fugientes populos vt reducat?* Et paulò pòſt: *Reorum*, inquit, *refugium fugit, auxilium lateſcit omnium; formidat fortitudo cunctorũ, ſeſe vniuerſorum defenſio non defenſat.* Et poſt pauca: *Bellicoſus*, inquit, *miles quod in bello fugit, artis eſt, non timoris, Deus quando fugit hominem, ſacramenti eſt, non pauoris: potens quando ſe ſubducit infirmo, inſequẽtem non panet, ſed foras producit: vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoſte victoriam: occultum ſe non patitur inire conflictum, qui mandare ſuum ſæculis vult triumphum.*

Tropologicè Chriſtus fugit in Ægyptum, vt doceret nos exilium contemnere, adeoque nos quaſi peregrinos & exules in terra, ad cælũ quaſi ad patriam aſſiduè anhelare & contendere. Vnde Petrus Chryſologus ſerm. 115. *Chriſtus*, inquit, *fugit, vt fugas noſtras in perſecutionibus temperaret.* S. Gregor. Nazianz. orat. 28. *Mihi*, ait, *omnis terra, & nulla terra patria eſt.* Nulla terra erat Gregorio patria, quia patria illi erat cælum: omnis terra pariter eidem erat patria, quia totum orbem pro patria ducebat. Sic Socrates rogatus, *cuias eſſet*? Reſpondit: *Sum coſmopolita*, hoc eſt, ciuis mundi. Idem dixit S. Baſil. teſte Nazianz. orat. 20. Nimirum.

*Omne ſolum forti patria eſt, ceu piſcibus æquor.*

VERS. 15. ET ERAT IBI VSQVE AD OBITVM HERODIS, VT ADIMPLERETVR QVOD DICTVM EST PER PROPHETAM, DICENTEM: Ex ÆGYPTO VOCAVI FILIVM MEVM] Citat Oſee c. 11. v. 2. vbi hanc prophetiam expoſui: tu lector, ſi libet, ibi notata conſule.

Tropologicè Chryſoſtomus hîc homil. 8. docet Deum Chriſti & Chriſtianorum vitam, quaſi coronam ex aduerſis & proſperis pulchrè contexere & variegare: Vidit quippe S. Ioſeph ſponſam grauidam, inquit, incidit in conturbationem maximã: ſed affuit repentè Angelus ſuſpicionem ſoluens, & timorem expellens: ſubſecuta eſt læta adoratio Magorum, ſed hanc excepit perſecutio Herodis; & fuga in Ægyptum.

Porrò non dubium multos Ægyptiorum viſâ ſanctitate B. Virginis & Ioſephi, atque ex crebra cum eis conuerſatione & colloquio, Deum verum cognouiſſe, coluiſſe & amaſſe Martyrologium Romanum reditum Chriſti ex Ægypto conſignat die 7. Ianuarij: annum alij tertium ab itu, alij quintum, alij ſeptimum, alij octauum, alij alium aſſignant. De anno ergo hîc nil ſtatui poteſt. Vide Suarez 3. p. q. 37. diſp. 17. ſect. 2.

VERS. 16. TVNC HERODES VIDENS QVONIAM ILLVSVS ESSET A MAGIS (promiſerant enim illi ſe ad illum redituros; ſed monitu Dei cognitâ eius perfidiâ non redierunt) IRATVS EST VALDE, ET MITTENS OCCIDIT OMNES PVEROS, QVI ERANT IN BETHLEEM, ET IN OMNIBVS FINIBVS EIVS] Herodes videns Magos non redire, cogitabat eos fortè deluſos, nec inueniſſe Chriſtum, ideoque ex pudore non auſos ad ſe reuerti: at vbi audiuit ea, quæ in præſentatione Chriſti in templo die ſecunda Februarij contigerant, quomodo ſcilicet S. Simeon & Anna palàm profeſſi fuiſſent illum eſſe Meſſiam, hoc eſt, *lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël*, videt ſe à Magis deluſum,



luſum, ideoque excandeſcens, iram in omnes infantes euomuit. Nam, vt ait S. Chryſoſtomus, *inextinguibilis eſt ira, quam regni zelus accendit*, &c. *vt fera vulnerata quidquid oculis occurrit; tamquam auctorem vulneris dilaniat.*

Immenſa regni Iudææ ſeruandi augendique cupido & ambitio, ad infanticidium tam barbarum impulit Herodem: quocirca cùm ex Scribis intelligeret inſtare tempus Meſſiæ, eò quòd iam tranſlatum eſſet ſceptrum à Iuda ad ſe alienigenam, ipſe ſibi ambiuit nomen Meſſiæ, dixitque ſe eſſe Meſſiam Iudæis promiſſum, ideoque magnificentiſſimum, inſtar Salomonis, templum eis extruxit; de quo Chriſto dixêre Iudæi, *Quadraginta ſex annis ædificatum eſt templũ hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Ioan. 2. verſ. 20. ſed incaſſum & fruſtrà nomen Meſſię ambiuit. Meſſias enim naſciturus erat ex Iuda, ac Dauidi & Iudæis, quaſi eorum filius & heres, erat promiſſus: Herodes autem oriundus erat non ex Iudæis, ſed ex Idumæis, qui continui fuêre Iudæorum hoſtes. Id ſciens Herodes, verum Meſſiam eſſe natum, ac indicio ſtellæ Magis indicatum, hunc deſtinauit ad necem, cumque ex Scribis didiciſſet Meſſiam naſciturum in Bethleem, ſed neſciret ex qua familia & domo, hinc infantes omnes in Bethleem occidit; ſed vide hîc iuſtum iudicium Dei, quo effecit, vt Herodes per hoc ipſum regnum Chriſto ſtabiliret, & ſibi adimeret. Nam in pœnam huius ſceleris ipſe Herodes ſuos filios ſibi in regno ſucceſſuros occidit, ac anno eodem paulò poſt cædem infantium, & Antipatri filij ſui; ipſe à vermibus corroſus & interemptus eſt paulò ante Paſcha. Cùm enim ob eius crudelitatem, in eius necem coniuraſſent frater eius Pheroras, & vxor Mariamne (eiuſque pater Hyrcanus Pontifex, & mater Alexandra) ac tres filij Alexander, Ariſtobulus, & Antipater, hos omnes occidit, obtentâ priùs ab Auguſto Cæſare illos trucidandi facultate, qui tamen illam Herodis ſæuitiam falsè perſtringens: *Malim*, ait, *Herodis eſſe porcus, quàm filius*; de quo mox plura. Rurſum Chriſtus infanticidium Herodis euaſit fugiendo in Ægyptum, indeq; ſenſim creuit eius nomen, regnum, & gloria: imò infantes ab Herode in odium Meſſiæ occiſi, ſuâ cæde teſtati ſunt iam natum eſſe Meſſiam, vtpote quem Herodes impiè quærebat, ad necem; vt enim eum occideret, omnes infantes occidit. Fusè hæc omnia narrat Ioſephus lib. 15. Antiq. & ſeq.

*Herodes parricida in pœnam infanticidij.*

*Diabolus teneris inſidiatur.*

Tropologicè Herodes eſt diabolus, qui infantes, id eſt, teneros in fide & virtute, item primas Dei inſpirationes, ac bonas cogitationes, antequam roborentur ac creſcant, elidere ſatagit: *Vnde ſi paruulos interficiat*, ait S. Leo ſerm. 2. de Epiphan. *Ieſum ſibi videtur occidere, quod vtique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordijs renatorum Spiritum ſanctum eripere, & quamdam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.*

A BIMATV, ET INFRA, SECVNDVM TEMPVS, QVOD EXQVISIVERAT A MAGIS] Græcè eſt ἀπὸ διετοῦς, id eſt, *à bimatu*, vel *à bimo*: poſteriùs hoc ſecutus Syrus cum Arabico vertit: *A filio duorum annorum*; Ægyptius: *A duobus annis, & infrà*, ſic & Perſicus Pro *exquiſierat*, Græcè eſt ἠκρίβωσε, id eſt, *exactè ſcrutatus erat.* Vnde noſter verſ. 7. vertit: *Diligenter didicit.*

*Cur à bimatu cæſi infantes?*

Quæres, cur à bimatu, id eſt, biennes infantes necauit: præſertim cùm multi cenſeant Herodem mox ab abitu Magorum, cùm audiſſet Chriſtum in templo præſentatum, à S. Simeone & Anna Meſſiam fuiſſe celebratum ſub Paſcha, cùm Chriſtus tantùm eſſet trium menſium, occidiſſe infantes? Reſpondent Ianſenius, Maldonatus, Baronius, & alij, id eum feciſſe ex ingenti metu perdendi per Meſſiam regni: ex eo enim extendiſſe tempus trimeſtre nati iam Chriſti vſque ad biennium. Si obijcias, Matthæum dicere cædem hanc *à bimatu* factam *& infrà*, *ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis.* Reſpondent τὸ *ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*, referendum eſſe non ad τὸ *à bimatu*, ſed ad τὸ *& infrà*, vt ſignificet Herodem cædendorum puerorum non initium, ſed terminum dumtaxat feciſſe *ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*, vt ſcilicet vlteriùs non occideret infantes, qui intra illos tredecim dies nati erant poſt ortum ſtellæ indicatis Chriſtum iam natum. q. d. Herodes occidit infantes omnes à bimatu, quia nimis erat perſpicax & crudelis; & infrà bimatum, ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis, quia eos ſolos à cæde excepit, qui nati erant poſt tempus, quo Magis apparens ſtella ſignificabat eis iam natum eſſe Chriſtum: inde enim certò cõſtabat neminem eorum vtpote poſt ortum ſtellæ natum, eſſe Meſſiam, à quo ſibi Herodes metuebat; hic enim cum ortu ſtellæ iam natus erat.

*Reſp. Primò.*

Verùm vix videtur credibile Herodem adeò ambitioſum & meticuloſum, voluiſſe occidere infantes biennio ante ortum ſtellæ natos; neglexiſſe verò eos, ac peperciſſe eis, qui paulò poſt ortum ſtellæ nati fuerant: æqua enim, vel maior ratio erat ſuſpicandi, præſertim Herodi timidiſſimo & ſuſpicaciſſimo, tam inter hos, quàm inter illos naſci potuiſſe Chriſtum. Vnde Herodem occidiſſe infantes tam poſt ortum ſtellæ, quàm ante eum natos cenſent Beda, Gloſſa, Dionyſius, & Barradius. Et quorſum occidiſſet infantes biennio ferè ante ſtellam natos? Nulla enim ſuſpicio eſſe poterat inter eos natum eſſe Chriſtũ, utpote quem ſtella poſt biennium ſecum natum indicabat. Quare eos occidere non tantùm inhumanum, ſed & irrationale ac ſtolidum brutumque fuiſſet, nec niſi ſummæ crudelitatis infamiam, & odium immane, omniumque execrationem Herodi conciliaſſet; imò omnes in illum vt tyrannum intolerandum, qui fera potiùs eſſet, quàm homo inuolaſſent.

*Secundò. Genuinè.*

Dico ergo Herodem non ſtatim, nec eodem anno, quo venêre & abiêre Magi, occidiſſe infantes, ſed anno ſequenti, qui erat ſecundus à nato Chriſto, ideoque infantes bimulos occidit. Senſus eſt ergo. q. d. Herodes infantes necauit *à bimatu*, id eſt, qui duorum erant annorum, *& infrà*, id eſt, eos, qui necdum attigerant biennium, ſed vnius erant anni, vel aliquot menſium aut dierum dumtaxat, hoc eſt, occidit omnes, qui intra biennium ab ortu ſtellæ nati fuerant, *ſecundùm tempus, quod exquiſierat à Magis*, iuxta quod currebat annus ſecundus ab ortu ſtellæ, tunc cùm Herodes occidit infantes hoc biennio natos. Rurſum magis ſtrictè & præcisè τὸ *ſecundùm tempus*, &c. ſic accipi poſſet

ſet. q.d. Herodes biennium hoc non integrum accepit, ſed computauit à tempore, quo ſtella Magis apparuit, quod erat tempus biennij inchoati, ſed non expleti. Herodes enim occidit pueros anno ſecundo ab ortu ſtellæ & Chriſti circa Paſcha, cùm ſcilicet Chriſtus eſſet anni vnius & trium menſium; nam ab ortu ſtellæ tantùm lapſi erant quindecim menſes: quare eos nõ occidit, qui diu ante ortum ſtellę, ante quindecim mẽſes nati erant. Hoc innuit quod ἠκρίβωσε, id eſt, exactè ſcrutatus erat tempus ſtellę, vt illos ſolos occideret, qui ſub tempus ſtellæ nati fuerant; non autem eos, qui diu ante, vel diu poſt tempus ſtellæ nati fuerant, ne ſine cauſa plures barbarâ nimis crudelitate occideret, quàm neceſſum erat ad occidendum Chriſtum cum ſtella natum. Ergo

A BIMATV, ET INFRA, SECVNDVM TEMPVS, QVOD EXQVISIERAT A MAGIS]. Idem eſt, quòd à quindecim menſibus natos: hoc enim eſt tempus, quo orta fuit ſtella, quæ ad tredecim dies durauit, quibus Magis iter præiuit vſque in Bethleem. Herodes ergo videtur tantùm occidiſſe infantes à quindecim menſibus circiter, hoc eſt, paulò ante quindecim mẽſes, vel paulò poſt quindecim menſes ſub ortum ſtellæ natos. Credebat enim cum Magis Chriſtum ſimul cum ſtella ſui indice natum, non verò diu ante eam natum, vel diu poſt eam naſciturum: quare non curauit occidi, niſi eos, qui ſimul quaſi cum ſtella nati erant. Hinc colligitur *Tò à bimatu & infrà* non copulatiuè accipiendum eſſe, ſed copulatim, ſicut cùm dicimus, duo & tria ſunt quinque: omnes planetæ ſunt ſeptem; elementa ſunt quatuor, &c.

*Infanticidium contigit decimo quinto menſe à nato Chriſto.*

Infanticidium hoc non tertio menſe, ſed biennio inchoato, putà decimoquinto menſe ab ortu Chriſti contigiſſe tradunt Euſebius in Chron. S. Epiphanus hæreſi 30. S. Auguſtinus ſerm. de Epiphan. Eucherius, Cedrenus, S. Anſelmus, Haymo, Hugo Victor. S. Thomas, Lyranus, Abulẽſis, D. Antonius, Dionyſius Carthuſianus, Barradius, & alij paſſim: licèt ex his nonnulli non rectè ſepararint, vel ortum ſtellæ ab ortu Chriſti, dicentes ſtellam biennio ante natum Chriſtum, apparuiſſe Magis. Ita S. Auguſtinus, Chryſoſtomus; vel ortum Chriſti & ſtellæ ab adoratione Magorum, dicentes Magos ob longitudinem itineris, biennio poſt natum Chriſtum appuliſſe in Bethleem, ibique Chriſtum adoraſſe. Ita S. Epiphanius lib. 2. hæreſi 30. contra Ebionæos, & Auctor imperfecti hîc. Longè enim verius eſt ſtellam ortam ſimul cum ortu Chriſti, vt eius eſſet index, ac quaſi ſignifer & lucifer; atque Magos eodem anno, quo natus eſt Chriſtus ſcilicet decimotertio die ab eius natiuitate veniſſe in Bethleem, nec enim veriſimile eſt Magos viſâ ſtellâ tam potenter à Deo vocatos & excitatos, iter hoc confeciſſe vel diſtuliſſe ad biennium; ait Franc. Suarez, Baronius, & alij; ſed Herodem infanticidium hoc à ſe animo deſtinatum diſtuliſſe ad annum ſequentem ob cauſas, quas mox afferam. Hunc ſenſum exigit plana S. Matthæi narratio, præſertim *Tò à bimatu*. Item rerum poſt adorationem Magorum factarum, ante fugam Chriſti in Ægyptum congeries, quæ non potuit paucis diebus vel menſibus peragi. Nã poſt abitum Magorum Chriſtus fuit præſentatus in templo Hieroſolymę quadrageſimo ab ortu die, ſcilicet die ſecundâ Februarij, quando Eccleſia hoc myſterium recolit per feſtum purificationis. Inde Chriſtus reuerſus eſt in Galilæam, ac habitauit in Nazareth: ex quâ tandem fugit in Ægyptum; vt patet Lucæ cap. 2. v. 22. & 39. quæ omnia plures hebdomadas, imò menſes exigebant.

Huic ſententię fauet, quod Nicephorus lib. 1. capit. 14. & Cedrenus in Compendio Hiſtor. ſcribunt ſanctum Ioannem Baptiſtam ob hanc Herodis perſecutionem fugiſſe in deſertum, cùm eſſet bimulus, hoc eſt, cùm ageret ſecundum ætatis annum, ſed necdum eumdem expleſſet: Baptiſta enim ſex menſibus ante Chriſtum natus eſt: quare in infanticidio erat menſium viginti & vnius. Vnde Nicephorus lib. 1. Hiſtor. cap. 14. ait: *Ioannes annum cum dimidio agebat, & cum matre Eliſabetha in ſpelunca quadam montana ſaluus conſeruabatur, fortaſſe Herodis ſanguinariam effugiens manum.*

Rurſum quod Macrobius ait, non à *bimatu*, ſed *intra bimatũ* infantes ab Herode eſſe occiſos: *intra bimatum* autem ſunt, qui quindecim ſunt menſium. Ad hæc Lucius Dexter in Chronico: *Anno tertio Chriſti*, inquit, *vrbis Romæ 754. Herodes vniuerſos pueros in Bethleemitica regione necat.* Fuit enim tertius annus ab ortu Chriſti, inchoando annum à die prima Ianuarij: hinc enim fit vt Chriſti natiuitas, quę contigit in Decembri anni præcedentis, tertium annum efficiat, cùm aliàs biennium integrum non fluxerit ab ortu Chriſti vſque ad infanticidium.

*Herodes diſtulit infanticidium ad biennium. Cur? Reſp. Primò.*

Quæres, cur Herodes diſtulit infanticidium vſque ad ſecundum annum ab ortu ſtellæ & Chriſti? Reſpondetur primò, vt ſenſim magis ſe de Chriſti ortu, perſonâ, parentibus, loco informaret. Ita Gloſſa. Rurſum, quia omnes quęſiuit modos ad vitandam crudelitatis inuidiam, vt ſolum Chriſtum poſſet inuenire & occidere, vt innuit hîc Matthæus verſ. 13. Ita S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 12. & Abulenſis hîc.

*Secundò.*

Secundò, quia, vt docent Euthymius, D. Thomas, & Lyranus, Herodes ſub finem vitæ accuſatus ab Arabibus apud Auguſtum Cæſarem, eius indignationem incurrit, adeò vt Auguſtus eius legatos ſemel, iterùm, & tertiò, ne quidem ad alloquium admiſerit, tandem tamen mirâ arte Herodes Cęſarem placauit, vti narrat Ioſephus lib. 17. Antiq. cap. 7. & ſeq. tumque veniam occidendi infantes, vt videtur, ab eo petijt & impetrauit, quâ in re non parum culpandus eſt Auguſtus, quòd veniam hanc dederit. Ita Rupert. lib. 2. de Victor. cap. 2.

*Tertiò.*

Tertiò, cædem diſtulit, vt modum certum inueniret omnes infantes occidendi, ne quis à matre abſconderetur, & necem euaderet. Vnde Abulenſis cenſet Herodem priùs conſcribi iuſſiſſe paruulos cum nomine & ætate cuiuſque, ac iuxta catalogum ſingulos euocaſſe, cumque omnes euocati ſimul eſſent congregati, omnes occidiſſe: congregati, inquam, non in vno loco, v.g. in foro Bethleem, ſed in ſingulis eius pagis, aut vicis; vnde ad ſingulos miſit carnifices, qui

quæ-



quærerent, colligerent & occiderent infantes, vti docet hîc ſanctus Matthæus. Porrò facilè id erat apud Iudæos, qui libros genealogiarum conſcribebant exactiſſimos, vt ſciretur, quòd Meſſias, quem expectabant, ex tribu Iuda foret natus, iuxta oraculum Iacob Geneſ. 48. Hinc in circumciſione cuiuſque infantis, eius nomen, diem natiuitatis, & parentes in libros hoſce referebant, ſicut modò Parochi eadem conſcribunt in Baptiſmo paruulorum.

Sanctus Antonius cenſet Herodem inſtituiſſe feſtum puerorum & iuſſiſſe, vt matres omnes paruulos bimulos ad ſe afferrent, quaſi præmium accepturos. Ceterùm Herodes per cædem hanc licèt ignorans, infantes ſummo affecit beneficio, quia dum eos perdere curat, meliorem vitam eis procurat, vti docet ſanctus Chryſoſtomus; eſto præter mentem & intentionem ſuam.

*Herodes occidit filiũ ſuum cum infantibus.*

Porrò Herodes ab Auguſto obtinuit facultatem tres ſuos filios, ſcilicet Alexandrum, Ariſtobulum & Antipatrum occidendi: vnde duos primos anteriùs necauit; Antipatrum verò paucis, putà quinque diebus ante mortem ſuam, quæ contigit ſub Paſcha anno regni eius 37. ait Ioſephus libr. 17. Antiquit. cap. 10. 11. quando & infantes occidit. Id diſcimus ex Macrobio, qui libr. 2. Saturnal. cap. 10. inter iocos Auguſti hunc recenſet: *Cùm audiſſet*, inquit, *inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoque eius occiſum, ait: Meliùs eſt Herodis porcum eſſe quàm filium*; quia Iudæi porcos non mactabant: illorum enim velut animalium immundorum eſus erat eis vetitus, Leuit. 11. hunc enim Herodis filium fuiſſe Antipatrum docet Ioſeph, ſi enim alius fuiſſet paruulus & bimulus, hunc vtique Herodes non occidiſſet, ſed regni ſui heredem & ſucceſſorem iam ſenex optaſſet.

*Sub Paſcha.*

Ex dictis colligitur, infantes ab Herode occiſos fuiſſe ſub Paſcha, decimo quinto circiter menſe ab ortu ſtellæ & Chriſti: Eccleſia tamen celebrat eorum feſtum mox à Natiuitate, quia propter Chriſtum fuêre occiſi, vt Natiuitatem Chriſti iiſdem condecoret & exornet: licèt noſter Barradius & Emmanuel Sa, illo ipſô die anno redeunte ipſos occiſos exiſtiment, quo Eccleſia eorum feſtum celebrat. Infantes ergo ab Herode occiſi ſunt, cum Chriſtus ageret annum ætatis ſecundum in vere & Martio: quo tempore olim quoque mortua fuit Rachel eorum auia. Gen. 35. v. 16. Sub idem tempus ſcilicet quinto die ante mortem ſuam mandauit Herodes occidi filium ſuum Antipatrum, quaſi ſibi ſuoque regno inſidiantem.

*Iubet occidi primates Iudææ.*

Eodem tempore concilium magnum Iudæorum, quod *Sanedrim* dicebatur, ſuſtulit; ac plures Phariſæos quòd eum nollent regem agnoſcere, interemit; ceteri coacti ſunt ipſi iuramentum præſtare. Ad hoc eum iuuit eius ſocer Simon Boëthi filius, ab eo factus Pontifex, & fiebant hæc conſcio Quintilio Varo Syriæ Præſide, Herodis amico. Vnde omnes primores Iudæorum in carcerem conijcere non eſt veritus, eoſque occidiſſet, ſi diutiùs vixiſſet. Inſtante verò ſibi morte, iuſſit ſorori ſuæ Salomæ, eiuſque marito Alexæ illos omnes occidere, *Vt*, inquit, *Iudæi vel inuiti cogantur lugere mortem meam, cùm ſuos occiſos lugebunt.* Verùm Salome mitior, eo mortuo primores è vinculis ſoluit, & liberos domum dimiſit. Ita Ioſephus, Ioſippus, Euſebius & alij. Vide Ioſeph. 17. Antiq. cap. 8. & ſeq. & Euſebium l. 1. Hiſtor. cap. 9.

Opinantur nonnulli ex Apocal. cap. 14. verſ. 1. infantes ab Herode occiſos fuiſſe numero 144. millia: tot enim ibidem viſa ſunt à Ioanne. Verùm S. Ioannes loquitur de Virginibus, qui Antichriſti libidini & perſecutioni vſque ad mortem & martyrium reſiſtent; non verò loquitur de noſtris ab Herode occiſis; nec credibile eſt in loco tam paruo, qualis erat Bethleem, fuiſſe 144. millia paruulorum bimulorum tempore Herodis. Veriſimilius eſt quod habent Abyſſini in ſuo Miſſæ canone, infantes ab Herode occiſos fuiſſe numero quatuordecim millia. Ita noſter Salmeron. Franc. Lucas & Genebrardus libr. 2. Chronolog. anno Chriſti tertio, qui & addit Græcos eumdem numerum in ſuo Calendario exprimere. Veriſimile eſt enim Herodem ſuſpicaciſſimum iuſſiſſe carnificibus, vt locum à Scribis indicatum (putà Bethleem) æquè ac tempus ortus ſtellæ ampliarent, ideoque carnifices plures occidiſſe, quàm vel locus, vel tempus ſtellæ præcisè poſcebat, ne vllo modo Chriſtus euaderet; quamquam adhuc in loco tam exiguo difficile ſit inuenire 14. millia infantum; nec enim tot Romæ, Neapoli, Mediolani, aliiſque magnis in vrbibus reperiuntur.

*Infantes occiſi fuêre quatuordecim millia.*

*Sunt martyres.*

Nota primò, hos infantes ab Herode in odiũ Chriſti occiſos verè eſſe Martyres; ac vt tales ab Eccleſia coli & feſto celebrari, idque commune eſt omnibus infantibus, qui in odium fidei trucidantur ex gratuita & liberali Dei ordinatione.

*Martyriũ dat gratiã ex opere operato.*

Vnde ſequitur martyrium ex opere operato iuſtificare (per illud enim paruuli illi, qui necdum erant circumciſi purgabantur à peccato originali, & iuſtificabantur) ac idem operari, quod operatur Baptiſmus. Ita paſſim Patres & Doctores in 4. diſtinct. 4. Imò Eccleſia tota, vt dixi. Vide ſanctum Bernardum ſerm. de Innocentibus. Hinc Doctores tres claſſes martyrum ſtatuunt: Prima eſt eorum, qui operè ac voluntate ſunt martyres, quales ſunt adulti, qui voluntariè mortem à tyranno pro Chriſto illatam ſuſcipiunt: Secunda eorum, qui ſolo opere ſunt martyres, quales ſunt infantes, qui pro Chriſto occiduntur: Tertia eorum, qui ſolâ voluntate, vt qui optant martyrium, vti optabat S. Franciſcus, qui idcircò profectus eſt ad Soldanum Ægypti, ſed hic videns eum virum ſanctum, noluit eum occidere. Vnde caruit ipſe realis martyrij laureâ. Hi ergo infantes fuêre cruore lacteo loti, ait ſanctus Cyprianus. Quocirca ſanctus Auguſtinus ſerm. de Innoc. *O paruuli*, ait, *de veſtra corona dubitet, qui paruulis baptiſmum prodeſſe non putat.*

*Tres martyrum claſſes.*

*Mira Dei hic prouidentia.*

Nota ſecundò miram Dei prouidentiam, qui primò Bethleemitas puniuit ſtrage puerorum, eò quòd ipſi B. Virginem puerperam puerum Ieſum hoſpitio non excepiſſent, ſed coëgiſſent ſtabulum adire, ibique parere. Secundò, quia pueros per hanc cædem laureâ martyrij decorauit. Tertiò, quâ fecit vt Chriſtus per fugam in Ægyptum euaderet, & per cædem hanc magis orbi innoteſceret, quâ ſe portendebatur *Eccle-*





*ſiam*

*ſiam Dei per furorem crudelitatis* (perſequentium) *augeri*, ait ſanctus Leo ſerm. 6. de Epiphan. *quoniam in ſupplicijs & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo.* Quocirca *ſanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*, vti notat Tertullianus in fine Apolog.

Porrò Chriſtus quà homo, licèt infans, vtebatur tamen ratione: quare reuelante Verbo ſibi vnito, hanc paruulorum propter ſe ſtragem intimo pietatis affectu dolebat, eiſque & parentibus eorum compatiebatur: ſpiritu verò exultabat de eorum martyrio & gloria: quare illos quaſi aduentus ſui primitias, primaſque gratiæ ſuæ victimas Deo Patri offerebat.

*Dei in Herodem vindicta.*

Nota tertiò iuſtam in Herodem infanticidam, & quantùm in ipſo erat, Chriſticidam, Dei vindictam. Nam ipſe poſt quinque dies ab infanticidio, febri, tuſſi, dyſenteriâ, hydrope, podagrâ; phthiriaſi (morbo pediculari) putredine verendorum, aſthmate & fœtore intolerabili percuſſus, animam truculentam exhalauit, adeò, vt ipſe ſeipſum occidere conatus fuerit. Filij eius non ad regnum, ſed ad regni particulam dumtaxat quaſi tetrarchæ fuêre admiſſi, & infeliciter perierunt. Tota quoque eius poſteritas licèt numeroſiſſima, intra centum annorum ſpatium, paucis demptis, conſumpta interijt, vti narrat Ioſeph. lib. 17. Antiquit. cap. 8. & ſequent. qui & addit omnes cenſuiſſe hanc eſſe iuſtam numinis vindictam. Sic & ex Ioſepho Euſebius libr. 1. Hiſt. cap. 8.

*Infantes quaſi agni paſchales.*

Allegoricè infantes occiſi ab Herode ſub Paſcha quaſi agni Paſchales, typus fuêre Chriſti, qui poſt 32. annos ab Herode, filio huius Herodis infanticidæ, illuſus, & à Pilato in Paſchate crucifixus, ſemetipſum quaſi agnum & victimam Paſchalem, pro ſalute mundi Deo Patri obtulit. Audi ſanctum Auguſtinum ſerm. 8. de Sanctis, qui eſt primus de Innocentibus: *Naſcente Chriſto luctus cœpit, non cælo, ſed mundo. Indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio, & infantibus tranſmigratio. Deus eſt, qui natus eſt; innocentes illi debentur victima qui venit damnare mundi malitiam. Agnelli debent immolari, quia agnus futurus eſt crucifigi, qui tollit peccata mundi; ſed oues vlulant matres, quia agnos perdunt ſine voce balantes. Grande martyrium, crudele ſpectaculum.* Et Prudentius in Hymno Epiphan.

*Vos prima Chriſti victima,*
*Grex immolatorum tener,*
*Aram ante ipſam ſimplices,*
*Palmâ & coronâ luditis.*

Iidem prælusêre & exemplum dedêre omnibus martyribus, quolibet ſæculo pro Chriſto vſque ad mortem generosè certaturis. Vnde ſanctus Leo ſerm. 8. de Epiphan. *In ſtellæ fulgore*, ait, *Dei gratia; & in tribus viris* (Magis) *vocatio Gentium; & in rege impio crudelitas Paganorum; & in occiſione infantium cunctorum Martyrum forma præceſſit.* Si enim infantes teneri iugulationem pro Chriſto patiuntur, quidni eamdem pro eodem patiantur, fideles adulti & robuſti? Quod enim cenſent aliqui vſum rationis infantibus fuiſſe acceleratum, eoſque elicuiſſe actum fidei, credendo in Chriſtum; & martyrij, ſuſcipiendo mortem pro Chriſto, temerè & friuolè dicitur. Extat tamen idipſum in ſerm. quodam de Innoc. qui ſancto Chryſoſtomo tribuitur; ſic enim ait: *Fiunt intereà pueri ſine Magiſtro diſerti, docti ſine doctore, periti ſine eruditione. Agnoſcunt Chriſtum, prædicant Dominum, non quem perſuaſio humana docuerat, ſed quem diuinitas innocentibus inſpirabat.* Verùm falsò hic ſermo aſcribitur ſancto Chryſoſtomo, nam ſanctus Chryſoſtomus hîc homil. 4. diſertè contrarium aſſerit; verba eius mox ſubijciam. Iam ſi in paruulis paſſio propter Chriſtum inuoluntaria, &, vt ita dicam, inuita, paruulis vtique reluctantibus, adeò accepta fuit Deo, vt illam æſtimarit martyrium, ac patientes infantes laureâ martyrij coronaret, quid faciet paſſio voluntaria, quâ quis cupit, imò ambit multa pati & mori pro Chriſto?

*Et flores martyrum.*

Symbolicè, pueri in vere ab Herode occiſi fuere quaſi verni flores, è terra Bethleemitica ſolis iuſtitiæ radijs tepefacta producti, & Chriſto Nazareno, id eſt, florido oblati. Vnde Prudentius in Hymno Epiphan. & ex eo Eccleſia in Officio:

*Saluete*, ait, *flores martyrum,*
*Quos lucis ipſo in limine*
*Chriſti inſecutor ſuſtulit,*
*Ceu turbo naſcentes roſas.*

Et ſanctus Auguſtinus ſermon. 2. de Innocent. *Quàm feliciter nati*, ait, *quibus in ipſo naſcendi limine æterna vita obuiam venit?* Et ſerm. 3. *Iure Innocentes dicuntur martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quædam pruina perſecutionis decoxit.* Et ſanctus Chriſoſtomus ſerm. 4. *Infantia*, ait, *paſſionis ignara palmas martyrij rapuit, & coronas. Veri iſti ſunt gratiæ martyres, confitentur tacenter, neſcientes pugnant, vincunt inſcij, moriuntur inconſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.* Hoſce ergo paruulos Deus priùs facit quaſi triumphare, quàm viuere; priùs eos coronis ornat, quàm membris.

*Tropol.*

Tropologicè Chriſtus amat infantes, id eſt, paruos & humiles, taleſque euehit ad ſummam gratiam, imò ad martyrium. Hinc ipſe ait: *Quicumque humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cælorum.* Matth. 18. 4. Audi ſanctum Leonem ſerm. 7. in Epiphan. *Vnde tota, dilectiſſimi, Chriſtiana ſapientiæ diſciplina non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit, quam Dominus Ieſus Chriſtus ab vtero matris vſque ad ſupplicium crucis pro omni fortitudine & elegit & docuit.* Et mox: *Amat infantiam, quam primùm ſuſcepit & animo & corpore. Amat Chriſtus infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Amat Chriſtus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum.* Et anteriùs: *Tota victoria Saluatoris, quæ & diabolum ſuperauit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta.*

TVNC ADIMPLETVM EST, QVOD DICTVM Vers. 17.
EST PER IEREMIAM PROPHETAM DICENTEM: VOX IN RAMA AVDITA EST: PLORATVS ET VLVLATVS MVLTVS. RACHEL PLORANS FILIOS SVOS, ET NOLVIT CONSOLARI, QVIA NON SVNT] Quia ſcilicet occiſi ab Herode interierunt quoad corpus, nam quoad animam *erant, qui in æternitatem aſſerebantur*, ait ſanctus Hilarius: locum hunc explicui Ieremiæ cap. 31. verſ. 15. Vide ibi dicta. Ploratus hoſce matrum graphicè depingit S. Auguſtinus ſerm. 1.



ſerm. 1. de Innocent. & tamdem concludit: *Miſcebatur lamentatio matrum, & ad cælum tranſibat oblatio paruulorum.*

Tropologicè plangit Rachel, id eſt, ouis necem agnorum (*Rachel* enim Hebr. ſignificat *ouem*) ſed plaudunt Angeli, imò & paruuli, quia animæ paruulorum, quaſi agnorum ad ſocietatem tranſibant Angelorũ. Vnde ſanctus Auguſtinus ſerm. 3. de Innoc. *Ecce*, ait, *profanus hoſtis numquam beatis paruulis tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantùm profuit odio.* Cauſam ſubdit: *Siquidem antè vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quàm vſuram præſentis acciperent, &c. quia incipientis vitæ primordijs, ipſe eis occaſus initium gloriæ dedit, qui præſentis terminum impoſuit.* Naſcendo ergo mortui ſunt mundo, & moriendo viuere cœpere cælo. Infantibus hiſce igitur propriè competit illud ſancti Pauli: *Spectaculum* (Græcè θέατρον, id eſt, theatrum) *facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus.* 1. Corinth. 4. 9. q. d. In circo, in amphitheatro ab omnibus ſpectamur quaſi βιοθάνατοι, gladiatoribus, beſtijs & feris obiecti.

Vbi aduerte: hoc infanticidio voluit Deus quaſi in ſcena nos docere, omnem Chriſtiani vitam à puero vſque ad mortem eſſe continuam perſecutionem, crucem & mortem; ac fortitudinem & virtutem Chriſtiani magis conſiſtere in ardua patiendo, quàm in agendo, putà in conſtanti patientia magis, quàm in pugna: Difficilius enim eſt pati, quàm agere & pugnare: *Fortia agere*, ait ille, *Romanum eſt; fortia pati, Chriſtianum.*

*Vita Chriſtiani eſt pati.*

Chriſtus pro nobis patiens: *Corpus meum*, inquit, *dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Iſaiæ 50. 5. Paruuli viciſſim pro Chriſto membra ſua dedere laceranda carnificibus. Idem faciat Chriſtianus, vt corpus ſuum prædæ det Deo, & pro Deo morbis, laboribus, tormentis quibuſlibet. Id fecit ſanctus Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, qui ad ſuos ſcribit: *Ego*, ait, *corpus meum in prædam dedi Arrianis.* Vnde ab eis excarnificatus glorioſus Chriſti martyr & homouſij vſque ad mortem propugnator occubuit. Celebrat Eccleſia hunc fidei pugilem & heroëm die 15. Decembris. Verè ſanctus Fulgentius de Epiphania: *Ad hoc*, ait, *permiſit Deus Herodem infantes occidere, vt illos de Herode faceret triumphare.* Sanctus Cyprianus lib. 4. epiſt. 6. ad Thibarit. *Ætas*, ait, *necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam.* Et mox: *Filius Dei paſſus eſt, vt nos filios Dei efficeret; & Filius hominis pati non vult, vt eſſe Dei Filius perſeueret?*

Vers. 19. DEFVNCTO AVTEM HERODE, ECCE ANGELVS DOMINI APPARVIT IN SOMNIS IOSEPH IN ÆGYPTO.

Vers. 20. DICENS: SVRGE, ET ACCIPE PVERVM ET MATREM EIVS, ET VADE IN TERRAM ISRAEL: DEFVNCTI SVNT ENIM, QVI QVÆREBANT ANIMAM PVERI] Defunctus eſt Herodes paucis diebus poſt cædem Antipatri, vt ait Ioſephus, ac conſequenter & infantum, vt liquet ex Macrobio: quare Chriſtus non videtur hæſiſſe in Ægypto vltra biennium; nam eò non iuit, niſi vno anno ante mortem Herodis, & poſt eam ſtatim Archelao Herodis filio Romam profecto, & mox inde redeunte ac regnante, redijt, vt hîc dicitur. Ita Onuphrius Panuinus in Faſtis, & ante eum ſanctus Epiphanius hęreſi 78. Nicephorus lib. 1. cap. 14. licèt Baronius putet Chriſtum redijſſe ex Ægypto anno ætatis nono, Ammonius ſeptimo, Ianſenius quinto. Vide Pererium lib. 11. in Danielem q. 5.

*Quanto tempore Chriſtus manſit in Ægypto.*

QVI QVÆREBANT ANIMAM PVERI] Putà Herodes, eiuſq; filij Ariſtobulus, Alexander & Antipater, qui ambientes regnum, ideoque contra patrem (conſequenter & contra Meſſiam, vt videtur) coniurantes cum Scribis & Phariſæis eis fauentibus, ab Herode interfecti ſunt, teſte Ioſepho lib. 17. Antiq. c. 8. & ſequent.

QVI CONSVRGENS, ACCEPIT PVERVM Vers. 21.
ET MATREM EIVS, ET VENIT IN TERRAM ISRAEL.

AVDIENS AVTEM QVOD ARCHELAVS RE- Vers. 22.
GNARET (non vt rex, ſed vt tetrarcha) IN IVDÆA PRO HERODE PATRE SVO, TIMVIT ILLO IRE: ET ADMONITVS IN SOMNIS, SECESSIT IN PARTES GALILÆÆ] Angelus Ioſepho dixerat: *Vade in terram Iſrael.* Ioſephus Iudæam intellexit, quia hæc erat potior pars terræ Iſraël, ac in ea erat templum: illud ergo adire cogitabat, vt Deo pro felici reditu gratias ageret, præſertim, quia Dei iuſſu maſculi omnes Hebręi ter ſingulis annis debebant adire templum, Exodi 23. 17. Vnde S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. c. 9. & ex eo Gloſſa: *Non determinat* (Angelus) inquit, *in quam partem, vt ad dubitantem iterùm reuertatur: quia verò non diſtinxerat, Ioſeph intellexit Iudæam, quæ dignior eſt pars regni: Putauit enim tali puero non niſi Hieroſolymis habitandum: Angelus verò Galilæam intellexit.*

Porrò Ioſeph ſeceſſit in Galilæam, licèt illi præeſſe ſciret Herodem Antipam, Archelai fratrem; tum quia Archelaus ambitioſior erat & ſæuior, quàm Antipas, ideoque ab Auguſto pulſus eſt in exilium; tum quia infanticidium Herodis Aſcalonitæ, qui pater erat Archelai & Antipæ, contigerat in Iudæa, putà in Bethlehem. Vnde illius memor erat Archelaus, ac facilè intellexiſſet Chriſtum reducem in Iudæam euaſiſſe infanticidium, ideoque eum ad necem reuocaſſet.

Vt hiſtoriam hanc plenè & ab ouo, vt dicitur, intelligas, nota ex Ioſepho, lib. 10. Antiq. c. 10. & ſequent. Mortuo Herode anno regni ſui 37. cùm duo eius filij ſuperſtites Archelaus, & Herodes Antipas, qui Chriſtum in Paſſione veſte alba indutum illuſit, de regni ſucceſſione inter ſe contenderent, Auguſtus Cæſar litem hanc decidendam commiſit Caio Cæſari, ſuo ex Iulia filia nepoti, qui litem ſic decidit, vt neutri regnum adiudicaret, ſed illud in quatuor tetrarchias diſſectum, quatuor non regibus, ſed tetrarchis adminiſtrandum aſſignaret; nimirum Iudæam Archelao tradidit; Galilæam Antipæ; Trachonitidem tertio eorum fratri Philippo; Abilinam Lyſaniæ, vt patet Lucæ 3. 1. Cùm ergo S. Matthæus ait, *quòd Archelaus regnaret*, intellige non vt rex, vel vt habens titulum regis, ſed vt tetrarcha ſiue toparcha, cum ſpe tamen regni & nominis regij ſi benè ſe gereret, illi datâ & promiſſâ ab Auguſto Cæſare.

*Hiſtoria filiorum Herodis.*

Porrò Archelaus poſt nouem annos ſuæ tetrarchiæ, ob malum regimen pulſus eſt in exilium anno 37. ab Actiaca Victoria, & ſeptennio ante mortem Auguſti. Ioſephus, Euſebius, Zonaras, Beda, Haymo, Abulenſis, Marianus, Scotus,

Scotus, Salmeron, Scaliger, Toletus, Barradius, A & alij.

*Archelao ſuffecti Præſides Romani.*

Archelao in exilium acto, Auguſtus Iudææ dedit Præſides, qui eam nomine ſuo gubernarent. Hi tres fuere, qui ſeptem annis, ſcilicet vſque ad mortem Auguſti Iudææ præfuerunt. Primus fuit Coponius, qui ſimul cum Quirino Syriæ Præſide confiſcauit opes Archelai. Secundus M. Ambiuius. Tertius Annius Rufus. Mortuo poſt ſeptem annos Auguſto, illi ſuccedens Tiberius Cęſar, quartum Syriæ Pręſidem creauit Valerium Gratum, ac poſt eum Pontium Pilatum, qui Chriſtum crucifixit. Pilato ex ordine ſucceſſere Marcellus, Cumanus, Claudius, Felix, Porcius Feſtus, Albinus, & Florus, ſub quo anno Neronis 12. à morte Chriſti 35. cœperunt Iudęi rebellare Romanis, ac mox exciſi ſunt à Tito & Veſpaſiano; nam quinto poſt anno die octaua B Septembris Hieroſolyma capta eſt, & vaſtata à Tito. Fuſè hæc narrat Ioſephus.

Herodi Antipæ verò tetrarchiæ Galilææ tandem à Cæſare conceſſum fuit nomen regis, cum diademate ceteriſque inſignibus regijs. Idem conceſſum fuit Herodi Agrippæ, qui fuit Herodis Antipæ (ex Ariſtobulo fratre, quem olim pater Herodes Aſcalonita occiderat) nepos, eiuſque filio Agrippæ iuniori, qui rex permanſit vſque ad excidium Hieroſolymæ. Vnde horum trium in Euangelijs & Actis crebra eſt mentio. Antipas enim Ioannem Baptiſtam occidit, & Chriſtum illuſit. Agrippa ſenior Iacobum Apoſtolum interemit, & S. Petrum in vincula coniecit actor. 12. Agrippa iunior Pauli auditor fuit & iudex, Actor. 25. & ſeq.

Ex dictis lux magna SS. Matthæo & Lucæ C affertur, ac imprimis clarè liquet, cur Matthæus dicat Ioſephum ſeceſſiſſe in Galilæam metu Archelai regnantis in iudæa, ne ſcilicet ipſe æquè, vt pater eius Herodes, Chriſtum quaſi regem Iudæorum quæreret ad necem. Rurſum, cur Chriſtus nonniſi duodennis aſcenderit in Iudæam ad templum, quia ſcilicet iam Archelaus à Cæſare priuatus erat tetrarchia Iudææ, & pulſus in exilium. In Archelao autem deſijt Herodis ſtirps in Iudæa regnare, à quo metuendum erat Chriſto, illique ſucceſſere Præſides Romani, à quibus nil Chriſto erat timendum, vtpote qui Chriſtum non norant, imò nec nomen eius audierant.

VERS. 23.

ET VENIENS HABITAVIT IN CIVITATE QVÆ VOCATVR NAZARETH, VT ADIMPLE- D RETVR QVOD DICTVM EST PER PROPHETAS, QVONIAM NAZARÆVS (S. Marcus Latinos imitatus cap. 1. 24. habet Ναζαρηνὸς, ceteri verò Euangeliſtæ ſcribunt Ναζωραῖος) VOCABITVR] Nazareth vrbem ita ex S. Hieronymo, Euſebio, Brochardo, Saligniaco & alijs deſcribit Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ pag. 241. num. 73. *Nazareth*, inquit, *quod interpretatur flos, pulchra ac florens Galilææ ciuitas eſt, Capharnaum vrbi ſubiacens, ædificata ſuper montem quem coronæ inſtar ambit, duabus leucis à monte Tabor, trium autem dierum itinere ab Ieruſalem diſtans. Hic beata Maria, candens flos virginum, nata eſt. Hic Chriſtus Dominus noſter & Saluator, gloria & corona noſtra, vt flos campi (inquit Hieronymus) naſceretur in flore virtutum, conceptus & educatus eſt, ac viginti quatuor annis habitauit. Vnde & ciuitas hæc, ciuitas ſua & patria ſua; ipſe verò Nazarenus, ſeu Nazaræus & Galilæus appellatus*

*Nazareth qualis?*

A *eſt. Sed & nos qui nunc à Chriſto Chriſtiani, apud veteres quaſi opprobrio à Nazareo Nazaræi, & à Galilæo Galilæi dicebamur.*

Porrò *Galilæa*, ait Rabanus, *interpretatur tranſmigratio; Nazareth flos; quò enim ardentiùs Eccleſia ad cæleſtia tranſmigrat, eò magis virtutum flore abundat.*

VT ADIMPLERETVR QVOD DICTVM EST PER PROPHETAS; QVONIAM (id eſt, *quòd*,) NAZARÆVS VOCABITVR] Quia Chriſtus à Nazareth, vbi conceptus & educatus fuit, cognominatus eſt Nazaræus, vel, vt habet Marcus, Nazarenus. Porrò vox *Nazareth* non nominatur in toto veteri Teſtamento; vnde neſcimus, an per literã ז *zain* an per צ *tſade* ſcripta fuerit. Si per *zain* ſcribatur, hebr. idem eſt, quòd ſanctificata, ſeparata, conſecrata: ſi per *tſade*, idem eſt, quòd florida vel cuſtodita.

B Quæres, à quo Propheta, vbi, & cur Chriſtus vocatus ſit Nazarenus? varij varia afferunt. Duo ſunt veriſimiliora.

*Chriſtus dictus Nazarenus, Vnde. Reſp. Primò.*

Primùm, quòd Chriſtus dictus ſit Nazaræus, hebr. נָזִיר *nazir* vel *nozeri* per literam *zain*, id eſt, ſeparatus, ſanctus, conſecratus, coronatus, religioſus; quia Chriſtus quà homo, ſeparatus ab omni alia re, hypoſtaticè totus fuit vnitus Verbo; radix enim נָזַר *nazar* ſignificat ſeparare, cõſecrare, coronare. Vnde religioſi veteris legis, qui ſe à vino & ſæculo ſeparabant; ac Deo conſecrabant, vocabantur Nazaræi, vt patet Numer. 6. 2. & ſeq. Vide ibi dicta; Chriſtum autem fore ſanctum & Deo conſecratum, omnes Prophetæ prædixerunt, ac imprimis Daniel. c. 9. 24. *vngetur*, ait, *Sanctus ſanctorum*, ſcilicet Chriſtus, & ſic Samſon, qui Chriſti typus extitit, fuit Nazaræus. Iudic. 13. 7. ęquè ac Ioſeph Geneſ. 49. 2. Sicut enim Ioſeph poſt carcerem factus eſt princeps Ægypti; ſic Chriſtus poſt mortem factus eſt princeps mundi. Ita S. Ambroſius & Rupertus, quos citaui Gen. 49. 2. Verùm tamen eſt, quòd hi Nazarei Grecè vocantur, Ναζαραῖοι per α, Chriſtus verò vbique vocatur Ναζωραῖος per ω vt diſtinguatur à Nazaræis, quòd ipſe non ex voto, vt illi, ſed ex patria Nazareth dictus ſit *Nazaræus*. Chriſtus enim bibit vinum, quod vetitum erat Nazaræis ex voto. Ita S. Hieronymus hîc & Euſebius lib. 7. de Demonſtr. cap. 2. demonſtr. 5. vbi citat illud Leuit. 21. 12. de Pontifice Aaronico, qui typus erat Chriſti, dictum: *Nec egredietur de Sanctis, quia oleum ſanctæ vnctionis Dei ſui ſuper eum.* D Pro *ſanctæ* hebr. eſt נֵזֶר *nezer*, id eſt, conſecratio, vel ſanctificatio olei vnctionis Dei ſui ſuper eum eſt: ſic & Leo Caſtrius in c. 11. Iſaiæ v. 1. & ſeq. Index vocum hebr. qui Biblijs in fine affigi ſolet, ac Paulus Burgenſis hîc, qui propriè hîc citari putat illud pſal. 131. 18. *Super ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea*, hebr. נִזְרִי *nizri*, quod S. Hieron. vertit *diadema eius*. Vnde & lamina aurea tiaræ Pontificis affixa, cui inſculptum erat *ſanctitas Domino*, vocatur נֵזֶר *nezer*, id eſt, corona vel diadema ſanctitatis. Exodi 29. 6. Eratque typus, imò index Chriſti Nazarei, ſancti & coronati. Quare huc alludens Apoſt. hebr. 2. 9. *Videmus*, ait, *Ieſum propter honorem paſſionis gloria & honore coronatum.* Vide dicta ibidem v. 9. & v. 10. Audi Euſebium: *Nazer*, inquit, *Septuaginta vertunt ſanctum. Aquila: Separatio. Symmach. intactum. Itaque ex his Nazaræum nomen ſignificabit aut ſanctum, aut ſegregatum, aut intactum. At verò priſci quidem ſacerdo-*





*tes cum oleo comparato, quod apud Moyſem Nazir appellatur, vngerentur, ex deriuatione à Nazer vocabantur Naziræi. Sed Saluator & Dominus noſter ſuapte natura in ſe habens & ſanctum, & intactum, & ſeparatum, neque alicuius indigens humanæ vnctionis, tamen Naziræi appellationem apud homines obtinuit, nõ quòd ab oleo, quod Nazer vocaretur, Nazaræus extiterit; ſed quòd quamuis natura quidem talis eſſet, tamen à Ciuitate Nazareth apud homines Naziræus vocatus ſit, vbi apud ſuos, quà homo erat, parentes puerilem educationem obtinuit.* Chriſtus ergo fuit Nazaræus, id eſt, à ceteris hominibus ſegregatus, ſanctificatus, conſecratus & coronatus ſummus mundi Pontifex, legiſlator, doctor, redemptor & ſanctificator.

Huic ſententiæ fauet character: Nam vbique Euangeliſtę *Nazaræus* vel *Nazarenus* ſcribunt per literam z, quæ eſt in Hebr. *nezir* & *nazir*. Si enim B Nazarenus deriuaretur à נֵצֶר *neſer* per tſade, vt ſignificet *floridum*, ſcribi deberet *Nazarenus* per literam ſ. Nam in omnibus alijs nominibus litera Hebræa צ *tſade* transfertur per literam ſ, vt patet in Boſra, Aſor (de qua Ioſue cap. 11. & 15. quam aliqui putant eſſe Nazareth) Melchiſedech, Sabaoth, Sion, Sephora, Sadoch, Sadducæi. Ex aduerſo ז *zain* hebr. ſemper transfertur in *zeta*, vt patet in Zare, Zabulon, Zacharias, Beelzebud, &c.

Adde, digniùs eſt Chriſtum vocari Nazaræũ, per *zain*, id eſt, ſanctum, quam Naſarenum per *tſade*, id eſt floridum; nam נֵזֶר *nezer*, id eſt, ſanctitas, conſecratio & corona Chriſti, quà homo eſt, fuit vnio hypoſtatica, vel potiùs ipſa Verbi diuinitas, quæ humanitatem Chriſti totam coronauit, ſanctificauit, ſibique ſeparauit, vniuit & C conſecrauit. Denique fauet huic ſententiæ, quòd ſanctus Matthæus dicat: *Quod dictum eſt per Prophetas* non *per Prophetam*, quo *oſtendit ſe non verba vnius Scripturæ, ſed multarum ſenſum dediſſe*, ait ſanctus Hieronymus, quia ſcilicet multæ Scripturæ dicunt Chriſtum fore ſanctum per antonomaſiam.

*Secundò.*

Secundò, alij paſſim cenſent quòd Chriſtus dicatur Naſarenus à נֵצֶר *neſer* per *tſade*, q. d. floridus à flore, aut potiùs germinans à germine: *neſer* enim Theodotion & Aquila, teſte S. Hieronymo in Iſaiæ 11. 2. verterunt *germen*. Hoc enim nomine propriè vocatur Chriſtus Iſaiæ 11. 2. *Et flos*, inquit, *de radice eius aſcendet*: vbi pro *flos* hebr. eſt, נֵצֶר *neſer* per *tſade*. Nazaræus ergo idem eſt, quòd floridus aut germinans, ſuccreſcenſque in D magnam & glorioſam arborem, pretioſos multoſque fructus producentem.

*Prob. Primò.*

Ratio eſt prima, quia alibi Chriſtus vocatur צֶמַח *tſemach*, id eſt, *germen*, quod noſter vertit *oriens*, ſcilicet, germinans è terra Zachar. 6. 12. &c. 3. v. 8. quia ſcilicet Chriſtus de Virgine vt germen de terra impollutum, & ab omni labe peccati purum, omni virtute virens effloruit, ac ſuauitatem odoris ſui & famæ longè lateque ſparſit. Vnde S. Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 5. *Flos*, ait, *auulſus odorem non amittit, contritus accumulat.* Sic & Chriſtus in paſſione contritus & occiſus, vim ſuæ diuinitatis & gratiæ magis oſtendit.

*Secundò.*

Secunda ratio eſt, quòd in titulo crucis Chriſti, qui Romæ ſeruatur & oſtenditur in Baſilica ſanctę Crucis in Ieruſalem, נָצְרִי *notſeri* ſcribatur



A per *tſade*, non per *zain*, ait oculatus teſtis Pagninus in Explicat. vocum hebr. in voce *Nazareth* & *Nazarenus*. Sic & Syrus cum Arabico *Nazarenus* ſcribit per *tſade*, & Rabbini moderni à Chriſto *notſeri*, id eſt, Nazareno Chriſtianos vocant *notſerim* per tſade, id eſt, Nazarenos. Vnde præciſè ſcribendum fuiſſet Naſarenus per ſ, non Nazarenus per z; ſed quia litera *tſade* Hebræis ſono eſt duplex, valetque ds, vel ts; æquè ac idem valet apud Græcos & Latinos litera *zeta*, hinc per eam ſcripſere Nazarenus. Vidi & ego ſæpiùs titulum S. Crucis Chriſti Romæ, & ſtudioſè inſpexi, ſed literas ita exeſas vidi, vt diſcernere nequiuerim, an Nazarenus in Hebræo ſcriberetur per *tſade* an per *zain*, imò potiùs per *zain* quàm per *tſade* ſcribi videretur. Formam huius tituli exactè in imagine expictam impreſſit Iacobus Boſius lib. 1. de Cruce triumphante c. 11. inſpice B illam, & ita, vt dixi, eſſe cenſebis. Adde titulum hunc fuiſſe conſcriptum à Pilato Præſide Romano, eiuſque miniſtris Romanis, qui parum Hebraicè periti, neſciebant an Chriſtus diceretur Nazarenus per *tſade*, an per *zain*, aut certè non curabant haſce literas diſtinguere, cùm quaſi eiuſdem ſint ſoni. Porrò Nazarenum per *tſade* ſcribunt, explicantque *floridum* Rabanus, Lyranus, Abulenſis, Pagninus, Ianſenius, Caietanus, Barradius, Franciſcus Lucas, Salmeron; ſed multi ex his ſecuti ſunt Pagninum, illique quaſi oculato teſti, dicenti in cruce Chriſti *notſeri* ſcribi per *tſade*, crediderunt.

*Conciliatio vtriuſque ſententiæ.*

Verùm vtraque ſententia conciliari & coniungi poteſt, ſi dicas Chriſtum Nazarenum dici, ſi literas præciſè ſpectes, à נֵזֶר *nezer* per *zain*, id C eſt, ſanctitas, conſecratio, corona; alludere tamen ad נֵצֶר *neſer* per *tſade*, id eſt, germen, flos; quia hæ duæ litteræ *tſade* & *zain*, vti charactere, ita & ſono ſunt vicinæ, & inter ſe, ac cum alijs quas includunt, ſubinde commutantur, vt patet in coniugatione Hitpael. Vide Grammaticam Hebræam Bellarmini & aliorum. Quocirca vtrumque coniunxit Pſaltes pſal. 131. 18. dicens: *Super ipſum autem efflorebit* (ecce *Nazarenus*, id eſt floridus) *ſanctificatio mea*, ecce, *nezer*, id eſt, ſanctitas. Sic & ſanctus Hieronymus hîc: *Nazaræus*, ait, *ſanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum, omnis ſcriptura commemorat. Poſſumus & aliter dicere, quòd etiam eiſdem verbis iuxta Hebraicam veritatem in Iſaia ſcriptum ſit: Exiet virga de radice Ieſſe, & Nazaræus de radice eius conſcendet.* Denique vt literis, ita & ſenſu hæc duo nomina ſibi mutuò D cognata ſunt, qui enim eſt Nazarenus, id eſt, ſeparatus à terrenis voluptatibus, hic vtique, eſt naſareus, id eſt, floridus virtutibus. Hinc nonnulli Græcum ἅγιος, id eſt, *Sanctus* deriuant ab α priuatiuò & γῆ, id eſt, terra, q. d. ſine terra, qui enim à terra ſemotus cæleſtia ambit, hic cæleſtis eſt & ſanctus.

Porrò Matthæus hoc addit, quia Nazareth oppidum erat exile & vile, hinc Nazareni nomen pariter Iudæis & Gẽtibus videbatur vile & exile, imò ob illud multi abſterrebantur à Chriſto, ne crederent ipſum eſſe Meſſiam. Vnde Nathanaël ad Philippum indicantem ei Chriſtum à Nazareth: *A Nazareth*, inquit, *poteſt aliquid boni eſſe?* Ioan. 1. 46. & Iulianus Apoſtata Chriſtum per contemptum vocabat Galilæum & Nazarenum (Nazareth enim erat in inferiori Galilæa) adeo-

*Iulianus Apoſtata.*

que telo cæleſti à Chriſto percuſſus morienſque: *Vicisti*, ait, *Galilæe, viciſti*. Contrarium ergo hîc oſtendit Matthæus ſcilicet Nazareni nomen glorioſum eſſe vtpote à Prophetis ante tot ſæcula prænuntiatum & Chriſto attributum.

Senſus igitur eſt, q.d. Licèt in Bethlehem natus ſit Chriſtus, tamen in Nazareth conceptus & educatus eſt, ſcilicet in vrbe parua & obſcura, vt ibi faciliùs Herodem infanticidam eiuſq; poſteros latere poſſet, vtque nobis daret exemplum humilitatis, & contemptus pomparum mundi.

*Nazareni nomen illuſtre.*

Vnde à Nazareth vrbe dictus eſt Nazarenus; ſed ita vt non tantùm nomen Nazareni, ſed & res, purà ſanctitas nomine Nazareni ſignificata, illi conueniat, atque vt hoc ſignificaretur, Deus Chriſtum voluit concipi & educari in Nazareth: Itaque reipſa impletum eſt, quod Iſaias & prophetæ de eo prædixerunt, ſcilicet quod Chriſtus *nazir*, id eſt, *Nazaræus*, id eſt, *Sanctus*; ac *noſeri*, id eſt, *Nazareus*, id eſt, *floridus* omni virtute & gratia, vti reuera erit, ſic & vocabitur: ac conſequenter Nazareni nomen, quod Iudæi & alij probro dederunt Chriſto & Chriſtianis, illuſtre eſt, imò nota & index veri Meſſiæ; hoc enim titulo Meſſiam indicarunt & inſignierunt Prophetæ. Porrò Nazareni cognomen primi Chriſto dederunt dæmones. Lucæ 4.34. Marci 1.24. deinde turbæ, Marci 10.47. Lucæ 18.37.

*Tropologicè Nazaræi ſunt religioſi.*

Tropologicè Chriſtus Nazarenus, id eſt ſeparatus à mundo & conſecratus Deo, ideoq; omni virtute florens, origo, pater & princeps fuit Nazaræorum, id eſt, religioſorum, qui mundum A ſpernentes, totos ſe Deo dicant, vt virtutibus effloreſcant, iuxta illud Thren. 4.7. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.* Vide dicta ibidem, & Num. 6. Vide & noſtrum Hieron. Platum lib. 2. de Bono ſtatus relig. c. 19.

*Nazareus, id eſt, cuſtos.*

Addit Salmeron: *Nazarenus* idem eſt quod *Samaritanus*, id eſt, *cuſtos* (נָצַר *natſar* enim eſt ſeruare, cuſtodire) ſcilicet hominum, vel *cuſtoditus*, ſcilicet deitate, iuxta illud Iob 7. *Quid faciam tibi ô cuſtos hominum?* Et pſal. 120. *Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael.* Sic & Franc. Lucas: *Nazarenus*, inquit, *eſt cuſtos, ſeruator, defenſor.* In Nazareth ergo beata Virgo repræſentatur, ex qua Chriſtus nazarenus natus eſt, quia ipſa cu-B ſtodita fuit ab originali peccato, à pudore conceptus, ab onere ventris, à corruptione & dolore partus, à moleſta viri ſubiectione in vita, & ab incineratione in morte. Corpus enim Virginis poſt mortem non fuit reſolutum in cineres, vti fit in ceteris hominum corporibus, ſed in cælos cum anima aſſumptum ad gloriam. Ita Salmeron. Hæc vera ſunt, ſed magis ſymbolica, quàm literalia.

Minùs rectè Iſidorus Clarius per Prophetas accipit interpretes S. Scripturæ purà Scribas & Phariſæos, qui ex Iſaiæ 11. verſ. 1. intellexerunt, & dixerunt Chriſtum fore *neſer* & *Nazarenum*, id eſt, florem & floridum, ideoque aptè patriam eius vocatam eſſe Nazareth, id eſt, florem, eò quòd ipſa florem hunc, ſcilicet Chriſtum, eſſet productura.

# CAPVT TERTIVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRædicat Ioannes Baptiſta pœnitentiam, vt per eam homines præparet ad Chriſtum, Chriſtiq; gratiam. Vnde verſ. 13. Chriſtum baptizat, quando Spiritus ſanctus in eum ſpecie columbæ deſcendens, & vox Patris:* Hic eſt filius meus dilectus, *ipſum eſſe Meſſiam toti orbi declarauit.*

1. IN diebus autem illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudææ, 2.
& dicens: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. 3.
Hic eſt qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem? Vox clamantis in de-
ſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. 4. Ipſe autem Ioannes ha-
bebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos:
eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylueſtre. 5. Tunc exibat ad eum Hieroſoly-
ma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem: 6. Et baptizabantur ab eo in
Iordane, confitentes peccata ſua. 7. Videns autem multos Phariſæorum & Sad-
ducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis de-
monſtrauit vobis fugere à ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum pœniten-
tiæ. 9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vo-
bis quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. 10. Iam e-
nim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor quæ non facit fru-
ctum bonum excidetur, & in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo vos in a-
qua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, cuius non ſum
dignus calceamenta portare, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. 12. Cu-
ius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum
ſuum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 13. Tunc venit
Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. 14. Ioannes
autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? 15.
Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Sine modò. ſic enim decet nos implere om-
nem iuſtitiam. Tunc dimiſit eum. 16. Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcen-
dit



dit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut
columbam, & venientem ſuper ſe. 17. Et ecce vox de cælis dicens: Hic eſt filius
meus dilectus, in quo mihi complacui.

VERS. 1. IN DIEBVS AVTEM ILLIS VENIT IOANNES BAPTISTA PRÆDICANS IN DESERTO IVDÆÆ] q.d. In tempore illo ſcilicet quo Chriſtus incarnatus & natus, vitam egit inter homines. Nam hæc contigerunt anno 15. Tiberij, vt ait Lucas c. 3. v. 1. cùm Ioannes & Chriſtus agerent annum ætatis trigeſimum. Tranſit ergo Matthæus à pueritia Chriſti ad virilem eius ætatem in qua cœpit prædicationis & redemptionis munus, ad quod obeundum à Patre in carnem & mundum miſſus erat, exercere, ideoque præmiſit Ioannem Baptiſtam, vt is illum eſſe Meſſiam Iudæis indicaret: ne ſi ex abrupto ſine indice aut teſte fide digno Chriſtus in Iudæa appareret, ab omnibus ſperneretur.

Porrò Chriſtus delituit (& artem fabrilem exercuit cum Ioſepho patre) per annos 19. vt inſigne humilitatis orbi daret exemplum. Cœpit ergo prædicare anno trigeſimo, vt ſe Iudæorum moribus & legibus conformaret: apud Iudæos enim nemini munia Doctoris aut ſacerdotis obire licebat ante annum ætatis trigeſimum, vt tradunt Hebræi, & colligitur 1. Paralipom. 23. 3. Hinc & Ioannes eodem anno trigeſimo, ſed paulò ante Chriſtum, cœpit prædicare. Tantas & tam longas humilitatis Chriſti latebras admirans ſanctus Bernardus ſerm. 1. de Epiphania exclamat: *O humilitas virtus Chriſti, quantum confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis! Parum aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi videor, & iam ſcire non poſſum, impudenter me, & imprudēter ingerens & oſtentans; promptulus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Chriſtus cùm tanto tempore ſilebat, cùm ſeipſum abſcondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria patris? Vtique timebat, ſed non ſibi. Nobis timebat ob illa, quibus nouerat eſſe timendum: nobis cauebat, nos inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere; & quod poſtea docuit verbo, iam clamabat exemplo: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.*

IN DESERTO] Non culto & habitato, quaſi Ioannes in domo paterna, quæ in montanis Iudææ erat, commodè habitarit, vti volunt noſtri delicati nouantes & deſertores. Nam Iſaias c. 40. v. 3. vaticinans de Ioannis deſerto, illud propriè accipit pro eremo, vt patet ex circumſtantijs.

*Ioannes vixit in deſerto: cur?*

Idem conuincit aſper Ioannis è pilis camelorum veſtitus, & cilicium, ac eſca ſylueſtris, ſcilicet locuſtæ & mel ſylueſtre, ita paſſim Patres Græci & Latini, quos fusè citat noſter P. Caniſius de Corrupt. Verbi Dei cap. 2. Cauſa fuit, vt Ioannes, velut Moyſis & Eliæ æmulus, ac Chriſti præcurſor, in deſerto, ab hominum inquinamentis remotus, cum Deo & Angelis conuerſaretur, ab eiſque magnæ virtutis & Spiritus vim hauriret, ac ſanctitatis nomen & famam ſibi pareret, cui proinde Chriſtum oſtendenti omnes crederent, ac eius prædicatione compuncti, pœnitentiam agerent: vnde Patres crebrò S. Ioannem vocant principem monachorum & anachoretarum, vt ſanctus Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium, ſanctus Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hîc, Caſſianus collatione 18. cap. 6.

A Hinc Ioannes in deſerto cum Angelis Angelicè viuens, æſtimatus fuit Angelus, imò à Malachia c. 3. & à Chriſto, Matth. 11. 10. vocatur Angelus: *Hic eſt*, inquit, *de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam, ante te.*

*Symbolicè.*

Symbolicè S. Ioannes prædicans in deſerto, ſignificabat Euangelium præcipuè fore prædicandum, non in Ieruſalem & Iudæa, ſed in ſolitudine & deſerta Gentium multitudine. Ita ſanctus Hieronymus in c. 40. Iſaiæ.

*Tropolog.*

Tropologicè S. Ioannes ſuo exemplo docuit viros Apoſtolicos & prædicatores futuros priùs ſecedere ab hominum tumultu, & in ſecreto vacare orationi & meditationi, vt in ea magnam vim ſpiritus cælitùs hauriant, quam deinde prædicando in auditores effundant. Vide quæ de B laudibus deſerti dixi Oſee 2. 14. ad illa: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Huc facit illud S. Auguſtini epiſt. 76. *Non erit bonus Clericus qui non fuit bonus monachus.* Quocirca SS. Auguſtinus, Martinus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, Baſilius, Gregorius, alijque plurimi ex monaſterijs in Clerum aſſumpti, & licèt inuiti, ad Epiſcopatus euecti ſunt.

Porrò hoc deſertum Iudææ fuit iuxta Iordanem prope Ænon & Salim, vt patet Ioan. 3. 23. eratque celeberrimum, tum copiâ aquarum ad baptizandum, tum habitatione & miraculis prophetarum ac virorum religioſorum, qui in libris Regum filij Prophetarum, id eſt diſcipuli Eliæ, Eliſæi & ſimilium vocantur.

Denique Nicephorus lib. 1. c. 14. teſtatur Ioan-C nem ſeſquiannum agentem à matre ductum in deſertum, Herodianam fortè iram fugiente. Addit Cedrenus in Compendio Hiſtor. eum delituiſſe in ſpelunca quadam, ibiq; matrem obijſſe, Angelum autem Ioannis pueri curam ſuſcepiſſe.

*Spelunca Baptiſtæ.*

Hæc ſpelunca poſtea ab Eremitis culta fuit, vt patet ex Ioanne Moſcho in Prato Spirit. c. 1. vbi narrat hanc ſpeluncam ſitam eſſe iuxta Iordanem, ad eamque caſu diuertiſſe Ioannem Abbatem ægrotum, ibique à Ioanne Baptiſta ſanatum cum pacto, vt ſpeluncam eamdem incoleret. Apparens enim Baptiſta, ait illi: *Ego ſum Ioannes Baptiſta, & ideo tibi iubeo, vt numquam hinc recedas; nam ſpelunca iſta breuis maior eſt monte Sina. Quippe in hanc ſæpiùs Dominus noſter Ieſus, cùm me viſitaret, ingreſſus eſt. Pollicere ergo mihi, quòd hic habitabis, & ego mox ſanitatem tibi reſtituo.* Quod ſenex au-D diens, libenter ſpopondit ſe in eadem ſpelunca permanſurum. Et continuò ſanus effectus, perſeuerauit ibidem toto vitæ ſuæ tempore.

*Verſa in Eccleſiam.*

Speluncam verò illam fecit Eccleſiam, congregauitque ibi fratres. Appellatur autem locus ipſe Sapſas.

VERS. 2. ET DICENS: POENITENTIAM AGITE APPROPINQVAVIT ENIM REGNVM CÆLORVM] Ideo Ioannes iuit in deſertum, vt ibi pœnitentiam & vitam auſteram agens, congruus fieret præco pœnitentiæ, vtpote qui illam priùs doceret exemplo, quàm verbo. S. Ioannem imitatus ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. in ſancta lumi-

*Nazianzenus ſimilis Baptiſtæ.*

luminaria. Epiph. poſt medium: *Officium*, ait, *Magni Ioannis, imò potius famulatum ſubire contendo, vel geſtio, & licèt non ſim præcurſor, de eremo tamen venio.* Ipſe enim cum ſancto Baſilio ſeceſſit in ſolitudinem Ponti, ibique aſperam egit vitam, atque inde hauſto cælitus Spiritu, quaſi nouus Baptiſta, pœnitentiæ præco prodijt. Hoc fuit thema, hæc ſumma prædicationis Baptiſtæ: *Pœnitentiam agite:* quia tunc penè omnes erant peccatores, viuebantque in ſuis vitijs & cupiditatibus; peccatori autem neceſſaria eſt pœnitentia, vt gratiam & iuſtitiam à Chriſto percipiat.

*Pœnitentia non eſt tantùm emendatio ſed & caſtigatio.*

Porrò pœnitentia non tantùm eſt morum emendatio, & nouæ vitæ inchoatio, vt volunt hæretici; ſed & veteris vitioſæ per dolorem deteſtatio, caſtigatio & deſtructio: nec enim noua vita inchoari poteſt, niſi vetus deſtruatur: vnde Gloſſa interl. ſic exponit: q. d. *Puniat quiſque mala priores vitæ, quia appropinquabit ſalus, quam perdidimus, & facultas redeundi vnde cecidimus.* Sanctus Auguſtinus lib. de Pœnit. *Nouam vitam*, inquit, *inchoare non poteſt, quem veteris non pœnitet.* Gloſſ. *Hoc*, ait, *præco nuntiat, quod poſtea veritas. Eſt autem pœnitere, antèacta deflere & deflenda non committere. Quem verè pœnitet, punit in ſe præteritos errores, erigitque animum ad cæleſtia: concipitur autem hæc virtus timore, & dicitur pœnitentia à puniendo quòd illicitè commiſſum eſt.* Pœnitentia ergo dicitur quaſi pœnæ tenentia. Idem ſignificat Græcum μετάνοια. Vnde Auſonius:

*Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas;*
*Vt te pœniteat. Sic Metanœa vocor.*

Hinc ſanctus Gregorius hom. 34. in Euang. *Pœnitentia*, inquit, *eſt præterita mala plangere, & plangenda iterùm non committere.* Idem ſignificabat Hebr. הִנָּחֵם *hinnachem*, ſcilicet pœnitere & dolere de malo admiſſo. Vnde Deus videns homines à ſe creatos in ſcelera ruentes, *pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra; & tactus dolore cordis intrinſecùs: Delebo, inquit hominem, quem creaui, à facie terræ*, Geneſ. 6. 6. Quare minùs plenè Euangelium Hebraicum, ſancto Matthæo à Munſtero attributum, pro *hinnachem* & *nechumim*, id eſt, pœnitere & pœnitudines, nudè ponit תְּשׁוּבָה *teſcuba*, id eſt conuerſio, vel שׁוּבוּ *ſcubu*, id eſt, *conuertimini* ad Dominum: pœnitentia enim non eſt nuda conuerſio ad Deum, ſed & auerſio à peccatis, ſiue dolor, compunctio, & ſatisfactio, vti docet Apoſtolus 2. Corinth. 7. v. 10. & 11. & Ioël. c. 1. 12. *Conuertimini*, ait, *ad me in toto corde, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Vnde liquet pœnitentiam tria munia complecti, ſcilicet dolorem, nouam vitam, & caſtigationem peccatorum, vt Deum placet.

APPROPINQVAVIT ENIM REGNVM CÆLORVM] quo ſcilicet Deus regnat in fidelibus in hac vita per gratiam, & in futura per gloriam, ipſoſque facit reges & regni ſui æterni participes. *Regnum cælorum primus Ioannes prædicauit*, ait Gloſſa, *quod numquam Iudæi audierant*, ait ſanctus Chryſoſtomus. Et ſanctus Hieronymus hîc: *Primus*, ait, *Baptiſta Ioannes regnum cælorum prædicat, vt præcurſor Domini hoc priuilegio honoretur.* Nota: Iudæi expectabant regnum ſuum ſub rege Meſſia in terra opulentum & ſplendidum, quale fuit ſub Salomone: huius enim filius & ſucceſſor fuit Meſſias ſiue Chriſtus, & tale etiamnum Iudæi expectant à ſuo Meſſia. S. Ioannes ergo, & poſt eum Chriſtus, & Apoſtoli ordiuntur prædicationem à regno Meſſiæ, ſed cæleſti, non terreſtri, q. d. Iam adeſt tempus reſerati cæli, hoc enim breui Chriſtus vobis ſua morte pandet. Agite ergo pœnitentiam de peccatis præteritis, & in futurum mores corrigite, & in melius mutate, vt ab eo in regnum hoc introduci mereamini: *Ecce nunc tempus acceptabile* (prędictum ab Iſaia c. 94.) *ecce nunc dies ſalutis*, quo cælum quatuor annorum millibus clauſum aperiatur; ac qui volent, in illud ingrediantur, ſi videlicet ſemitam à Chriſto proponendam, ſcilicet fidem, ſpem, charitatem, & vitam cæleſtem ineant, atque regnum cæleſte ſiue ſpirituale in Eccleſia militante inchoent, quod in triumphante lætiſſimè conſummabunt. Ita Theophylactus, Ianſenius, Maldonatus, & Franciſcus Lucas: *Regnum cælorum*, ait, *vocatur dominatus Chriſti, vt in Angelos ſanctos, ita & in ſocietatem hominum eorum, quorum rectè compoſita vita in terris regentem è cælis Deum ſequatur; in cælis totam ipſam poſſidente Deo æternùm fruitur.*

HIC ENIM EST DE QVO DICTVM EST PER ISAIAM PROPHETAM (cap. 40. 6.) DICENTEM: VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI: RECTAS FACITE SEMITAS EIVS] Vers. 3.
Hæc fusè explicui Iſaiæ 40. 6. quare ibi dicta hîc non repetam. S. Ioannes enim fuit vox Dei: Primò Chriſtum venturum prenuntians: Secundò eum iam natum demonſtrans, & ad pœnitentiam inuitans, & ad Chriſti gratiam præparans. Per τὸ *clamantis*, *fortitudo prædicationis indicatur*, ait Raban. clamatur enim longè poſitis & ſurdis, idque per indignationem. Aptè Beda: *Clamant quidem per alios Deus, ſed & iſte ſolus vox, quia Verbum præſens oſtendit.* *Parate* ergo *viam Domini*, idem eſt, quod *pœnitentiam agite*, vti præceſſit, q. d. Agite ô Iudæi, ô mundi incolæ, quotquot eſtis Chriſto iam iam venturo, & quaſi Meſſiæ Regi veſtro inaugurando, vias (vti regibus fieri ſolet) complanate, hoc eſt, omnia amouete, quæ eum offendere vel dedecere poſſent, ſcilicet errores & peccata tollite per pœnitentiam, atque efficite, vt Chriſtus ab omnibus & ſingulis expeditè & cupidè recipiatur, vt ſcilicet ſinguli corda menteſque ſuas ad Chriſti fidem & gratiam, omnemque ſanctimoniam pœnitendo ſtudioſè ſe præparent.

IPSE AVTEM IOANNES HABEBAT VESTIMENTVM DE PILIS CAMELORVM] Vers. 4.
Non vndulatum quod vulgò *Camelot* vocant, vt vult Chytræus & delicati Nouantes, qui in pulpitis ſplendidè ornantur quaſi ſponſi Penelopes. Chriſtus enim Ioannem commendat ab aſperitate veſtitus. Matth. 11. 8. *Quid*, ait, *exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum?* quaſi dicat, minimè; nam *ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.* Ioannes autem domos Herodis fugit & ſeceſſit in deſertum, ac caulam prætulit aulæ: fuit ergo hæc eius veſtis vilis, aſpera, hirſuta, horrida, eremitica, cilicina, idque vt habitu ipſo præferret & concionaretur humilitatem, mundi contemptum ac pœnitentiam: nimirum *de virtute animæ habitus corporis loquebatur*, ait ſanctus Chryſoſtomus, ſic & ceteri Patres & Interpretes, ac nominatim ſanctus Anſelmus & Euſebius Emiſſenus hom. 1. de Ioanne Baptiſta, qui aiunt veſtem ſancti Ioannis fuiſſe cilicium camelinum: in Syria enim copia eſt camelorum.

*S. Ioannis veſtis erat cilicium.*

Hoc



Hoc enim domabat carnem in iuuentute, ſanguine & calore bullientem, ne in luxuriam deflueret, ſicut faciebat ſanctus Paulus dicens: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar.* 1. Corinth 9. Cilicium enim ſuis pilis & ſetis aculeatis, quaſi totidem aciculis carnem pungens, valdè eam mortificat, eiuſque laſciuiam & libidines refrænat, vti norunt experti. Hinc S. Ægidius, vnus è primis ſancti Franciſci ſocijs rogatus, cur S. Ioannes, qui nil peccauerat, tam auſteram egiſſet vitam & pœnitentiam? Reſpondit: *Sicut carnes condiuntur ſale, ne putreſcant, ita corpus Baptiſtæ conditum fuit pœnitentia.* Ita referunt Annales Franciſcanorum: *Pœnitentia enim*, vt ait ſanctus Cyprianus ſerm. de Ratione circumciſionis, *eſt corroſorium ſal, deſiccans recrudeſcentes carnis putredines.* Hinc S. Hilarion, ſanctus Antonius, ſanctus Paulus, ſanctus Pachomius, S. Barlaam ceterique Anachoretæ, teſte ſancto Hieronymo, ſancto Athanaſio, Palladio, Caſſiano, & alijs, veſtiebantur cilicio vel ſacco cilicino, vti nunc veſtiuntur Cappucini, atque olim veſtiebatur Elias, Eliſæus, ceteriq; Prophetæ, vti oſtendi procemio in Minores Prophetas; imò Deus Adæ fecit tunicas non byſſinas, laneas aut lineas, ſed pelliceas & duras, vt ijs quaſi cilicijs carnem domaret, & peccati ſui pœnitentiam ageret, vti dixi Geneſ. 3. v. 21. Celebris eſt gnome Auguſti Cæſaris apud Suetonium: *Veſtitus inſignis ac mollis, ſuperbiæ vexillum eſt, niduſque luxuriæ.* Vis exempla? Accipe. S. Ephrem vitam S. Abrahæ Eremitæ ita concludit: *In omnibus quinquaginta abſtinentiæ ſuæ annis, veſtem cilicinam, qua indutus fuerat, non mutauit.* Sancta Clara per 28. annos licet infirma, cilicium è ſetis porcinis geſtauit. S. Ioſaphat rex, regnum cum eremo commutans aſperum ſibi à Barlaam datum cilicium ſub veſte ad nudam carnem portabat; teſte Damaſcen. in Hiſtor. c. 37. Theodor. in Hiſtor. relig. c. 37. de S. Abraamo Eremita ita ſcribit: *Hunc quoque deſiderauit videre Imperator, & ad ſe accerſiuit, & veniens ſalutauit & excepit; & agreſte illud cilicium ſua purpura exiſtimauit præſtantius.* Sanctus Guilielmus dux Aquitaniæ conuerſus à ſancto Bernardo, lorica ferrea carnem ſuam domabat, & contra tentationes armabat. Idem fecit ſanctus Dominicus, qui ideò Loricati cognomen accepit: Durum ſanè & ferreum cilicium. Sancti Martini, teſte Sulpitio, ſententia fuit: *Decet Chriſtianum in cinere mori:* vnde ipſe recubans in cinere & cilicio mortuus eſt, æquè ac S. Anſelmus, S. Corolus Borromæus, pluresque alij. Quin & Ioſaphat patrem ſuum Abenner regem in cilicio ſepeliuit, teſte Damaſc. in Hiſtor. 1. 35.

*Sic & Anachoretarum.*
*Exempla. S. Abrahæ.*
*S. Claræ. S. Ioſaphat*
*S. Guilielmi.*
*S. Dominici Loricati.*
*S. Martini.*

*Zona Ioannis ad quid?*

ET ZONAM PELLICEAM CIRCA LVMBOS SVOS] Prophetæ, imò omnes Iudæi & Syri longa vtebantur veſte: vnde ne illa diffluerет & greſſum impediret, zona eam ſuccingebant, vt eſſent expediti ad iter, & robuſti ad opus. Hinc monet Chriſtus, vt lumbis ſimus ſuccincti. Lucæ 12. 15. Epheſ. 6. 14 vide ibi dicta: Ioannes verò inſuper lumbos ſuccingebat zona pellicea, vt illa magis veſtem cilicinam corpori apprimeret, itaq; magis carnem pungeret & mortificaret, ac ſpiritui ſubiectam redderet: in lumbis enim eſt origo ſeminis & libidinis; qua in re imitatus eſt Eliam; cuius hoc eſt elogium: *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus.* 4. Reg. 1. 8. Tritum eſt illud: *Accincta veſtis, accincta mens; diſcincta veſtis, diſcincta mens.* Nam vt ait Eccleſiaſticus c. 19. 27. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* Vnde Sylla Pompeium & Romanos Senatores monebat, vt malè præcinctum puerum cauerent, in eo enim multos ineſſe Marios. Erat is Iulius Cæſar, qui tum puer, ſed poſtea vir, Pompeium, ſenatum & nobilitatem Romanam, oppreſſit. Ita Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 9. Vide ſanctum Chryſoſtomum hîc & Caſſianum libr. 1. de Habitu monachi cap. 1. qui ita inchoat: *Itaque Monachum vt militem Chriſti, in procinctu ſemper belli poſitum accinctis lumbis iugiter opus incedere*, idque probat exemplo Eliæ, Ioannis Baptiſtæ, Petri & Pauli.

*Malè præcinctus puer cauendus.*

ESCA AVTEM EIVS ERAT LOCVSTÆ, ET MEL SYLVESTRE] Pro *locuſta* græcè eſt, ἀκρίδες, per quod primò perperam Beza accipit pyra ſylueſtria: hæc enim non vocantur ἀκρίδες, ſed ἀχράδες: ἀχρὰς enim eſt pyrus ſylueſtris, ſpinę genus: Item pyrum agreſte. Vnde Columella libr. 10.

*A'κρίδες quid? Reſp. Primò.*

*Palmitibuſque feris lætatur & aſpera ſyluis*
*Achrados*, hoc eſt, Pyraſter, ſiue Pyrus ſylueſtris. Secundò, perperam quoque nonulli apud Epiphanium hæreſi 30. quę eſt Ebionęorum, per ἀκρίδες accipiunt ἐγκρίδες, id eſt, bellaria ex melle & oleo confecta.

*Secundò.*

Tertiò, alij Nouantes per ἀκρίδες accipiunt cancros marinos. Verùm hi non vocantur ἀκρίδες, ſed ἀχαρίδες, vel καρίδες apud Athenæum; apud alios verò καρκῖνοι. Et vnde quæſo cancros marinos habuiſſet Ioannes in deſerto: Adde cancros, vtpote reptantes ſuper terram, lege fuiſſe Iudæis vetitos, Leuit. 11. verſ. 41. Denique cancri hi deliciæ ſunt diuitum, à quibus abhorrebat Baptiſta.

*Tertiò.*

Quartò, alij ἀκρίδες vertunt herbas, vel arborum, frondiumque ſummitates. Vnde Æthiopicus vertit; *Eſca eius erant annóta, id eſt, extremitates herbarum cum melle ſylueſtri*, in mel intinctæ.

*Quartò.*

Verùm dico ἀκρίδες ſunt locuſtæ, vti vertit noſter, Syrus & Arabicus: (Ægyptius vertit *cicadæ*, ſed per eas intelligunt locuſtas: ſunt enim locuſtæ, quæ canunt vt cicadę) ita dictę, quòd τὰ ἄκρα, id eſt, ſummitates ariſtarum & plantarum aduolantes depaſcantur. Ita Theocritus, & alij paſſim in Lexicis. Vnde Origenes, Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus apud Caniſium libr. 1. de corruptela Verbi Dei cap. 4. per ἀκρίδες accipiunt inſecti genus ſaltando volitans, vti ſunt locuſtæ, quas comedi ſolitas ab Æthiopibus, Libyis, Pardiis, aliiſque Orientalibus docet Plinius lib. 11. cap. 29. & lib. 6. 30. Vnde hi à Diodoro Siculo libr. 3. cap. 3. vocantur ἀκριδοφάγοι, id eſt, locuſtiuori, & S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum: *Orientales*, ait, *& Libyæ populos, quia per deſertum & calidam eremi vaſtitatem locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe Ioannes quoque Baptiſta probat.* Hinc & locuſta, quia ſalit quaſi mundum animal, inter eſcas Iudæis à Deo permiſſas ponitur Leuit. 11. 22. Nec id mirum, cum in hiſtoriis legamus Germanos milites olim bombyces frixos comediſſe, Italos muſtelas, Hiſpanos teſtudines domiportas: multi quoque hodie edunt oſtrea & conchylia etiam cruda, quæ ex putredine procreari ſcimus:

*Quintò. & verè.*
*Locuſtæ Orientalium cibus.*

Porrò

Porrò locuſtas priſci manducabant vel elixas, vel toſtas & in pollinem redactas : imò ſole, vel ſale & fumo duratas in totum annum ſeruabant.

*Qualis?* Denique locuſta vilis eſt cibus, temperantiæ, paupertatis & pœnitentiæ index. Hieron. Mercurialis lib. 2. Variar. lect. cap. 20. docet locuſtas cibum eſſe ſiccum & vitam abbreuiare, ac pediculos morboſque generare; ſed Dei beneficio aliter factum in Ioanne Baptiſta, qui locuſtis veſcens ſanus vegetuſque vixit, ac validus Dei præco, acer gulæ, luxuriæ, omniumque ſcelerum caſtigator, & cæleſtis regni prædicator exemplo magis, quàm verbo euaſit.

De potu Ioannis hîc tacetur, quia conſtat eum non niſi aquam bibiſſe; in deſerto enim nil aliud reperiebat. Vnde Angelus de eo : *Vinum*, ait, *& ſiceram non bibet* Lucæ 1. 15.

*Mel ſylueſtre quodnam? Reſpond. Primò.* ET MEL SYLVESTRE] Quæres, quodnam & B quale hoc mel? Primò, Rabanus cenſet eſſe arborum folia candida & tenera, quæ manibus confricata & trita, odorem & ſaporem quaſi mellitum exhibent.

*Secundò.* Secundò, Iac. Faber Stabulenſis putat mel hoc eſſe illud, quod Plinius lib. 11. cap. 16. inter genera mellis facit tertiũ, & ericæum vocat ab erica, qui frutex eſt autumni tempore florens, cùm reliquæ herbæ & virgulta deflorent; eſtque id mel inſuaue.

*Tertiò.* Tertiò, alij putant mel hoc eſſe humorem ex arborum folijs collectum.

*Quartò.* Quartò, Suidas æſtimat eſſe rorem, qui ex fruticibus & arboribus decerptus, manna dicitur.

*Quintò. Verè.* Quintò, & genuinè, ſanctus Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hîc, & Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſtol. 5. & epiſt. 132. cenſent hoc C mel eſſe agreſte ab agreſtibus apibus, quæ in arboribus aut lapidum ſciſſuris mellificant, confectum, quod amari & ingrati ſaporis eſſe docent Euthymius, & Iſidorus Peluſiota. Porrò Æthiopicus habet *Sedena*, quæ vox ſignificat mel quoddam particulare communi ſuauius & ſanius, quod conficit certum genus apum, ab Æthiopibus vocatum *taſma*, minus ceteris inſtar muſcæ.

VERS. 5. TVNC EXIBAT AD EVM HIEROSOLYMA, ET OMNIS IVDÆA ET OMNIS REGIO CIRCA IORDANEM] *Tunc*, cùm ſcilicet fama vitæ eremiticæ, auſteræ & ſanctæ S. Ioannis, æquè ac prædicationis eius tam ſeriæ & ardentis, vbique vulgaretur : hac enim fama Ioannis, Hieroſolymitæ & Iudæi exciti, & ſpiritu Dei impulſi ad D eum accurrebant, vt hominem nouum quaſi cęlo lapſum viderent & audirent. Tanti apud omnes eſt ſanctitas & ſanctitatis opinio : quare eâ excellant, qui populum ad vitę mutationem traducere ſatagunt, oportet. Porrò Iordanis hebr. dicitur quaſi יורד מדן *iored min dan*, id eſt, *deſcendens ex Dan* ciuitate, quę poſteà à Philippo tetrarcha ædificijs aucta & illuſtrata, in gratiam Tiberij Cæſaris dicta eſt Cæſarea Philippi. *Dan* hebr. ſignificat *iudicium*. Vnde myſticè notat eos, qui timent Dei iudicium accurrere ad ſanctos prædicatores, qualis erat Ioannes, vt ab eis viam ſalutis ediſcant, itaque in die iudicij à Chriſto Iudice cælo adiudicentur.

VERS. 6. ET BAPTIZABANTVR AB EO IN IORDA- A NE CONFITENTES PECCATA SVA] Ineptè Caluinus τὸ *baptizabantur* interpretatur, docebantur baptiſmum pœnitentiæ. Baptizare enim non eſt docere, ſed corpus aqua abluere, vt patet verſ. 13. Baptiſmus Ioannis alius erat à baptiſmo Chriſti, vt contra hæreticos docui Actor. 19. 2. Baptiſmus enim Chriſti ex opere operato omnia peccata delet, & gratiam iuſtitiamque confert; nil tale faciebat baptiſmus Ioannis, ſed tantùm erat ſignum pœnitentiæ, & ad eam excitatio, per quam proteſtabantur ſe optare, animam ſuam ablui à peccatis, ſicut corpus aqua abluebant. Erat ergo baptiſmus Ioannis dumtaxat proteſtatio pœnitentiæ, & præparatio ad baptiſmum Chriſti, vt eo iuſtificarentur. Hinc erant *confitentes peccata ſua*. Pœnitentia enim ſiue dolor de peccatis facit, vt homo ea confiteatur, eorumque remedium & veniam quærat. Sic Iudæi in certis caſibus debebant peccata ſua confiteri ſacerdoti, vti oſtendi Leuit. 5. 5. & capit. 6. verſ. 6. & 7. & Numer. 5. verſ. 7. Hæc tamen confeſſio non erat Sacramentum, nec peccata condonabat, vti fit in confeſſione à Chriſto inſtituta : in illa enim quaſi in Sacramento ſacerdos, poteſtate ſibi à Chriſto in ordinatione collata, abſoluit confitentem à peccatis. Illa ergo Iudæorum confeſſio tantùm erat index pœnitentiæ & compunctionis, ſiue contritionis internæ, quæ ſi erat perfecta, proficiſcens ſcilicet ex amore Dei ſuper omnia, peccata abolebat & iuſtificabat : *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*. Iacob. 5. ſin autem contritio hæc eſſet imperfecta, vt tantùm foret attritio manans ex timore pœnarum, peccatum non tollebat, nec gratiam iuſtificantem conferebat, ſed ad contritionem diſponebat, & attritum excitabat, vt per eam iuſtificaretur.

*Baptiſmus Ioannis qualis, & in quo à Chriſti Baptiſmo differens?*

VIDENS AVTEM MVLTOS PHARISÆORVM ET SADDVCÆORVM VENIENTES AD BAPTISMVM SVVM, DIXIT EIS : PROGENIES VIPERARVM, QVIS DEMONSTRAVIT VOBIS FVGERE A VENTVRA IRA.] Primitus tempore Ionathæ, qui fuit frater Iudæ Machabæi, erant tres ſectæ Iudæorum, ſcilicet Phariſæi, Eſſeni, Sadducæi, de quibus ita ſcribit Ioſephus libr. 13. Antiquit. cap. 9. *Hoc tempore* (Ionathæ) *tres Iudæorum ſectæ erant, quæ de rebus humanis inter ſe diſſentiebant : vna Phariſæorum dicta, altera Sadducæorum, tertia Eſſenorum. Horum Phariſæi quædam, at non omnia fato tribuunt; quædam verò in ſua poteſtate, aiunt, vt vel fiant, vel non fiant. Eſſeni verò omnia in fati poteſtate eſſe affirmant, nec quidquam hominibus præter fati decretum accidere. At Sadducæi fatum omnino negant & è rebus tollunt, dicentes nihil fataliter euenire hominibus, & omnia in noſtra ipſorum poteſtate eſſe, vt tam felicitatis nobis ipſi auctores ſimus, quàm infortunij, ſi deteriora conſilia ſecuti fuerimus.* Fuſius haſce tres ſectas, eorumque dogmata & mores idem proſequitur libr. 2. belli capit. 7. vbi docet Phariſæos certiorem legalium rituum notitiam fuiſſe profeſſos; Sadducæos negaſſe numen, ſiue prouidentiam, & animarum poſt mortem præmia vel ſupplicia, quod vnicum eſt frænum ad cohibendum ſe à peccato, ſancteq; viuendum, quo amoto, homines quaſi effrænes equi ruunt in omnes voluptates. Vnde S. Lucas Actor. 23. 8. *Sadducæi*, ait, *dicunt non eſſe reſurrectionẽ, neq; Angelum, neq; ſpiritum : Phariſæi autem vtraq; confitentur.* Sadducæi enim

*Vers. 7. Luc. 3. 7.*

*Tres ſectæ Iudæorum.*

*Sadducæi Athei.*



enim Græcorum (quibus tum ſuberat Iudæa) A Sophiſtarum & Atheorum fabulas ſecuti, ridebant campos beatorum Elyſios, Orcum, Cerberum, gehennam, &c. hos impugnabant Phariſæi, priſcorum Patrum Abrahæ, Moyſis & Prophetarum fidem ſpemque ſectantes, eoſque ſecutus eſt populus. Sadducæos verò optimates, &, vt videtur, Herodes, qui quaſi Atheus vixit, effuſus in omnem libertatem & ſæuitiam. Vtriq; veniente Chriſto, contra eum quaſi communem Iudæorum hoſtem conſpirarunt. Contra Sadducæos ſcriptus eſt liber Sapientiæ, & liber ſecundus Machabæorum. Vide dicta in Argumento Sapientiæ. Dicti ſunt *Sadducæi*, id eſt, *iuſti*, quia iuſtitiæ nomen ſibi arrogabant, vel potiùs à *Sadoc* eorum auctore : Dicti ſunt Phariſæi, id eſt, expoſitores & explanatores legis; aut ſeparati (radix enim פרש *pharas* ſignificat ſeparare, indeque exponere, quia dum partes rei conuolutæ ſingu- B læ à ſingulis ſeparantur, tunc res tota diſtincta ob oculos poſita explicatur, aperitur & exponitur) à vulgo, ob doctrinam & ſanctitatem, quorum magiſtri & Principes fuêre R. Hillel & Sammai paulò ante Chriſtum, ait ſanctus Hieronymus in cap. 8. Iſaiæ. Vtrique ſemper virtuti & veritati fuêre aduerſi. Vnde à S. Ioanne hîc grauiſſimè increpantur, tum quia erant ſuperbi, vanâ ſcientiæ & ſanctitatis opinione inflati; tum quia erant hypocrytæ, & fictæ quaſi ſanctitatis ſtudioſi, baptiſmum cum alijs expetebant à ſanctiſſimo viro Ioanne, vt & ipſi ſancti à populo haberentur. Ita Origenes tom. 6. in Ioannem. Adde hac ratione volebant deuincire ſibi Ioannem, eique os claudere, ne in illorum vitia detonaret. C Idem nunc faciunt Politici. Hinc Chriſtus Matt. 21. 26. & toto cap. 23. acriter eorum ambitionem, auaritiam, præpoſteram & peruerſam legis explicationem aliaque ſcelera redarguit, eiſque *væ* æternæ damnationis intentat, atque ideò ipſi necem Chriſto machinati ſunt, & reipſa intulerunt, ac poſt eum ſanctum Stephanum & primos Chriſtianos ad necem perſecuti ſunt, vt patet Actor. 4. tum quia verum eſt vetus dictũ : *figulus figulo inuidet, faber fabro*, doctor doctori : tum quia Chriſtiana ſapientia contraria erat, & redarguebat Phariſæorum Iudaiſmum, inſipientes eorum legis interpretationes, ac multò magis mores impuros & impios. Soli Eſſeni ob fidei morumque pietatem Chriſto & Chriſtianis fauerunt, imò Chriſtiani effecti primi monaſticen exercuerunt, ſub ſancto Marco, vt dixi Acto- D rum 5. 2.

*Vnde dicti?*

*Phariſæi qui & vnde dicti?*

*Eſſeni qui?*

DIXIT EIS : PROGENIES VIPERARVM] Eſt Hebraiſmus, q. d. Vos eſtis viperæ à viperis geniti, hoc eſt, peſſimorum parentum filij peſſimi, noxij planè, callidi & venenati, qui veſtros virulentos, quos à parentibus virulentis hauſiſtis & hereditaſtis, mores & errores in diſcipulos velut in filios propagatis, quibus eorum animas necatis & perditis. Ita ſanctus Hieronymus in cap. 30. Iſaiæ, & ſanctus Gregorius homil. 20. in Euang. Viperæ enim morſus adeò noxius & exitialis eſt, vt mortem in ſeptem horis afferat, aut, vt longiſſimè, tertia die. Ita Geſnerus libr. de ſerpen. in Vipera. Sic hæc Ioannis verba explicat Chriſtus Matth. 23. 31. dicens : *Itaq; teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete menſuram Patrum veſtro-* A *rum. Serpentes & genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?*

*Viperæ morſus quàm exitialis.*

Addit ſecundò Plinius libr. 10. cap. 62. fœtus viperarum naſcendi auidos vterum corrodere, itaque matrem occidendo, in lucem prodire. Audi Plinium : *Viperæ mas caput inſerit in os, quod illa abrodit voluptatis dulcedine. Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit oua, vnius coloris & mollia, vt piſces. Tertia die intra vterum catulos excludit, deinde ſingulos diebus ſingulis parit viginti ferè numero.* Idem tradit Nicander, Herodotus, Plutarchus, Galenus, Ælianus, ac ſanctus Hieronymus, & ſanctus Baſilius hom. 9. Hexam. quos citat Geſnerus in Vipera. Vnde Lucanus :

*An vipera ſit matricida?*

*Viperei coëunt abrupto corpore nati.*

Et Cælius Rhodiginus libr. 3. Variar. Lection. cap. 37. ait, hac de cauſa quibuſdam videri, parricidas olim inſutos culeo cum vipera præfocatos fuiſſe, quia vipera matricida eſt : inde etiam B dictam *viperam*, quod *vi pariat*, aut *vi pereat*. Græcè verò vipera dicitur, ἔχιδνα, παρὰ τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ γονὴν μέχρι θανάτου, id eſt, quòd contineat in ſe fœtus vſque ad mortem & interitum, aiunt Lexicographi. Sic ſenſus magis appoſitus & profundior erit; q. d. Vos, ô Phariſæi & Sadducæi, eſtis quaſi viperæ, quia ſicut vipera matris ventrem erodit & occidit, vt in vitam prodeat; ſic vos matrem veſtram Synagogam ac patres ſpirituales, ſcilicet veros Dei Prophetas & doctores lancinatis & occiditis, vt in veſtra cupiditate & ambitione glorioſè viuatis. Ita ſanctus Chryſoſtomus hîc homil. 11. Euthymius, ſanctus Hieronymus epiſt. ad Præſidium, Iſidorus Pelu- C ſiotus libr. 1. epiſtol. 105. Sanctus Gregorius 15. Moral. cap. 9. & ſanctus Auguſtinus ſerm. 83. de Tempore.

*Viperæ etymon.*

Verùm hanc de vipera traditionem, quòd naſcens, ventrem matris erodat, Geſnerus loco citato, & Matthiolus in Dioſcorid. lib. 2. capit. 16. ac Albertus Magnus lib. 25. Hiſtor. animal. refellunt multorum experientiâ, qui viperas in capſa, aut vitro parere viderunt more aliorum animalium, ſine matris parientis eroſione vel interitu. Idem mihi aſſeruit Romæ noſter Collegij Romani Pharmacopœus; qui crebrò viperas alit & parientes obſeruat, ex eiſque theriacam ſingularem efficit, quæ à Romanis, Italis & Tranſalpinis auidè expetitur. Quare *viperam* dici cenſet Geſnerus, non quòd *vi pereat*, ſed quaſi *viuiparam*, eò quòd ſola inter ſerpentes non D oua, ſed viuum animal pariat, teſte Theophraſto libr. 7. capit 14. & Ariſtotele libr. 5. Hiſtor. animal cap. 34. qui ait : *Vipera è ſerpentibus vna, animal edit, cùm intra ſe primũ oua pepererit.* Addit Ariſtoteles fœtus viperæ rumpere ſecundinas, non vterum matris, ſicut pulli gallinæ rumpunt oui corticem, cui includuntur, vt in lucem prodeant. Audi Ariſtotelem : *Parit catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpuntur : euenit interdum, vt qui in vtero adhuc ſunt, abroſis membranis, prorumpant : ſingulos diebus ſingulis parit plures quàm viginti.* Hæc ex Ariſtotele tranſcripſiſſe more ſuo videtur Plinius, ſed malè per *membranas* accepit *latera matris*, cùm *ſecundinas* intelligat Ariſtoteles, quibus inuoluta vipera naſcitur, & cùm nata eſt, extra vterum matris eas rumpit, vt lucem aſpiciat.

*Vipera matrem naſcendo non enecat.*

*Viperæ verius etymon.*

Simili modo olim multa credita ſunt, quę poſteritas

ſteritas falſa eſſe deprehendit, vt quod Salamandra viuat in igne; conſumitur enim igne, eſto non ita citò, vti alij ſerpentes, quia frigida eſt: quod Phœnix vna ſit in mundo quæ ſeipſam reſuſcitet: quòd Chamæleon viuat ex aëre, viuit enim ex rore & muſcis in aëre volantibus. Sic pariter fabula eſt viperas ore coire; feminam maris caput demordere; fœtus matris vterum erodere, eamq́; occidendo naſci. Doctores ergo & Patres præſertim Epiphanius hæreſi 26. in fine, qui hæc aſſerunt, ſecuti ſunt vulgatam opinionem, vt ex eâ aptam tropologiam contexerent.

*Olim credita plura, quæ nunc deprehenſa eſſe falſa.*

Tertiò, viperæ amant vinum, adeoque vinô ebriæ capiuntur, ait Ariſtoteles lib. 8. Hiſtor. animal. c. 4. Inſuper in libidinem ſunt effuſæ, ideoq́; tot catulos generant. Aptè ergo S. Ioannes per viperas taxauit Phariſæorum intemperantiam, gulam, ſcilicet & luxuriam.

*Phariſæi ſimiles viperis in multis.*

Quartò, Viperæ vorant ſcorpios, quorum venenum ſummè eſt exitiale, ideoque viperarum morſus magis ſunt venenati, teſte Ariſtotele l. 8. Hiſtor. animal. cap. 29. ita Phariſæi & Sadducæi è venenatis Rabbinorum ſuorum dogmatibus, virus ſuorum errorum augebant. Rurſum viperæ notant detractiones & calumnias, quas Iudæi interſerunt in Ioannem & Chriſtum. Detractionis enim ſymbolum eſt dens ſerpentinus & viperinus, iuxtà illud Deuter. 32. in ſenſu myſtico: *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram atque ſerpentium.* Fingunt Poëtæ *Cadmum Agenoris Phœnicum Regis filium, ſerpentinos dentes ſeminaſſe, & ex eis illico armatos milites natos eſſe, qui ad inuicem contra ſeipſos inſurgentes, cæde mutua corruêre omnes.* Hæc dentium fictio repræſentat detractiones, quia dentes à demendo dicuntur, ait Caſſiodorus in pſalm. quare non impropriè detractorum linguę dentes vocantur, quia ſicut dentes partes ciborum demunt, ita hominum famam & honorem iugiter corrodunt detractores. Ex his ergo dentibus à diabolo in mundo ſeminatis, id eſt, mediantibus detractoribus, lites, bella, & contentiones oriuntur.

Quintò, ſanctus Ambroſius in Lucam cap. 3. verſ. 7. cenſet in viperis notari prudentiam Phariſæorum, iuxta illud Matth. 10. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes: ſerpens enim per prudentiam præuidet futura, venenum tamen non deſerit: ſic iſti prouidâ quadam deuotione profutura & ſponte depoſcunt, nempe Ioannis baptiſmum, adhuc tamen non relinquunt noxia & peccata.*

Sextò, Viperæ exempto veneno, anginæ, caligini oculorum, elephantiæ, multiſque alijs morbis medentur, teſte Dioſcoride lib. 2. cap. 16. Vnde Ægyptij viperas comedebant, teſte Galeno libr. 3. Aliment. facult. æquè ac Indi, teſte Plinio libr. 7. quin & ex viperis fit theriaca præſentiſſimum contra venena, peſtem, ceteroſque morbos remedium. Sic Phariſæi demptis erroribus, populum docebant veram fidem, legem & pietatem. Vnde Chriſtus: *Super cathedram Moyſi,* ait, *ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* Matth. 23. verſ. 1. & 2.

*Varijs morbis medentur viperæ.*

QVIS DEMONSTRAVIT VOBIS FVGERE A VENTVRA IRA?] *Fugere,* id eſt, effugere: Hebræi enim per verbum ſimplex ſignificant omnia cōpoſita, vtpote quibus carent. Rurſum *fugere* hîc denotat actum non inchoatum ſed perfectum, idemque eſt, quòd fugiendo euadere Dei iram & gehennam, iuxta Canonem 12.

Pro *demonſtrauit*, græcè eſt, ὑπέδειξεν, quòd Primò vertas *præmonſtrauit*; Secundò, *ſuggeſſit, ſubmonuit*; Tertiò *demonſtrauit* per rationes & exempla: vnde ὑπόδειξις, eſt demonſtratio.

VENTVRA IRA] eſt non tam excidium Iudææ per Titum, quàm ira iudicis Chriſti, quam oſtendet impijs reprobandis in die iudicij, ac vltio & ſententia damnationis, quam in eos proferet, ipſaque æterna damnatio & gehenna, vt exponit Chriſtus, Matth. 23. 33. Hanc enim Chriſti iram iratumque vultum ita expaueſcent impij, vt dicant *montibus: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* Apocal. 6. 16. S. Ioannes enim vti præco fuit regni cælorum, illud pœnitentibus promittens, ſic & præco fuit Dei iræ & gehennæ, illam impœnitentibus, quales erant Phariſæi & Sadducæi, intentans. Idem faciat prædicator, vti fecit Iſaias cap. 2. verſ. 19. & Oſee cap. 10. verſ. 8. & Chriſtus Lucæ 23. 30.

*Quid i*

Senſus ergo planus & germanus eſt, q. d. *Quis demonſtrauit vobis fugere*, quod effugietis, vel modum effugiendi venturam iram, id eſt, Chriſti irati iudicium, vindictam & damnationem æternam? Sic enim Ioannem explicat Chriſtus, cùm eiſdem Scribis & Phariſæis comminatur gehennam, Matth. 23. 33. *dicens: ſerpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* q. d. Minimè fugietis, aut fugere poteritis iudicium gehēnæ, ſed in illud certo certius incidetis, quia eſtis genimina viperarum, id eſt, innatam & longo vſu confirmatam habetis hypocriſim & malignitatem, à qua auelli non poteſtis, quia non vultis: ficti enim ad me acceditis quaſi pœnitentes, cùm vel non credatis Dei prouidentiam, iram & vindictam, vti non credebant Sadducæi; vel ſi eam creditis, vti credebant Phariſæi; eam non timetis, quia ſuperbè putatis vos eſſe iuſtos. Hos ergo Ioannes grauiter increpat. q. d. Quis vobis promiſit, quòd euadetis gehennam? falſiſſima enim eſt veſtra perſuaſio, ô Sadducæi, quòd non ſit gehenna. Vaniſſima quoque eſt veſtra præſumptio & ſecuritas, ô Phariſæi, quòd non timeatis gehennam, eò quòd ſuperbè æſtimetis vos eſſe iuſtos. Emphaſis eſt in Verbo *demonſtrauit*. q. d. Ita ſecurè viuitis, & veſtris cupiditatibus indormitis, ac ſi nulla poſt hanc vitam ſit Dei vindicta & ſcelerum caſtigatio, aut certè vobis illa non ſit metuenda. Vnde vobis iſta ſecuritas, vnde iſta demonſtratio? Quis vobis id certâ & euidenti ratione demonſtrauit? certè nemo, niſi veſtra ſuperba ſtultaque perſuaſio.

Aliter Ianſenius & Franciſcus Lucas, qui cenſent hæc verba eſſe Ioannis increpantis hypocriſin Phariſæorum & Sadducæorum. q. d. Non credo vos ſyncerè ad baptiſmum meum accedere; ſed fictè & hypocriticè; quis enim vobis demonſtrare potuiſſet, fugiendam eſſe per meum pœnitentiæ baptiſmum venturam Dei iram, cùm eam vel non credatis, vti Sadducæi; vel non timeatis, vti Phariſæi? Incredulis enim & arrogantibus nihil demōſtrari vel perſuaderi poteſt, quod eorum opinioni & arrogantiæ ſit contrarium: quare vos pœnitentiam ex animo non facitis, ſed ſimulatis & fingitis vos iram Dei fugere.



Aliter quoque Maldonatus, qui cenſet hæc verba eſſe Ioannis admirantis tantam, tamque ſubitam Sadducæorum & Phariſæorum conuerſionem, q. d. Quis demonſtrauit vobis vt Dei iudicium & gehennam timeatis, quam anteà non credebatis, vel non timebatis? Vnde tanta in vobis mutatio? vtique non à vobis, ſed à potenti Dei gratia & inoperatione; ait ſanctus Chryſoſtomus, ac à mala veſtra conſcientia, quę vos quaſi reos accuſat, cogitque Dei iudicium formidare.

Tropologicè S. Bernardus in Declamat. docet venturam, vel vt Græcè eſt μελλούσης, id eſt, futuram iram fugiendam eſſe per præſentem iram, id eſt, pœnitentiam, quam quis ſibi irrogat, vel irrogatam à Deo acceptat: *Quis enim miſeri*, inquit, *demonſtrauit fugere à ventura ira? Quid præſentem tantoperè fugitis iram* (qua futuram effugitis) *flagellum timetis, declinatis virgam? & quidem in hac die veſtra, quæ ad pacem vobis; ſed ſi cognouiſſetis & vos: Mutatis, ſed non effugitis, pœnitentiam. Nam malum impunitum eſſe non poteſt. Non punitur hîc propriâ voluntate, punietur alibi ſine fine. Miſera ſanè & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo ſtridorem eligere ſempiternum.* Peccator enim fugiens virgam Patris caſtigantis incidit in gehennam Dei Iudicis damnantis.

VERS. 8. Luc. 3. v. 8.

FACITE ERGO FRVCTVS DIGNOS (Græcè καρπὸν ἄξιον, id eſt, *fructum dignum* in ſingulari) POENITENTIÆ] id eſt, dignos pœnitentia. Græcizat Interpres: Græcum enim ἄξιος, id eſt, *dignus*, Græcâ Syntaxi poſcit genitiuum. Adde genitiuum *pœnitentiæ* regi tam à *fructus*, quàm à *dignos*. Docet Baptiſta modum & medium euadendi futuram iram eſſe præſentem pœnitentiam ſed dignam, id eſt, veram, ſeriam & condignam, q. d. Quia vos, ô Sadducæi, Dei prouidentiam & iram in impios, ſcilicet vindictam & gehennam non creditis: vos verò, ô Phariſæi, præfiſi veſtris operibus, quaſi iuſti illam non timetis; hinc vtrique certò in eam incidetis: vt ergo eam euitetis, pœnitentiam agite, ac errores moreſque commutate, vt vos, ô Sadducæi, perfidiam atheiſmi in fidem numinis; vos, ô Phariſæi, ſuperbiam in humilitatem, vtrique gulam in abſtinentiam, luxuriam in caſtitatem, auaritiam in eleëmoſynam; externam & Phariſaicam iuſtitiam, eiuſque oſtentationem in Chriſtianam & internam ſanctitatem transferatis. *Facite* ergo *fructus pœnitentiæ*, non ſimulatos & fictos, non externos, non tales quales, ſed veros, internos & *dignos*, qui ſcilicet verè pœnitentem decent, ac ſeriam pœnitentiam indicant, atque ex animo verè pœnitenti proficiſcuntur, vti ſunt lacrymę, deteſtatio & punitio peccatorum, ac vitæ morumque ſeria conuerſio. Vide S. Gregorium homil. 20. in Euang.

*Digna pœnitentia quæ? Reſp. Primo.*

*Secundò.*

Adde dignam pœnitentiam eſſe, cùm menſura doloris & pœnæ reſpōdet menſuræ voluptatis & culpæ, vt creſcente culpâ, creſcat & pœna, ac grauitas huius illius quantitati reſpondeat. Longè enim grauiorem pœnitentiam agere debet adulter quàm fur, & homicida quàm adulter, & parricida quàm homicida. Vnde ſingulis peccatis pœnæ ex æquo decretæ, & admēſæ ſunt in canonibus pœnitentialibus. Ex æquo, intellige reſpectu criminum & hominum, non reſpectu Dei. Vnum enim peccatum mortale, cùm ſit offenſa Dei, eique, quantum eſt ex ſe, rationem ſummi boni & vltimi finis (hunc enim peccator implicitè ponit in creatura, quam amat, ita vt eam Deo præponat) ac conſequenter deitatem quaſi adimat, ideoque peccatum ſit quaſi Chriſticidium & Deicidium? hinc infinitam quamdam malitiam in ſe continet; quia eſt offenſa, iniuria & violatio Dei, qui eſt immenſus & infinitus: quamobrē nulla creaturæ cuiuſlibet pœna, vel pœnitentia illi ex æquo & condignè ſatisfieri poteſt, imò etiamſi omnes homines & omnes Angeli ſponte ſua omnia tormenta gehennæ per totam æternitatem paterentur, numquam pro vno peccato mortali dignam pœnitentiam & ſatisfactionem Deo offerrent, ſed ſolus Chriſtus id facere potuit, vtpote Dei filius, veruſque Deus, cuius proinde pœnitentia & ſatisfactio ratione perſonæ, quæ infinitæ eſt dignitatis, pariter eſt infinita, & æqualis ac condigna offenſæ & iniuriæ infinitæ in Deum infinitum admiſſæ. Tanta eſt peccati malitia, quàm ſi plenè perſpicerent homines, vtique non peccarent.

Denique dignos pœnitentiæ fructus facit, qui conuerſus tanto ſtudio ſeruit veritati, quanto anteà ſeruiuit vanitati & diabolo; ac tam feruenter amat Deum, quàm, anteà amauit carnem & mundum, iuxta illud Apoſtoli: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Rom. 6. 19. Sic fecit S. Magdalena, S. Petrus, S. Paulus, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia alijque pœnitentes. Lege eorum vitas, illoſque imitare. Ita fiet illud S. Gregorij: *Plerumque gratior eſt Deo feruens poſt culpam vita, quàm ſecuritate torpens innocentia.* Vide S. Chryſoſtomum, Tertullianum, Patianum tract. de Pœnitentia, Climacum gradu 5. qui eſt de accuratâ pœnitentia, vbi eam ita deſcribit: *Pœnitentia eſt corporeæ conſolationis perpetua & iugis repudiatio. Pœnitentia eſt voluntaria earum rerum omnium, quæ affligunt, toleratio. Pœnitentia eſt cruciatuum ſibi ſemper opifex. Pœnitentia eſt valida ventris afflictio, animæque in ſenſu firmiſſimo iugis reprehenſio.* Lege ſequentia, & viuam dignè pœnitentium effigiem inſpicies.

*Tertiò.*

*Pœnitentiæ effigies.*

ET NE VELITIS DICERE INTRA VOS: PATREM HABEMVS ABRAHAM. DICO ENIM VOBIS, QVONIAM POTENS EST DEVS DE LAPIDIBVS ISTIS SVSCITARE FILIOS ABRAHÆ] Pro *ne velitis* Græcè eſt μὴ δόξητε, id eſt, ne videamini, ne opinemini, ne reputetis, ne gloriemini *dicere intra vos*, in animo cogitare, vobiſque blandiri, vt in hac cogitatione innixi ſecurè conquieſcatis, & in vtramque aurem dormiatis: *Patrem habemus Abraham* Solebant enim Iudæi confidere & gloriari in hoc, quòd eſſent filij Abrahæ; vnde illud Chriſto obiecerunt: *Semen Abrahæ ſumus.* Ioannis 8. 33. Hæc erat eorum ſuperba reputatio, hæc vana confidentia, hæc ſtulta gloriatio, quam hîc eis extundit S. Ioannes. Senſus ergo eſt, q.d. Abraham fuit Patriarcha ſanctiſſimus, Deique amicus, cui Deus promiſit benedictionem & ſalutem transfundendam in eius filios. Gen. 12. v. 2. & cap. 22. 17. nos autem ſumus filij Abrahæ: ergo heredes ſumus bene-

VERS. 9. Luc 7. v. 8.

benedictionis & ſalutis, Abrahæ & ſemini eius promiſſæ. Eſto ergo liberè viuamus, nec pœnitentiam condignam agamus, tamen ex hoc quòd ſumus filij Abrahæ, ſaluabimur, tum quia Deus fidelis eſt in promiſſis, vt quod promiſit, certò præſtet; tum quia alioqui Abraham tantus Patriarcha fraudaretur filijs, & filiorum ſuorum ſalute, ſibi à Deo promiſſa, ac ſtirps Abrahæ deficeret. Reſpondet Ioannes, æque ac ſanctus Paulus Rom. 9. filios Abrahæ, heredes benedictionis & ſalutis ipſi promiſſæ, non cenſeri carnali origine, ſed ſpirituali fide & virtute, nimirum filios Abrahæ æſtimari, non qui ex Abraham geniti ſunt, ſed qui fidem & ſanctitatem Abrahæ imitantur: quare etiamſi Sadducæi & Phariſæi, ceterique Iudæi ob ſuam impietatem excidant à iuſtitia & ſalute; Deum tamen ſuffecturum in eorum locum alios, putà Gentiles, eoſque Abrahæ daturos quaſi filios, qui in eius benedictionem, id eſt, gratiam & gloriam ſuccedant, q. d. Licèt vos, ô Iudæi, pereatis, non ideò peribit benedictio & ſalus ſemini Abrahæ promiſſa, ſed à vobis indignis ad alios dignos transferetur; quare nolite gloriari & obiectare: *Patrem habemus Abraham*, imò *magis erubeſcite, quia patrem non imitamini*, ait S. Chryſoſtomus: *Non enim ſucceſſio carnis quæritur*, inquit S. Hilarius. *ſed fidei hereditas, dignitaſque originis in operum conſiſtit exemplis, & proſapiæ gloria fidei imitatione retinetur.*

*Filij Abrahæ quinam.*

Qvoniam potens est Devs de lapidibvs istis svscitare filios Abrahæ] Græcè eſt τῷ Ἀβραάμ. Vox ergo *Abrahæ* eſt datiui caſus, non genitiui, q.d. Vobis, ô Iudæi, pereuntibus non fraudabitur Abraham ſua ſobole & ſtirpe benedicta, quia Deus, qui fidelis eſt in promiſſis, ſi opus ſit de lapidibus, quos hic in ripa Iordanis aceruatim iacere videtis, poteſt efficere filios Abrahæ. Porrò Ioannes baptizabat & prædicabat in Bethabara, id eſt, in domo traiectus, vbi ſcilicet filij Iſrael duce Ioſue tranſierunt ſicco pede Iordanem, miraculosè à Deo diuiſum & ſiccatum; vnde in memoriam tanti miraculi Ioſue eodem loco erexit duodecim lapides in medio Iordanis alueo; atque illos lapides hic deſignaſſe & demonſtraſſe Ioannem cenſent Remigius, S. Anſelmus, ac ex ijs Pineda in cap. 1. Iob verſ. 1. n. 38. Hi enim lapides erant typus & figura Gentium, errorum & ignorantię fluctibus obrutarum, ſed tandem per Chriſtum, & Apoſtolos de imo idololatriæ alueo, ad Eccleſiam & filiorum Dei gloriam per baptiſmum ſuſcitandarum.

*Deus ex lapidibus poteſt ſuſcitare filios Abrahæ, Quo ſenſu? Primò.*

Quæres, quomodo hoc ſit verum? quomodo enim filij lapidum poſſunt eſſe filij Abrahæ iam defuncti; & ſi ex lapidibus excitati ac animati ſint à Deo, quomodo ab Abraham ſunt geniti? Multi ad Allegoriam confugiunt, ſed dico propriè, vt verba ſonant, id verum eſſe. Primò, quia poteſt Deus ex lapidibus homines efficere, quos ipſe ſua intentione & voluntate Abrahæ in filios arroget, aut Abraham ſibi adoptet, non minùs quàm potuit Adamum plaſmare ex terra, & Euam ex coſta Adæ, ac ex ſterili Sara Iſaacum Abrahæ producere. Gen. 18. 11. & ſeq. Alludit ad Iſaiæ 51. 1. *Attendite*, inquit, *ad petram* (ecce lapides) *vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis*, hoc eſt, vt explicans ſubdit: *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* q.d. Abraham eſt quaſi petra, & Sara quaſi cauerna laci, de qua vos, ô Iudæi, quaſi lapides viui præciſi, & prognati eſtis.

*Secundò.*

Secundò, phyſicè & præcisè; q.d. Sicut Deus vxorem Lot in ſtatuam ſalis conuertit, ita viciſſim poteſt ſaxa immediatè in homines & filios Abrahæ, qui ex Abraham prognati ſunt, conuertere: imò poteſt Deus per abſolutam potentiam quamuis ſubſtantiam creatam tranſmutare in aliam totaliter, putà tam quoad materiam, quàm quoad formam. Sufficit enim ad veram conuerſionem, vt ſola accidentia eadem remaneant, vt patet in tranſſubſtantiatione, qua tota ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti in Euchariſtia, ſolis accidentibus panis remanentibus. Ita S. Thomas 3. p. q. 75. art. 4. Quocirca poteſt Deus ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, etiam iam vita functos & mortuos, quia poteſt conuertere lapides in corpora mortuorum, illaque animare, & à morte ſuſcitare.

Comparat S. Ioannes Sadducæos & Phariſæos lapidibus, tum vt eorum duritiem & obſtinationem in malo denotet, tum vt ſuperbos humiliet, q.d. O tumidi Phariſæi lapidibus non eſtis meliores, quantum eſt ex vobis, ſed quòd lapidibus præcellatis, hoc habetis à Deo; Deus enim vos fecit Abrahæ filios: & ſi ſuperbiatis, vos ex Abrahæ familia expunget, alioſque in veſtrum locum ex lapidibus quoque ſi velit, ſuſcitabit. Sic feciſſe Pyrrham cum Deucalione marito narrant, vel potiùs fabulantur Poëtæ, ſcilicet illos iecisse poſt tergum lapides, qui in homines conuerſi ſint, itaque genus humanum diluuio perditum reparaſſe; nam lapides, quos Deucalion iaciebat, in viros vertebant, quos Pyrrha, in feminas; vnde Ouidius de ijs ita canit lib. 1. Metamorph.

*Deucalionis & Pyrrhæ fabula.*

*Et iuſſos lapides ſua poſt veſtigia mittunt, &c.*
*Inq; breui ſpatio ſuperorum numine, ſaxa*
*Miſſa viri manibus faciem traxere virorum.*
*Et de femineo reparata eſt feminea iactu.*
*Inde genus durum ſumus, experienſq; laborum,*
*Et documenta damus, qua ſimus origine nati.*

Hinc Græci nomen λαὸς, id eſt, populus deriuant à λᾶ@, id eſt, lapis, quòd lapides conuerſi ſint in homines, atque ex lapidibus robur ad laborandum, & duritiem ad patiendum traxerint. Porrò Ioannes in lapidibus hic ſigillat duritiem pœnitendi in Sadducæis & Phariſæis, q.d. Deus poteſt ſaxa duriſſima mollire & conuertere in carnem, ac reipſa vno verbo dicendo: *Fiat*, molliet & conuertet quoties volet; & vos, ô Phariſæi, omnibus hiſce meis, imò Dei per me loquentis ſermonibus non mollimini, non conuertimini; ſaxis ergo duriores ſitis oportet, quia corda habetis adamantina. Tale cor habent obdurati, vt habuit Pharao, de quo plura dixi, Exodi 7. v. 3.

*Tertiò.*

Denique Deus poteſt lapides quoſlibet conuertere in homines, eiſque indere fidem & pietatem Abrahæ, itaque eos ſpirituales Abrahæ filios efficere. Nam, vt ait Apoſtolus Roman. 9. 7. *Non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine*, id eſt, æſtimantur eſſe ſemen & filij Abrahæ. Vnde

*Myſticè.*

Myſticè, Deus ſuſcitauit ex lapidibus filios Abrahæ, cùm Gentiles, qui rudes & impoliti erant vt lapides, & ſaxa pro dijs colebant; ideoq; à Dauide ſaxis aſſimilantur, Pſal. 113. v. 16. præſertim quia in cupiditatibus & vitijs obdurati erant quaſi ſaxa: cùm Gentiles, inquam, per fidei, obedientiæ, & pietatis imitationem fecit filios Abrahæ: ipſe enim eſt pater credentium & iuſtorum. Ita S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Gregorius hom. 20. & omnes veteres. Addit Euthymius id impletum in paſſione Chriſti, in qua multi obdurati videntes petras ſcindi, aliaque prodigia, compuncti pœnituerunt & crididerunt in Chriſtum.



Vers. 10. Luc. 3. v. 9. Inf. 7. v. 19.

Iam enim secvris ad radicem arborvm posita est (vt homines, quaſi arbores non ferentes dignos pœnitentiæ fructus, ſuccidat, & in ignem mittat) Omnis ergo arbor qvæ non facit frvctvm bonvm, excidetvr, et in ignem mittetvr] Pro *iam enim* Græcè eſt ἤδη δὲ καὶ, id eſt, *iam verò etiam.* Eſt enim hic alius ſtimulus, quo Ioannes Phariſæos pungit ad agendum pœnitentiam, idque citò, nimirum inſtans periculum ſuccisionis & combuſtionis in gehenna. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, & alij; è quibus Euthymius ſecurim, ait, morti, arborem homini, radicem vitæ comparari. Vnde Græcè pro *excidetur* eſt ἐκκόπτεται id eſt, *exciditur* in præſenti: & pro *mittetur* eſt βάλλεται, id eſt, *mittitur*, q. d. Iam iam excidetur, & in ignem mittetur. Res ergo veſtra, ô Phariſæi, verſatur in acie nouaculæ. Imminet extremum periculum, inſtat vobis excidium, mors, & gehenna: illicò ergo agite dignos pœnitentiæ fructus, vt illa euadatis. Senſus ergo eſt, q.d. Securis, id eſt, Dei iudicium, & vindicta ad radices arborum, id eſt ad vitam ſingulorum hominum poſita eſt, vt ſi ſint infrugiferi, nec proferant dignos pœnitentiæ fructus, vti huculque feciſtis vos, ô Sadducęi & Phariſęi, eos propediem per mortē à vita hac ſuccedat & in ignem æternum mittat. Si verò ſint frugiferi, ac pœnitentiæ & bonorum operum feraces, vti ſunt pœnitentes & iuſti, eos breui per mortem non tam ſuccidet, quàm transferet & tranſplantabit in cæleſtem paradiſum, ad perennes æternæ felicitatis, gloriæ, & laudis diuinæ fructus producendos.

*Securis eſt iudicium Chriſti.*

Dices, hoc etiam verum fuit ante Chriſtum, quomodo ergo poſt aduentum Chriſti Ioannes ait: *Iam enim ſecuris, &c. poſita eſt*? Reſpondetur, quia id verius & clarius eſt poſt Chriſtum, quam fuerit ante Chriſtum, Chriſtus enim ad hoc in mundum venit vt quaſi Iudex, Rex & Dominus omnium credentes, ſibique obedientes in cælum transferat, incredulos verò & rebelles morte præſenti & æterna puniat. Ideoq; primus Chriſtus per ſe, per Ioannem, & Apoſtolos clarè prędicauit promiſitque pijs regnum cælorum, impijs verò minatus eſt gehennam, vt ſcirent in ſua manu eſſe eorum ſalutem & damnationem, ac ad eum conuerſi gehennam vitarent, & ab eo cælo adſcriberentur; idque ipſum ſtatim facere poſſe, ac mox facturum, cùm nulla infirmitatis vel ignorantiæ in hominibus iam ſit excuſatio, vti erat in Iudæis rudibus ante Chriſtum, quibus præmia & ſupplicia pręſentia & temporalia, non futura & æterna à Moſe & Prophetis promittuntur vel intentantur.

Secundò & aptius: ſecuris eſt Chriſti Regis & iudicis iudicium & vindicta, qua arbores non tantùm noxias, ſed & infrugiferes, hoc eſt, Iudæos incredulos illicò exſcindet ex horto Eccleſiæ, ac à ſtirpe, ſalute & benedictione, Abrahæ eiuſque filijs promiſſa, illoſque in ignem æternum mittet; atque pro ijs Gentes in ſe credentes, quaſi arbores frugiferas inſeret paradiſo Eccleſiæ ſuæ, quæ eſt quaſi prædium & hereditas Abrahæ, qui eſt pater credentium & iuſtorum, ideoque eaſdem benedictionis & ſalutis Abrahæ promiſſæ faciet participes & heredes. Minatur ergo Ioannes Phariſæis reprobationem Iudæorum, ac vocationem & ſubrogationem Gentium, quæ paulò poſt facta eſt à Chriſto. Chriſtus enim Phariſæos & Iudæos ob incredulitatem reiecit à familia Abrahæ, id eſt, ab Eccleſia fidelium, ac conſequenter à regno Dei, eoſque addixit morti & gehennæ; Gentes verò ob fidem Eccleſiæ ſuæ inſeruit, cæloque deſtinauit.

Porrò Toletus in cap. 9. Luc. verſ. 9. carpit S. Chryſoſtomum dicentem ſecurim, nec radici perperciſſe: dicitur enim, inquit ipſe, ſecuris poſita ad radicem, nempe inter radicem & truncum, aliàs non eſſet abſcindere, ſed euellere. Senſum ergo eſſe vult, q.d. Baptiſta: Adeſt iam tempus, quando inciſio arborum infrugiferarum, & inſitio frugiferarum facienda eſt: propè eſt Chriſtus; qui quaſi ſecuris præcidet incredulos Iudæos à radice Abrahæ, eoſque in ignem mittet; radici verò eidem inſeret & inoculabit Gentes in ſe credentes, iuxta illud Pauli Rom. 11. *Si aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pinguedinis factus es: noli gloriari aduerſus ramos, quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dices ergo, fracti ſunt rami, vt ego inſerar: benè, propter incredulitatem fracti ſunt. Meritò autem Gentes infideles per lapides; Iudæi verò antequam præciderentur arbori collati ſunt: arbor enim viuit & fructificat, dum radici vnitur: ſic Iudæus per fidem futuri viuebat ſpiritu, antequam per infidelitatem, quia in aduenientem credere noluit, abſciſſus eſt.* Hæc Toletus.

Verùm Baptiſta hic tantùm inciſionem vel potiùs exciſionem Iudæorum, non verò inſitionem vel inoculationem Gentium in eadem radice Abrahæ, putà in eadem fide & Eccleſia, perurget: inoculatio enim arborum non fit in radice, ſed in ramis. Vnde Paulus ait: *Fracti ſunt rami, vt ego inſerar.* Hic autem Baptiſta ait: *Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur.* Ergo loquitur non de inſitione vel inoculatione, ſed de exciſione, qua arbor infrugifera radicitùs ex horto exciditur, & eius loco alia frugifera in eodem plantatur. Sic enim Iudæi exciſi ſunt ex horto Eccleſię, qui eſt quaſi prędium Abrahę, & Gentes in eodem à Chriſto & Apoſtolis plantatę ſunt, iuxta illud quod de eiſdem Iudęis, eorumque ſynagoga, per metaphoram ficus infrugiferę ait Chriſtus Lucę 13, 7. *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* Iudęi ergo radicitùs exciſi ſunt ex horto Abrahę, id eſt, ex Eccleſia, quia fidem, quę eſt quaſi radix, per quam horto Eccleſię infixi erant, perdiderunt.

Ego qvidem baptizo vos in aqva in poenitentiam: qvi avtem post me ventvrvs est, fortior me est. cvivs non svm dignvs calceamenta portare; ipse — Vers. 11. Luc. 3. v. 16. Mar. 1. v. 7. Ioan. 1. v. 15. 26. 27. 30.

SE VOS BAPTIZABIT IN SPIRITV SANCTO ET IGNI] Hæc verba non ſunt connectenda præcedentibus, nec immediatè poſt ea dicta ſunt à Ioanne, ſed interpolatè per occaſionem, quam ſupplet & explicat Lucas, dicens cap. 3. 16. *Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Ioannes omnibus, dicens: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni.* Populus ergo ex ſanctitate vitæ & feruore prædicationis, atque ex baptiſmo ſuſpicabatur Ioannem eſſe Meſſiam, ſiue Chriſtum. Nullus enim ceterorum Prophetarum vſus eſt baptiſmo, niſi Ioannes; & Ezechiel cap. 36. baptiſmum Chriſto proprium fore prædixerat: *Effundam*, inquit, *ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ioannes ergo hanc ſuſpicionem eis eximit, negatque ſe eſſe Chriſtum, ſed Chriſti anteambulonem & indicem ſe eſſe profitetur, ſuumque baptiſmum Chriſti baptiſmo præludere, ad eumque præparare ſignificat. Ait ergo:

EGO QVIDEM BAPTIZO VOS IN AQVA] id eſt, aqua ſola. Eſt Hebraiſmus. Hebræi enim inſtrumentum denotant per præpoſitionem ſeu literam ב id eſt, *in*, quam Latini ſubticent, vnde dicunt בַּמַּיִם *bammajim*, id eſt, *in aqua*, hoc eſt, *aqua in pœnitentiam*, vt ſcilicet excitem vos ad agendam pœnitentiam, voſque abluendo corpore, præparem ad ablutionem animæ recipiendam in baptiſmo Chriſti. Baptiſmus ergo Ioannis erat profeſſio pœnitentiæ. Vnde baptizandi in eo confitebantur ſua peccata, non autem erat condonatio culpæ: hanc enim expectare debebant à Chriſto per eius baptiſmum, aut per veram animi contritionem.

QVI AVTEM POST ME VENTVRVS EST] Græcè ὁ ἐρχόμενος, id eſt, *qui venit* in præſenti qui aduentat, qui iam imminet, nobiſque vicinus eſt.

FORTIOR] Græcè ἰσχυρότερος, id eſt robuſtior, potentior, validior, præſtantior eſt, maioribus viribus & dotibus longè me præcellit: pollet enim cæleſti diuinaque vi & efficacia, qua non tantùm corpus, vti ego, ſed & animam ſpiritu gratiæ ſuæ peruadit, illamque ab omni ſcelere expurgat, & emaculat. Vnde Iſaias cap. 9. inter alia epithera Chriſto dat elogium *fortis: vocabitur*, ait, *nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis. Verè autem fortis fuit, qui admiranda opera diuinitatis ſuæ operatus eſt, qui diabolum ſuperauit, prædam de eius manu abſtulit, regnum eius euertit, & in ſe tranſtulit, cæli portas aperuit, mortem abſorbuit in victoria, peccata deleuit, gratiam & gloriam comparauit*, inquit Toletus in Lucæ cap. 3. verſ. 19.

Rurſum Chriſtus Ioanne erat fortior in miraculis, quia ſolo nutu mortuos ſuſcitabat, dæmones pellebat, ægros ſanabat, elementa mutabat; cùm Ioannes pœnitentijs carnem domaret, vt eam ſpiritui ſubijceret. Hæc erat virtus Chriſti, & infirmitas Ioannis.

CVIVS NON SVM DIGNVS CALCEAMENTA PORTARE] S. Lucas cap. 3. 16. *Cuius non ſum dignus corrigiam calceamentorum ſoluere.* Marcus cap. 1. 7. addit *procumbens.* Vtrumque eſt verum, & vtrumque eſt vile miniſterium ſeruorum, qui herum ſuum, præſertim principem, procumbendo ad eius pedes calceant & excalceant, ac eius calceos portant, cùm ipſe ocreas aut crepidas induit. Ioannes ergo fatetur hîc ſe eſſe Chriſti ſeruum & mancipium, Chriſtum verò eſſe ſuum Dominum, imò Deum. Myſticè calceus notat humanitatem Chriſti, cui vt ſeruiat, vt eamque humeris baiulet, vel manibus ſuſtineat, Baptiſta ſe indignum profitetur; hęc enim humanitas ex vnione cum Verbo ſummę, & quaſi immenſę erat dignitatis & maieſtatis. Vnde S. Bernardus: *Calceo*, ait, *humanitatis noſtræ calceata fuit Verbi maieſtas*; quia enim calceamenta in extrema corporis parte ſunt, & ex mortuis fiunt animalibus: idcircò iuxta S. Gregorium & S. Hieronymum in Marci cap. 1. v. 7. rectè ſignificant incarnationem Chriſti, quam ſe explicare non poſſe, nec ad hoc dignum eſſe hîc confitetur S. Ioannes. Theophylactus per calceamenta accipit Chriſti deſcenſum in terram, & poſt mortem in limbum Patrum. Tropologicè Ioannes humilians ſe infra pedes & calceos Chriſti, per hanc humilitatem meruit exaltari ſuper caput Chriſti, illudque abluere & baptizare.

*Calceus humanitatem Chriſti notat.*

IPSE VOS BAPTIZABIT IN SPIRITV SANCTO] id eſt, Spiritu ſancto, q. d. Chriſtus Spiritum ſanctum cum omnibus ſuis donis in vos effundet ita copioſè, vt eo vos à peccatis omnibus abluat, ac gratia & charitate, ceteriſque chariſmatibus ſuis impleat, & quaſi obruat. Fecit hoc Chriſtus viſibiliter in Pentecoſte. Vnde ipſe aſcenſurus in cælum ad hęc verba Ioannis alludens, idipſumque promittens Apoſtolis, ait: *Ioannes quidem baptizauit, aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Act. 1. 5. Inuiſibiliter verò id facit in Sacramento baptiſmi & confirmationis, quę baptiſmi quaſi eſt perfectio & conſummatio. Antitheſis ergo Ioannis & Chriſti hęc eſt, quòd Ioannes ſolùm baptizauit aqua, Chriſtus verò aqua & Spiritu ſancto; quodque Ioannes corpus, Chriſtus animam abluat: quantum ergo Spiritus ſanctus aquam, ac anima corpus antecellit, tantum pręſtat baptiſmus Chriſti baptiſmo Ioannis, qui tantùm fuit rudimentarius. Ita Conc. Tridentinum ſeſſ. 7. can. 1. & paſſim Patres, quos citat Bellarminus tract. de Baptiſmo cap. 21. Hinc Doctores triplicem aſſignant baptiſmum, fluminis, flaminis, & ſanguinis: Fluminis eſt, cùm quis aqua baptizatur: flaminis ſiue ſpiritus eſt, cùm quis catechumenus in carcere vel eremo, vbi non eſt aqua, de peccatis verè conteritur, optatque baptizari: talis enim iuſtificatur per contritionem, quę includit votum baptiſmi: ſanguinis eſt, cùm quis necdum baptizatus, pro fide martyr occumbit: hic enim in ſuo ſanguine baptizatur, & ab omnibus peccatis abluitur.

*Baptiſmus fluminis, flaminis, & ſanguinis.*

SPIRITV SANCTO ET IGNI] Ita conſtanter habent Grecus, Latinus, Syrus, Arabicus, Perſicus, Ægyptius, Æthiopicus: Senſus eſt, q. d. Baptiſta: Meus baptiſmus eſt aqueus, Chriſti verò eſt igneus: quantũ ergo ignis efficacior eſt aqua, tantũ baptiſmus Chriſti potentior eſt meo. Hinc hęretici dicti Hermiani & Seleucani baptizabant ſuos non aqua, ſed igne, teſte S. Aug. hęreſi 59. Dignus ſanè hęreſi & hęreticis fuit igneus hic baptiſmus, digna talibus tortoribus carnificina: iam non eſt quòd ipſi querantur hęreticos



à Catholicis igne comburi, cùm ipſimet ſuos igne baptizent.

*Chriſtus baptizat igne: quo Reſp. Primò.*

Quæres, quis hic ignis? Primò, Origenes homil. 24. in Lucam accipit ignem purgatorij, q. d. Chriſtus ſuos fideles cum peccatis venialibus decedentes expiabit igne purgatorij, iuxta illud; *Vnuſcuiuſque opus ignis probabit.* Et: *Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, 1. Cor. 3. Sic quoque ex S. Hieronymo & Beda Suarez.

*Secundò.*

Secundò, S. Hilarius per ignem accipit iudicium Chriſti, quod acre, clarum, & horridum erit inſtar ignis.

*Tertiò.*

Tertiò, S. Baſilius in cap. 4. Iſaiæ, Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 10. & Toletus in cap. 3. Lucæ, verſ. 16. accipiunt ignem gehennæ, quo reprobos Chriſtus punit in inferno; vnde explicans ſubdit: *Paleas autem comburet igni inextinguibili.*

*Quartò.*

Quartò, Auctor imperfecti per ignem intelligit tribulationes, quibus quaſi igne fideles ſuos affligit, & à peccatis abluit Chriſtus.

*Quintò. Genuinè.*

Quintò, & genuinè, *Spiritu ſancto & igni*, hoc eſt, Spiritu ſancto igneo & igniente: Spiritu ſancto, qui eſt ignis, id eſt, qui eſt ſimilis igni, & quaſi ignis vrit & ignit. Eſt hendiadys. Spiritus ſanctus enim quaſi ignis fideles à peccatis expurgat, illuminat, accendit, ſurſum ad cælum rapit, ac roborat; vt omnia aduerſa ſuperent. Denique eos intimè ſibi vnit, & quaſi ignis in ſe trãſformat. Hæ enim ſunt dotes ignis, purgare, tenebras expellere, lucere, inflammare, ſurſum rapere, roborare, in ſe transformare. Hinc in Pentecoſte in Apoſtolos illapſus eſt Spiritus ſanctus per ſpeciem ignis & linguarum ignearum. Vnde S. Chryſoſtomus; *Ignis*, ait, *commemoratione adiuncta Spiritus ſancti efficacitatem ſignauit, gratiæ ipſius robur vehemens & inuictum.* Sic & Euthymius ac interpretes Æthiopici per ignem accipiunt Spiritum ſanctum. Hinc in primitiua Eccleſia ſæpè Spiritus ſanctus viſibili ſpecie ignis deſcendebat in baptizatos & confirmatos, vt ſignificaretur plena purgatio peccatorum; item ignea charitas, igneique ſermones, quos eis inſpirabat Spiritus ſanctus; iuxta illud Deuter. 4. 24. *Deus tuus ignis conſumens eſt.* Et illud Ierem. 23. 29. *Nũquid non verba mea ſunt ſicut ignis, dicit Dominus; & quaſi malleus conterens petram?*

Denique duodecim baptiſmatum genera, ſiue ſpecies è S. Scriptura colligit ex Damaſceno, S. Athanaſio, & alijs Toletus in cap. 3. Lucæ annot. 37.

*Vers. 12. Luc. 3. 17.*

CVIVS VENTILABRVM IN MANV SVA, ET PERMVNDABIT AREAM SVAM, ET CONGREGABIT TRITICVM SVVM IN HORREVM: PALEAS AVTEM COMBVRET IGNI INEXTINGVIBILI] *Ventilabrum* eſt vannus (vel vt Romæ, cribrum) quo agricolæ ſegeres trituratas ex ſpicis excuſas euannant, ventilant, & in ventum iactant, vt paleis à vento abreptis, ſola frumenti grana pura & à paleis ſe parata remaneant. Græcè dicitur πτύον, quòd paleas quaſi expuat: πτύω enim eſt *expuo.* Ventilabrum repræſentat Chriſti iudicium & poteſtatem iudiciariam, ſicut enim ventilabro triticum à palea ſecernitur; ſic Chriſtus in iudicio bonos à malis ſeparabit: bonos enim à dextris ſtatuet, malos à ſiniſtris: bonos cælo, malos tartaro adiudicabit. Area non tam locum, quàm frumenta, putà ſegetes in area collectas ſignificat: hæ enim mundantur, vt palea à tritico ſeparetur. Eſt metonymia; ponitur enim continens pro contento. Area ergo notat Eccleſiam, ſiue cœtum fidelium.

*Ventilabrũ eſt iudiciũ Chriſti.*

Igitur ventilator eſt Chriſtus Iudex, ventilabrum eſt eius iudicium, quo ſingulorum cogitata, dicta, factaque ventilabit & examinabit, ac bona bonoſque à malis ſecernet. Area eſt Eccleſia: palea ſunt impij, quos Chriſtus comburet igne gehennæ: triticum ſunt iuſti & ſancti, quos Chriſtus colliget in ſuum horreum, id eſt, in regnum cælorum, vt ijs quaſi tritico paſcat & oblectet S. Trinitatem, omnes Angelos, totamque Eccleſiam triumphantem.

Aſſurgit Ioannes à primo gratiæ aduentu Chriſti ad ſecundum iudicij: tum enim omnino permundabit aream, id eſt, Eccleſiam ſuam, idque vt Sadducæos & Phariſæos hoc iudicij & gehennæ terrore concutiat, & ad pœnitentiam adigat. Porrò inſtare, & vicinum eſſe hoc iudicium ſignificat, cùm ait hoc ventilabrum eſſe in manu Chriſti, vt ſcilicet illicò eo ſegetes euentilet, & paleas à tritico, id eſt, malos à bonis ſequeſtret: ita S. Ambroſius in Lucæ c. 3. verſ. 17. licèt enim vſque ad diem iudicij multi ſuperſint centenianni tamen hi omnes, ſi cum æternitate cõparentur, modicum & quaſi nihil ſunt. Adde, Chriſtus Dominus & Iudex in manu ſua habet cuiuſque ſpiritum, animam & vitam, vt eam illicò tollat, ſi velit, iudicet, beet, damnet, & in cælum vel gehennam mittat.

PALEAS (quantò magis zizania) AVTEM COMBVRET IGNI INEXTINGVIBILI] Impij & damnandi vocantur paleæ, quia vt paleæ ſunt leuiſſimi, viliſſimi, inutiliſſimi, & ad nihil ferè vtiles, niſi ad ignem, vt ſcilicet ſint folles & fomenta gehennæ. Pro *inextinguibili*, Græcè eſt ἀσβέστῳ, id eſt, *inexſtincto*, hoc eſt, æterno. Hinc Asbeſtus lapis dicitur, qui ſemper ardet, & non extinguitur: eſt mioſis; parum enim dicitur, & plus ſignificatur. Ignis enim gehennæ dicitur ἄσβεστος, id eſt, inextinguibilis, non tantùm quòd extingui nequeat, ſed & quòd homines impios vrendo non extinguat, imò eos perpetuò viuentes & ſentientes iugiter cruciet, & vrere pergat. Damnatur ergo hîc error Origenis, qui putauit pœnas inferni nõ fore perpetuas, ſed poſt magnum Platonis annum (quo omnia renouabuntur) finiendas. Rurſum τὸ ἀσβέστῳ, id eſt, *inextincto* hoc eſt, *inextinguibili*, notat ignem gehennæ non conſumere vel incinerare corpora damnatorum, nec fomenta carbonum vel lignorum illi ſuggeri; quæ enim poſſet eſſe materia tanta, vt ſufficeret ad alendum eum per totam æternitatem? ſed ignem illum eumdem omnino numero, in eodem ſulphure & iiſdem corporibus à Deo conſeruari, vt ea præſertim vrat, & numquam comburat.

*Ignis gehẽnæ idẽ numero durat in æternum*

Alludit ad Iſaiæ c. 66. verſ. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Et cap. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Vide ibi dicta. Exempla dat ſanctus Chryſoſtomus: *Nónne*, ait, *cernis ſolem iſtum ſemper ardentem, & numquam prorſus extinctum?* (multi enim cenſent ſolem eſſe ignem) *nõ legiſti* (Exodi 3.) *incenſum rubum, nec tamen ipſo incendio concrematum?*

Et S. Auguſtinus contra Donatiſt. libr. Poſt collationem cap. 9. *Iam ſatis*, ait, *ſuperiùs diſputaui poſſe animalia* (quæ inde Pyrauſtæ nominantur) *etiam in ignibus viuere, in vſtione ſine conſumptione, in dolore ſine morte per miraculum omnipotentiſsimi creatoris; cui hoc poſſibile eſſe qui negat, à quo ſit quidquid in naturis omnibus miratur ignorat.*

Cogita & horreſce hunc ignem gehennæ, quem nullæ aquæ, nullæ lacrymæ, imò omnia flumina, omnes abyſſi, omnia maria in vnū collecta, omnes dæmones, omnes creaturæ totis viribus ſuis non poſſunt extinguere; imò nec vel tantillum minuere; *Quia flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.* Iſaiæ 30. 33.

Vers. 13. Luc. 3. 21. Mar. 1. 9.

TVNC VENIT IESVS A GALILÆA IN IORDANEM AD IOANNEM, VT BAPTIZARETVR AB EO] *Tunc*, opportunè ſcilicet, cùm Ioannes Chriſtum prædicaret, ſibique præferret, dicens ſe non eſſe dignum eius calceamenta portare; cumque omnes excitaret, ad pœnitentiā, & baptizando præpararet ad gratiam à Chriſto accipiendam: *tunc*, inquam, ſuperuenit Chriſtus, vt quem abſentem commendarat, præſentem indicaret, & digito oſtenderet; ſicut lucifer præit & oſtendit ſolem orientem.

A GALILÆA] ſcilicet à *Nazareth*, ait Marcus cap. 1. 8. patria ſua, vbi cum matre huc uſque priuatus vixerat; & cum patre Ioſepho artem fabrilem exercuerat, vſque ad annum ætatis trigeſimum. Vnde illo iam expleto adijt Ioannem, vt ab eo declararetur Meſſias, hoc eſt, orbis doctor, & redemptor, vtque publicum hoc docendi, & legem Euangelicam inſtituendi officium, ad quod à Patre miſſus erat, habito à Ioanne teſtimonio, inchoaret. *In Iordanem*, hoc eſt, ad Iordanem, putà in Iudæam, ad eum Iordanis locum, vbi Ioannes baptizabat. Decreuerat enim Deus, vt Chriſtus Iudæis promiſſus, in Iudæa prædicationem inchoaret: nam alioqui per Galilæam quoque fluit Iordanis.

*Cur Ioannes baptizauit?*

VT BAPTIZARETVR AB EO] Quæres, quæ fuêre cauſæ prædicationis & baptiſmi Ioannis, & quare Chriſtus à Ioanne baptizari voluit? *Triplicem ob cauſam*, ait S. Hieronymus, *Saluator à Ioāne accepit baptiſmum: Primùm, vt quia homo natus erat, omnem iuſtitiam & humilitatem legis impleret. Secundò, vt baptiſmate ſuo Ioannis baptiſma comprobaret. Tertiò, vt Iordanis aquas ſanctificans per deſcenſionem columbæ, Spiritus ſancti in lauacro credentium monſtraret aduentum.*

*Reſp. Primo. Secundò. Tertio.*

*Quarto.* Quarta cauſa eſt, vt Chriſtus Ioanni auctoritatem adderet, eiuſque baptiſmum (cui nonnulli detrahebant) probaret, ait Beda; itaque viciſſim maioris auctoritatis teſtimonium ab eo acciperet, vt ſcilicet Ioannes eum verum eſſe Meſſiam omnibus ad ſe confluentibus oſtenderet, iuxta id quod ipſe ait: *Vt manifeſtetur in Iſraël, propterea veni ego in aqua baptizans.* Ioan. 1. 31. vtque homines ad pœnitentiam inuitando per baptiſmum ſuum, præpararet & aſſuefaceret ad baptiſmum Chriſti, vt innuit hîc v. 11.

*Quinto.* Quinta eſt, vt in baptiſmo Spiritus ſanctus ſpecie columbæ in Chriſtum deſcendens, & Pater de cælo intonans: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, ipſi irrefragabile teſtimonium perhiberent. Ita S. Hieronymus.

*Sexto.* Sexta eſt, vt Chriſtus baptiſmum à Ioanne ſuſcipiens ſuo exemplo omnes ad ſuum baptiſmū alliceret, & fructum eius oſtenderet, ſcilicet Spiritus ſancti donationem & illapſum.

*Septimo.* Septima, Chriſtus in ſe peccata noſtra ſuſceperat; ergo quaſi reus & pœnitens Ioanni ſe ſiſtit, vt ab eo baptizatus, in ſe quaſi luat & abluat peccata noſtra. Vnde Nazianzenus orat. in Sancta luminaria: *Ioannes*, ait, *baptizat, & accedit Ieſus ſanctificans quidem & ipſum qui baptizat, præcipuè tamen vt & veterem Adam ſepeliat in aquis.* Et mox: *Aſcendit Ieſus de aqua, ſecum quodammodo demerſum educens & eleuās mundum.* Hoc humiliando ſe coram Ioanne meruit Chriſtus, vt nos doceret, ei qui animarum lucro ſtudet, viam priùs ſternendam eſſe per multiplicem humiliationem.

*Octauo.* Octaua: vt Chriſtus, qui nouam Chriſtianorum rempublicam condere decreuerat, in quam non niſi baptizati adſcriberentur, eſſet & ipſe princeps baptizatus, vt ſic per omnia fratribus aſſimilaretur abſque peccato. Celebre eſt illud Catonis: *Patere legem, quam ipſe tuleris.*

*Nono.* Nona, vt ſicut Abraham olim veteris ſynogagæ iuſſu Dei ſymbolum inſtituit circumciſionem: ſic Chriſtus nouæ Eccleſiæ nouam teſſeram daret, ſanciretque baptiſmum. Quocirca S Thomas 3. part. quæſt. 66. articul. 2. cenſet Chriſtum, dum baptizaretur, non verbis, ſed facto inſtituiſſe baptiſmi Sacramentum, vt eſſet omnium peccatorum lauacrum; nam tum apparuit tota S. Trinitas, quam in forma baptiſmi profitemur, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Pater enim apparuit in voce, Filius in Iordane, Spiritus ſanctus in forma columbæ. Verius tamen eſt Chriſtum, dum baptizaretur, deſignaſſe tantùm ſuum baptiſmum, eiuſque materiam, ſcilicet aquam; eum verò paulò pòſt, dum cœpit prædicare publicè inſtituiſſe, vt docet Suarez, & alij plures: quare videtur eum inſtituiſſe, dum Nicodemo ſecretò, & nocte ad ſe venienti dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Ioann. 3. 5. Hæc enim ſecreta fuit ad vnum Nicodemum Chriſti vox: publicum autem baptiſmi Sacramentum publicè fuit inſtituendum & promulgandum. Indicatus ergo dumtaxat à Chriſto fuit hic baptiſmus, mox à ſe conceptis verbis in publica populi concione & cœtu inſtituendus. Et hoc eſt, quod dicere volunt S. Chryſoſtomus hîc, S. Auguſtinus, ſerm. 36. & 37. de Tempore, S. Gregorius Nazianz. orat. in S. Natiuitatem, & alij, dum aiunt Chriſtum ſuo baptiſmo aquas ſanctificaſſe, & contactu corporis vim regeneratiuam eis indidiſſe, non quaſi aquis indiderit qualitatem phyſicam, ſed moralem; quia ſcilicet tunc ipſo facto ex intentione Chriſti deputatæ & deſignatæ ſunt aquæ ad ſanctificandum homines eis abluendos in baptiſmi Sacramento, mox à Chriſto inſtituendo.

*Chriſti baptiſmus quando inſtitutus?*

Tropologicè Chriſtus ſuo baptiſmo hîc nos docere voluit viam ſanctam & perfectam inchoandam à baptiſmo, id eſt, à pœnitentia, lachrymis, & purificatione affectuum, idque maximè facere debere eos, qui alios baptizare, id eſt, purificare, conuertere, & ſanctificare deſtinant, vti ſunt doctores & prædicatores.

Vers. 14.

IOANNES AVTEM PROHIBEBAT EVM] Agnouit Ioannes Chriſtum ex priuato Dei inſtinctu & reuelatione, per quam Chriſtum videns,



dens, facie tenus agnouit, quem ante triginta annos infantem latentem in vtero matris, latens & ipſe in ventre ſuæ genitricis per mentem & ſpiritum agnouerat, ſalutarat, & exultarat. Luc. 1. 41.

Dices quomodo ergo, Ioann. 1. 33. Baptiſtæ à Deo datur ſignum, quo Chriſtum agnoſcat, ſcilicet deſcenſio & manſio Spiritus ſancti ſuper eum? Reſpondetur hoc ſignum Baptiſtæ dari, non vt primò Chriſtum cognoſcat, ſed vt illo pleniùs ſe in hac cognitione fideque confirmet, vtque eodem quaſi certo Dei teſtimonio Chriſtum populo oſtendat & commendet.

DICENS: EGO A TE DEBEO BAPTIZARI ET TV VENIS AD ME?] Pro *debeo* Græcè eſt χρείαν ἔχω, id eſt, opus habeo, indigeo *à te baptizari*, id eſt, ſpiritualiter ablui à leuibus peccatis, tuoque ſpiritu & gratia perfici: non ergo ſignificat debitum præcepti, quaſi Baptiſta obligatus fuerit ſuſcipere baptiſmum Chriſti. Hoc enim præceptum baptiſmi Chriſti editum & promulgatum fuit à S. Petro poſt mortem Baptiſtæ & Chriſti in Pentecoſte. Hinc tamen nonnulli colligunt, Baptiſtam paulò pòſt à Chriſto fuiſſe baptizatum, ſicut ab eodem baptizata fuit B. Virgo, S. Petrus, Iacobus, Ioannes, ceterique Apoſtoli, vti teſtatur S. Euodius, qui S. Petro in Cathedra Antiochena ſucceſſit, epiſtola, quæ inſcribitur τὸ φῶς, id eſt, lumen: Chriſtum verò non docuit ſuo baptiſmo baptizari, quia ipſe quaſi Hierarcha, baptiſmum inſtituit quaſi peccati remedium ac ſui, ſuæque Eccleſiæ notam, & characterem. Ita D. Thomas, Suarez, & alij paſſim tract. de Baptiſmo.

*Ioannes baptizatus à Chriſto an non?*

*Chriſtus non ſuſcepit baptiſmum à ſe inſtitutum. Cur?*

Fauent huic ſententiæ Nazianzenus orat. 39. verſus finem: *Sciebat Chriſtus*, inquit, *paulò pòſt futurum; vt ipſe Baptiſtam baptizaret.* Item & ſanctus Chryſoſtomus, qui dicunt Ioannem baptizaſſe Chriſtum aqua: Chriſtum verò baptizaſſe Ioannem ſpiritu. Vnde Auctor imperfecti hîc hom. 4. *Dum*, inquit, *Ioāni dicenti: Ego à te debeo baptizari, reſpondit: Modò interim ſine, oſtendit, quia poſteà Chriſtus baptizauit Ioannem, quamuis in ſecretioribus libris manifeſtè hoc ſcriptum eſſet; Ioannes quidem baptizauit illum aquā, ille autem Ioannem in ſpiritu.*

*An Ioannes Bapt. fuerit baptizatus à Chriſto?*

Dici poſſet tamen Chriſtum baptizaſſe Ioannem ſpiritu, non in Sacramento baptiſmi, ſed ſpiritu, id eſt, ſpiritualiter, quia maiorem ſpiritus copiam ei infudit, fecitque vt in gratia & charitate valdè proficeret. Vnde Abulenſis hîc in cap. 3. Matthæi quæſt. 78. cenſet Ioannem non fuiſſe baptizatum à Chriſto, idque probat ex admiratione diſcipulorum Ioannis, qui paulò pòſt nuntiarunt Ioāni Chriſtum, cui Ioannes teſtimonium perhibuerat, baptizare, & omnes ad eum venire. Ioan. 3. 26. Hoc enim fruſtrà illi nuntiaſſent, ſi Ioannes iam à Chriſto baptizatus erat, idque ſanè eis Ioannes reſpondiſſet; niſi dicas poſt hoc diſcipulorum nuntium Ioannem à Chriſto petijſſe baptiſmum, vt pariter diſcipulos ſuos ad Chriſtum, eiuſque baptiſmum adduceret. Itaque res manet dubia, adeoque problema eſt, an Ioannes baptizatus fuerit à Chriſto, an non?

Vers. 15.

RESPONDENS AVTEM IESVS, DIXIT EI: SINE MODO (permitte me nunc baptizari à te) SIC ENIM DECET NOS IMPLERE OMNEM IVSTITIAM] *Nos*, ſcilicet me ſuſcipiendo, te dando baptiſmum. Alij q.d. *nos*, id eſt, quotquot aliorum magiſtri ſumus, decet eos præire exemplo. Nihil quantumuis leniculum eſt prætereundum: Inſtituere volo baptiſmum; præcipientis eſt quod præcipit præ alijs adimplere. Vnde de Chriſto ait Lucas: *Cœpit Ieſus facere*, & deinde *docere.* Actor. 1. verſ. 1. *Hæc eſt iuſtitia*, ait S. Ambroſ. lib. 2. in cap. 3. Lucæ cap. vltimo, vt *quod alterum facere velis, prior ipſe incipias, & tuo alios horteris exemplo.* Vnde S. Gregor. lib. 31. Moral. c. 1. *Ex humilitate*, inquit, *vera ſecura ſemper auctoritas naſcitur.*

Porrò non ſolùs Chriſtus recipiens, ſed & Ioannes conferens ei baptiſmum, implebat omnem iuſtitiam, tum quia contendens de humilitate, & humili baptiſmi ſuſceptione cum Chriſto, ſinebat ſe ab eo vinci, vti par erat: vnde victus à Chriſto humilitate, vincebat quaſi Chriſtum obedientia, cedendo & obediendo ei: ſicut S. Dominicus volens dare dexteram S. Franciſco, cùm ille planè obſiſteret & occuparet ſiniſtram, ei dixit: *Tu me vincis humilitate, ego te vinco obedientia*; quia tibi cedo & obedio; tum quia Ioannes rem valdè ſanctam, putà baptiſmum pœnitentiæ exercebat, vt homines præpararet ad gratiam Chriſti; tum quia cooperabatur ſummæ humiliationi Chriſti, dando ei baptiſmum quem ipſe poſcebat, & à nullo alio, quàm à Ioanne accipere poterat; tum quia cauſa fuit, vt Chriſtus à S. Trinitate declararetur eſſe Filius Dei; hoc enim factum eſt in baptiſmo. Veriſimile quoque eſt Ioannem in ipſo baptiſmo Chriſtum populo demonſtraſſe: cùm enim forma baptiſmi Ioannis fuerit hæc, aut ſimilis: *Baptizo te in nomine eius; qui venturus eſt.* Vel: *Credo in Meſſiam iam iam venturum*; vt colligitur c. 19. v. 4. videtur quòd Chriſto veniente, & baptiſmum recipiente dixerit: *Hic eſt Meſſias, quem venturum dixi*; quæ omnia erant ſanctiſſima, vt meritò Ioannes quoque dicatur hîc impleſſe omnem iuſtitiam.

Rurſum S. Hieronymus ait: *Pulchrè dixit: Sine modò, vt oſtenderet Chriſtum in aqua, Ioānem à Chriſto in ſpiritu baptizandum.* Et mox: *Tu me baptizas in aqua, vt ego te baptizem pro me in ſanguine tuo*, q.d. Tu me baptizas baptiſmo fluminis, ego te baptizo baptiſmo flaminis & ſanguinis.

SIC ENIM DECET NOS IMPLERE (Arabicus *perficere*) OMNEM IVSTITIAM] Primò, *omnem iuſtitiam*, Syrus *omnem rectitudinem*, hoc eſt, quidquid iuſtum eſt, rectum, ſanctum, & Deo gratum, nec quidquam tale recuſare, etiamſi humile ſit & abiectum, nec vlla lege cautum, ſed conſilium dumtaxat ſit, non præceptum, quale hîc eſt, vt ego Chriſtus baptizer à te ô Ioannes, qui es ſeruus & creatura mea: omnis ergo iuſtitia eſt quælibet virtus, ſanctitas, & perfectio. Rurſum *omnem iuſtitiam*, id eſt, quidquid præcepit Deus Pater, ait Vatabl. Iuſtum enim eſt, quod Deus ſancit & præcipit. Videtur enim Deus Pater Chriſto vti moriendi, ſic & baptiſmum à Ioanne ſuſcipiendi præceptum dediſſe.

*Implere omnem iuſtitiam quid? Reſp. Primo.*

Hinc ſecundò Gloſſa: Omnis iuſtitia, inquit, eſt humilitas, quæ ſe omnibus, id eſt, ſuperioribus & æqualibus, æquè ac inferioribus ſubijcit. Ex aduerſo omnis iniuſtitia & ſuperbia, quâ quis non modò inferioribus & paribus, ſed & ſuperioribus ſe præponit. Ius enim & ſubiectionem eis debitam adimit. Sicut enim in omni actu iuſtitiæ,

*Secundo. Omnis iuſtitia eſt humilitas. Cur?*


ſtitiæ,

ſtitiæ, id eſt, virtutis interuenit humilitas, qua quis rationi & virtuti ſe ſubmittit: ſic in omni actu peccati miſcet ſe ſuperbia, quâ quis rationi, legi, & voluntati Dei ſe, ſuamque voluntatem, & cupiditatem anteponit. Humilitas ergo implet omnem iuſtitiam, quia ſoluit, imò ſuperat omne ius & debitum, quod homo debet Deo, proximo, & ſibi. Deo enim ſe ſubijcit per religionem, proximo per charitatem, corpus animæ, animam legi Dei. Quocirca humilis cum omnibus pacem habet; ſuperbus cum omnibus diſſidium & bellum. Quot hodie ſunt diſſidia & lites etiam inter clericos & Prælatos de loco, de titulis, de præcedentiâ, quam vtraque pars ſibi deberi pertinaciter contendit cum ſcandalo laicorum, & nullo vel exiguo victoriæ lucro? Quid enim lucraris, ſi litem vincas, niſi exiguum & inane honoris punctum? & interim longè maiorem famæ, pacis, & ſæpè conſcientiæ iacturam facis. Diſce, ô Chriſtiane, à Chriſto hîc, cedere, imò & ambire locum imum, ſic cum Chriſto exaltaberis & mereberis ſummum. Chriſtus enim ſubdens ſe Ioanni, ab eo, imò à tota S. Trinitate declaratus eſt eſſe maior Ioanne, imò Filius Dei. Dic ergo cum Chriſto: *Sic nos decet implere omnem iuſtitiam*, quam imitatus S. Ignatius fundator Societatis noſtræ, aureum hoc axioma dedit:

*Nulli vel minimo quauis ratione repugnes,*
*Cedere te potiùs, quàm ſuperare iuuet.*

*Humilitas eſt honor Chriſtiani.*

Decus enim, honor, & gloria Chriſtiani eſt humilitas, purà cedere, ſinere ſe vinci, primas alteri dare: quare maior eſt, qui eſt humilior, qui cedit, qui alterum ſibi præfert. Nam, vt ait S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 13. *Malorum locus eſt ſuperbia, bonorum locus eſt humilitas.* Docet ergo hîc nos Chriſtus, ſequi vitam communem, non quærere exemptiones à communi lege & more, haberi vt vnus de vulgo, iuxta illud: *Si ſis egregius, eſto quaſi vnus è grege*; imò ad ima deſcendere, & omnibus ſe ſupponere, iuxta illud Eccleſ. 3.20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam; quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab omnibus* (humilibus) *honoratur.* Vide ibi dicta.

*Tertiò.*

Tertiò, *omnem iuſtitiam*, id eſt, ſummam iuſtitiam. Sic Exodi 33.19. ait Deus Moſi: *Oſtendam omne*, id eſt ſummum, *bonum*, ſcilicet, meipſum, *tibi*; ima enim iuſtitia eſt, ſubdere ſe ſuo ſuperiori; media, ſubdere ſe æquali; ſumma, ſubdere ſe inferiori, vti Chriſtus ſubdidit ſe Ioanni: Chriſtus, inquam, qui eſt Sanctus Sanctorum, inclinauit caput Ioanni ad baptiſmum, quaſi petens ab eo purificationem & ſanctificationem velut peccator & pœnitens, ſicut erant ceteri, qui poſcebant baptiſmum à Ioanne. Præclarè S. Gregorius 3. parte Paſtor. admonit. 18. *Audiant*, inquit, *humiles, quia Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: audiant elati, quia initium omnis peccati ſuperbia eſt. Audiant humiles, quia redemptor noſter humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem: audiant elati quod de eorum capite ſcriptum eſt: Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Occaſio igitur perditionis noſtræ facta eſt ſuperbia diaboli, & argumentum redemptionis noſtræ inuenta eſt humilitas Dei.* Et paulò pòſt: *Dicatur ergo humilibus, quia dum ſe deijciunt, ad Dei ſimilitudinem aſcendunt: dicatur elatis quia dum ſe erigunt, in Apoſtatæ Angeli imitationem cadunt. Quid igitur elatione deiectius, quæ*

*Iuſtitia ima, media ſumma.*

A *dum ſupra ſe tenditur, ab altitudine veræ celſitudinis elongatur? Et quid humilitate ſublimius, quæ dum ſe in ima deprimit, auctori ſuo manenti ſuper ſumma coniungit?*

*Quo indicio ſanctus aliquis ſeu perfectus dignoſcitur?*

Idem alibi: Hæc ait, eſt ſumma iuſtitia & ſanctitas, ſi virtutis merito ſummi, humilitate ſimus infimi. S. Thomas Aquinas (vt in eius vita inter eius axiomata refertur) rogatus quo indicio verè ſanctus & perfectus dignoſci poſſet? reſpondit *humilitate*, contemptu ſui, contemptu honoris & laudis, tolerantia ignominiæ & vituperij. Si enim, inquit, videris aliquem, dum negligitur, contemnitur, poſtponitur, dare ſenſum doloris vel indignationis; deijcere vultum, naſum contrahere, rugare frontem, ſcito hunc non eſſe ſanctum, non eſſe magnum, etiamſi is miracula
B faceret. Oſtendit enim in ſui neglectu ſuam ſuperbiam, triſtitiam, iram, impatientiam, ac proinde vilem ſe facit & contemptibilem. Ex aduerſo humilis, qui gaudet ſuo contemptu, dignus eſt, qui ab omnibus laudetur, & glorificetur.

*Quartò.*

Quartò, *omnem iuſtitiam*, id eſt, omne incrementum iuſtitiæ, id eſt, virtutis, & ſanctitatis: Chriſtus enim licèt interiùs in gratia creſcere non poſſet; erat enim ea plenus à primo inſtanti ſuæ conceptionis & vnionis cum Verbo, tamen exteriùs quotidie maiora virtutum ſigna edebat, ac magis magiſque ſe humiliabat. Chriſtus enim è cælo deſcendit in vterum Virginis, ex vtero in præſepium, è præſepio in Iordanem, è Iordane in crucem, vt nos doceret illud Pſalmi 83.8. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus*
C *deorum in Sion.* Sic B. Thereſia faciebat omnem iuſtitiam, quia in qualibet re faciebat id quod iuſtius, ſanctius, perfectius, & Deo gratius erat, imò ad hoc voto ſe obſtrinxit. Quocirca S. Auguſtinus epiſt. 56. ad Dioſcorum: *Huic* (Chriſto, & Chriſtianæ diſciplinæ) inquit, *te, mi Dioſcore, vt tota pietate ſubdas velim, nec aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias, quã quæ munita eſt, ab illo, qui greſſuum noſtrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem.* Et poſt nonnulla: *Itaque ſicut Rhetor nobiliſſimus* (Domeſthenes) *cùm interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obſeruari oportere, pronuntiationem dicitur reſpondiſſe: cùm quæreretur, quid ſecundò, eamdem pronuntiationem: quid tertiò, nihil aliud quàm pro-*
D *nuntiationem dixiſſe: ſi interrogares, & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi humilitatem liberet, etſi fortè alia dicere neceſſitas cogeret. Huic humilitati ſaluberrimè, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus vt doceret, humiliatus eſt; huic, inquam, maximè aduerſatur quædam, vt ita dicam, imperitiſſima ſcientia.*

*S. Thereſia.*

*Quintò.*

Denique implet *omnem iuſtitiam*, qui honore omnes præuenit, qui aliorum mores difficiles, moleſtos, ſibique iniurios tolerat, iuxta illud Pauli: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Galat. 6. Item qui amat odientes ſe, benedicit maledicentibus, benefacit malefacientibus ſibi, qui laudat detrahentes ſibi, qui honorat ſpernentes ſe, qui charitatis ardore vincit inimicos, eoſque facit amicos, qui iniurias vlciſcitur beneficijs, qui cum Paulo optat eſſe anathema pro hoſtibus ſuis. Roman. 9. ac omnibus

omnia



omnia ſit, vt omnes Chriſto lucrifaciat. 1. Corinth. 9.22. Hęc omnia docuit, & priùs fecit Chriſtus.

TVNC DIMISIT EVM] id eſt, hoc audito ceſſit Ioannes Chriſto petenti baptiſmum, eumque baptizauit: *Vt ſi Deus ab homine accepit baptiſma, nullus à conſeruo dedignetur accipere*, ait ſanctus Hieronymus. Et S. Ambroſius lib. 2. in Lucam cap. vlt. *Nemo refugiat lauacrum gratiæ, quando Chriſtus lauacrum pœnitentiæ non refugit.* Pulchrè S. Bernardus ſerm. 1. de Epiphan. *Acquieuit*, ait, *Ioannes & obediuit: baptizauit agnum Dei, & aquas lauit; nos abluti ſumus, non ille, quia nobis lauandis aquæ cognoſcuntur ablutæ.*

Porrò diem, quo Chriſtus baptizatus eſt, fuiſſe Dominicum tradit S. Auguſtin. ſerm. 154. de tempore, licèt Ioannes Lucidus libr. 7. cap. 2. cenſeat Chriſtum baptizatum feria ſexta. Certum quaſi eſt ex traditione Chriſtum baptizatum eſſe die ſexta Ianuarij; eadem ſcilicet, qua ante triginta annos adoratus fuerat à Magis. Vnde Eccleſia eadem die memoriam baptiſmi Chriſti recolit. Quocirca Æthiopes die 6. Ianuarij in memoriam baptiſmi Chriſti, aquis ſe non tantùm aſpergunt, ſed & penitùs immergunt. Fideles quoque in Græcia circa mediam noctem, quæ diem ſextam antecedit; aquas ex obuid fonte vel fluuio hauriebant, quæ Dei dono multis annis incorruptæ manebant, vti expreſsè teſtatur S. Chryſoſt. homil. de Baptiſmo Chriſti tom. 5. operum Græcorum. Addit S. Epiphanius hæreſi 51. illa die Nilum in vinum verti: *Circa ipſam vndecimam* (menſis Tybi, qui eſt ſextus noſtri Ianuarij) *poſt annos triginta factum eſt primum ſignum in Cana Galilææ, quando aqua facta eſt vinũ. Quapropter etiam in multis locis vſque in hunc diem hoc fit, quòd tunc factum eſt, diuinum ſignum in teſtimonium incredulis: velut teſtantur in multis locis fontes ac fluuij in vinum conuerſi: vt Cibyres quidem vrbis Cariæ fons, quâ hora hauſerunt miniſtri, & ipſe dixit: Date Architriclino: teſtatur & in Geraſa Arabiæ fons ſimiliter. Nos bibimus de Cibyres fonte; fratres verò noſtri de eo, qui eſt in Geraſa, in martyrum templo. Sed & multi de Nilo hoc teſtantur.* Tres ergo aquas nominat, quæ dicto feſto in vinum vertantur, primam, fontem Cibyres; ſecundam, fontem in Geraſa; tertiam Nilum. Cùm igitur tres iſti fontes vinoſo ſapore numquam fluxerunt niſi hoc die, manifeſtum fit hoc miraculum non eſſe patratum, niſi ad recolendam memoriam vini ex aqua à Chriſto in Cana Galilęę producti, ait noſter Gretſerus in Curopalaten pagina 236. & ſeq. qui cum S. Epiphanio opinatur Chriſtum in Cana aquam in vinum vertiſſe die ſexta Ianuarij: alij enim alio die id factum putant, vt dixi in Chronotaxi Monoteſſari.

*Chriſtus baptizatus die 6. Ianuarij.*

*Mos & opinio veterũ in vigilia Epiphaniæ.*

*Fontes in vinũ verſi in feſto Epiphaniæ.*

*Aqua Iordanis à Chriſti baptiſmo non corrũpitur.*

Quin & Iordanis aquam à Chriſti in ea baptiſmo donum incorruptionis accepiſſe, docet ibidem Gretſerus: Addamus & hoc, inquit, aquam Iordanis poſtquam eam Chriſtus contactu & baptiſmo ſuo conſecrauit, incorruptionis munere donatam eſſe. Id aſſerit illuſtriſſ. princeps Nicolaus Chriſtophorus Radziuilus in ſuo Hodœporico Hieroſolymitano: *Aquam*, ait, *valdè turbidam Iordanis habet, ſed ſalubrem, quæ in vaſe aſſeruata numquam corrumpitur, prout in ea, quam attuli mecum, indubitanter ſum expertus.*

Rurſum videtur Chriſtus à Ioanne non ſo-

A lùm baptizatus & ablutus in capite, ſed & in reliquo corpore, tum quia hic erat ritus Iudæorum, & etiamnum eſt; tum quia totum corpus aquis purificare debebant, vt ſingula membra, quæ peccarant, abluerent: vtque totius animæ, omniumque eius peccatorum purificationem repræſentarent. Spoliabant ergo ſe veſtibus, & nudi baptizabantur. Ieſus ergo dignatus eſt ſe nudare coram Ioanne, & hanc verecundiam, quam caſti erubeſcunt, pro nobis ſubire, vt Adæ noſtramque nuditatem verecundiamque peccato inductam, ſuâ gratiâ velaret & veſtiret. Vnde & Eccleſia eòdem loci, vbi veſtes Chriſti repoſitæ fuere cùm baptizaretur, erecta eſt à fidelibus, teſte Bedâ de Locis ſanctis cap. 13. qui & addit quòd ille locus apud Iordanem, in quo baptizatus eſt Chriſtus, nobili monaſterio & Ec-
B cleſia in honorem Ioannis Baptiſtæ dedicata, illuſtratus ſit. De eodem ita ſcribit Gregorius Turon. lib. de Gloria martyrum c. 17. *In Iordane habetur locus, in quo Dominus baptizatus eſt. In vno etenim reflexu aqua ipſa reuoluitur; in qua nunc leproſi mundantur. Cùm enim aduenerint, ſæpiùs lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur; de publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt; ſanati autem ad propria diſcedunt. Ipſe quoque Iordanis ab eo loco in quinto milliario mari commixtus mortuo, nomen amittit.*

*Chriſtus toto corpore nudatus & ablutus.*

*Templum in loco vbi Chriſtus baptizatus eſt.*

In eodem loco Chriſtum poſt baptiſmum ſæpiùs viſitaſſe S. Ioannem ibidem baptizantem, tradit Ioannes Moſchus in Prato ſpirit. cap. 1. Porrò Chriſtus in Iordane baptizatus eſt à Ioãne in Ennon iuxta Salim. Ioan. 3.23. non longè à Sarthan & Iericho, vbi filij Iſrael, duce Ioſue,
C ſicco pede tranſierunt Iordanem à Deo miraculosè diuiſum, Ioſue 3.16. & 17. vt ſignificaretur eumdem Chriſtum, qui olim Hebræos per Iordanem deduxerat in terram promiſſam, fideles ſuos & Chriſtianos per baptiſmum pari modo deducturum in cælum. Vnde ſicut duce Ioſue aquæ Iordanis retrorſum conuerſæ ſunt; ſic Chriſto duce baptizato, retrorſum peccata conuerſa ſunt, ait S. Auguſtin. Rurſum Elias diuiſit aquas Iordanis, quando erat in curru igneo rapiendus in cælũ 4. Reg. 2. vt ſignificaretur quòd tranſeuntibus per aquam baptiſmi Chriſti, per ignem Spiritus ſancti pateret aditus ad cælum, ait D. Thomas 3. p. q. 39. art. 4.

BAPTIZATVS AVTEM IESVS, CONFESTIM ASCENDIT DE AQVA: ET ECCE APERTI SVNT EI CÆLI, ET VIDIT SPIRITVM DEI DESCENDENTEM SICVT COLVMBAM, ET VENIENTEM SVPER SE] Lucas cap. 3.21. addit: *Ieſu baptizato & orante, apertum eſt cælum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba ſuper ipſum.* Vnde patet non vi baptiſmi Ioannis, ſed merito humilitatis & orationis Chriſti apertum eſſe cælum, & deſcendiſſe Spiritum ſanctum ſuper eum: orationi enim & orantibus inſinuat ſe Spiritus ſanctus.

*Vers. 16. Luc. 3. v. 21.22. Marc. 1. v. 10.*

D

CONFESTIM] Refer hanc vocem magis ad ſequentia, vtpote *Aperti ſunt ei cæli*, &c. quàm ad *τὸ aſcendit de aqua.* Nam Chriſto egreſſo ex aquis, ſtatim aperti ſunt cæli, vnde Marcus cap. 1. 9. ait: *Et ſtatim aſcendens de aqua, vidit cælos apertos.*

ET ECCE APERTI SVNT EI CÆLI] Marcus: *Vidit cælos apertos. Vidit*, ſcilicet ipſe Ieſus:

non

non dubium, quin & Ioannes idipſum viderit, ac ceteri qui aderant, vtpote propter quos hęc fiebant. Vnde Matthęus ait: *Aperti ſunt ei*, id eſt, propter ęum, *cæli*, putà in eius gratiam & honorem viſi ſunt aperiri; idque ad hoc Primò, vt vox Patris è cęlo labens; *Hic eſt Filius meus dilectus*, Chriſti dignitatem Ioannis dignitate maiorem ſignificaret. Secundò, vt indicaret Deus per Chriſtum cęlum omnibus aperiri. Ita ſanctus Chryſoſtomus. Tertiò, vt vis cęleſtis baptiſmi innueretur, ſcilicet per eum homines carnales fieri ſpirituales & cęleſtes, ac per eum ad cęlum vocari, & quaſi manu duci. Ita S. Thomas 3. p. q. 39. art. 5.

*Quomodo cæli Chriſto aperti?*

Quęres, quomodo Chriſto aperti ſunt cęli? Reſpondetur cęlorum ſoliditatem non fuiſſe realiter apertam & diſſciſſam (hoc enim naturaliter eſt impoſſibile, ſupernaturaliter eſt ſuperfluum: non etiam cęli aperti fuere per ſolam viſionem imaginariam, vti aperti ſunt Ezechieli c. 1. verſ. 1.) ſed quòd in ſuprema aëris regione ſenſibiliter viſus fuerit quidam hiatus, ceu ſpecies aperturæ ſenſibilis, ex quo columba æquè ac vox Patris de cælo in Chriſtum labi videretur, ita ſcilicet, vt partes aëris extremæ denſiores viderentur, eo modo vt ad illas terminari poſſet viſus; aër autem interiectus maneret rarus, nec videretur, ſed appareret quaſi hiatus lucidus, ſiue vacuum quoddam, & apertura radios vibrans in Chriſtum, ex qua columba cum voce deſcendit in Chriſtum. Hac enim arte pictores ſolent pingere & repræſentare hiatum. Omnia enim hîc ſenſibilia fuerunt. Ita Euthymius, Ianſenius, & Suarez 3. p. q. 39. art. 5. Tales hiatus ſępè apparent in aëre, de quibus Ariſtoteles in Metheoris.

Addit noſter Hieron. Prado in cap. 1. Ezech. v. 1. ad illa: *Aperti ſunt cæli*, per fulgura & coruſcationes viſum fuiſſe quaſi ætherem diuidi & aperiri, indeque vocem Patris quaſi tonitruum erupiſſe. Semper enim tonitru miſcetur cum fulgure, imò fulguris eſt cauſa, etſi poſt fulgur audiatur, quia auditus tonitrui tardior eſt viſu fulguris, eò quòd obiectum viſus citiùs producat ſpeciem ſui quàm ſonus: viſus enim omnium ſenſuum eſt ſubtiliſſimus & celerrimus; idque factum eſſe ad hoc, vt populus fulminis fulgore, & tonitrui terrore excitaretur ad audiendam vocem Patris de cælo: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Fauet illud Pſalmi 28. v. 3. & 6. in ſenſu allegorico. Et Pſal. 76. *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ.* Sic apud Poëtas æthera vel cælum aperiri, diuidi, ſcindi, rumpi idem eſt quòd fulgurare. Ita Ouidius 2. Faſtor.

*Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther.*

Silius Ital. lib. 1.

——*ruptoque polo micat ignibus æther.*

Statius lib. 1. Thebaid.

——*Abrupta tremiſcunt*
*Fulgura, & attritus ſubitâ face rumpitur aër.*

Manil. lib. 1.

——*Et cælum fulmine ruptum.*

Simili modo vidit S. Stephanus, dum lapidaretur, cælos apertos. Actor. 7. 35. Vide ibi dicta.

*An vera columba in baptiſmo Chriſti.*

ET VIDIT (Syrus *ſuſpexit*) SPIRITVM DEI DESCENDENTEM SICVT COLVMBAM] Ægyptius: *Et vidit Spiritum Dei deſcendentem in forma columbæ.* Quæres primò an vera & realis fuerit hæc columba, an tantùm ſpecies & ſimilitudo columbæ? Veram fuiſſe columbam cenſent S. Hieronymus, S. Anſelmus, & ex ijs D. Thomas 3. p. q. 39. art. 7. Salmeron. & alij, idque eſt probabile; æquè tamen probabile, imò probabilius eſt non fuiſſe veram columbam, ſed tantùm ſpeciem ſiue formam columbæ ab Angelo formatam, agitatam & motam vt in Chriſtum deſcenderet. Ratio eſt, quia id indicant omnes Euangeliſtæ; nam Matthæus ait: *Sicut columbam.* Marcus: *Tamquam columbam.* Ioannes cap. 1. 22. *Quaſi columbam.* Lucas c. 3. *Corporali ſpecie ſicut columba.* Erat ergo ſpecies & ſimilitudo dumtaxat, non veritas columbæ: nec enim vera columba opus hîc erat, ſed ſimilitudine ad ſymbolicam ſignificationem, vt ſcilicet per ſpeciem & ſymbolum columbæ deſignarentur dotes Chriſti, quas mox recenſebo. Simili modo *cæli aperti ſunt*, non realiter, ſed per apparentiam & ſpectrum dumtaxat, vti paulò antè explicui. Ita cenſent S. Auguſtinus ep. 102. S. Ambroſius lib. 1. de Sacram. cap. 5. S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Lyranus, Caietanus, Ianſanius hîc, Abulenſis q. 84. & 85. Suarez 3. p. q. 39. art. 7.

Inſtabis: fuit ne ergo hoc phantaſma, & phantaſtica columba? Reſpondetur minimè: fuit enim verum, ſolidumque corpus, habens formam columbæ, vt docet S. Auguſt. de Doctrina Chriſtiana c. 22. non aſſumptum hypoſtaticè à Spiritu ſancto ſicut humanitas Chriſti aſſumpta eſt à Verbo, vti videtur ſenſiſſe Tertullianus libr. de Carne Chriſti cap. 3. ſed tantùm Spiritus ſancti index & ſymbolum: quia columba eſt auis manſuetiſſima, ſimpliciſſima, innocentiſſima, fœcundiſſima, ſummè amabilis & zelotypa: talis pariter eſt Spiritus ſanctus, qui hanc ſuam manſuetudinem: ſimplicitatem, innocentiam, fœcunditatem, charitatem & zelum animæ Chriſti à primo conceptionis eius inſtanti perfectiſſimè indiderat, idque nunc externo hoc ſigno iam à ſe factum eſſe, dumtaxat ſignificabat, & publicè toti populo declarabat.

*Cur columbæ ſpecies hîc?*

Quęres ſecũdò, cur Spiritus ſanctus in Chriſtum deſcenderit ſpecie columbæ, in Apoſtolos verò ſpecie ignis & linguarum ignearum? Act. 2. Reſpondet primò S. Chryſoſtomus, quia Chriſtus venit in carnem & mundum manſuetus vt columba ad remittendum peccata, & ſoluendum peccatores. In die verò iudicij veniet vt ſeuerus iudex, puniturus impios per ignem. Rurſum & magis ad literam, Apoſtolis datus eſt Spiritus ſanctus ſpecie ignis, quia eis indebat feruorem & ardorem prædicandi, ait S. Auguſtinus tract. 6. in Ioannem.

*Reſp. Primo.*

*Secundò.*

Secundò, quia columba optimè repræſentat Spiritum ſanctum ſeptuplicem, ſiue ſeptem eius dona, quæ Chriſto infudit, vti prædixit Iſaias cap. 11. 2. dicens; *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Hęc enim omnia appoſitè notantur per columbam. Nam, vt explicat S. Thomas 3. part. q. 39. art. 6. ad 4. primò columba ſecus fluenta aquarum moratur, in ijſque quaſi in ſpeculo aſpicit accipitrem, eoque viſo fugit; per quæ ſignificatur donum ſapientiæ: ſecundò, columba meliora grana in cumulo ſeligit; ecce donum ſcientiæ: tertiò, columba

*Septem Spiritus ſancti dona in columba figurantur.*

alienos



alienos pullos nutrit; ecce donum conſilij: quartò, columba non lacerat roſtro; ecce donum intellectus: quintò, columba caret felle & bile; ecce donum pietatis: ſextò, columba nidificat in petris, ecce donum fortitudinis: ſeptimò columba pro cantu edit gemitum; ecce donum timoris, quo Chriſtus & Sancti gemunt pro peccatis, vel ſuis, vel alienis, vel vtriſque.

*Tertiò.*

Tertiò, columba ſymbolum eſt reconciliationis & reparationis mundi, quam Spiritus ſanctus fecit per Chriſtum; vnde eius ſymbolum fuit columba afferens ramum virentis oliuæ ad Noë, per hoc ſignificans ceſſaſſe diluuium iramque Dei, ac ſiccitatem terræ redditam, & pacem hominibus. Gen. 9. 12. Ita S. Chryſoſtomus.

*Quartò.*

Quartò, columba, quia eſt auis amicabilis & gregalis, notat vnionem & ſocietatem fidelium in Eccleſia, quam efficit Spiritus ſanctus per baptiſmum Chriſti. Ita D. Thomas loco iam citato. Denique columba candida eſt, ſuaui odore paſcitur, ac mirè pullos amat. Sic Chriſtus candidiſſimus eſt, virtutum odore paſcitur, ac filios ſuos amat intimè.

*Columba auctorauit Epiſcopos & doctores. Exempla.*

Hac de cauſa Spiritus ſanctus vti hîc in Chriſtum, ita in Chriſtianos inſignes, ſæpè ſpecie columbę deſcendit, ac pręſertim doctores, Epiſcopos, & Pontifices Eccleſiæ auctorauit, & quaſi conſecrauit.

*S. Eleucadij.*

S. Eleucadius, ſancti Apollinaris Rauennatium Apoſtoli diſcipulus, columba in caput eius aduolante, Epiſcopus Rauennatium ordinatus eſt, qui ſanctitate illuſtris migrauit in cælum anno Domini 115. Ita Philippus Ferrar. in Catalogo Sanctorum Italiæ.

*S. Aderiti.*

Sic & columba in caput S. Aderiti coram clero deuolans, eum deſignauit S. Apollinaris ſucceſſorem, & ſecundum Rauennæ Epiſcopum.

*S. Marcellini.*

S. Marcellinus pariter columbæ indicio, eiuſdem vrbis Epiſcopus deſignatus eſt anno Domini 230. Ita Hieronymus, Rabeus in Hiſtor. Rauennæ, & Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

*S. Fabiani.*

S. Fabianus per columbam capiti incumbentem, in Romanum Pontificem electus eſt.

*S. Gregorij.*

S. Gregorio libros ſcribenti, viſus eſt Spiritus ſanctus ſpecie columbæ in aurem ſuggerere ea, quæ ſcriberet.

*S. Baſilij.*

S. Baſilius, qui in eodem Iordane, in quo Chriſtus baptizari voluit, Miſſam celebrans, cæleſti circumdatus luce, iuſſit confici columbam ex auro puro, in eamque partem hoſtiæ conſecratæ repoſuit, ſuſpenditque eam ſuper altare, idque in ſpecie columbæ illius, quæ apparuit in Iordane Chriſto baptizato, ait Amphilochius. Additque S. Ephrem vidiſſe Spiritum ſanctum in ſpecie columnæ ignis incumbere S. Baſilio, ideoque exclamaſſe: *Verè columna ignis baſilius, verè Spiritus ſanctus loquitur per os eius.*

*S. Ioannis Chryſoſtomi.*

Flauianus Patriarcha iuſſu Angeli ordinans S. Ioannem Chryſoſtomum, eumque ſacerdotem conſecrans, vidit albam columbam in caput ſancti Ioannis deuolare, vti refert Leo Auguſtus in eius vita, & ex eo Baronius anno Chriſti 456. num. 7.

*Mahometis impoſtoris columba.*

Hac de cauſa Mahomet impoſtor columbam condocefecit & aſſuefecit, vt aduolaret ad aurem ſuam, ponendo in aure grana, quæ colligeret & comederet columba, vt hac ratione populo perſuaderet ſibi familiarem eſſe Spiritum ſanctum, eumque ſibi ſuggerere ſuam legem, & dictare Alcoranum, imò ſecretiſſima Dei conſilia reuelare. Idem effecit, vt columba ſchedam ad ſe afferret, in qua aureis literis ſcriptum erat *Quicumque taurum domuerit, rex eſto.* Ipſe autem taurum, quem anteà nutriuerat, facilè edomuit; ideoque à ſtulta plebe rex eſt ſalutatus. Ita habẽt auctores vitæ Mahometis.

ET VENIENTEM SVPER SE] Græcè eſt ἐπ' αὐτὸν, id eſt, *ſuper eum*; q. d. Ioannes vidit Spiritum ſanctum ſpecie columbæ deſcendentem ſuper caput Ieſu, illique inſidentem. Noſter αὐτὸν accepit pro ἑαυτὸν: Hebræi enim idem habent pronomen abſolutum & reciprocum hinc עָלָיו *alau* tam *ſuper ſe*, quàm *ſuper eum* ſignificat. Vtrumque verum, vtrumque appoſitum. Vnde Ioannes poſteà alijs & alijs turbis ad eius baptiſmum affluentibus Chriſtum demonſtrans, dixit: *Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo; & manſit ſuper eum*, Ioan. 1. 32. Inſedit ergo columba hæc ſacro Chriſti vertici, eumque eſſe Meſſiam, Eccleſiæ Doctorem & Saluatorem toti orbi declarauit, & quaſi promulgauit. Hinc Chriſtus & Eccleſia, animaque ſancta ſunt quaſi columbus & columba, iuxta illud Cant. 6. *Vna eſt columba mea, perfecta mea.* Vide ibi dicta.

Appoſitè pieque S. Bernardus ſerm. de Epiphan. *Nec incongrue*, ait, *ad indicandum agnum Dei venit columba, quia nihil melius agno conuenit, quàm columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in auibus eſt. Summa vtriuſque innocentia, ſumma manſuetudo, ſumma ſimplicitas. Quid enim ſic alienum ab omni malitia, ſicut agnus & columba? Nocere cuiquam neſciunt, lædere non nouerunt:*

ET ECCE VOX DE CÆLIS DICENS: HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI COMPLACVI] Ex cælis apertis & coruſcis lucida columba dilapſa eſt in caput Chriſti, dumque in eo conſidet, ex ijſdem dilapſa eſt vox: *Hic eſt Filius meus.* Vox hæc ſymbolum columbæ explicabat; columba verò ad Chriſtum, cui ipſa inſidebat vocem ferri & terminari ſignificabat, non ad Ioannem vel quem alium: vtroque ergo ſigno opus fuit ad declarandum orbi Chriſtum. Vox hæc *in perſona Patris Angelorum miniſterio efformata fuit*, ait Victor Antioch. in cap. 1. Marci. Hîc primum orbi reuelatur myſterium SS. Trinitatis, quòd Iudæis obſcurè fuerat inſinuatum, dum Pater ſe oſtendit in voce, Filius in carne, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, vt ſignificaretur fides S. Trinitatis iam explicanda, adeoque eius nomine conferendus Chriſti baptiſmus. licèt enim hæc omnia, putà cælorum apertio, formatio vocis, deſcenſus columbæ, vtpote opera ad extra, vti loquuntur Theologi, fuerint toti S. Trinitati communia, vti docet S. Auguſtinus ſerm. 38. de Temp. tamen ſpeciatim ſingulæ perſonæ ſymbolis iam dictis repræſentabantur.

*Vers. 17. Luc. 3. 21. Mar. 1. 11. Inf. 17. v. 5.*

HIC EST FILIVS] Græcè ὁ υἱὸς, id eſt, *ille Filius* Dei Patris, ſcilicet: per eminentiam, putà Filius per naturam: non adoptionem, vti ſunt Angeli & homines ſancti; ideoque non eſt creatura, ſed creator, Deo Patri ὁμοούσιος & conſubſtantialis, vti definitum eſt in Concilio Nicæno, ceteriſque ſequentibus.

Marcus & Lucas habent alijs verbis, ſed eodem

dem ſenſu: *Tu es Filium meum.* Et veriſimile eſt ita dictum fuiſſe, tum quia duo Euangeliſtæ in eo conſentiunt, tum quia conſonum erat, vt Ieſu in cælum aſpiciente, Patremque orante, ac Spiritu ſancto in eum deſcendente, vox Patris quoque ad eum dirigeretur, eumque quaſi Filium complecteretur & compellaret, itaque toti orbi venerandum, amandum, audiendum proponeret. Ita Ianſenius, Maldonatus, Franc. Lucas, & alij.

DILECTVS] Græcè ὁ ἀγαπητὸς, id eſt, *ille dilectus*, id eſt, vnicè & ſummè dilectus, per quem ceteri diliguntur, nec vllus à Deo diligitur, niſi quem ille dilexerit, ſuaque gratiâ donauit; vnde Syrus, vertit, *dilectiſſimus.*

IN QVO MIHI COMPLACVI] Ita ſcilicet; vt tu ſolus ô Chriſte, perfectè per omnia, ſummè & infinitè mihi placeas, ac nemo mihi placeat, niſi per te; imò vt per te placatus ſum toti generi humano, cui anteà ob peccatum Adæ & poſterorum offenſus fui. Hebr. enim רָצָה *ratſa*, & *placere* & *placari*, ſiue *reconciliari* ſignificat.

TV ergo ES FILIVS MEVS DILECTVS IN QVO MIHI COMPLACVI, vt habent Marcus, & Luc. quia tu ſolus cùm ſis *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ* meæ. Hebr. 1. 3. ſingulariter & immensè ita mihi places, vt nihil in te diſpliceat, ſed omnia ſummè placeant: tu es ille, in quo ego acquieſco, in quo me paſco & oblecto: propter te omnes tui diſcipuli & aſſeclæ, putà omnes Chriſtiani & Sancti mihi placent. Alludit ad Noë, qui ſolus ſuo æuo placuit Deo, iuxta illud: *Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit.* Gen. 6. 9. & c. 8. 20. ceſſante diluuio Noë *obtulit holocauſta ſuper altare: odoratuſq; eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines.* Sicut enim Noë adeò placuit Deo præſertim dum illi hoſtiam obtulit, quæ ita eum placauit, vt promiſerit ſe non ampliùs orbem diluuio perditurum: ſic multò magis Chriſtum ſeipſum Deo offerens in hoſtiã piacularem, Deum toti generi humani placauit & conciliauit. Hac voce Chriſtus à Deo conſtitutus eſt publicus orbis doctor & legiſlator. Vnde cùm hæc vox repetita eſt à Patre in Chriſti transfiguratione, Matth. 17. 5. addit: *Ipſum audite*, q. d. Audite Chriſtum, qui mihi eſt vnigenitus; non Platonem, non Apollonium, non Socratem: Chriſtum, inquam, audite, in ipſum credite, ipſi obedite: ipſe è ſinu meo vobis enarrabit mea arcana, abſcondita à conſtitutione mundi; ipſe vobis pandet viam pacis, viam ad cælum, viam ad felicitatem; ipſe vobis euangelizabit regnum cælorum & bona cæleſtia, imò diuina, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Hinc Magdalena ſedens ad pedes Ieſu, eumque aſſiduè & intentè audiens, ab eo audiuit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, Lucæ 11.

Præclarè S. Leo ſerm. de Transfiguratione: *Hic eſt*, ait, *Filius meus, cui ex me, & mecum eſſe, ſine tempore eſt. Hic eſt Filius meus, quem à me non ſeparat deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt Filius meus, non adoptiuus, ſed proprius; non aliundè creatus, ſed ex me genitus. Hic eſt Filius meus, per quem omnia facta ſunt.* Et mox: *Hic eſt Filius meus, qui eam, quam mecum habet æqualitatem, non rapinâ appetijt, nec vſurpatione præſumpſit, ſed manens in forma*

A *gloriæ meæ, vt ad reperandum genus humanum exequeretur commune conſilium, vſque ad formam ſeruilem inclinauit incommutabilem deitatem.* Vnde concludit: *Hunc ergo, in quo mihi per omnia benè complaceo, & cuius prædicatione manifeſtor, cuius humilitate clarificor; incunctanter audite, quia ipſe eſt veritas & vita, ipſe virtus mea atque ſapientia; ipſum audite, quem Prophetarum ora cecinerunt, ipſum audite, qui ſanguine ſuo mundum redemit, qui viam aperit ad cælum, & per crucis ſupplicium gradus vobis aſcenſionis parat ad regnum.*

*Chriſtus hic ſuum bapt ſmum inſtituit.*

Denique valdè probabile eſt, Chriſtum hoc loco & tempore cùm baptizaretur in Iordane, hoc ipſo inſtituiſſe Sacramentum baptiſmi, eiq; dediſſe efficaciam iuſtificandi; neceſſitatem tamen eius ſuſcipiendi indixiſſe poſt mortem ſuam in Pentecoſte. B Ita diſertè docet ſanctus Thomas 3. part. quæſt. 26. articulo 2. Caietanus & ceteri eius ſectatores, ac idipſum fusè ibidem probat noſter Gabriel Vaſquez. Idem inſinuat ſanctus Auguſtinus ſermon. 37. de Tempore: *Baptizatur nouus homo*, inquit, *vt noui baptiſmatis conſtituat Sacramentum.* Patres etiam communiter docent Chriſtum ſuo baptiſmo aquas ſanctificaſſe, & eas contactu corporis eius vim regeneratiuam accepiſſe. S. Ambroſius lib. 2. in Luc. c. 31. & ſerm. 15. & 20. S. Hieron, Dialog. contra Luciferian. S. Chryſoſt. homil. 2. in Matth. Nazianzenus orat. in S. Natiuitatem, & paſſim Interpretes in hoc cap. 3. Matth. quod ita intelligendum eſt, non quod aquæ acceperint aliquam phyſicam qualitatem, ſed quia tunc illo facto ex intentione Chriſti ſunt deputatæ ad ſanctificandum, ſicut enim aliquid inſtituitur C verbis, ita etiam ſolo facto aliquid inſtitui poteſt: atque etiam tunc formam baptiſmi inſtitutam & deſignatam fuiſſe credibile eſt, per hoc quòd tota Trinitas tunc apparuit: ergo totum Sacramentum tunc fuit inſtitutum. Confirmatur, quia ſi Chriſtus verbis tunc dixiſſet: Volo vt homines baptizentur in aqua in nomine Trinitatis, omnes faterentur ipſum tunc inſtituiſſe baptiſmum; atqui hoc ipſum dixit facto; nam hoc voluit ſuo facto ſignificare. Accedit S. Chryſoſtomus homil. iam citata aſſerens, quòd ſicut Chriſtus in eadem menſa approbauit vmbram, & addidit veritatem, quando in eadem cœna comedit agnum, & inſtituit Euchariſtiam, ita in eodem flumine coniunxit vmbram & veritatem, ſcilicet baptiſmum Ioannis cum baptiſ- D mo ſuo.

*Prob. Primo.*

*Secundò.*

Probatur ſecundò, quia ſtatim initio prædicationis ſuæ Chriſtus per diſcipulos baptizabat, vt patet Ioannis 3. & 4. ergo iam baptiſmus eius erat inſtitutus. Atqui non apparet vbi commodiùs potuerit eſſe inſtitutus, quã cùm Chriſtus contactu ſanctiſſimæ carnis ſuæ aquam cõſecrauit, & Trinitatis manifeſtatione formam deſignauit.

*Tertiò.*

Tertiò, quia feſtum luminum apud Græcos ita celebratur, quaſi tunc noſtrum baptiſma fuerit inſtitutum. Vide Nazianzenum oratione in SS. luminaria. Vnde in hymno illius diei canit Eccleſia: *Hodie in Iordane lauit Chriſtus noſtra crimina.* Porrò hanc baptiſmi inſtitutionem ipſo facto à ſe factam, Chriſtus verbo explicauit & promulgauit, cùm cœpit prædicare & baptizare. Vnde Suarez tunc inſtitutum fuiſſe baptiſmum



*Non tamen obligauit ante Pentecoſten.*

mum opinatur. Denique Baptiſmus Chriſti licèt A iam inſtitutus, non tamen obligauit homines ad eum ſuſcipiendum vſque ad aduentum Spiritus ſancti in Pentecoſte: nam vſque ad illud tempus fuit in conſilio, deinceps verò fuit in præcepto. Ratio eſt, quia in Pẽtecoſte facta eſt promulgatio legis nouæ, cuius initium eſt baptiſmus. Vſque ad Pentecoſten ergo obligauit lex vetus & circumciſio, quæ tunc obligare deſijt, cùm ſucceſſit ei lex noua promulgata in Pentecoſte. Actor. 2. vti docet S. Auguſtinus epiſtol. 19. S. Thomas, & paſſim Theologi. In Pentecoſte enim omnia myſteria Chryſti & Chriſtianiſmi adimpleta fuere, vnde tunc lex noua obligare cœpit, lex vetus verò obligare deſijt vtpote quæ nouæ tantùm erat typus & figura; ſicut vmbra deſijt præſente veritate & lumine.

BIBL

# CAPVT QVARTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*DEſcribit primò quadragenarium Chriſti ieiunium in deſerto, eiuſq; triplicem à ſatana tentationem. Secundò, verſ. 13. narrat Chriſtum cœpiſſe in vrbe Capharnao prædicare regnum cælorum. Tertiò, verſ. 18. Chriſtum ad ſui ſequelam euocaſſe Petrum, Andream, Iacobum & Ioannem, multoſque ad Chriſtum ob ægritudines, quas ſanabat, confluxiſſe.*

1. TVnc Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. 2. Et
cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſurijt.
3. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.
4. Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni
verbo quod procedit de ore Dei. 5. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ci-
uitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, 6. & dixit ei: Si Filius Dei es,
mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in ma-
nibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. 7. Ait illi Ieſus rur-
ſum: Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. 8. Iterùm aſſumpſit
eum diabolus in montem excelſum valdè: & oſtendit ei omnia regna mundi, &
gloriam eorum, 9. & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.
10. Tunc dicit ei Ieſus: Vade ſatana ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum
adorabis, & illi ſoli ſeruies. 11. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli acceſ-
ſerunt, & miniſtrabant ei. 12. Cùm autem audiſſet Ieſus quòd Ioannes traditus
eſſet, ſeceſſit in Galilæam: 13. & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in
Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim 14. vt adimpleretur
quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam. 15. Terra Zabulon & terra Nephthalim,
via maris trans Iordanem, Galilæa gentium: 16. populus qui ſedebat in tenebris,
vidit lucem magnam: & ſedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.
17. Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit e-
nim regnum cælorum. 18. Ambulans autem Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos
fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in
mare (erant enim piſcatores:) & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſca-
tores hominum. 20. At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. 21. Et
procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius
in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocauit eos. 22. Illi
autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum. 23. Et circuibat Ieſus to-
tam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni: & ſanans
omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. 24. Et abijt opinio eius in
totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus & tormen-
tis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit
eos: 25. & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hiero-
ſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

**VERS. 1.** Luc. 4. 1. Mar. 1. 12.

TVNC IESVS DVCTVS EST IN DESERTVM A SPIRITV, VT TENTARETVR A DIABOLO] Syrus, *ab accuſatore*: διάβολος enim Græcis idem eſt, quòd *accuſator, calumniator*, qualis maximè eſt ſatanas, qui homines perpetim accuſat apud Deum, vt eos ſibi ſuæque poteſtati B addicat in gehenna.

TVNC] ſcilicet illicò à baptiſmo Chriſti. Vnde Marcus c. 1. 12. ait: *Et ſtatim ſpiritus expulit eum in deſertum.* Et Lucas cap. 4. v. 1. *Ieſus autem plenus Spiritu ſancto, regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à ſpiritu in deſertum.* Vnde videtur, quòd Chri-

*Chriſtus cœpit ieiunium die 6. Ianuarij.* ſtus eadem die ſexta Ianuarij, qua baptizatus eſt actus ſit à ſpiritu in deſertum, eademque die finiente, & ſeptima inchoante, inchoarit ieiunium 40. dierum, ideoque illud finierit die 15. Februarij. Celerrimus enim ad omne opus bonum eſt Spiritus ſanctus, æquè ac Chriſtus.

DVCTVS EST] Græcè ἀνήχθη, id eſt, ſubductus & è medio ſublatus eſt, vt ſcilicet è populi turba, cum qua hactenus conuerſatus erat, ſecederet in deſertum, ibique orationi & ieiunio vacans, ſanctitatis famam ſibi apud populum pareret, ac maiori auctoritate prædicare inciperet, æquè ac fecerat eius prodromus & præcurſor Ioannes Baptiſt. Marcus habet: *Expulit eum ſpiritus*: vbi vox *expulit* ſignificat vim, efficaciam, & alacritatem Spiritus, quæ erat in Chriſto, ac futura erat in Apoſtolis, ceteriſque Chriſtianis, quos poſſeſſurus, & ad heroica virtutum opera acturus erat Spiritus ſanctus, iuxta illud Roman. 8. 14. *Qui Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Ita ſanctus Hieronymus, ſanctus Hilarius, & Auctor imperfecti: *Ductus* ergo eſt Chriſtus à Spiritu, non per aëra raptus, ſed pedibus ſuis alacerrimè impulſu Spiritus contendens ad ſtadium luctæ, cum ſatana in deſerto ineundæ. Deſertum enim Chriſto fuit orationis, ieiunij, & vitæ Angelicæ paleſtra, ibique duellum inijt cum Lucifero, eumque proſtrauit. Vide ſanctum Baſilium de Laudibus eremi, & ea quæ annotaui Oſee 2. verſ. 14. ad illa: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.*

*In deſerto Quarantanæ.* IN DESERTVM] Deſertum hoc vocatur Quarantana, quod ita ex Bredembachio, Brocardo & Saligniaco deſcribit Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ, pag. 19. num. 97. *Quarantana deſertum inter Ieruſalem & Ierichoincipit iuxta Anathot, & extenditur ſupra Galgala vſque ad deſertum Thecuæ & Engaddi, iuxta mare mortuum. Hîc commoratus eſt S. Ioannes Baptiſta, inibiq́; in eius memoriam extructa fuit Eccleſia & monaſterium, quod Græci monachi inhabitant, ſed temporibus Bredembachij erat deſolatum. Ibi venientem ad ſe, vt baptizaretur, Chriſtum digito demonſtrauit Ioannes, dicens: Ecce Agnus Dei. In hoc Chriſtus ieiunauit 40. diebus & 40. noctibus, agens & habitans cum beſtijs.* In hoc deſerto iuxta Iordanem, eiuſdem nominis eſt. *Quarantana, mons altus & aſcenſu difficilis, in quo tentatus eſt primùm Dominus a ſatana. In huius montis cacumine ſacellum eſt ruinoſum, ieiunio & oratione Chriſti venerabile.*

Tropologicè audi ſanctum Ambroſium lib. 3. de Virgin. *Et nos igitur*, inquit, *procul à luxuria, procul à laſciuia, tamquam in arido vitæ iſtius ac ieiuno ſolo, fugitantem deliciarum Chriſtum ſequamur. Non in foro, non in plateis Chriſtus reperitur. Nequaquam igitur quæramus Chriſtum, vbi inuenire non poſſumus. Non eſt Chriſtus circumforaneus. Chriſtus enim eſt pax; in foro lites: Chriſtus iuſtitia eſt; in foro iniquitas: Chriſtus operator eſt; in foro inane otium: Chriſtus charitas eſt; in foro obtrectatio: Chriſtus fides eſt; in foro fraus & perfidia. Chriſtus in Eccleſia eſt; in foro idola.* &c.

A SPIRITV] Non à diabolo, ſed à Spiritu ſancto: hic enim præceſſit cap. præcedenti. v. penultimo, vbi dicitur de Ieſu: *Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Hic ergo Dei Spiritus fuit poſſeſſor & auriga Chriſti, agens eum in deſertum. Vnde Syrus vertit: *A ſpiritu ſanctitatis*, id eſt, à Spiritu ſancto, qui eſt ſanctiſſimus & fons omnis ſanctitatis, idque patet ex articulo Greco τοῦ πνεύματος, q. d. *illius Spiritus*, ſcilicet magni, primi, ſummi & diuini: & quia hic Spiritus opponitur diabolo, qui ſequitur quaſi antagoniſta Chriſti & Spiritus ſancti, *vt illuc eum Spiritus ſuus duceret, vbi eum ad tentandum ſpiritus malignus inueniret*, ait ſanctus Gregorius homil. 16. in Euangel. Denique vox *Spiritus*, cùm abſolutè ponitur, ſignificat Spiritum ſanctum, vt notauit ex Didymo magiſtro ſuo ſanctus Hieronymus.

VT TENTARETVR A DIABOLO.] Vox *vt* non ſignificat Spiritum ſanctum directè intendiſſe tentationem diaboli intentandam Chriſto, hoc enim malum & peruerſum eſt, ſed intendiſſe dumtaxat tentationem hanc permittere, ob fructum & victoriam Chriſti, quam certò ope ſua futuram præuidebat, ideoque Chriſtum diabolo tẽtationem hanc optanti obieciſſe, & quaſi athletam ad duellum eidem compoſuiſſe & oppoſuiſſe.

*Cur Chriſtus tentatus. Reſp. Primò.* Primò ergo Spiritus ſanctus hoc facto intendit, vt Chriſtus illico à baptiſmo tentatus, Chriſtianis iam baptizatis & ad Deum conuerſis vitæ daret ideam, qua diſcerent tentationibus ſtatim occurſantibus reſiſtere, & contra eas ſe communire. Idem ſanctus Chryſoſtomus & Hilarius: vnde Tertullianus libro de Baptiſmo cap. vltim. docet hîc ſignificatum eſſe, neminem intentatum regnum Dei conſecuturum: ac ſimul oſtenſum eſt, quis ſit artifex & faber tentationum omnium, vt ait idem libr. de Orat. cap. 8.

*Secundò.* Secundò, vt nullam tentationem eſſe inſuperabilem oſtenderet, ſed omnes vinci gratia à ſe aſpirata, oratione, ieiunio, verbis S. Scripturæ, præceptorum & promiſſionum Dei meditatione, ac conſtantia, fortitudine & fiducia in Deum ſuo exemplo demonſtraret. Vide dicta Eccleſiaſtici cap. 2. verſ. 1. & ſeq. vbi multa hac de re annotaui.

*Tertiò.* Tertiò, vt Chriſtus ceteris hominibus, qui crebrò à ſatana tentantur, quaſi fratribus ſimilem ſe præberet & exhiberet, vti docet Apoſtolus, Hebr. 4. 15.

*Quartò.* Quartò, vt futuros in Eccleſia Doctores, prædicatores, præſides, Apoſtolos primò tentationibus probari, ac oratione & meditatione in ſolitario ſeceſſu firmari oportere, illoque ſpiritum ingentem à Deo haurire, quem deinde in alios effundant, oſtenderet. Qui ergo ſapiunt, priùs cum Chriſto in deſertum hoc orationis & meditationis ſecedunt, in eoque cum Deo conuerſantes ad munus prædicationis, gubernationis & Apoſtolatus ſe diſponunt & præparant.

*Quintò.* Quintò, vt Luciferum ad duellum prouocans ſuperaret, & conſequenter totum eius dæmonum exercitum. Porrò duellum hoc Chriſti & diaboli, ſimile eſt duello ſolis cum nubibus eum cingentibus, cum hoc lemmate: *Splendor ex me.* *Solis etymon.* Sol enim (ita dictus, quòd ſolus ſit in mundo) eſt *oculus mundi*, ait S. Ambroſius in Hexam. die 4. *iucunditas diei, pulchritudo cæli, menſura temporum, virtus & vigor omnium ſtellarum.* Sic eſt & Chriſtus. Sicut ergo ſol nubes diſſipat, ſic & Chriſtus omnes diaboli tentationes. Rurſum ſicut ſol nubes



nubes atras illuſtrans facit ſplendidas; ſic Chriſtus ſplendore gratiæ ſuæ deſolationes in conſolationes, tentationes in victorias, prælium in triumphum conuertit.

Sextò, vt ſua tentatione & exemplo noſtras tentationes vinceret, & cum eodem hoſte & antagoniſta ſuo ſatana pugnare & vincere doceret; atque ad id gratiam & fortitudinem nobis promereretur. Licèt enim fideles infirmitatis ſuæ conſcij, declinare debeant tentationes quoad poſſunt, iuxta id quod Chriſtus orare nos docuit: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*: Matth. 6. tamen cùm illæ ingruunt, generosè & animosè nixi Chriſto illis reſiſtant neceſſe eſt; iuxta id quod Chriſtus ait: *Confidite; ego vici mundum*, Ioan. 16. 33. Vnde S. Auguſtinus in pſal. 90. p. 2. *Ideo*, ait, *tentatus eſt Chriſtus, ne vincatur à tentatore Chriſtianus*: Sed, vt idem ait in pſal. 60. *vt illo vincente, nos quoque vinceremus.* Nam vt ait S. Ambroſius in c. 4. Lucæ: *Quando tentaris, cognoſce quia paratur corona. Tolle martyrum certamina; tuliſti coronas: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines. Nónne tentatio Ioſeph virtutis eſt celebratio? Nónne iniuria carceris, corona eſt caſtitatis?*

Nota: Lucas cap. 4. v. 1. ait: *Agebatur à Spiritu in deſertum diebus quadraginta & tentabatur*, græcè πειραζόμενος, id eſt tentationem patiens, *à diabolo*: ex quo nonnulli colligunt, Chriſtum præter tres diaboli tentationes ab Euangeliſtis recenſitas, plures alias per hos 40. dies paſſum fuiſſe, æquè ac poſt hos 40. dies, à ſatana: Vnde ſubijcit Lucas v. 13. *Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo vſque ad tempus.* Ita cenſent Euthymius, Auctor imperfecti, Iaſenius, & Caietanus hîc, Origenes hom. 29. in Lucam, Beda, lib. 1. in Marc. cap. 5. Euſebius l. 9. Demonſtrat. c. 7. S. Aug. lib. 2. de Conſenſu Euang. c. 4.

Videtur tamen Lucas per τὸ πειραζόμενος, id eſt, *tentatus* vel *tentationem patiens*, potiſſimè reſpicere ad tres celebres Chriſti tentationes, quas deinde recẽſet: vnde noſter vertit in imperfecto: *tentabatur*: per hoc enim videtur Lucas ſummarium quaſi capitis & tentationum Chriſti, quas ſtatuit paulò pòſt enarrare, per anticipationem aſſignare & præmittere voluiſſe, vti rectè aduertit Franc. Suarez 3. p. q. 40.

*Lucifer tentauit Chriſtum.* *A diabolo*, putà à Lucifero: hic enim omnium dæmonum princeps antonomaſticè vocatur diabolus: & cum hoc congredi par erat Chriſtum, ſicut cum eo congreſſus fuit in cælo, cùm eum vnionem hypoſtaticam ambientem, illamque ſibi homini futuro inuidentem, deiecit in tartara, vti nonnulli cenſent. Lucifer ergo tunc ex inferno egreſſus eſt, & aſſumptâ hominis (ſancti, ait Carthuſianus) formâ, Chriſtum tentauit, tum vt exploraret, an ipſe eſſet Filius Dei proprius & naturalis, tum vt eum tentaret, id eſt, ad peccatum alliceret. Sic diabolus ſignificat Luciferum principem dæmonum. Matth 15. 41. cùm dicitur: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.* Et Apocal. 12. 9. *Et proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas*, &c. *Et Adamũ.* Sicut ergo Lucifer per Euam tentauit Adamum & vicit; ſic & tentauit Chriſtum, ſed ab eo victus eſt. Moraliter hîc docemur diabolum, cùm præſagit aliquem fore eximium Eccleſiæ Doctorem aut Præſulem, ſolere eum varijs tentationibus aggredi, vt eum deijciat & fructum animarum, quem ipſum facturum præuidet, elidat, ac in ipſo quaſi ſemine ſuffocet, ita hic dæmon Chriſtianos omnes in Chriſto quaſi ſemine, & parente ſuffocare conatus eſt.

ET CVM IEIVNASSET QVADRAGINTA DIEBVS ET QVADRAGINTA NOCTIBVS POSTEA ESVRIIT] Nota; Chriſtus inſtar Moyſis & Eliæ integros 40. dies & noctes ſine vllo cibo vel potu (vnde Lucas. c. 4. 2. ait: *Et nihil manducauit illis diebus*) ieiunauit virtute non naturali, ſed ſupernaturali, non extrinſecus accepta, vti Elias & Moyſes, ſed ſibi propria & intrinſeca, putà diuina; vti paſſim docent Patres. VERS. 2. Luc. 4. v. 2. Mar. 1. v. 13.

*Cauſa ieiunij Chriſti. Prima.* Quæres, quas ob cauſas id fecit? Reſpondetur: Prima fuit, vt oratione & ieiunio ad inſtantem prædicationem & munus docendi ſe præpararet, idemque nos facere doceret.

*Secunda.* Secunda; vt ieiunio per conſequentem eſuriem obiectiuè daret occaſionem diabolo ſe tentandi, & eodem contra tentationes inſtantes ſe armaret, & nos armare moneret. Ita S. Baſilius hom. 1. de Ieiunio.

*Tertia.* Tertia; vt ieiunio carnem macerans, ſatiſfaceret pro Adæ pomum vetitum comedentis, omniumque eius poſterorum gula & delicijs illicitis.

*Quarta.* Quarta, vt ieiunio ad contemplationem, cui vacauit per 40. dies in deſerto, ſe diſponeret, vtque oſtenderet ieiunium eſſe inſtar alarum, quibus anima ſurſum fertur & ad cęleſtia contendit, ait S. Chryſoſtomus hom. 1. in Geneſim.

*Quinta.* Quinta, vt nos doceret propter ſpirituales delectationes, corporales ſpernere; ad hæc per rerum diuinarum contemplationem & gaudiũ, quod ex ea naſcitur, appetitum voluptatum carnalium extingui, ac memoriam cibi & potus auferri. Vnde Ioannes Abbas, teſte Caſſiano Collat. 16. cap. 4. ita delicijs contemplationis paſcebatur, vt non recordaretur, an pridie comediſſet, nec ne.

*Sexta.* Sexta, & potior, magiſque præciſa cauſa fuit, vt quadrageſimale ieiunium Chriſtianis ex Apoſtolica traditione ſeruandum, inchoaret, & ſuo exemplo ſanciret & quaſi cõſecraret. Ita ſanctus Ignatius epiſtol. 7. & paſſim alij Patres: Ratio fuit

*Cauſa ieiunij Quadrageſimæ. Prima.* Prima, vt per hoc ieiunium quaſi decimas dierum totius anni Deo dependeremus. Ita ſanctus Gregorius hom. 16. in Euang. *A præſenti die*, inquit, *vſque ad Paſchalis ſolemnitatis gaudia ſex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus dum ſex dies Domini abſtinẽtiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia quàm triginta, & ſex dies remanent. Dum verò per trecentos & ſexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & ſex dies affligimur, quaſi anni noſtri decimas Deo damus vt qui nobiſmetipſis per acceptum munus viximus, auctori noſtro nos in eius decimis per abſtinentiam mortificemus. Vnde fratres chariſſimi, ſicut offerre ex lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum*, &c.

*Secunda.* Alteram dat S. Ambroſius de Quadrageſima ſerm. 34. vt ſicut Hebræi per 42. manſiones ſiue ſtationes in deſerto ingreſſi ſunt terram promiſſam, ita & nos per 40. ieiunij dies ad optatum Paſchatis feſtum gaudiumque perueniamus; qua de cauſa Tertullianus, Cyprianus, S. Ambroſius epiſt. 25. Veter. edit. & alij ieiuniũ vocant *ſtationem*. Plura vide apud Petrum Bon-

*Vrſæ quadragenarium ieiunium.*

gum de Numerorum myſterijs in numero 40. A vbi inter cetera ait: Vrſa fœta dies 14. teſte Ariſt. lib. 6. Hiſtor. anim. c. 30. & lib. 8. cap. 17. immobilis manet, ſine cibo verò diebus quadraginta, tantùm pedis dextri linctu ſe ſuſtentans: hoc remedio vtitur in morbo inteſtinorum. Serpens item, cuius prudentiam nos imitari mandat Ieſus in Euangelio, quando ſenuerit, perdit aſpectum, & ſi voluerit redire ad iuuentutem ieiunat quadraginta diebus, vt laxetur pellis eius, & ſic anguſtum foramen inquirit, vt dum nititur exire inde, pellem ſenectutis deponat. Quid autem eſt vetuſta ſerpentis pellis, niſi praua & vetus conſuetudo carnalis corruptionis? quam ſi quis appetit deponere illum oportet carnem ſuam ieiunio quadrageſimali caſtigare. Ita S. Hieronymus ad Præſid. de ratione cerei Paſchalis. Addit Bõgus 40. diebus terminari morbos chronicos, B febres enim 40. die ſolent ceſſare, peſtis luſtratione 40. dierum expiatur, ſimiliter fit in ceteris morbis.

*Et ſerpentis.*

*Numerus 40. ſanus & ſanctus.*

Adde ieiunium hoc ante Paſcha in vere inſtitutum non tantùm ſanctitati animæ, ſed & ſanitati corporis conferre, vti doctè oſtendit D. Viringus Medicinæ Profeſſor Louan. in lib. de Ieiunio Medico Eccleſ. in vere enim ebullit ſanguis & humores ceteri, qui febres alioſque morbos procreabunt, niſi ieiunij abſtinentia & piſcium frigore reſtinguantur.

*Symbolicè.*

Symbolicè S. Gregorius homil. 16. in Euang. *In hoc*, inquit, *mortali corpore ex quatuor elementis ſubſiſtimus, & per voluptates eiuſdem corporis præceptis Dominicis contraimus. Præcepta autem Dominica per decalogum ſunt accepta. Quia ergo per carnis deſideria decalogi mandata contempſimus, dignum eſt vt eamdem carnem quater decies affligamus.*

*Myſticè.*

Myſticè, S. Auguſtinus in pſalm. 110. ſub initium, & alij docent quadragenarium ieiunij numerum ſignificare totum præſentis vitæ tempus, pœnitentiæ & peccatorum expiationi à Deo deſtinatum, quo peruenimus, ad Paſcha lætæ reſurrectionis, & ad Pentecoſten ſiue quinquagenarium æternæ mercedis & gloriæ.

*Exempla ieiunij.*

*In veteribus Chriſtianis.*

Porrò quàm veteres Chriſtiani, Chriſti exemplum imitati, in hoc ieiunio ſeruando fuerint rigidi, docet Baronius anno Chriſti 57. c. 153. & ſeq. Vnde Lucianus in Philopatro teſtatur veteres Chriſtianos ſic ſolitos ſeruare ieiunium, vt decem ſoles ſine cibo transſigerent. Amplius eſt quod ſcribit S. Gregor. Nazianz. ad Helleniũm de Monachis in Pontica ſolitudine degentibus, D cõplures ex ijs fuiſſe, qui totos vinginti dies, totidemque noctes à cibo abſtinerent, dimidia ex parte Chriſti ieiunium imitantes, ex eiſque vnum ſui gregis ouem fuiſſe teſtatur. Et S. Auguſtinus ad Caſulanum ſcribit epiſtol. 86. nonnullos ſuo tempore repertos eſſe, qui vltra hebdomadam perpetuum ſeruaſſent ieiunium, eoſque ſe nouiſſe tradit, atque addit: *Ad ipſum quadragenarium numerum perueniſſe quemdam, à fratribus fide dignis nobis aſſeueratum eſt.*

*In Simeone Stylita.*

Sanè Magnus ille Simeon Stylites, qui 49. vel vt Baron. 80. annis ſub dio perdius & pernox ſtetit in columna, quadrageſimã quotannis tranſigebat totam ſine vllo cibo & potu, idque fecit per 28. annos, vti Theodor. in Philotheo ca. 26. alijq; in eius vita teſtantur, fecit hoc virtute non naturali, ſed ſupernaturali, Dei ope & gratia, A per quàm ipſe extitit orbis portentum & vitæ prodigium. Idem nonnulli alij anachoretæ & ſancti fecêre.

Postea esvriit] Ergo antea per totos 40. dies ieiunans non eſurierat. Vnde ſententiam Caietani, cenſentis Chriſtum etiam tum eſurijſſe, temerariam eſſe cenſet Suarez 3 p. qu. 41. art. 4. diſput. 29. ſect. 2. Mitius ac proinde probabilius Franc. Lucas opinatur, Chriſtum illis 40. diebus ieiunij aliquam quidem famem ſenſiſſe, ad maius ieiunij meritum & ad aliorum, qui in ieiunio famem patiuntur, exemplum, ſed non tantam, quantam poſt 40. dies, quæ ſcilicet eum incitaret ad quærendum cibum. Fuit ergo Chriſto, æquè ac Moyſi & Eliæ per 40. ieiunij dies tam animæ, quàm corporis pabulum & cibus, oratio, & cum Deo colloquium: illi enim dum toti intendunt, B illius ſuauitate & efficacia ita paſti ſunt, vt famem non ſentirent,

*Oratio, cibus.*

*Chriſti ieiunium fuit ſupernaturale.*

Quæres, an per naturæ vires potuerit Chriſtus viuere 40. dies ſine cibo & potu, ac ſine eſurie?

*Ratio à priori.*

Dico Primò, per naturæ vires id fieri non potuiſſe: id docent Medici & experientia. Experimur enim eos, qui non tantùm 40. ſed paucioribus diebus cibo abſtinent, fame emori. Ratio à priori eſt, quia deficiente alimento, calor naturalis languet & emoritur; ſicut ignis lucernæ, deficiente oleo languet & extinguitur. Corpus quoque ita deſiccatum ineptum eſt, vt anima illud informet, & animales operationes per illas exerceat: hæ enim certam humorum & quatuor primarum qualitatum temperiem, quod vulgo vocant *temperamentum*, requirunt: eo ergo deficiente, deficit pariter vita & anima in corpore. Vnde C Franciſcus Valleſius Philippi Secundi Hiſpaniarum regis Medicus, Sacræ Philoſophiæ cap. 18. ex Hippocrate docet, hominem naturaliter non poſſe ſine cibo vltra ſeptem dies viuere, ideoque Danieli in lacu leonum ſine cibo per ſex dies degenti, ſeptimo die à Deo miſſum eſſe alimentum per Habacuc, ne fame interiret, Daniel. 14. 30. Cauſam dat Hippocrates lib. de Carnibus, quòd inteſtinum humore chiloſo vacans, concreſcat, indeque homo emoriatur. Intellige hoc in corpore ſano & boni temperamenti; nam aliqui ægroti vel mali temperamẽti, v. g. in quibus abundat lentum & viſcoſum phlegma, ac calor naturalis eſt debilis, per plures dies ſine cibo viuere & durare poſſunt; nutriuntur enim ex corporis ſucco & phlegmate, quod calor lentus lentè depaſcitur; imò in quibuſdam animalibus per plu- D res menſes, vt vrſis, qui per hyemem non comedunt, teſte Ariſtotele de Hiſtor. anim. c. 17. (item in nonnullis ægrotis ſubinde calor naturalis ita ſopitus eſt, vt vis nutritiua quaſi dormire videatur.) Idem de apibus, gliribus, hirundinibus docet ibidem Ariſtoteles c. 14. & 16. ac de ſerpentibus cap. 15. *Sanguinei generis*, ait, *multa ſe condunt, vt ea quæ intecta cortice ſunt, ſerpentes dico, lacertas, ſtelliones, crocodillos fluuiatiles. Menſibus quatuor frigidiſsimis hæc latent: nec per id tempus quidquam comedunt.* Verùm in Chriſto nil tale fuit: habuit enim ipſe corpus optimæ complexionis & ſummè tẽperatũ, ac proinde potiùs ſanguineus erat quàm phlegmaticus, ideoque ſine cibo per 40. dies naturaliter durare non poterat.

*Vrſi, apes, glires, &c. in hyeme nõ comedunt.*

*Multi per annos ſine cibo vixerunt.*

Dices. Plinius lib. 7. cap. 2. ait, Indos ad Gangis fontes ex ſolo halitu & odore pomorum & florum



florum viuere. Rondeletius quoque lib. 1. de Piſcibus cap. 13. refert quemdam ex aëris reſpiratione vixiſſe per 40. annos. Robertus Bacconius narrat Anglicanam puellam 20. annis ſimili modo vitam tranſegiſſe. Spirenſem puellam anno Domini 1540. quatuor annis ieiunam vixiſſe, tradit Simon Portius libr. de Puella German. Idemque feciſſe ſacerdotem quemdam Gallum Romæ per biennium ſub Nicolao V. Verùm priora illa, præſertim quòd aliqui ex ſolo odore vixerint aut viuant, fabuloſa ſunt, odor enim cerebrum reficit, ſed ſtomachum non implet. Cetera facta ſunt vel vi diuina vel arte diabolica, cuius mirum in Arabica puella exemplum refert B. Proſper in dimidio temporis cap. 6. Spirenſis illa puella laborabat lento, viſcoſo & chiloſo phlegmate, indeque victitauit; ſicut Indi herbam cocam, & Scythæ herbam Hippicen ore geſtantes, B duodenos dies durant in fame & ſiti. Vide Delrio lib. 2. Diſquiſ. Magic. quæſt. 21. ſub finem, & Conimbricenſes in lib. 1. de Generat. c. 5. qu. 7. art. 1. & 2.

*Quomodo?*

Dico Secundò. Vehemens & longa animi ad alia attentio, qualis eſt in continua ſpeculatione Mathematica, Philoſophica Theologica, item in intenſa meditatione, contemplatione, extaſi, poteſt quidem aliquamdiu hominem ſine cibo conſeruare, ſed non per 40. dies. Ratio eſt, quòd per profundam ſpeculationem & contemplationem actio caloris naturalis ex parte ſuſpendatur, ita vt modicè & lentè digerat. Anima enim cùm ferè omnes ſuas vires exerat in ſpeculationem vel contemplationem, parum habet reſidui, quod conferat in concoctionem & nutritionem. Vn- C de experimur in ſtudioſis & contemplatiuis cibi digeſtionem impediri. Idem liquet ex pulmonum reſpiratione, quæ in profunda extaſi non ſentitur. Sed hæc durare nequeunt per 40. dies, ſemper enim calor naturalis agit. Quare in Chriſto ſola contemplatio non potuiſſet efficere, vt per 40. dies ſine cibo viueret. Contemplatio enim & attentio ad cæleſtia ſuſpendere quidem poteſt actiones vitales & animales, at non naturales, qualis eſt actio caloris in cibum vel carnem, ita vt nihil prorſus in illum agat. Ita Suarez loco citato. Accedit & alia potior ratio, ſcilicet quòd in ſpeculatione & contemplatione ſpiritus animales conſumuntur; nec aliundè quàm cibo reparantur: quare ſine cibo ſpeculans & cõtemplans naturaliter virium defectu tandem collabitur, & moritur.

*Contemplatio eget cibo ob ſpiritus quos conſumit.*

Dico Tertiò: Ieiunium Chriſti, Eliæ, Moyſis, Simeonis Stylitæ & ſimilium per 40. dies fuit ſupernaturale, ex ſingulari Dei concurſu profectum. Deus enim in eis vel actionem caloris naturalis planè ad 40. dies ſuſpendit, vel interiùs eos refecit & corroborauit, vel alio modo eis prouidit, vt ſani vegetique ſine cibo viuerent per 40. dies, vti etiamnum efficit, vt Elias & Enoch per tot annorum millia fortes & validi ſine cibo degant in paradiſo terreſtri, nec niſi ſpiritualibus orationis & contemplationis delicijs paſcantur. Chriſtus ergo per 40. dies ieiunans: non eſurijt, quia eius diuinitas corpus ſine eſurie robuſtum conſeruabat, ac ſuſpendebat actionem caloris naturalis, aliarumque contrariarum qualitatum in ſe mutuò agentium, ſeſeq; inuicem debilitantium & corrumpentium, atque interiùs capiti & A cerebro vires ſpirituſque animales ſuggerebat, ad contemplationem 40. dierum neceſſarios. Ita Origenes, Hilarius, S. Hieronymus, Chryſoſtomus, & ex ijs Suarez loco citato.

*Cur Chriſtus eſurijt Cauſa Prima.*

Esvriit] Cùm Deus priùs impediens eſuriem per 40. ieiunij dies ſuo concurſu eum ſubduxit, & corpus Chriſti ſuæ actioni & paſſioni permiſit, idque his de cauſis. Prima, vt Chriſtus ſe verum eſſe hominem declararet. Nam, vt ait Chryſologus ſerm. 11. *Eſuriem ſentire & vincere eſt laboris humani, diuinæ virtutis eſt eſuriem non habere.* Secunda, vt ſua eſurie diabolum ad ſe de gula tẽtandum obiectiuè alliceret, & ſuperaret, ſicut duces militum ſimulando fugam, hoſtes alliciunt ad ſe inſequendum, vt eos deinde proſternant & proterant; *vt fames Domini pia fraus eſſet diaboli*, ait S. Ambroſius in c. 4. Lucæ, vt ſcilicet famis ſpecie B lactatus diabolus Chriſtum tẽtaret, quaſi hominem, neſciens eſſe Deum: *Eſurijt*, ait quidem vir ſanctus, *humilis Deus homo, ne inimico innoteſceret ſublimis homo Deus.*

*Secunda.*

Et accedens tentator. dixit ei: Si Filivs Dei es, dic vt lapides isti panes fiant] *Accedens*, aſſumpta ſcilicet humani corporis forma quaſi homo ad hominem, vt eum externa voce alloquendo tentaret. Nam hæc tentatio Chriſti ſicut & Adami per Euam in ſtatu innocentiæ, facta eſt per externam tantùm vocis ſuggeſtionem, non autem per internas phantaſiæ cogitationes & commotiones, contra rationem & ſpiritum inſurgentes. In Adamo enim, & multò magis in Chriſto erat iuſtitia originalis, quæ omnes motus animæ & phantaſiæ rationi C ſubijciebat, vt in eo nulla illicita cogitatio, nullus concupiſcentiæ motus â diabolo ſuſcitari poſſet, vti ſuſcitatur iam in nobis poſt Adæ peccatum; quia ob illud perdidimus iuſtitiam originalem, & laboramus concupiſcentia. Ita Damaſcenus lib. 3. de Fide c. 20. & ex eo paſſim Theologi. Vnde S. Gregorius hom. 16. *Tentari*, ait, *per ſuggeſtionem potuit, ſed eius mentem peccati delectatio non momordit: atque ideo omnis illa diabolica tentatio foris, non intus fuit.*

*Vers. 3. Luc. 4. 3.*

Tentator.] Diabolus, qui antonomaſticè vocatur *tentator*, quia inter tentatores eſt non ſolus, ſed primus & præcipuus. Errant enim qui omnem tentationem à diabolo ſuſcitari autumant. Nam nonnullæ tentationes oriuntur & ſuggeruntur à propria carne & concupiſcentia, D aliæ à mundo, id eſt, ab hominibus mundanis & carnalibus. Vnde S. Auguſtinus vel quiſquis eſt Auctor lib. de Eccl. dogmat. cap. 82. *Non omnes*, inquit, *malæ cogitationes noſtræ ſemper malo dæmonis inſtinctu excitantur, ſed aliquoties ex noſtri arbitrij motu emergunt.* Idem docet Chryſoſtom. hom. 54. in Acta, *Multi*, inquit, *abſque diabolo peccant; non omnia ipſe efficit, ſed multa etiam fiunt à ſola noſtra ignauia.* Diabolus tamen ſæpe ſuſcitat in nobis concupiſcentiam, eiuſque tentationes, obiecta concupiſcibilia phantaſiæ repræſentando, & appetitum ſenſualem ad ea concupiſcendum inflammando. Idem ſuſcitat mundum, id eſt mundanos & animales homines, vt nos tentent vel perſequendo, vel ad ſuas vanitates alliciendo: vnde κατ' ἐξοχὴν vocatur *tentator*. Rurſum nota hîc aſtutiam diaboli, qua quemlibet tentat ea in re, ad quàm propẽdet, vel in qua debilis eſt. Sicut enim aucupes auibus, & venatores feris varijs varias, & cuique

*Error eſt, omnem tentationem oriri à diabolo.*

*Diabolus quaſi auceps cuique ſuam eſcã obijcit.*

cuique proprias eſcas obijciunt, vt eas capiant. Sic & diabolus pronis ad gulam, vel eſurientibus obijcit delicias & eſcas, vti obijcit hîc Chriſto: ſaturis verò obijcit otium, ſomnum & pigritiam: ſuperbis obijcit honores: iracundis lites & rixas: auaris vſuras, prædas, fraudes, iniquos cõtractus, &c. curioſis obijcit magiam, incantationem, ſuperſtitiones, &c. Ita S. Gregorius libr. 14. Moral. c. 7. Vide eumdem lib. 3. c. 19. Denique hæc tentatio Chriſti contigit die 16. Februarij anno Chriſti 31. Ieiunium enim 40. dierum inchoatum die ſexta Ianuarij finiente & ſeptima inchoante, finijt die 15. Februarij, ac mox, putà 16. Februarij, à ſatana tentatus eſt gula, ceteriſque duabus tentationibus. Vide Chronotaxin, quam Commentario præpoſui.

Si filivs Dei es] Audierat diabolus Patris oraculum in baptiſmo Chriſti: *Hic eſt Filius meus dilectus:* audierat quoque Ioannis Baptiſtæ teſtimonium, quòd Chriſtus eſſet Filius Dei, ſed quia alia ex parte eum videbat hominẽ quaſi plebeium, pauperem, imbecillum & alijs ſimilem, idcircò dubitans, an Chriſtus eſſet Filius Dei naturalis, ipſumque Patris Verbum; an verò dumtaxat adoptiuus, ſed per excellentiam; vt hoc dubium reſoluat tentat Chriſtum, petitque vt lapides in panes conuertat, quibus eſuriem ſuam leuet, vt ex hoc miraculo vel miraculi impotentia alterutrum cognoſcat. Verbo enim Dei, vti omnia tantùm dicendo olim creata ſunt, Geneſ. 1. ſic & eodem iam lapides ſubitò & immediatè in panes verti poterant. Si ergo Chriſtus id feciſſet, crediſſet diabolus ipſum eſſe Dei Verbũ & filium. Angeli enim poſſunt quidem lapides in panes vertere, at non ſubitò & immediatè, ſed ſenſim & mediatè, applicando actiua paſſiuis per multas præuias actiones, alterationes & conuerſiones; Sin id non feciſſet Chriſtus, dixiſſetque ſe facere non poſſe; hocque eſſe opus diuinum & Deo proprium, intuliſſet diabolus: Ergo tu non es Dei Verbum, nec filius naturalis. Probabilis eſt multorum Theologorum ſententia, Luciferi peccatum & ſuperbiam in cælo fuiſſe, quòd, cùm Deus illi reuelaret filium Dei aſſumpturum humanam naturam, iuberetque vt Chriſto homini ſe ſubderet, inuideret Chriſto, quòd ſcilicet homo ſibi, qui erat nobiliſſimus Angelus, præferretur & aſſumeretur ad vnionem hypoſtaticam cum Verbo: quare illam ſibi ambiuerit, ideoq; contra Chriſtum & Deum rebellarit. Quocirca videns hunc hominem à Patre, & Ioanne Baptiſta vocari Filium Dei, voluit explorare, an eſſet verus Dei Filius, vt in eum priſtinam ſuam inuidiam, iram & indignationem effunderet. Ita Suarez. Hæc fuit illi crux, angens & rodens ſuperbum eius animum: ſed illam celat, & velat tegumento charitatis, quòd velit per panes ſuccurrere fami Chriſti. Quare veriſimile eſt, diabolum non crudè & quaſi ex abrupto Chriſto dixiſſe: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant,* ſed priùs humaniter eum ſalutaſſe: eique per verba blanda ſe inſinuaſſe, dicendo, v.g. *Quid hic mi Domine, agis ſolus?* Quid rerum meditaris? Vidi te in Iordane à Ioanne baptizari. Audiui vocem è cælo in te delapſam: *Hic eſt Filius meus:* optarem ſcire an verè ſis Filius Dei per naturam, an tantùm adoptiuus per gratiam, &c. Video quoque te ex ieiunio 40. dierum oppidò eſurire. Si ergo Filius Dei es, ſuccurre fami tuæ, & lapides iſtos in panes conuerte: Hoc enim tibi perfacile erit. Quare minus veriſimile eſt quod ſanctus Chryſoſtomus hîc homil. 13. ait, diabolum voluiſſe Chriſtum inducere in incredulitatem, q.d. Audiſti in baptiſmo vocem: *Hic eſt Filius meus:* ne credas te eſſe Filium Dei; aut ſi es, lapides hos in panes conuerte: ſtultum enim fuiſſet velle perſuadere Chriſto, ne crederet ſe eſſe Filium Dei, ſi reuera eſſet Filius Dei, talemque ſe eſſe ſciebat. Simul tamen hac tentatione voluit diabolus Chriſtum allicere ad vanam potentiæ ſuę oſtentationem, & ad diffidentiam opis Dei Patris, q.d. Pater tuus per 40. dies tui oblitus eſt, nec tibi cibum ſubmiſit: tu ergo tibi ipſi conſule, & lapides in panes commuta. Idem ad gulam, qua etiam tentauit Adamum & Euam. Peccatum enim gulæ fuiſſet hîc, etiam ob famem diabolo cedere & obedire, ſcilicet illi ſuadenti acquieſcere & miraculum patrare, ac lapides in panes conuertere. Hoc enim directè eſt contra religionem, quæ omne cum diabolo commercium & conſenſum vetat; indirectè eſt contra temperantiam: quod enim eſt contra vnam virtutem directè, hoc quoque indirectè eſt contra aliam virtutem, in cuius materia actus ille verſatur: Quare peccatum gulæ hîc fuiſſet, ſi Chriſtus illicito modo, putà ſuadente diabolo per miraculum cibum ſibi comparaſſet. Imperitè ergo Caluinus negat Chriſtum fuiſſe tentatum de gula. Audi S. Gregorium homil. 16. in Euangel. vbi docet Chriſtum triplici tentatione, gulæ ſcilicet, vanæ gloriæ & auaritiæ tentatum, quia iiſdem pulſatus victuſque fuerat Adam: *Ex gula quippe tentauit, cùm cibum ligni vetiti oſtendit atque ad comedendum ſuaſit. Ex vana autem gloria tentauit, cùm diceret: Eritis ſicut dij: Et ex prouectu auaritiæ tentauit, cùm diceret: ſcientes bonum & malum: Auaritia enim non ſolùm pecuniæ eſt, ſed etiam altitudinis. Rectè enim auaritia dicitur, cùm ſupra modum ſublimitas ambitur.* Deinde iiſdem tentatum fuiſſe Chriſtum, ſed viciſſe oſtendit: *Per gulam quippe tentat, cùm dicit: Dic vt lapides iſti panes fiant. Per vanam gloriam tentat, cùm dicit: Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Per ſublimitatis auaritiam tentat, cùm regna omnia mundi oſtendit, dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me; ſed eiſdem modis à ſecundo homine vincitur, quibus primum hominem ſe viciſſe gloriatur.*

*Origo tentationis diaboli.*

*Modus quo Satanas tentauit Chriſtum.*

*Triplex Chriſti vt & Adæ tentatio.*

Symbolicè confitetur hîc diabolus, Chriſti, vtpote liberaliſſimi proprium eſſe conuertere lapides in panes; ac conſequenter diaboli, vtpote auariſſimi & Antichriſti officium eſſe panes vertere in lapides, Exemplum audi quod refert ex Sigeberto Baronius anno Chriſti 605. *Hoc tẽpore pauper quidam cùm à nautis eleëmoſynam peteret nec acciperet, dicente nauclero: Deſiſte eleëmoſynam petere à nobis, qui nihil habemus præter lapides; cùm ſubieciſſet pauper: Omnia ergo vertantur in lapides; quidquid mãducabile in naui erat, in lapides conuerſum eſt, colore & forma rerum eadem permanente.* Hoc miraculum fecit auaritia ſuggeſta à diabolo.

Qui respondens, dixit: Scriptvm est: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, qvod procedit de ore Dei] Eſt enallage præpoſitionis: *In omni,* id eſt, *ex omni* verbo, vt Noſter vertit Deuter. 8. 3. quem locum hîc citat Chriſtus, illoque — Vers. 4.





quaſi ſcuto telum tentationis diaboli excipit, repellit & confringit. Hebr. eſt: *ſuper omne quod egreditur os Domini, viuet homo,* hoc eſt, re quacumque, quam iuſſerit Dominus, vel ordinarit ad vitę ſuſtentationem, viuet, nutrietur & ſuſtentabitur homo, vti Iudæos in deſerto ſine pane per 40. annos aluit ſolo mãna cæleſti (de mãna enim eſt ſermo Deuter. 8. 3.) ac Moyſen, Eliam & Chriſtũ hîc aluit per 40. dies ſuo alloquio, ſuaque virtute naturam conſeruante. Vnde rectè Abulenſis in Deuter. c. 8. v. 3. Si Deus, inquit, mandaret comedere colubros, baſiliſcos, lapides, æs, &c. meliùs illis quàm delicatiſſimis cibis nutriremur; quia Deus illa in ſuccum & cibum præſtantem conuerteret; imò, ſi vellet, ſine omni cibo viueremus vti multos orationi & contemplationi addictos, & ſpiritualibus delectationibus intentos, iiſdem pauit, adeò, vt omnem cibum humanum faſtidirent, vt patuit in ſancta Catharina Senenſi, ſancta Maria Ogniacẽſi, S. Lutgarda, priſciſque anachoretis. Sic Ioannem Abbatem aluit ſola Euchariſtia, quã die Dominica ſumebat, per tres annos. Vnde Angelus ei dixit: *Chriſtus tibi verus erit cibus,* teſte Palladio in Lauſiaca c. 61. Sic ſanctam Mariam Ægyptiacam ferè per 47. annos aluit in deſerto ſine cibo terreſtri, paſcens eam lachrymis & gaudijs cæleſtibus. Sic Magdalenam pauit ſolo cantu Angelico ſepties per diem repetito, de qua Petrarcha ita canit:

*Septemq; die ſubiecta per horas,*
*Angelicos audire choros alterna canentes*
*Carmina, corporeo de carcere digna fuiſti.*

*Sancti quos Deus aluit ſine cibo.*

Sic magnus ille S. Sabas, ait auctor vitæ eius, *toto ieiuniorum tempore erat ieiunus, nihil omnino cibi attingens, niſi quod Sabbatis & Dominicis diuina ſumebat Sacramenta.*

*Myſticè.*

Myſticè fidelis quiſque viuit ex *omni verbo,* id eſt, ex quolibet alimento Verbi cæleſtis, ait ſanctus Ambroſius in c. 4. Lucæ, quo alitur anima, præ quo fames corporis eſt negligenda. Vnde per verbum Dei: Primò accipias Chriſtum, qui eſt æternum Dei Verbum, & factus homo nos nutrit ſua doctrina, gratia, exemplo, ac, ſeipſo, ſuaque carne & deitate in Euchariſtia: Secundò, verba Scripturæ ſacræ, quæ mentem illuminando & inflammando paſcunt: Tertiò, orationem & inſpirationem Dei; quod vltimum noſter Salmeron hîc cenſet eſſe literale, non myſticum, & ad literam hîc ſignificari.

*Tropologicè*

Tropologicè ſanctus Gregorius homil. 16. in Euang. admiratur hîc manſuetudinem Chriſti; *Penſate,* ait, *quanta eſt patientia Dei, & quanta impatientia noſtra. Nos ſi iniurijs, aut aliqua læſione prouocamur, furore promoti, aut quantum poſſumus noſmetipſos vlciſcimur, aut quod non poſſumus facere, minamur: Ecce aduerſitatem diaboli Dominus pertulit, & nihil ei niſi manſuetudinis verba reſpondit. Portat, quem punire poterat, vt hoc in laudem eius altius creſceret, ſi hoſtem ſuum non extinguendo, ſed interim patiendo ſuperaret.*

Tvnc assvmpsit evm diabolvs in sanctam civitatem (Ieruſalem, in qua ſola erat ſanctum Dei templum, & vnius Dei cultus, ac vera religio, ait ſanctus Hieronymus epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 8.) et statvit evm svper pinnacvlvm templi] Vox *tunc* ſignificat, diabolum prima tentatione gulæ à Chriſto victum, illicò hanc ſecundam vanæ gloriæ ei ſubieciſſe. Dices, quomodo ergo Lucas cap. 4. hanc tentationem ponit non ſecundam, ſed tertiam? Reſpondetur, Lucam per hyſterologiam hîc, vti & aliàs ſæpè, ordinem tentationum neglexiſſe, quem Matthæus accuratè obſeruat & aſſignat, vnde dicens *tunc,* iterùm ſat ſignificat ſe ordinem ſeruaſſe. Eſtque hic naturæ & tentationum ordo congruus, vt à gula fiat tranſitus ad vanam gloriam. Ita ſanctus Hieronymus, Chryſoſtomus, Hilarius, & alij. Sic etiamnum Nouitij in fide & religione, primò tentari ſolent gula & carnis ſtimulis; quibus ſuperatis, ſuccedit tentatio vanæ gloriæ, vt patet ex Caſſiano, Climaco & alijs. Cùm enim diabolus quempiam videt ſpernere gulam, delicias & tentationes carnis; ſuſcitat ei tentationem ſpiritualem vanitatis & præſumptionis; gulæ enim obnoxij ſunt homines carnales, ſuperbiæ verò excelſi & ſpirituales.

*Tentationes nouitiorum.*

Assvmpsit evm diabolvs] Prima hîc eſt ſententia ſancti Cypriani ſerm. de Ieiunio & tentat. Chriſti, conſentit hanc diaboli aſſumptionem Chriſti non fuiſſe realem, ſed phantaſticam, ſiue imaginariam, quales fuere viſiones Ezechieli exhibitæ, & quales ſæpè ſunt tranſlationes ſagarum, dum videntur ſibi tranſferri à diabolo ad epulum vel tripudium ſolemne, cùm reuera non transferantur, ſed diabolus imaginationi illarum illudat (ſicut illudit ſomnus ſomniantibus) vt tantùm id imaginentur & ſomnient. Verùm indignum eſt credere, diabolum tam falsè illuſiſſe phantaſiæ Chriſti, præſertim cùm in interiora Chriſti diabolus nullam habuerit poteſtatem: vnde omnis hæc tentatio Chriſti facta eſt ſolùm per vocem externã, non per ſuggeſtionem internam, vt ex ſancto Gregorio dixi verſ. 3.

*Aſſumpſit diabolus Chriſtum non phantaſticè.*

Secundò, Euthymius & Maldonatus opinantur Chriſtum à diabolo pedibus ductum in pinnam templi, idque ne ſe proderet diabolus, ſi eum per aëra raperet. *Aſſumpſit* ergo, id eſt, duxit. Sic & Anſelmus & Origenes hom. 31. in Lucã: Verùm ex deſerto & monte Quarantano Iericho vicino, vbi tentatio hæc contigit, longum eſt iter in Ieruſalem & templum, ſcilicet octo horarum, quod ægrè vno die conficitur.

*Non etiam pedibus ducendo.*

Tertiò & veriſimillimè, Chriſtus ex deſerto à diabolo aſſumptus, id eſt, raptus eſt per aëra, in pinnaculũ templi. Ita S. Hieronymus, Gregorius, Auctor imperfecti, Gloſſa, S. Thomas 3. part. quæſt. 41. art. 4. ad 7. & alij. Hoc enim ſignificat verbum *aſſumere,* & Græcum παραλαμβάνειν & quod ſequitur: *Statuit eum ſuper pinnaculum.* Neque mirum id Chriſtum diabolo circa ſe permiſiſſe, qui ſe permiſit à membris illius (impijs Iudæis) crucifigi, ait S. Gregorius homil. 16. neque hîc ſe prodidit dæmon, quia velut Angelus lucis Chriſtum transferre poterat, aut certè non multum ſe hoc raptu prodi curabat diabolus, qui ſe iam ſuſpectum, imò perſpectum eſſe Chriſto, ſuſpicabatur & metuebat. Vnde in tertia tentatione volens adorari à Chriſto, planè omnem Angeli lucis laruam depoſuit, ſeſeque ac ſatanicam ſuam arrogantiam detexit.

*Sed rapiendo per aëra.*

Notat Auctor imperfecti, & ex eo S. Thomas, quòd licèt diabolus ſic Chriſtum aſſumpſerit, vt ab omnibus videretur, idque vt cum dæmone conſuetudinem habere, & magus eſſe cre-

*Chriſtus illuſit illuſori.*

deretur, Chriſtum tamen, diabolo neſciente, ſic egiſſe inuiſibiliter, vt à nemine conſpiceretur, vel impediendo ſpeciem corporis ſui, ne ſcilicet corpus ſuum ſpecies viſiuas ex ſe emitteret, vel non concurrendo cum oculis videntium ad actum viſionis corporis ſui, ne viderent illud rapi per aëra; diabolum ergo volentem ſibi illudere, illuſit Chriſtus, tum in hoc, tum in ipſa aſſumptione ſui; Putabat enim dæmon Chriſtum, ſi Filius Dei eſſet, non permiſſurum ſe aſſumi, & per aëra raptari à diabolo, indeque ſe cogniturum, an Filius Dei eſſet, nec ne: Chriſtus verò diſſimulans & aſſumi ab eo ſe permittens, fruſtratus eſt dæmonis opinionem, illumque ambiguum reliquit. Quocirca ille noua tẽtatione præcipitationis ſui id explorare aggreditur. Vnde S. Chryſoſtomus cenſet diabolum putaſſe Chriſtum inuitum & quaſi non potentem reſiſtere, à ſe aſſumi & rapi, cùm Chriſtus poſſet, ſed nollet reſiſtere ad fallẽdum ſatanam.

*Pinnaculum quid?*

STATVIT EVM SVPER PINNACVLVM] *Pinnaculum*, ait Sipontinus, *eſt faſtigium & ſummitas ædificij in acumen tendentis, ſiue quod veteres pinnam acutam dicebant: ſiue quod pinnaculis addi pinna conſueuit, quæ facili motu ventorum indicet flatum, quòd genus nunc vulgò pinnaculũ dicimus.* Vnde Græcè vocatur πτερύγιον, quaſi dicat, *parua ala alatum.* Pinnaculum ergo in acumen vergit, habet tamen ſuam quamdam planitiem & latitudinẽ, in qua homo pedibus conſiſtere queat, vti in ijs conſiſtere videmus fabros cùm tecta reficiunt: In eo ergo ſtare potuit Chriſtus, aut certè in eo illum tenuit & ſuſtinuit diabolus. Veriſimile eſt pinnaculum hoc templi fuiſſe faſtigium, ſiue cacumen veſtibuli & frontiſpicij templi (putà Sancti, & Sancti ſanctorum; hoc enim ſolum habebat tectum: nam atrium, in quo degebat populus, erat intectum & ſub dio) quod erat inſtar turris totum ædificium ſuperans, altum 120. cubitis, ita vt ſi Chriſtus inde cecidiſſet, lapſus fuiſſet in atrium ſacerdotum, quod erat ante Sanctum, inter veſtibulum iam dictum & altare holocauſtorum. Suggeſſit ergo diabolus Chriſto, vt ex pinnaculo hoc ſe demitteret in atrium ſacerdotum. q.d. Labere & oſtende te ſacerdotibus ceteriſque Deicolis, ac toti populo (hîc enim ex atrio laicorum ſpectabat ſacrificia, quæ fiebant in atrio Sacerdotum) oſtende, inquam, hoc miraculoſo lapſu, quo manes illæſus, te eſſe Filium veri Dei, quem in atrio hoc omnes adorant, illique ſacrificant. Ita Franc. Lucas, Toletus & alij. Voluit enim ſatanas Chriſtum hac tentatione, ad vanam ſibi ſuæque maieſtatis oſtentationem inducere.

*Erat faſtigium veſtibuli.*

*Opinio Ianſenij.*

Aliter Ianſenius & Maldonatus: notant enim domos & templum Iudæorum habuiſſe tectum non acuminatum, ſed planum inſtar tabulati, vt in eo poſſent homines ambulare, prandere, confabulari, quin & noctu dormire, vt patet Ioſue 2. verſ. 6. Matth. 10. 27. 4. Regum 23. 12. & alibi. Addunt tectum hoc ſepto quodam quaſi muro ad latera quaquauerſum circumdatum fuiſſe, ne quis ambulans fortè inde rueret, & ruendo in terram collideretur; idque iuſſu Dei, Deuter. 22. 8. veriſimile autem eſſe, in hoc peribolo vel ſepto partes quaſdam eminentiores fuiſſe, v.g. angulares, vti in muris quadratis fieri videmus, eaſque ſat planas & latas, vt in ijs homo pedibus conſiſtere poſſet; ac in illis diabolum ſtatuiſſe Chriſtum. Haſce partes vocari hîc pinnacula, Græcè πτερύγια, hebr. כְּנָפַיִם *kenaphaim*, id eſt, alæ, quia eminebant, & in aëre veluti alæ expanſæ volitabant. Ita Angelomus, Eucherius, Lyranus, & Richardus in 3. Reg. 7. Noſter tamen Hieronymus Vilalpandus tom. 2. in Ezech. parte 2. c. 23. negat tale ſeptum fuiſſe in tecto templi. Quare, inquit, quæ de Chriſto, & Iacobo fratre Domini ex pinnaculo templi præceps miſſo dicuntur, vel ad hanc penè infinitam templi celſitudinem non pertinent, vel, quæ à dæmone eiuſque ſatellitibus peracta ſunt, alijs non licuerunt. Probat id Primò, quia ſacra Scriptura huius ſepti in tẽplo, non meminit. Reſpondent aduerſæ opinionis auctores, S. Scripturam meminiſſe ſepti domorum; Deuter. 22. 8. Templum autẽ erat inſtar domus, imò reuera erat domus Dei. Probat Secundò, quia nulli ne Leuitis quidem licitum erat in tecto templi ambulare: fruſtra ergo illud circumdatum fuiſſet ſepto ſiue muro, ne quis ambulans in eo laberetur in terram. Reſpondent aduerſarij, architectis, æditui & fabris opus fuiſſe ſubinde in eo ambulare, vt illud purgarent, reficerent, polirent; quare ne hi ex eo laberentur, ſepto protegendos fuiſſe. Probat Tertiò, quia Ioſephus lib. 6. Belli c. 6. de Templo eiuſque tecto ſic ſcribit: *Deſuper verubus aureis acutiſſimis horrebat, ne ab inſidentibus auibus pollueretur.* Reſpondetur, hæc verua non fuiſſe continua, ſed hinc inde poſita, ita tamen vt inter ea tranſitus & ſtatio pateret fabris alijſque eò venientibus. Verùm prior explicatio vti certior ita & germanior eſt.

*Refutatur à Vilalpando.*

*Primò.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

ET DIXIT EI: SI FILIVS DEI ES, MITTE TE DEORSVM] Vt te templi & altaris quaſi domus tuæ Dominum, Deumque ſacerdotibus & laicis oſtendas, atque ab eis ius adorationis & ſacrificij tibi debitum repoſcat.

Simili tentatione, vti refert Caſſianus Collat. 2. cap. 4. pulſauit vicitque Heronem. Cum enim ipſe ſolo pane & aqua viueret, perſuaſit ei diabolus, eum adeò eſſe ſanctum, Deoque & Angelis curæ & cordi, vt ipſi eum etiam ex alto ruentem, exciperent: præcipitauit ergo ſeſe in puteum, ibique miſer perijt.

*Diabolus trahit deorſum.*

Moraliter, diabolus, qui è cælo deorſum cecidit in tartara, alios quoque deorſum ad eadẽ mittere vel trahere molitur. Quare cùm quem ad peccatum impellit, non aliud facit quàm vt ipſe mittat ſe deorſum. Vnde Chriſtus peruerſis Iudæis: *Vos*, ait, *de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum.* Ioan. 8.

*Praxis fallendi diabolum.*

Rurſum Chriſtus ſtudioſè celans diabolũ ſe eſſe Filiũ Dei, eluſit omnes eius artes & technas; tenuit enim eum ambiguum & ſuſpenſum, vt neſciret, qua via Chriſtum aggrederetur & tentaret. Vnde diſce ſecreta mentis tuæ non euulgare, ne à diabolo impediantur. In bellis ſumma victoriæ conſiſtit in celandis ſuis conſilijs, & hoſtium indagandis. Experientia crebra didici, heroicos virtutum actus facilè confici, ſi illorum deſtinatio ſecreta in mente teneatur, ſubitoque in opus deducatur, antequã dæmon illos odorari & diſturbare valeat. Hæc eſt ars diludendi dæmonem.

SCRIPTVM EST ENIM: QVIA ANGELIS SVIS MANDAVIT DE TE (Lucas cap. 4. addit, *vt conſeruent te*) ET IN MANIBVS TOLLENT TE, NE FORTE OFFENDAS AD LAPIDEM PEDEM TVVM] Citat Pſalm. 90. verſ. 11. Angeli hîc ſingulorum hominum cuſtodes propriè intelliguntur: poſſunt tamẽ quilibet alij intelligi, quos Deus ad hominum opem & ſalutem varijs modis mittit. Vnde SS. Chryſoſtomus, Hieronymus, Hilarius hîc, & Origenes hom. 24. in Lucã, & Nazianzenus Orat. in S. Baptiſma, cenſent hîc diabolum falsò citare ſacram Scripturam: Pſaltem enim eo loco loqui de hominibus meris, nõ de Chriſto, qui erat homo Deus: hic enim non habebat Angelum cuſtodem, vti habent ceteri homines, quia humanitatis ſuæ cuſtos erat ipſa eius diuinitas.



*Chriſtus caruit Angelo cuſtode.*

Ex aduerſo S. Ambroſius in cap. 4. Lucæ, & Remigius in pſal. 90. cenſent diabolum non abuſum hoc loco Pſalmi, eumque rectè attribuiſſe Chriſto: licèt enim ipſe non haberet Angelum certum cuſtodem, habebat tamen omnes Angelos ſibi obſequẽtes, ſuoque miniſterio deputatos. Abuſum tamẽ eo fuiſſe diabolum quia eum detorſit ad malum, putà ad præcipitationem ſui. Nam hanc Angelorum tutelam & cuſtodiã promiſit Deus iuſtis prudenter & piè agentibus, non temerarijs, præſumptuoſis & Deum tentantibus, vti eſt ſe ex alto in terram præcipitare. Audi S. Bernardum in pſal. *Qui habitat*, ſerm. 14. *Quid enim mandauit? nempe quod in Pſalmo ſequitur: Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Numquid in præcipitijs? qualis via hæc de pinnaculo templi mittere ſe deorſum? Non eſt via hæc, ſed ruina: & ſi via, tua eſt, non illius.*

Moraliter idem S. Bernard. in pſal. 90. ſer. 12. *Angelis ſuis*, inquit, *mandauit de te: Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. Qui enim, quibus, de quo, quid mandauit?* &c. Et poſt nonnulla: *Quãtam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam, pro præſentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro cuſtodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adſunt Angeli (ſicut ei mandatum eſt) in omnibus vijs tuis. In quouis diuerſorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes.* Et pluribus interiectis: *Quoties ergo grauiſſima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca cuſtodem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic: Domine ſalua nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, etſi ad tempus quandoque diſſimulet, ne fortè periculoſiùs ab illius manibus te præcipites, ſi te eis ignoraueris ſuſtentatum.*

IN MANIBVS TOLLENT TE] Eſt catachreſis: nec enim Angeli habent manus, ſed eas cum corpore ſubinde aſſumunt, manus ergo ſignificant opem, vim & miniſterium Angelorum, q.d. Ita præſens Angelorum in omni diſcrimine, malo, periculo, imò caſu & lapſu, quamuis præcipiti, ſenties auxilium, vt eorum manibus geſtari videare. Sic S. Benedictus, ait S. Bernardus in pſal. 90. ſerm. 13. *Dum intentam oculorum aciem in ſplendore coruſcæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Epiſcopi, in Sphæra ignea ab Angelis in cælum deferri.*

VERS. 7. Luc. 4. v. 12

AIT ILLI IESVS: RVRSVM SCRIPTVM EST: (Deuter. 6. 16.) NON TENTABIS DOMINVM DEVM TVVM] Tentat enim Deum, qui petit ab eo miraculum non neceſſarium, quale hîc eſt, in præcipitium ſe dantem manibus Angelorum ſuſtineri. Poterat enim Chriſtus ex pinnaculo templi per gradus vel funes deſcendere, vti deſcendunt fabri: non ergo neceſſe erat vt ex eo ſe præcipitaret. Ergo vitando præcipitium, reliquit diabolum ambiguum, vt ex hac tentatione cognoſcere non poſſet, an ipſe eſſet Filius Dei, nec ne.

Porrò in neceſſitate licet, maioris præcipitij vitandi causà, in minus ſe conijcere, ſi alia via euadendi non ſuppetat. Prudentis enim eſt minus malum vel periculum præ maiori capeſſere, & maius minori redimere. Sic multæ ſanctæ virgines, vt manus perſecutorum, illarum virginitatem violare conantium, effugerent, cùm alia via id facere non poſſent, in flumina ſe præcipitarunt, malentes mori martyres, quàm violari virgines; maius enim eſt præcipitium virginitatis quàm vitæ; illius enim præ hac maius eſt decus, æquè ac dedecus. Ita fecit S. Pelagia Antiochena virgo 15. annorum cum ſua matre & ſororibus, quæ, vt ait S. Ambroſius lib. 1. de Virgin. longiuſculè poſt initium: *Hinc perſecutoribus imminentibus, inde torrente fluuio excluſæ à fuga, incluſæ ad coronam: Quid veremur, inquiunt: Ecce aqua; quis nos prohibet baptizari? Et hoc baptiſma eſt, poſt quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua, quæ virgines facit, quæ cælum aperit, inferos tegit, mortem abſcondit, martyres reddit. Hæc effatæ, conſertis manibus, quaſi choros ducerent, in medium progrediuntur alueum. Videres piam matrem ſtringentem nodo manus. Has tibi, inquit, hoſtias Chriſte immolo, præſules virginitatis, duces caſtitatis, comites paſſionis.*

*S. Pelagia inſilit in flumen, ne violetur.*

Moraliter diſce hîc diabolum, vti Chriſto tẽtationem præcipitij ingeſſit, ſic ſimiles horrendas Chriſtianis & ſanctis ingerere, commouendo phantaſmata, ſanguinem, & melancholiam, vt ſentiant cogitationes triſtiſſimas, terrificas, ſanguinarias, deſperabundas, blaſphemas, &c. quæ numquam antè eis in mentem venerant: ſolentur ſe exemplo Chriſti, quia Deus id permittit ad maiorem eorum humilitatem, virtutem & meritum. Quod ergo Scipio Naſica ſuaſit Romanis, ne Carthaginem iam deuictam euerterent, ne Romana iuuentus in pace otio torperet; ſed Carthago bella ſuſcitans continuò eidem eſſet cos virtutis. Idem de lucta, quàm ſancti in hiſce tentationibus crebrò ſubeunt, dicas. Sic Paulus, cùm eſſet caſtiſſimus & quaſi Angelus terreſtris, aſſiduè tamen tentatus fuit cogitationibus & ſtimulis luxuriæ: Ne *magnitudo*, ait, *reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me; & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* 2. Corinth. 12. 7. Remedium eſt, animi conſtantia, fortitudo & firma in Deum confidentia, qua tentationes quaſlibet, licèt ſummè enormes, abſurdas, abominandas generosè refutes, imò deſpicias & ſpernas, atque magnanimè pergas in cœpto virtutis ſtudio & curſu. Occurrit olim dæmon S. Antonio conquerens, omnes homines ſibi maledicere. Reſpondit S. Antonius, id merito & culpa ſua fieri: quia tu, inquit, omnes vexas & turbas. Cui dæmon: *Ego nihil efficio, quia in nolentem nihil poſſum, ſed ipſi ſeipſos ad inuicem perturbant: ipſi ſuo in ſuggeſtionem meam conſenſu, ſibi mali ſunt auctores.* Qui ergo diabolo tentanti non conſentit, ſed repugnat, hic eum vincit, de eoque triumphat. Animo ergo reſoluto in quauis tentatione dicamus: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Certus ſum quia neque mors, neque vita,* neque

*Remedium contra horrendas tentationes.*

*Dæmon in nolentem nihil poteſt.*

*neque Angeli*, &c. Roman. 8. Et vicimus.

A

VERS. 8. Luc. 4. 5.

*Mons diaboli quid?*

ITERVM ASSVMPSIT EVM DIABOLVS IN MONTEM EXCELSVM VALDE, ET OSTENDIT EI OMNIA REGNA MVNDI, ET GLORIAM EORVM] Mons hic à deſcriptoribus terræ ſanctæ ponitur vicinus deſerto Quarantanæ, vbi ieiunauit Chriſtus, & gula tentatus fuit à diabolo, quem proinde *montem diaboli* vocant. Audi Adrichomium in deſcriptione terræ ſanctæ part. 18. numer. 90. *Mons diaboli diſtat duobus milliaribus à Quarantana. Eſt à latere Bethel & Hat auſtrali: in eum deductus fuit à ſatana Chriſtus, cùm oſtenderet & ad promitteret illi omnia regna mundi, ſi procidens adoraret ſe.* Sic & Brocardus & Brædenbach. in deſcript. terræ ſanctæ, penes quos ſit huius rei fides. Tranſtulit diabolus Chriſtum ex pinnaculo templi, rapuitque per aëra in montem hunc celſiſſimum, vt ex eo oſtenderet illi omnia regna mundi, & *gloriam eorum*, ſcilicet vrbium ſplendorem, Gentium multitudinem, terrarum pulchritudinem, regum principumque opes, famulos, veſtes, rhedas, exercitus, palatia, triumphos, & quidquid in quolibet erat ſpecioſum & magnificum, vt ea concupiſceret, & concupiſcens ſe illa promittentem adoraret: ſed nulla cupiditas Chriſti animum pupigit, vtpote qui ab omni concupiſcentia liber, mentem haberet ſummè compoſitam, Deoque ſubditam, ac proinde terrena omnia ſpernentem, & cæleſtia ambientem.

B

*Omnia regna quomodo Chriſto oſtenſa? Dei modus primus.*

Quæres, qua ratione diabolus oſtendit Chriſto omnia regna mũdi, & gloriam eorum, idque *in momento*, vt addit Lucas? Nota: Solus Deus id propriè facere poteſt. Poteſt enim Deus primò confortare, acuere & actuare oculos & viſum hominis, vt ipſe obiectum quantumuis remotum, etiam per muros & petras, in ſeipſo ſine ſpecie viſibili videat, vti confortat lumine gloriæ mentem beatorum, vt Dei eſſentiam ſine ſpecie intueamur: ſic oculis corporis ſanctus Anſelmus vidit ea, quæ poſt murum gerebantur, vt habet eius vita. Simili modo poteſt facere Deus, vt hîc Romæ cernam oculis corporis ea quæ geruntur in cubiculo regis Sinarum.

*Secundus.*

Secundò poteſt Deus confirmare & multiplicare ſpecies viſibiles, vt ſe ſpargens per loca opaca & denſa, etiam longè diſſita & remotiſſima.

*Tertius.*

Tertiò, poteſt ſpecies ab obiecto non elicere, ſed ſe ſolo vbilibet producere. Hoc modo Deus Moyſi ex monte Abarim oſtendit totam terram promiſſam. Num. 27. 12. ac ſancto Benedicto oculis obiecit totum mundum ſpectandum in globo, vti refert ſanctus Gregorius libr. 2. Dialog. ca. 36. Nil horum poteſt diabolus.

C

*Diaboli modus primus.*

Quomodo ergo ipſe Chriſti oculis omnia regna obiecit? Primò: Origenes & Rabanus regna myſtica accipiunt, ſiue regna diaboli quibus in nonnullis regnat per iram, in alijs per ſuperbiam, in alijs per gulam, luxuriam, &c. Audi Origenem: *Oſtendit & diabolus innumerabiles hominum multitudines, quæ ſuo tenebantur imperio, & dicit ei: Scio veniſti, vt aduersùs me dimices, & tollas de imperio meo, quos nunc ſubiectos habeo; nolo contendas, nolo nitaris, ne habeas vllam in certando moleſtiam: vnum eſt quod precor, procidens adora me, & accipe omne regnum quod teneo.* Verùm hoc myſticum eſt, non litterale, nec ad rem, putà ad tentationem Chriſti de regno corporali propoſitam facit.

D

*Secundus.*

Secundò, alij volunt diabolum cum Chriſto volaſſe per omnia orbis regna, & ſic coram illa ipſi oſtendiſſe: ſed repugnat textus, qui ait: *Tunc aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi.* Ergo ex monte oſtendit illa eminùs, non cominùs volando per ipſa regna.

*Tertius.*

Tertiò, S. Cyprianus tract. de Ieiunio & tentat. Chriſti, cenſet id factum non ſenſibili, ſed imaginaria viſione, ſcilicet diabolum imaginationi Chriſti repræſentaſſe omnia regna: verùm hoc reieci verſ. 3. vbi dixi omnem hanc tentationem foris, non intùs fuiſſe; nec diabolum potuiſſe immutare phantaſiam Chriſti. Deniq; ad hoc non erat opus Chriſtum rapere in montem excelſum, vbique enim poteſt diabolus phantaſiæ hominum illudere.

*Quartus.*

Quartò, Toletus in cap. 4. Lucæ, putat dæmonem ſpecies rerum remotiſſimarum, putà regnorum, vi ſua perduxiſſe ad Chriſtum Chriſtique oculos, ſicut ventus perflans vocem longius perducit, quàm illa ſine vento audiri poſſet. Verùm non potuit dæmon tot tantaſque, tam longè & directè per interiectos montes, rupes, ſyluas ad oculos Chriſti perducere; nec id facere potuit ſine aëre cui ſpecies inhærent: quare debuiſſet vndique plurimum aërem hiſce ſpeciebus imbutum ad oculos Chriſti vehere, quod nimis longum & operoſum fuiſſet: imò nec cum aëre id facere potuiſſet, niſi ſimul res ipſas deferret; quæ ſpecies illæ vt in fieri, ſic & in conſeruari pendent ab obiecto, vt manifeſtis experientijs conſtat.

*Quintus.*

Quintò, alij ſubtiliter imaginantur, quòd dæmõ per multa ſpecula ſibi inuicem obiecta, ſpecies regnorum ex vno ſpeculo in aliud & aliud continuò reflexerit, idque fecerit vſque ad oculos Chriſti, qua arte dicitur Socrates vidiſſe draconem in monte remoto homines deuorantem, quem nemo alius videre poterat. Simili modo nunc per dioptram nauticam remotiſſima oculis conſpicimus. Verùm ſic dæmon aërem totum impleſſet ſpeculis, quæ ſe inuicem impediuiſſent, nec ſuffeciſſent ad videndum omnia.

*Sextus.*

Sextò, ergo meliùs Auctor imperfecti, Euthymius, & alij cum D. Thoma 3. p. q. 41. ar. 4. aiunt ideo dæmonem Chriſtum duxiſſe in montem excelſum, vt ex eo cuiuſque regni, ſaltem confusè, plagam & ſitum Chriſto oſtenderet, v. g. dicendo: Ibi ſita eſt Africa, illic Aſia, iſthic Europa, hîc eſt Syria, ibi Italia, illic Hiſpania, &c. idque in momento, vt habet Lucas, id eſt, breuiſſimo temporis ſpatio. Verùm quia ex monte hoc diabolus Chriſto oſtendit non tantùm omnia regna, ſed & *gloriam eorum*; hinc,

*Septimus genuinus.*

Adde ex Theoph. Ianſen. & alijs, dæmonem inſtar pictoris omnium regnorum imagines in aëre à ſe variè condenſato, per varias fulgoris ſolis refractiones, vti fit in Iride nouo quodam modo repræſentaſſe & quaſi pinxiſſe, feciſſeque vt per eas omnia, quæ in regnis erant glorioſa & ſplendida, apparerent & obijcerentur oculis Chriſti. Sicut idem dæmon in aëre, certa arte eum denſando, contemperando & inficiendo, pinxit multa ſpectra leonum, ferarum, ſerpentum, & monſtrorum, eaque oculis ſancti Antonij obiecit, vt eum terrefaceret, teſte S. Athanaſio in eius vita. Simili arte præſtigiatores mira populo ſpectanda exhibent, quæ



quæ licèt ſæpè ſint illuſio oculorum & phantaſiæ, tamen ſubinde vera ſunt. Et ſi dæmon poteſt ea pingere in phantaſia, cur non & in aëre? ſic colores varij pinguntur in Iride; ſic in aëre tempore Machabæorum viſæ ſunt acies militares inter ſe dimicãtes, & aliàs alia ſpectra. Vnde Franc. Lucas putat dæmonem omnia regna obieciſſe oculis Chriſti per artem perſpectiuæ, vel opticæ, cuius ipſe eſt peritiſſimus; vel certè perſtringendo ſuis præſtigijs oculos Chriſti, Chriſto id permittente & tolerante, vt generoſiùs tentatorem vinceret & confunderet.

A

*Fraus dæmonis pingentis in phantaſia.*

Nota hîc potentiam æquè ac artem & fraudem dæmonis, qua ſæpè Chriſtianos illudit: pingendo in phantaſia illorum ſpecies magnificas honorum, opum, deliciarum, quæ in rei veritate vel falſæ ſunt & nullæ, vel paruæ & viles.

B

VERS. 9. Luc. 4. v. 6. 7.

ET DIXIT EI: HÆC OMNIA TIBI DABO SI CADENS ADORAVERIS ME] Quæres, quomodo diabolus rem tam impiam & indignam auſus fuit proponere Chriſto? Reſpondetur Primò, quia ipſe ambitioſus iam inde ab initio Deus eſſe voluit, ac Chriſto homini diuinitatem per vnionem hypoſtaticam inuidit, eamque ſibi ambiuit; Ambitio ergo & inuidia eum excæcarunt, vt Chriſtum quaſi æmulum ſuum tam indignè tractaret. Secundò, quia cùm Chriſtum iam ſemel & iterum miracula detrectantem vidiſſet, certior quaſi ſibi videbatur eum non eſſe Filium Dei. Tertiò, quia ex Luca c. 4. 6. liquet diabolum addidiſſe: *quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa*, vnde patet eum finxiſſe ſe eſſe Filium Dei & Deum, ait S. Hilarius, ac conſequenter adorandum.

*Diabolus ſimulauit ſe eſſe Filium Dei.*

C

Diabolus ergo, Chriſti, ſe ab eo in pinnaculum, indeque in montem transferri patientis, modeſtia & ſilentio audacior factus, ſuperbior & proteruior, ſuſpicans Chriſtum non eſſe Dei Filium, ſed merum hominem, honores diuinitatis, quos olim in cælo ambierat, hîc à Chriſto, vti & à ceteris hominibus, poſtulat. Inſita enim planè, & quaſi inolita eſt ei hæc deitatis ambitio, quę eum excæcat; atque ideo idola, in quibus coleretur, inuenit ait Gloſſa. Quare ſimulat ſe eſſe Filium Dei, ac vt talis cupit adorari à Chriſto, vt ſcilicet Chriſtus victus cupiditate regnandi, illum adoret, itaque peccet idololatria: facilè enim ſcire poterat Chriſtus (etiamſi merus fuiſſet homo, non Deus) ipſum reuera non eſſe Filium Dei, ſed id fingere; ſimul tamen tacitè dæmon hîc explorat, an Chriſtus ſit Filius Dei: cogitabat enim ipſe; ſi Chriſtus verè eſt Filius Dei, ipſe mihi indignabitur, qui ipſi hanc dignitatem eripio, meque Filium Dei eſſe ſimulo, ac vt talis ab eo adorari poſtulo: quare iratus & frequens reſpondebit: vnde tibi hæc arrogantia? Ego ſum Filius Dei, tu verò es ſatanas: tuum eſt ergo adorare me: qua fronte ergo audes poſcere, vt ego adorem te, qui à me creatus es, mihique ſubditus?

D

In duabus ergo prioribus tẽtationibus directè voluit ſatanas explorare, an Chriſtus eſſet Filius Dei; vnde ait: *Si Filius Dei es*; indirectè verò ſollicitare Chriſtum ad peccatum gulæ & vanæ gloriæ: in hac tertia verò directè voluit ſollicitare Chriſtum ad auaritiam, ambitionem & idololatriam; indirectè verò & tacitè explorare, an ipſe eſſet verus Dei Filius. Vnde S. Chryſoſtomus: *Ruptis*, inquit, *ventris & vanæ gloriæ retibus, retia ponit auaritiæ.* Et Remigius: *Quanta iactantia*, ait, *diaboli regna terrena promittentis ei, qui dat cæleſtia?*

*Faſtus diaboli.*

Nota arrogantiam & faſtum diaboli, cùm ait: *Si cadens adoraueris me.* Vult enim non qualem qualem adorationem, ſed cum caſu, vt ſcilicet Chriſtus ita ſe coram illo humiliet, vt cadens in faciem adoret eum. Ita Abulenſis hîc quæſt. 53.

Symbolicè Gloſſa: Qui, inquit, diabolum adoraturus eſt, antè corruit, quam adoret. Rurſum diabolus quia ex cælo cecidit, hinc omnes ad caſum & lapſum ſuum, vt ſocios habeat, ſollicitat, Audi S. Irenæum lib. 5. c. 22. vrgentem τὸ *cadens: Ipſe diabolus confitetur, quoniam adorare eum, & voluntatem eius facere, eſt cadere à gloria Dei.* Ipſe ergo vanos honores nobis ruinis noſtris vendit. Addit Irenæus: *Deinde nec illa ipſa quæ promiſit, præſtabit ei qui cecidit.*

Tropologicè S. Ambroſius in cap. 4. Lucæ: *Habet ambitio*, inquit, *domeſticum periculum; vt enim dominetur alijs, priùs ſeruit, curuatur; obſequitur, vt honore donetur; & dum vult eſſe ſublimior, fit demiſſior.*

Addit Lucas ca. 4. 6. Diabolum cauſam addidiſſe, & ius ſuum in omnia regna probaſſe dicendo: *Quia mihi tradita ſunt* (à Deo, ſed nomen Dei ſubticet, tum quia ſibi exoſum, tum quia ipſe volebat haberi & adorari vt Deus, Deo vero excluſo) *& cui volo do illa*, vbi dupliciter mentitur Dæmon: Primò, quia falſum eſt Deum omnia regna illi tradidiſſe: in ijs enim nil poteſt dæmõ, niſi quod Deus ei concedit, ſubinde & permittit. Secundò, quia falſum eſt dæmonem illa dare cui ipſe voluerit: vnde diabolus non intendebat illa dare Chriſto, nec dediſſet, etiamſi Chriſtus eum adoraſſet. Nam ſolius *Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo.* Pſal. 23. 1. Vnde ipſe ſolus *dominatur in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud.* Daniel. 4. 14. *cuius regnum, regnum ſempiternum eſt & omnes reges ſeruient ei & obedient.* Daniel 7. 27. qui verſ. 14. docet Deum illud tradidiſſe Filio hominis, id eſt, Chriſto Filio ſuo carnem aſſumenti. Prodit ergo hîc ſeipſum diabolus, quia hæc eius pollicitatio, vt rectè aduertit Toletus in c. 4. Lucæ verſ. 6. mendax fuit, falſa, arrogans & doloſa: Mendax quidem, quia quæ pollicebatur, dare non intendebat; falſa, quia regna, quæ pollicebatur, dare non poterat; arrogans, quia ſua eſſe profitebatur, quæ non erant eius ſed Dei; doloſa verò, quia futurum pro præſenti commutat: *dabo*, inquit; adorari vult de præſenti pro ſpe recipiendi promiſſa; in futurum enim tempus differebat, quæ dare non poterat, vt ſic ſperantem, accepto eo quod tentator volebat, deciperet ac confunderet. Simili modo & fraude diabolus conatur perſuadere hominibus vt iuuentutem & præſens tempus dent voluptatibus & ſibi; futurum verò & ſenectam dent pœnitentiæ & Deo, cùm ſenectus incerta ſit, dubia ac inhabilis ad pœnitentiam, vti aduertit monetque ſanctus Gregorius. Rurſum perſuadere nititur, vt bona terrena cæleſtibus, humana diuinis, caduca ſtabilibus, momentanea æternis ſtultè anteponant.

*Ordo tentationum.*

Nota primò ordinem & gradationem tentationum; prima enim tentatio, vt Chriſtus ex lapidibus panes faceret, fuit gulæ; ſecunda, vt

ex

ex pinna templi ſe præcipitaret, fuit vanæ oſtentationis & gloriæ; tertia, vt ſe adoraret cum promiſſione regni totius mundi, fuit auaritiæ, ſuperbiæ & idololatriæ. Secundò, Chriſtum tentatum fuiſſe per tria, hoc eſt omnia tentationum genera, vt innuit Lucas cap. 4. 13. dicens: *Conſummatâ omni tentatione, diabolus receſſit ab eo.* Prima enim tentatio gulæ, fuit concupiſcentia carnis; ſecunda præcipitationis, fuit oſtentationis & ſuperbiæ, tertia fuit auaritiæ, pariter & ſuperbiæ; vt notat ſanctus Ambroſius, & Origenes in dictum Lucæ locum. Tertiò, Chriſtus ſuo exemplo & reſponſo nos docuit, primam tentationem carnis & famis ſuperandam eſſe ſpe in Deum, Deique prouidentiam; ſecundam ſuperbiæ & præſumptionis vicendam eſſe timore Dei; tertiam auaritiæ & ambitionis pellendam eſſe magnanimitate & contemptu mundi. Ad hoc tres efficaces ſtimulos ſuggerit S. Petrus Damiani Opuſc. 11. cd. 16. dicens: *Victor dæmonum, ſocius efficitur Angelorum: Exul mundi, heres eſt Paradiſi: Abnegator ſui, ſectator eſt Chriſti.*

VERS. 10. Luc. 4. 8.

TVNC DICIT EI IESVS: VADE SATANA] Sic & Syrus. Græca addunt ὀπίσω μȣ, id eſt, *poſt me*, ac pro *vade* habent ὕπαγε, q.d. Apage, ſecede, faceſſe hinc impie ſatan, ne diutiùs mihi vt ſatan, id eſt, aduerſarius obſiſtas, ne ampliùs ante oculos meos compareas, vade retrò poſt me: nolo enim vlteriùs te audire vel videre, quia non tantùm falſa & fallacia promittis, ſed & impia, indigna, blaſphema & ſacrilega à me poſtulas, vt ſcilicet ego qui ſum creator tuus, adorem te qui es creatura mea, ſed rebellis, ideóq; ad gehennam damnata. Dixit ergo hoc Ieſus & iuſta ira indignans diabolo, eiúſque improbitatem obiurgans; ideóque diabolus deſperans de victoria, & confuſus aufugit; vnde diſcant Chriſtiani fortiter repellere ſuggeſtiones diaboli, illumque increpare, & fugiet ab eis.

SCRIPTVM EST ENIM (Deut. 6. 13.) DOMINVM DEVM TVVM ADORABIS, ET ILLI SOLI SERVIES] Pro *adorabis* hebr. eſt, תִּירָא *tira*, id eſt, *timebis*: Hebræi enim per timorem ſignificant reuerentiam, adorationem, omnemque Dei cultum. Nam vt ait Statius:

*Primus in orbe Deos fecit timor.*

Vox *ſoli* non eſt in Hebræo, ſed ſubintelligitur in articulo & pronomine *illi*, quod habet emphaſim, q.d. *illi, illi*, inquam, *ſoli*, vtpote qui ſolus eſt Dominus Deus tuus, id eſt, tuus eſt Creator, conſeruator, gubernator, &c. *ſerui es*, latriâ, Græcè enim eſt λατρεύσεις. Soli enim Deo datur latria, Sanctis dulia, teſte S. Auguſtino lib. 10. de Ciuit. c. 1. B. Virgini Deiparæ hyperdulia.

*Adhærere Deo, & vici ſti omnẽ tentationem.*

Moraliter docet hîc Chriſtus hoc reſpondendum diabolo in tentatione auaritiæ, & quauis alia. Omnis tentatio enim ad hoc tendit & illicit, vt creaturam præponamus creatori, illamque quaſi idolum noſtrum, imò dæmonis, adoremus, eique præ Deo ſeruiamus. Sic idolum, quod dæmon auaro obijcit adorandum, eſt Plutus, Mammona, opes, poſſeſſiones, regna mundi: idolum ſuperbi eſt honor, ambitio: idolũ guloſi, eſt venter, vina, epulæ, idolum luxurioſi eſt Venus. Cùm ergo hæc obijcit, reſpondendum cum Chriſto: Deum adoro, non Venerem, non Plutum, &c. Nam, vt ait S. Cyprianus tract. de ſpect. *Deijcit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt.* Quid enim eſt totus mundus, omnia regna, omnes creaturæ comparatæ cum Deo, niſi punctum comparatum cum toto vniuerſo? Quid eſt omne tempus reſpectu æternitatis, niſi inſtans? Quid ſunt omnes voluptates, honores, opes comparatæ cum delicijs, honoribus & opibus cæleſtibus, niſi vanitates & vmbræ, imò ſordes & ſtercora? Contemne ergo illa præ Deo, illique firmiter adhære, & ſuperaſti omnem tentationem. Ita Pſaltes: *Mihi*, ait, *adhærere Deo, bonum eſt.* Et alius: *Mens mea in Deo fixa & ſolidata eſt.* S. Cyprianus de Orat. Dominica: *Cùm Dei ſint omnia*, ait, *habenti Deum nihil deerit, ſi ipſi Deo non deſit.*

Simili modo, ſi minas, metus infamiæ, paupertatis, morbi, verberum & mortis intentet, iunge te Deo, Deum adora per firmam ſpem & inuocationem. S. Cyprianus in Exhort. Matth. docet aliquos martyrio excidiſſe, quia conſiderabant atrocitatem tormentorum, non virtutem & opem Dei: contra, illos ſtare & vincere, qui auertunt mentem à tormentis, & figunt in Dei ope, dicuntque: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*: maior eſt Deus tormentis. Ita S. Agnes totam ſpem & amorem defigens in Chriſtum, vicit omnia tormenta Tyranni: Deus enim infirma mundi eligit, vt confundat fortia, vultque ſuam virtutem in noſtra infirmitate toti orbi oſtendere: Deus enim in ſe ſperantes, ſeque inuocantes & adorantes, deſerere nequit.

*Lætitia ſpiritualis optimũ contra tentationes remedium.*

Quocirca S. Cyprianus tract. de Moral. *Aduerſa*, ait, *non auocant à fidei virtute, ſed corroborant in dolore*, &c. Hoc expertus S. Antonius, teſte S. Athanaſio, dicebat, optimum remedium vincendi omnes dæmonis tentationes eſſe lætitiam ſpiritualem, & amorẽ Chriſti, cuius vno crucis ſigno victus aufugit.

VERS. 11. Luc. 4. 11. Mar. 1. 13.

TVNC RELIQVIT EVM DIABOLVS, ET ECCE ANGELI ACCESSERVNT ET MINISTRABANT EI] Rectè Anonymus in Catena: *Legitimè pugnanti*, inquit, *agonum reperitur terminus, quod aduerſarius vel ſua ſponte cedat vincenti, vel trino caſu deponatur, ſecundùm pugnatoriæ artis decretum.* Qui enim ter in trino conflictu hoſtem vicit, is planè eum ſuperauit & ſubiugauit, ideoque de eo triumphat.

*Quomodo Chriſtus ex monte in quẽ eum dæmon tranſtulerat, in ſuum locũ redierit?*

Nota, Chriſtum poſt trinam tentationem & victoriam ex monte, in quem eum tranſtulerat diabolus, redijſſe in ſuum Quarantanæ, vbi 40. diebus ieiunarat, deſertum, idque non pedibus, ſed ſubitaneo quaſi raptu per vim ſuæ diuinitatis & dotem agilitatis, aut certè per Angelorum miniſterium. Nam ei quaſi victori, Angeli ſpecie humani corporis aſſumpta (vti & fecerat diabolus tentator) accedentes congratulati ſunt, & miniſtrarunt cibum deferentes, aliaque obſequij debiti officia exhibentes. Porrò Cõcilium Conſtantinopolitanum, Oecumen. V. in Conſtitutione Vigil. Papæ pertinente ad collationem 5. aduerſus quoſdam Hæreticos, qui ita exponebant illud Matth. 4. *Et miniſtrabant ei*, vt Angeli Chriſto inſeruierint ſicut alijs Sanctis, anathema dicit eis, qui volunt Angelos ad Chriſtum deſcendiſſe, eique miniſtraſſe tamquam amico & domeſtico Dei, non tamquam creatori & Domino ſuo.

Diſce hinc eum, qui fortiter vincit diabolum eiuſque ſuggeſtiones, mereri & premiari conſortio, conſolatione & miniſterio Angelorum. Nam victor



victor ſatanæ eſt quaſi alter Angelus, idq; vt per Angelos animetur ad futura cum diabolo certamina, nam vt de Chriſto hîc ait Lucas c. 4. 13. *Et conſummata omni tẽtatione, diabolus receſſit ab illo vſque ad tẽpus*; vnde S. Chryſoſtomus: Receſſit, inquit, diabolus virtute Chriſti excuſſus; poſteà, ait Interlinearis, pugnaturus per Iudæos. Scribæ enim & Phariſæi crebrò Chriſtum tentarunt, & tandem occiderunt.

*An dæmon plenè victus redeat ad tentandum.*

Hinc Origenes homil. 31. in Lucam, & Abulẽſis putant dæmonem de vno vitio tentantem, ſemel ab aliquo perfectè victum, ampliùs de illo eũdem non tentare. Idem probabile eſſe, ait noſter Salmeron: quia, qui in ſe perfectè ſuperat per actus intenſos & heroicos, habitus prauos ad vitium inclinantes, eidem contrarij virtutum habitus ingenerantur, & profundè radicantur: talem autẽ aggredi non audet dæmon, ne iterùm vincatur.

*Reſp. affir.*

Probabilius eſt, dæmonem à Chriſto & Chriſtianis ſemel perfectè victum, tantùm ad tempus diſcedere, vt hîc ait Lucas: quare data occaſione iterùm ad tentandum ſimili vel eâdẽ tentatione regredi. Sic enim ipſe S. Antoniũ ſæpè de eadem re, & S. Paulum eodem ſtimulo carnis ſæpiùs diuque tentauit, vt patet 2. Corint. 12. 8. Sic enim duces redeunt ad oppugnandam arcem, cùm poſt lõgam quietem hoſtes ſecuros, negligentes & imparatos inueniunt: *Diabolus*, ait S. Ambroſius, *frequentat ſpicula, vt aut præmio vincat, aut tædio.* Audi eumdem S. Ambroſium lib. 4. in cap. 4. Lucæ verſ. 13. *Probè omnium criminum fontes hæc tria genera demonſtrãtur eſſe vitiorum. Neque enim conſummatam omnem tentationem Scriptura dixiſſet, niſi in his tribus eſſet omnium materia delictorũ, quorum ſemina in ipſa origine ſunt cauenda. Finis ergo tentationum finis eſt cupiditatum, quia cauſæ tentationũ, cauſę cupiditatum ſunt. Cauſæ autem cupiditatum ſunt carnis delectatio, ſpecies gloriæ, auiditas potentiæ.* Et poſt pauca: *Vides ergo ipſum diabolũ non eſſe in ſtudio pertinacem, cedere ſolere veræ virtuti. Et ſi inuidere non deſinat, tamen inſtare formidat, qui frequentiùs refugit triumphari. Audito itaq; Dei nomine, receſſit, inquit, vſque ad tempus: poſteà enim non tentaturus, ſed aperte pugnaturus aduenit.* Denique poſt multa ita concludit: *Ergo qui vult coronam dare, tẽtationes ſuggerit. Et ſi quando tentaris, cognoſce, quia paratur corona. Tolle martyrum certamina, tuliſti coronas: tolle cruciatus, tuliſti beatitudines. Nónne tentatio Ioſeph, virtutis eſt celebratio? Nónne iniuria carceris, corona eſt caſtitatis? Quemadmodum regni in Ægypto conſortium potuiſſet adipiſci, niſi venditus fuiſſet à fratribus?*

VERS. 12. Luc. 4. 14. Mar. 1. 14. Ioan. 4. 3.

*Solus Ioannes narrat geſta anni primi prædicationis Chriſti.*

CVM AVTEM AVDISSET IESVS, QVÒD IOANNES TRADITVS ESSET, SECESSIT IN GALILÆAM] Omittit ſiletque Matthæus, æquè ac Marcus & Lucas, legationem Iudæorum ad Ioannẽ Baptiſtam, rogantium, an ipſe eſſet Meſſias, item Ioannis ad Chriſtũ, rogantis per diſcipulos: *Tu es qui venturus es?* Ad hæc cõuerſionem aquæ in vinum in Cana Galileæ; eiectionem ementiũ & vendentium è templo; Nicodemi acceſſum ad Chriſtum, &c. quæ omnia facta ſunt ante captiuitatem Ioannis Baptiſtæ, & à ſolo Ioanne Euangeliſta cap. 2. verſ. 3. & 4. recenſentur. Igitur Matthæus orditur hîc prædicationẽ Chriſti à carcere Ioannis Baptiſtæ. Ante enim eius incarcerationẽ Chriſtus eidem munus prædicãdi commiſit, vt ipſe ſibi viam ſterneret, Ioanne verò incarcerato, Chriſtus ei in prædicatione quaſi ſol lucifero ſuo ſucceſſit, tuncque publicè & ſolenniter euangelizare cœpit, vti ſic enarrat Matthæus.

*Chriſtus è Iudæa ſeceſſit in Galilæam fugiens Herodem: Cur, cùm ibi regnaret Herodes?*

Porrò, Chriſtus audita Ioãnis incarceratione, ex Iudæa ſeceſſit in Galilæã, quia fugit Herodẽ, ne ſicut Ioannẽ, ita & ſe incarceraret. In Galilæa ergo ſolenniter prædicare orſus eſt, vt impleret oraculum Iſaię, de quo mox. Dices: Herodes regnabat in Galilęa, non in Iudęa, cur ergo Chriſtus fugiens Herodẽ, fugit ex Iudęa in Galilęam; ibi enim incidebat in manus Herodis? Reſp. Id factum idcircò, quòd Ioannes in Iudęa iuxta Iericho prędicans & baptizans, conuocanſq; ad ſe turbas, à Iudęis, puta à Scribis & Phariſęus accuſatus fuerit apud Herodem; illi enim à Ioanne acriter reprehenſi, vocatique *progenies viperarum* Matt. 3. 7. exacerbati ſuggeſſerunt Herodi, quem ſciebant Ioanni offenſum, vt Ioannem caperet metu nouationis rerũ, ne ſcilicet Ioãnes tumultum & rebellionem populi concitaret: Ioſephus enim li. 18. Antiq. c. 7. docet Herodem occidiſſe Ioannem timore turbationis ex turbis ad Ioannẽ confluentibus. Quis hunc timorem Herodi regi Galilęæ de Ioanne in Iudęa prædicante iniecit, niſi Iudęi, putà Scribæ & Phariſęi? Hi enim, vti Chriſto, ſic & Ioanni Chriſtum oſtẽdenti fuęre infenſi; vterque enim illorum vitia publicè libereque arguebat. Licèt enim Romano Præſidi iure proprio tradendus fuiſſet Ioannes, vtpote in Iudęa baptizans; tamen quia ipſe & Galilęos baptizabat, & fortè in viciniam Peræam Herodi ſubiectam, ſubinde per Iordanem trãſgrediebatur, hinc Herodes, conniuente Pręſide Romano, agentibus id Phariſæis, Ioannem quaſi ſuæ iuriſdictioni ſubditum incarcerauit. Chriſtus id audiens, fugit à Iudæa à Iudæis in Galilęam, metuens ne ab eiſdem traderetur Herodi: apud illũ enim, vtpote ſectâ Iudęum, Phariſæi plurimùm poterant, ſummæque erant auctoritatis. Ipſum autem Herodem ſolum toti Galilęæ dominantẽ non timuit Ieſus, quia eum non offenderat, vti offenderat Ioannes reprehendens eum de adulterio. Fuit hîc Herodes Antipas filius Herodis Aſcalonitæ, qui fuit infanticida.

*Hic ſecundus Chriſti in Galilæam ſeceſſus.*

Fuit hic ſeceſſus Chriſti ſecundus è Iudęa in Galilęam (primus enim fuit Ioannis 1. 43.) idemque eſt cũ eo, qui à Marco c. 1. 14. & Luca c. 4. 14. & Ioanne c. 4. v. 3. & 43. recenſetur, vt rectè Ianſenius ex iiſdem circumſtantijs colligit. Porrò Lucas ait: *Et egreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritus in Galilæam*, non quòd aliqua virtus ſpiritus illi hîc indita & addita fuerit à Spiritu ſancto, vt videtur velle Origenes: ipſe enim à primo ſui ortu plenus fuit Spiritu ſancto, ſed quòd virtus Spiritus ſancti, quo plenus erat, eum impelleret in Galilęam, ad ordiendam ibi magna efficaciâ prædicationẽ, & ad miracula aliaq; opera heroica patrandum, quibus prędicationem ſuam confirmaturus erat, vt patet hîc v. 23.

VERS. 13.

ET RELICTA CIVITATE NAZARETH, VENIT, ET HABITAVIT IN CAPHARNAVM (ciuitate) MARITIMA IN FINIBVS ZABVLON ET NEPHTALIM] *Relictâ*, id eſt, omiſsâ, neglectâ, prætеritâ. q.d. Noluit Ieſus ingredi Nazareth, licet ipſa eſſet patria ſua, ibique ordiri prędicationem.

nem. Cauſam dat S. Ioannes c.4.44. *Quod Propheta in ſua patria honorem non habet.* Seceſſit ergo in Capharnaum, ibique cathedram prædicandi erexit & fixit.

*Galilæa duplex, ſuperior & inferior.*

Nota: Duplex erat Galilæa, ſcilicet inferior in tribu Iſſachar & Zabulon, in qua ſita erat Nazareth, & ſuperior in tribu Aſer & Nephtali; in qua erat Capharnaum, quę & Gentium dicebatur, eò quòd vicina eſſet Phœnicibus, & quia à multis Gentilibus habitabatur. Magna enim eius pars à Salomone data fuit Hiram regi Tiri, ob nauatam ab eo operam in fabrica templi. 3. Reg. 9.11. Vide Adrichomum in deſcript. terræ ſanctæ in Galilæa.

*Capharnaũ emporium opulentum, & totius Iudææ celeberrimum.*

CAPHARNAVM MARITIMA] Adiacebat enim Iordani (vbi ſcilicet Iordanis in mare Tiberiadis influit) ac mari Tiberiadis, quod & Galilęæ dicebatur: quare per mare euehens & aduehens merces, euaſit emporium totius Iudęæ celeberrimum & opulẽtiſſimum, ac Metropolis Galilææ, adeò vt opibus, faſtu, luxu, pulchritudine ceteras Galilææ vrbes longè ſuperaret, indeque nomen accepit. Dicitur enim *Capharnaum* quaſi כּוֹפֶר נָעִים *copher naim*, id eſt, *ager iucunditatis & delectationis*, vel *villa pulchritudinis*, ait S. Hieron. in Nomin. Hebraic. Pagninus, & alij. Nonnulli vero *Capharnaum* interpretantur *ager pœnitentiæ*, aut *propitiatio pœnitentiæ* à כָּפַר *caphar*, id eſt, propitiari, & נָחַם *nacham*, id eſt, pœnitere: ibi enim pœnitentiam prædicauit Chriſtus: vrbes enim maritimæ ob colluuiem vndique affluentis turbæ, & ob merces opeſque multis ſcatent vitijs, quod & notauit Plato. Verùm ſic dicendum eſſet *Capharnachum* per *ch*, vti vertit Syrus: quamquã Hebraicum nõ ſemper vertatur per *ch*: nam pro *Chabacuc* vertunt *Habacuc*: pro *Chaggai*, *Aggæus*: pro *Chorma*, *Horma*: pro *Chamital*, *Amital*. Porrò Capharnaum Chriſti habitatione longè facta eſt pulchrior & illuſtrior; Chriſtus enim relictâ patriâ ſuâ Nazareth, in Capharnao habitationem ſibi delegit, ac commodatam aut conductam, vt videtur, domum habuit, in qua Euangelicæ prædicationis tempore, cum electis ſuis duodecim Apoſtolis triennium duxit, indeq; Capharnaum ſua, ſiue eius ciuitas appellata eſt. Eademque de cauſa Chriſtus & Apoſtoli Capharnaum domumque ſuam redijſſe, ab Euangeliſtis frequenter memorantur.

Capharnaũ *idem eſt quod* ager iucunditatis.

*In Capharnao cœpit Chriſtus prædicare.*

In hac vrbe igitur Chriſtus cœpit prædicare regnum Dei, luxum, & vitia ciuium caſtigarę, eoſque à bonis terrenis, opibus & faſtu ad cæleſtes opes inuitare, tum per ſermones, tum per miracula magna & multa. Hic enim in domo ſua confertam hominum turbam docens, paralyticum per tectum in lecto ante ſe demiſſum, primùm à peccatis, deinde & paralyſi verbo curauit. Ibidem duobus cæcis viſum reddidit, atque dæmoniacum mutum incolumitati reſtituit. Hic in platea ambulãs à paralyſi Centurionis ſeruum ſanauit. Hæmorrhoiſſam fimbriam veſtis ipſius firmâ fiduciâ tangentem, à ſanguinis profluuio liberauit, atque mox Iairi Archiſynagogi ædes ingreſſus, duodennem eius filiam à morte, ſuâ voce excitauit.

*In Capharnao multa. Chriſtus edidit miracula.*

Verùm cùm incolæ diuitijs, indeque faſtu, ſuperbiâ ac luxu tumidi, neque cæleſtibus eius vocibus, neque miraculis ad pœnitentiam commouerentur; hanc tandem Chriſtus in eos detonuit ſententiam: *Et tu Capharnaum, quæ vſque ad cælum exaltata es, vſque ad infernum demergeris. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quòd Sodomis remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi.* Matth. 11.

VT ADIMPLERETVR QVOD DICTVM EST PER ISAIAM PROPHETAM (cap.9.v.1.) VERS.14.

TERRA ZABVLON ET TERRA NEPHTALIM: VIA MARIS TRANS IORDANEM, GALILÆA GENTIVM] Eſt appoſitio. q.d. Terra Zabulon, & terra Nephtalim, quæ eſt via maris, quæ ſcilicet vergit & ducit ad mare Tiberiadis, quæque ſita eſt trans Iordanem, & alio nomine dicitur Galilæa Gentium; hæc terra, inquam, alleuiata eſt, vt addit Iſaias, ſcilicet, vt ſequitur, populus in ea habitans, ex tenebris ſuæ ignorantiæ aſpexit lucem Euangelij, prędicante Chriſto. Vox *Gentium* notat Chriſtum Euangelium à Iudæis ob incredulitatem, per Paulum & Apoſtolos tranſlaturum ad Gentes. Ita Chryſoſt. VERS.15.

POPVLVS QVI SEDEBAT IN TENEBRIS, VIDIT LVCEM MAGNAM, ET SEDENTIBVS IN REGIONE VMBRÆ MORTIS LVX ORTA EST EIS] Hoc oraculum fusè expoſui Iſaiæ 9,1. Vide ibi dicta. VERS.16.

EXINDE COEPIT IESVS PRÆDICARE: POENITENTIAM AGITE: APPROPINQVAVIT ENIM REGNVM CÆLORVM] Hæc fuit ſumma, compendium, finis & ſcopus prædicationis Chriſti, ſcilicet, inuitare homines ad pœnitentiam, ac mutationem morum, vitamque ſanctam, vt regnum cælorum iam ſuâ morte aperiẽdum ingredi mererentur. Idem prędicauit Ioannes Baptiſta, quaſi Chriſti prodromus & præcurſor. Vide dicta c. 3.2. Chriſtus ergo homines à terra cupiditatibuſque terrenis, velut vilibus, exiguis & caducis euocabat ad cælum, vt in eo reges regnarent cum Deo & Angelis in omni felicitate & gloriâ per omnem æternitatem. Hæc enim eſt vera ſapientia, hic terminus, hęc meta, hoc bonum, hæc felicitas noſtra. *Hoc eſt enim omnis homo.* Eccleſ. 12.14. Verè Gloſſa: *Ad Euangelium*, ait, *pertinet beatitudinis promiſſio, peccatorum remiſſio, adoptio, reſurrectio, cæleſtis hereditas, Angelorũ ſocietas.* Euangelio ergo reges fiunt, & regnũ datur, ait Interlin. non terreſtre & caducum, ſed cæleſte & ſempiternum. Daniel 7, v.27. VERS.17.

*Euangelium facit reges.*

*Babylæ Mimi per Euãgelij verba conuerſio.*

Quocirca Babylas Mimus habens duas concubinas, audiens legi hæc verba Euangelij: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum*, cælitùs à Deo tactus reſipuit, ac in cellam ſe recluſit, pœnitentiam per omnem vitam acturus, ſuas verò opes reliquit cõcubinis, quæ ipſius exemplo compunctę, ſimili modo in cellas ſeſe cõcluſerunt, ac iugem pœnitentiam egerunt. Ita Ioannes Moſcus in Prato ſpirit. cap. 31. nimirum viuus & efficax eſt ſermo Euangelij. Hebr. 4.12.

Appoſitè in Galilęa prędicauit hęc Chriſtus, tum quia Galilæa à Gentibus habitabatur, quæ minùs reſiſtebant Euangelio, quàm Iudæi; tum quia copioſa erat & populoſa, adeò vt Ioſephus lib. 3. belli capit. 2. de ea ſcribat: *In Galilæa crebræ ſunt ciuitates, & vbique multitudo vicorum propter opulentiam populoſa, vt qui ſit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habeat*; tum quia Galilæa

*Galilæa populoſa.*





*Galilæa, id eſt, volubilis.*

Hebr. idem eſt, quod tornatilis, volubilis, à גָּלַל *galal*, id eſt, *voluere, conuoluere, reuoluere*; ita dicta eſt Galilæa à reuolutis vicini maris fluctibus vel arenis, qui in littore vi æſtus maris ventorumq; cõuoluuntur & conglomerantur. In Galilæa enim Chriſtus reuoluit & tornauit perditos hominum mores, eosq; quaſi circinauit, vt inſtar globi, terram, & terrena tantùm in puncto tangerent; totâ verò reliquâ mole conuoluti & rotũdi cęlos rotundos tornatoſque reſpicerent. Adhæc è Galilæa, id eſt, è volubilitate mundi huius euocauit homines ad cælum & aſtra.

*Vel tranſmigratio.*

Rurſum Galilæa idem eſt quòd tranſmigratio, ait ſanctus Gregorius, & alij, à radice גָּלָה *gala*, id eſt, *migrauit*. In ea enim Chriſtus docuit homines, mente, affectu & amore à terra & terreſtribus migrare ad cælos & cæleſtia. Vnde Apoſtolos non niſi Galilęos, id eſt, tranſmigrantes (qui ſcilicet hoſpites terræ, & ciues cæli forent) elegit.

Hęc tranſmigratio fit per pœnitentiam. Porrò quàm rigida, longa, duraque fuerit olim in pane & aquâ per plures annos peccatorum pœnitentia, liquet ex pœnitentiali Romano, & ex canonibus pœnitẽtialibus S. Baſilii, S. Gregorij, Nyſſeni, Bedę, Rabani, Mauri, & Burchardi, qui coniunctim impreſſi extant. Denique apud Hiſpanos ægri & moribundi pœnitentiam agebant induendo habitum monaſticũ, & tonſuram ſuſcipiendo, quâ ceremoniâ profitebantur monaſticen: vnde ſi conualeſcerent, in monaſterio totâ vitâ degere debebant, nec ad ſæculũ redire poterant, vt patet ex Conc. Toletano 12.c.2. idque magno poſterorum exemplo fecit Wamba rex Hiſpaniæ ſub annum Domini 674. vt patet ex Mariana & Baronio tom. 8. anno Domini 680. in fine. Hac de cauſa Romæ pœnitentiarij põtificij virgam manu geſtant, tum quia ſunt iudices Apoſtoli in tribunali cõſcientię. Iudici enim virga recta, quaſi index rectitudinis iuſtitiæ pręfertur, iuxta illud de Chriſto: *Virga directionis, virga regni tui*, Pſal. 44.7. tũ quia in grauioribus publiciſq; delictis, pręſertim habentibus annexam excommunicationem, olim pœnitentiarij recitantes pſalmum *Miſerere*, reum virga verberabant, itaque eum abſoluebant, vti etiamnum ex priſco Eccleſiæ ritu in canonibus ſancito, in ſolenni ab excommunicatione abſolutione fit. Ita S. Anno Archiepiſcopus Coloniẽſis Henricum II. Imperatorem pœnitentem duriſſimis verberum plagis afflixit anno Domini 1056. vt habet eius vita apud Surium 4. Decemb. Hicque virgarum, ſiue, vt vulgò vocatur, diſciplinę, vel à pœnitente ſibi ipſi, vel à pœnitentiario pœnitenti inflictæ vſus, valdè viguit tempore B. Petri Damiani, qui floruit anno Domini 1040. vt patet ex pluribus eius epiſtolis, ac ex vita S. Dominici Loricati, vbi cẽtum annorum pœnitentiam fieri ait: vigeſies recitando totum pſalterium cum continua flagellatione, vnum enim pſalterium tale conficere quinque annos pœnitentiæ. Ita Henricus II. Angliæ rex, quia occaſionem dederat cędis. S. Thomæ (vti habet eius vita) Cantuarienſis Archiepiſcopi, pœnitens, nudis pedibus venit ad ſepulchrum S. Thomę, ac in loco cędis eiuſdem, proſtratus in terram, ad pedes Epiſcoporum ſcelus ſuum cum lacrymis confeſſus, ſcapulas nudauit, ab eiſque quinquies flagellationem ſuſcepit; à ſingulis verò monachis, qui numero erant 80. tres diſciplinæ ictus ſubijt ſub annum Domini 1170. Quid nos delicati ad hæc? Quò abijt priſcorum pœnitentia?

*Moribundi Hiſpani monaſticen profeſſi.*

*Pœnitentiarij virgas geſtant quaſi iudices.*

*Exempla. Henrici II. Imperatoris.*

*Henrici II. Angliæ regis.*

*S. Paulæ.*

Audiamus quid de S. Paula ſcribat S. Hier. in eius epitaphio: *Lectuli ſtrata nõ habuit, ſed ſuper duriſſimam humum ſtratis cilicijs quieſcebat: ſi tamen illa quies dicenda eſt, quæ iugibus penè orationibus dies noctesq; iungebat, illud implens de pſalterio: Lauabo per ſingulas noctes lectum meũ, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. In quo fontes crederes lachrymarũ: ita leuia peccata plangebat, vt illam grauiſſimorum criminum crederes reã. Cumq; à nobis crebriùs moneretur, vt parceret oculis, & eos ſeruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo, & ceruſſa, & ſtibio ſæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu. Mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda. Quæ viro & ſæculo placui, nunc Chriſto placere deſidero.* Vide eumdem epiſt. 30. graphicè deſcribentem raram Fabiolæ pœnitentiam.

AMBVLANS AVTEM IESVS IVXTA MARE GALILÆÆ, VIDIT DVOS FRATRES SIMONEM, QVI VOCATVR PETRVS, ET ANDREAM FRATREM EIVS, MITTENTES RETE IN MARE (ERANT ENIM PISCATORES) VERS.18. Luc. 5.15. Marc. 1.16.

ET AIT ILLIS: VENITE POST ME, ET FACIAM VOS FIERI PISCATORES HOMINVM. VERS.19. Luc. 5.10. Mar. 1.17.

AT ILLI CONTINVO RELICTIS RETIBVS SECVTI SVNT EVM] VERS.20.

*Supplenda ex S. Ioanne.*

Nota quoad ſeriem hiſtoriæ, multa hîc eſſe ſupplenda ex S. Ioanne cap. 1. ſcilicet quòd poſt baptiſmum Chriſti à Ioanne ſuſceptum, poſtque eius ieiunium 40. dierum in deſerto, & trinam ſatanæ tentationem, Iudæi miſerunt legatos ad Ioannem Baptiſtam, qui rogarent eum, an ipſe eſſet Chriſtus. Reſpondit Ioannes, ſe non eſſe Chriſtum. Poſtridie venit rurſus ad Ioannem Ieſus, tuncque de eo turbis dixit Ioannes: Ecce hic eſt Chriſtus. Quo audito, duo Ioannis diſcipuli contulerunt ſe ad Ieſum, è quibus vnus fuit Andreas, qui illicò fratrem ſuum Simonem Petrum adduxit ad Chriſtum; moxque Chriſtus vocauit Philippum, qui ad eumdem ſecum adduxit Nathanaëlem, ita vt Chriſtus iam quinque haberet diſcipulos nũc nominatos, qui cum ipſo interfuerunt nuptijs in Cana Galilęæ: ijdem mox relicto Chriſto rediére ad ſuam piſcationem. Inde Ieſus redijt in Iudæã, vbi habuit colloquium cum Nicodemo, quod recenſet Ioannes cap. 3. ibique baptizabat & patrabat miracula, quibus dum inclareſceret, timens inuidiam Scribarum & Phariſæorum, quorum accuſatione iã captus erat ab Herode Ioannes Baptiſta, iterùm reuerſus eſt in Galilęam, ibiq; vocauit Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, vti hîc narrat Matthæus. Quare ſolus Ioannes enarrat acta primi anni prædicationis Chriſti: Matthęus verò, Lucas & Marcus inchoant ab anno ſecundo prędicationis, qui fuit ætatis Chriſti 32. cùm congregauit Apoſtolos.

*Ordo vocationis Apoſtolorum.*

Hinc liquet aliam eſſe hanc vocationem Petri & Andreæ ab ea, quam recenſet Ioannes c.1.36. ibi enim Andreas à Ioanne Baptiſta necdum

*Vocatio Apoſtolorum multiplex.*

capto, miſſus eſt cum ſocio ad Chriſtum, eumque familiariter noſſe cœpit, non tamen ei diſcipulum ſtabilem ſe addixit; ſed ad ſua retia redijt: hîc verò capto iam Ioanne, Andreas & Petrus vocati à Chriſto ſe ei diſcipulos dedunt, cõſtanterque ei adhærent, nec ampliùs ad propria ſunt reuerſi. Eſt ergo hæc ſecunda Apoſtolorum vocatio. Tertiam vocationem addit S. Auguſtinus, Lyra, Maldonatus & Toletus, ſcilicet eam, quâ poſt miraculoſam capturam piſcium vocati à Chriſto, ei ſe totos addixerunt, vti recenſet Lucas c. 5. v. 10.

Sed verius eſt illam apud Lucam vocationem eamdem eſſe cum hac Matthæi: tum quia Petrus & Andreas, non niſi viſo illo miraculo in captura piſcium, de quo Lucas, vocati & permoti videntur ad indiuulsè ſequendum Chriſtum: tum quia Lucas æquè ac Matthæus dicit eos, relictis omnibus, ſecutos eſſe Chriſtum, quod ſanè abſolutè intelligendum videtur: neque veriſimile eſt eos ſemel planè pleneque vocatos, & Chriſtum ſecutos, rurſum ab eo defeciſſe, & quaſi apoſtataſſe, vt tertiò apud Lucã vocari debuerint. Denique *Io faciam vos fieri piſcatores hominum*, planè idem eſt cum eo, quod Chriſtus apud Lucam ait Petro: *Ex hoc iam eris homines capiens.* Eadem ergo eſt vocatio Apoſtolorũ à Matthęo & Luca recenſita, ſed Matthæus ſuccinctè vocationis ſubſtantiam aſſignat, eamq; quaſi per compendium perſtringit; Lucas verò more ſuo eiuſdem ſeriem & hiſtoriam particulatim & prolixè enarrat, vti fuſè & præciſè per ſingula oſtendit Ianſenius c. 26. Concordiæ Euang. Ita cenſet S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & alij. Iam ſingula verba expendamus.

Ambvlans] non caſu, non animi cauſa, ſed vt ad ſui ſequelam vocaret Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem: Chriſtus enim nec ambulationem, nec aliam actionem vllam exercebat ſolius naturæ vel recreationis cauſa, ſed omnes dirigebat ad finem ſpiritualem, ſcilicet ad Dei gloriam & aliorum ſalutem. Imitentur hoc Chriſtiani, præſertim ſacerdotes & religioſi; ſic nil facient otioſum, ſed omnia fructuoſa.

Ivxta mare Galilææ] Cui adiacet Capharnaum vrbs, in qua Chriſtus domum ſibi delegerat ad prædicandum domi ſuis diſcipulis, & in ſynagogis per Sabbata omnibus Iudæis. Mare hoc alio nomine vocatur Tiberiadis, item lacus vel ſtagnum Geneſareth.

*Cephas, id eſt, Petra Eccleſiæ.*

Simonem qvi vocatvr Petrvs] Qui ſcilicet à Chriſto, vocatus eſt *Cephas*, id eſt, Petra vel Petrus, Ioan. 1. 42. quia ſuper eum ædificaturus erat Eccleſiam ſuam. Matth. 16. 18. *Simon* Hebraicè idem eſt, quod *audiens, obediens:* שָׁמַע *ſcama* enim ſignificat audire, obedire. Vide dicta Geneſ. 29. 33.

*Simonis etymon.*

*Andreas, id eſt virilis.*

Andream] Andreas eſt Gręcũ nomen, quod à Græcis, quibus poſt Alexandrum Magnum ſubditi fuêre, accepêre Iudæi, vti & Iaſon Eupolemus, Lyſimachus, Menelaus, aliaque plura nomina Græca Iudæorum, quæ 2. Mach. 4. & ſeq. leguntur; Ἀνδρεῖος enim Græcè idem eſt, quod *virilis, robuſtus*, fortis, qualis reuera fuit ſanctus Andreas in cruce.

Mittentes rete in mare] Supple ex Luca cap. 5. 1. & ſeq. Chriſtum aſcendiſſe in nauiculam Petri, indeque docuiſſe turbas, mox iuſſiſſe Petro, vt mitteret rete in mare, qui illicò attraxit ingentem piſcium copiam, ita vt rete rumperetur; quo miraculo ad Chriſtum conuerſus eſt cũ Andrea, Iacobo, & Ioanne, qui omnes totos ſe Chriſto addixerunt. Tunc ergo quatuor hos diſcipulos vocauit Chriſtus, tùm voce, dicendo: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, vt ait hîc Matthæus; tum miraculoſâ capturâ piſcium, vt docet Lucas. Videtur hęc vocatio Apoſtolorum contigiſſe anno primo prædicationis Chriſti ad finem decurrente, putà anno 32. ętatis Chriſti in Februario, vel initio Martij ante Paſcha, vti dixi in Chronotaxi.

Venite post me] id eſt, ſequimini me, meũque vitæ Apoſtolicæ inſtitutum, vt relicto piſcationis, omniq; humano officio, totos vos mecum dedatis perfectioni & prædicationi Euangelicæ. Ego enim officium veſtrum in longè melius & diuinius commutabo. *Faciam* enim *vos piſcatores*, non piſcium ſed *hominum*. Chriſtiani enim ſunt quaſi piſces natantes in aqua baptiſmi:

*Sunt illic merces, plagæ, ſunt vota, rudentes;*
*Mors, pretium; virtus, prora; carina, ſalus.*
*Vincla, fides; malus, pietas; ſuſpiria, venti;*
*Spes, velum; remus, gratia; rector, amor.*

Hæc eſt nauis Eccleſiæ Chriſti, quâ in cælum enauigamus. Analogias nouemdecim piſcium & hominum recenſui Habacuc 1. 14. quas vide, ſi libet.

*Chriſtus vocatur piſcis. Cur.*

Hinc Chriſtus à priſcis vocatur ἰχθὺς, id eſt, piſcis: vnde & nominis ἰχθὺς initiales literæ, per acroſtichin hanc reddunt ſententiam: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, id eſt, *Ieſus Chriſtus Dei filius ſaluator*; de qua extat carmen Sibyllæ Erythrææ apud S. Aug. lib. 18. de Ciu. ca. 23. Tertullianum li. de Baptiſmo, & Proſperum 2. parte prędict. c. 39. S. Lucas ait Chriſtum dixiſſe Petro: *Ex hoc iam homines eris capiens* Gręcè ζωγρῶν, id eſt, *viuos capiens*, vel *ad vitã capiens*. S. Ambr. vertit *viuificãs*, q. d. Piſcatores capiunt piſces ad mortem, vt ſcilicet eos occidant & comedãt; at tu, ô Petre, cùm ceteris Apoſtolis capies homines ad vitã, vt ſcilicet moriantur vitæ veteri, quâ vixerunt in peccatis, & inchoent nouam vitam, quâ in ſanctitate viuant Deo, iuxta illud Roman. 6. *Exiſtimate vos mortuos peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu.* Et Coloſſ. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Præclarè S. Auguſtinus tract. 7. in Ioannem: *Volens Chriſtus*, inquit, *ſuperborum ceruices frangere, non quæſiuit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorẽ. Magnus Cyprianus orator, ſed priùs Petrus piſcator.* Nimirum Chriſtus per piſcatores conuertit oratores, Imperatores, & omnes mundi principes. Hoc fuit miraculum miraculorum, & opus proprium Deo. Vnde illud præuidens & prædicens Ierem. c. 16. v. 16. *Ecce*, inquit, *ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus. & piſcabuntur eos.* Hoc eſt quod admiratur Paulus 1. Corinth. 1. dicens: *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia*, &c. Cauſam ſubdit: *Vt non glorietur coram eo omnis caro*, ſed *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Vide ibi dicta.

At illi continvo relictis retibvs secvti



svnt evm] Tanta vis fuit miraculi capturæ piſcium, & vocis Chriſti vocantis Apoſtolos eos, tum exteriùs dicentis: *Venite poſt me*, tum magis interiùs mentes eorum ſua gratia pulſantis: Apoſtoli enim hi primarij, ea auditâ, continuò mutarunt nauim, & retia in domum & ſcholam Chriſti, ac piſcium lucrique cupiditatem in zelum animarum. Fit ergo hîc mare, terra; nauis, Eccleſia; piſces, homines vagi errantesque in terra, vt piſces in vaſto mari.

Relictis retibvs] Sub retibus intellige nauim, domum, piſcandi officium, famulos, parentes, cognatos, domeſticos, ceteraque omnia, iuxta illud S. Petri, ad Chriſtũ: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Matth. 19. 27. Quod ergo occiſo Chriſto hi Apoſtoli Ioannis 21. 3. piſcationi operam dediſſe leguntur, non id fuit animo repetendi piſcationis officiũ, ſed vt otium fallerẽt, & mentem ex Chriſti nece afflictam hac veteri occupatione recrearent. Hoc exemplum Apoſtolorum imitentur qui à Chriſto ad Apoſtolatum, ad actus heroïcos, ad vitam perfectam, & religioſam vocantur, vt relictis parentibus, domibus, opibus, &c. continuò eum ſequantur, de nulla re ſolliciti, ſed omnes ſuas ſollicitudines in Chriſtum, qui eos vocat, reſignãtes. Chriſtus enim de omnibus hiſce eis abundè prouidebit, & centuplum, quod Matth. 19. promiſit, repẽdet. Sapienter S. Bernardus ad eos, qui Deũ ad ardua vocantem ſequi trepidant: *Quid times?* inquit, *quid dubitas? Vocat te magni conſilij Angelus, quo nemo eſt ſapientior, nemo fortior, nemo fidelior.* Tropologicè Scholiaſtes in Marci cap. 1. apud S. Hieronymum: Relinquenda ſunt, ait, retia aranearum, quibus velut culices tenebamur, putà vanitates mundi.

Vers. 21. Luc. 5. v. 9. Mar. 1. v. 19. 20.

Et procedens inde, vidit alios dvos fratres, Iacobvm Zebedæi, (filium) et Ioannem fratrem eivs, innavi cvm Zebedæo patre eorvm, reficientes (Græcè καταρτίζοντας, id eſt, reſarcientes, redintegrantes) retia sva (rupta vel vitiata) et vocavit eos]

*Iacobi etymon.*

Iacobvs] Hebr. idem eſt, quod *ſupplantator*, vt patet Geneſ. 25. 26. ipſe enim ſupplantauit mundum & mundana omnia, vt Chriſtum ſequeretur.

*Zebedæi.*

Zebedævs] idem eſt, quod *donans, liberalis, munificus*; ipſe enim iam ſenex duos filios, qui erant baculus ſenectutis ſuæ, vltrò Chriſto obtulit & donauit זָבַד *zabad* enim eſt dare, donare, dotare.

*Ioannis.*

Ioannem] Ioannes idem eſt, quod *gratia Dei*, hanc enim copioſè pręceteris Apoſtolis in Ioannem effudit Chriſtus. *Hac Apoſtolorum quadriga*, ait Anonymus, *vehimur ad æthera, his quatuor angulis cõſtituitur prima Eccleſia.* Nimirum Petrus ſuo exemplo nos monet illicò obedire Chriſto vocanti; Andreas viriliter vocationem proſequi: Iacobus ſupplantare aduerſarios; Ioannes ad hæc implenda crebrò flagitare Dei gratiam.

Vers. 22. Luc. 5. v. 11. Mar. 1. v. 20.

Illi avtem statim relictis retibvs (Græcè & Syriacè pro *retibus* eſt *naui*) et patre secvti svnt evm] Moti tum voce Chriſti, tum miraculo capturę piſcium in naui Petri, ipſi enim quaſi ſocij Petri, eum in attrahendo reti tot piſcium adiuuerant, vt ait Luc. 5. 9.

Nota: Lucas cap. 5. verſ. 11. horum quatuor Apoſtolorum vocationem in vnum cõuoluit, vnaque ſententià perſtringit, de omnibus dicens: *Et ſubductis ad terrã nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum.* Sed Matthæus illam euoluit, & particulatim enarrat, duplicemque vocationem aſſignat; priorem Petræ & Andreæ; ſecundam Iacobi & Ioannis. Hæc eſt enim hiſtoriæ ſeries: Chriſtus naui Petri vectus, docensque turbas, appulit ad littus, ibique vocauit Petrum & Andream, dicens: *Venite poſt me.* Mox paulò vlteriùs progreſſus vidit Iacobum & Ioannem, ſocios Petri & Andreę reficientes tum rete Petri ex captura tot piſcium iam ruptum, tum retia ſua, ibique eos vocauit, dicens: *Venite poſt me*; illi hac voce exciti, & miraculo capturæ piſcium, cui interfuerant, commoti, & exemplo Petri & Andreę inuitati, illis ſe adiungentes, illicò relicto Patre & omnibus, Chriſtum ſecuti ſunt. Ita ex S. Auguſtino libr. 2. de Conſenſu Euang. cap. 17. Ianſenius, Franc. Lucas, & alij.

Vers. 23. Luc. 4. v. 44. & 8. v. 1 Mar. 1. v. 39. Inf. 9. v. 35.

Et circvibat Iesvs totam Galilæam, docens in synagogis eorvm, et prædicans Evangelivm regni, et sanans omnem langvorem (Græcè νόσον, id eſt, morbũ, iam habituatum, ait Euthymius, & radicatum etiam inſanabilem) et omnem infirmitatem (Græcè μαλακίαν, id eſt, mollitiem, languorem, virium defectionem, laſſitudinem, quæ ſolet morbi eſſe prænuntia) in popvlo] Id fecit Chriſtus, tùm vt miraculis hiſce Euangelium ſuũ, & nouam inauditamq; legem, quam in mũdũ inferebat, confirmaret: Ieſus enim *auctoritatẽ ſibi, ſuæq; legationi conciliauit claritate ſignorum*, ait S. Chryſoſtomus; tum vt per ſanitatem corporis ſanaret animam: ſanati enim corpore ob hoc beneficiũ & miraculum credebant & dedebant ſe Chriſto. *Euangelium regni*, eſt lætum nuntium de regno cælorũ iam iam per Chriſti mortem aperiendo, & de via & modo illud ineundi, & reipsâ conſequendi: vtrumque enim prædicabat Chriſtus aſſiduè & continuò, non equo nec curru vectus, ſed pedibus incedens, circumeundo omnes vrbes & pagos Galilææ. Mirare hîc in Chriſto indefeſſum prædicandi ſtudium, ac labores Euãgelicos, imò Angelicos, illosque imitare.

Vers. 24. Luc. 4. v. 14 & 6. 18. 19. Marc. 3. v. 10. 11.

Et abiit opinio (Græcè ἀκοὴ, id eſt, auditio, rumor, fama) eivs in totam Syriam, et obtvlervnt ei omnes male habentes variis langvoribvs et tormentis (Græcè βασάνοις, id eſt, *torminibus, cruciatibus*, qui ſimiles ſunt ijs, quos ſentiunt illi, qui in eculeo torquentur & cruciantur: βάσανος enim propriè eſt *quæſtio*, quâ reus in eculeo torquetur, vt delictũ & complices delicti confiteatur) comprehensos, et qvi dæmonia habebant (dæmoniacos, obſeſſos & poſſeſſos à dæmonibus) et lvnaticos, et paralyticos, et cvravit eos] Lunatici ſunt ægri, qui lunæ & lunationibus ſubiacent, vt iuxta eas ægriùs habeant, aut delirent, & inſaniant. Vnde Arabicus vertit: *Et qui agitabantur, in principijs lunationum.* Lunatici, ait Apuleius, ſunt qui curſum lunæ patiuntur, putà in quos luna agit: hæc enim dominatur humidis, ijsque, qui humido & debili ſunt cerebro: vnde in nouilunio & plenilunio humores, putà pituitam & melancholiam

*Lunatici qui.*

A auget & miſcet, itaque cerebrum turbat, agitque in delirium, maniam, phreneſin; quales potiſſimũ ſunt epileptici, qui comitiali morbo laborãt (quo agitari illos perhibent, qui nati ſunt interlunio, id eſt, inter deficientem lunam & nouilunium, licèt id neget Valeſius S. Philoſophiæ ca. 71.) aut inſania, aliove morbi genere quopiam, certis lunę tẽporibus grauantur & agitantur: cui malo ſæpè ſe dæmon immiſcet, grauiusque tales affligit magis concitando humores, præſertim bilem vtramque, tam atram quàm flauam, id eſt, melancholiam & choleram, in quo ipſe ſubinde malum hoc procurat & efficit, vt patebit. c. 17. verſ. 17. & 18. Dæmon enim, ait Gloſſa, lunæ tempora ſeruat, vt creaturam infamet in creatoris blaſphemiam; vtque per humores à luna commotos magis phantaſiam turbet, hominesque tentet & vexet triſtibus & cholericis phantaſmatibus, ac ſubinde adigat ad deſperationem, & necem ſibi inferendam.

Et cvravit eos] A nulla horum fidem requiſiuit, ait S. Chryſoſtomus, nondum enim virtutem ſuam oſtenderat, & venientes à longè paruam adhuc in eum fidem habebant: poſteà verò ab ægris fidem requiſiuit, vt patebit in ſequentibus. Nubes quaſdam ſignorum, ait Chryſoſtomus, Matthæus paucis verbis tranſcurrit, è quibus nonnulla poſteà diſtinctiùs & fuſiùs enarrabit.

*Lunatici ſunt inconſtantes.* Myſticè lunatici ſunt varij, mutabiles & incõſtantes, qui nunc Deo & pietati, nunc diabolo & cupiditatibus ſeruiunt, iuxta illud: *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Eccleſ. 27:12. Vide ibi dicta.

Vers. 15. Luc 6. v. 17. Et secvtæ svnt evm tvrbæ mvltæ de Galilæa et Decapoli, et de Hierosolymis, et de Ivdæa, et de trans Iordanem] Mar. 3. v. 8. Secuti ſunt multi Chriſtum, ait Gloſſa, alij ob cæleſtia, alij ob curationem, alij famâ & curioſitate ducti, alij per inuidiam volentes eum in aliquo carpere & accuſare. Cauſam dat S. Bern. ſer. 1. de Omnibus Sanctis, dicens: *Prædicantem Dominum de ciuitatibus & caſtellis populi ſequebantur quorum ſaluabat animas, ſanabat corpora, & adhærebant ei, affatu pariter & aſpectu illius delectati; cuius nimirũ vox ſuauis, & facies decora, ſicut ſcriptum eſt. Speciosus formâ præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis; talis eſt quem nos ſequimur, cui adhæremus, totus deſiderabilis in quẽ non ſolùm populi, ſed & ipſi quoque Angeli ſancti deſiderant proſpicere,*

*Decapolis quæ?* Decapolis] Eſt regio decem non tribuum, vt habet Gloſſa interlinearis, ſed vrbium: δέκα B enim ſunt decem, πόλις eſt *vrbs*. Decem harum vrbiũ nomina, teſte Brochardo & Adrichomio, hæc ſunt. Tiberias, Sephet, Aſor, Cedes, Cæſarea Philippi, Capharnaum, Iotapata (cui præfuit Ioſephus contra Romanos & Titum pugnans) Bethſaida, Corozaim, Bethſan, ſiue Scytopolis.

Et de trans Iordanem] id eſt, de regionibus vltra Iordanem ſitis reſpectu Galilęæ, quæ erat cis Iordanem, in qua prædicabat Chriſtus, vti ſitæ ſunt Galaad, Trachonitis, Abylina, Seir, Cæleſyria, & Batanæa olim Baſan dicta, quæ fuit ditio Og regis. Syri enim & Chaldæi ſæpè Hebræum *Schin* in *Tau* commutant, vt pro *Baſan* dicant *Batan*; pro *Scheloſcha, telata*, id eſt, tria; pro *ſchabar tebar*, id eſt, fregit; pro *ſchub, tub*, id eſt reuerſus eſt, pro *ſcor, tor*, id eſt, taurus. Vlteriùs verò ſita erat Arabia triplex, ſcilicet felix, Petræa, & deſerta. Ex his omnibus regionibus multi famâ doctrinæ & miraculorũ Chriſti exciti, ad eũ cõfluxerunt, eumq; quaquauerſum comitati ſunt.

# CAPVT QVINTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*INcipit hîc ſermo Chriſti in monte, quem hoc capite, & duobus ſequentibus enarrat Matthæus, quo primo docet octo beatitudines Euangelicas. Secundò v. 22. corrigit iuſtitiam Scribarum, ac decalogum perfectè docet & explicat, ſcilicet eo non tantùm externũ actum homicidij, adulterij, furti, ſed & internam concupiſcentiam prohiberi.*

1. VIdens autem Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius; 2. & aperiens os ſuum docebat eos, dicens: 3. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. 4. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. 5. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. 6. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. 7. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 8. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. 9. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. 10. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. 11. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me. 12. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis: ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. 13. Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. 14. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. 15. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus,



vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, quæ in cælis eſt. 17. Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut Prophetas: non veni ſoluere, ſed adimplere. 18. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. 19. Qui ergo ſoluerit vnum de mãdatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. 20. Dico enim vobis, quia niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quã Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. 21. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. 22. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis, 23. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: 24. relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. 25. Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dùm es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris, 26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. 27. Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis. 28. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. 29. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & proijce abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. 31. Dictum eſt autem: quicumque dimiſerit vxorẽm ſuam, det ei libellum repudij. 32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. 33. Iterùm audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non periurabis; reddes autem Domino iuramenta tua. 34 Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei eſt: 35. neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neque per Hieroſolymam, quia ciuitas eſt magni regis: 36. neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. 37. Sit autem ſermo veſter: eſt, eſt, nõ: non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. 38. Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. 39. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: 40 Et ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. 41. Et quicumq; te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo. 42. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris. 43. Audiſtis, quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: 45. vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & Publicani hoc faciunt? 47. Et ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & Ethnici hoc faciunt. 48. Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.

Vers. 1. *Chriſtus iuit ad montem.* VIdens avtem Iesvs tvrbas, ascendit in montem; et cvm sedisset, accesservnt ad evm discipvli eivs] *Cur? Cauſa. Prima.* Cauſæ multæ fuerunt, cur Chriſtus aſcenderit in montem. Prima, vt inſtante nocte, ibi ſe daret quieti; turbæ verò ad vicinas villas ſe conferrent, ibi pernoctaturæ, & manè ad Chriſtum redituræ. *Secunda.* Secunda, vt in monte totâ nocte oraret, vti fecit, teſte Luca. *Tertia.* Tertia, vt ibidem manè facto è diſcipulis ſuis eligeret duodecim Apoſtolos, vti ipſum feciſſe narrant Lucas & Marcus. *Quarta.* Quarta, vt è monte ſublimi ſublimem & cæleſtem Euangelij doctrinam depromeret. Quinta, vt antitypus reſponderet ſuo typo, & veritas ſuæ figuræ, A Lex enim vetus, quæ typus fuit nouæ, edita fuit in monte Sina, Exod. 19. Noua autem magis excelſa & ardua eſt, quàm vetus; in celſiori ergo monte eam prædicari oportuit.

Tropologicè Auctor imperfecti homil. 9. dat cauſam Chriſti aſcenſus in montem: *Vt oſtendat nobis*, inquit, *quoniam in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet iuſtitiam Dei pariter & qui audit.* Et quod ad doctorem ſpectat, ſtatim rem confirmat: *Qui docet*, inquit, *verborum ſuorum ſit ipſe exemplum, vt magis opere doceat, quàm ſermone: qui autem ambulat per conualles vitæ terrenæ, & loquitur altos ſermones, non alterũ inſtruit, ſed ſeipſum caſtigat. Nemo enim poteſt in valle ſtare, &*

*de monte loqui: Si in terra eſt animus tuus, vt quid de cælo loqueris? Si autem de cælo loqueris, in cælo conſiſte:* Quod ad adiutorem pertinet non minùs eleganter: *Qui*, inquit, *audit iuſtitiam Dei, ideò debet in altitudine bonorum operum conſiſtere, quia diſcipulus imitator eſſe debet magiſtri. Si autem in peccatis viuis, & audias iuſtitiæ verba, iudiciū tibi, non ſalutem acquiris: audis enim vt excuſationem habeas. Si facere iuſtitiam non vis, vt quid prædicatorem iuſtitiæ audis, vt quid doctorem appellas cuius non vis eſſe diſcipulus?*

Queres, quis fuit hic mons? *Nonnulli ſimplicium fratrum*, ait S. Hieronymus, *putant Chriſtum beatitudines, & cetera quæ ſequuntur in monte Oliueti* (qui eſt in Iudæa iuxta Ieruſalem) *docuiſſe, quod nequaquam ita eſt. Ex præcedentibus enim & ſequentibus in Galilæa monſtratur fuiſſe locus, quem putamus eſſe vel Thabor, vel quemlibet alium excelſum montem.* Chorographi terræ ſanctæ, vt Brocardus Itinerario 3. B Bredenbachius ibidem, Fretel. pag. 8. Salignia- *Mons Chriſti quis?* cus tomo 9. cap. 8. Adrichomius pag. 111. num. 69. tradunt hunc montem vocari montem Chriſti, quòd Chriſtus in eo ſolitus ſit orare & prędicare, qui ab vrbe Capharnao verſus Occidentem tribus milliaribus diſtat, nec procul à mari Galilææ abeſt, adiacetque vrbi Bethſaidæ. Altitudo eius tanta eſt, vt inde terra Zabulon, Nephtalim, Trachonitis, Ituræa, deniq; Seir: Hermon & Libanus montes cōſpici poſſint. Naturâ totus herboſus, floridus & amœnus, ac cęleſti philoſophiæ conuenientiſſimus. Vnde & Chriſtus frequenter in hoc loco orauit & docuit. Hîc diuinâ oratione integras noctes traxit. Hîc omnibus diſcipulis ſuis ad ſe vocatis, duodecim, ex eis delegit, quos & Apoſtolos ordinauit ac nominauit. In hoc ergo monte celſo Chriſtus habuit hunc ſermonem prolixum quo ſummam Euangelij & perfectio- C nem legis nouæ docet, & paucis complectitur. Oſtenditur adhuc in eo lapis, ait Adrichomius, in quo Chriſtus prædicans ſedit, & loca in quibus Apoſtoli conſediſſe memorantur. Hucuſque illi

Nota; voluit Matthæus inchoans à prædicatione Chriſti ſummam eius initio tradere, vt nouæ legis præ veteri ſublimem doctrinam, ſanctitatem & perfectionem ſtatim lectori repræſentaret per ſermonē, quem Chriſtus habuit in mōte, etiamſi longè poſteriùs is habitus ſit. Multa enim eum anteceſſerunt, quæ in ſequentibus re- *Series hiſtoriæ.* cenſebit: hęc ergo fuit ſeries hiſtoriæ. Chriſtus cùm cuidam manum, quæ exaruerat, reſtituiſſet die Sabbati, vt habet Matth. cap. 12. 15. Fugiens iram Scribarum, recepit ſe ad mare Galilęæ, vbi D affluente turbâ, cùm multos ægros ſanaſſet, aſcēdit in montem, in quo cùm pernoctaſſet in oratione, manè duodecim Apoſtolos conſtituit. Lucæ 6. v. 12. Quo facto, vt habet Lucas, deſcendit è faſtigio montis ad locum in eo decliuiorem & campeſtrem, ibique ſedens, ſequentem habuit concionem partim ad diſcipulos, partim ad totam turbam; nam hanc concioni interfuiſſe patet hîc cap. 7. 28. Porrò eamdem hanc eſſe concionem cum illa, quam recenſet Lucas cap. 6. liquet ex eodem vtriuſque argumento, eodem initio, & fine eodem. Vtrobique enim proponitur à Chriſto ſumma Euāgelicę pręedicationis & perfectionis. Licèt enim Matthæus octo numeret beatitudines, Lucas verò quatuor dumtaxat; tamē in illis octo hę quatuor, & in his quatuor illę

A octo continentur, vt aduertit S. Ambroſius: Lucas enim in rebus geſtiſque Chriſti ſtrictior, Matthæus verò in dictis verbiſque eius enarrandis eſt fuſior, magiſque ſe expandit, vti dixi canone 14.

Igitur electio Apoſtolorum à Chriſto facta eſt in cacumine montis: ſermo verò ſequens habitus eſt in deſcenſu montis, ſiue in loco campeſtri, vt ait Lucas. Ita Ianſenius, Franc. Lucas, & alij, licet Maldonatus putet habitum in ipſo monte, quodque Chriſtus è loco campeſtri rurſus conſcenderit montem, ibique legem nouam promulgarit.

Porrò Matthæus vocationem Apoſtolorum, quę hunc ſermonem anteceſſit, reiicit in cap. 10. quia necdum ipſe ſuam à Chriſto vocationem enarrarat; hanc enim narrat cap. 9. Certum eſt autem Matthęum, vti & ceteros Apoſtolos, huic B ſermoni Chriſti interfuiſſe. Habitus fuit hic ſermo à Chriſto ſub medium Maij, cùm paulò antè eodem manè electio Apoſtolorum ab eo facta eſſet, anno ætatis eius 32. qui fuit prædicationis Chriſti ſecundus, vti dixi in Chronotaxi num. 21.

Et cvm sedisset] Doctoris enim eſt in cathedra vel altiori loco ſedere, vt eminùs audiatur; diſcipuli verò eſt docenti aſtare vel ſubſidere, in humiliori ſcamno vel loco. Rurſum ſeſſio tranquillitatem Chriſti notat; corpore enim ſedēte, mens pariter ſedata quaſi ſedet, & apta eſt rebus diuinis meditandis & docendis. Quâ de cauſa S. Bernardo familiare fuit ſedere.

Et aperiens os svvm, docebat eos, dicens:] Aperire os Hebr. idem eſt, quod lo- *Vers. 2.* qui, ſed hîc emphaſim habet, q. d. Chriſtus res C ſublimes, miras & magnas ac diuina myſteria, quæ anteà tacuerat & mente celarat, iam reſerans aperto ore patefecit. Ita Hilarius, S. Bernardus verò ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum: *Aperuit*, ait, *nunc os ſuum, qui priùs aperuerat ora Prophetarum, &c. Verè apertum eſt os eius, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi.*

Beati pavperes spiritv (Ægyptius *in ſpiritu*) qvoniam ipsorvm est regnvm cælo- *Vers. 3.* rvm] Chriſtus à beatitudine, quam omnes quærunt & ambiunt, ſed pauci inueniunt & nanciſcuntur, orditur ſermonem, vti & Dauid librum Pſalmorum, dicens: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum*, &c. Pſal. 1.

Docet ergo Chriſtus alijs in rebus ſitam eſſe veram beatitudinem, quàm vulgus autumet, aut Philoſophi tradant, ſcilicet in paupertate ſpiri- D tus, in manſuetudine, in ſiti iuſtitiæ, in ſancto luctu, in patientia & pace.

Beati ergo ſunt pavperes spiritv] *Bea- Luc. 6. v. 20.* *ti*, inquam, in ſpe, ſed nondum in re; *Beati* beatitudine viæ, non patriæ, quia ſcilicet in recta ſunt via tendente ad beatitudinem; *Beati* in inchoatione virtutis & pacis, non in conſummatione coronæ & glorię. Beatitudo, ait Nyſſenus, eſt dos propria Deo: dum ergo Chriſtus paupe- *Beatitudo, dos Dei.* res ſpiritu facit beatos, facit eos participes diuinitatis.

Alludit ad illud Moſis Deuter. 33. 29. *Beatus es tu Iſrael: quis ſimilis tui popule, qui ſaluaris in Domino?* Pauperes enim ſpiritu ſunt Iſraël, populus electus, qui ſuam ſpem, opes, ſalutem & felicitatem collocarunt in Domino: quia enim ſper-

ſpernunt opes terræ, ijſque dominantur; hinc ſunt Iſraël, id eſt, dominantes Deo & cælo: *quo-* *Beati etymon.* *niam ipſorum eſt regnum cælorum.* Porrò Iſidorus li. 10. Orig. littera B. *Beatus*, inquit, *dictus quaſi benè auctus, ſcilicet, ab habendo quod velit, & nil patiendo quod nolit. Ille autem verè beatus eſt, qui & habet omnia, quæ vult bona, & nihil vult mali. Ex his enim duobus beatus homo efficitur.* Sic & Varro lib. 4. de Lingua Latina: *Beatus*, inquit, dicitur, qui multa habet bona, & is *opulentus*, ab ope, cui eæ opimæ. *Diues*, à diuo, qui vt Deus nihil indigere videtur, Et Cicero Tuſcul. 3. *Beatus eſt*, inquit, *cui ſecretis malis omnibus cumulata eſt bonorum complexio.* Quæ autem verè ſint bona, hîc oſtendit Chriſtus, nimirum paupertatem ſpiritus, manſuetudinem, ſanctum luctum, ſitim iuſtitiæ, &c. quare qui hęc poſſident, beati ſunt: ideoque ſemper gaudent. Vnde Ariſtoteles li. 7. Ethices vocem μακάελος, id eſt, beatus, deriuat χαίρειν, id eſt, *gaudere*, quaſi beatus ſit, qui ſemper gaudet.

Hæ octo beatitudines ſunt quaſi octo mundi paradoxa. Mundus enim & Philoſophi beatitudinem collocant in opulentia, nō in paupertate; in ſublimitate, non in humilitate; in ſaturitate, nō in eſurie; in gaudio, non in luctu, &c. Vnde S. Ambroſius libr. 1. de Offic. cap. 16. *Inde*, ait, *incipit beatitudo iudicio diuino, vbi ærumna æſtimatur humano*; ſtultā ergo facit hîc Chriſtus ſapientiam mundi, vt ait Apoſtolus 1. Cor. 1. *Veritas loquitur*, ait S. Bernardus in feſto omnium Sanctorum, *quæ nec falli nec fallere poteſt, & ipſa eſt quæ dicit: Quoniā beati pauperes ſpiritu. Sic vos inſenſati filij Adā diuitias quæritis, diuitias deſideratis vſq; adhuc, cùm iam beatitudo pauperum diuinitùs commendata, prædicata mundo, credita ſit hominibus? Quærat eas paganus, qui ſine Deo viuit. Quærat Iudæus, qui terrenas promiſſiones accepit: ſed quâ fronte magis, aut qua mente Chriſtianus diuinas quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicauit?* Et S. Gregorius Nazianz. orat. 12. initio: *Monachorū elogia.* *Monachorum*, ait, *opes in paupertate, poſſeſſio in peregrinatione, gloria in cōtemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu (ſiquidem præſtantiores fœtus illi ſunt, qui ſecundùm Deum exiſtunt, quàm qui à carne ortum ducunt) qui delicijs minimè ſtudere pro delicijs habent, qui regni cæleſtis cauſa humiles ſunt, qui in mūdo nihil habent, & ſupra mundum exiſtunt, qui etiam in carne extra carnem viuunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopia laborant, & propter inopiam regnant.*

Has Chriſti beatitudines in templo legi au- *Simeon Stylita.* diens Simeon Stylites, cùm oues paſceret, illicò ijs relictis adijt monaſterium, mox columnam conſcendit, ac ſtetit in ea perdius & pernox, vix comedens, ſemper cæleſtia meditans, factus orbi portentum, vt beatitudines haſce aſſequeretur. Menologium Græcorum die primâ Septembris aſſerit eum ſtetiſſe in columna 47. annos. Baronius verò ſupra 80. mortuumque anno Chriſti 460. Idem Simeon quotidie bis prædicans ad affluentem turbam non aliud concionabatur, quā *Contemnite terreſtria, amate & ambite cæleſtia, quæ ſola vos beabunt*, vti refert Theodor. oculatus & auritus teſtis in eius vita.

Porrò S. Lucas c. 6. 24. ſingulis beatitudinibus apponit & opponit ſingulas infelicitates, comminans illis *væ*, id eſt, æternam damnationem & gehennam, de quo ibidem. Denique has octo bea-

A titudines non diſtingui â virtutibus eiuſdem nominis, nec à donis Spiritus ſancti docet Suarez li. 2. de Neceſſ. gratiæ c. 22. vbi fusè omnes octo explicat.

Pavperes spiritv] Pauperes hîc vocantur ij, qui carent bonis non naturæ, nec gratiæ, ſed fortunæ & opum. Pauperes ergo hîc propriè accipiuntur; opponuntur enim diuitibus. Luc. 6. 24. *Væ*, inquit, *vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram*; diuitiæ enim ſunt cauſa ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, iniuſtitiæ, &c. quæ diuites trahunt in gehennam, vti traxerunt diuitem epulonem. Lucę 16. Ideoque hîc propriè dictis pauperibus in terra, promittuntur diuitiæ cęleſtes, ipſumque regnum cælorum. Idque ſignificat vox Græca πτωχοὶ, id eſt mēdici, ac Hebr. רָשִׁים *raſchim*, & Syrum מִסְכֵּנָא *meſchine*. Vnde Italicum *me-* B *ſchino.*

Beati ergo hîc dicuntur pauperes non omnes, *Pauperes* nec qui inuitâ aut miſerabili neceſſitate ſunt pau- *ſpiritu qui?* peres, aut ex vana gloria, aut ex liberiùs philoſophandi ſtudio, vt Diogenes, Ariſtides, & Crates Thebanus, qui magnū auri pondus, teſte S. Hieronymo, proiecit in mare, dicens: *Abite malæ vo-* *Crates.* *luntates, mergo vos, ne mergar à vobis*: ſed *ſpiritu*, id eſt, laudabili voluntate à Spiritu ſancto inſpirata, & ad ſpiritualia bona tendenti, cùm ſcilicet paupertas propter Deum & regnum cælorum ſpontè ſuſcipitur, vti fit à religioſis, qui eam profitentur & vouent; aut certè patienter toleratur, vti fit à fidelibus, qui à perſecutoribus, raptoribus, vel incendio, naufragio, &c. bonis ſpoliatur. Ita S. Hieronymus, S. Baſilius in Regul. breuior. C interrog. 207. & S. Bernardus ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorum.

Nota: Triplices ſunt pauperes, primò, cenſu, *Triplices* vt mendici; ſecundò, ſenſu & ſpiritu, vt Abrahā, *pauperes.* qui cenſu erat diues, ſed ſpiritu & affectu pauper; tertiò, cenſu & ſpiritu, vt religioſi, qui ex affectu & amore paupertatis eam vouent, & bonis omnibus ſe abdicant. Vice verſa triplices ſunt di- *Triplices diuites.* uites, primò, cenſu, vt mercantes; ſecundò, ſpiritu, vt auari, qui ambiunt opes; tertiò, cenſu & ſpiritu, vt diuites, qui magis cupiunt ditari: *Vis intelligere*, ait Nyſſen. lib. de Beatitudinibus, *quis pauper ſpiritu ſit? qui corporalem opulētiam animæ diuitiis permutat: qui propter ſpiritum egenus eſt, qui terrenas diuitias veluti quoddam onus excuſſit & abiecit, vt ſublimis per aërem ſurſum rapiatur, vt inquit Apoſtolus, in nube vnà cum Deo per cæleſtia tendens. Ponderoſa quædam res eſt aurum, oneroſa res omnis, quæ diuitiarum cauſa expetitur; leuis verò res quædam, & ſublimia pe-* D *tens eſt virtus. Si igitur ad ſuperna nos accedere oportet, ab ijs quæ deorſum trahunt inopes, & egeni ſimus, vt in ſupernis verſemur.*

Vox *ſpiritu* ergo tria ſignificat; primò enim *Spiritu tria ſignificat.* opponitur carni & cenſui, & ſignificat huius *Primò.* paupertatis ſubiectum eſſe non corpus, ſed ſpiritum, id eſt, voluntatem, q. d. Beati pauperes non carne, non cenſu, ſed ſpiritu, quorum ſpiritus pauper eſt, id eſt, amans paupertatis, hoc eſt, contemnens terrena, & amās cæleſtia. Hic enim eſt pauper ſoli, ſed diues cæli. Sic ſæpè ſumitur *ſpiritus* in Scriptura, vt cùm ait Apoſtolus Roman. 1. 9. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo.* Et Chriſtus Ioannis 4. *Deus ſpiritus eſt, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.*

q. d.

q.d. Non cerémonijs externis, ſed interno ſpiritu & deuotione mentis adorandus eſt Deus, iuxta illud Catonis:

*Si Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt,*
*Hic tibi præcipuè pura ſit mente colendus.*

*Secundo.*

Ita S. Bernardus ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum: *Pauperes*, ait, *ſpiritu, id eſt, ſpirituali volũtate, ſpirituali intentione, deſiderio ſpirituali propter ſolum beneplacitum Dei, & ſalutem animarum*; idque dicit: *propter plebeios pauperes neceſſitate miſerabili, non laudabili voluntate.* Secundò, τὸ *ſpiritu* ſignificat originem huius paupertatis non eſſe ex neceſſitate, oſtentatione, vanitate, vti fuit Diogenis, Crateris, Ariſtidis, ſed ex Spiritu ſancto, hic enim aſpirat nobis voluntatem huius paupertatis Euangelicę, facitque, vt ſit virtus Chriſtiana, imò religioſa & diuina. Verè S. Auguſtinus in Sentent. ſententia 250. *Diues*, ait, *qui talis eſt, vt contemnat in ſe quidquid illud eſt, vnde inflari ſuperbia ſolet, pauper eſt Dei.* Et S. Hieronymus: *Spiritu*, ait, id eſt, *propter Spiritum ſanctum voluntariè pauperes.*

*Tertio.*

Tertiò, τὸ *ſpiritu* ſignificat finem huius paupertatis, ſcilicet quòd contemptus opum referatur ad ſpiritum; id eſt, ad ſpiritualia bona, vt liberi à terrenis, expeditiùs capiamus, & tendamus ad cæleſtia: pauper ergo cenſu, ſit diues ſenſu.

Nota τὸ *in ſpiritu*, in ſequentibus beatitudinibus ſubintelligi. q.d. Beati mites, non qui tales ſunt ex natura phlegmatica, lenta, feminea, & lãguida, ſed mites *ſpiritu*, id eſt, ex virtute ſpirituali manſuetudinis aſpirata à Spiritu ſancto, ac tendenti ad ſpiritualia bona. *Beati qui lugent*, nõ carne, ſed ſpiritu, id eſt, ob amiſſa bona nõ carnalia, ſed ſpiritualia. *Beati qui eſuriunt*, non carne, non ventre, ſed ſpiritu *iuſtitiam.*

*Paupertas hæc oritur ex humilitate.*

Porrò paupertas hęc ſpiritus coniuncta eſt, & oritur ex humilitate & contemptu opum & honorum. Hinc rectè SS. Hilarius, Aug. Chryſoſtomus, Ambroſius, Nyſſenus, Epiph. Leo, Gregorius, & ex ijs Maldonatus per *pauperes ſpiritu* intelligunt humiles mente & voluntate. Nam, vt ait S. Chryſoſtomus, quod rerum neceſſitate aliqui humiles ſint, laus non eſt, ſed quod *ſpiritu*, id eſt, libera voluntate & electione. Vnde Gloſſa: Paupertas, ait, cuius nutrix eſt humilitas, duas habet partes, rerum abdicationem, & ſpiritus contritionem. Aliam analogiam, aliter explicando τὸ *ſpiritu*, dat S. Auguſtinus libr. 1. de Serm. Domini in monte: *Vulgo*, ait, *magnos ſpiritus ſuperbi habere dicũtur. Quis neſciat ſuperbos inflatos dici, tamquam vento diſtẽtos? Quapropter rectè hic intelliguntur pauperes ſpiritu, humiles, & timentes Deum, id eſt, non habentes inflantem ſpiritum.* Initium enim gratiæ & gloriæ, regnique cęleſtis eſt humilitas, ſicut initium culpæ & gehennæ eſt ſuperbia. Eccleſ. 10. v. 15. Vnde S. Ambroſius lib. 5. in Lucę c. 6. v. 20. *Oportet*, ait, *te fieri pauperem ſpiritu: humilitas enim ſpiritus, diuitiæ virtutum ſunt.* S. Leo hom. in feſto omniũ Sanctorum: *Quid hac humilitate ſublimius, quid hac paupertate locupletius?*

*Radix beatitudinis eſt paupertas. Cur?*

Radix ergo & baſis beatitudinis & perfectionis Euangelicæ, eſt voluntaria paupertas & humilitas, ſicut radix omnis peccati eſt ſuperbia & cupiditas, ſiue vt Apoſtolus ait 1. Timoth. 6. 10. φιλαργυρία, id eſt, *argenti auiditas.*

Præclarè S. Cyprianus tractat. de Natiuitate Chriſti: *Pauperes*, ait, *electi, ſuperbi neglecti: nec faſtus, nec altus circa Chriſti diſcipulatum aliquem obtinent locum, Chriſtus pauper diſcipulos diuites aſpernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hoſpitium his, qui in forma ſcholæ huius in Eccleſia militant, præbent efficax documentum. Hunc in cunabilis adorauêre & paruulum, confitentes Deum.* Hoc Chriſtus docuit naſcens in ſtabulo, viuẽs in hoſpitio, moriens in patibulo. Hi *pauperes ſunt mundo, ſed diuites Deo; egentes ſæculo, ſed locupletes Chriſto*, ait Chromatius in hunc locum.

Denique S. Bernardus ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum: *Attende*, ait, *quàm ſapienter ordinauerit ſapientia, contra peccatum primum remedium primum apponens, ac ſi apertiùs dicat: Vis obtinere cælum, quod perdidit ſuperbiens Angelus, qui confiſus eſt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum? paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit.*

*Anagogicè.*

Anagogicè Franciſcus Salas, nuper Epiſcopus Geneuenſis, vir valdè ſapiens æquè ac pius & ſanctus, lib. 12. Theotimi ca. 2. Pauperes, ait ſiue mendici ſpiritu ſunt; qui mendicant, id eſt, eſuriunt & ſitiunt inſatiabiliter ſpiritum, id eſt, amorem & zelum Dei eiusq; augmenta, vt is eis aſſiduè magnis incrementis aſſurgat & inardeſcat.

Hinc audiui quemdam ſic explicantem: *Beati pauperes ſpiritu*, id eſt, beati qui faciunt apud Deũ, quod faciunt mendici apud diuites, qui ſcilicet tanta humilitate ſpiritus confitentur ſuam paupertatem, tantoque affectu mendicant gratiam apud Deum, quantò ſtipem à diuitibus flagitant mendici. Vnde S. Chryſoſtomus ait mendicos docere nos orare, & opem Dei poſtulare, per *pathos* & affectus, quos vultu, ore, tortis manibus, pedibus vlceroſis, totoque corpore compaſſionem concitando oſtentant.

*Symbolicè.*

Editus eſt libellus quidam ſpiritualis de perfectione, qui illam collocat in paupertate ſpiritus, ſed myſtica: pauper enim ſpiritu, inquit, eſt is, qui ſpiritu abnegat, & à ſe abdicat non ſolùm opes, delicias, honores, ſed & omnes res creatas, adeoq; etiam ipſam Dei gratiam & gloriam, vt ſe planè nudum ſiſtat, & quaſi in nihilum ſtatuat coram Deo. Probat id ex Taulero. Verũ hanc nuditatem ſuam agnoſcere licitum eſt, at non appetere (vt ſcilicet quis nudetur & priuetur gratia Dei) ſicut appetẽda eſt paupertas ſpiritus. Taulerus nil tale habet, ſed tantùm duplicem ponit paupertatem, ſcilicet externam, qualis eſt abdicatio opum: & internam ſiue mentalem, quã ſitam ait in humilitate & abnegatione omnis ſolatij creati, vt homo nõ delectetur vlla re creata, ne gratia quidem, quatenus ipſa eſt res creata, vt in ipſa conquieſcat, ſed in ſolo Deo creatore omne ſuũ ſolatium, quietem & gaudiũ conſtituat. Sed & hoc myſticum eſt, nec communiũ fidelium, ſed ſubtiliter contemplantium & extaticorum opus, idque ſobriè & cum grano ſalis exercendum.

*Paupertatis ſpiritus tres gradus.*

Solidiùs noſter Ludouicus de Ponte part. 3. medit. 11. paupertatis ſpiritus, id eſt, humilitatis hoſce tres gradus conſtituit; Primus eſt, exuere & purificare animam ab omni ſpiritu & vento vanitatis, & ab omni tumore & præſumptione vana, contemnendo omnes mundi pompas. Secundus, meipſum ab omni proprietatis ſpiritu expo-



expoliare, proprium iudicium & voluntatem cum omnibus alijs deſiderijs omnino exuendo. Tertius & ſupremus actus eſt, ita meipſum exinanire, vt adeò pauperem me agnoſcam, quòd ex meipſo nihil prorſus habeam, niſi Deus gratis mihi donet. Nam me ipſum quidem *eſſe*, quod habeo, meum eſt, ſed Dei, ſine quo nihil ſum. Ex me ergo nihil aliud habeo, niſi nihilum naturæ, id eſt non eſſe; & nihilum gratiæ, id eſt, peccatum.

*Gradus paupertatis Euangelica.*

Quæres primò, an hæc paupertas ſpiritus ſit pręceptum, an conſilium Euangelicum? Rurſus, quot eius ſint gradus & ſpecies? Reſp. varios eius eſſe gradus, quorum alij conſilij ſunt, alij præcepti.

*Primus.*

Primus & ſummus eſt, omnes opes, omneſq; res caducas imitatione & amore Chriſti relinquere tam affectu interno, quàm effectu & opere externo, vti fecêre Apoſtoli, & faciũt religioſi. Hic gradus eſt conſilij, non pręcepti.

*Secundus.*

Secundus eſt, patienter ferre confiſcationem bonorũ propter Chriſtum & orthodoxam fidem, quod eſt genus quoddam martyrij; qui enim tollit opes ad vitę ſuſtentationem neceſſarias, tollit ipſam vitã. Hinc multi hodie Catholici ſunt in Anglia viri diuites & nobiles qui mallent pati mortem, quã ſpolium bonorum. Durum enim eſt non tantùm te, ſed & filios, omneſque poſteros tuos priuare hereditate auitâ, ac nobilitate & priſco ſtemmate auorum, omneſque redigere ad ignobilitatẽ; paupertatem & manticã: ſed eò glorioſiores ſunt, qui id præſtant propter Chriſtum: quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum. Tales fuêre Hebræi conuerſi ad Chriſtum, qui idcircò à Iudęis ſpoliabantur ſuis bonis, quos dilaudans Apoſtolus: *Rapinam*, inquit, *bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentẽ ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionẽ*, &c. Hic gradus eſt pręcepti, Tenemur enim pro Chriſto & fide profundere non tantum opes, ſed & ſanguinem ac vitam.

*Tertius.*

Tertius paupertatis gradus eſt, tolerare patienter rapinam bonorum, aut aliam iniuſtitiam à potentioribus vel tyrannis illatam, vti ſæpè fit, v. g. cùm quis litem iuſtam de prædijs, rebúſve ſibi debitis, aliudve quidlibet, quod iure ſuum eſt, perdit ob potentiam vel tyrannidem partis aduerſæ.

*Quartus.*

Quartus eſt, opibus à Deo datis non affici, ſed affectu eas relinquere, & paratum eſſe ad eas reipſâ relinquendum, cùm hoc erit ad maiorẽ Dei gloriam. In hoc gradu fuit Abraham diues cenſu, ſed ſenſu & ſpiritu pauper.

*Quintus.*

Quintus eſt, malle paucis eſſe contentum in loco, vbi meliùs ſeruias Deo, quàm abundare in alio, vbi plus reperias opum, ſed minus pietatis. Item victu, veſtitu, & ſtatu mediocri potiùs gaudere, quàm magnis diuitijs, vt ampliùs Deo ſeruire queas.

*Sextus.*

Sextus, opes habere, ſed eas erogare in pauperes & pios vſus, etiam ſubtrahendo tibi neceſſaria.

*Septimus.*

Septimus, malle eſſe pauperem, quam per iniuſtitiam, irreligionem, vel aliud ſcelus parare diuitias, vti fecit Tobias, qui moriturus hoc documentum dedit filio, cap. 4. verſ. vlt. *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum.*

Ex his gradibus ſecundus & ſeptimus præcepti ſunt, primus verò, quartus & quintus ſunt cõſilij: deniq; tertius & ſextus nunc præcepti ſunt, nunc conſilij.

*Cur paupertas eſt prima beatitudo?*

Quæres ſecundò, cur Chriſtus inter beatitudines Euangelicas primum locum aſſignat paupertati ſpiritus? Reſp. Ratio à priori prima eſt, quòd hęc paupertas euertat & opprimat cupiditatem, quę eſt radix & fons omnis peccati & mali. 2. Timoth 6. 10. Quare hæc paupertas hominẽ quaſi reſtituit ſtatui innocentiæ, in quo nihil alicui erat proprium, ſed omnia ſingulis communia. Adami enim & poſterorum eius totus erat mundus, vt ex eo Deum agnoſcerent, amarent, laudarent, ſemotâ omni proprietate, quæ eſt radix cupiditatis, rixarum & litium. In pauperibus ergo, *Quod ſuperfluitas tenuiſſimæ prauitatis inquinat, caminus paupertatis purgat*, ait S. Gregorius homil. 40. in Euang.

*Ratio à priori. Prima.*

*Secunda.*

Secunda ratio eſt, quòd hęc paupertas liberet hominem à mille diſtractionibus, curis & ſollicitudinibus, quas afferunt opes opumque deſiderium. Quocirca ipſa eſt *portus tranquillus, palæſtra, & gymnaſium ſapiẽtiæ*, ait S. Chryſoſtomus hom. vlt. in Matth. ipſa enim facit hominem expeditũ, vt animum à terrenis deſiderijs liberum tradat ſtudio, orationi, virtuti & æternitati. Hinc ſapiẽter S. Bernardus: *Noli*, ait, *amare bona, quæ poſſeſſa onerãt, amata inquinant, amiſſa cruciant.* Huc facit & illa ratio S. Greg. hom. 32. in Euang. quòd *Nudi cum nudis* (dęmonibus) *luctari debemus: nam ſi veſtitus quiſquam cum nudo luctatur, citiùs ad terram deijcitur, quia habet vnde teneatur. Quid enim ſunt terrena omnia, niſi quædã corporis indumenta? Qui ergo contra diabolũ ad certamen properat, veſtimenta abijciat, ne ſuccumbat. Nihil in hoc mundo amando poſſideat, nullas rerum labentium delectationes requirat, ne vnde ad votum tegitur, ad caſum inde teneatur.*

*Tertia.*

Tertia, quia hæc paupertas facit, vt homo amorem ſuum auocet ab omni re creata, eumque totum cũ omni ſua ſpe in Deo creatore defigat: in amore autem Dei pleno & perfecto conſiſtit ſumma virtutis, veraque huius vitæ beatitudo. Quocirca de S. Franciſco ſcribit S. Bonauentura in eius vita, cùm ſępè à fratribus rogaretur, quænam virtus pręcipuè & maximè nos Chriſto Domino commendaret, gratoſque faceret? eum cum inuſitato quodam affectu reſpondere ſolitum, paupertatem; eam enim eſſe viam ſalutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, & ab ea multiplices fructus exiſtere, quamquam occultos & pauciſſimis cognitos.

Pauper ſpiritu ergo aſſiduè cum Deo & Chriſto diſſuauians, dicit: *Dominus pars hæreditatis meæ: tu es, qui reſtitues hereditatem meam mihi.* Pſal. 15. Et: *Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſal. 72. 25. Tu, Domine, es pelagus bonorum omnium, vniuſque animæ meæ theſaurus. Excute ergo à me pondus omnium terrenorum deſideriorum, vt igne amoris tui ſolius ardeam, & diluuio charitatis tuæ penitùs abſorbear. Eia honor meus, gaudium meum, ſincera voluptas mea, Ieſu, tantam quæſo amoris tui flammam in penetralibus

libus cordis mei excita, vt deinceps, nihil ſub ſole eligam, nihil concupiſcam præter te. O Domine mi, cęlum, terra, & omnia, quæ in his continentur, ſine te ſint mihi velut hybernum gelicidium; Tu ſolus me afficias, ſolus lætifices, tui ſolus amor in intimis viuat & ardeat, ac viuus atque ardens permaneat. Poſſide mentem meam, ô ſummum & incommutabile bonum poſſide eam, vt ipſa poſſideat te.

*Quarta.*

Quarta, quia hę beatitudines propriè à Chriſto dicuntur & aſſignantur Apoſtolis & viris religioſis, ac Apoſtolicis aſpirantibus ad perfectionem, ęquè ac prędicationem Euangelicam; quia enim Apoſtoli totum orbem circuire, & vbique prędicare debebant opes regni cælorum, hinc pariter debebant ipſimet eſſe pauperes ſpiritu, vt expediti, tum ſermone, tum potius vitâ & exemplo prę ſe ferrent contemptum opum terræ, ne Gentes putarent illos per prędicationem quærere ſuas burſas potiùs, quàm animas; ſed viderent eos homines eſſe cæleſtes & diuinos, ac regnum cælorum, quod ore prædicabant, mente poſſidere.

Plura hac de re dixi Actor.4. v.32. Vide & Climachum gradu 17. S. Chryſoſtomum libr.2. contra vituperat. vitæ monaſticæ, Salmeronem tomo 5. tract.5. & Hier. Platum lib.1. de Bono ſtatus relig. c.9. & lib.2. c.3.

*Paupertatis dux Chriſtus, aſſecla Apoſtoli.*

Hiſce de cauſis paupertatem hanc ſpiritus primus verbo & exemplo docuit Chriſtus, deinde B. Virgo, mox Apoſtoli, item Eſſæi, imò omnes primi Chriſtiani, de quibus ait Lucas. Act.4.32. *Nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*; imò hoc vouebant; vnde Ananias & Saphira hoc votum violantes, à S. Petro puniti ſunt ſubita morte. Actor. cap.5.

*Et SS. Patres.*

Hos ſecuti ſunt viri & Prælati Apoſtolici, S. Antonius, S. Auguſtinus, S. Baſilius, S. Chryſoſtomus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, S. Paula, S. Paulinus, S. Gallicanus, S. Alexius, qui raro in orbe exemplo opes ampliſſimas, parentes & ſponſam reliquit, vt pauperem Chriſtum pauper & peregrinus in Syriam ſequeretur, quaſi hoſpes terræ & ciuis cæli, ac tandem in domo paterna incognitus, quaſi mendicus viueret & moreretur, factus mundi ludibrium imò mundum deludens & ludificans. Poſteriori æuo eamdem paupertatem amplexati ſunt, & ſui ordinis alumnos amplexari docuerũt S. Benedictus, S. Bernardus, S. Romualdus, S. Dominicus, ſed præcipuè ſanctus Franciſcus, qui hujus paupertatis Euangelicę dignitatem profundiſſimè penetrauit & adamauit, eamque ſui Ordinis fundamentũ conſtituit: vnde eam in omni ſermone nunc matrem, nunc ſponſam, nunc dominam appellabat, ſæpè etiam reginam, quòd in Rege regum Chriſto, eiuſque genitrice adeò luculenter effulſiſſet. Audi quid de ea ſuis aſſeclis ſanciat in Regula cap.6. *Fratres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquã rem, ſed tamquam peregrini & aduenæ in hoc ſeculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidẽter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mũdo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos fratres meos heredes & reges regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit.*

*S. Alexius.*

*Et S. Franciſcus.*

*Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentiũ. Cui dilectiſſimi fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cælo habere velitis.*

Idem S. Franciſcus in rerum inopia exultans, tãto eam ſpiritus feruore deprædicauit, vt ex facie ignis emicare videretur: *Hæc enim*, inquit, *eſt virtus de cælo in nos influens, quæ nos ita inſtituit & informat, vt terrena cuncta vltro conculcemus, quæq́; obices omnes è medio tollit, quò humana mens cum Domino Deo ſuo liberrimè atque expeditiſſimè coniũgatur. Hæc eſt, quæ animam adhuc in terris poſitam facit in cælis cum Angelis conuerſari. Hæc eſt, quæ Chriſtum in cruce aſſociat, cum Chriſto in tumulo abſconditur, cum ipſo reſurgit, & cum ipſo in cælum aſcendit. Hæc eſt, quæ dotem agilitatis ſuper cælum volandi animabus ipſam amantibus etiã in hac vita concedit; cùm veræ humilitatis & charitatis alas ſe amantibus impertiat. Eamus proinde rogatum Apoſtolos ſanctiſſimos, vt hanc gratiã nobis impetrent à Domino Ieſu Chriſto, vt ipſe paupertatis forma, & obſeruator præcipuus, eam nobis donare dignetur.* Ita Waddingus in Annal. Minorum anno Chriſti 1216. num.16. Hac de cauſa S. Franciſcus, vti initio ſuæ cõuerſionis ſe denudans, omniaque cum veſtibus patri coram Epiſcopo reſignans, vitam religioſam & pauperem cœpit; ſic & eamdem in ſimili nuditate & paupertate finiuit: moriens enim ſe veſtibus ſpoliãs, nudum in terram proſtrauit, dicens: *Feci quod meum, quod veſtrum eſt, Chriſtus vos edoceat.* Mox ſocius ei aſſiſtens, Dei inſtinctu præuidens eius mortem & paupertatis ſtudiũ offerens ei chordam cum femoralibus: *Hæc tibi*, inquit, *tamquam pauperi commodo, & tu illa ſuſcipias obedientiæ ſanctæ mandato*; quæ cum iubilo excipiens, vir ſanctus elatis in cælũ manibus Chriſto gratias egit, quòd exoneratus ab omnibus, liber pergeret ad ipſum, quodque Chriſto crucifixo, qui nudus in cruce pependit, tam in vita, quàm in morte foret conformis. Quocirca de eo ita ſcribit S. Bonauentura in Vita eius cap.7. *Sanctam paupertatem filio Dei familiarem conſiderans, & iam quaſi toto orbe repulſam, eã ſic ſtuduit ſibi charitate deſponſare perpetua, quod non ſolum pro ea patrem matremq́; reliquit, verùm etiam quæ habere potuit vniuerſa diſperſit. Nemo tã auri, quàm ipſe cupidus paupertatis, nec theſauri cuſtodiẽdi ſollicitior vllus, quàm iſte huius Euangelicæ Margaritæ. In hoc præcipuè ſuus offendebatur aſpectus, ſi quidquam videret in fratribus quod paupertati nõ per omnia conſonaret. Reuera à principio religionis vſq; ad mortem tunica, chordula & femoralibus diues, ijs contentus fuit. Chriſti Ieſu paupertatem & matris frequenter cum lachrymis reuocabat ad mentem, & fratribus proponebat in ſermone.* Hæc fuſiùs de S. Frãciſco retuli, quia ipſe vnus illuminatus, & quaſi *Seraph* accenſus à Deo, intimum paupertatis Euangelicę ſenſum, medullam & apicem à Chriſto hauſit, & moribus expreſſit.

*S. Franciſci.*

QVONIAM IPSORVM EST REGNVM CÆLORVM] Par enim eſt & congruum, vt amore Chriſti ſpernentibus opes regni terreſtris, retribuantur opes regni cæleſtis; vt, qui pauperes ſunt in ære, ditentur, in æthere, imo & regni terreſtris, quod ſpernendo obtinent, illique dominantur iuxta illud Pauli: *Nil habentes, & omnia poſſidentes.* 2. Cor.6. Quocirca Climacus gradu 17. non dubitat aſſerere, pauperem monachum dominum eſſe mundi, & quia iactauit in Deum curam ſuam, poſſidere per fidem omnes gentes in ſeruos. Idemque addit pauperem Dei famulum nullam rem amare vitioſè; omnia enim quæ habet, aut habere poteſt, reputat quaſi non ſint; & ſi recedere contingat, æſtimat vt ſtercora. Audi S. Bernardum ſerm.21. in Cant. *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Non eos æſtiment ſola cæleſtia poſſidere, quia ea ſola audiunt in promiſſione. Poſſident & terrena, & quidem tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, eò pro certo magis Domini, quò minùs cupidi. Denique fideli homini totus mundus diuitiarum eſt. Totus planè, quia tam proſpera, quàm aduerſa ipſius, æquè omnia ſeruiunt ei, & cooperantur in bonum: ergo auarus terrena eſurit vt mendicus, fidelis contemnit vt Dominus. Ille poſſidendo mẽdicat, iſte contemnendo ſeruat.* Cauſam dat S. Chryſoſtomus hom.57. ad populũ, quòd Deus ſit pauperum Oeconomus: *Deo*, ait, *paſcente non eſt opus nos eſſe ſollicitos. Nam quemadmodum ſi rex promiſerit quotidianum victum ex cellarijs ſuis ſe præbiturum, iã in futurum confidis, multò magis, cùm Deus præbeat, & omnia tibi tamquam ex fonte fluant, conuenit te ab omni cura & ſollicitudine ſolutum eſſe. Si autem paſcit omnem carnem, multò magis ſibi dicatos.*

*Pauper eſt mundi dominus.*



Quocirca S. Frãciſcus, vti ex Thoma Piſano, Celano, & alijs refert Lucas Wadingus in Annal. Minorum anno Chriſti 1210. num.50. ſui ordinis fratribus dictitabat: *Paupertatem noueritis, fratres chariſſimi, virtutum eſſe reginam, quia in Rege regum & in Regina matre ipſius tam præſtanter effulſit. Paupertatem ſcitote, fratres, ſpecialem eſſe viam ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectioniſq́; radicem, cuius eſt fructus multiplex, ſed occultus. Hæc enim eſt Euangelici agri theſaurus abſconditus, pro quo emendo vẽdenda ſunt omnia; & quæ vendi non poſſunt illius comparatione ſpernenda.* Et inferiùs: *Propter quod pauperum more pauperculas caſulas erigite, quas non habitare debetis vt proprias, ſed ſicut peregrini & aduenæ alienas. Leges namque peregrinorum ſunt: ſub alieno colligi tecto, ſitire ad patriam, pacificè pertranſire. Euangelica hæc paupertas noſtri ordinis eſt fundamentum: cui ſubſtrato primariè ſic omnis ſtructura religionis innititur, vt ipſius firmitate firmetur, & euerſione funditus euertatur. Quantum itaque fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab eis, & quærent, & non inuenient. Si dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati ſunt ad ſalutem. Commercium eſt inter mundum & fratres. Debent enim ipſi mundo bonum exemplum, debet eis mundus prouiſionem neceſſariam, quando autem ipſi retraxerint bonum exemplum, fide mentitâ retrahet mundus manum iuſtâ cenſurâ.* Et ſanè magni & continui inſtar eſt miraculi, videre tot religioſos & religioſas ordinis ſancti Franciſci (ſunt facile toto orbe decies centena millia) paupertatem profeſſos, ſine cenſu, ſine reditu, honeſtè tamen & commodè ex fidelium eleëmoſynis viuere: nimirum hîc elucet Dei erga ſuos pauperes prouidentia. Hîc impletur illud Pſaltis, quod ſanctus Franciſcus ſuis profecturis pro viatico dabat: *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* pſ.54.22. Et illud: *Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono*, pſal.33. Hinc in Hiſpania Franciſcano cuipiam nomine ſancti Franciſci petenti eleëmoſynam, nullus audet negare, ſed omnes liberaliter ſua offerunt. Idem faciunt aliæ nationes Chriſtianæ. Deniq; S. Auguſtinus ſerm.28. de Verbis Apoſtoli: *Felicitas*, inquit, *magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, vt paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua: nihil ea poteſt ditius inueniri. Vis noſſe quã locuples ſit? cælum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum? Vt ad regnum cælorum veniret diues, poſſeſſione ſua obtinere non poteſt. nunc obtinet, vt contemptâ perueniat.*

*Miraculũ continuum S. Frãciſci.*

Nota: Chriſtus non dicit: *Ipſis dabitur*, vel *ipſorum erit*; ſed *ipſorum eſt* in præſenti *regnum cælorum*; q.d. Ex hac mea promiſſione & Dei decreto ad ipſos pertinet regnum cælorum, ipſi in illud plenum ius habent, adeoque de eo ineundo certi ſunt, perinde ac ſi illud iam manibus tenerent, & in illo quaſi reges regnarent. Adeò enim firma eſt ſpes promiſſorum Dei, vt per eam fideles rem ab eo promiſſam quaſi manu prehendant, iuxta illud Hebr.11.1. *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum.* q.d. Fides eſt, quæ facit in mente fidelis ſubſiſtere bona cæleſtia, quæ ſperat: adeò enim illa ipſi aſſecurat, ac ſi realiter ac ſubſtantialiter ipſi exhiberet.

REGNVM CÆLORVM] Ita vocatur beatitudo cæleſtis, vti beati cum Deo regnant in omni felicitate & gloria per omnem æternitatem. Vox *regnum* ſignificat: Primo, bonorum omnium in cælo abundantiam. Secundò, honorum, quibus beati à S. Trinitate & ab Angelis omnibus honorantur, celſitudinem. Tertiò, regalem dignitatem. Beati enim ſunt quaſi reges, qui dominantur non vni Hiſpaniæ, vel Aſiæ, aut toti terræ, ſed vniuerſo orbi, hoc eſt, omnibus cæli elementis, animalibus, plantis & miſtis, adeoque ipſi gehennæ, omnibuſque damnatis & dæmonibus: hoc regnum enim meruerũt per paupertatem ſpiritus, qua dominati ſunt omnibus mundi bonis & cupiditatibus; vnde ipſi redimiti coronis aureis iubilantes perpetim canunt Chriſto: *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Apocal. 5.10. Vide ibi dicta. Regnum cælorum ergo eſt regnum Dei: quare beati idem poſſident regnum, quòd poſſidet ipſe Deus, in eoque cum ipſo iucundiſſimè & ſplendidiſſimè regnant perpetim.

*Regnũ tria notat.*

BEATI MITES, QVONIAM IPSI POSSIDEBVNT TERRAM] Hæc eſt ſæcunda beatitudo in vulgata Latina, quam ſequuntur S. Hieronymus, Auguſtinus, ceterique Latini. In Græcis verò codicibus, quos ſequũtur Syrus, Arabicus, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, ceterique Græci, hæc eſt tertia beatitudo: ſecunda enim in ijs eſt, *Beati qui lugent*,

VERS. 4. Luc 6.21.

Congruè pauperibus ſpiritu ſubiunguntur mites, quia pauperes & humiles ſolent eſſe mites, ſicut vice verſa diuites & ſuperbi ſolent eſſe impatientes & rixoſi: vicinæ ergo & cognatæ virtutes ſunt, paupertas & manſuetudo: vnde vicinæ ſunt & Hebrææ voces עָנִי *ani*, id eſt, pauper, & עָנָו *anau*, id eſt, manſuetus. Addit Chromatius: *Homò non poterit eſſe mitis, niſi priùs fuerit pauper ſpiritu.* Cauſam ſubdit: *Non fit mare tranquillum, niſi ceſſauerint venti: non extinguitur ignis, niſi materiam incendij ſpinarumq́; ſarmenta detraxeris: ſic nec animus erit mitis & quietus, niſi quæ exuſcitant & inflammant, fuerint abdicata.* Porrò *mites*, ait Chromatius, ſunt *manſueti, humiles, modeſti,*

*modeſti, in fide ſimplices; & ad omnem iniuriam patientes, qui præceptis Euangelicis inſtituti, Dominicæ manſuetudinis imitantur exemplum.* Mites ergo ſūt, qui impatientiæ, iræ, inuidiæ, vindictæ, ceteriſque turbidis animi motibus & perturbationibus dominantur, vt nec obmurmurent Deo aduerſa immittenti, nec proximis iniurias inferentibus indignentur, nec à lædentibus vindictam expetant, ſed omnia placidè tolerent, in Dei prouidentiam, omnia hæc ordinantis ad ſuam gloriā & ipſorum ſalutem, planè ſe reſignantes & conquieſcentes; quare miti hac morum ſuauitate omnium animos ſibi conciliant.

*Manſuetudo beata, quæ?*

Alludit Chriſtus ad illud Dauidis pſal. 36. 11. *Manſueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*

Igitur manſuetudo Primò facit nos gratos Deo & hominibus. Secundò ſimiles Chriſto, qui ait: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Matth. 11. Tertiò, aptos ad ſapientiam, & haurienda bona cæleſtia: horum enim capax eſt cor manſuetum, placidum & tranquillum, iuxta illud pſal. 24. *Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites vias ſuas.*

*Gradus eius quinque.*

Porrò gradus manſuetudinis, & beatitudinis eam conſequentis ſunt: Primò, manſueto corde & ore cum omnibus conuerſari. Secundò, iras aliorum manſueto reſponſo frangere. Tertiò, manſuetè tolerare iniurias & rapinas ſibi factas. Quartò, in ijs exultare. Quintò, ſua manſuetudine & beneficijs vincere inimici & iracundi maleuolentiam, eumque ſibi conciliare, & beneuolum amicumque efficere.

*Manſuetudinis elogia.*

Denique cauſam, imò plures cauſas, cur mites ſint beati, dat Climacus gradu 24. dum ait: *Manſuetudo eſt adiutrix obedientiæ, dux religioſæ ſocietatis, furentium frænum, iraſcentium expultrix, magiſtra gaudij, imitatrix Chriſti, cælitum proprietas, vinculum & nodus dæmonum, ſcutum aduerſus amaritudinem ſeu animi acerbitatem. In cordibus manſuetorum requieſcet Dominus. Anima autem turbulenta nidus eſt diaboli. Mites hereditabunt terrā, vel potiùs dominabūtur terris, furioſi autem exterminabuntur à terris ſuis.*

QVONIAM IPSI POSSIDEBVNT TERRAM] Græcè κληρονομήσουσι, id eſt, *hereditate poſſidebunt*, vt legit S. Auguſtinus, Arabicus, *hereditatem.* Syrus, *hereditatis iure poſſeſſuri ſunt terram.* Appoſitè promittit Chriſtus mitibus terram, quia mites ſæpè à rixoſis bonis terræ ſpoliantur. Hanc iniuriam ergo hac beatitudine eis ſarcit & reparat hîc Chriſtus. At quam terram?

*Mites Domini terræ. cuius? Reſp. Primo.*

Primò, S. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophyl. & S. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, putant hîc mitibus promitti terram præſentem, q. d. Mundus beatos nuncupat potentes & ſui vindices, qui iniuriam ſibi illatam retaliant, imò in duplum & triplum vlciſcuntur: at ego beatos dico mites, ac iniuriæ & rapinæ patientes, vt bona terræ ſibi eripi manſuetè tolerent: quia licèt tales ſæpè à mundo opprimantur, ſæpè tamen, Deo dante, ſtabiliter & quietè ſua poſſident; ſi non, manſueto totus mundus patria eſt, & fideli totus mundus diuitiarum eſt. Alludit ad Moſen, qui fuit hominum mitiſſimus, Numer. 12. ac ſua manſuetudine Hebræis impetrauit à Deo poſſeſſionem terræ promiſſæ, factam per Ioſue. Hic ſenſus verus eſt, ſed A non plenus, nec adæquatus, ſed ſæpè fallit: mites enim ſæpè à rixoſis exagitantur, boniſque priuantur, iuxta illud:

*Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.*

Adde Moſen Iudæis promittere bona terrena; Chriſtum verò Chriſtianis bona cæleſtia.

*Secundo meliùs.*

Secundò ergo, meliùs & pleniùs cum S. Hieronymo hîc, Nyſſeno lib. de Beatitud. orat. 2. S. Baſilio in pſalm. 33. Cyrillo in c. 58. Iſaiæ, per terram accipe cælum, quæ viuentium eſt terra, cùm hæc noſtra ſit morientium, iuxta illud pſal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Et pſal. 141. v. 6. *Tu ſpes mea portio mea in terra viuētium.* Et Iſaiæ c. 38. v. 11. *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.*

*In cælo terra quædam eſt.*

In cælo ergo terra quædam eſt, at non craſſa, opaca & terreſtris, ſed ſubtilis, lucida, & cæleſtis. **B** Ibi enim eſt paradiſus roſarum, liliorum, gemmarum, omniumque deliciarum, at non terreſtrium, ſed cæleſtium, quæ mirè oculos ſenſuſq; beatorum oblectāt; alioquin enim corpora ſenſuſque beatorum, quæ tam dura, imò martyria atrocia paſſa ſunt in hac vita, carerent meritis ſuis oblectamentis, ſolæque animæ & mentes eorum eſſent beatæ, quod eſt abſurdum. Vnde S. Ioannes vidit Apocal. c. 21. & 22. ciuitatem cæleſtem in quadro poſitam, & fundamenta eius constructa ex iaſpide omnique lapide pretioſo. Vide ibi dicta. Hinc & Pythagorici, ait Clemens Alex. lib. 5. Stromat. cælum vocant ἀντίχθονα, id eſt, terram ex aduerſo ſitam, vel oppoſitam terræ noſtræ. Taceo nonnullos Philoſophos cenſuiſſe lunā & ſtellas inhabitari; in luna enim eſſe opacas ciuitates vaſtaſq; regiones & terras, quas **C** incolant homines à luna lunares dicti, teſte Macrobio lib. 1. in Somnium Scipionis, ideoque lunam vocari æthercam, terram verò cælum terreſtre, quod Plato quoque recenſet in Conuiuio.

*An in luna habitent homines?*

Singulis ergo hiſce beatis & beatitudinibus promittitur regnum cælorum, ſed alio ſemper nomine & titulo, ſcilicet pauperibus nomine regni, mitibus nomine terræ, quia hi ſæpè fundis ſuis in terra à rixoſis & potentibus ſpoliantur, q. d. Tolerate, ô mites, hæc terræ ſpolia, quia veſtræ manſuetudini & tolerantiæ rependet Deus aliam terram, non imam hanc inſtabilem & mobilem, ſed ſupernam, ſtabilem, & cæleſtem. Ipſa ergo beatitudo conſiſtens in viſione, fruitione & poſſeſſione Dei vocatur terra, tum ob ſtabilitatem, erit enim perennis & æterna; tum quia re**D**præſentata fuit ipſa per paradiſum terreſtrem, & per terram promiſſam Iudæis. Ita Salmeron. Mites ergo pacificè poſſidentur à Deo, quia ei in nullo reſiſtūt; hinc viciſſim in cæleſti gloria eum poſſidebunt. Nam, vt ait S. Auguſt. de Salutaribus documentis c. 10. tom. 4. *Nullius erit poſſeſſio Dei, niſi eius, quem priùs ipſe poſſederit.*

*Terra noua.*

Rurſum per terrā propriè accipe terram nouā, de qua dicitur: *Ecce ego creo cælos nouos & terram nouā.* Iſaiæ 65. 17. Apoc. 21. & 2. Petr. 13. 3. ſiue orbē terræ futurum, quem Apoſtolus Hebr. 2. 5. ait, poſt iudicium generale ſubijciendum Chriſto quaſi heredi, ac conſequenter manſuetis eius coheredibus: poſt iudicium enim mundus totus, putà cælum & terra, innouabuntur & glorificabuntur, ac ſubijcientur Chriſto, eiuſque Sanctis.

Feſtiuè quidam vir ſanctus, ait Salmeron, dixit: *Humilibus datur cælum, mitibus terra: quid ſupereſt ſuperbis & crudelibus, niſi infernalis miſeria?*



*Myſticè.*

Myſticè S. Bernardus ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorum, per terram accipit corpus aut cor, quod poſſidet anima hominis manſueti regnans ſuper carnis motus, & omnibus ſuis mēbris per manſuetudinem imperans.

*Anagog.*

Anagogicè S. Hilarius & Ambroſius: Poſt reſurrectionem, inquiunt, mitis incipiet poſſidere terram, id eſt, corpus ſuum per gloriam, ac conſequenter quodammodò & corpus Chriſti per configurationem & fruitionem: *Mitibus*, ait Hilarius, *terræ hereditatem pollicetur, id eſt, eius corporis, quod Dominus aſſumpſit habitaculū: & quia per manſuetudinem mentis noſtræ Chriſtus habitauerit in nobis: nos quoque gloria glorificati eius corporis veſtimur.* Et S. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctorum: **B** *Terra*, inquit, *promiſſa mitibus, & in poſſeſſionem danda manſuetis, caro Sanctorum eſt, quæ ob humilitatis meritum felici reſurrectione mutabitur, & immortalitatis gloria veſtietur; in nullo iam ſpiritui futura contraria, & cum voluntate animi, perfectæ vnitatis habitura conſenſum.* Et poſt nonnulla: *Poſſidebunt enim illam mites pace perpetuâ, & nihil vmquam de eorum iure minuetur, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, vt periculum vertatur in præmium; & quod fuit oneri, ſit honori.*

*Symbol.*

Symbolicè mites poſſident terram, id eſt, hominum, qui terreni ſunt, corda; nam per manſuetudinem ea ſibi conciliant, & quaſi obligant, vt ea poſſidere videantur, iuxta illud Eccleſ. 3. 19. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris.* Vide ibi dicta. Vnde **C** S. Chryſoſtomus hom. 58. in Gen. *Nihil*, ait, *manſuetudine eſt violentius. Nam ſicut rogum, cùm valdè accenditur, aqua iniecta reſtinguit: ſic & animum camino magis exardeſcentem, verbum cum manſuetudine prolatum extinguit.* Vide eumdem hom. 29. ad populum. Quare manſueti poſſindent terram, quia tot habent fundos, quot ſunt corda hominum, præſertim amantium Euangelicam manſuetudinem, qui illis, licèt exulibus, hereditate ſua ſpoliatis alimenta miniſtrent.

*Media ad manſuetudinem. Primum. Secundum.*

Denique modus conſequendi manſuetudinem eſt: Primò, ſi eius dignitatem & vtilitatem, iræ verò indignitatem & damna ſæpè mediteris. Secundò, ſi iratus nil dicas vel agas, donec iram in corde ſedaueris. Vnde Clemens Alex. lib. 5. Stromat. refert Athenodorum hoc conſi**D**lium dediſſe Auguſto Cæſari, vt iratus nil diceret aut faceret, priuſquam 24. literas Alphabeti ſecum percurriſſet. Tertiò, ſi animo ſis excelſo; *Princeps*, ait ille, *ſuperior eſt omni iniuriâ.* Quocirca Auguſtus Cæſar obtrectantium ſibi linguas ſpernebat, dictitans, in libera ciuitate liberas oportere eſſe linguas. Quartò, ſi cogites exempla mitium vt imiteris, ac præſertim exemplum Chriſti crucifixi, de quo prædixit Iſaias cap. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Et Ierem. cap. 11. 19. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui.* Ita S. Elzearius Comes Arriani omnes iniurias ſibi illatas, meditatione & imitatione paſſionis & manſuetudinis Chriſti ſuperabat, adeò vt videretur eſſe ἀπαθὴς & inſenſibilis, vt habet eius vita.

*Tertium.*

*Quartum.*

VERS. 5. BEATI QVI LVGENT (Arabicus: *Beati triſtes*) **A** QVONIAM IPSI CONSOLABVNTVR] *Qui lugent*, non carne, ſed *ſpiritu*: τὸ enim *ſpiritu* ex verſ. 3. in omnibus his beatitudinibus eſt repetendum. Beati enim ſunt, qui lugent ob amiſſionem non opum, parentum, amicorum, ſed rerum ſpiritualium. Sanctus ergo hîc luctus accipitur, opponitur enim ridentibus, & gaudio, omniq; mundana proſperitate diffluentibus, quibus vt beatis mundus applaudit: Chriſtus verò *væ* intentat Lucæ 6. 25. *Væ*, inquit, *qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Alludit ad Iſaiæ 65. 14. *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis. Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.* Luc. 6. 21.

*Luctus beatus, quis?*

**B** Porrò hic luctus ſuos habet gradus, vti & ceteræ beatitudines: beati ergo hîc dicuntur lugentes, qui aduerſitates lugubres à Deo immiſſas, aut permiſſas patienter tolerant. Ita Nyſſenus de Beatitud. & S. Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte. Beatiores ſunt, qui ſua aut aliena peccata lugent & deflent. Ita SS. Chryſoſt. Ambroſius, Hilarius, & Hier. Beatiſſimi verò ſunt, qui præ dolore luctæ aſſiduæ, quam cum carne & concupiſcentia gerunt, præque deſiderio cæleſtis patriæ, ac præſertim præ amore Dei & Chriſti, quo perpetim frui ſummè exoptant, lugent ſuum hoc in corpore & terra exilium. Ita Nyſſenus, Ianſenius, & alij. Sic lugebat Paulus, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. Et: Cupio *diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Philip. 1. 23. Vide ibi dicta. In luctu hoc **C** excelluit S. Ephrem, qui in omnibus ſuis ſcriptis luget, ſanctumque luctum & compunctionem legenti aſpirat. S. Macarius, vt habet eius vita, ſuis dictitabat: *Ploremus, fratres, & producant oculi noſtri lachrymas, antequam eamus hinc, vbi lachrymæ noſtra copora cōburant, & fleuerunt omnes.* Lachrymæ enim hîc lauant, poſt mortem vrunt.

*S. Ephrem gemebundus. S. Macarius.*

QVONIAM IPSI CONSOLABVNTVR] Tum ſæpè in hac vita, tum ſemper in futura, vbi erit, vt ait Iſaias c. 35. 10. *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: gaudium & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Sanè compunctio ipſa mirè mētem compuncti ſolatur, paſcit, & reficit: & ſi eſt gaudium ſincerum in mundo, eſt in mente compuncta. Experire, & guſtabis: *Cor, quod nouit amaritudinē animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus*, ait Sapiens Prou. 14. 10. Vide ibi dicta. **D** Huc alludens S. Hieronymus deſcribens obitum S. Paulæ, lugentis inſtar pœnitentis, exclamat: *O beata rerum commutatio! fleuit, vt ſemper rideret: deſpexit lacus contritos; vt fontem Dominū reperiret: veſtita cilicio eſt, vt nūc albis veſtimentis vteretur, & dicere: Sciddiſti ſaccum meum, & induiſti me lætitiâ. Cinerem ſicut panem manducabat, & potionem cū fletu miſcebat, dicens: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, vt in æternum pane Angelorum veſceretur, & caneret: Guſtate, & videte, quoniā ſuauis eſt Dominus.*

BEATI QVI ESVRIVNT ET SITIVNT IVSTITIAM, QVONIAM IPSI SATVRABVNTVR] Lucas cap. 6. omittit τὸ *iuſtitiam.* Sic enim habet: *Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini*; quare videtur loqui de corporali eſurie, ſed quæ ex ſpiritali oritur, aut certè ad eam dirigitur, vti explicat Matthæus, qui in verbis Chriſti recenſendis eſt fuſior & plenior, vti Lucas in factis eiuſdem. VERS. 6.

*Eſuries iuſtitiæ, quæ?*

eiuſdem. Senſus ergo eſt, q.d. Beati qui eſuriunt cibum & potum, ſed *ſpiritu* (hoc enim repetendum eſt ex verſ. 3.) id eſt, non carnali neceſſitate, ſed virtute ſpirituali, æquè ac ſpirituali fine & intentione, quia ſcilicet eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; nam per eſuriem & ſitim acquirere, vel augere volunt in ſe & in proximis iuſtitiam. Vnde Maldonatus τὸ *iuſtitiam* exponit *propter iuſtitiam*. Hinc Lucas cap. 6. verſ. 25. hos eſurientes opponit ſaturis, ſcilicet vino & delicijs: *Væ*, inquit, *vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*, q.d. Mundus beatos prædicat ſaturos, ego verò eſurientes, ſed iuſtitiam, auidoſque, vt eam conſequantur & augeant, etiam per eſuriem, ſitim, aliaſque carnis macerationes, vel ſpontè aſſumptas, vel aliũdè illatas, vt innuit Lucas cap. 6. verſ. 21. Ita S. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, Nyſſenus, Euthymius, Theophyl. & alij. Sic eſuries, ſiue fames non corporalis, ſed ſpiritalis intelligitur Amos 8. verſ. 11. cùm ait: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini*. Et Eccleſ. 24. 29. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*. Ad quæ loca alludit hîc Chriſtus.

*Gradus eius quatuor.*

Primus ergo gradus huius beatitudinis eſuriendi & ſitiendi eſt, eſuriem & famem ortam ex publica vel priuata ciborum inopia patienter tolerare: ſecundus, eſurire & ſitire, ieiunando ſpontè, vt per ieiunium carnem domes, pro peccatis ſatisfacias, tibique vel proximis Dei gratiam impetres: tertius, pro fide Chriſti pati carceres, & in ijs famem ſitimque, imò fame enecari, vti nonnullis martyribus contigit: quartus, eſurire & ſitire iuſtitiam, omniſque virtutis augmẽtum. Vnde S. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctorum: *Nihil*, ait, *aliud eſt diligere Deum, quàm amare iuſtitiam.*

Porrò diſtinguitur eſuries iuſtitiæ ab eiuſdem ſiti, quaſi imperfectum à perfecto: eſuries enim difficiliùs expletur, ſitis faciliùs & iucundiùs. Audi S. Bernardum ſerm. 2. de Annunt. *Verumtamen*, inquit, *donec ſapit tibi veritas, non ſine difficultate ad interiora traijcitur. Vbi verò cœperis in ea oblectari, iam non cibus, ſed potus eſt, & ſine difficultate intrat in animam, quo videlicet ſpiritualis cibus intelligentiæ potu ſapientiæ digeratur, ne ipſius interioris hominis artubus, id eſt, affectibus ſiccitate laborantibus, oneri magis ſit, quàm vtilitati.*

*Iuſtitia quid? Reſp. Primò.*

IVSTITIAM] Primò, iuſtitia hîc accipi poteſt pro ſpeciali virtute, quæ cuique ius ſuum tribuit, q.d. Beati ſunt, qui eſuriunt iuſtitiam, hoc eſt, qui auidè exoptant vt iuſtitia, quæ terrena quaſi deſeruit (iuxta illud Ouidij 1. Metam.

*———Et virgo cæde madentes*
*Vltima cæleſtûm terras Aſtræa reliquit*)

& in cælum fugit, in terram redeat, ac in toto orbe dominetur, & ius ſuum tueatur. Tales ſunt, qui à tyrannis vel potentibus iniuſtè afflicti, deſiderant, inquit Rupertus, ius ſuum ſibi reddi, vti viduæ & orphani oppreſſi, vnicè deſiderant: item qui videntes alios iniuſtè ab alijs vexari, ex zelo iuſtitiæ optant eos ab hac iniuſtitia liberari, & iniuſtos puniri. Nam, vt ait Ariſtot. 5. Ethic. *Neque Heſperus, neque ſol ita lucet, vt iuſtitia*. Et Cicero lib. 2. de Officijs: *Tanta eſt vis iuſtitiæ, vt ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, in eo ſine aliqua iuſtitiæ particula viuere poſſint*, vti fieri videmus in militibus ſuo principi rebellantibus, qui vt hanc rebellionem tueantur, rigidam inter ſe exercent iuſtitiam.

*Secundò.*

Secundò & pleniùs iuſtitiam hîc accipe prout generalis eſt virtus, imò complexio omnium virtutum: hanc enim non ſimpliciter velle, ſed aſſiduè eſurire, & ardenter concupiſcere debemus, vt ijs mentem impleamus: *Non ſufficit*, ait S. Hieron. *velle iuſtitiam, ſed eſurire, vt per hanc famem numquam nos ſatis iuſtos eſſe credamus, ſed ſemper iuſtitiæ opera eſurire intelligamus.*

*Iuſtus ſemper deſiderat fieri iuſtior.*

Audi S. Bern. epiſt. 253. ad Garinum, inexplebile in iuſto proficiendi deſiderium explicantẽ. *Numquam iuſtus arbitratur ſe cõprehendiſſe, numquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit ſititq; iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet: ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur; non enim ad annum vel ad tempus, inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui.* Et poſt nonnulla: *Itaq; indefeſſum proficiẽdi ſtudium, & iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quòd ſi ſtudere perfectioni, eſſe perfectum eſt, profectò nolle proficere, deficere eſt. Vbi ergo ſunt, qui dicere ſolent, ſufficit nobis, nolumus eſſe meliores quàm patres noſtri? O monache! non vis proficere? non vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe nõ poteſt. Quid enim ſtat in hoc ſæculo?* Probat exemplo Chriſti, *qui pertranſiit benefaciẽdo & ſanando omnes. Pertranſiit ergo ſicut non infructuoſè, ita non remiſſè, non pigrè, non lento greſſu, ſed quemadmodum item de eo ſcriptum eſt: Exultauit vt gigas ad currendam viam.*

Denique concludit per ſcalam Iacob: *Vidit*, inquit, *ſcalam Iacob, & in ſcala Angelos, vbi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel aſcendere vel deſcendere videbantur vniuerſi, quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ nihil medium inueniri, ſed quomodo ipſum corpus noſtrum continuè aut creſcere conſtat, aut decreſcere; ſic neceſſe ſit ſpiritum aut proficere ſemper, aut deficere.* Præclarè S. Auguſtinus tract. 4. in epiſt. S. Ioannis: *Tota vita boni Chriſtiani*, ait, *ſanctum deſiderium eſt*; vt eat de virtute in virtutem, vt inſatiabiliter opera virtutum ſitiat, vt occaſiones inſeruiendi Deo ardenter vbicumque & vndecumque captet.

Myſticè eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, qui eſuriunt ſitiuntque Chriſtum, vt toto amore & ſpiritu illi iungantur, iuxta illud: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*. 1. Corinth. 6. Chriſtus enim factus eſt nobis à Deo ſapientia, ſanctificatio, & redemptio; ita Nyſſenus de Beatitud. S. Auguſtinus epiſt. 85. ad Conſentium ſub finem, & S. Bernardus epiſt. 190. poſt medium.

*Saturitas iuſti in cælo.*

QVONIAM IPSI SATVRABVNTVR] Tum quia ipſa ſpiritus eſuries ipſummet paſcit & ſaturat; iuxta illud:

*Ipſa ſibi virtus ſola eſt pulcherrima merces.*

Tum quia Deus deſiderantibus gratiam ſuam, eiuſq; augmenta, liberaliter illa offert, quæ ignauis & oſcitantibus negat: tum quia in cælo adimplebit omnem eorum eſuriem per felicitatem & gloriam. Nam, vt ait S. Bern. epiſt. 253. *Sempiterna eſuries ſempiternam meretur refectionem*. Vnde Chriſtus: *Ego*, inquit, *diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*, Lucæ 22. 29.

Hoc



*Exemplum S. Paulæ.*

Hoc adepta eſt S. Paula, de qua ita ſcribit S. Hieronymus in eius epitaphio: *Saturatur, quia eſuriuit, & læta decantat: Sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri. ô beata rerum commutatio! fleuit, vt ſemper rideret: deſpexit lacus contritos, vt fontem Dominum reperiret: veſtita cilicio eſt, vt nunc albis veſtimentis vteretur, & diceret: Scidiſti ſaccum meum, & induiſti me lætitia. Cinerem ſicut panem manducabat, & potionem ſuam cum fletu miſcebat, dicens: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, vt in æternum pane Angelorum veſceretur & caneret: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.*

VERS. 7.

BEATI MISERICORDES, QVONIAM IPSI MISERICORDIAM CONSEQVENTVR] Iuſtitiæ iungit miſericordiam, quia omne opus virtutis vel eſt debitum, & eſt iuſtitia; vel eſt indebitum, gratuitumque, & eſt miſericordia, & quia miſericordia iuſtitiam temperat & dulcorat. Mundani beatos æſtimant, qui pauca dant, ſed multa recipiunt, itaque opes coaceruant, ſeſeque ditant: at Chriſti dogma paradoxum; ſed veriſſimum eſt: *Beatius eſt magis dare, quàm accipere.* Actor. 20. 35. vbi multas beatitudinis huius cauſas recenſui, ac in primis illam: *Quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*

*Beatius eſt dare, quàm accipere. Cur?*

Par enim eſt lege talionis, vt miſericordiam facienti fiat viciſſim miſericordia: quod enim pauperi fit, hoc ſibi factum Chriſtus æſtimat: quare cur in die iudicij electos cælo ſit adiudicaturus, & reprobos gehennæ, non aliam cauſam affert Matth. 25. quàm quòd illi in ſe, id eſt pauperes ſuos fuerint miſericordes, hi verò immiſericordes. Miſericordia ergo miſericordi hîc promittitur, & promiſſa præſtatur à Chriſto, tum ſæpè in hac vita, tum ſemper in futura. Beatitudo cæleſtis igitur, quam pauperibus promiſit nomine regni cælorum, ab eodem miſericordibus promittitur nomine miſericordiæ, quia, vt ait Apoſtolus, vita æterna eſt gratia. Rom. 6. 23. tum quia gratis eam promiſit Deus benè operantibus & eleëmoſynarijs; tum quia initium boni operis & meriti eſt gratia; hæc enim nos præuenit & excitat ad opus bonum, illique diuinam dignitatem & vim merendi tribuit. Vita æterna, ait S. Auguſtinus de Corrept. & gratiâ cap. 13. *eſt gratia pro gratia, id eſt, pro his meritis, quæ contulit gratia*, iuxta illud Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Vnde Syrus vertit: *Beati miſericordes, quoniam ſuper ipſos erunt miſericordiæ*; quaſi dicat: Miſericordi retribuetur miſericordia, non vna, ſed multæ. Deus enim ab eo non vult vinci, ſed eum vincere ſua liberalitate. Vnde Primò, miſericordibus pœnitentiam inſpirat, & per eam peccata remittit, iuxta illud Daniel. 4. 24. *Peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Secundò, gratiam frequentem & copioſam eis aſpirat, per quam multa bona opera conquirant. Tertiò, propter ea confert eis vitam & gloriam æternam, quæ ſumma eſt gratia, ideoque nomine miſericordiæ hîc ſignificatur. Nam, vt ait S. Auguſtinus epiſt. 105. *Cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quàm munera ſua*; quia omne meritum noſtrum in nobis non facit, niſi gratia.

*Sex gradus miſericordiæ.*

Gradus miſericordiæ ſunt primò, miſeris compati: ſecundò, miſeriam corporalem proximi per eleëmoſynam leuare: tertiò, animæ ignorantia, afflictione, aut peccato laboranti ſuccurrere: quartò, miſeros præuenire & quærere, vt eis ſuccurras: quintò, tibi ſubtrahere commoda, vel etiam neceſſaria, vt alijs opituleris: ſextò, pro eis tua & teipſum vitamque impendere, vti fecit Chriſtus, S. Paulus, & S. Paulinus.

*Miſericordia eſt ſumma, ſed pia vſura.*

Symbolicè miſericordibus promittitur miſericordia, id eſt, Dei viſio & poſſeſſio, ipſeque Deus, cuius natura non eſt aliud, quàm miſericordia, iuxta illud Pſalm. 58. *Deus meus miſericordia mea.* Das ergo pauperi nummum, & accipis Deum; iuxta illud: Da nummum, & accipe regnum; da micam, & accipe maſſam; da pretium, & accipe præmium; da donum, & accipe Deum. Vnde S. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctorum: *Agnoſce*, ait, *ô Chriſtiane, tuæ ſapientiæ dignitatem, & qualium diſciplinarum artibus, ad quæ præmia voceris, intellige. Miſericordem te miſericordia, iuſtum vult te eſſe iuſtitia, vt in creatura ſua creator appareat, & in ſpeculo cordis humani per lineas imitationis expreſſa Dei imago reſplendeat. Secura eſt o operantium fides, aderunt tibi deſideria tua, & ijs, quæ amas ſine fine potieris.* Eleëmoſyna ergo non tam eſt miſericordia, quàm ingens fœnus & vſura cum Deo; longè enim plus ab eo recipit, quàm illi det; vnde illud: *Si vis fœnerari, fœnerare Deo*; nam *fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddit ei.* Prouerb. 19. 17. quia, vt ait Chryſologus ſerm. 42. *Manducat Deus in cælo panem, quem perceperit pauper in terra. Da ergo panem, da potum, ſi Deum debitorem, non iudicem vis habere.* Neruoſiùs S. Auguſtinus in Pſal. 36. *Attende*, ait, *quid facit fœnerator, minùs vult dare certè, & plus accipere: hoc fac & tu. Da modica, accipe magna. Vide quàm latè creſcat fœnus tuum. Da temporalia, accipe æterna. Da terram, accipe cælum.* Sis ergo vſurarius, ſis fœnerator Dei; hæc vſura pia, hoc fœnus ſanctum eſt. Denique S. Chryſoſtomus homil. 32. in epiſt. ad Hebr. *Eleëmoſyna*, ait, *eſt amica Dei, ſemper ei propinqua, pro quibuſcumque voluerit, facilè gratiæ munus impetrat.* Et mox confert & præfert eam pauoni, quòd magis decora grataque ſit oculis Dei, quàm pauo oculis hominum, ac de ea ſubdit: *Virgo eſt habens alas aureas, circumſpecta per omnia, venuſteq; ſuccincta, vultum habens candidum atque manſuetum, pennata eſt, leuis, & ſemper ante ſolium regale conſiſtit. Quando iudicamur, repentè ſubuenit, & nos à ſupplicijs liberat imminentibus, alis ſuis nos contegens. Hanc ampliùs deſiderat Deus quàm ſacrificia innumera.*

*Emblema eleëmoſynæ.*

VERS. 8. *Gradus tres habet mũdum cor. Primò.*

BEATI MVNDO CORDE (S. Auguſtinus de Sermone Domini in monte legit *mundicordes*) QVONIAM IPSI DEVM VIDEBVNT] Primò, mundum cor eſt mens caſta, & pura ab omni libidine & carnis concupiſcentia, q.d. Beati ſunt, non qui mundo & claro ſunt intellectu, vt Philoſophi; nec qui mundo & polito ſunt corpore ac veſtibus, quod multis eſt impoſſibile; ſed qui mundo ſunt corde, id eſt, pura caſtaque mente, quod omnibus eſt poſſibile. Ita S. Chryſoſtomus, Theophyl. Euthymius.

*Secundò.*

Secundò, generaliùs & pleniùs: Beati ſunt, qui mundo corde, id eſt, pura ſunt conſcientia, qui ſcilicet eam mundarunt ab omni peccato, à prauis cogitationibus & deſiderijs, à paſſionibus & perturbationibus, ab omni mala intentione, ac præſertim ab omni duplicitate & hypocriſi. Mundo corde ergo ſunt, qui ſimplici, recta



&

& purâ ſunt mente, qui omne bonum faciunt ſemper & cogitant, ait Auctor imperfecti: ſicut enim ſi fons ſit purus & illimis, aquæ ex eo profluentes pariter ſint puræ & illimes; ſic &, ſi cor ſit purum, omnis actio ex eo promanans erit purà & munda. Ita S. Hieronymus, Hilarius, Nyſſenus, & S. Auguſtinus lib. 1. de Sermone Domini in monte.

*Tertiò.* Tertiò, pleniſſimè & perfectiſſimè, ſummoque gradu beati ſunt mundo corde, qui ſcilicet cor ab omni creaturarum amore emundarunt, vt mundum ſit deitatis ſpeculum & templum inſtar Angeli, vtque totam mentis intentionem, affectum & amorem in Deum transferat.

Puritatis cordis perfectę indicium dat Caſſianus lib. 6. de Spiritu fornicat. cap. 10. ſomnium, ſcilicet ſi quis dormiens non impura & illicita, ſed pura & ſancta ſomniet; hoc enim mentis ad purum à vitijs excoctæ certum eſt ſignum. Porrò ſcalam, in qua per gradus ad hanc puritatem ſenſim aſcenditur, ita deſcribit Caſſianus & Sulpitius lib. 4. de Inſt. renunt. cap. 53. *Principium noſtræ ſalutis timor Domini eſt. De timore Domini naſcitur compunctio ſalutaris: de compunctione cordis procedit contemptus omnium facultatum ac nuditas: de nuditate humilitas procedit: de humilitate generatur mortificatio voluntatum: mortificatione voluntatum extirpantur omnia vitia: expulſione vitiorum virtutes fructificant atque ſuccreſcunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis Apoſtolicæ charitatis perfectio poſſidetur.* Quocirca S. Antonius apud S. Athanaſium munditiem cordis docet eſſe viam ad prophetiam: *Si quis*, inquit, *hoc aſſumat, vt futura cognoſcat, habeat purum cor: quia credo animam Deo ſeruientem, ſi in ea perſeuerauerit integritate, qua renata eſt, plus ſcire poſſe, quàm dæmones. Talis erat anima Eliſæi, quæ alijs incognitas virtutes faciebat.*

*Scala puritatis cordis.*

QVONIAM IPSI DEVM VIDEBVNT] facie ad faciem, ideoque viſione Dei beabuntur, immundi enim corde habent cor quaſi limo & fæce terrena obrutum, vt Deum videre nequeat. *Munditia autem cordis, & conſcientiæ puritas*, ait Dhromarius: *nullam nubem ad intuendum Deum patietur;* ſed illum in ſe recipiet, ſicut ſpeculum purum & terſum in ſe recipit ſolem, quem ſicut à ſe excludit ſpeculum impurum & impolitum; ſic & cor impurum à ſe excludit Deum. Audi S. Leonem ſerm. in feſto omnium Sanctorum: *Meritò hæc beatitudo cordis promittitur puritati; ſplendorem enim veri luminis ſordens acies videre non poterit; & quod erit iucunditas mentibus nitidis, hoc erit pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis oculi tergantur interiores, vt ſerenus intuitus tantùm Dei viſione paſcatur.* Hinc patet, ait S. Auguſtinus, Deum non oculis, ſed corde, id eſt, mente à beatis videri; eſt enim ipſe incorporeus & puriſſimus ſpiritus.

Poſſet ſecundò hæc Dei viſio accipi pura & affectuoſa Dei cognitio, quam Deus mundis corde in hac vita ſæpè præ alijs maiorem impertit: *Agite ergo*, inquit ex Fonteio S. Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 11. *ô miſeri mortales: hoc agite, ne vmquam polluat hoc domicilium malignus ſpiritus, ne ſenſibus immixtus inceſtet animæ ſanctitatem, lucemq́; mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat coloribus, adhæret ſonis, latet in ira, in fallacia ſermonis, odoribus ſe ſubijcit; infundit ſaporibus, ac turbidi motus illuuie tenebroſis affectionibus tenebrat ſenſus; quibuſdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis ſolet. Et quia radius ætherea lucis eſt, in eoq́; ſpeculum diuinæ præſentiæ; in hoc enim Deus, in hoc voluntas innoxia, in hoc rectè facti meritum relucet, Deus vbique præſens eſt. Tunc autem vnicuique noſtrum ſimul eſt, cùm mentis noſtræ illibata puritas in eius præſentia patuerit.* Dicat ergo ſibi quiſque cum Herminio:

*Malo mori, quàm corde fœdari.*

*VERS. 9.* BEATI PACIFICI (εἰρηνοποιοὶ, id eſt, *pacem facientes*, vti vertit Syrus) QVONIAM FILII DEI VOCABVNTVR] q.d. Mundus beatos prædicat eos, qui fortiter bella gerunt, & hoſtes ſubigunt; at ego beatos prædico eos, qui diſſidentes & bellantes conciliant, & ad pacem vnionemque inter ſe & cum Deo reuocant, aut reuocare laborant & ſatagunt. Hoc enim eſt opus arduum & difficile, ſed Deo gratiſſimum. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, S. Hieronymus, S. Baſilius quæſt. 215. inter breuior. Vide S. Gregorium 3. part. Paſtor. admonit. 24.

*Pacificorũ gradus tres.* Gradus huius beatitudinis ſunt: Primò, pacem animæ internam cum Deo habere vel procurare. Secundò, pacem cum vicinis & proximis colere. Tertiò, diſſidentes & diſcordes ad concordiam charitatis reuocare. Nam, vt ait S. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctorum, Chriſtiana pax in vno Deo, Deique charitate fundata eſt: *Extra dignitatem pacis*, inquit, *ſunt improborum parilitates cupiditatum, fœdera ſcelerum, & pacta vitiorum.* Quartus gradus eſt, facere alios ſibi ſimiles ſcilicet alijs inſtillare zelum pacis, vt ſtudeant pacificare quoſlibet diſcordes. Atque poſſet hac de re religio vel congregatio pia inſtitui magno Eccleſiæ bono, vt ſicut ſunt congregationes inſtitutæ ad obeunda cetera miſericordiæ opera, v.g. ad ſeruiendum infirmis, ad hoſpitandum peregrinos, ad alendum pauperes, ad ſepeliendum mortuos, &c. Sic etiam inſtituatur congregatio pacificorum, quorum officium ſit omnes in vrbe lites ſopire, omneſque diſcordes ad concordiam & pacem reuocare. Hoc enim magnæ charitatis eſt opus, in quo excelluit noſter P. Gaſpar Barzæus Armuzij & Goæ, adeò vt aduocati & procuratores dicerent ſibi moriendum eſſe fame, eò quòd ſopitæ forent omnes lites, ex quarum procuratione ipſi viuebant. Lege eius vitam ſcriptam à P. Trigautio. Quin & reipsâ in nonnullis vrbibus tales congregationes pacificorum, erectæ ſunt, per quas ingentia expenſarum, diſcordiarum, pugnarum, odiorum, damna, quæ lites afferre ſolent, à republica propulſantur.

*Congregatio ſeu religio ad pacificandum diſcordes, quàm eſſet vtilis.*

*Pacifici vocantur filij Dei. Primo.* QVONIAM FILII DEI VOCABVNTVR] id eſt, erunt, vt iure vocari poſſint filij Dei. Eſt catachreſis vel metalepſis: *Filij Dei*, id eſt, ſimillimi Deo, illique chariſſimi: Deus enim pacem maximè amat, eiuſque causâ miſit Filium in mundum, quia ipſe per eſſentiam eſt pax & vnio: vnde ipſe tres perſonas diuinas in vna eademque indiuidua eſſentia, ac deitate eſſentialiter vnit, intimeque iungit. Hinc Deus vocatur *Deus pacis.* Philip. 4. Ex aduerſo diabolus eſt Deus diſſenſionis: quare qui eam ſeminant, ſunt filij non Dei, ſed diaboli: *In vno enim malo*, ait S. Gregorius 3. part. Paſtor. admonit. 24. *innumera peragunt, quia ſeminando diſcordiam, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater eſt, extinguunt.*



Simili catachreſi dicitur verſ. 44. & 45. *Diligite inimicos*, &c. *vt ſitis filij Dei*, id eſt, ſimiles & imitatores *Patris veſtri, qui in cælis eſt.*

*Secundò.* Secundò, pacifici vocabuntur *filij Dei*, quia participabunt officium, & nomen Filij Dei, putà Chriſti, cuius officium eſt homines reconciliare Deo & ſibi inuicem, orbique pacem afferre, quam mundus dare non poterat. 2. Corinth. 5. 18. Coloſſ. 1. 20. Epheſ. 2. v. 14. Vnde eius nomen eſt *Princeps pacis.* Iſaiæ 9. 6. ideoque eo naſcente, pax nata eſt in terra; vnde Angeli tunc cecinerunt: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. Ipſe enim natus eſt ad hoc, vt hominem Deo, terram cælo, peccatores Angelis reconciliaret; *pacificans per ſanguinem crucis, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Coloſſ. 1. 20. *Quare ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens*, &c. *per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo.* Epheſ. 2. 14.

*Chriſtus Princeps pacis.*

*Tertiò.* Tertiò, pacifici propriè & pleniſſimè vocabũtur, eruntque filij & heredes Dei in cæleſti gloria, quam ob meritum pacis conciliatæ hereditabunt. In cælo enim omnes Sancti per gloriam beatificam ſunt filij & heredes Dei: *Hi ſunt pacifici*, ait S. Leo ſerm. in feſto omnium Sanctorum, *hi benè vnanimes, vocandi æterno nomine Filij Dei, coheredes autem Chriſti, quia hoc merebitur dilectio Dei & proximi, vt nullas iam aduerſitates ſentiat, nulla ſcandala pertimeſcat, ſed finito omnium tentationum certamine, in tranquilliſſima Dei pace requieſcat.*

*Filij paci-[illegible]* Porrò S. Bernardus ſerm. 4. de Aduentu, fictos pauperes, mites, lugentes, eſurientes, miſericordes, mundicordes, pacificos ita depingit: *Sũt*, inquit, *quia ita pauperes eſſe volunt, vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. Sunt & alij mites, ſed quamdiu nihil dicitur vel agitur, niſi pro eorum arbitrio: patebit autẽ quàm longè ſint à vera manſuetudine, ſi oriatur occaſio* (ſi verbo aſperiore pulſentur) *Alios quoque lugentes video, ſed ſi de corde procederent iſtæ lachrymæ, non tam facilè ſoluerentur in riſum. Alij tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, vt videri poſſent eſurire & ſitire iuſtitiam, ſed ſemetipſos tam inſipienter quam inutiliter palpant. Sunt alij miſericordes de his, quæ ad ipſos non pertinent; qui ſcandalizantur, ſi non detur omnibus abundanter, ſic tamen vt ipſi ne in modico quidem grauentur. Sunt, qui peccata ſua ſic confitentur, vt videri poſſent ex deſiderio mundandi cordis id agere, niſi quòd ea, quæ ipſi ſpontè dicunt alijs, ab alijs patienter audire non poſſunt. Sunt & alij, qui ſi viderint quempiam vel leuiter ſcandalizatum, valde ſolliciti ſunt quomodo eum in pacem reducere poſſint, & viderentur pacifici, niſi quòd eorum commotio, ſi fortè quidquam contra eos dictum factumque fuerit, tardius vniuerſis difficiliuſq́; poterit ſedari*, &c. Singulis hiſce deinde Chriſtum in omnibus contrarium, vt verum virtutum ſpeculum opponit.

*VERS. 10.* BEATI QVI PERSECVTIONEM PATIVNTVR PROPTER IVSTITIAM, QVONIAM IPSORVM EST REGNVM CÆLORVM] Hæc octaua & ſumma eſt beatitudo, in paſſione & patientia conſiſtens, cùm priores in actione ſitæ ſint. Vnde S. Ambroſius lib. 5. in cap. 6. Lucæ verſ. 22. *Vſque ad finem*, ait, *te, ducit, vſque ad martyrium proſequitur, ibi conſtituit beatitudinum palmam.* Difficilius enim eſt dura pati, quàm ardua agere, iuxta illud. *Fortia agere, Romanum eſt; fortia pati, Chriſtianum eſt.* Quare maior & perfectior eſt fortitudinis actus fortia pati, quàm agere, vti docet D. Thomas & Philoſophi. Perſecutio eſt pertinax inſectatio alicuius ad eum proterendum, qua nullus datur quieti, aut ſecuritati locus, ſed quouis genere, ſcilicet tam per calumnias, quàm per afflictiones; tam per iniurias verborum, quàm verberum, innocentia vexatur & opprimitur.

Acutè & ſubtiliter Nyſſenus de Beatitudine ponderat τὸ *perſecutionem*, quæ vox currentium & ſequentium eſt, ac præcedentes curſu ſuperare contendentium. Itaque meditatur Nyſſenus ſanctum virum, & tribulationem, ſiue perſecutionem ſimul currere, ſed cum ille perſecutioni non cedit, ipſum quaſi victorem antecedere & præcurrere, perſecutionẽ verò à tergo ſequi, & poſt eum currere, ideoque vocari *perſecutionem*, quia iuſtos, inquit, *inimici perſequuntur, ſed non aſſequuntur;* iuſtorum enim patientiâ & conſtantiâ ſuperantur.

*Pati propter iuſtitiã quid.* PROPTER IVSTITIAM] Quia iuſti, quia Chriſtiani, quia iuſtitiam ſequuntur, quia ſeruant Dei legem vel ſtatuta ſui ordinis, quia tuentur ius pupillorum vel fidem, aut res & iura Eccleſiæ, quia ſtudent reformationi cleri, vel monaſterij, &c. Iuſtitia enim hîc amplè accipitur, & quamlibet virtutem ſignificat, ait Chryſoſtomus. Licèt enim nonnulli Philoſophi propter iuſtitiam videantur paſſi & occiſi, vt Socrates, qui necatus eſt, eò quòd diceret plures deos non eſſe adorandos, ſed vnum ſolum, tamen vbi vera non eſt fides nec charitas, ibi nec vera & perfecta eſt iuſtitia, ait S. Auguſtinus.

*Pati propter iuſtit. ã beatum ob tres cauſas.* Beati ergo ſunt, qui patiuntur propter iuſtitiam; primò, quia perſecutio nos ſeparat à mundo, & iungit Deo: ſecundò, quia propter Deum illam patimur: tertiò, quia per hoc ſimiles ſimus Chriſto, qui tota vita vſque ad mortem crucis à Iudæis perſecutionem ſuſtinuit: *Exeamus ergo extra caſtra, improperium eius portantes.* Heb. 12. Creuit ſemper in perſecutione Eccleſia, in pace decreuit. Sic & ordo quiſque.

*Perſecutio acuit fideles & religioſos.* Hac de cauſa Deus fidelibus, vel clero, vel religioſis immittit, id eſt, immitti permittit perſecutiones, vt vitia quaſi zizania in pace ſubnata reſecet, ac primæuum virtutis vigorem reſuſcitet. Ita ſub duobus Philippis, patre ſcilicet & filio, Imperatoribus Chriſtianis, virtus fidelium elanguit in pace, fideleſque ſe gulæ, auaritiæ, ſuperbiæ, &c. dedêre. Quare Deus immiſit Decium & Valerianum Imperatores, qui ſua perſecutione fidelium virtutem acuerent. Id reuelatum fuit S. Cypriano, vti ipſe refert lib. 4. epiſt. 4 *Hoc nobis*, ait, *per viſionem exprobratum ſciatis, quòd dormitemus in precibus*, &c. *Perſecutio iſta examinatio eſt, atque exploratio peccati noſtri.* Et mox: *Dic illi ſecurus ſit, quia pax ventura eſt. Sed quòd interim morula eſt, ſuperſunt adhuc aliqui, qui probẽtur.* Et ſerm. de Lapſis: *Quia traditam nobis diſciplinam pax longa corruperat iacentem fidem & penè dormitantẽ cenſura cæleſtis erexit: non in ſacerdotibus religio deuota, non in miniſterijs fides interna, non in operibus miſericordia, nõ in moribus diſciplina*, &c. Eamdem cauſam perſecutionis Diocletiani dat Euſeb. lib. 8. Hiſt. c. 1.

*Societatem Ieſu tria conſeruant.*

Quocirca S.Franciſcus Borgia, tertius Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis, dictitabat tria eſſe, quæ conſeruant Societatem Ieſu. Primum, inquit, eſt ſtudium orationis: ſecundum, vnio mutua ſociorum; tertium, perſecutio, cauſamque dabat, quia oratio nos aſtringit Deo, vnio ſocios inuicem vincit; funiculus autem triplex difficilè rumpitur: perſecutio nos à mundo diſiungit, cogitque prudenter agere, ne perſecutores habeant quod carpant aut capiant; ac contra eorum inſidias & violentiam, virtutem, neruoſque omnes exerere. Ita habet eius vita.

QVONIAM IPSORVM EST REGNVM CÆLORVM] Cœpit beatitudines à regno cælorum, & in eodem illas terminat: primæ enim beatitudini & vltimæ, illud quaſi mercedem & præmium aſſignat, vt indicet illud idem in ceteris ſex medijs beatitudinibus tacitè intelligi, ijſque pari modo B velut præmium promitti, ſed illud disertè exprimi dumtaxat in pauperibus, & perſecutionem patientibus, quia par eſt, vt vtriſque pro paupertate & perſecutione regnum, in quo ditentur, & perſecutoribus dominentur, velut condignum patientiæ præmium retribuatur, quamquam S. Ambroſius pauperibus putet promitti regnum cælorum quoad animam, quæ mox à morte migrat in cælum: perſecutionem verò patientibus quoad corpus, quod poſt reſurrectionem gloria æterna in cælo donabitur.

*Beatitudinum octo præmium eſt regnum Dei.*

Vnde notat S. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, omnibus hiſce octo beatitudinibus regnum cælorum promitti, ſed alio & alio nomine, proprietate & titulo, cuique operi congruo, ſcilicet pauperibus & patientibus nomine & titulo regni; mitibus nomine terræ; lugenti- C bus nomine conſolationis; eſurientibus nomine ſatietatis; miſericordibus nomine miſericordiæ: mundis corde nomine viſionis Dei; pacificis nomine adoptionis in filios Dei: in cælo enim beatis à Deo dabitur; primò, ipſum regnum cæleſte: ſecundò, in eo ſtabilis terra felicitatis: tertiò, omnis conſolatio: quartò, omnis ſaturitas: quintò, omnis miſericordia, ſcilicet omnis gratia & gloria: ſextò, viſio Dei: ſeptimò, adoptio, filiatio, & hereditas Dei.

Pulchrè & punctim S. Auguſtinus in Pſa. 93. Deum ita loquentem inducit: *Venale habeo. Quid Domine? Regnum cælorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.* Adde, luctu conſolatio, eſurie ſaties, miſeratione miſericordia, munditie viſio, pa- D ce filiatio Dei.

*Scala octo beatitudinum.*

Porrò in hiſce nominibus & titulis proceditur per incrementa præmiorum. Eſt ergo hîc climax, ſiue gradatio, in qua quaſi per ſcalam virtutum gradatim ſurſum aſcenditur in cælum, gloriæque cæleſtis apicem. Primus ergo beatitudinum gradus eſt, per paupertatem abijcere curam opum: ſecundus, per manſuetudinem mores componere, motuſque animi tranquillare: tertius, peccata lugêre: quartus, eſurire & ſitire iuſtitiæ & virtutum incrementa: quintus, miſericordiæ corporalis & ſpiritualis opera meritaque cumulare: ſextus, munditiei mentis planè pleneque vacare: ſeptimus, pacem inter omnes conciliare: octauus, humiliter fortiterque pati omnes perſecutionum calumnias & iniurias. Hiſce virtutum gradibus totidem quaſi gra- A dus cæleſtis gloriæ ex æquo reſpondent & quaſi præmia attribuuntur, ſcilicet primò, paupertati regnum: ſecundò, manſuetudini ſtabilis regni æternitas: tertiò, luctui gaudium, quartò, eſuriei iuſtitiæ eius ſaties: quintò, eleëmoſynæ plena miſericordia: ſextò, munditiei cordis viſio Dei: ſeptimò, pacificis hereditas Dei: octauò, perſecutionem patientibus & afflictis regnum cælorum ampliſſimum & imperioſiſſimum. Vnde S. Ambroſius lib. 5. in cap. 6. Lucæ, verſ. 22. *Hos,* ait, *gradus volunt eſſe virtutum, per quos ab vltimis ad ſuperiora poſſimus aſcendere. Denique ſicut incrementa virtutum, ita etiam ſunt incrementa præmiorum. Plus eſt enim Dei eſſe Filium, quàm poſſidere terram & conſolationem.*

*Scala octuplicis gloriæ*

*Octo beatitudines ſũt connexæ.*

Nota primò, has octo beatitudines inter ſe eſſe connexas: nec enim beatus eſt, qui primam B habeat, niſi habet & ceteras ſeptem. Vt ego omnes in vnam contraham, nectamque, ſenſus eſt, q.d. Beati ſunt, qui contemnentes huius mundi bona per paupertatem ſpiritus, & honores per manſuetudinem, ac voluptates per luctum; inſuper iuſtitiam & miſericordiam auidè ſectantes, perueniunt ad munditiem cordis; ad hæc alios quoque ad exemplum ſui inter ſe & cum Deo pacificare & conciliare adlaborant: deniq; qui propter hæc & ſimilia iuſtitiæ opera patiuntur perſecutionẽ: hic enim eſt apex perfectionis & beatitudinis Chriſtianæ. Cùm ergo dicitur in ſingulis *beati*, intellige, ſi nihil alioquin deſit, ſiue ſi cetera requiſita adſint, vt dixi canone 13. Rurſum prima beatitudo diſponit facitque gradum ad ſecundam, & ſecunda ad tertiam, & ita conſequenter, vti docent S. Ambroſius, S. Leo, & C alij. Nam paupertas ſpiritus, ſiue humilitas diſponit ad manſuetudinem; humiles enim ſunt mites: manſuetudo diſponit ad luctum; mites enim facilè ſentiunt ſua aliorumque mala, eaque lugent: luctus ſiue compunctio diſponit ad eſuriem & ſitim iuſtitiæ; qui enim lugent ſua aliorumque peccata, ſitiunt iuſtitiam & ſanctitatem: eſuries iuſtitiæ diſponit ad miſericordiam; qui enim cupit creſcere in iuſtitia & ſanctitate, exercet opera miſericordiæ: per hoc enim valdè augetur ſanctitas: miſericordia diſponit ad munditiem cordis, quia eleëmoſyna extinguit peccata, ſicut aqua ignem, augetque charitatem, quæ mundo corde Deum ſolum diligit: mundities cordis diſponit ad pacẽ tam in ſe, quàm in alijs procurandam, quia ſicut lites & bella oriuntur D ex immundo corde & cupiditate pleno; ſic vice verſa pax oritur ex corde puro & cupiditate vacuo: denique qui hanc pacem ceteraque iam dicta procurant, in multorum prauorum & cupidorum odia incidunt, ab eiſque perſecutionem patiuntur, quam generosè ſuſtinent, itaque coronam harum octo beatitudinum perficiunt, illaque ſe coronant.

*Ordo beatitudinum.*

*Omnibus iuſtis congruunt.*

Nota ſecundò, beatitudines ſingulas ſuos habere gradus, minùs magiſque perfectos, vti iam oſtendi, iuxta quos partim ſunt conſilij, partim præcepti: quare illæ perfectis conueniunt perfectè; omnibus tamen iuſtis conueniunt inchoatè ſuo quodam modo & gradu, ideoque nemo ſine eis ſaluabitur. Quare hic ſermo, & hæ beatitudines primario quidem à Chriſto dictæ & dictatæ ſunt Apoſtolis, proximè ſibi aſtantibus vel aſſidentibus in monte, eorumque ſequacibus

viris



viris Apoſtolicis; ſecundariò tamen omnibus fi- A delibus, ideoque coram affluente populi turba eas Chriſtus promulgauit, vti dixi verſ. 1.

*Septẽ beatitudines aptantur ſeptem Spiritus ſancti donis.*

Nota tertiò: S. Auguſtinus lib. 1. de Sermone Domini in monte, ſeptem beatitudines pulchrè adaptat ſeptẽ donis Spiritus ſancti. Timor Dei, ait, congruit humilibus, pietas mitibus, ſcientia lugentibus, fortitudo eſurientibus & ſitientibus, conſilium miſericordibus, intellectus mundis corde, ſapientia pacificis.

VERS. 11. BEATI CVM MALEDIXERINT (Græcè ὀνειδίζωσιν, id eſt, *exprobrarint*, vt habet Lucas cap. 6. conuitiati fuerint, conuitijs, probris, & contumelijs affecerint (VOBIS, ET PERSECVTI VOS FVERINT, ET DIXERINT OMNE MALVM ADVERSVM VOS MENTIENTES PROPTER ME)] Quia ſcilicet meam fidem, meos mores, meam vitam ſequimini, illamque prædicatis & propagatis: *Mentientes*, Syrus *in mendacio*, quia ſcilicet falsò calumniantur vos eſſe turbatores reipublicæ, nouatores, verum deorum cultum abolere, eique ſuperſtitioſum ſubſtituere, dum hominem crucifixum Deum facitis, & adorandum prædicatis. Summa ergo beatitudo eſt, pro Chriſto, pietate & virtute patienter & generosè, imò hilariter ferre calumnias, probra, ſcommata, dicteria, ceteraſque iniurias verborum, carcerum & verberum. In hoc ſitus eſt apex Chriſtianæ virtutis & perfectionis. Idem ſecutus Chriſtum docuit nos S. Ignatius fundator Societatis noſtræ Regula 11. Summarij Conſtitut. quæ valdè ad rem præſentem facit. Cauſamque addit, quòd per hæc ſimiles fiamus Chriſto, eiuſque quaſi veſtibus & inſignibus nos veſtiamus, eius amore & reuerentia. Idem docuit ipſe exemplo magis, quàm decreto. Tota enim vita eius fuit continua quaſi perſecutio, in qua ipſe exultabat & iubilabat, ac rogantibus, *quænam eſſet via ad perfectionem*, reſpõdebat: *Si multa & magna pro Chriſto patiamini.* Vide Ribadeneiram in eius vita lib. 1. c. 14.

*Summa beatitudo eſt pati pro Chriſto.*

VERS. 12. Luc. 6. 27. GAVDETE, ET EXVLTATE QVONIAM MERCES VESTRA COPIOSA EST IN CÆLIS. SIC ENIM PERSECVTI SVNT PROPHETAS, QVI FVERVNT ANTE VOS] q.d. Gaudete in calumnijs, falſis teſtimonijs & perſecutionibus, quia per eas beati eſtis: ſecundò, quia vos manet ampla merces in cælis: tertiò, quia ſimiles eſtis Prophetis, qui fuere viri ſummi & diuini, vti fuit Iſaias, qui ob ſua oracula à Manaſſe ſerrâ diſſectus eſt; Ieremias, qui à Iudæis lapidibus fuit obrutus, ceterique Prophetæ penè omnes vario mortis genere ab eiſdem fuere interempti. Animat ergo eos exemplo Prophetarum, quòd eorum fortem in perſecutionibus tolerantiam ſequendo, eorumdem ſocietatem & gloriam ſint adepturi; quo tacitè innuit eos in Prophetarum locum ſuccedere, imò illos ſuperare, dum ad altiora vocati, non legem, ſed Euangelium toto orbe prædicabunt, cùm Prophetæ ſoli Iudææ prædicarint. Vnde ſubdit: *Vos eſtis ſal terræ*, &c.

*Merces ſupponit meritum.*

Nota hîc contra modernos hæreticos nomen *merces*: inde enim colligimus merita bonorum operum. Meritum enim eſt mercedis meritum & merces eſt meriti merces. Sic Apoſtoli *gaudentes ibant à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Actor. 5. 41. Sic Paulus exultat, quòd ſit *vinctus in Domino*, A ſcilicet propter Chriſtum. Epheſ. 3. 1. & c. 4. 1.

Audi S. Cyprianum lib. 4. epiſt. 6. ad Tibaritanos: *Gaudere & exultare nos voluit in perſecutione Dominus, quia quando perſecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cæli.* Idem in Exhortat. ad martyrol. Hoc (martyrium) ait, *eſt baptiſma in gratia maius, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius, in quo Angeli baptizant: baptiſma, poſt quod nemo iam peccat: baptiſma, quod fidei noſtræ incrementa conſummat: baptiſma, quod nos de mundo recedentes, ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo accipitur peccatorum remiſſio; in ſanguinis, corona virtutum.* Exultandum eſt ergo fideli in perſecutione & martyrio, quia hoc ſummum eſt bonum & Donum Dei: hinc ſumma eſt martyrum laurea. Sic exultauit S. Ignatius Antiochenus Epiſcopus, cùm Romam miſſus, B amphitheatrum generosè & alacer ingreſſus, circumſpectans turbam hominum (facilè erant centum millia) eam amicè ſalutauit, dixitque: *Ne putetis, ô Romani, me hîc damnatum ad beſtias ob maleficium, nullum enim commiſi, ſed quia deſidero vniri Chriſto, quem inſatiabiliter ſitio.* Cumque audiret rugientes leones: *Frumentum*, inquit, *Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Lege epiſtolam eiuſdem ad Romanos, qua illos precatur, & quaſi coniurat, ne martyrium ſuum impediant, eiuſque coronam ſibi eripiant, vbi inter cetera ait: *Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi paratæ ſunt. Si noluerint venire, vim inferam, ego nunc incipio diſcipulus eſſe Chriſti.* Hoc eſt axioma, quod S. Iacobus velut thema epiſtolæ ſuæ proponit: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei,* C *cùm in tentationes varias incideritis*; vbi multa hac de re dixi. S. Franciſcus rogatus, in quo conſiſteret perfecta religioſorum lætitia? reſpondit, non in magna ſcientia, vel ſapientia, non in gratia miraculorum, non etiam in magno ſanctitatis & ædificationis exemplo; non denique in conuerſione omnium infidelium, ſed ſi fame, frigore, nuditate afflicti, innocentes conuitijs, iniurijs, verberibus exagitemur, illaque cum gaudio amore Chriſti toleremus. Ibi perfecta eſt lætitia, quia præ omnibus donis maximum eſt, propter Deum opprobria ſuſtinere. Nam in ceteris mirabilibus nos gloriari nõ poſſumus, quia non ſunt noſtra, ſed Dei, ſed in cruce tribulationis & afflictionis gloriari poſſumus, quia illud eſt noſtrum, & ideo dixit Apoſtolus: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Galat. 6. 4
D Hæc S. Franciſcus.

*Martyrium eſt baptiſma.*

*S. Ignatij Martyris conſtantia.*

*Vbi perfecta lætitia.*

VOS ESTIS SAL TERRÆ: QVOD SI SAL EVANVERIT, IN QVO SALIETVR? AD NIHILVM VALET VLTRA, NISI VT MITTATVR FORAS, ET CONCVLCETVR AB HOMINIBVS] q.d. *Vos*, ô Apoſtoli, qui proximè mihi hîc aſſidetis, quibus octo beatitudines iam dictas primariò prædicaui, & quaſi appropriaui, *eſtis* ex mea electione & deputatione (q.d. Elegi & deputaui vos ad hoc, vt ſitis) *ſal terræ*: illud ergo *eſtis*, id eſt, eſſe debetis, & per meam gratiam reipſa eritis. Tranſit Chriſtus à beatitudinibus ad ſal, tum quia tradit Ethicam more veterum, per breues gnomas diſparatas, ſine ordine & nexu certo; tum quia hîc facilis eſt nexus, q.d. Vos, ô Apoſtoli, quos eligo, vt meo exemplo ſitis pauperes ſpiritu, mites, mundo corde, miſericordes, &c. hoc ipſo eritis ſal terræ.

VERS. 13. Luc. 14. 34. 35. Mar. 9. 50.

Syri

Syri & Palæſtini, vti dixi in canon. gaudent parabolis & metaphoris, vt ſuauiùs in aures & animos audientium influant. Sic hîc Chriſtus vocat Apoſtolos ſal totius terræ, quo tacitè præfert eos Prophetis, cui fuere ſal ſolius Iudææ, vti aduertit S. Chryſoſtomus.

*Apoſtoli ſunt ſal terræ. Primo. Sal eſt balſamum naturæ.*

Quæres, cur Chriſtus Apoſtolos vocat potiùs ſal terræ, quàm aurum, argentum, gemmas, &c. Reſp. Primò, quia ſal eſt res ſummè vtilis, vniuerſalis & neceſſaria; ſal enim eſt quaſi balſamum naturæ, quod ipſa penè omnibus mixtis inſeruit, vt ea condiat, ſtringat, & à corruptione præſeruet, ait Anſelmus Boëthus lib. 2. de Lapidibus cap. 302. ſic Apoſtoli fuere ſal, id eſt balſamum terræ.

*Secundo. Sal ſapientiæ ſymbolum.*

Secundò, ſal notat officium, vim & dignitatem Apoſtolorum; ſal enim eſt ſymbolum ſapientiæ, quia ſicut ſal condit cibos, vt ſapidi ſint; ſic ſapientia condit animos, vt ſapientes ſint; à ſapore enim dicta eſt ſapientia, quòd ipſa ſit ſapor mentis. Vnde Comicus: *Si quis*, ait, *haberet ſalem, qui in te eſt*, hinc & vir inſipiens vocatur inſulſus, iuxta illud Catulli:

*Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.*

Apoſtoli ergo fuere ſal, quia ſua ſapientia inſulſos mundi mores correxerunt, ſapidoſque & ſapientes effecerunt.

*Tertio. Sal ex igne & aqua.*

Tertiò, ſal, ait Plinius lib. 31. c. 10. eſt igneæ & aqueæ naturæ cõtinens duo elementa, ignem & aquam, ignem, quia acre eſt inſtar ignis, & ſi in ignem proijciatur, eum acuit & accendit: aquam, quia ſal inſperſâ aquâ, in eam liquefit & reſoluitur; licèt enim ſal vti & ſulphur, nitrum, ſtannum, ceteraque foſſilia ex terra generetur, communiter tamen ex partibus aquæ terreſtribus calore & vento congelatis, ſubtilique ipſius aëris in vapores ſoluto, gigni ſolet: cumque terreſtris ſit, vt ipſa terra grauis efficitur, & cum calore aduſtus eſt, ſiccus amaruſque redditus, qua ratione ipſum mare ſignificat, iuxta illud Poëtæ Æneid. 1.

*Quomodo generetur.*

——*Et ſpumas ſalis ære ruebant.*

Idem Plinius ibid. cap. 9. ſole, ait, & ſale nihil corporibus eſt vtilius. Hinc à ſale indita nomina, indeque Romæ dicta *via ſalaria*, quòd per illam ſal in ſalinos portari conſueuerat, ait ipſe cap. 7. Apoſtoli ergo fuere ſal terræ, quia ignea ſua vi eam amore Dei accenderunt, ac aquea ſua ſuauiloquentia & ſapientia eam aridam humectarunt, irrorarunt, fœcundarunt, vt fruges bonorum operum & virtutum omnium proferret. Hinc S. Iſidor. lib. 16. etymol. c. 2. hæc ſalis dat etyma: *Sal*, ait, *quidam dictum putant, quòd in igne exiliat, fugit enim ignem, cùm ſit igneus, ſed naturam ſequitur, quia ignis & aqua ſemper inter ſe inimica ſunt. Alij ſal à ſalo & ſole vocatum putant: nam aquis maris ſpontè gignitur, ſpumâ in extremis littoribus, vel ſcopulis derelictâ, & ſole decoctâ.* Et inferiùs: *Ex eo omnis victus delectatio, & ſumma hilaritas; vnde & ſalis nomen accepiſſe putatur* (ſales enim vocantur hilares lepôres) *nihil enim vtilius ſale & ſole.* Hinc & illud S. Pauli: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Coloſſ. 4. 6. Denique Ambroſius Calepinus ſal à Græco ἅλς per metatheſin deducit ἅλς enim inuersè eſt *ſal*.

*Via ſalaria vnde dicta? Salis etymon.*

*Quarto.*

Quartò, ſal cibum inſipidum, ac inſuaui ſuauitate nauſeam prouocantem acuit, ſuaque acrimonia gratum ſanumque reddit. Sic Apoſtoli inſipidas & fatuas hominum opiniones, errores & mores acri ſuo ſermone, & vitæ exemplo emendarunt, gratoſque effecerunt Deo, Angelis, & hominibus. Ita S. Hieronymus.

*Quinto.*

Quintò, ſicut ſal vi ſua penetrante carnem à corruptione præſeruat, exugendo & conſumendo humores ſanguineos, quibus caro infecta eſt, & à quibus corrumperetur; ita Apoſtoli carnis deſideria menti corruptionem afferentia, hominibus exemerunt, eoſque æternæ incorruptioni & immortalitati ſeruarunt. Vnde Cicero lib. 2. de Natura deorum: *Sus*, ait, *quid habet præter eſcam? cui quidem ne putreſceret, animam pro ſale datam eſſe dicit Chryſippus*; ſic hominibus, qui quaſi ſues volutabâtur in carne & ſanguine, Deus dedit Apoſtolos quaſi ſalem & animam, quæ eos vitâ ſpirituali animaret, ne putreſcerent.

*Sexto.*

Sextò, ſal ſitim excitat; ſic Apoſtoli excitauêre ſitim rerum cæleſtium. Audi S. Hilarium: *Apoſtoli ſunt rerum cæleſtium prædicatores, & æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, afferentes.* Et Euthymius: *Vos*, ait, *à me electi ad curandam totius mundi putredinem eſtis ſal terræ.*

*Septimo.*

Septimò, ſal ſua acredine mordicat & pungit, ſiccat & vrit. Audi Plinium lib. 31. cap. 7. & ſeq. *Salis natura*, inquit, *per ſe ignea & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens: corpora verò aſtringens, ſiccans, alligans. Defuncta autem ac putreſcentia ita vendicans, vt durent ea per ſæcula. In medendo verò mordens, adurens, repurgans, extenuans, diſſoluens.* Simili modo Apoſtoli acri ſuo, igneoque ſermone & vita, vitia hominum momorderunt, pupugerunt, ſiccarunt, & exuſſerunt. Audi S. Gregorium. hom. 17. *Si ſal ſumus, condire mentes fidelium debemus: quaſi inter bruta animalia petra ſalis debet eſſe ſacerdos in populis, vt quiſquis ſacerdoti iungitur, quaſi è ſalis petra æternæ vitæ ſapore condiatur.* Legant ſacerdotes totam illam S. Gregorij homiliam, & aureum inuenient vitæ ſuæ ſpeculum, vt fiant ſal terræ. Sapienter S. Chryſoſtomus: Vis, inquit, ſcire an probus ſit populus alicuius loci? vide, qualis paſtor ſit. Si enim eum pium, probum, integrum inueneris, cogita talem eſſe & populum, qui ab eo paſcitur, & à ſale ſapientiæ conditur.

*Qualis paſtor, talis populus.*

*Paſtor, præceptor, & prætor ſunt ſal reipub.*

Nuper Carolus Quintus Imp. feſtiuè dictitabat, ſe ex litera triplicis P. conijcere de ſtatu vrbis vel reipubl. cuiuſuis, ſcilicet ſe conſiderare, qualis eo loci eſſet *paſtor*, qualis *præceptor*, & qualis *prætor*. A paſtore enim pendet Eccleſia, à præceptore ſchola & iuuentus, quæ eſt ſeminarium reipub. à prætore curia & iuſtitia. Paſtor ergo eſt ſal Eccleſiæ, præceptor eſt ſal ſcholæ, prætor eſt ſal curiæ & ciuitatis. Qualis ergo eſt paſtor, talis eſt Eccleſia: qualis eſt præceptor, talis eſt iuuentus: qualis eſt prætor, tales ſunt ciues.

Porrò Apoſtoli & ſacerdotes eorum ſucceſſores plus faciunt, quàm ſal; quia ſal ſolùm carnes integras præſeruat à putredine, iam verò corruptas & putidas ſanare & redintegrare nequit, vti notat S. Chryſoſtomus: Apoſtoli verò animas vitijs omnibus corruptas & putidas perſanarunt, eiſque integritatem, quam numquam habuerant, indiderunt.

Qvod si sal (quod cetera ſalire & condire debebat) evanverit] Græcè μωρανθῇ, id eſt, *deſipuerit*, factum fuerit inſipidum & inſulſum, infatuatum ſit: ſicut enim *inſulſum* à cibo per metaphoram transfertur ad hominem fatuum; ita viciſſim *τὸ fatuum* ab homine transfertur ad cibum: cibus ergo fatuus eſt, qui caret ſapore, inſipidus, inſulſus. Sic Martialis betas vocat fatuas, cùm ait:



*Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ.*

In qvo (id eſt, quo alio ſale) salietvr] ſcilicet non cibus, ſed ipſum ſal, q.d. Non eſt vnde ſali inſulſo poſſit reſtitui deperdita vis, ſapor & acrimonia: non enim ſalis eſt ſal, q.d. Si Apoſtolus, ſi Epiſcopus, ſi ſacerdos, qui aliorum mores quaſi ſal condire debebat, per gulam, luxuriam, metum, adulationem, &c. perdat ſuum ſalis ſpiritualis vigorem, quis illum ei reſtituet? q.d. Nemo; id verum eſſe patet in nonnullis ſacerdotibus & paſtoribus præteriti ſęculi, qui vel ſcandaloſæ vitæ fuere, vel ignorantes, vel errantes, & in hæreſim vergentes, vel negligentes in populo erudiendo: vnde in tantum contemptum abijt ordo Eccleſiaſticus; indeque ortę ſunt hęreſes Lutheri, Caluini, & ceterorum, qui inſulſi ſimiles ſunt cimicibus, ait Maldonatus; viui enim mordent, mortui fœtent. Audi S. Auguſt. lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 10. *Si ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? id eſt, ſi vos, per quos condiendi ſunt quodammodò populi, metu perſecutionum temporalium amiſeritis regna cælorum; qui erũt homines, per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat ceterorum? ergo ad nihilum valet ſal infatuatum, niſi vt mittatur foras, & calcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus, qui patitur perſecutionem, ſed qui perſecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non poteſt, niſi inferior; ſed inferior non eſt, qui quamuis corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamen fixus in cælo eſt.*

*Sal quatuor elemẽtis conſtat.*

Porrò ſal, cùm quatuor elementis conſtet, quolibet eorum corrupto corrumpitur & euaneſcit. putâ, cęlo, ſalo, ſolo, & igne, ait ille; cęlo, id eſt, aëre; ſalo, id eſt, aqua & mari; ſolo, id eſt, terra. Aëre enim humido, ſal humectatur, eoq; corrupto corrumpitur; aqua liquatur; terra fit terreſtre; igni aduritur. Ita Pręlatus & paſtor euaneſcit. Primò, ſi captet aërem, id eſt, auram popularem. Noli, ait Poëta, & ex eo S. Hieron.

*Sic paſtor quatuor virtutibus cardinalibus.*

*Reſpicere ad fumos, & nomina vana Catonum.*

Secundò, aqua & mari, id eſt, luxuria liquatur. Tertiò, terra, id eſt, auaritia fit terreſtris. Quartò, igni, id eſt, cholera aduritur. Qua ratione enim docebit alios contemnere vanam gloriam, veneres, opes, honores, qui ea quęrit & ambit? Quomodo humilitatem perſuadebit vanus, caſtitatem luxurioſus, liberalitatem auarus, manſuetudinem cholericus? Maximè verò ſal licèt igneę ſit naturę, euaneſcit, ſi aquę miſceatur, tunc enim planè liquatur & ſoluitur: ita Pręlatus, ſacerdos, religioſus euaneſcit, molleſcit & effeminatur, ſi familiaris ſit mulieribus etiam pijs. Audi quid ſenior ille apud Ioannem Moſchum in Prato ſpirituali c. 217. dicat: *Filioli, ſal ex aqua eſt; & ſi appropinquauerit aquæ, continuò ſoluitur & deficit. Et monachus ſimiliter ex muliere eſt; itaq; ſi appropinquat mulieri, ſoluitur & ipſe, atque in id deſinit, vt iam monachus nõ ſit.* Euaneſcit pariter, ſi nimis agat cum ſęcularibus, tunc enim & ipſe ſęculareſcit, atque è religioſo fit ſęcularis. Vt ergo non euaneſcat, à ſęcularium conuerſatione ſe ſubducat, claudat os & oculos, multa loquatur cum Deo, pauca cum hominibus. Nõ ſe accommodet ſæcularibus, ſed potiùs illos ſibi adaptare & conformare ſatagat. Cogitet ſe eſſe ſal, ſeruet ſuum vigorem, grauitatem, libertatem, acrimoniam in taxandis vitijs. Non pudeat eum profiteri palàm; ſe eſſe Eccleſiaſticum & religioſum, id eſt, Dei cultorem, virum ſpiritualẽ, mundi contemptorem, cæleſtium amatorem, & ſatorem. *Intret cum alieno, exeat cum ſuo*, vt aiebat noſter S. Ignatius, hoc eſt, initio accommodet ſe ſæcularium ingenio & ſermonibus, ſed deinde dexterè eos transferat ad ſpiritualia, & ad id quod ipſe intendit, ſcilicet ad mutationem morum vitæque ſanctimoniam. Denique ſal nitrum ſulphuri concoctum in lapidem vertitur, ait Plinius lib. 31. c. 10. Sulphur eſt zelus gloriæ Dei & ſalutis animarum: hoc zelo lapideſcat & obdureſcat ad omnia probra, ad omnes blanditias, ad omnes metus, ad omnia promiſſa is, qui ſatagit eſſe ſal Chriſti. Sacerdotes ergo ſint ſal terræ, vt eam præſtent morum integritatem, quæ ceterorum ſit cenſura & diſciplina; quòd efficient, *ſi loquantur vt oracula, viuant vt numina.*

Vos estis lvx mvndi] *Eſtis*, ex mea electione & deputatione, ideoque *eſtis*, id eſt, eſſe debetis, & *eſtis*, id eſt, reipſa eritis, ſi meæ electioni & voluntati reſpondeatis, meæque gratiæ, vt par eſt, cooperemini. *Lux mundi*, vt mundum errorum vitiorumque tenebris obſcuratum, luce doctrinæ vitæque Euangelicę illumineris. Ita S. Hilarius, & alij. Vers. 14.

Senſatè S. Chryſoſtomus homil. 10. in epiſt. 1. ad Timoth. in morali: *Idcircò, ait, ille nos elegit, vt ſimus quaſi luminaria, & velut fermentum euadamus, vt velut Angeli cum hominibus verſemur in terra, vt tamquam viri cum pueris, tamquam ſpirituales cum animalibus agamus.* Sicut ergo ſol illuminat cloacas putidas, ſed ab ijs non ſordidatur, Angelus homines, vir puerum, ita & tu, ô ſacerdos, ô religioſe, ô vir ſpiritualis, doceas hominem carnalem, vt eum emendes, ſed ab eo nullam labem contrahas. Sol eſt in cælo, ſed inde radios ſpargit in terram, quibus eam illuſtrat; ita & tu mente ſis in cælis, corpore in terra, vt eam tuo ſermone & exemplo virtutis illumines, calefacias, & accendas. Sic eris lux & ſol mundi. Addit Chryſoſtomus rem notandam: *Nemo profectò*, inquit, *Gentilis eſſet, ſi ipſi, vt oportet, Chriſtiani eſſe curaremus: ſi Dei monitis ac ſcitis obtemperaremus: ſi iniurias perpeſſi vicem non referremus: ſi maledictis laceſſiti benediceremus: ſi pro malis bona redderemus. Nemo eſſet ita fera bellua, vt non ſtatim ad cultum veræ religionis accurreret, ſi videret hæc ab omnibus fieri. Atque vt diſcas ita eſſe, vnus profectò Paulus tam multos ad Dei attraxit notitiam. Si omnes eſſemus huiuſmodi, quot terrarum orbes attrahere & ipſi poſſemus?*

*Sacerdos ſicut ſol.*

*Notas*

Non potest civitas abscondi svprà montem posita] Chriſtus Apoſtolos hîc comparat primò ſali, ſecundò luci, tertiò vrbi in monte conſpicuæ. Eidem Eccleſiam, id eſt, Eccleſiæ Prælatos comparat ſæpè in Pſalmis, vt Pſal. 45. & 47. & 86. Item Iſaiæ cap. 60. & 65. Ezech. 40. Sicut ergo vrbs in monte ſita latere nequit, ſed omnium circumcircà degentium oculos ferit; ſic & Apoſtolus, Prælatus & ſacerdos in omnium oculos incurrit, vt ſi officio ſuo ritè fungatur, Chriſtique Euangelium moribus magis

magis quàm ſermonibus prædicet, multos ad Chriſtum trahat, & ab omnibus laudetur: ſin ſecùs faciat, multos à Chriſto auertat, & de omnibus vituperetur. Sequitur quarta camparatio lucernæ.

VERS. 15. Luc. 8. 16. & 11. 38. Mar. 4. 21. NEQVE ACCENDVNT LVCERNAM, ET PONVNT EAM SVB MODIO, SED SVPER CANDELABRVM VT LVCEAT OMNIBVS, QVI IN DOMO SVNT] q.d. Lucerna non ſolet condi *ſub modio*, id eſt, *ſub vaſe*, vt habet Lucas; Syrus & Hebræus *ſub ſato*, quod erat menſuræ vaſiſque genus, ſed altè in candelabris ponitur, vt omnibus in domo nocte præfulgeat: ſic & vos, ô Apoſtoli, alto officij dignitatiſque gradu conſiſtitis, vt omnes veſtrâ prædicatione & ſanctitate illuſtretis. Vnde parabolam explicans, ſubdit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*, &c.

Allegoricè SS. Hilarius, Ambroſius, & Beda, Significatur hîc, inquiunt, lux Euangelij non claudenda modio, id eſt, modicis Iudææ terminis, ſed *in candelabro*, id eſt, in culmine Romæ, Romanique imperij collocanda, vt omnibus Gentibus illi ſubditis præluceat.

Myſticè S. Auguſtinus: Propter modium, inquit, id eſt, propter menſuram rerum opumque temporalium, non eſt tegenda vel celanda lux doctrinæ & veritatis: *Sub modio ergo lucernam ponit, quiſquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obſcurat & tegit. Super candelabrum autem, qui corpus ſuum miniſterio Dei ſubijcit, vt ſuperior ſit prædicatio veritatis, & inferior ſeruitus corporis.*

*Lampas pro face.* LVCERNA] Græcè λύχνον, id eſt, lampas, tæda, fax, candela, & omne quod lucet: tædæ enim & candelæ propriè imponuntur candelabris, in Italia etiam lampades; has enim habent artificiosè turritas, quas proinde campanarias nuncupant. Sic Hebr. לַפִּיד *lappid*, quod Noſter vertit *lampas* vel *lucerna*, ſignificat omne id quod dat flammam lucentem, vti ſunt faces, titiones ardentes, & propriè dictæ lampades. Hinc cùm Iudic. 7. 19. dicitur Gedeon cum ſuis impoſuiſſe lampades lagenis, eaſque inter ſe comploſiſſe, per lampades accipe faces vel titiones flammantes: hi enim comploſis lagenis emicantes & fulgurantes terruerunt Madianitas: ſi enim fuiſſent lampades propriè dictæ, hæ vtique comploſione hac fuiſſent extinctæ; vnde Madianitas percellere nequiuiſſent. Hinc lucernæ & faces hic, vti & alibi in Scriptura, ſignificant viros ſanctos *Fax eſt vir Apoſtolicus.* præſertim Apoſtolicos, qui alijs luce doctrinæ & ſanctitatis prælucent & præfulgent; eoſque igne charitatis, quo à Deo accenſi ſunt, inflammant. Vnde de Ioanne Baptiſta ait Chriſtus: *Ille erat lucerna ardens & lucens*. Ioan. 5. 35. Sic Elias & Enoch vocantur *duæ oliuæ, & duo candelabra*. Apocal. 11. 4. Ijſdem comparantur Ieſus pontifex, & Zorobabel dux Iſrael Zachar. 4. 11. Vide vtrobique dicta.

VERS. 16. SIC LVCEAT LVX VESTRA CORAM HOMINIBVS, VT VIDEANT OPERA VESTRA BONA, ET GLORIFICENT PATREM VESTRVM, QVI IN CÆLIS EST] Ecce hîc explicat parabolas ſolis & ſalis, ſcilicet lucis ac ciuitatis ſuper montem poſitæ, atque lucernæ impoſitæ candelabro. Harum ergo parabolarum hîc eſt apodoſis, ſiue explicatio & applicatio, q.d. Eſtote, ô Apoſtoli, ſal, imò ſol, ac lucernæ, faceſque mundi, vt ſcilicet ſimili modo luceat lux veſtræ doctrinæ & ſanctitatis coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, ex ijſque glorificent Deum, qui vobis tanta ſapientiæ ſanctitatiſque bona donauit. *Vt videant*. Particula *vt* partim conſequentiam, partim finem, licèt non vltimum, denotat. Monentur enim hîc à Chriſto Apoſtoli, omneſque eorum aſſeclæ, vt ſatagant tam verbo, quàm exemplo virtutis alijs prælucere, non ſibi, ſed Deo intendendo, ſcilicet non ſuam, ſed Dei gloriam, & animarum ſalutem: vt ſcilicet opus bonũ ſit in publico, ſed intentio vni Deo placẽdi ſit in occulto, vt ait Gregorius: quare hominibus non propter ſe, ſed propter Deũ, vt ſcilicet eos ad Deum trahant, placere ſtudeant, atque ſic concilia hunc locum cum c. 6. v. 1. 2. 5. vbi contrarium videtur dicere Chriſtus: *Attendite*, inquit, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*; quæ poſtrema pars hæc duo loca in ſpeciem cõtraria conciliat, ſcilicet vetat ibi Chriſtus Apoſtolos facere iuſtitiam, id eſt, iuſta opera coram hominibus, hoc fine, vt ipſi operantes videantur & glorificentur ab eis, vt ſcilicet captent vanam hominum laudem; hîc enim vult ea fieri coram hominibus hoc fine, vt ex eis homines glorificent Deum. Audi S. Gregorium 3. part. Paſtor. admonit. 36. *Quid eſt ergo, quod opus noſtrum & ita faciendum eſt ne videatur; & tamen vt debeat videri, præcipitur? niſi quòd ea, quæ agimus, & occultãda ſunt, ne ipſi laudemur, & tamen oſtendenda ſunt, vt laudem cæleſtis Patris augeamus. Nam, cùm nos iuſtitiã noſtrã coram hominibus facere Dominus prohiberet, illicò adiunxit, vt videamini ab eis. Et cùm rurſus videnda ab hominibus bona opera noſtra præciperet, protinùs ſubdidit, vt glorificẽt Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Qualiter igitur videnda eſſent, vel qualiter non videnda ex ſententiarum fine monſtrauit, quatenus operantis mens opus ſuum & propter ſe videri non quæreret, & tamen hoc propter cæleſtis Patris gloriam non celaret.*

*Opera bona quomodo occultanda & oſtendẽda.*

VERS. 17. *Chriſtus legem impleuit.* NOLITE PVTARE, QVONIAM (ὅτι, id eſt, quod) VENI SOLVERE (καταλῦσαι, id eſt, diſſoluere, irritare, abolere) LEGEM AVT PROPHETAS: NON VENI SOLVERE, SED ADIMPLERE] Id veriſſimè dixit Chriſtus: *Primò.* Primò, quia ipſe ſemper legem veterem Moſis ſeruauit, etiamſi illâ, vtpote Deus Deique Filius, non obligaretur. Vnde iuxta legem circumciſus eſt, præſentatus in templo, porcina abſtinuit, ceteraſque legis illius ſanctiones ſtrictè obſeruauit. *Secundò.* Secundò, quia leges ceremoniales, quæ erant figuræ & vmbræ Chriſti, ipſe ſeipſo, ſuoque corpore, ſuis actibus, Sacramentiſque impleuit, quia illa geſſit, & paſſus eſt, quæ in cæremonijs legis veteris figurabantur. Tunc enim prophetia impleri dicitur, cùm fit, quod expreſsè vel tacitè per eam prædictum & prophetatum eſt. Et hoc innuit Chriſtus verſ. ſequenti, dicens: *Amen dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*. Ita Irenæus lib. 4. cap. 27. Tertullianus lib. de Patientia, Hilarius canon. 4. & 5. Auguſtinus in quæſt. noui Teſtamenti, quæſt. 69. *Tertiò.* Tertiò, & maximè, quia Chriſtus præcepta moralia legis impleuit, dum ea explicatiùs & perfectiùs docuit & ſanxit, ac pro pœnis præmijſque temporarijs æternas ſubſtituit, atque præceptis Euangelica conſilia, quæ perfectiora ſunt, adiunxit, vt patet ex ſeq. Ita Theophylactus & Euthymius. *Quartò.* Quartò, quia legis Moſaicæ imperfectionem ſuppleuit, iuſti-



ficando nos per fidem & Sacramenta legis nouæ, quæ inſtituit, quod lex Moſis facere non poterat. *Quintò.* Quintò, vt ait S. Auguſtinus, Chriſtus legem impleuit dando gratiam, quæ non tantùm iubeat, ſed & iuuet, vires addat, faciatque nos legem implere. Vnde illud S. Auguſtini: *Domine da quod iubes, & iube quod vis*. Chriſtus maximè hîc ſecundum & tertium ſenſum intendit. Vide S. Thomam, 1. 2. q. 107. art. 2.

VERS. 18. Luc. 16. v. 17. *Amen quid?* AMEN, QVIPPE DICO VOBIS, DONEC TRANSEAT CÆLVM ET TERRA, IOTA VNVM AVT VNVS APEX NON PRÆTERIBIT A LEGE, DONEC OMNIA FIANT] *Amen*, id eſt, verè, in veritate: vnde Aquila vertit πεπιστωμένως, id eſt, *fideliter, verè, certò*, vt docet S. Hieronymus epiſt. ad Sophronium. Porrò *Amen* eſt vox non iurantis ſed affirmantis rem à ſe dicendam, vel confirmantis rem iam dictam. Affirmantis eſt, cùm orationi vel ſermoni præponitur: confirmantis eſt, cùm ei poſtponitur, eamque quaſi obſignat, vti videre eſt Deutero. 27. 26. & ſeq. 1. Corinth. 14. 16. Quocirca Septuag. vertunt γένοιτο id eſt, *fiat*. q.d. verum ſit, verè fiat, quod opto, obſecro vel approbo. Hoc loco *Amen* eſt affirmantis & grauiter aſſeuerantis.

*Chriſtus eſt Amen, id eſt, ſtabilis.* Porrò ipſe Chriſtus vocatur *Amen*, Apoc. 3. 14. *Hæc dicit Amen, teſtis fidelis*. q.d. Hæc dicit Chriſtus, qui eſt *Amen*, id eſt, ſtabilis, verus, conſtans, fidelis, ipſaque ſtabilitas, veritas & fidelitas.

DONEC TRANSEAT CÆLVM] Non naturâ naturæque interitu, ſed qualitate & conditionis mutatione, id eſt, donec cælum ab hoc ſtatu corruptionis, quo ſeruit homini mortali, immutetur in ſtatum nouum & glorioſum in reſurrectione, q.d. Ante finẽ mundi, quo cælum & terra tranſibunt, id eſt, innouabuntur, neceſſe eſt omnia, quæ in lege de me ſcripta ſunt, impleri. Aut potiùs *donec tranſeat*, id eſt, donec omnino pereat cælum. Eſt enim hypothetica, & conditionalis ſiue comparatiua propoſito. q.d. Citiùs pereat cælum, faciliùs dehiſcat terra, crepetque totus mundus, quàm minimum legis punctum nõ impleatur, vel in hac vita, vel in futura: quamdiu ergo ſtabit cælum & terra, tamdiu ſtabit lex tota: ſtabit iugiter & æternabit cælum & terra, multò magis ſtabit & æternabit lex tota; iuxta illud Chriſti: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, Matth. 24. 35. Vnde Grecè eſt in præterito ἕως ἂν παρέλθῃ, id eſt, donec tranſierit, defecerit, deſierit eſſe cælum & terra. q.d. Citiùs defecerit tota mundi machina, quàm Dei lex. Audi Irenæum: *Sed & præcedentis nominis eius* (Ἰησοῦς, id eſt, Ieſus) *literas iota & Eta octodecim* (Iota enim nota eſt denarij, Eta ſiue Ita octonarij, quæ iuncta faciunt 18) *Æones ſignificanter manifeſtare* (aſſerunt Valentiniani) *decem autem Æonas ſimiliter per iota literam, quæ præcedit in nomine eius, ſignificari dicunt; & propter hoc dixiſſe Saluatorem, Iota vnum, aut vnus apex non præteribit, quoadusque omnia fiant.*

Simili phraſi ſenſuque dicitur pſal. 71. 1. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur Luna*. q.d. Numquam deficiet Chriſti iuſtitia & pax, ac citiùs quàm id fiat, lunam lux omnis deſtituet. Et pſal. 88. 38. *Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum.* q.d. Sol & luna durabunt in æternum, at multò magis æternabit thronus Chriſti.

IOTA VNVM] Chriſtus loquens Hebræis dixit *iod vnum*, vt habet Syrus & Hebr. Sed interpres Græcus pro *iod* Græcum *iota* æquiualens ſubſtituit; Græcum more ſuo ſecutus Arabicus pariter habet iota. Iod enim Hebræis, æquè ac iota Græcis & i Latinis, omnium literarum eſt minima q.d. Nihil vel minimum (quale eſt *iod* vel *iota*) ex ijs quæ in lege ſcripta ſunt de me meiſque actibus & myſterijs, præteriri poteſt, quod non ad punctum adimpleatur. Ex hac litera iod licet minima, maximam hæreſim conſtruxit Valentinus, teſte Irenæo libr. 2. capit. 1. nimirum Æonum ſuorum nominum portenta verius quàm numina.

*Vnus apex quid?* AVT VNVS APEX] Apicem legis vocat, non ipſa puncta vel accentus Hebræorum; hæc enim tempore Chriſti necdum erant, ac diu poſt Chriſtum à Rabbinis adinuenta ſunt, ſed ſummitatem aut punctum aliquod, id eſt, minimam particulam ipſius literæ legis.

DONEC OMNIA FIANT] *Omnia* ſcilicet quæ de me meiſque actibus, Eccleſia, & Sacramentis in lege & Prophetis ſcripta ſunt. Rurſum *omnia*, quæ in lege præcepta & promiſſa, vel comminata ſunt. q.d. Neceſſe eſt omnes homines legi à Deo latæ obedire, quia ad hoc Deus eos arctè & irremiſſibiliter obſtrinxit: multi ergo ei obedient eamque implebunt, itaque promiſſa legem ſeruantibus à Deo præmia nanciſcentur, tum in hac vita, tum magis in futura. Ceteri verò, qui ſua libera voluntate & malitiâ legem violabunt, eius quidem præcepta non implebunt, ſed tamen in eis pariter lex implebitur quoad comminatam à ſe violantibus pœnam: hanc enim incurrent tum in hac vita, tum in futura: ardebunt enim in æternum in gehenna: qui ergo fugiunt legis obſeruationem, incidunt in eius condemnationem: vnde dum eam non implent obediendo, implent eamdem pœnam ſuſtinendo: ſignificat ergo hac ſententiâ ſtrictam iugemque legis obligationem, vim & robur, quæ exactam omnium obedientiam requirit; ideoque certiſſimas, iugeſque pœnas inobedientibus, & præmia obedientibus ſtatuit & ſanxit.

VERS. 20. QVI ERGO SOLVERIT (violarit & tranſgreſſus fuerit, vel reprobarit, irritarit, aboleuerit) VNVM DE MANDATIS ISTIS MINIMIS, ET DOCVERIT SIC HOMINES, MINIMVS VOCABITVR IN REGNO CÆLORVM: QVI AVTEM FECERIT ET DOCVERIT, HIC MAGNVS VOCABITVR IN REGNO CÆLORVM] *De mandatis iſtis minimis*, quæ ſcilicet lex iam dicta præcipit. Ita S. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, aut quibus ego legem iam ſum explicaturus & perfecturus: vnde ſubdit: *Dico enim vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Non ergo ſignificat omnia legis mandata eſſe minima, ſed quòd damnandus ſit is, qui vel vnum de mandatis legis etiam minimis violarit, vel prauâ interpretatione peruertit, vti peruertebant Phariſæi, docentes externum adulterium lege vetari, non verò internam eius concupiſcentiam; vbi nota mandatum hîc preſsè ſumi, pro præcepto graui obligante ſub peccato mortali, vti ſunt præcepta Decalogi, qui enim tale vnum ſoluerit, licet Decalogi minimum, hic vtique damnandus eſt: nam leuia quædam in lege *Minima præcepta quæ?* veteri,

veteri, licet à Deo præcepta eſſent, tamen obligaſſe tantùm leuiter ad peccatum veniale, & ad pœnam temporariam omnino veriſimile eſt; qualia ſunt matrem capere cum pullis in nido, arare cum boue & aſino; alligare os boui trituranti, coquere hœdum in lacte matris, &c. quæ vetantur Deuteronomij 22.v.6.& 10.& cap.24.4.& Exodi 23.19.

Minima ergo hîc vocantur, non leuia hæc obligantia ad peccatum veniale, ſed quæ minima ſunt inter mandata, id eſt, præcepta grauia obligantia ad peccatum mortale, quale eſt aſpicere feminam ad eam concupiſcendam, vel eam interiùs concupiſcere, etſi exteriùs opus non perpetres, quod Phariſæi cenſebant eſſe minimum & vix vllum peccatum: Chriſtus autem docet eſſe peccatum mortale, lege Decalogi vetitum.

ET DOCVERIT SIC HOMINES] *Sic* ſcilicet vt ego facio, putà rectè, ait S. Hieronymus. q.d. Damnabitur qui ſoluerit vnum de mandatis minimis, etiamſi ipſe alios rectè doceat illud eſſe ſeruandum, ſicut ego doceo. Magis germanè SS. Auguſtinus & Chryſoſtomus *ſic*, ſcilicet ſicut ipſe facit. q.d. Qui ſoluerit vnum de mandatis, & docuerit alios, *ſic*, id eſt, ſimili modo illud idem ſoluere & violare, repete per Hebraiſmum relatiuum *qui*. q.d. Qui ſoluerit mandatum; *&* (id eſt, *item*) qui docuerit alios idem ſoluere, damnabitur vterque, ſcilicet & ſoluens & docens; vel ſi vnus idemque vtrumque fecerit, vtroque titulo bis damnabitur: qui enim alterutrum facit, ſcilicet, qui ſoluit mandatum, aut qui docet alios illud ſoluere, hic minimus vocabitur, id eſt, damnabitur. Maximè enim Chriſtus agit de Doctoribus: perſtringit enim Scribas & legis Doctores qui prauas ſuas legis interpretationes docebant, alijſque inſtillabant. Aut certè copula *&* coniunctiua capitur pro diſiunctiua *aut*. q.d. qui ſoluerit mandatum, *&*, id eſt, *aut* docuerit alios ſoluere, hic damnabitur: ſimile eſt Exodi 21.17. in Hebræo: *Qui maledixerit patri ſuo &* (id eſt, *aut*, vt vertit Vulgata; ſufficit enim alterutri maledixiſſe) *matri, morte moriatur*. Et: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, &* (id eſt, *aut*) *biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ioan.6. Dicit tamen Chriſtus, *&*, non *aut*, tum quia Scribæ vtrũque faciebant, tum vt conſtet antitheſis, quæ ſequitur: *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur*. Hîc enim τὸ *&* propriè ſumitur; requiritur enim vtrumque, ſcilicet facere & docere ad hoc vt quis magnus vocetur.

Et pro aut.

Minimus in regno cælorum, quis;

MINIMVS VOCABITVR] Vltimus habebitur, vilis reputabitur, contemptui erit in cælis Deo & ſanctis Angelis, quaſi hominum poſtremus & planè indignus, qui in regnum cælorum admittatur, ideoque damnabitur & relegabitur ad gehennam. Vnde S. Chryſoſt. & Theophyl. *minimus* interpretantur *nullus*; quia in regno cælorum non niſi magni eſſe poſſunt, ait S. Auguſt. vtpote reges cæli, filij Dei & coheredes Chriſti. Nota, Chriſtus in τὸ *minimus* alludit ad τὸ *minimis mandatis*: ludit enim amphibologicè, ſed eleganter in voce *minimus*. q.d. Vos ô Scribæ mandata grauia legis qualia ſunt non cõcupiſcere opes, vxorem, necem proximi, æſtimatis minima minimique momenti, ac minimam, id eſt, exiguam vel nullam inducere obligationem, culpam & pœnam, ideoque vos in cælo pariter coram Iudice Deo cenſebimini minimi, id eſt, nulli, contempti, deſpecti. Vide Canon 23.

IN REGNO CÆLORVM] Propriè dicto. Ita S. Chryſoſt. & Theoph. licet S. Auguſtinus, & alij regnum cælorum interpretentur Eccleſiam: huius enim regnum inchoatur in terra, ſed perficitur in cælo.

QVI AVTEM FECERIT ET DOCVERIT, HIC MAGNVS VOCABITVR IN REGNO CÆLORVM] *Magnus*, ſcilicet, Doctor, pater & princeps diſcipulorum, quos docuit. Cenſentur autem facta omnia legis mandata, quando quidquid factum non fuerit, à Deo ignoſcitur, ait S. Auguſt. Error enim corrigitur, ſarcitur & impletur per pœnitentiam. Nam, vt ait S. Bernard. tract. de Diſpenſatione & præcepto: *Pars regulæ eſt regularis correctio*: hanc ergo dum ſubit reus, regulam implet.

Moraliter diſce hîc rectam docendi viam & methodum eſſe, ſi doctor priùs faciat id, quod deinde dicturus eſt. Ita Chriſtus, ait S. Lucas, cœpit facere & docere prior; imò primus ipſe fuit pauper, humilis, mitis, lugens, mundo corde, pacificus, perſecutionem patiens, ac deinde docuit: *Beati pauperes ſpiritu, beati mites*, &c. Examinet ergo ſuam conſcientiam coram Deo Doctor; antequam id doceat, an ipſe ſit pauper ſpiritu, mitis, mundo corde, ſimplici an duplici, ſimulato, politico: nec doceat alios niſi priùs ſeipſum docuerit; videat, an mente adhæreat mundo an Chriſto; vt enim ſit Chriſti, debet frangere teſſeram amicitiæ cum mundo, renuntiare omnibus mundanis, calcare fauores, plauſus, riſus, probra ſociorum, ac dicere cum Paulo: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*. Et *mihi autem pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, &c. *qui autẽ me iudicat, Dominus eſt*. *Prima virtus monachi* (& multò magis Apoſtoli & Doctoris Chriſti) *eſt contemnere & contemni*, ait S. Hieron. Idem vidêre Gentiles: vnde Lactantius toto libr. 3. de Falſa ſapientia ex Seneca, Cicerone, Varrone & alijs oſtendit, Philoſophos parum feciſſe fructus, quia, quæ docebant, illa non faciebant: & philoſophia facta erat ſchola diſputandi, non regula viuendi: vnde in tales detonat Apoſtolus Rom. 2.21. dicens: *Qui ergo alium doces, teipſum non doces? qui prædicas non furandum furaris?* &c. Et v.1. *In quo alterum iudicas, teipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas*. Vide ibi dicta & Ezech.1.8. Præclarè S. Thomas Præfat. in Epiſt. Canon. ſi eius eſt illud opus: *Literas*, inquit, *mortis ſuæ portant viri literati qui ſciunt & docent & non faciunt: Iſtæ ſunt literæ ſine ſigillo, id eſt ſciẽtiæ ſine vita, & ideo non creditur eis*. Gal. 1.10. 1. Cor. 4.3.

DICO ENIM VOBIS, QVIA (Græcè ὅτι, id eſt, *quòd*) NISI ABVNDAVERIT IVSTITIA VESTRA PLVS QVAM SCRIBARVM ET PHARISÆORVM, NON INTRABITIS IN REGNVM CÆLORVM] *Dico*, id eſt, edico & grauiter, conſtanterque aſſeuero. *Abundauerit*, abundantior præſtantior, eminentior, plenior & perfectior fuerit, *iuſtitia veſtra*, id eſt, veſtra legis obſeruatio: illa enim implet id, quod lex iuſtum eſſe dictat: illa quoque facit nos reuera coram Deo iuſtos. Nam, vt ait Apoſt. Rom.2.13. *Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur*. VERS.20.

Errores Scribarum tres.

Nota, Scribæ & Phariſæi, licet à vulgo doctiſſimi & iuſtiſſimi ſanctiſſimique haberentur, tamen à vera iuſtitia multùm deficiebant: Primò, quia



quia magis externas actiones quàm internas affectiones domabant: ſatagebant enim coram hominibus apparere legis obſeruatores & iuſti.

Secundò, quia legis literam prauo ſenſu & explicatione peruertebant.

Tertiò, quia iuſtitiam ſuam magis in cæremonijs, ac præſertim crebris lotionibus, quam in vero ſanctitatis ſpiritu collocabãt. Contraria prorſus hîc docet Chriſtus: vt patet ex ſequentibus: ac Chriſtiani etiam minimi & rudes prorſus cõtraria facere debent, itaque ſuperare iuſtitiam Scribarum, ſi cælum ingredi velint. Hæc tria in ſequentibus per varia Decalogi præcepta ſigillatim demonſtrat Chriſtus.

VERS.21. AVDISTIS, QVIA DICTVM (præceptum) EST ANTIQVIS: NON OCCIDES: QVI AVTEM OCCIDERIT, REVS ERIT IVDICIO] *Audiſtis*, à Scribis legem Moyſi docentibus & explicantibus. Hîc oſtendere incipit Chriſtus, ſe legem nõ ſoluere ſed adimplere, ac iuſtitiam Chriſtianam præcellere debere Iudaïcæ & Phariſaïcæ: vtrumque enim paulò antè aſſeruit. Igitur Chriſtus hîc componit, opponit & anteponit ſe, ſuãque doctrinam, tum Scribis & Phariſæis, qui per ſuas δευτερώσεις, id eſt, traditiones Phariſaïcas legem peruersè interpretabantur, vt patet ex v.20.& 43. tum ipſi legi & Moyſi: Chriſtus enim legi addidit præcepta fidei explicitæ de Deo trino & vno, deque Chriſti incarnatione, paſſione, redemptione, &c. item conſilia Euangelica: ad hæc clariorem & expreſſiorem legis naturæ ſiue Decalogi explicationem, & hoc vltimum maximè intendit hîc Chriſtus, vt patet ex ſequent. Licet enim lex naturæ ſemper extiterit, omneſque obligarit tum eos qui fuerunt ante diluuium, tũ eos qui poſt illud vixerunt, tamen obſcurior manſit, nec planè expreſſa, ideoque paucis plenè cognita ante Chriſtum veritatis, iuſtitiæ & perfectionis Magiſtrum, qui eamdem hîc clarè, planè & plenè explicat. Ita diſertè S. Auguſtinus lib.1. Retract. c.22. S. Hilarius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & alij: licet nonnulli cum Maldonato cenſeant, Chriſtum hîc tantùm agere contra peruerſas Phariſæorum legis interpretationes, ideoque ipſum hîc non ſe opponere legi & Moyſi, ſed tantùm Scribis & Phariſæis, eorumque legis interpretationibus: ſed prius, quod dixi, verius eſt, ſcilicet Chriſtum tam legi, quàm Scribis ſe opponere, & vtrorumque imperfectiones & defectus ſupplere. Lex enim Moyſis fuit rudis & imperfecta, vtpote rudibus Iudæis data, quam proinde Chriſtus per legem Euangelicam expoliuit & perfecit.

*Chriſtus perficit non tantum Scribas ſed & legem.*

NON OCCIDES] Multi putabant hac lege dumtaxat vetari homicidium: at Chriſtus hîc docet per illam etiam vetari iram, verba, verbera, probra, &c. quæ ſunt præludia homicidij, & ad illud rectâ viâ ducunt.

QVI AVTEM OCCIDERIT, REVS ERIT IVDICIO] q.d. Obnoxius & obligatus erit iudicio, vt in iudicio facinus factumque eius examinetur, vtque iudicum examini & cenſuræ homicida ſubiaceat, qui iuxta legem eum ad mortem condemnent, niſi deprehendant eum fortuitò, vel neceſſitate ſe defendendi compulſum, inuaſorem occidiſſe. Ita S. Auguſt. lib.1. de Serm. Domini in monte, & S. Greg. lib.21. in Iob c.4.

Rurſum reus erit iudicio, id eſt, iudicij, id eſt, condemnationis, pœnæ capitalis, & mortis, quâ in iudicio condemnabatur & plectebatur homicida, iuxta legem Leuit.27.17. quod enim hîc dicitur: *reus erit iudicio*; hoc ibi alijs verbis dicitur: *morte morietur*. ita Euthymius. Sic ſæpe in Scriptura per metalepſin *iudicare* ſignificat *condemnare* & *iudicium* ſignificat *condemnationem*.

*Iudicium pro condemnatione.*

EGO AVTEM DICO VOBIS QVIA OMNIS QVI IRASCITVR FRATRI SVO, REVS ERIT IVDICIO. QVI AVTEM DIXERIT FRATRI SVO, RACA, REVS ERIT CONCILIO: QVI AVTEM DIXERIT, FATVE, REVS ERIT GEHENNÆ IGNIS] Hîc Chriſtus explicat, implet & ſupplet legem *non occides*, docetque eâ non tantum vetari homicidium ſed & iram tam internam, quàm externam, quæ in probra verbaque iniurioſa prorumpit. *Ego autem dico*, id eſt edico, aſſeuero & ſancio tamquam legiſlator omnis legis, tam Euangelicæ quàm Moſaicæ & naturalis. VERS.22.

OMNIS QVI IRASCITVR] Græca addunt εἰκῆ, id eſt, temerè, ſine cauſa: ſed Codices Romani, ac S. Hieronymus, & S. Auguſtinus lib.1. Retract. c.19. illud omittunt, ſubintelligitur tamen hoc aut ſimile. Agitur enim hîc de ira illicita, quæ via ſit, initium & gradus ad homicidiũ iniuſtum & illicitum, alioqui enim ira iuſta de cauſa, v.g. contra peccata & peccatores concepta, eſt licita & laudabilis, adeoque ira à natura inſita eſt homini; vt ſit cos virtutis & fortitudinis, ad eam contra vitia & aduerſa quælibet acuendam.

*Ira quando peccatum, quando non?*

Nota: Ira eſt appetitus vindictæ; ipſa eſt peccatũ mortale, ſi deliberatè inferat, vel optet graue malum corporis, vel bonorum, vel famæ proximo, aut de eo gaudeat, etiamſi is illud mereatur; quia iratus de eo gaudet, vt eſt bonum non iuſtitiæ, ſed vindictæ. Ira verò eſt veniale peccatum, ſi leue malum appetat proximo, etiamſi ira ſit vehemẽs & valde interiùs exteriuſque excandeſcat, vt docet Caietanus in ſũmula, Verbo *Ira*, & Toletus Inſtruct. ſacerd. lib.7. c.57. Hoc enim ſecundùm ſe non eſt peccatum mortale, niſi erumpat in graue malum proximi, aut ſe exponat periculo blaſphemiæ, grauis cõuitij, ſcandali, aut alterius peccati mortalis. Denique ira nullum eſt peccatum, ſi aſſumatur ex zelo iuſtitiæ ad extirpanda ſcelera & ſceleſtos, vti eam aſſumpſit Mathatias occidens Legatum Antiochi, qui cogebat Iudæos ſacrificare idolis 1. Machab. 2.25. & Chriſtus flagello eijciens ementes & vendentes è templo, Ioan.2.15. Audi S. Chryſoſtomum in Pſalm.4. ad illa: *Iraſcimini & nolite peccare: Licet*, inquit, *iuſtè iraſci: nam & Paulus Elymæ ſuccenſuit*. Actor.13.8. *Et Petrus Saphiræ*, Actor.5.9. *ſed id nõ iram dixerim abſolutè; ſed Philoſophiam, curam & œconomiam. Iraſcitur enim pater filio, ſed eius curam gerens. Ille eſt qui temerè iraſcitur, qui ſeipſum vlciſcitur: qui autem aliena corrigit, is eſt omnium mãſuetiſſimus. Nam Deus etiam non ſeipſum vindicans, iraſcitur; ſed nos corrigens. Eum ergo nos quoq; imitemur. Ita enim ſe gerere diuinũ eſt; aliter verò humanum. Virum ſtultum*, inquit Iob, *interficit iracundia*. Iob 5.2. Vbi S. Gregorius: *Sciendũ*, inquit, *eſt quòd alia eſt ira, quam impatientia excitat; alia quam zelus iuſtitiæ format. Illa ex vitio: hæc ex virtute generatur: ſi enim nulla ira ex virtute ſurgeret, diuinæ animaduerſionis impetum Phinees per gladium non placaſſet. Hãc iram quia Heli non habuit, motum contra ſe implacabiliter ſupernæ vltionis excitauit. Nam quò contra ſubditorum vitia, tepuit,*

*Ira aliqua laudabilis.*

*puit, eò contra illum diſtrictio, æterni Rectoris exarſit.* Quin & Ariſtoteles lib. 3. Ethic. *Ira*, ait, *eſt cos fortitudinis*, citatque illud Homeri: *Virtuti immitte furorem.*

Porrò S. Auguſtinus, Franc. Lucas & Maldonatus putant hîc agi dumtaxat de ira quę ſit peccatum mortale, S. Chryſoſtom. verò & Ianſenius cenſent hîc agi de ira, quæ ſit peccatum veniale. Ego autumo de vtraque hîc agi, ſcilicet de omni ira illicita, ſiue venialis ſit, ſiue mortalis, maximè tamen de mortali, quia hæc propriè ducit ad homicidium; ideoque rea eſt iudicij, id eſt, pœnæ capitalis.

REVS ERIT IVDICIO] Paulò aliter capitur hîc *iudicio* quàm paulò antè v. 21. vbi dicitur: *qui autem occiderit reus erit iudicio*; ibi enim intelligitur iudicium humanum, quo homicida à iudicibus iudicatur & damnatur ad mortem; hîc verò intelligitur iudicium diuinum, quo Deus iram iudicat & damnat, venialem quidem ad pœnam temporariam, qualis eſt purgatorij, mortalem verò ad pœnam æternam, qualis eſt gehennæ. Ludit ergò analogicè in voce *iudicio*. Vide Canonem 23. Chriſtus ergo hîc vni homicidio lege veteri vetito, & vni pœnæ mortis corporeæ, ab eadem lege ſancitæ, triplicem opponit iræ gradum, & conſequenter triplicem pœnæ ſpiritualis, præſertim æternæ gradum & menſuram. Ita S. Auguſtinus: perſtringit enim Scribas, qui in explicando præcepto *Non occides*, dupliciter errabant.

*Duplex error Scribarum. Primò.*

Primò, quòd eo putarunt homicidiū dumtaxat vetari, non verò iram internam, ideoque illam non eſſe peccatum; contra quos Chriſtus hîc docet, illo etiam iram prohiberi, quia ipſa initium & via eſt ad homicidium.

*Secundo.*

Secundò, quòd homicidio non aliam pœnam aſſignarent, quàm mortis corporalis à iudicibus in iudicio inflictam; contra quos Chriſtus hîc docet non tantùm homicidio, ſed & iræ in iudicio diuino à Deo infligendam pœnam ſpiritualem, vel temporariam in purgatorio, ſi ira ſit venialis; vel æternam in gehenna, ſi ira ſit mortalis; quarum vtraque æquatur morti temporali à iudicibus homicidæ inflictæ, imò longè illa grauior & acerbior eſt.

Porrò quàm praua ſit ira, vide S. Baſilium & S. Chryſoſtomum hom. de Ira, Senecam lib. de Ira. Ciceronem 4. Tuſcul. vbi inter alia ait: *An eſt quidquam ſimilius inſaniæ, quàm ira? quam bene Ennius initiū dixit inſaniæ: color, vox, oculi, ſpiritus, impotentia dictorum atque factorum quam partem habent ſanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? Quid Agamēnone in iurgio? Nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemq; perduxit.* Vide dicta Epheſ. 4. 26.

*Raca quid? Reſp. Primò.*

QVI AVTEM DIXERIT FRATRI SVO RACA, REVS ERIT CONCILIO. *Raca* Primò, S. Chryſoſtomus putat *raca* ſignificare *tu*, v.g. Si quis per contemptum dicat proximo: *vade tu, quid vis tu?* quaſi Chriſtus hîc vetet *tuiſare*, id eſt, vocare aliquem *tu* per deſpectum.

*Secundò.*

Secundò, Theophylactus: *raca*, inquit, idem eſt quod ſputo dignus vel conſpuendus: רוק *roc* enim eſt ſputum: verùm hoc conuitium tantum imò amplius eſt, quàm vocare aliquem fatuum quod tertio & ſummo loco hîc ponit Chriſtus.

*Tertio.*

Tertiò, alij autumant *raca* eſſe vocem Græcā ῥακὸς, id eſt, pannoſus. Ineptè Beza hîc cēſet. Chriſtum pro *raca* dixiſſe רָשָׁע *raſca*, id eſt, *impie*, veniale tantùm, vetari.

*Quartò.*

Quartò. veroſimiliùs S. Auguſtinus, Rupertus, Anſelmus, & alij opinantur *raca* eſſe interiectionem ſpernentis & aduerſantis, per onomatopœiam, ac ſub ea omnia maleuoli animi ſigna, ſiue ea fiant murmurando, ſiue frendendo, ſiue expuendo, ſiue faciem indignanter auertendo, ſiue frontem rugando, ſiue naſum ſuſpendendo, intelligi.

*Quintò. Optimè.*

Quintò; optimè S. Hieronymus & Angelus Caninius in Nomin. Hebręis noui Teſtamēti & alij cenſent *raca* eſſe vocem Hebręam, aut potiùs Syram deriuatam ab hebr. ריק *ric*, id eſt, *vacuus* (non cerebro, vti vult S. Hieronymus; hic enim eſt fatuus, ſed opibus, ait Ianſen.) *inanis fuit*, quaſi *raca* idem ſit quod Homo leuis, aut inops & pauper, & ita vertit Noſter, Iudic. 11. 3.

Denique, Georgius Michaëlis Maronita in Proœmio Grammaticæ Syriacæ. c. de Præſtantia linguæ Syriacæ: Raca inquit Syriacum eſt, & tria ſignificat. Primò idem eſt, quòd *teſtudo*, quod animal ita Syris deforme habetur, vt maximè illud nauſeent & abhorreant. Sic Itali, cùm tardum & deformem notant, dicunt: *pare tartaruga*. Secundò, *raco* à *rac*, id eſt, *conſpuit*, ſignificat conſpuentem ſiue conſputum. Syri enim cùm volūt alicui ignominiam inurere, vocant eū *raco*, id eſt, conſpuentem vel conſputū, *raco* enim tam actiuè, quàm paſſiuè ſumitur. Aut *raca* idē eſt quod *rauco*, id eſt, ſputum; & alter alteri hanc vocem fortè dicebat, vt ſignificaret ſe inſtar ſputi illum æſtimare. Sic enim Syri vt quem oſtendant à ſe nihil fieri, dicunt: *Tu es inſtar ſputi apud me.* Tertiò, *raco* Syris ſignificat contemptum, deſpectum, vilem, abiectum, ſordidum, & in hac ſignificatione arbitror ſumi vocem *raca* à Chriſto. Hucuſq; Georgius. Fauet Æthiopicus, qui vertit: *Qui dixerit fratri ſuo, quod pauper ſit per contemptum, & laceris veſtibus, reus erit concilio.* Perſicus & ceteri retinent τὸ *raca*, nec explicant: vnde & Ægyptius, ſiue Copticus habet *cheraka*: *che* enim eſt articulus, reſtat ergo *raka*, ſiue *raca*. Arabicus, *raca* vertit pannoſus, lacer, mendicus, qui veſtitur centone, ſiue veſte ex centum plagulis conſarcinata.

*Raca veniale vel mortale.*

Certum eſt *raca* plus eſſe quàm iraſci, minùs quam *fatue*, ac proinde verius eſt eſſe interiectionem & ſignum irati, aut ſignificare hominem inanem, pauperem, miſerum, abiectum. Rurſum *raca* eſt ambiguum, poteſtque eſſe veniale, poteſt & eſſe mortale, ideoque reum concilij: *fatue* verò certum eſt eſſe mortale, ideoque reum gehennæ ignis. τὸ enim *fatue* ſignificat amentem & emedullati cerebri, qui pecudi confertur. Aufer enim ab homine rationem mentemque, & irrationale pecus efficies.

REVS ERIT CONCILIO] Græcè συνεδρίῳ, à qua voce Hebræi ſummum ſuum concilium vocarunt *ſanedrim*, quaſi dicat, obnoxius eris & obligatus concilio, ſiue iudicio ſummo Sanedrim, vt illorum iudicium cenſuræ ſubiaceat, ab eiſque ſententiam damnationis ſubeat.

*Triplex tribunal Hebræorum.*

Nota; Thalmudici Doctores, & ex ijs Franc. Lucas, Maldonatus & alij tradūt apud Hebręos triplex fuiſſe tribunal. Primum דין ממונא *din mammona*, id eſt, iudicium de re pecuniaria, quod erat Triumuirûm; tres enim in illo ſedebant iudices. Secundum דין משפט *din miſpat*, id eſt, tribunal iudicij, ſcilicet de re capitali, in quo examinabatur, v.g. cauſa homicidij, & homicida capitis damnabatur, niſi probaret illud fuiſſe fortuitum, aut in ſui defenſionem factum. Hoc tribunal cōſtabat 23. iudicibus.

*Sanedrim quid?*

Tertium erat *Sanedrim*, quod erat 72. iudicum, in quo graues cauſæ & ſcelera, vt hæreſis, falſi Prophetæ, idololatriæ, apoſtaſiæ, &c. tractabantur. Chriſtus omiſſo primo hîc alludit ad duo poſteriora, ac ſecundum vocat *Iudicium*, tertium vocat συνέδριον, id eſt, *concilium*. q.d. Talis eſt proportio inter iram & verbum contumelioſum, & inter vtriuſque pœnam, qualis eſt inter iudicium *miſpat* & *ſanedrim* ſiue ſummum Concilium, vt ſicut hoc excedit illud, ita & pœna verbi contumelioſi excedat pœnam iræ: nam cetera omnia in hac ſimilitudine, vti & in ceteris, non eſt neceſſe accommodare, imò ſæpe id eſt impoſſibile. Eſt ergo hîc catachreſis in voce *iudicij* & *concilij*; per iudicium enim ſignificatur minor iræ culpa, indeque minùs examen minorque condemnatio & pœna: per concilium verò maior culpa, indeque maius examen maiorque damnatio & pœna. Denique per gehennam propriè ſignificatur certa culpa, damnatio & pœna.

*Senſus loci genuinus.*

Senſus ergo eſt. q. d. Sicut homicida in lege veteri reus erat iudicij, vt ſcilicet cauſa hæc eius criminalis à criminalibus iudicibus examinaretur, ac ipſe damnaretur ad mortem, niſi iudices inueniſſent ipſum id caſu vel neceſſitate feciſſe, ita pariter ira, quæ eſt primus gradus ad homicidium, eſt cauſa criminalis, ac conſequenter pertinet ad tribunal non primum *Mammonæ*, ſed ſecundum *Iudicij*, non humani, ſed diuini, ita vt ſi ira ſit perfecta & voluntaria, hoc eſt, animus deliberatus inferendi cædem vel graue malum proximo, ob eam damnetur ad mortem, non præſentem ſed æternam; ſin autem ira ſit leuis vel improuiſa & venialis, damnetur ad pœnam & mortem temporalem, vt ſcilicet luat pœnas in purgatorio, quæ æquiparantur morti temporali, quam infligebant iudices homicidæ in tribunali iudicij.

Sin autem eruperit ira in verbum aſperum, v.g. *raca*, grauius peccat vel venialiter vel mortaliter, prout illud procedit ex interna ira vel veniali vel mortali. Grauiùs, inquam, peccat, quia iram ſigno externo prodit & perficit, ac proinde pertinet ad tribunal Concilij illud iudicare & punire (hoc enim de grauioribus criminibus iudicabat, vt ab eo grauiùs puniatur, ſed pro ratione & quātitate culpę, vt ſi illa ſit venialis grauiori, quàm interna ira, pœnâ in purgatorio; ſi mortalis, grauiori ſupplicio in inferno caſtigetur. Sin autem dixerit *fatue*, id eſt, verbum apertè & grauiter contumelioſum, iam nec iudicio, nec concilio eſt opus, ſed certa eius eſt damnatio ad gehennam.

*Prob. Primo.*

Hunc eſſe genuinum huius loci ſenſum probatur: Primò, quia Chriſtus hîc plenè explicat Decalogum, ſcilicet præceptum. *Non occides*, docetque eo non tantùm homicidium, ſed omnem iram tam venialem, quàm mortalem vetari: alioqui ſi ſolam mortalem intelligeret, non plenè & perfectè explicaret hoc præceptum.

*Secundò.*

Secundò, quia in ſimili, putà in ſecundò Decalogi præcepto, *Non peierabis*, Chriſtus verſ. 34. explicat illo non tantùm periurium, ſed omne non neceſſarium iuramentum, quod ſæpè eſt

*Tertiò.*

Tertiò, quia ita explicat S. Gregorius 21. Moral. c. 4. *Per gradus, ait, culpæ creuit ordo ſentētiæ, quia in Iudicio adhuc cauſa diſcutitur, in Concilio autem cauſæ ſententia definitur in gehenna, ea, quæ de concilio egreditur, ſententia expletur.* S. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 18. defenſioni, ait, datur locus in iudicio: in concilio de ſupplicio, quo afficiendus eſt reus, deliberatur: in gehenna eſt certa damnatio.

*Peccatum aliud veniale, aliud mortale.*

Ex hoc ſenſu contra Stoicos & Iouinianum liquet culpas & pœnas eſſe diſpares, ſcilicet, peccatum vnum altero eſſe grauius, ideoque grauiorem pœnam coram Deo mereri; vnde aliud eſſe veniale, aliud mortale; idque rurſum ſuos habere gradus grauitatis & malitiæ: liquet conſequenter contra Caluinum, diſtinctio purgatorij à gehenna.

Porrò nonnulli cum Bellarmino libr. 1. de Amiſſ. gratiæ c. 9. tres hoſce gradus peccatorum ſic aſſignant, vt in *ira*, quę eſt rea iudicij, notetur culpa & pœna venialis: in *raca*, quod eſt reum concilij, notetur culpa maior, de qua dubium eſt, an ſit venialis, an mortalis, quod à concilio definiēdum eſt: in *fatue* notetur culpa maxima & certò mortalis, quæ proinde gehennâ ignis punitur; idque ſatis eſt probabile & appoſitum.

QVI AVTEM DIXERIT FATVE, REVS ERIT GEHENNÆ IGNIS] q.d. Qui graue conuitium vel contumeliam dixerit proximo, per quod fama vel honor eius grauiter lædatur, quale eſt dicere viro honeſto & honorato, tu fatue; hîc peccat mortaliter, ideoque reus erit gehennæ: ſub *fatue* intellige reliqua conuitiorum, dirarum, calumniarum, probrorum & imprecationum genera, quæ peccata ſunt mortalia, ſi valde proximum dehonorent, aut ex animo grauiter nocendi, conuitiandi, & dehonorandi cupido proferantur.

*Conuitij grauitas metienda ex affectu.*

Contumeliæ enim grauitas vel leuitas, maximè ex affectu eam proferentis ſpectanda & metienda eſt. Vnde cùm eam dicis loco, aut non animo dehonorandi, ſed corrigendi, non formalis, ſed materialis dumtaxat eſt contumelia, ait D. Thomas 2. 2. quæſt. 72. artic. 2. Hinc parentes licitè ſuos filios, magiſtri diſcipulos, Domini ſeruos duriùs per verba contumeliæ pungunt, caſtigant & increpant; ſi moderatè ad iuſtam correctionem id fiat. Sic Chriſtus Petrum vocat ſatanam. Matth. 16. 23. Sic Paulus Galatas cap. 3. 1. vocat inſenſatos. Si enim eos licèt flagellare virgis & verberibus, ergo & verbis, ait D. Thomas.

*Et dignitate perſonæ.*

Rurſum contumeliæ grauitas metienda eſt ex perſonæ dignitate. Viro enim graui & honorato dicere *fatue*, eſt grauis contumelia: vili verò & ſtupido, qui reuera eſt fatuus, eſt leuis. Vide Leonardum Leſſium lib. 2. de Iuſtitia c. 11. dub. 3. Contumelia ergo æquè ac ira eſt peccatum mortale, ſi proximo graue malum inferat vel optet: veniale, ſi leue: nullum, ſi nullum, præſertim ſi fiat ad moderatam iuſtamque peccantis correptionem.

REVS ERIT GEHENNÆ IGNIS] Arabicus, *reus erit ignis gehennæ*. Notat S. Hieronymus Chriſtū hîc primò vſurpare nomē *gehennæ* pro inferno: nuſquam enim in veteri Teſtamēto pro eo vſurpatum reperitur. Dicta eſt autem *gehenna* quaſi גיא *ghe*, id eſt, *vallis* הנום *Hinnō* ſeu *Ennom*, id eſt, viri Iudæi ita nominati, quæ alibi vocatur *geben*

*Gehennæ Etymon.* *Ennom*,id eſt, vallis filii Ennom. Erat vallis hæc amœna prope Ieruſalem , in qua parentes filios ſuos immolabant , & concremabant idolo Moloch,atque ne vagitus eorum &ploratus exaudirent,pulſabāt tympana:vnde locus hic dictus eſt *tophet*,id eſt,tympanum:hinc pariter vocatur hic gehenna ignis , hoc eſt adeò ardens & ignita, vt non niſi merus ignis,iſq; inſernalis eſſe videatur. Vide dicta Ierem.7.31. & Iſaię c.30.verſ.vlt. vbi graphicè gehenna eiuſq; tormenta depinguntur. *Præparata eſt*,inquit,*ab heri Topheth*,*à rege præparata*,*profunda & dilatata. Nutrimenta eius*,*ignis & ligna multa:Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccēdens eam.* Vide & Apoc.c.19.v.20.& c.21.v.8.

VERS.23. SI ERGO OFFERS MVNVS TVVM AD ALTARE, ET IBI RECORDATVS FVERIS , QVIA FRATER TVVS HABET ALIQVID ADVERSVM TE] Id eſt, habet quod de te queratur , vel quod tecum expoſtulet de iniuria ſibi à te facta (eò enim hæc ſpectare patet ex voce rationali *ergo*) quòd ſcilicet tu ei iratus fueris,aut dixeris ei *raca* vel *fatue* ſimilemúe iniuriam irrogaris. Ita S.Auguſtinus. Simile eſt Apoc.2.v.4. Scribæ,vt videtur, docebant omnia peccata , ac præſertim violationem præcepti : *Non occides* , expiari per ſacrificia & munera ad altare Dei,ac conſequenter ſacerdotibus Dei vicarijs oblata , etiamſi proximo læſo vel iniuria affecto nulla fieret ſatisfactio,vt colligitur ex hoc loco,& ex ſimili parentum læſione, Matth.c.15.verſ.6.

Contrarium hîc docet Chriſtus,ſancitque legem iuſtitiæ & charitatis , qua iubet prius ſatisfieri proximo,verbo vel verbere,à te læſo, quàm Deo munus offerri. Hoc enim vltroneum eſt & indebitum; illud verò neceſſarium, & ex iuſtitia vel charitate debitum. Vnde ſubdit Chriſtus.

VERS.24. RELINQVE MVNVS TVVM ANTE ALTARE ET VADE PRIVS RECONCILIARI FRATRI TVO, ET TVNC VENIENS OFFERES MVNVS, TVVM] Quæres, an hoc præceptum ſit, an conſilium duntaxat ? Reſpondet Abulenſis quæſt.162. eſſe conſilium ; non ergo peccat, inquit , ipſe qui offert munus & non reconciliatur,ſed ſolum perdit vtilitatem muneris (oblationis)ita quod non meretur vitam æternam per illud. Verùm dico hoc eſſe præceptum ; charitas enim, æquitas, religio & Deus ipſe hoc exigit , vt offendens offenſo ſe ſtatim reconciliet , etiam ante ſacrificia , idque

*Reconciliari fratri ante oblationem eſt præceptū.*

*Prob. Primò.* Primò , quia reconciliatio eſt præcepti , ſacrificium verò conſilij. *Secundò.* Secundò, quia Deus manet nobis offenſus , quamdiu nos in proximi manemus offenſa. *Tertiò.* Tertiò , quia ſacrificium pacis eſt ſymbolum & proteſtatio : quomodo ergo offeres Deo ſymbolum pacis , niſi prius proximo, quem læſiſti, te reconciliaueris,ab eoque pacem acceperis? *Quartò.* Quartò,quia Deus plus diligit concordiam fidelium, quaſi Eccleſiæ ſuæ ciuium , imò fratrum,quàm munera,ac magis per eam honoratur. Ita Auctor imperfecti : imò Deo non placet,ſed diſplicet diſcordium ſacrificium. Cauſas congruas dat Tertullianus lib.de Oratione cap. 10. *Quid eſt*,inquit,*ad pacem Dei accedere ſine pace? ad remiſſionem debitorum cum retentione? quomodo placabit patrem iratus in fratrem? Nam & Ioſeph dimittens fratres ſuos ad perducendum patrem: Et ne inquit*, *iraſcamini in via*. Geneſ.45.24.quaſi diceret:Si Ioſephus patrem ad ſe euocaturus prius fratres inter ſe pacificauit,veritus, ne prudens pater inter diſcordes fratres venire recuſaret:quo pacto Chriſtus Dominus ſe flecti & placari à diſcordibus fratribus patietur? Eſt ergo hoc præceptum legis & iuris naturæ; vel potiùs ſupernaturale & connaturale gratiæ. Hic enim eſt ordo virtutum, vt reconciliatio , pax & vnio præcedat religionem actumque ſacrificij, ad eumque ſit diſpoſitio:vnde hoc præceptum obligauit etiam Iudæos in lege veteri : à Chriſto tamen hîc arctiùs ſancitur, tum quia per incarnationem Verbi ipſe nos ſibi & ad inuicem arctiſſimè vniuit : illa ergo maior per Chriſtum vnio , maiorem poſcit charitatem & vnionem fidelium : vnde ipſe ſanxit : *Nouum mandatum do vobis , vt diligatis inuicem , ſicut dilexi vos*,Ioan.13.34.tum quia ſacrificium Euchariſtię iam ſanctius eſt , imò eſt ſynaxis & communio corporis,quod idem numero omnes participamus, eoque ipſi Chriſto & nobis mutuò ſummè vnimur, hinc dicitur communio, id eſt communis omnium vnio. Cùm ergo Euchariſtia ſit ſacrificium , æquè ac Sacramentum & profeſſio mutuæ vnionis & pacis,neceſſe eſt,vt omnis diſcordia faceſſat,& offendentes eis, quos offenderunt, ſe reconcilient ante hanc ſacram ſynaxim, ne mendaces inueniantur. Mentitur enim reipſa, qui Sacramentum vnionis, id eſt, Euchariſtiam ſumens cum proximo,nō vnionem,ſed ſimultatem & rancorem gerit in pectore. Pulchrè S.Auguſtinus ſerm.16.de Verbis Domini:*Te*,ait,*quærit Dominus magis quàm munus: offers munus tuum, & tu non es munus Dei. Plus quærit Chriſtus quem redemit ſanguine ſuo, quàm quod tu inueniſti in horreo tuo.*

*Moderatio præcepti.* Intellige hæc ; quantum fieri poteſt,ſi videlicet locus,tempus,& prudētiæ ratio id permittat, vt offendens vadat ad offenſum, eique ſe reconciliet ante ſacrificium : nam aliqui non pedibus, ait S. Auguſtinus, ſed affectu , ſcilicet odium in corde remittendo ; & effectu, ſcilicet pro iniuria proximo ſatisfaciēdo, ad offenſum ire debemus. Quid ſi enim offendens ſit Romę, offenſus verò in India, an in Indiam eat oportet antequàm ſacrificet ? minimè: ſufficit enim firmum propoſitum ſatisfaciendi læſo.

Porrò S.Chryſoſtomus,Euthymius,& Theophylactus hoc intelligunt tam de offenſo, quàm de offendente, ſiue iure, ſiue iniuria , quaſi velit Chriſtus,vt non tantùm offendens,qui læſit, ſed etiam offenſus, qui per iniuriam eſt læſus,adeat offendentem,eiq; ſe reconciliet ante ſacrificium: ſed tunc hoc conſilium eſt, non præceptum. Ita Ianſenius, Maldonatus, & alij.

Hac de cauſa olim in Miſſa vſus fuit , vt ante ſanctam communionem Chriſti darent ſibi mutuò oſculum ſanctum , quaſi reconciliationis & vnionis ſymbolum , cuius loco iam datur oſculanda tabella pacis,quam vocant,vti dixi in epiſt. 2.ad Corinth.

*Exempla.* Ita ad literam S.Ioannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus , vt hoc Chriſti præceptū vel conſilium impleret , altari aſtans & Miſſam celebrans,cùm recordaretur clerici cuiuſdā, qui odium contra ſe cōceperat,licèt ab eo offenſus, prior tamen ab eo veniam petijt , itaque illi recōciliatus, cum eodem gaudens ad altare redijt, ac ſacrificium peregit, dicens cum fiducia Deo: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, vti narrat Leontius in eius vita c. 13.& 14. Subdit Leontius cap.14. *Deiferi quidam SS.Patrum dixerunt , Angelorum quidem eſt nullatenus litigare , ſed in omnimoda & perpetua pace conſiſtere : hominum verò eſt altercari quidem , ſed ſtatim reconciliari : dæmonum autem eſt totum diem litigare, & totum diem tranſire irreconciliatos*. Addit cap.16. 5. Ioannem Miſſam celebrantem , Damianum Diaconum,cùm vellet communicare, repuliſſe, eiq; dixiſſe:*Vade priùs reconciliari fratri tuo ; ſpopondit ille hoc facere , & tunc de ſacris myſterijs dedit ei.* Hinc rectè colligit S.Gregorius lib.4.Dialog.c. 60.aitque: *Qua in re penſandum eſt cùm omnis culpa munere ſoluatur, quàm grauis eſt culpa diſcordiæ pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamuis longè poſitum, mente ire, eiq; animum ſubdere, humilitate illum ac beneuolentia placare, vt ſcilicet conditor noſter dum tale placitum mentis noſtræ aſpexerit, à peccato nos ſoluat, qui munus pro culpa ſumit.*

VERS.25. LUC.12.58. ESTO CONSENTIENS Græcè *εὐνοῶν*, id eſt, *beneuolus*;Syrus,*amicus*;Arabicus,*benignus*;alij *concors*;S. Hilarius Can.4. vertit, *beneuole reconciliare*, vt præceſſit) ADVERSARIO TVO , Græcè *τῷ ἀντιδίκῳ σου*,id eſt, accuſatori & actori tuo;Syrus, בְּעֵל דִּינָךְ *beel dinach* , id eſt , auctori vel domino litis tuæ; Arabicus, *litiganti tecum*; CITO, DVM ES IN VIA CVM EO : NE FORTE ADVERSARIVS TRADAT TE IVDICI , ET IVDEX TRADAT TE MINISTRO, ET IN CARCEREM MITTARIS] Græcè *βληθήσῃ* id eſt,proijciaris,quaſi in ergaſtulum, locumque pœnarum.

VERS.26. LUC.12.59. AMEN DICO TIBI (certò tibi aſſeuero) NON EXIES INDE , DONEC REDDAS NOVISSIMVM (Græcè *ἔσχατον*, id eſt , vltimum) QVADRANTEM] debiti tui.

Quæres,quis hic aduerſarius, vel vt græcè eſt, *ἀντίδικος* , id eſt , accuſator & actor ? *Primò.* Primò, Tertullianus libr. de Anima, reſpondet eſſe diabolum. Hic enim eſt ſatan, id eſt , aduerſarius noſter.

*Secundò.* Secundò, S.Athanaſius (vel quiſquis eſt Auctor : videtur enim planè Athanaſio eſſe poſterior,vt rectè notarunt Sixtus Senenſis & Bellarminus de Scriptor.Eccl.in Athanaſio) in quæſt. S. Script. ad Antiochum quæſt. 26. cenſet eſſe carnem , hæc enim aduerſatur animæ : *caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum , ſpiritus autem aduerſus carnem*. Galat.5.17. Verùm nec diabolo,nec carni conſentire debemus , aut poſſumus, quod tamen hîc ſuadet Chriſtus.

*Tertiò.* Tertiò ergo meliùs idem Athanaſius ibidem aſſerit eſſe conſcientiam ; hæc enim nobis aduerſatur , noſque remordet , dum malè agimus; donec ei conſentiamus &, quod illa dictat faciamus.

*Quartò.* Quartò, S. Auguſtinus , Anſelmus, & Beda, opinantur eſſe Deum aut Dei legem : hæc enim cupiditatibus noſtris aduerſatur : vnde ei planè conſentire debemus , ne pœnas ab ea intentatas incurramus.

*Quintò.* Quintò,S.Baſilius in regul.breuior.interrog. 222.cenſet eſſe hoſtem nobis aduerſantem & iniurium. Verùm hæc aut aliena ſunt aut myſtica & ſymbolica, vt patet ex præcedentibus.

*Sextò. Optimè.* Dico ergo cum S.Hieronymo,Hilario,Ambroſio , auctore imperfecti , aduerſarium hîc vocari eum , qui iniuſtè à nobis offenſus eſt & læſus , ideoque nos coram Deo accuſare & reos peragere poteſt: huic enim verſu præcedenti iuſſit nos reconciliari.



Vbi nota hoc loco eſſe Hebraiſmum, & parabolicū ſermonem, in quo proinde non eſt neceſſe ſingula adaptare: quædam enim ad elegantiam ipſius parabolæ ſpectant , vt dixi canone 28.& 29,ſed ſcopus eius maximè ſpectandus eſt, illique omnia,quæ poſſunt,adaptanda ſunt. Hic autem ſcopus non tam exprimitur,quàm innuitur. Senſus ergo eſt.q.d. Sicut prudenter facit debitor vel reus ab actore protractus ad iudicem, ſi ante iudicium cum creditore & actore conueniat, itaque iudicis condemnationem, carcerem, infamiam,integramque & citam debiti totius ſolutionem euadat : ita omninò fac & tu,ac ſi fratrem læſiſti,eique iniuria aliqua,v.g.dicendo *raca* vel *fatue* , te debitorem honoris reſtituendi conſtituiſti,age citò,vt ei reconcilieris,antequam Deo iudici quaſi reus tradaris, qui iuſta vindicta te mancipet carceri , donec omne debitum ſoluas,vel lethale & æternum in inferno, vel veniale & temporale in purgatorio : ad purgatorium enim inclinat vocula *donec*,quę finiendam ſignificat pœnam , hæc enim finitur in purgatorio, cum in inferno numquam terminetur, ſitque ęterna:Quare ibi durat *τὸ donec* in æternum: tamdiu enim durāte culpa, tamdiu pariter & durabit hîc gehennæ pœna. Id notant S. Hieronymus hîc,& Origenes hom.31. in Lucam , ac S. Ambroſius in c.12. Lucæ & alij.

Poſſunt tamen ſingulæ parabolæ partes ſingulis rebus ſignificatis adaptari hoc modo vt aduerſarius ſit is , cui conuitium vel iniuriam fecimus ; via ſit hęc vita iudex ſit Chriſtus ; miniſter ſit diabolus, carcer ſit infernus vel purgatorium, quadrans ſit minima culpa, ſi nimirum intelligas aduerſarium nos tradere,quia eius loco & cauſa diabolus nos tradet reos iudici Chriſto . cùm in die iudicij apud ipſum nos accuſabit:nam homines læſi raro apud Chriſtum lædentem accuſant, imò ſi ſancti ſunt,excuſant. Hanc parabolam iteratò & ob alium finem, dixit Chriſtus Lucę 12, 59. de quo ibidem. Vide Canonem 5.

Huic Chriſti ſententiæ ſimilis eſt gnome R. Ananię in Pirke Auoth cap.3. *Vir ille, in cuius ſpiritu ſibi complacent homines, ſibi complacet quoq; Deus. Vir ille , cuius ſpiritus diſplicet hominibus, diſplicet & Deo*.q.d. Cui conſentiunt homines, conſentit & Deus : à quo diſſentiunt homines , diſſentit & Deus.

QVADRANTEM] Græcè *κοδράντην*; nimirum vox à Latinis ad Græcos tranſijt , vti & plures aliæ, quæ ab Euangeliſtis citantur ; quales ſunt prætorium , aſſarius , denarius, centurio,cenſus, cuſtodia, legio,linteum, libertinus, milliare,macellum,membrana,modius,ſextarius, ſicarius,ſudarium, ſpeculator, taberna , forum, titulus, flagellare,flagellum : Hę enim omnes voces Latinæ , ab Euangeliſtis Græcè ſcribentibus vſurpantur. *Voces in Euangelio Latino Græca.* Porrò quadrans eſt quarta pars(vnde in Euangelio Hebræo S.Matthęo adſcripto vocatur רִבּוּעַ *ribbua*,id eſt,*quartum*) aſſis, quam à tribus vncijs Plinius triuncium vocat , Cicero teruncium. *Quadrans quid.* As enim vel aſſis eſt libra continens duodecim vncias , quarum quarta pars ſunt tres vnciæ. Varro lib.de Lingua Latina dici putat *as* quaſi *æs*:vnde variè ſumitur. *As quid. As triplex. Primò.* Primò enim *as* erat idē quod libra vel pōdo. Ita Budæus lib.de Aſſe: *Secundò.* Secundò, minor *as* erat moneta minor, maximè cōmunis & vſitata,qualis apud Italos & baiocus,

cuius quadrans ſiue quarta pars eſt quatrinus: A denarius enim inde dictus eſt quod valeret decem nummos paruos, putà decem baiocos. Denarius enim erat vnius drachmæ, æquipollens noſtro iulio Italico, & regali Hiſpanico, qui apud Italos valet decem baiocos, apud Belgas quinque ſtuferos: ſtuferus enim valet duos baiocos, quadrans ergo eſt quarta pars baioci & octaua ſtuferi, quam Belgæ vocant *een negemanneken*, & pro minimo numero vulgari prouerbio vſurpant. Tertiò, ſi denarium maiorem ſiue duplicem, qui duos Iulios ſiue duos regales valet, accipias, ſic continebit decem aſſes, id eſt, decem ſtuferos (vnde & Belgæ ſtuferos vocant aſſes) ac conſequenter quadrans erit quarta pars ſtuferi, & dimidia baioci. Summa ſignificatur hic per quadrantem minimi pretij nummus, ac per eum B indicatur omne iræ culpæq; debitum, etiam minimum, rigidè vſque ad vltimum obolum cuique luendum & perſoluẽdum eſſe poſt hanc vitam, ſiue in purgatorio ſiue in inferno: vtrobique enim eſt locus iuſtitiæ non miſericordiæ: quare in hac vita, vbi miſericordiæ, compoſitioni & condonationi eſt locus, tranſigendum eſſe cum aduerſario, id eſt, eo quem verbo aut verbere læſimus. In hiſtorijs legimus, famulum quemdam vita functum apparuiſſe ſuo hero, ac ab eo rogatum de ſuo ſtatu & loco, reſpondiſſe: *Eò loci ſum, vbi omne debitum exactè rigideq; computatur, & ne vel hilum condonatur.* Doctor Iacobus de Paradiſo Carthuſianus in lib. de Peccatis mentalibus criminalibus, narrat religioſum quemdam vita functum veſte vili, mœſtoque vultu ſocio apparuiſſe, eique dixiſſe: C *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quàm diſtrictè iudicat Deus, & quàm ſeuerè punit.*

*Tertio.*

*Rigor iuſtitiæ poſt hãc vitam.*

*Exempla.*

VERS.28. AVDISTIS QVIA DICTVM EST ANTIQVIS: NON MOECHABERIS] Id eſt, non committes adulterium, ſub quo velut maiori & ſceleſtiori ſpecie vulgò ab hominibus Gentibus damnata, fornicationem, mollitiem, inceſtum, ceteraſque luxuriæ ſpecies prohiberi intellige, vt dixi Deuteron. 5.18.

EGO AVTEM DICO VOBIS, QVIA OMNIS, QVI VIDERIT MVLIEREM AD CONCVPISCENDAM EAM (id eſt, ita vt eam concupiſcat; hoc animo vel fine vt turpi eius amore capiatur hoc modo vt optet ea turpiter frui) IAM MOECHATVS EST EAM IN CORDE SVO] q. d. iam eam per adulterium in mente corrupit, iam cum ea mentaliter adulterium perpetrauit, ideoque coram Deo, D qui cor intuetur, eſt adulter, & vt adulter ab eo punietur.

Tranſit Chriſtus ab ira ad concupiſcentiam, quia hæ duæ in homine ſint paſſiones potentiſſimæ: ſicut ergo explicuit præceptum *non occides*, vetans iram; ſic hîc explicat præceptum *non mœchaberis*, vetans concupiſcentiam. Scribæ enim plures & Phariſæi ſicut in illo, ſic & in hoc explicando multipliciter errabant. Licèt enim ſcirent præcepto nono Decalogi dici: *Non concupiſces vxorem proximi tui*, tamen errabant. Primò quòd hoc intelligebant de concupiſcentia non purè interna, ſed quæ in tactus, oſcula, verba laſciua, &c. ante actum adulterij prorumpere ſolet, iuxta illud: *Lex manum, non animam prohibet*; ſed hoc verum eſt de lege ciuili & pollitica, quæ tantùm iniurias externas punit & vindicat, non A verò internas, vtpote quas non videt, nec cognoſcit; non verò de lege & iudicio Dei, qui intima cordis ſcrutatur & caſtigat. In eodem errore fuit Ioſephus Hiſtoricus Hebręus, qui lib. 12. Antiq. cap. 13. citans Polybium dicentem, Antiochum Epiphanem miſerè occubuiſſe eò quòd Dianæ templum ſpoliare cupiuiſſet, eumdem redarguit, dicens: *Voluiſſe enim tantùm, ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium, non videtur res ſupplicio digna*: & R. Dauid Kimchi citatus à Genebrardo in pſal. 66. *Etiamſi*, ait, *viderim iniquitatem in corde meo, quàm vel paratus eſſem in actum perducere, vt vt ſit illa coram Deo, atque ſi eam labijs protuliſſem, tamen non audiet eam Dominus.* q. d. *non ducet eam mihi ſceleri. Cogitationem enim prauam Deus non adiungit operi, niſi certè contepta fuerit in Dei fidem atq; religionem.* Sic & hodie B è plebe multi ſunt, qui dicunt: Cogitare malum, non eſt peccatum, ſed facere malum.

*Error Scribarum de concupiſcentia.*

*Primus.*

Verum hic craſſus eſt error, cognitus & confutatus ab Ariſtotele ceteriſque Ethnicis, nam bonitatis & malitiæ, virtutis & vitij proprium ſubiectum eſt voluntas libera: hæc enim ſi bonum honeſtum appetit, bona eſt & laudabilis; ſi malùm, mala & vituperabilis. Quocirca actus externus, v.g. mœchiæ, in ſe præcisè peccatum non eſt (vt patet in ſtultis adulterantibus) niſi quatenus à libera voluntate mœchandi procedit: ab ea enim trahit omnem ſuam formalem malitiam.

*Secundus.* Secundò, errabant Scribæ, quòd impudicos aſpectus, oſcula, tactus, &c. putarent non eſſe peccata mœchiæ, id eſt, fornicationis vel adulterij, ſed concupiſcentiæ; quare illos committi contra nonum præceptum: *Non concupiſces vxo-* C *rem proximi tui*, ſed non contra quintum: *Non mœchaberis*. Contra hos Chriſtus hîc contrarium docet ac præceptum explicat, ſcilicet illos vetari quinto hoc præcepto, quia ipſi ſunt diſpoſitio & via ad mœchiam, adeoque initium & inchoatio mœchiæ; nono verò præcepto expreſsè tantum vetari internam concupiſcentiam, quæ in actum externum non prodit.

*Tertius.* Tertiò, errabant quòd hac lege tantum vetari putarent concupiſcentiam vxoris alienæ, non verò mulieris innuptæ cuiuſcumque, quæ tua non ſit vxor. Hoc hîc corrigit Chriſtus, docetque hac lege prohiberi omnem obſcœnum feminæ, quæ tua non ſit vxor, contactum & concupiſcentiam.

*Primi motus an ſint peccata?* Nota primò, hac lege non vetari, nec damnari primos & inuoluntarios concupiſcentiæ D motus; hi enim non ſunt in hominis arbitrio & poteſtate; ſed voluntarios, deliberatos & procuratos, vt patet ex præpoſitione *ad*, cùm ait, *ad concupiſcendam eam*. Ita S. Auguſtinus vbi tamen aduerte *τὸ ad* non tantùm ſignificare finem, ſed & conſecutionem ſiue ſequelam: nam non tantùm mœchus eſt, qui videt & intuetur mulierem hoc fine, vt eius aſpectu & concupiſcentia ſe oblectet, ſed & is, qui eam intuetur ex curioſitate, dum aduertit ex hoc aſpectu conſequi & excitari in ſe eius concupiſcentiam, aut quòd hoc aſpectu concupiſcentiæ & peccati periculo ſe exponat.

Nota ſecundò, quòd hîc de viſu dicitur, cùm ait, *qui viderit mulierem*, id à pari intelligendum eſſe de auditu, tactu, cogitatu: viſum tamen præ alijs Chriſtus nominat, quia *oculi ſunt in amore duces*; & vt moneat caſtis maximè illos eſſe continendos



*Viſus feminæ quam illecebroſus.*

nendos & coercendos. Cùm ergo ait: *qui viderit mulierem*, ſignificat viſum eſſe originem & cauſam concupiſcentiæ & luxuriæ, quia *aſcendit mors per feneſtras noſtras*, Ierem. 9.21. Et: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*, Thren. 3.51. Quocirca prudenter Iob cap. 31. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Hinc de Chriſto mirabantur Apoſtoli, quòd cum muliere, putà Samaritana: loqueretur. Ioan. 4. S. Thomas Aquinas accepto ab Angelo cingulo & dono caſtitatis, ſtudioſè tamen cauebat feminas quaſi ſerpentes, cauſamque dabat: *quia cùm facimus, quod in nobis eſt, Deus non curatur: cùm autem exponimus nos periculo, Deus nos in illo nobis relinquit*, nam *qui amat periculum, in illo peribit.* Eccleſ. 3.27.

Nouum & quaſi inauditum eſt quod ſcribit B Petrus Damiani lib. 2. epiſtol. 18. ad Deſiderium Cardinalem: *In quodam monte orientis*, inquit, *lapides ſunt igniferi, qui maſculus & femina nuncupantur, & dicuntur Pyriboli; qui nimirum, cùm à ſe inuicem procul ſunt, non accenduntur: ſi verò femina appropinquauerit maſculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita vt omnia, quæ circa montem ſunt, flammis vaporantibus, exurantur. Ab ipſis ergo lapidibus edocemur, vt ſi conſumi libidinis incendio nolumus, muliebris aſpectus ſpeciẽ declinemus.* Huc facit feſtiua, ſed vera gnome R. Hillel in Pirke Auoth, hoc eſt, in Sententijs Patrum cap. 2. *Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. Qui multiplicat apes, multiplicat curas. Qui multiplicat ſeruos, multiplicat rapinas. Qui multiplicat feminas, multiplicat ſortilegia. Qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem.* S. Cypr. de Singul. Cler. C *De carbonibus*, ait, *ſcintillæ diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilãt, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam, quam Salomon ſic comparat, dicens: De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Et ſuperiùs: *Quanti & quales Epiſcopi & Clerici, ſimul & laici poſt confeſſionum victoriarumq; calcata certamina, poſt magnalia & ſigna, vel mirabilia vſquequaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, cùm volunt in naui fragili nauigare. Quãtos leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cùm ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædã.* Femina enim viſu eſt Baſiliſcus, voce Siren; voce incantat, viſu dementat, vtroque perdit & necat. Hinc S. Franciſcus, teſte S. Bonauentura ſtudioſè ſuos monebat, vt cauerent à feminis: *Quia*, inquit, *colloquium cum femina extra confeſſionem, eamq; breuem, inutile eſt & periculoſum.* Et Noſter B. Xauerius: *Maiori*, ait, *periculo quàm fructu aditur femina.*

*Femina viſu eſt baſiliſcus, voce Siren.*

VERS.29. QVOD SI OCVLVS TVVS DEXTER SCANDALIZAT TE, ERVE EVM, ET PROIICE ABS TE: EXPEDIT ENIM TIBI, VT PEREAT VNVM MEMBRORVM TVORVM, QVAM TOTVM CORPVS TVVM MITTATVR IN GEHENNAM.

*Inf. 18. 9.*
*Mar. 9. 47.*

VERS.30. ET SI DEXTERA MANVS TVA SCANDALIZAT TE, ABSCINDE EAM, ET PROIICE ABS TE: EXPEDIT ENIM TIBI, VT PEREAT VNVM MEMBRORVM TVORVM, QVAM TOTVM CORPVS TVVM EAT IN GEHENNAM] Patet vtramque hanc eſſe parabolam, à duobus membris præſtantiſſimis & homini maximè neceſſarijs, ſcilicet dextro oculo & manu petitam, qua ſignificat, abijciendum eſſe omne id quod ad peccatum nos ſollicitat, quantumuis charum, pretioſum & neceſſarium ſit. Oculi autẽ primò meminit, quia de eo paulò antè dixit: *qui viderit* (vtique oculo) *mulierem ad concupiſcendam eã, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

*Inf. 18. v. 8.*
*Mar. 9. v. 43.*

*Dexter oculus & manus quid? Reſp. Primò.* Primò igitur, S. Chryſoſtomus homil. 17. per dextrum oculum & manum accipit mulierem amicam, de qua iam ſermo præceſſit: illa enim abijcienda eſt, ſi nos ad libidinem ſuo aſpectu, voce aut geſtu prouocat. *Secundo.* Secundò, S. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte, per dextrum oculum & manum accipit quemuis amicũ & miniſtrum, etiam neceſſarium. *Tertiò.* Tertiò, S. Hilarius, Theophylactus hîc, Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 28. S. Athanaſius (vel quiſquis eſt auctor) ad Antiochum qu. 70. Paſcianus ep. 3. accipiunt parentes & cognatos: horum enim conuerſatio reſecanda eſt, ſi nos ad peccatum trahit. *Quartò.* Quartò: S. Hieronymus accipit affectus & vitia animæ. *Quinto.* Quintò, Auctor imperfecti per dextrum oculum B & manum; accipit mentem & voluntatem; per ſiniſtrum, ſenſum & carnis appetitum: Tam enim mens & volũtas à curioſis & noxijs auocãda eſt, quam ſenſus & caro à cupiditatibus carnalibus.

Verùm ſimpliciùs & planiùs, dextrum oculum & manum hîc propriè accipias, ſed ita vt parabolæ ſubſeruiat & parabolicè explicetur. Eſt enim hîc continua parabola, in qua Chriſtus illudit & reſpicit ad concupiſcentiam viſus, de qua paulò antè egit. Occurrit enim tacitæ obiectioni; q.d. Obijcies mihi: ſi oculus & viſus eſt mœchus, cùm videt mulierem ad eam concupiſcendum, quid ergo cum oculis, mihi à Deo ad videndum datis agam?

*Sexto. Genuinè.* Rurſum eſt metaphora petita à Chirurgo, q.d. Sicut læſi & ægri curant, vt chirurgus mem- C brum etiam nobiliſſimum & ſummè neceſſariũ, quale eſt dexter oculus & manus, exſcindat, ſi inde pendeat totius corporis ſalus: ita & vos, ô fideles mei, moneo, vt quoduis damnum priùs ſubeatis, quam culpam & peccatum præſertim lethale committatis, vt ſcilicet quidquid vobis eſt offendiculo trahitque ad peccatum, licèt tam charum & neceſſarium ſit quàm dextra manus vel dexter oculus, id planè à vobis reſecetis & abijciatis, quantumlibet incommodi & doloris id vobis inferat, v.g. reſecetis aſpectum oculi etiam aliàs pudicum, familiaritatem & ſocietatem cognatarum, vxoris, filiorum, parentum aliàs neceſſariam, ſi illa vobis peccati creet periculum, imò ſi aliter peccatum effugere nequeatis, ipſum oculum & manum vobis reſecate: præſtat enim monoculum ingredi in cælum, quàm binoculũ D mitti in gehennam: ſed quia ſemper aliter peccatum vitare poſſumus, quàm membrum reſecando, hinc illud reſecare, & ſe mutilare non licèt: vnde Originem, qui ſe caſtrauit pudicitiæ cauſa damnauit Eccleſia. Denique concupiſcentiæ cuique reſecandæ, & mortificandæ, adeò viuaciter & tenaciter oculis & corpori, imò ipſi animę inhęrent inſitæque ſunt, vt ſine ingenti vi & doloris ſenſu euelli nequeant: quare qui eas reſecant, ita dolent ac ſi ipſum oculum vel dentem ſibi eruerent. Norunt hoc experti: inde dicitur mortificatio, quòd mortis ſenſũ doloreq; pariat.

*Exempla.* Ita ad literam S. Aquilinus & S. Audomarus (vt habet eorum vita apud Surium) cùm eſſent cæci, & per miraculum viſus eis à Deo eſſet reſtitutus; rurſum petierunt à Deo oculos ſibi adimi, ſeſeque reddi cæcitati, vt carerent diſtractio-

ſtractionibus, concupiſcentijs & tentationibus, quas creant oculi. Ampliùs ex peculiari Dei inſtinctu fecit virgo illa apud Sophron. in Prato Spirit.cap.69. quæ oculos ſibi eruit, miſitque amaſio ſe perſequenti, eò quòd oculis eius caperetur: quo dono ille compunctus laſciuiam oculorum à ſe reſecauit, imò vitam ſæcularem in monaſticam commutauit.

*Didymus.*

S. Antonius Didymum cæcum, quem S. Hieronymus vocat ſuum videntem, id eſt, præceptorem, rogauit, num doleret de cæcitate? Illo tacente & innuente ſubiecit: *Vir prudens non debet dolere quòd careat oculis, quos habent muſcæ & apes, ſed gaudere quòd eò magis habeat apertos oculos mentis, quibus videat Deum & diuina:* Ita Palladius in Lauſ. in vita Didymi.

Porrò licet membrum abſcindere contagioſum, ne totum corpus inficiatur, ſicut licet ciuem occidere noxium reip. quia pars per ſe ordinatur ad bonum totius: quare ipſa ſe exponere debet morti pro toto. Membri autem abſciſſio, aut occiſio ſui non ordinatur per ſe ad euaſionem peccati, & ſalutem, nec ad id eſt neceſſaria, quia alia ad hoc ſunt media: vnde ſe mutilare vel occidere nō licet. Vide Leſſium de Homicidio ſui.

VERS. 31. Inf 10.v.7. Mar.10. 4.

DICTVM EST AVTEM: QVICVMQVE DIMISERIT VXOREM SVAM, DET EI LIBELLVM REPVDII] Vide quæ de libello repudij fusè dixi. Deuter.24.1.

VERS. 32. Luc.16. verſ.28. Mar.10. verſ. 11. *Legem repudij corrigit Chriſtus.: Primò.*

EGO AVTEM DICO VOBIS: QVIA OMNIS QVI DIMISERIT VXOREM SVAM, EXCEPTA FORNICATIONIS CAVSA, FACIT EAM MOECHARI (Arabicus, *dedit eam in fornicationem*) ET QVI DIMISSAM DVXERIT, ADVLTERAT] Chriſtus hîc corrigit & perficit legem repudij, Primò, quia lex facilè concedebat repudium multas ob cauſas. Chriſtus verò tantum id permittit ob cauſam fornicationis, ſi coniux ſit fornicata, id eſt, adulterium commiſerit; ab adultero enim innocens diſcedere poteſt, iuxta illud:

*Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

*Secundò.* Secundò, lex tam repudiatæ, quàm repudianti concedebat ſecundas cum alio nuptias. Chriſtus verò illas vtrique negat. *Tertiò.* Tertiò, lex ſoli viro & marito concedebat ius libelli repudij: Chriſtus verò in hoc iure matrimonij virum & feminam æquat & pares facit, vti docet Apoſt. 1. Corinth. 7. 4.

EXCEPTA FORNICATIONIS CAVSA] Nonnulli per fornicationem hîc accipiunt quodlibet peccatum: hoc enim eſt ſpiritalis quædam cum creatura quapiam relicto Deo creatore animæque ſponſo, fornicatio. Ita S. Auguſtinus lib.1. de Serm. Domini in monte, & Origenes hîc tract. 7. Verùm id nimis eſt liberale & laxum: vnde Iure Canonico cap. *Quæſiuit, de Diuortijs*, definitum eſt diuortium non licere ob furtum vel aliud crimen. Quocirca S. Auguſtinus idipſum lib. 1. Retract. c. 19. retractat. ſaltem dubitat.

Alij per fornicationem accipiunt infidelitatem: hæc enim paſſim à Prophetis vocatur fornicatio ſcilicet ſpiritualis & myſtica.

Verùm interpretes paſſim priſci & noui propriè hîc accipiunt fornicationem, quæ in coniugata eſt mœchia, ſiue adulterium: quare per fornicationem hîc intellige adulterium, ſodomiam etiam cum coniuge, ſed renitente, & omnem illicitum concubitum, vt patet c. *Meretrices* 32. q. 4.

A

Dices: Licet vxorem dimittere, ſi ipſa maritum ad aliquod ſcelus pertrahere conetur, vt habetur cap. *Quæſiuit, de Diuortijs*, & Chriſtus hîc ſatis indicauit verſ. 29. item ſi ipſa ſit venefica, aut mortem marito machinetur; ergo non ob ſolam fornicationem licet eam dimittere. Reſp. id verum eſt; Chriſtus tamen hîc ſolam fornicationem diuortij cauſam aſſignat: tum quia hæc ſola eſt propria diuortij cauſa in coniugio, illiq; directè repugnans, cùm reliquæ cauſæ generales ſint, à quauis ſocietate Chriſtianū liberantes: tum quia repudium adulteræ etiam pœnitentis conceſſum eſt perpetuum, adeò vt licet vxor de adulterio pœniteat, maritus tamen non teneatur eam rurſum in torum domumque recipere, cùm in alijs caſibus poſt eius pœnitentiam, teneatur eam in gratiam & torum rurſus admittere: tum denique quia Chriſtus hîc propriè excludere vult

B

vxoris deformitatem, inopiam, diſplicentiam & quidquid citra culpam eſt, ob quæ Iudæi dabant libellum repudij, ad illorum enim mentem loquitur.

ET QVI DIMISSAM DVXERIT, ADVLTERAT] Caietanus & nonnulli alij repetunt *Tò excepta fornicationis cauſa*, quaſi fornicationis cauſa liceat viro dimittenti adulteram, ipſique adulteræ ſecundas inire nuptias. Verùm huic ſenſui planè repugnat Apoſtolus 1. Corinth. 7. 11. vbi iubet coniugem innocentem manere innuptum, aut nocenti reconciliari. Vide ibi dicta: atque hic eſt perpetuus Eccleſiæ vſus. ſenſus & praxis, de quo plura c. 19. verſ. 9.

ITERVM AVDISTIS, QVIA DICTVM EST ANTIQVIS: NON PERIVRABIS (Leuit. 19. 12. Exodi 20. 7. Deuter. 5. 11. vbi illud explicui) REDDES VERS. 33.

C

AVTEM DOMINO IVRAMENTA TVA] Habetur hoc poſterius Numer. 30. 36. *Reddes*, id eſt, ſolues & implebis, quod te facturum iuraueris Domino, vel per Dominum. Ita Chryſoſtomus; iuramenta ergo propriè hîc vocantur vota iuramento confirmata, vti dixi Numer. 30. 3. hæc enim Deo reddere, id eſt, ſoluere tenemur. Aliter quoque explicat Suarez. q. d. *Reddes Domino iuramenta tua*, hoc eſt, ſi iurare velis, iura per Deum verum, non per idola. Ita ipſe tom. 2. de Relig. lib. 3. de Iuramento, c. 2.

EGO AVTEM DICO VOBIS, NON IVRARE OMNINO; NEQVE PER CÆLVM, QVIA THRONVS DEI EST; NEQVE PER TERRAM, QVIA SCABELLVM EST PEDVM EIVS: NEQVE PER HIEROSOLYMAM; QVIA CIVITAS EST MAGNI REGIS; NEQVE PER CAPVT TVVM IVRAVERIS, QVIA NON POTES VNVM CAPILLVM VERS. 34. Iac. 5. v. 12.

D

ALBVM FACERE AVT NIGRVM] Explicat & perficit hîc Chriſtus præceptum ſecundum Decalogi de non peierando, quod perperàm explicabant Scribæ & Phariſæi. Primò, enim aſſerebant iuramentum eſſe & obligare, ſi fiat per Deum, eumque in teſtem vocet; non verò ſi fiat per creaturas. Chriſtus hîc contrarium docet: In creaturis enim intelligitur creator: illæ enim creatæ ſunt à Deo, totumque, quod habent, habent à Deo: & quidquid ſunt, Dei ſunt. Qui enim iurat, Deum, qui eſt prima veritas, citat vocatque in teſtem ſui dicti, quod iurat. Iurans ergo per creaturam, vel ipſam facit Deum, quod eſt ſcelus idololatriæ, vel in creatorem Deum ſubintelligat oportet.

*Errores Scribarum de iuramento. Primò.*

Secundò,



*Secundus.* Secundò, errabant Scribæ, quòd putarent hoc præcepto ſolùm vetari periurium. E contrario Chriſtus hîc docet illo vetari omne iuramentum, omnemque irreuerentiam & abuſum nominis Dei.

*Tertius.* Tertiò, Scribæ docebant eum, qui iurabat, per templum vel altare, iuramento non obligari; eum verò, qui iurabat per aurum templi vel per donum altaris, obligari quia aurum & donum hoc cedebat in lucrum ſacerdotum, quos confutat Chriſtus Matt. 23. 16.

*An Chriſtiano iurare liceat. Hæretici negant.*

EGO AVTEM DICO VOBIS, NON IVRARE OMNINO] Ex hoc loco Pelagiani, teſte S. Auguſtino epiſt. 89. quæſt. 5. docuerunt nullum iuramētum Chriſtianis eſſe licitum. Idem ſenſerunt Waldenſes & Wiclefiſtæ, vt patet ex Concilio Conſtantienſi, & nunc idem ſentiunt Anabaptiſtæ; qui ne in iudicio quidem à iudice coacti iurare volunt.

*Catholici affirmant.*

Verùm hic eſt error in fide, quem damnat perpetuus Eccleſiæ vſus, atque exempla ipſius Dei, Pauli & Sanctorum, qui iuraſſe leguntur, vt patet Pſalm. 109. 4. Roman. 1. 9. Philip. 1. 8. 1. Corinth. 15. verſ. 31. & alibi. Idipſum euincit ipſa ratio: iuramentum enim eſt honor Dei, vt primæ veritatis: iurans enim inuocat Deum in teſtem, quaſi primam & infallibilem veritatem. Quare iuramentum eſt actus religionis, & latriæ, ſi, vt docet Ieremias cap. 4. verſ. 2. fiat *in veritate*, ſcilicet vt non iuretur falſum; & *in iuſtitia*, ne iuretur quid iniuſtum aut malum; & *in iudicio*, ne iuretur temerè ſine magna vtilitate aut neceſſitate.

*Chriſtus iubet non iurare omnino Cur? Reſp. Primò. Secundò.*

Dices; quomodo ergo Chriſtus hîc præcipit *non iurare omnino*? Reſpondet Primò S. Bernardus ſerm. 65. in Cantic. hoc non eſſe præceptum, ſed conſilium dumtaxat.

Secundò, alij fatentur id quidem eſſe præceptum, ſed vetant dumtaxat periurium, ne ſcilicet iures falſum.

*Tertiò.* Tertiò, alij putant præcipi *non iurare omnino*, ſcilicet per creaturas, ſed per ſolum Deum. Id innuit hîc S. Hieronymus.

*Quartò. Genuinè.*

Verùm hæc omnia aliena ſunt & contorta, & refellūtur ex verbis ſequentibus. Nota ergo duplicem fuiſſe Phariſæorum circa hoc præceptum errorem. Prior erat, Exodi 20. verſ. 7. vbi dicitur: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, prohiberi dumtaxat periurium, non autem iuramentum leue, temerariū & vanum: quia Hebræa vox שָׁוְא *ſcau*, quam noſter & Septuag. ibi vertunt *vanum*, ſignificat quoq; *mendacium* Vnde Chald. vertit: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui ad mendacium*, id eſt, non peierabis, & ſic vertebant & intelligebant Phariſæi. Poſterior, licitum eſſe per creaturas temerè iurare & peierare, vt patet ex ſequent. & ex cap. 23. verſ. 17. Chriſtus ergo vtrique eorum errori opponit vocem, *omnino*. q. d. Ego autem dico & edico, non tantùm falſum, ſed nec verum ſiue per Deum, ſiue per templum, ſiue aliâ formulâ per creaturas alias licere iurare: quod intellige ad mentem Phariſæorum, leuiter & temerè, vt fit in communi hominum ſermone, qui crebrò habent in ore *per Deum, per animam, per templum*. Vult enim Chriſtus docere, vt ait S. Auguſtinus & Chryſoſtomus, malam eſſe propenſionem ad iurandum, & iuramentum, licet bonum ſit, oriri tamen à malo, nec eſſe per ſe

*Ne iures niſi cogaris. Primò.*

A

appetendum; itaque non iurandum omnino niſi malum hoc cogat; idque primò, ne ex aſſuetudine iurandi in periurium labamur, vt plerumque fit, ita paſſim Patres & Eccleſ. c. 23. verſ. 9. & 12.

Secundò, quia reuerentia nominis diuini hoc poſtulat quæ ratio innuitur hoc verſu.

*Secundò.* Tertiò, quia ea deberet eſſe fides & veritas hominum, præſertim fidelium & Chriſtianorum, vt iniuratis credi poſſet; ijsque de facto alij crederent. Vnde Iſocrates ad Demonicum aſſerit, homines iuſtos fideliores ſe exhibere iureiurando, vt magis eis credatur iniuratis, quàm alijs iurantibus; quare addit tantùm iurandum eſſe, vt te crimine vel amicum graui periculo liberes, non autem ob pecuniam, v.g. iures te debitum ſoluiſſe, nihilque creditori debere. S Baſilius ſerm. ad Adoleſcentes. quomodo ex Græcorum libris capienda ſit vtilitas, refert de Clinia, amico &

B

familiari Pythagoræ, quòd maluerit tria talenta (hoc eſt octodecim millia aureorum) ſoluere, quàm iurare etiam rectè & licitè. Plutarch. in Problemat. ait: *Iuramentum homini libero pro tormento eſt.* Romani à ſeruis veritatem extorquebant per tormenta, à ciue per iuramentum, à ſacerdote per ſolum verbum, nudamque affirmationem vel negationem.

Iubet ergo Chriſtus: *Non iurare omnino*, Primò, quia, vt ait S. Aug. ſerm. 28. de Verbis Apoſtoli: *Falſa iuratio exitioſa eſt; vera iuratio periculoſa eſt, nulla ſecura eſt.* Secundò, *omnino*, id eſt, *vt quantum in te eſt, non affectes, non ames, nec quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas iuſiurandum*, ait S. Auguſtinus cap. 15. de Mendacio. Tertiò, quia iurare in ſe eſt malum morale ad irreuerentiā erga Deum ſpectans, vti eſt hominem occidere, ſed ſicut hoc

*Tertiò. In paradiſo & cælo non iuratur.*

C

cum debitis circumſtantijs licet, imò eſt laudabile, ſic & iurare, ſi fiat cum veritate, iuſtitia & iudicio, id eſt, vt non fiat, niſi id extorqueat alterius incredula diffidentia: In paradiſo ergo non licuit, & in cælo non licet iurare. Tanta enim eſt maieſtas nominis Dei, vt illud in teſtem vocandum nō ſit, niſi cogat neceſſitas. Teſtari enim res paruas & viles eſt paruum & vile, perinde ac ſi quis pro uno aureo vocaret regem in teſtem. Hinc Sancti cauent iurare. In vita S. Chryſoſtomi pro magno narratur, quòd numquam iurarit. Idem narratur de S. Ioanne Eleemoſynario.

Rurſum S. Auguſtinus epiſt. 89. quæſt. 5. ridet eos, qui putabant ſe tantùm iurare ſi dicerent per Deum, non autē ſi dicerent, teſtis eſt mihi Deus. Idem ſerm. 11. de Decollatione S. Ioannis in fine tomi 10. aſſerit prouocare ad iuramentum eum, quem ſcis iuraturum falſum, ſcelus eſſe grauius

D

homicidio, quia homicida, ait, tantùm corpus, ille autem peierantis animam occidit. Affert exemplum Tutilimeni, qui ob exactum tale iuramentum, noctu coram Deo grauiter fuit flagellatus.

*An Chriſtianis liceat iurare? Negant multi.*

Quæres: An etiam Chriſtianis licitum ſit iurare? Multi enim Patres id videntur negare. Primò enim SS. Hieron. Chryſoſtomus, Euthymius hîc aiunt, iuramentum à Deo fuiſſe permiſſum Iudæis, ne per idola iurarent, non autem Chriſtianis. Secundò, Theophylactus & Euthymius opinantur iuramentum fuiſſe præceptum legale legis veteris, vti erat circumciſio; vnde cum ea iam per Chriſtum abolita, pariter eſſe abolitum. Tertiò, alij cenſent Iudæis quaſi rudibus, imperfectis & duris ad credendum; à

Deo

Deo permiſſum fuiſſe iuramentum; Chriſtianis autem eſſe vetitum, quia eos vtpote perfectiores perfectiora decent, & quia hi omnino cauere debent periculum periurij: ſicut Iudæis permiſſus fuit libellus repudij, ne vxores ſibi exoſas occiderent, quem tamen hîc tollit & Chriſtianis adimit Chriſtus v. 32. Ita ſentiunt S. Hilarius hîc can. 4. S. Ambroſius in pſalm. 118. ſerm. 1. S. Baſilius in pſalm. 14. Chromatius & Origenes hîc tr. 35. Epiphanius, hæreſi 19. S. Athanaſius ſerm. de Paſſione & cruce Domini, S. Chryſoſtomus hom. 19. ad populum.

Si obijcias, Deum ſubinde iuraſſe in S. Scriptura, vt Geneſ. 22. 16. Reſpondent S. Athanaſius, Baſilius, Ambroſius illa Dei iuramenta non eſſe propriè dicta iuramenta, ſed aſſeuerationes dumtaxat & promiſſiones, vel, vt ait S. Ambroſius, Deus iurare poteſt, quia implere poteſt id quod iurat, ac de eo pœnitere non poteſt: homo autem iurare non debet, quia non habet poteſtatem certò faciendi id, quod dicit, promittit, & iurat.

Si rurſum obijcias S. Paulum ſubinde iuraſſe, vt cùm ait: *Teſtem Deum inuoco in animam meam.* 2. Corinth. 1. 23. Reſpondet S. Baſilius hoc non eſſe verè iuramentum, ſed tantùm ſermonem ſimplicem iuramenti ſpecie & formâ prolatum ad maiorem aſſeuerationem.

*Reſp. affirmat.* Verùm dico: Non ſolis Iudæis, ſed & Chriſtianis licitum eſt iurare. Eſt de fide, vt patet ex perpetuo ſenſu, vſu, & praxi Eccleſiæ: *Omnis enim controuerſiæ eorum* (hominum etiam Chriſtianorum) *finis ad confirmationem eſt iuramentum*, ait Apoſt. Heb. 6. 16. Porrò in Scriptura nullum extat præceptum iurandi affirmatiuum, ſicut extat præceptum iurandi, ſacrificandi, amandi & laudandi Deum, honorandi parentes, &c. quia iuramentum per ſe non eſt appetibile, ſed propter aliud & quaſi per accidens, quatenus ſcilicet iuramentum eſt velut medicina incredulitatis. Extat tamen præceptum iurandi negatiuum, ſcilicet vt non peieres, vtque non iures per deos falſos, ſed tantùm per Deum verum. Item extat præceptum conditionatum, vt ſi velis iurare, non niſi verum, iuſtum & neceſſarium iures.

Dices: Chriſtus hîc Chriſtianis ait, ſancitque, *non iurare omnino*. Reſp. Id verum eſt, quia per ſe indecorum eſt & inurbanum, Deum Opt. Max. adducere in teſtem recularum humanarum ob mutuam hominum diffidentiam, niſi hæc indecentia & inurbanitas excuſetur neceſſitate mutuâ, vti ſæpè excuſatur, cùm non ſuppetunt teſtes, aliæque iuridicæ probationes.

Ad Patres citatos reſpondeo, videri eos loqui eodem ſenſu quo Chriſtus, cùm iubet *non iurare omnino*: quia enim ipſi videbant homines crebrò iurare falſum, vel iniquum & iniuſtum; aut ſæpè ſæpiùs leuiter, inaniter & temerariè, hinc ob periculum periurij vel inaniter iurandi, vetabant & diſſuadebant Chriſtianis iuramentum, vt ab illo abſtinerent quantùm poſſent. Sed ſi quis hoc periculum caueat, illi vtique in neceſſitate licebit iurare; id patet ex S. Chryſoſtomo, qui crebrò & aſſiduè in homilijs ad populum Antiochenum acriter inſectatur conſuetudinem temerè iurandi, quæ tunc ibi vigebat, ac id mirantibus reſpondet: Dico & repeto, quod ſoleo, quia vos dicitis & repetitis quod ſoletis: aſſeritque ſe ab hac repetitione non deſtiturum, donec ipſi à iurando deſiſtant; duro enim nodo durus adhibendus eſt cuneus, iſque continuus.

*Inf. 23. verſ. 22.* **Vers. 35.** NEQVE PER CÆLVM, QVIA THRONVS DEI EST: NEQVE PER TERRAM, QVIA SCABELLVM PEDVM EIVS EST] Subaudi *iuraueris*, vt ſequitur. Videntur Iudæi ſoliti iurare per cælum & terram, quodque Phariſæi hæc iuramenta quaſi per creaturas facta, parui æſtimanda cenſuerint: Chriſtus contrarium hîc docet, ſcilicet eum, qui per cælum & terram iurat, iurare per Deum creatorem, qui thronum gloriæ ſuæ conſtituit in cælo, & ſcabellum in terra. Alludit ad illud Iſaiæ 66. 3. *Hæc dicit Dominus: Cælum ſedes mea; terra autem ſcabellum pedum meorum*. Vide ibi dicta.

NEQVE PER HIEROSOLYMAM, QVIA CIVITAS EST MAGNI REGIS] Puta Dei. Alludit ad illud Pſalm. 47. 1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri*. Et mox: *Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion, latera aquilonis ciuitas Regis magni*. Senſus eſt q. d. Noli iurare per ſanctos, aut ſanctam ciuitatem Ieruſalem, aut alias res ſacras, vel per res tuas, aut vllam aliam creaturam, quia hæ omnes ſunt Dei, qui in omnibus eſt præſens, & ſolus in omnia plenam habet poteſtatem: ac proinde per Deum iurat, qui per creaturas iurat: intendit enim in teſtem vocare primam & infallibilem veritatem. quiſquis iurat: illam ergo aut tribuit ipſis creaturis & ſic eſt idololatria; aut certè vſu Gentium, creaturas nuncupando, tacitè earum creatorem in teſtem vocat.

Perperàm igitur hæretici moderni, ac nominatim Auguſt. Marloratus commentans in hæc Chriſti verba, iuramentum per Sanctos damnant idololatriæ. Audi Marloratum: *Ita quiſquis olim per Moloch, vel aliud idolum iurabat, tantumdem minuebat ex iure Dei, quòd aliũ eius loco ſubſtitueret cordium cognitorem & iudicem in animas: & hodie qui per Angelos vel Sanctos mortuos iurant, ſpoliato Deo, inane illis numen affingunt.*

Verùm hic eſt error & hæreſis, vt patet ex dictis, ac liquet ex verbis Chriſti hoc loco & c. 23. 21. Hinc S. Ioſeph iurauit per ſalutem Pharaonis, Geneſ. 41. 16. Chriſtus ſponſus iurat per capreas ceruoſque camporum, Cantic. 2. verſ. 7. Paulus 1. Corinth. 15. 31. iurat per gloriam Corinthiorum, vt patet ex textu Græco. Quod autem Marloratus aſſerit Orthodoxos, dum iurant per Sanctos, illos facere Deos, ac Deum ſuâ Deitate ſpoliare, putidum eſt mendacium & mera calumnia: honor enim Sanctorum eſt honor Dei: Deus enim eos fecit Sanctos: quare qui iurat per Sanctos, per Deum eorum ſanctificatorem iurat.

NEQVE PER CAPVT TVVM IVRAVERIS: QVIA NON POTES VNVM CAPILLVM ALBVM FACERE AVT NIGRVM] q. d. Ne putes tibi licere per caput tuum iurare, eò quòd illud ſit tuum, & tibi pleno dominio ad quemuis vſum ſubditum, vt de eo ad libitum diſponas, illudque per iuramentum Diris deuoueas, ſi peieres, quia reuera caput tuum non eſt tuum, ſed Dei: rem autem Dei alteri obligare & deuouere non potes, nullum enim in rem Dei ius habes: vnde non potes vel vnum capitis capillum album facere aut nigrum, ſed id ſolius eſt Dei. Qui ergo per caput ſuum



ſuum iurat, per Deum capitis factorem iurat, atque, quod horribilius eſt, talis etiam ſuum caput vitamque rogat à Deo in pignus accipi, vt ſi peieret, à Deo capite vitaque mulctetur.

**Vers. 37.** *Iac. 5. 12.* SIT AVTEM SERMO VESTER, EST EST: NON NON (id eſt, ſimplex affirmatio vel negatio) QVOD AVTEM HIS ABVNDANTIVS (Græcè περισσὸν, id eſt, *ampliùs*, Syrus, & Vatabl. *quod vltra hæc adiungitur*) EST, A MALO EST] In Euangelio S. Matthæo adſcripto pro *eſt, eſt: non, non*, habetur אין אין כן כן *ken, ken: en, en*, id eſt, *ſic, ſic: non, non*, vel *rectè, rectè: non, non*, Græcè ναὶ, ναί: οὔ, οὔ. quod tripliciter accipi poteſt, primò, vt notet conſtantem aſſeuerationem, opponaturque inconſtantiæ & fallaciæ. Sic illud vſurpat Apoſtolus 2. Corinth. 1. verſ. 17. 18. 19. Secundò, vt notet veritatem ſeu id, quod res eſt opponaturque falſitati. Sic accipitur ibidem verſ. 20. tertiò, vt notet ſimplicem affirmationem vel negationem, opponaturque iuramento: Sic capitur hîc, & Iacobi 5. 12. ſenſus ergo eſt, q. d. Sermo veſter ſit ſimplex affirmatio vel negatio: quod enim vltra hæc additur iurando, id à malo eſt. Ita S. Chryſoſtomus hîc & S. Hieronymus vel Paulinus epiſt. ad Celantiam.

Hinc S. Bernardus epiſt. 38. à ſimplici veracitate commendat Comitem Theobaldum: *Et quidem*, inquit, *in alijs principibus ſi quando verbum leuitatis aut etiam falſitatis deprehendimus, nec mirum reputamus; at verò apud Comitem Theobaldum: Eſt & non, nequaquam omnino patiẽter audimus: cui, vt dicitur, ſimpliciter dicere, iurare eſt, & leue mendacium, graue periurium imputatur: plurima quippe virtutum inſignia, quæ veſtram plurimùm nobilitant dignitatem, & veſtrùm per orbem clarum reddũt ac celebre nomen, præcipuè laudatur in nobis veritatis conſtantia.*

*A malo eſt quid?* A MALO EST] Græcè *ex malo eſt*. Τὸ *malo* poteſt accipi in genere vel maſculino, vel neutro. Maſculino *à malo*, hoc eſt, à diabolo, qui choragus malitiæ omniſque mali te inſtigat, vt iures ex abundanti ſine neceſſitate, itaque te ſenſim inducat, vt præcipitanter iures falſum, quod eſt ſcelus periurij. Ita Theophylact. Maldon. & alij. Neutro, *à malo*, id eſt, à vitio, ſiue proprio, ſiue alieno: q. d. Vſus iurandi oritur ex vitio proprio leuitatis & irreuerentiæ, vel alieno incredulitatis & diffidentiæ: quia enim alter mihi ſimpliciter aliquid aſſerenti non credit & diffidit, hinc iuramento dicta mea illi confirmo, quod tamen vitium iam poſt hominis lapſum eſt neceſſarium. Ita S. Auguſtinus libr. 1. de Serm. Domini in monte. Hinc ſenſus videtur ſimplicior & planior. Huc accedit Franc. Lucas: *à malo*, inquit id eſt, à conſuetudine vanè & leuiter, vel fictè & doloſè iurandi. Rurſum *à malo*, id eſt, à conſuetudine iurandi orta ex hominum diffidentia. Dum enim viderunt homines ſibi nõ credi niſi iuratis, cœperunt quibuſlibet dictis ſuis addere iuramenta, vt ijs fidem conciliarent: ſed per hanc iurandi frequentiam hoc promeriti & conſecuti ſunt, vt iam eis etiam iurantibus non credatur. De periculis & damnis frequentis iurationis vide Salmeronem tom. 5. tract. 40. & Chryſoſtomum in homil. ad populum.

**Vers. 38.** AVDITIS QVIA DICTVM EST: OCVLVM PRO OCVLO ET DENTEM PRO DENTE] Scilicet repende. Eſt hæc lex talionis, quæ iubet, vt, ſi cui oculum vel dentem effoderis, tibi pariter per iudicem oculus vel dens eruatur, hæc enim eſt iuſta vindicta & noxæ compenſatio. Exodi 21. v. 23. & ſeq. Vide ibi dicta.

**Vers. 39.** *Luc. 6. 29.* EGO AVTEM DICO VOBIS, NON RESISTERE MALO] Id eſt, rei malæ & iniuriæ, vel malitiæ & noxæ, quæ tibi ab homine malo infertur, q. d. Noli malum malo, noxam noxæ retaliare: aut potiùs, q. d. Noli *reſiſtere malo* maſculinè, id eſt, homini malo tibique iniurio, Græcè enim eſt, τῷ πονηρῷ: patet ex ſeq. Vterque ſenſus eòdem redit.

*Lex talionis iuſta.* Nota Primò, veterem talionis legem fuiſſe iuſtam, ſed eius praxim ſæpè iniuſtam & manantem, non ex iuſtitiæ, ſed ex vindictæ appetitu, quo læſus, v. g. cui erutus erat oculus aut dens, lędentem talionis reum peragebat, ac à magiſtratu poſtulabat, vt eidem ſimili modo oculum aut dentem erueret: Chriſtus verò hanc legem ſupplet & perficit talioni opponendo legem & conſilium patiẽtiæ, ac animo vindictæ cupido legem manſuetudinis.

Non ſecundò, hanc Chriſti legem non ſpectare magiſtratum, vti volunt Anabaptiſtæ, qui omne bellum non tantùm offenſiuum, ſed & defenſiuum hîc à Chriſto Chriſtianis vetari putãt; ſed ſpectare priuatas perſonas. Magiſtratus enim officium eſt ſontes punire, ac homicidas morte plectere: ac Principis eſt damna reipubl. illata bello, ſi aliter nequit, repetere.

Nota tertiò, hanc Chriſti legem priuatis non adimere ius talionis, quod eſt iuris naturæ & Gentium, tum ad Iuſtitiæ læſæ reparationẽ, tum ad rei, qui leſit, correctionem: multò minùs adimit ius ſe defendendi, quo quis ab hoſte inuaſus vim vi repellit, & ſi aliter euadere nequit, inuadẽtem occidit; ſed tantùm vetat vindictæ cupiditatem. Vnde

*Chriſtus talionis opponit tolerãtiam.* Nota quartò, Chriſtum hîc velle nobis imprimere propenſionem ad manſuetudinem, & patientiam, vt quantauis iniuria lædaris, à pace tamen, charitate & ſuauitate mentis interna ne vel hilum decedas; vtque ſi charitas proximi & Dei gloria, aut animi proprij tranquillitas & recta ratio in tali rerum periſtaſi, ſiue circumſtantia non tantùm ſuadeat vt perfectius, ſed abſolutè id exigat vt neceſſarium, non reſiſtas malo, ſed patienter illud excipias, ac opes & corpus tuum prædæ des inuaſori, vti contingebat tẽpore perſecutorum primitiuæ Eccleſiæ, præſertim in Apoſtolis viriſque Apoſtolicis: atq; hac parte præceptum eſt, non reſiſtere malo, aliàs dumtaxat eſt conſilium. v. g. Conſilium eſt non reſiſtere inuaſori, ſed eius vim & iniuriam ſuſtinere: vbi & quando charitas & Dei gloria hoc non exigit, ſed ſuadet tantũ velut perfectiùs, aut ad mortificationis ſtudiũ, vbi vtrimque æqualis eſt Dei gloria, id facere ad inſignem ſui victoriam. Idem dico de tribus ſequentibus caſibus ſcilicet: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram: qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: quicumque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Vnde S. Auguſtinus hîc & epiſt. 5. ad Marcellinũ & lib. de Mendacio, c. 15. docet iſta omnia magis ad internam animi præparationem, quam ad externam operis executionem pertinere.

*Quando illa ſit præcepti quando conſilij.* Hæc ergo communiter ſunt conſilij; præcepti verò, cũ Dei gloria & ſalus proximi id abſolutè iu-

iubet & præcipit, v. g. ſi Indi & Iapones ſcirent Chriſtum præcepiſſe Chriſtianis, vt percutienti vnam maxillam præbeant alteram, & niſi hoc illi faciant ipſi ſcandalizarentur, & à fide Chriſti amplectenda auerterentur, tunc vtique Chriſtianus, præſertim prædicator ferienti vnam genam porrigere debet alteram. Cuius rei litterale exemplum extat in vita ſancti Franciſci Xauerij, Indorum Iaponumque Apoſtoli. *Exemplum.* Cùm enim Iapones riderent eum vt peregrinum, eiuſque nouam de Chriſto crucifixo doctrinam, cõtigit, vt Iapon quidam audiens Ioannem Fernandes, qui Xauerij erat ſocius, in platea concionantem, ex petulantia craſſum & virulentum phlegma in faciem eius expueret: quâ iniuria nil commotus Fernandes deterſo leniter ſputo, in concione animosè perrexit: quod factum, ac tantam patientiam & ſapientiam nouorum prædicatorum admirantes Iapones, certatim eis ſe diſcipulos tradidere, fidemq; Chriſti amplexi ſunt. Tam efficax, tam potens eſt Chriſtiana virtus patientia, lenitas, & magnanimitas, vt fidem perſuadeat, quam omnis ſermo perſuadere non potuit. Numerantur enim hodie in Iapone ad quingenta Chriſtianorum millia, qui primorum Chriſtianorum feruorem & conſtantiam etiam per lentos ignes imitantur. Patiens ergo non reſiſtẽs malo, non ab illo vincitur, ſed illud vincit: vincit enim iram, vincit & hoſtem, malum inferentem. Audi ſanctũ Chryſoſtomum hom. 85. in Matt. *Hæc apud nos clariſſima eſt victoria, nullibi certè malè agentes, vbique mala ſufferentes ſuperamus: illa fulgentiſſima victoria eſt, qua inferentem patiendo ſuperaſti. Sic ſcopuli fluctibus cæſi facilè illos diſſoluunt, &c. Deus eas tibi vires conceſſit, vt non conſertione manuum, ſed patientia vincas.*

Denique propriè martyrium eſt non reſiſtere malo, non ſe defendere, ſed permittere ſe occidi pro Chriſto, quia *miles pugnat, martyr non pugnat*; martyr enim eſt collega paſſionis Chriſti, vt ſcribunt martyres ad ſanctum Cyprianum lib. 5. ep. 12. paſſio enim Chriſti eſt exemplar omnis martyrij.

Quocirca nobilis illa Thebæa plurimorum & fortiſſimorum militum legio, à Maximiano Imperatore damnata ad mortem, eò quòd idolis nollet immolare, immiſſis in eam militibus cæſoribus noluit ſe defendere, etiamſi carò vitam ſuam vendere, magnamque hoſti ſtragem inferre potuiſſet, ſed duce & hortatore ſancto Mauritio, reiectis armis, velut grex agnorum permiſit ſe pro Chriſto mactari & immolari. Chriſtus ergo nouam hîc docet Philoſophiã mundo paradoxam, Philoſophis incognitam, hominibus inauditam, ſed cęleſtem & diuinam, eamdemque ſuo confirmauit exemplo, dum Iudæis vltrò ſe tradidit vinciendum, flagellandum, crucifigendum. Vnde ipſe de ſe ait: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus.* Iſaiæ 49. 6. & cap. 53. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum; ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Fuit enim ipſe rex martyrum, & dux patientium. *Ratio à priori.* Ratio à priori eſt, quia in hoc conſiſtit apex patientiæ, magnanimitatis & charitatis. Patientia enim opus perfectum habet, vt ait Iacobus cap. 1. verſ. 4. Vide ibi dicta. Perfectus autem eſt, ſi non reſiſtat iniurijs, & iniuriantibus, ſed ijs vltrò ſe offerat. Magnanimitatis eſt, omnes res huius vitæ, aduerſas æquè ac proſperas quaſi infra ſe poſitas deſpicere. Magnanimus quaſi in cælo poſitus & in cælo defixus, contemnit omnia, quæ ſub Deo ſunt, velut parua & exilia, itaque eis dominatur; ſicut Chriſtus dominatus eſt omnibus iniurijs, doloribus & tormentis: quare ipſe in paſſione fuit rex & Dominus dolorum. Charitas denique pro Deo optat dura & dira pati. Rurſum optat iniuriantem vincere & conuertere ſua tolerantia & lenitate, non verò ab eo vinci; iuxta illud: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Rom. 12. 21. Vide ibi dicta. Vide & S. Ambroſium lib. 1. Offic. cap. 41. nimirum:

*Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit.*
*Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.*

*Vers. 39. Luc. 6. 29.* SED SI QVIS PERCVSSERIT DEXTERAM MAXILLAM TVAM, PRÆBE ILLI ET ALTERAM] Hoc quandoque eſt præceptum, quandoque conſilium Euangelicum, vti iam dixi: proficiſcitur verò ex animo generoſo prompto ad patiendum, ac præſertim Chriſti vitam & paſſionem imitari geſtiente. Quocirca viri magni qui Chriſtum proximè ſequi conati ſunt, idipſum reipſa præſtiterunt. Hinc ſanctus Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto in prooemio, myſticè per maxillam accipit patientiam, quæ omnium eſt victrix. Sicut enim, inquit, Samſon maxilla aſini occidit mille Philiſthæos, ſic Chriſtus ſua patientia proſtrauit dæmones; omneſque hoſtes, & à Chriſto Chriſtianus & patiens quilibet. Iudic. 15. 15. Idẽ ſanctus Ambroſius in c. 6. Lucę: *Nónne*, inquit, *omnis indignantis* (ſi ei præbeas maxillam) *frangitur impetus, ira ſedatur? Nónne fit per patientiam, vt ſua ampliùs pœnitentia reuerberes verberantem? Ita erit vt & iniuriam repellas & gratiam quæras. Ac ſæpè maximæ amoris cauſæ exiſtunt, cùm patiẽtia inſolentiæ, gratiâ refertur iniuriæ.*

*Exemplæ. præbentium alteram maxillam S. Spiridionis.* Ita magnus ille Spiridion Trimituntis in Cypro Epiſcopus, ob ſanctitatis famam vocatus à Conſtantio Imperatore, cùm vili & peregrino habitu regiam ingrederetur, à quodam è famulis irriſus & alapa in gena percuſſus, mox alteram præbuit, atque hac ſua virtute eumdem pudefecit, conuertitque, vt proſtratus in terram, ſupplex ab eo veniam peteret, vt habet eius vita apud Surium die 12. Decembris.

*Monachi cuiuſdam.* Ita Monachus ille alteram maxillam præbens energumenæ percutienti, ab ea dæmonem effugauit. Audi rem geſtam narrantem Auctorem lib. doctrinæ Patrum tractat. de Humilitate, numer. 5. Cùm intraſſet, inquit, Monachus ille in domum, venit puella illa, quæ à dæmone vexabatur, & mox dedit alapam Monacho, ille autem conuertit ei & aliam maxillam ſecundùm diuinum præceptum: dæmon autem coactus, clamare cœpit *O! violentia mandatorum Chriſti Ieſu expellit me hinc.* Et ſtatim mundata eſt puella illa. Cùm autem veniſſet ad ſenes, Monachus ille indicauit eis, quid factum fuerit, & glorificauerunt Deum & dixerunt: *Conſuetudo eſt diabolicæ ſuperbiæ, humilitate mandatorum Ieſu corruere.*

*Anachoretæ cuiuſdam.* Simile planè eſt quod narrat Ruffinus in vitis Patrum lib. 3. numer. 125. *Quidam*, inquit, *ex ſenibus monachorum eremita fuit, quem quidem à ſpiritu malo correptus & ſpumans fortiter in maxillam percuſſit; ſenex autem præbuit illi alteram maxillam, vt feriret: diabolus autem non ferens incendium humilitatis eius, ſtatim diſceſſit.* Idem penè ad verbum recenſet Pelagius in vitis Patrum libello 15. nu. 53.

*S. Alberti.* Simili modo S. Albertus Ordinis Carmelitarum, à diabolo per energumenam in dextera maxilla percuſſus, præbens ei alteram, ſua humilitate diabolum crucians expulit, vt habet eius vita apud Surium die 7. Auguſti.

*S. Othonis Minoritæ.* Inſuper vnus è quinque Franciſcanis, qui viuente S. Frãciſco Marrochij pro fide Chriſti nobile martyrium obierunt, nomine Otho, inuitatus à Principe Sarraceno ad Mahometiſmum, in eius & profanæ legis contemptum in terrã ſpuẽs graui alapa ab eo percuſſus eſt; at ille memor verborum Chriſti, alteram maxillam præbuit, dicẽs: *Ignoſcat tibi Deus, quia neſcis quid facis.* Ita habet ipſorum vita apud Sur. 16. Cal. Febr.

*Alterius religioſi.* Caſſianus Collat. 19. cap. 1. celebrat patientiam religioſi cuiuſdam, qui ab Abbate Paulo in conuentu multorum ad probandam eius virtutem, palmâ in maxilla acriter percuſſus, ita vt ſonitus longè conſidentium auribus reſultaret, non ſolùm non murmurauit, ſed ne rubore quidem vt aſſolet, vultum perfudit.

*S. Paulæ.* Porrò de S. Paula ita ſcribit ſanctus Hieronymus in eius Epitaph. *inuidia & probris appetita ait: Cur non patientiâ liuorem ſuperem? cur non humilitate frangam ſuperbiam, & percutienti maxillam offeram alteram?*

*S. Eulogij.* Denique S. Eulogius Cordubenſis presbyter & martyr, à Saraceno principe dãnatus ad mortem, quòd Mahometi malediceret, cùm ad martyrium duceretur, à Sarraceno in maxillam percuſſus, alteram ei præbuit, in eaque alapam recepit: vnde mox capite plexus eſt, & columba corpori eius inſedit quaſi columbinæ eius manſuetudinis, innocentiæ & patientiæ index & vindex, anno Domini 859. die 11. Martij: quo tempore plures ibidem eadem de cauſa martyrium ſubiere, quorum generoſa certamina & triumphos paulò ante mortẽ deſcripſerat ipſe Eulogius. Ita habet eius vita ſcripta ab eius familiari Aluario Cordubenſi, quæ extat in Surio per Moſandrum adaucto ad diem 11. Martij.

Quòd ſi verò quis hæreticus vel impius te in vnam maxillam percutiat, vt tuam Orthodoxam fidem, religionem, virtutem deſpiciat & deſpiciendam alijs oſtendat, tunc ſanè non præbenda eſt ei altera, ſed grauiter ille increpandus eſt, vti Chriſtus increpauit Satellitem dantem ſibi alapam coram Pontifice, dicens: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?* Ioan. 18. 23. Et Paulus, cùm eum Põtifex iuberet percuti: *Percutiat*, inquit, *te Deus, paries dealbate.* Actor. 23. 3. tunc enim faciendum eſt illud ſapientis: *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*, Prouerb. 26. 5. vbi feſtiuũ hac de re exemplum recenſui. Denique Caſſianus Collat. 16. c. 20. irridet veſaniam nonnullorum, qui vt hoc Chriſti exemplum implerent, vltrò iurgia miſcebant, alioſque ad iram prouocabant, vt ab iratis percuterentur, ac percuſſi aliam maxillam percutienti feriendam offerebant. Patientis enim eſt neminem ad impatientiam prouocare, ne ipſa patientia fiat impatiens.

*Vers. 40.* ET EI, QVI VVLT TECVM IN IVDICIO CON-





TENDERE, ET TVNICAM TVAM TOLLERE, DIMITTE EI ET PALLIVM] *Luc. 6. v. 29. 30.* Pallium eſt veſtis extima & ſæpe maioris pretij: tunica verò eſt veſtis interior; vnde illud: *Tunica pallio propior*: quare tunica exui detrahique nequit, niſi priùs detrahatur pallium. Quocirca S. Lucas cap. 6. 29. ordinem tunicæ & pallij rectè inuertit, aitque: *Et ab eo qui aufert tibi veſtimentum* (Græcè ἱμάτιον, id eſt, pallium) *etiam tunicam noli prohibere.* Sed eôdem redit ſenſus, q. d. Vnam veſtem auferenti, noli in iudicio pro veſte cum litigatore contendere, ſed potiùs vt litem euadas, dimitte ei veſtem quamlibet, adeoque ſi ipſe pallium poſcat, dimitte ei & tunicam; ſi poſcat tunicam, adde ei & pallium: præſertim quia, vt notat Euthymius ἱμάτιον & χιτὼν, id eſt, pallium & tunica ſæpe inter ſe confunduntur, ac vnum pro alio ſumitur. Ratio à priori eſt, quia *melior eſt vncia pacis & charitatis, quàm libra victoriæ*, vti dictitabat Cardinalis Bellarminus. Vnde Apoſtolus Coloſ. 3. 15. *Pax Chriſti*, ait, *exultet* (Græcè καταβραβευέτω, id eſt, tamquam brabeuta imperet & dominetur) *in cordibus veſtris.* Fecit hoc ad litterã S. Franciſcus, qui ob profuſas Eleemoſynas à patre protractus ad Epiſcopũ Aſſiſinatem, vt cederet bonis, non tantùm ijs ceſſit, ſed & veſtes patri reſignauit, dicens: *Deinceps fidentiùs dicam: Pater noſter, qui es in cælis.* Ita S. Bonauentura in eius vita. *Exemplum S. Eliſabethæ.* Hac in re rarum patientiæ & paupertatis exemplum dedit S. Eliſabeth, regis Hungarorum filia, quæ mortuo marito Haſſię Lantgrauio, à Vaſallis ſuis & cognatis per ſummam iniuriam domo expulſa, bonis ſpoliata, & ad extremam paupertatem redacta, læta & alacris ſeceſſit in cœnobiũ Franciſcanorum, ibique â Fratribus: *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem Deo decantari poſtulauit; atque per domos cum prolibus velut mendica oberrans, tamdem tugurium ingreſſa, vbi fumo, ęſtu, ventis & imbribus exagitata, Deo ſemper gratias agebat: inſuper cognatorum ſannas, conuitia, ſcommata hilariter ſuſtinebat, gaudens quòd digna eſſet talia pro Deo pati. Denique cùm pater eius rex Andreas, eam in Hungariam ad regium viuendi ſplendorem reuocaret, non acquieuit, ſed in ſumma paupertate lanificio victum ſibi parans, in viliſſimis circa pauperes, vlceroſos & leproſos officijs vitam omnem tranſegit; ideoque ſub mortem & Angelorum melodiam, & Chriſti ad regnum cæleſte euocantis dicentiſque: *Veni electa mea, & cæleſti thalamo, quem tibi ab æterno deſtinaui, potire*, vocem audire meruit. Ita habet eius vita apud Surium die 19. Nouembris.

*Angariare eſt cogere.* ET QVI TE ANGARIAVERIT MILLE PASSVS (milliare vnum Italicum) VADE CVM ILLO ET ALIA DVO] Angariare eſt vox Perſica. Perſis enim publici nuntij & veredarij vocabantur *angari* quibus ius erat equos homines & nauigia vſurpandi, & ad ſibi ſeruiendum cogendi: vnde angariare idem eſt, quòd ſtringere & cogere: vnde nomen *Angariæ* & *Panangariæ* in libris Iuris. Noſtrates vocant *Poſtas* quaſi *poſitos* collocatoſque in certis locis, & ſemper in procinctu excubantes. Hinc epiſtola dicitur Hebr. אִגְּרֶת *iggheret*, quaſi *ingeret*, id eſt, miſſa & prolata ab angarijs ſiue curſoribus. Hinc & Græcè dicitur ἄγγελος, id eſt, angelus quaſi angarus per commutationem literæ r in l, vti pro *Belial* di-

citur *Beliar:* ſæpe enim litera l. mutatur in r, & quandoq; aliæ in alias, vt *μελετῶ*, *meditor*, *ἄμυλον*, *amido* Hetruſcè, *ἔλαφος*, *ἔδαφος*, id eſt, *ceruus*, *μονοπωλεῖον*, Hiſpanicè *monipodio* pro cõſpiratione; *πάνορμος*, *Palermo*. Ita Angel. Canin. in Helleniſ.

Senſus eſt, q. d. Si quis cogat te ſecum proficiſci ad vnum milliare, potiùs quàm cum eo contendas, vade cum eo ad duo milliaria: ſic enim pacem ſeruabis, patientiam exercebis, & cogentem charitate vinces, tibiq́ue amicabis: ſin illi reſiſtas, teq́ue vindicare velis, bellum vel duellum cum ipſo ſuſcitabis, perdes mentis tranquillitatẽ, & odia tibi conciliabis.

*Exempla Philoſophorum.* Porrò ne fideles putent hîc ſibi nimis dura & ardua à Chriſto præcipi, hinc S. Baſilius homil. de Legendis Gentilium libris, oſtendit Philoſophos ſimilia docuiſſe & feciſſe, vt Periclem, qui toto die à quodam probris exceptus, eumdem veſpere cum lumine domum deduxit: & Socratem, qui à quodam multis in facie plagis affectus, non aliter vltus eſt hominem, quàm fronti ſuæ, velut ſtatuæ nomen eius, quaſi opificis inſcribendo. Et Euclidem, qui, cùm quidam iuraret ſe illum occiſurum, iurauit viciſſim ſe eum placaturum, ac ne in ſe animo eſſet hoſtili, effecturum. De Iulio Cæſare, ait Cicero orat. pro Marcello: *Cæſar nil obliuiſci ſolet niſi iniurias.* Ariſtot. lib. 4. Ethicor. cap. 3. *Magnanimus*, inquit, *ignominiam hominum contemnit.* Alius: *Magnanimi eſt obliuiſci iniuriarum, vt debilis ſtomachi eſt cibum duriorem non poſſe digerere; ita puſilli animi eſt durinſculum verbum non poſſe ſuſtinere.* Hæ fuere vmbræ virtutis Chriſtianæ, quę vtiquè longè maior & ſolidior exſtitit in S. Paulo, S. Laurentio, S. Vincentio & ſimilibus, qui tortoribus gratias agebant, quòd ſibi martyrij coronam torquendo pertexerent.

*Exempla Chriſtianorum.* S. Cyprianus ſuo ſpiculatori, qui caput ipſi erat amputaturus, iuſſit dari viginti aureos, ait Põtius in eius vita. B. Iuniperus S. Franciſci ſocius probra excipiebat quaſi gemmas Chriſti; vnde exprobranti ſibi: *Proijce*, inquit, *has gemmas in ſinum meum, vellem vtique talibus gemmis lapidari Romam vſque.* In vitis Patrum legimus de religioſo quodam, quòd quò quis ampliùs eum vexabat aut irridebat, tantò magis ille gaudebat, dicens: *Iſti ſunt qui nobis occaſionem præbent ad profectum noſtrum: qui autem beatificant nos, conturbant animas noſtras. Scriptum eſt enim: Quoniam hi, qui beatificant vos, ipſi decipiunt vos.*

Climacus Gradu 4. de Obedientia narrat religioſum nomine Abbakirum, à ſocijs variè per annos quindecim tentatum & tribulatum ita vt è menſa quoque à miniſtris expelleretur, omnia hæc patienter tuliſſe, ac interpretatum hæc omnia non ſeriò, ſed probandi ſui cauſa fieri, atque inſtante morte dixiſſe: *Gratias ago Domino Ieſu Chriſto & vobis, quia propter id, quòd me tentaſtis in ſalutem, ecce decem & ſeptem annis permanſi à dæmonibus non tentatus.* Ibidem commemerat Macedonium ſenem inter nouitios (id ipſomet humilitatis ſtudio petente) relegatum dixiſſe: *Numquam ſicut nunc euacuationem omnis prælij, & luminis diuini dulcedinem in me ipſo perſpexi.*

VERS. 42. Luc. 6. 30. QVI PETIT A TE, DA EI: ET VOLENTI MVTVARI A TE, NE AVERTARIS] Græcè *μὴ ἀποστραφῇς*, id eſt, *ne auerſeris.* S. Auguſtinus, *ne auerſatus fueris*, ſcilicet mutuum à te poſtulantem. Videtur prima fronte hæc ſententia non cohærere cum præcedentibus de lege tallionis & vindictæ; ſed reuera optimè cohæret, ſenſus enim eſt, q. d. Chriſtus: Ego pro lege talionis & maleficentiæ ſurrogo & figo legem charitatis & beneficentiæ. Quare quicumque petit aliquid abs te, ſiue is amicus ſit, ſiue inimicus, qui te læſit & in maxillam percuſſit, aut pallium abſtulit, aut aliter angariauit, da illi, quod petit: ac ſi velit, poſcatq́ue abs te mutuum, ne eum ob iniurias tibi allatas auerſeris, faciemq́ue tuam, vt fieri ſolet, auertas, ſed benignè eum vt proximum excipe, ac mutuum ei præbe, perinde ac ſi numquam te læſiſſet. Hunc eſſe ſenſum liquet ex *τὸ ne auertaris*, vel vt Græcè eſt, *ne auerſeris*, & ex eo, quod habet Lucas cap. 6. 30. *Omni autem petenti te tribue*, additq́ue: *Et qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Vnde patet hîc agi de eo, qui tibi iniurius fuit, tuaq́ue velut fur aut raptor abſtulit: huic enim concedere id, quod abſtulit & rapuit, nec repetere, ſi ipſe eo valdè indigeat, præcepti eſt (ſi enim non abſtuliſſet, obligaris ei ita indigenti idipſum dare per eleemoſynam) aliàs conſilij eſt, eleemoſyna enim, ſiue illa fiat dando, ſiue mutuando id, quo proximus, etiamſi inimicus, qui nos læſit, indiget, præcepti eſt in extrema vel graui eius neceſſitate; aliàs conſilij eſt ſed vtiliſſimi. Intellige, ſi habes quod ex tuo illi des vel mutues: nam aliena, ac præſertim Deo conſecrata, vt ſunt bona monaſterij, dare vel mutuare non licet ſine venia Superioris, vti docet S. Baſilius, in Regulis breuior. reſp. 101. Sic ſanctus Spiridion, & nonnulli Anachoretæ furibus ea, quæ ſibi furati erant, vltrò condonabant, quin & plura adiungebant.

Porrò aptè ſubiungit Chriſtus hoc præceptũ, vt omni petenti demus, præcepto patiendi rapinam, qua tibi ablata eſt tunica, pallium, &c. quia hæc rapina diſponit ad donationem: qui enim patienter ſuffert ſua ſibi auferri, facilè dabit quæ ſua ſunt, alteri. Nam vt ait S. Gregorius 3. parte Paſtor. Admonit. 21. *Cùm dantis mens ferre inopiã neſcit, ſi multa ſibi ſubtrahit, occaſionem contra ſe impatientiæ exquirit. Priùs namque præparandus eſt patientiæ animus, & tunc aut multa ſunt, aut cuncta largiẽda, ne dum minus æquanimiter inopia irruens fertur, & præmiſſæ largitatis merces pereat, & adhuc mentem deterius murmuratio ſubſequens perdat.*

Deniq; non deſcreſcit, ſed accreſcit hîc Chriſti ſermo & ſanctio; licèt enim facilius ſit in ſe dare omni petenti, quàm percutienti vnam maxillam præbere alteram, aut tollenti tunicam dimittere & pallium; tamen difficilius eſt in connexione, quia, vt iam dixi, ſupponit illam patientiam, qua illa & illos ſufferre obligamur, & ſuperaddit beneficentiam, qua eiſdem petentibus dare vel mutuare debemus: difficilius enim eſt poſt acceptam iniuriam iniurianti benefacere, quàm ab eo acceptam iniuriam dumtaxat pati & ſufferre. Ita S. Auguſtinus libr. de Serm. Domini cap. 40.

*Ratio à priori.* Rationem à priori ſubdit S. Lucas c. 6. 31. *Et quodcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Hæc enim eſt lex, menſura & fons charitatis mutuæ, vt facias alteri, quod tibi vis fieri. Vis tibi egenti dari eleemoſynam etiam ab inimico, tu ſimiliter fac illi. Audi Climacum Gradu 26. *Piorum eſt omni petenti dare: ſed magis piorum eſt, etiam non petenti largiri. Non repetere autem, aut quidquam ab eo exigere qui abs te aliquid abſtulit, dum maximè poſſis, illud fortaſſe nõ niſi eorum eſt, qui omnem affectum erga res omnes mortales exuerunt.*

*B. Philippus Nerius.* Praxin huius præcepti Chriſti nuper Romæ docuit raro charitatis exemplo B. Philippus Nerius qui omni petenti dabat omne, quod poterat ſolatium, conſilium & auxilium, ideoq́ue cuique cubiculum ſuum patere volebat, vt cuilibet liberum ad ſe qualibet hora daret aditum, dicebatq́ue ſeruum Dei debere eſſe omnium horarum hominem, vt nullã ex tota die ſibi reſeruet, ſed omnes proximis commodet, vt totus ſit illorum, non ſuus: ſicut fecit Chriſtus, qui *pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Actor. 10. & 11. ac ſe ſuaq́ue omnia vna cum vita pro nobis impendit & profudit: atque Paulus, qui omnibus omnia factus eſt, vt omnes Chriſto lucrifaceret. 1. Cor. 9. 22.

*S. Ioannes Eleemoſynarius.* Nota eſt S. Ioannis Patriarchæ Alexandrini liberalitas, qui hac Chriſti ſanctione ſtimulatus, omnibus petentibus largas dabat eleemoſynas, indeq́ue cognominatus eſt Eleemoſynarius: ac quo plus dabat, eò plus recipiebat, vt cum Deo de liberalitate certare videretur, & Deus cum eo. Vicit enim Ioãnes Deum, & Deus Ioannem vicit multò amplius. Quocirca nolebat Ioannes petentes examinari, an diuites eſſent vel pauperes, an digni vel indigni, an pauci vel multi. Perſuaſum enim habeo, inquit, quòd etiamſi totus mundus ſimul veniret Alexandriã, egens beneficentia, hos Dei theſauros nequaquã in anguſtum rediget.

*S. Franciſcus.* S. Franciſcus initio conuerſionis ſuæ, cum pauperem quemdam petentem eleemoſynam præter morem repuliſſet, repentè facti pœnitentens, largam ei dedit, vouitq́ue ſe numquam deinceps poſtulanti eleemoſynam negaturum: atque hac ſua liberalitate viciſſim copioſam Dei gratiã in ſe prouocauit, qua ad tantam mox ſanctitatem euaſit.

*Alexander Alenſis.* Rarum eſt, quod in Chronicis Ordinis S. Franciſci legimus de Alexandro Halenſi, qui *vitæ fons* eſt appellatus, fuitq́ue præceptor S. Bonauenturæ, & vt fertur, S. Thomæ. Hic tanto in Deiparam ferebatur affectu, vt conſtituerit nulli vmquam ſe negaturum quod nomine Deiparæ peteretur: quod cùm intellexiſſet quidam Franciſcanus, videns eum doctorem celeberrimum, cui nullus par in Academia Pariſienſi, ad eum acceſſit, &, *Per S. Mariam*, inquit ad eum, *obſecro te vt nobis accedas.* Is miſſum à Deo credidit hominem, & illicò eum ſequitur, fitq́ue S. Franciſci alumnus. Fusè rem geſtam narrat Lucas Waddingus to. 1. Annal. Minorum, ad annum Chriſti 1222. nu. 26.

VERS. 43. AVDISTIS QVIA DICTVM EST: DILIGES PROXIMVM TVVM, ET ODIO HABEBIS INIMICVM TVVM] Prius, *diliges proximum*, dictum eſt Leuit. 19. 18. at poſterius, *odio habebis inimicum*, vbi dictum eſt? Reſpondet Maldonatus id dictum eſſe Deuteron. 25. 19. *Delebis nomen eius ſub cælo, caue ne obliuiſcaris.* Iuſſerat enim Deus Ioſue & Hebræis, vt gentem Chananæam impiam prorſus delerent, & eorum terram occuparent; Chriſtum ergo non Scribas, ſed legem ipſam hîc corrigere, dum iubet inimicos diligere. Verùm lex iuſſit tantùm Chananæos occidi, non tamen odio haberi, multò minùs alias gentes: ſicut iudex iubet occidi reum, non tamen eum odit, imò eum amat; curat enim vt culpam & ſcandalum à ſe datum emendet, pro eaq́ue Deo & reipublicæ ſatisfaciat: ſic & miles in bello iuſto hoſtem cædit, ſed non odit. Eſt enim executor ſui ducis, quaſi iudicis. Nam legem veterem præcepiſſe non ſolùm amicos, ſed & inimicos diligi patet Exodi 23. 3. & Leuit. 19. Lex enim naturæ iubet inimicos diligi. *Lex vetus iuſſit hoſtes diligi.*

Dico ergo id dictum eſſe, non à lege, ſed à Scribis legem interpretantibus. Hi enim ex eo quod dicitur Leuit. 19. 18. *Diliges proximum*, vel vt Noſter vertit *amicum.* (Hebr. enim רֵעַ *rea* ſignificat ſocium, amicum, proximum) *tuum:* inferebant: ergo *odio habebis inimicum tuum:* per amicum autem vel proximum ipſi intelligebãt proximum cognomine & gente, putà Iudæum ex Abraham & Iacob ſecum prognatum, quaſi Iudæis ſoli Iudæi eſſent diligendi; ceteræ verò gentes, præſertim Chananææ, odio habendæ, qui manifeſtus eſt error. Quare Chriſtus ſenſum hũc corrigit legemq́ue explicat, videlicet per amicum vel proximum hîc intelligi quemuis hominem, etiam extraneum, gentilem & inimicum: omnes enim homines ad inuicem proximi ſumus in primo patre Adamo, vtpote ex eo progeniti, ideoq́ue fratres; & in ſecundo parente Chriſto, per quem regenerati & quaſi recreati ſumus ad eamdem Dei ſimilitudinem, vocatiq́ue ad eamdem Dei Patris hereditatem in cælis. Ita S Hieronymus, S. Auguſtinus, Theophylactus, & alij.

Porrò Origenes hîc per inimicos accipit dæmones: hos enim quaſi iuratos & æternos hoſtes, ſollicitantes nos ad peccatum & gehennã, Vatiniano odio odiſſe debemus. Verũ hoc myſticum eſt & ſymbolicum.

EGO AVTEM DICO VOBIS: DILIGITE INIMICOS VESTROS, BENEFACITE HIS, QVI ODERVNT VOS, ET ORATE PRO PERSEQVENTIBVS. VERS. 44. Luc. 6. v. 27. 28. 34. Græcus & Syrus, *qui vexant vos cum militari inſultu & violentia*) ET CALVMNIANTIBVS VOS] Græca addunt *εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς*, id eſt, *benedicite ijs, qui vobis maledicunt*, vt Chriſtus hîc præcipiat inimicos diligi corde, ore, & opere; corde, cùm ait, *diligite inimicos:* ore cùm ait: *benedicite ijs, qui vobis maledicunt:* opere cùm addit, *benefacite his, qui oderunt vos.* Præcepit ergo Chriſtus hîc: Primò, vt inimicos non odiamus, ſed amore interno ſinceroq́ue diligamus. Secundò, vt communia amoris ſigna externa, ſiue loquendo & ſalutando, ſiue benefaciendo eis non negemus: peccatum enim eſſet, ſi eleemoſynam faciens omnibus pauperibus, qui in vrbe vel hoſpitali ſunt, ab ea excludas vnum, duos, aut tres, qui te læſerunt, vel tui ſunt inimici. Tertiò, vt inimicis in neceſſitate poſitis ſuccurramus, æquè ac facimus amicis. Conſulit autem, vt beneuolè eos præueniamus verbis & beneficijs peculiaribus, itaque eorum odium vincamus, eoſq́ue nobis deuinciamus & amicemus, iuxta illud Pauli: *Vince in bono malum.* Roman. 12. 21. vbi plura hac de re dixi. Hic eſt apex charitatis Chriſtianæ, ſcilicet dilectio inimicorum. Vide D. Thomam & Scholaſticos, 2. 2. q. 25. art. 8. & 9.

Porrò S. Chryſoſtomus hîc homil. 18. huius dilectionis inimicorum nouẽ gradus conſtituit. *Nouem gradus amoris inimicorum.* *Primus eſt*, inquit, *ne prior iniuriam ordiaris. Secundus,*

*dus, vbi eſt iniuria cœpta, ne tu eamdem eodem pacto propellas. Tertius, ne par pari referas, ſed quieſcas. Quartus, vt etiam præbeat ſeipſum ad iniuriam ſuſtinendam. Quintus, vt etiam ad maiora ſe præbeat, quàm vult ille, qui fecit. Sextus, non odiſſe à quo iſta perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octauus, beneficijs quoque eum libenter afficere. Nonus, etiam Deum pro aduerſario deprecari.*

Vers. 45. Luc. 6. v. 35. VT SITIS FILII PATRIS VESTRI, QVI IN CÆLIS EST, QVI SOLEM SVVM ORIRI FACIT SVPER BONOS ET MALOS, ET PLVIT SVPER IVSTOS ET INIVSTOS] *Vt ſitis*, id eſt, vt oſtendatis vos eſſe filios Dei, aut potiùs *vt ſitis* reipſa filij Dei per imitationem, id eſt, ſimiles & imitatores Dei, qui iam eſtis filij Dei per gratiam & adoptionem. Simili ſenſu dixit v. 9. *Beati mundo corde, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur.* Iubet ergo, vt in dilectione inimicorum imitemur Deum, qui impijs hoſtibus ſuis benefacit, dando eis pluuiam, ſolem, fruges fructus, &c. Deus enim tam celſi eſt animi, vt nullam, quantumuis impij & blaſphemi, iniuriam & læſionem ſibi factam putet; nullam enim ſentit, nil de honore & gloria ſua deperdit: item tam impatibilis eſt & ſanctus, vt nulla in eum cadat ira & vindicta, ac tam bonus & clemens eſt, vt ſua dona effundat in inimicos, eoſque gratia ſua præueniat alliciens & trahens ad reconciliationem; imò pro eis ſibi reconciliandis ſaluandiſque Filium ſuum vnicum dedit in crucem. Hæc imitemur quoad poſſumus.

Vrget S. Auguſtinus τὸ *ſolem ſuum*, id eſt à ſe creatum: *Vt hinc*, ait, *commoneamur, quanta liberalitate inimicis noſtris ex præcepto eius præſtare debeamus, quæ nos non creauimus, ſed ex munere eius accepimus.* Stimulos ad diligẽdum inimicos plures ſuggerit hîc noſter Salmeron to. 5. c. 43.

Vers. 46. Luc. 6. v. 32. SI ENIM DILIGITIS EOS QVI VOS DILIGVNT, QVAM MERCEDEM HABEBITIS? NONNE ET PVBLICANI HOC FACIVNT] Publicani dicti à publico, quòd publica vectigalia exigant & redimant, ideoque rigidè à pauperibus plura ſubinde extorqueant, quàm ipſi debeant aut ſoluere queant: qua de cauſa, apud Iudæos habebantur vt iniqui & infames. *Quam mercedem habebitis?* q. d. Nullam: ſi enim amicos dumtaxat diligatis, nõ inimicos, vt Publicani faciunt, Deus nullam in cælo vobis mercedem dabit; tum quia hæc dilectio eſt naturæ, non gratiæ & charitatis: hæc enim ad inimicos ſeſe extendit; tum quia mercedem ab amico recipitis, ſcilicet mutuum & vicarium amorem: ſin verò tam inimicos, quàm amicos diligatis, vtrorumque dilectione magnam à Deo gratiam & gloriam merebimini, & reipſa obtinebitis; quia vtraque eſt actus charitatis. Charitas ergo iubet diligi amicos & inimicos; natura corrupta ſolos amicos: Vnde P. Sylla iactabat ſe amicos ſuperare beneficijs, inimicos verò maleficijs, vti C. Marium crudeliter laniauit, teſte Plutarcho in eius vita. Idem fecêre alij Gentiles. Quare inter eos ſtupori fuere nonnulli, ſed pauci, qui inimicos etiam dilexerunt, vt Phocion, qui damnatus ad mortem, iam occidẽdus, rogatus ab amicis, num quid filio nuntiatum vellet, reſpondit: *Volo, vt illatæ mihi ab Athenienſibus iniuriæ obliuiſcatur.* Lycurgus rex Lacedæmonum à iuuene quodam orbatus oculo, illum à populo accepit, vt, quo liberet modo, puniret; ille eum optimè inſtituit, & iam probis moribus

*Gentiles aliqui dilexere inimicos.*

A inſtructum in theatrum produxit, populoque oſtendit: *En*, inquit, *quem à vobis iniurium & violentum accepi iam frugi & popularem vobis reſtituo.* Ita Plutarchus in Lycurgo. Si hæc fecere Gentiles, duce ratione & natura, ob gloriam temporalem, quid facere decet Chriſtianum, duce fide & gratia, ob brauium beatæ æternitatis.

Vers. 47. ET SI SALVTAVERITIS FRATRES (cognatos, conſanguineos, amicos) VESTROS TANTVM, QVID AMPLIVS FACITIS, NONNE ET ETHNICI HOC FACIVNT?] Pro *ſalutaueritis*, græcè eſt, ἀσπάζεσθαι, id eſt, ſalutare cum oſculo & complexu, qui ſalutandi mos olim fuit apud Græcos & Romanos, imò apud primos Chriſtianos, iuxta illud: *Salutate inuicem in oſculo ſancto.* 2. Cor. 13. 12. Vide ibi dicta. Vnde Vatabl. vertit: *Si amplexi fueritis, vel ſi complectendo ſalutaueritis fratres veſtros,* B *quid amplius præ ceteris etiã publicanis & Ethnicis facitis?* Græcè eſt, περισσὸν, quod Vatabl. & alij vertunt: *quid eximium facitis?* Nam vt ſequitur, *& Ethnici hoc faciunt.* Sic cum Noſtro legit S. Chryſoſtomus ſcilicet ἐθνικοί, iam Græca habent τελῶναι, id eſt, *Publicani.* Docet ergo hîc Chriſtus ſalutandos eſſe non tantùm fratres & amicos, ſed etiam exteros & inimicos. Tam ergo inimicum, quàm amicum, ſi generoſi es animi, ſaluta prior, multò magis ſalutantem reſaluta, vt tu potiùs accipias humilitatis coronam, & de ſuperbia inimici triumphes, eamq; ſternas, vt docet S. Chryſoſtomus hom. 18. Sub ſalutatione cetera omnia beneuolentiæ ſigna accipe. Hoc eſt, quod ait Apoſtolus: *Honore inuicem præuenientes.* Rom. 12. 10.

Vers. 48. Luc. 6. 36. C ESTOTE ERGO VOS PERFECTI, SICVT ET PATER VESTER CÆLESTIS PERFECTVS EST] Emphaſim habet, τὸ *vos*, q. d. Vos ab Ethnicis eſtis ſegregati, & à Deo electi, vt ſitis eius fideles, amici, filij & heredes: imitamini ergo ſanctitatem & perfectionem Patris veſtri cæleſtis. *Tò ergo* refer partim ad proximè præcedentia de dilectione inimicorum. q. d. Ethnici quoque diligunt, ſed ſibi amicos dumtaxat: Vos ergo, ô fideles, qui eſtis amici filijque Dei, ideoque Ethnicis præſtare debetis, diligite omnes tam inimicos, quàm amicos, ſicut Pater veſter dilectionem ſuam ad omnes omnino extendit. Eſtote ergo *perfecti* propriè in dilectione & benignitate, vt neminem ab ea excludatis, ſed eam dilatetis & expãdatis ad omnes tam inimicos quàm amicos, vtque tam eos, à quibus nihil ſperatis, quàm eos, à quibus aliquid expectatis, eâdem complectamini: partim verò τὸ D *ergo* refer ad omnia præcedentia. Hæc enim gnome eſt omnium hoc capite dictorum finis & cõplexio. q. d. Huculq; explicui Dei mandata ſancientia perfectionem omnis virtutis. Eſtote ergo perfecti in manſuetudine, munditia cordis, patientia, caſtitate, charitate, omnique virtute, quam præcepit lex, Deique mandata.

*Perfectio quanam præcepti.* Quæres, an perfectio hæc ſit conſilij an præcepti? Reſpondetur partim eſſe conſilij, partim præcepti. Primò enim, præceptum eſt, vt quiſque fidelis in Chriſtianiſmo & ſuo ſtatu conetur eſſe perfectus, vt ſcilicet perfectè diligat inimicos, æquè ac amicos, ac perfectè cetera omnia Dei mandata obſeruet. Chriſtus enim hîc loquitur omnibus fidelibus, vt patet ex præcedent. Vnde moraliter hinc diſcimus, omnes Chriſtianos obligari tendere ad perfectionem ſui ſtatus, officij & gradus: hoc enim requiritur, vt ſint filij Patris cæleſtis, vt ait Chriſtus. Quiſquis ergo cupit



eſſe filius & heres huius Patris, eum imitari debet in perfectione. Itaque aut magnæ illius hereditatis deponenda ſpes eſt, aut ſi filiorum adoptionem tueri volumus, paternæ ſanctitatis & perfectionis imitatione tuenda eſt: quia, vt ait S. Cyprianus ſerm. de Bono patientiæ, filios, præſertim talis & tanti Patris, non decet eſſe degeneres. Quin & S. Iacobus cap. 1. non religioſos, ſed fideles omnes compellans: *Vt ſitis*, inquit, *perfecti & integri in nullo deficientes*, Et S. Petrus epiſtol. 1. cap. 1. *Vt & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis, quoniam Scriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Imò Deus ipſe ad Abraham: *Ambula*, inquit, *coram me, & eſto perfectus.* Geneſ. 17. Quiſque ergo in ſuo gradu & officio debet eſſe exactus & perfectus, vt ſingula opera ad amuſſim rationis & legis perfectè faciat, iuxta illud Eccleſ. 33. 23. *in omnibus operibus tuis præcellens eſto*: pluris enim fit præcellens Grammaticus, quàm mediocris Rhetor; vt audias illud ſponſi de ſponſa: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* Cant. 7. 1. quia ſi milites in prælio cupiunt eſſe ſtrenuiſſimi, diſcipuli in ſchola doctiſſimi, mechanici in ſua arte exactiſſimi, famuli in ſeruiẽdo hero obſequentiſſimi, cur non & Chriſtiani, à Chriſto vocati ad ſanctitatem & perfectionem, cupiant eſſe ſanctiſſimi & perfectiſſimi? B. Tereſia dictitabat, Deum eos præ ceteris maximè amare, qui ſunt perfecti, atque eos facere quaſi capitaneos & duces ceterorum, vt multos conuertant, ſaluent & perficiant: vnde ipſa votũ fecit ſe in quolibet opere facturam id quod foret perfectius, & ad maiorem Dei gloriam, Sic Noë Geneſ. 6. *placuit Deo*, fuitque mundi diluuio perditi reſtaurator: quia fuit *perfectus in generationibus ſuis & cum Deo ambulauit.* Vide S. Chryſoſtomum lib. 3. contra vituperat. Vitæ monaſticæ, vti docet, præcepta Chriſti tam ſæculares quàm religioſos obligare, ideoque vtroſque debere perfectioni ſtudere, quemq; in ſuo ſtatu & gradu, iuxta illud Dei ad Iſraël: *Perfectus eris & abſque macula cum Domino Deo tuo.* Deuter. 18. 13. & illud Pauli: *De cetero fratres gaudete, perfecti eſtote.* 2. Corinth. c. 13. Et: *Vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.* Coloſ. 1. 28.

*Perfectio cõſilij quanũ.* Secundò, perfectio hæc conſilij eſt quatenus ſe extendit ad obſeruationem non tantùm præceptorum, ſed & conſiliorum Euangelicorum, vt paupertatis voluntariæ, caſtitatis & obedientiæ religioſæ, &c. de qua Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me.* Matt. 19. 21.

*Perfectio ſita in amore inimicorum.* Porro perfectio hæc propriè conſiſtit in charitate & dilectione, præſertim inimicorum. Hæc enim eſt perfectio viæ, cùm perfectio patriæ conſiſtat in viſione & fruitione Dei. Magna autem debet eſſe hæc perfectio & ſanctitas, præſertim in religioſis, quia magna eſt in Deo, cui ſe conſecrarunt, quemque imitari debent, vt iubet hîc Chriſtus. Tacitè inſinuat Chriſtus modum, & rationem pertingẽdi ad perfectionem & ſanctitatem eximiam eſſe, ſi quis ſe exerceat in dilectione inimicorum, tum quia hic eſt ſummus & difficilis charitatis actus, tum quia hæc eſt eximia & ſumma victoria ſui: nam talis generoſè vincit iram vindictam ceteraſque animæ paſſiones, totique animo ſuo potenter dominatur & imperat,

A tum quia Deus charitati & virtuti tam liberali longe liberaliorem rependit gratiam. Ita virgo illa ſancta apud D. Taulerum rogata, qua ratione ad tantam ſanctitatem perueniſſet, reſpondit *Eos, qui mihi moleſti vel infeſti erãt, ſingulari amore dilexi, atque illi, à quo læſa fueram, peculiare ſemper beneficiũ contuli, quod aliàs ei non contuliſſem*: nimirum hoc eſt vlciſci, vincere & obruere maleficentiam beneficijs. Hinc in Chriſto ſummæ virtutis fuit in cruce orare pro ſuis crucifixoribus, dicendo: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Sic S. Paulus & Stephanus perfecti euaſere orãdo pro Iudæis ſe lapidantibus & ad necem perſequẽtibus; ijſque omni ope & opera prædicando & benefaciendo. Denique hæc perfectio maximè requiri- B tur in Apoſtolo, viroq; Apoſtolico. Nil enim ita mouet animos infidelium ad credendum Chriſto, ac ſanctitas prædicantium, quæ ſæpè plus mouet quàm ipſa miracula. Audi S. Chryſoſtomum hom. 47. in Matth. *Magnos Apoſtolos effecit verus ac non ſimulatus gloriæ, atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam ſecularium harum rerum omnino curam habebant. Nam niſi hoc habuiſſent, ſi paſſionibus, veluti nos ſeruiſſent, etiamſi à morte innumeros homines ſuſcitaſſent, non ſolũ nihil vtilitatis feciſſent, ſed etiam deceptorum nomen non effugiſſent. Viuendi ergo diſciplina eſt quæ vbique fulget.*

SICVT ET PATER VESTER CÆLESTIS PERFECTVS EST] Scilicet perfectè omnes omninò diligit, omnibus tam malis quàm bonis benefacit, in omnes diffundit radios ſuæ bonitatis, quaſi ſol quidam perennis beneficentiæ, qui à nemine quidquam commodi expectat, ſed mero a- C more cupit ſua bona alijs communicare, ita vt certet cum hominum malitia & ingratitudine: pauci enim eum tam ſui amantem & beneficum redamant, vti par eſt. Vox *ſicut* ſimilitudinem ſignificat, non æqualitatem; nec enim Dei perfectionem æquare poſſumus, ſed illa in infinitum omnem noſtram ſuperat & tranſcendit: quare illam eminùs imitari debemus quoad poſſumus. Præclarè S. Leo Serm. 1. de Ieiunio 10. menſis: *Inuenimus*, inquit, *hominem ideò ad imaginẽ Dei conditũ, vt imitator ſui eſſet auctoris, & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem ſi in nobis quaſi in quodã ſpeculo diuinæ bonitatis forma reſplendeat.* Præclarum etiã in hac re illud Gregorij de illo Apoſtoli dicto, *Nos Dei genus eſſe: Genus*, inquit, *hominum dicimur, non ex eius natura editi ſed per ſpiritum illius voluntariè conditi, & adoptiuè recreati. Tantò ergo ad hãc* D *nobilitatem quiſque erigitur, quantò per acceptam imaginem ad ſimilitudinem illius ex imitatione renouatur:* Ita S. Greg. 20. Moral. c. 6.

Perfectionem ergo à Chriſtiano hîc exigit Chriſtus, non humanam, ſed diuinam, Deique perfectioni ſimilem, qualem ſcilicet pater exigit à filio. Ipſe enim eſt pater noſter, non tantùm per naturam, ſed & per gratiam; per hanc enim ſimus *diuinæ conſortes naturæ*, vt ait S. Petrus, ideò efficimur verè filij Dei, ac quaſi dij quidam terreſtres. Quapropter illud Leuit. 11. 44. Chriſtianis quaſi ſpeculum proponit S. Petrus epiſtol. 1. c. 1. v. 16. dicens: *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Et Paulus Epheſ. 5. 1. *Eſtote*, ait, *imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi.* S. Ioan. epiſt. 1. c. 2. verſ. 1. *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Præclarè S. Cyprianus ſer. de Zelo & liuore: *Si hominibus*, inquit, *lætum eſt*

*eſt & glorioſum, filios habere conſimiles, & tunc magis generaſſe delectat, ſi ad patrem lineamentis paribus ſoboles ſucceſſiuè reſpondeat; quantò magis in Deo patre lætitia eſt, cùm quis ſic ſpiritualiter naſcitur, vt actibus eius & laudibus diuina generoſitas prædicetur?* Porrò S. Auguſtinus epiſtol. 85. ad Conſentium: *Cogitemus,* ait, *nos tantò ſimiliores Deo, quantò eſſe poterimus eius participatione iuſtiores.* Quocirca neruoſè Chriſtianos extimulat S. Leo ſerm. 1. de Natiuit. dicens, *Agnoſce ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire: memento cuius capitis & cuius corporis ſis membrum.* Nam, vt ait Paulus Athenienſibus Act. 17. 39. *Ipſius & genus ſumus. Genus ergo cùm ſimus Dei.*

Scripſit in hanc ſententiã S. Thomas (vel quiſquis eſt Auctor) opuſculum 62. de Moribus diuinis, in quo docet fideles imitari debere Deũ, eiuſque mores diuinos induere, atque ſigillatim eius veritatem, ſapientiam, manſuetudinem, patientiã, iuſtitiam, liberalitatem, clemẽtiam ceteraque Dei attributa æmulari, & quoad poteſt creatura, ſequi & imitari ſuum creatorem.

*Perfectio Dei imitanda. Primò.* Igitur perfectio Dei conſiſtit primò in ampliſſima omnium tam bonorum, quàm malorum dilectione, quod propriè ſpectat hîc Chriſtus.

*Secundò.* Secundò, in manſuetudine, patientia, moderatione & temperie appetituum, ac quæ indè conſequitur, ſumma pace & tranquillitate animi, vt nulla eum tangat iniuria, ira, vindicta, ſitque ἀπαθὴς, imperturbabilis & impaſſibilis: ſic & nos, ſi velimus eſſe perfecti, debemus eſſe manſueti, trãquilli, & quoad fieri poteſt, imperturbabiles, idcoque mortificare iram ceteraſque animi paſſiones. Vnde S. Ambroſius lib. de Iacob & vita beata c. 8. *Perfecti viri eſt,* inquit, *quaſi fortem militem grauiſſimorum caſuum ſuſtinere incurſus, conflictus ſubire, & quaſi prouidum gubernatorem nauem in tempeſtate regere, atq; occurrendo inſurgentibus fluctibus magis vitare naufragium ſulcando vndas, quàm declinãdo.* Et S. Cyprianus de Bono patientiæ citatis hiſce Chriſti verbis: *Sic,* inquit, *perfectos dixit fieri Dei filios, ſic conſummari oſtendit & docuit cæleſti natiuitate reparatos, ſi patientia Dei Patris maneat in nobis, ſi ſimilitudo diuina quàm peccato Adam perdiderat, manifeſtetur & luceat in actibus noſtris. Quæ gloria eſt ſimilem Deo fieri, qualis & quanta felicitas habere in virtutibus, quod diuinis laudibus poſſit æquari?*

*Modus perueniendi cito ad perfectionem.* Quocirca medium ad perfectionem ſingulare & efficaciſſimum eſt, ſi quis ſolerter indaget animæ ſuæ ſtatum, & vitium radicale & principale, à quo cetera quaſi fibrę è radice promanant: quo cognito, totis viribus illud aſſiduè impugnet, donec extirpet; ſic citò euadet perfectus: v.g. in Petro vitium radicale & dominans, à quo cetera pullulant, eſt ſuperbia, in Paulo eſt gula, in Iacobo eſt luxuria, in Ioanne eſt acedia, in Philippo eſt ira, in Andrea eſt triſtitia, in Matthęo eſt puſillanimitas; quiſque ſuum vitium cognoſcat, & cognitum congruis armis, & medijs mortificet; ſic citò perfectus euadet. Quocirca S. Gregorius lib. 5. Moral. c. 30. illud Sapient. c. 12. de Deo dictum afferens: *Tu autem Domine cum tranquillitate iudicas;* hæc adiungit: *Sciendum eſt quidem nobis magnopere, quia quoties turbulentos motus animi ſub manſuetudinis virtute reſtringimus, ad ſimilitudinem redire conditoris conamur.*

A *Tertiò.* Tertiò, Deus terrena omnia ex alto velut vilia & exilia deſpicit, totique cælo & cæleſtibus glorioſè inſidet & præſidet: ita & homo ad perfectionem aſpirans, opes, delicias & honores terrenos, ob quos tot fiunt lites, rixæ & bella, deſpicere debet, vt res viles muſcarum, culicum & pulicum, ac ſuſpicere & ambire cæleſtes, quæ ſunt Dei, Heroum & Angelorum. Quocirca S. Baſilius ſerm. 1. de Monachi & religioſi, qui ad perfectionem aſpirat, inſtitutione, aſſerit illum, qui ſeculo nuntiũ remiſit, hoc imprimis cogitare, ſemperque animo verſare debere, ſe iam vltrà humanæ naturę fines proceſſiſſe, ſeque ipſum ei inſtituto tradidiſſe, quod ſit quàm maximè à corpore ſeiunctum; ac propterea Angelorum conuerſationem imitandam ſuſcepiſſe: ſiquidem hoc Angelicæ naturæ proprium eſt, B liberum eſſe à vinculis terrenis; nec omnino diſtrahi ad aliam vllam pulchritudinem contemplandam, ſed oculos in Dei vultum aſſiduè defixos habere.

*Quartò.* Quartò, Dei mens & voluntas eſt æquiſſima, ſanctiſſima & perfectiſſima; hanc ergo induere debemus, vt fiamus ſimiles Deo, imò vnum cum Deo. Audi S. Bernardum ſerm. ad Fratres de Monte Dei. *Vnitas,* inquit, *ſpiritus cum Deo homini ſurſum cor habenti, proficientis in Deum voluntatis eſt perfectio, cùm iam non modò vult, quod Deus vult, ſed ſic eſt non tantùm affectus, ſed in affectu perfectus, vt non poſſit velle, niſi quod Deus vult. Velle enim, quod Deus vult, hoc eſt iam ſimilem Deo eſſe; non poſſe autem velle, niſi quod Deus vult, hoc eſt iam eſſe quod Deus eſt, cui velle & eſſe idipſum eſt.*

*Quintò.* Quintò, Deus eſt magno & celſo animo, qui ſuper omnia tranſcendit, ac in ſua felici & tranquilla æternitate ſemper ſibi conſtat & C conquieſcit, ideoque omnia ad ſe conuertit & trahit: Sic & nos excelſo animo proſperis omnibus & aduerſis eminere, & dominari debemus: ita fiemus quaſi omnipotentes & diuini, atque omnes & omnia conuertemus ad nos, tamquam dij quidam terreſtres, exaltati à terra, & in cælum euecti.

Audi S. Bernardum ad Fratres de Monte Dei: *Eſt alia magis Deo propinqua ſimilitudo, in quantum voluntaria, quæ in virtutibus conſiſtit, in qua anima virtutis magnitudine, ſummi boni quaſi imitari geſtit magnitudinem; & perſeuerantiæ in bono conſtantiâ, æternitatis eius incommutabilitatem.*

Idem Ser. 11. in Cantic. *Eris,* inquit, *inter aduerſa, & proſpera mutabilium temporum tenens, quamdam æternitatis imaginem vtique hanc inuiolabilem & in*D *concuſſam conſtantiæ animi æqualitatẽ, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vendicans tibi etiã in huius nutabundi ſæculi dubijs euentibus, certiſq; defectibus perennis quodammodo incommutabilitatis ſtatum, dum te cœperis renouare, & reformare in inſigne illud antiquum ſimilitudinis æterni Dei, apud quem nõ eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio; quippe ſicut ipſe eſt, ita & tu eris in hoc mundo, nec in aduerſis timidus, nec in proſperis diſſolutus.*

Et nonnullis interiectis, docens talem ſibi indignum ducere conformari labenti huic ſæculo, dignum renouari ad ſimilitudinem Dei, ad quam creatus eſt, addit: *Ac per hoc etiam cogens, vt dignum eſt, ſæculum iſtud quod propter ſe factum fuit, verſa vice mirum in modum conformari ſibi dum omnia ei cooperari in bonum incipiant tãquam in propria & naturali forma abiecta degeneri ſpecie, recognoſcentia Dominum*



*minum ſuum, cui ad ſeruiendum creata fuêre. Vnde arbitror illum ſermonem, quem dixit de ſe Vnigenitus, videlicet, ſi exaltaretur à terra, omnia traheret ad ſeipſum, cunctis quoque eius fratribus poſſe eſſe communem, ijs vtique, quos Pater præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Et ego ſi exaltatus fuero à terra (audacter dico) omnia traham ad meipſum. Nec enim temerariè vſurpo mihi fratris mei vocem, cuius me induo ſimilitudinem.*

Porrò omnis huius vitę perfectio inchoata eſt dumtaxat, & imperfecta: concupiſcentia enim, ceu Iebuſęus habitans in membris noſtris doma- A ri poteſt, extirpari non poteſt; ſed plena & perfecta erit in cælo, vbi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc beatam immortalitatem: vbi concupiſcentia & mors abſorbebitur à gloria, ac Deus erit omnia in omnibus. 1. Corinth. 15. ibi enim nulla erit cupiditas, quia omnia occupabit charitas. Vnde Apoſtolus Philipp. 3. 12. de ſe ait: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem ſi quo modo comprehendam.* Et mox: *Ad ea verò quæ priora ſunt extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Scripſit hac de re S. Auguſt. lib. de Perfect. iuſtitiæ tom. 7.

# CAPVT SEXTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò à verſu primo vſque ad ſeptimum, docet cauendam eſſe in bonis operibus oſtentationem, & vanam apud homines gloriam. Secundò à verſu 7. vſque ad 16. tradit modum orandi, præſcribitque omnibus orationem Dominicam, Tertiò, verſ. 16. vſque ad 19. aſſignat modum ieiunandi, vt in eo ſatagamus ſecretò Deo placere, non hominibus. Quartò, v. 19. vſque ad 24. docet theſaurizare cæleſtia. Quintò à verſ. 24. ad finem capitis, vetat auaritiam & ſollicitudinem de victu, veſtitu, ceteriſque temporalibus, iubetque vt eam Deo reſignemus:* Quærite, *ait,* primùm regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.

1. ATtendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab
eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem Veſtrum, qui in cælis eſt.
2. Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt
in ſynagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, recepe-
runt mercedem ſuam. 3. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua
quid faciat dextera tua: 4. vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui
videt in abſcondito, reddet tibi. 5. Et cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui
amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab homini-
bus: amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. 6. Tu autem cùm oraueris,
intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater
tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. 7. Orantes autem, nolite multum lo-
qui, ſicut Ethnici, putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. 8. Nolite
ergo aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis
eum. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen
tuum. 10. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.
11. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. 12. Et dimitte nobis de-
bita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 13. Et ne nos inducas in
tentationem. Sed libera nos à malo. Amen. 14. Si enim dimiſeritis hominibus
peccata eorum: dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. 15. Si autem
non dimiſeritis hominibus: nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. 16. Cùm
autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas
vt appareant hominibus ieiunantes, Amen dico vobis, quia receperunt merce-
dem ſuam. 17. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua,
18. ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater
tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. 19. Nolite theſaurizare vobis theſauros
in terra: vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. 20. The-
ſaurizate autem vobis theſauros in cælo; vbi neque ærugo, neque tinea demolitur:
vbi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi
eſt & cor tuum. 22. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit
ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit ne-
quam: totum corpus tuum tenebroſum erit. Si ergo lumen, quod in te eſt, tene-
bræ ſunt: ipſæ tenebræ quantæ erunt? 24. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire:

aut

aut enim vnum odio habebit,& alterum diliget : aut vnum ſuſtinebit , & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. 25. Ideò dico vobis,ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nónne anima plus eſt quàm eſca:& corpus plus quàm veſtimentum ? 26. Reſpicite volatilia cæli,quoniam non ſerunt,neque metunt , neque cōgregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa.Nónne vos magis pluris eſtis illis? 27. Quis autem veſtrum cogitans poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? 28. Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis ? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt : non laborant,neque nent. 29.Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. 30. Si autem fœnum agri,quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur,Deus ſic veſtit:quantò magis vos modicæ fidei? 31.Nolite ergo ſolliciti eſſe,dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus aut quo operiemur? 32. hæc enim omnia Gentes inquirunt.Scit enim Pater veſter , quia his omnibus indigetis, 33. Quærite ergo primum regnum Dei,& iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis. 34. Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi: ſufficit diei malitia ſua.

VERS. 1. ATTENDITE, NE IVSTITIAM VESTRAM FACIATIS CORAM HOMINIBVS , VT VIDEAMINI AB EIS, ALIOQVIN MERCEDEM NON HABEBITIS APVD PATREM VESTRVM QVI IN CÆLIS EST ] Pro *iuſtitiam* nonnulli Codices Græci cum Syro, Vatablo, & alijs legunt δικαιοσύνην, id eſt, *iuſtitiam*, vt vertit Noſter:iam tamen Codices Complut. Regij , alijque legunt ἐλεημοσύνην, id eſt, *eleemoſynam*(vnde Arabicus vertit *miſericordiam* ) de qua proximè loquitur Chriſtus hæc enim καθ' ἐξοχὴν , ſiue per excellentiam commune iuſtitiæ nomen in Scriptura ſibi vendicat,vti oſtendi 2. Corinth.9. 10. & Daniel 4. 24. Vnde ſanctus Chryſoſtomus legens *iuſtitiam* per eam accipit *eleemoſynam*. Verùm melius Noſter,& alij legunt *iuſtitiam* : Chriſtus enim poſtquam cap.præcedenti ſigillatim explicuit legis præcepta quæ omnem iuſtitiam, hoc eſt, omne quod iuſtum, æquum & ſanctum eſt, purà omnia bona opera præſcribunt;nunc hoc capite docet modum ea ritè ſanctéque faciendi , ſcilicet, vt ea faciamus recta intentione & ſtudio placendi deo, non hominibus. Deinde in ſequentibus iuſtitiam hanc ſigillatim explicat per eleemoſynam, orationem & ieiunium, incipit autem ab eleemoſyna, mox verſ. 7. idem docet faciendum in oratione, & verſ. 24. in ieiunio : in his enim tribus maximè inhabitare ſolet vana gloria , ait Chryſoſtomus:alioquin enim ſi fiant ſtudio placendi hominibus , aſſerit Chriſtus illa Deo grata non fore, néc vllam ab eo mercedem promeritura.

*Iuſtitia hic quid?*

VT VIDEAMINI AB EIS] Vox,*vt*,notat intentionem & finem , non conſecutionem & ſequelam, q.d. Nolite facere opera iuſta & ſancta hac intentione & hoc fine, vt videamini & laudemini ab hominibus : hæc enim eſt vana ſui oſtentatio:non vetat ergo illa fieri publicè & eo modo, vt homines illa videant & glorificent Deum. Id enim fieri iuſſit cap. 5. 16. Vnde ſanctus Gregorius homil. 11. in Euang. *Sic*,ait,*opus ſit in publico, quatenus intentio maneat in occulto , vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum : & tamen per intentionem qua Deo ſoli placere quærimus, ſemper optemus ſecretum.*

*Vana gloria vim virtutis erodit.*

Porrò vana gloria omnem dignitatem, vim & meritum boni operis erodit , ſicut vermis hederam, Ionæ cap. 4. Si ſcilicet opus bonum ad vanam gloriam quaſi ad finem referatur ; mala enim intentio ſufficit,vt tota eius malitia in opus deriuetur , vti docent Theologi ac nominatim Gabriel Vaſquez 1.2.diſput.71.num.11. Secùs eſt,ſi Dei gloriam in opere bono intendenti tantùm ſubrepat, & quaſi ex latere comitem ſe adiungat vana gloria,vt ſint duo actus , vnus operis boni bona intentione facti, alter vanæ gloriæ ſe adiungentis,quæ priorem non inficit nec corrumpit,

ALIOQVIN MERCEDEM NON HABEBITIS APVD PATREM VESTRVM, QVI IN CÆLIS EST] q. d. Vanæ oſtentationis & gloriæ merces eſt plauſus & fauor humanus,non diuinus;qui enim hominibus placere cupit,Deo diſplicet. Deus enim,vtpote bonorum operum auctor , eorūdem vult eſſe ſcopus & finis,vt ſcilicet ad Deum Deíque gloriam ea operemur& referamus;hoc enim omne ius & fas exigit. Vnde Paulus : *Si adhuc hominibus placerem*,inquit,*Chriſti ſeruus nō eſſem.* Galat. 1.10.

Nota : Non dicit Chriſtus : *Alioquin damnabimini,* quia vana oſtentatio & gloria ſæpe eſt peccatum veniale dumtaxat , non lethiferum & damnabile, niſi in inuidiam,ambitionem, rixas,aliáque ſcelera hominem impellat , vti non rarò fit. Vnde à ſancto Chryſoſtomo hom.17.in Epiſtolam ad Romanos, vana gloria vocatur *mater gehennæ*,& à S.Bernardo ſerm.6.in Pſalmum : *Qui habitat : Subtile malum,ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex,mater hypocriſis,liuoris parens,vitiorum origo,criminum fomes,vitiorum ærugo, tinea ſanctitatis excæcatrix cordium,ex remedijs morbos creans,generans ex medicina languorem.*

*Vana gloria damna.*

QVI IN CÆLIS EST] Notat boni operis ad Deum relati mercedem eſſe cæleſtem , diuinam & æternam , cùm merces eiuſdem operis ad hominum plauſum relati ſit terrena,humana & modici temporis. Hinc ſanctus Baſilius in Conſtit. monaſt. cap. 11. vanam gloriam vocat latronem bonorum operum : *Fugiamus*, inquit, *inanem gloriam , dulcem ſpiritualium opum ſpoliatricem, iucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem, eamdemq; mellis illitu fraudis ſuæ veneni coratricem , & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem : Quod opinor ea de cauſâ facit , vt vitio ſe illi auidiùs ingurgitent , nec vllâ illius expleantur ſatietate. Dulce quid, humana imperitis gloria eſt.*



VERS. 2. CVM ERGO FACIS ELEEMOSINAM NOLI TVBA CANERE (Syrus,*ne clamaueris cornu*) ANTE TE, SICVT HYPOCRITÆ FACIVNT IN SYNAGOGIS ET IN VICIS (id eſt,in plateis, vbi eſt hominum confluxus ) VT HONORIFICENTVR AB HOMINIBVS. AMEN DICO VOBIS, RECEPERVNT MERCEDEM SVAM ] Scribæ & Phariſæi facturi eleemoſynam in publicis vicis, vel Synagogis tubicinem præmittebant, qui tuba caneret, vel ipſemet eam,aut cornu inflabant,ſpecie quidem & prætextu , vt tubæ ſonitu eliciti pauperes turmatim concurrerent ad accipiendam eleemoſynam , ſed in rei veritate ad publicam eleemoſynæ oſtentationem, vt à concurrentibus earum liberalitas videretur & celebraretur. Alludit ad conuocationem theatralem : populus enim ad comœdias in theatro ſpectandas tuba conuocatur : hypocrita enim eſt quaſi comœdus & hiſtrio.

*Hypocrita quaſi hiſtrio.*

Nota: Hopocriſim & hypocritas,qui aliud in corde intendunt , aliud exteriùs prætendunt & ſimulant , deteſtatur S.Scriptura & Prophetæ, ſed maximè Chriſtus,quia Chriſtus eſt ipſa veritas, ſimplicitas,ſinceritas : vnde odit omnem falſitatem, duplicitatem, ſimulationem; hypocritæ enim habent fictum, falſum & quaſi duplex cor, vnum in ore, alterum in corde: vnum enim dicunt , & contrarium ſentiunt , intenduntque: Sunt ergo bicordes & bilingues. Hinc ergo eſt ſpiritus aulicus & politicus contrarius Chriſto, qui os homini dedit, vt per illud cor ſuum alteri patefaciat, non vt illud celet & doloſè obtegat. Nam vt ait Ierem. c.17.9. *Prauum eſt cor omnium & inſcrutabile.* Hinc Momus optabat homini pectus feneſtratum,vt illius conſilia & arcana non ſubdolè tegi , ſed quaſi per feneſtram apertam cominùs inſpici poſſent.

*Eſt bicors & bilinguis.*

*Quàm mala ſit hypocriſis.*

Porrò hypocritæ ſimiles ſunt monſtroſis locuſtis,quas vidit S.Ioannes Apoc. c.9. hæ enim habebant faciem mulierum , ſed caudam ſcorpionum. Simili enim modo hypocritæ primò vultu blandiuntur & verbis adulantur , ſed in fine occultè aduerſantur,pungunt & feriunt. Verùm hi ipſi dum volunt alijs nocere , magis ſibi nocent. *Nihil enim opertum eſt,quod non reueletur.* Lucæ c. 12. 2. quare facilè detegitur eorum fucus,hypocriſis & fraus;quo facto confunduntur, perdunt fidem & famam,fiuntque omnibus odibiles.Quocirca Dauid Pſalm. 119.obſecrat,& ſimul diras hypocritis intentat,dicens: *Domine libera me à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Quid detur tibi,aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.* Vide Ieremiam contra hypocritas detonantem c.9. v. 3.& c.11.v.19. ac Chriſtum Matth.23.v.13.14. 15.23.25.27.29. vbi identidem *væ* damnationis Scribis comminatur , & ſepties repetit : *Væ vobis Scribæ hypocritæ* , ac contra tales iubet nos eſſe prudentes ſicut ſerpentes , ſimplices tamen ſicut colūbas. Hinc ſanctus Paulus Rom. 12.9. *Dilectio*,ait,*ſine ſimulatione.* Et Ioannes epiſt. 1. c 3.18. *Filioli mei*, inquit, *non diligamus verbo neque lingua, ſed opere & veritate.*

RECEPERVNT MERCEDEM SVAM.] *Suam*, quam ſcilicet quærebant. Rurſum *ſuam*, id eſt, ſibi ſuæque vanitati congruam, qua ſola ipſi digni ſunt,vt fugaciſſima populi aura , velut chamæleontes , vento ſe paſcant. Quàm ſtulti ſunt hi mercatores; qui cùm eleemoſyna emere poſſint cæleſtes & æternas opes, ijs neglectis , malunt mercari inanem hominum laudem hoc eſt, inania verba , quæ aërem verberant , & illicò tranſeunt.

TE AVTEM FACIENTE ELEEMOSYNAM, NESCIAT SINISTRA TVA , QVID FACIAT DEXTERA TVA ] Omiſſis varijs variorum expoſitionibus,quas hic congerit Maldonatus, dico breuiter, Senſus eſt. q.d. Adeò fuge eleemoſynæ & virtutis tuæ oſtentationem , & quantùm ad te attinet, ſecretum appete , ne ab hominibus videatur & celebretur tua virtus, vt ſi per impoſſibile ſiniſtra manus tua oculos haberet , videre tamen non poſſet quid dextera tua faciat boni, qualeſque & quantas eroget eleemoſynas , Eſt hyperbole parabolica , & parabola Syrorum hyperbolica, Similes adiuimus cap. 5. verſ. 29. Ita ſanctus Chryſoſtomus , Theophylactus & alij . Tantopere latentem & ſecretam vult eſſe eleemoſynam , vt eam non tantùm proximum, ſed & nos ipſos, quoad fieri poteſt, celemus, ne illam diutiùs vtraque manu verſemus, contemplemur, miremur, celebremus, eiuſque intuitu & laude oculos & mentem paſcamus & oblectemus.Nam,vt ait S.Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ : *Celata virtus Deo iudice gaudet.* VERS. 3.

VT SIT ELEEMOSYNA TVA IN ABSCONDITO,ET PATER TVVS (cæleſtis) QVI VIDET IN ABSCONDITO , REDDET TIBI ] Græca addunt ἐν τῷ φανερῷ , id eſt , *in manifeſto*, in propatulo. Ita Syrus, Arabicus , & ſanctus Auguſtinus, quod S. Lucas cap.14.14. explicat *in reſurrectione: Beatus eris*, inquit , *quia non habent* ( pauperes ) *retribuere tibi : retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum*, cùm Dominus, vt ait Apoſtolus 1.Corinth. 4. *illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium,& tunc laus erit vnicuique à Deo* Iuſta congruáque merces operis ſecreti eſt publica laus in iudicio. Chriſtus enim opus tuum ſecretum publicè in iudicio coram Deo , Angelis & hominibus propalabit , celebrabit & æterna gloria præmiabit, vti eleemoſynam ſancti Martini , putà dimidium chlamidis, quam ſibi abſciderat, pauperique dederat, Chriſtus ſequenti nocte ea indutus apparens ſancto Martino, coram Angelis celebrauit, dicens: *Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit.* VERS. 4.

*Secretum opus Deus publicat.*

*Exempla, S. Martini.*

Si ergo oſtentas tuam eleemoſynam, aliudve bonum opus,Deus illud abſcondit , vt nemo illud aſpiciat,miretur, recordetur : ſin tu illud abſcondis, Deus idipſum toti mundo oſtentabit, præſertim in die iudicij. Sic ſanctus Gregorius Angelo ſpecie naufragi eleemoſynam iterùm & tertiò poſcenti largam ſemper & ſecretò dans, ab eo publicum ſummùmque decus obtinere meruit. Angelus enim poſtmodum reuelauit,illum hac liberalitate meruiſſe & aſſecutum eſſe ſummum Eccleſiæ Pontificatum, vt habet eius vita.Sic Chriſtus ſpecie pauperis nudi; petens à S.Catharina Senenſi primò tunicam,mox induſium,tertiò ſubuculam, quartò manicas, cùm illa liberaliter & ſecretò omnia tribueret, ſequenti nocte

*S.Gregorij.*

*S. Catharina Senenſis.*

ri nocte eidem apparuit, oſtentans tunicam iſtam gemmis conſpicuam, ac promiſit ſe illi daturum veſtem inuiſibilem, quæ omne ab ea frigus arceret (vnde poſtmodum nullum ſenſit frigus) ac in cælis publicam & eminentem gloriam. Ita Raymundus in ejus vita.

Vers. 5.

Et cvm oratis, non eritis sicvt hypocritæ tristes qvi (legit οἱ, id eſt, *qui*, iam legunt ὅτι, id eſt, *quia*,) amant in Synagogis et in angvlis platearvm (putà in flexibus viarum, in biuijs, triuijs, quadriuijs, vbi ex duabus, tribus, quatuorve plateis confluit populi multitudo) stantes orare, vt videantvr ab hominibvs. Amen dico vobis, recepervnt mercedem svam] Stolida & impudens fuit hæc Scribarum vanitas & oſtentatio, qua captabant publicas plateas & triuia, vbi maior erat turba populi, vt coram illa ſtantes oſtentarent ſuam orationem & deuotionem, cùm potiùs in oratione quęrendus ſit locus ſecretus, in quo orans ſine diſtractione mentem colligat, vt cum ſolo Deo colloquatur. Quod ergo vulgò dicitur de triplici inani ſtudio: inane eſt ſtudium in feneſtra, in platea, apud focum, ob varias res inibi incidentes, quæ mentem à ſtudio diſtrahunt, idem multò magis dicas de oratione: Inanis eſt oratio in feneſtra, in platea, apud focum.

*An Iudæi ſtantes orarent.*

Stantes orare] Ex hoc loco & ex Marci cap. 11. 25. ac Lucæ cap. 18. 11. Ianſenius opinatur Iudæos oraſſe ſtando, non genuflectendo. Verùm dico ſacerdotes & Leuitas ſtando ſacrificaſſe Deo, & pſalmos cecinisse; populum quoque ſtando ea ſpectaſſe: ſi enim genuflexiſſet, ob interiectum inter ſe & altare ſeptum tres cubitos altum ſacrificia videre nequiuiſſet, præſertim in magna hominum turba. Rurſum, ſtabat populus, cùm concionem, aut publicam Salomonis vel alterius benedictionem audiret, & exciperet: item cum Deo pro victoria ſimilive beneficio ſolennis fieret gratiarum actio, vti nos ſtamus, cùm canitur: *Te Deum laudamus*: Sic Azarias cum ſocijs in fornace Babylonica illæſus permanens, canens; *Benedicite omnia opera Domini Domino*, ſtetit Daniel. 3. 25.

Aliàs verò Iudæi orabant genuflexi, præſertim in actu adorationis vel pœnitentiæ, cùm à Deo delictorum veniam flagitarent. Ita Salomon in dedicatione templi genuflexus orauit & adorauit: nam *vtrumque* (notent hoc Aulici & delicatuli; qui cum Iudæis vnum genu Chriſto flectunt) *genu in terram fixerat* 3. Reg. 8. 54. Daniel cap. 6. 10. ter per diem genua flectens Deum adorabat. Sic Michæas ait cap. 6. 6. *Curuabo genu Deo excelſo*. Hic enim eſt ritus adorationis apud omnes gentes. Vnde illud: *Derelinquam in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal*, id eſt, qui non adorauerunt Baal. 3. Reg. 19. 18. Hinc Deus Iſaiæ 45. 23. *Mihi*, ait, *curuabitur omne genu*, vt omnes Gentes me colant & adorent. Et 2. Paral. 29. 30. *incuruato genu*, ait, *adorauerunt*. Idem fecit Eſdras libr. 1. cap. 5. 5. quin & quinquagenarius miſſus ab Achab rege, Eliam genuflexo adorauit. 4. Reg. 1. 13. Sic & omnes genuflexi adorabant Aman, præter Mardochæum. Eſther. 3. 2. Quod ergo Scribę & Phariſæi ſtãtes orabant, ſuperbi & Phariſaici fuit ſupercilij, vt patet hîc & Luc. 18. 11. ipſi enim ſibi videbantur reliquo populo eſſe digniores & ſanctiores.

*Chriſtiani orant genuflexi.*

Porrò Chriſtiani iam inde ab initio orare ſolent genuflexi. Nam Chriſtus iturus ad mortem, genuflexus, imò proſtratus in terram orauit in horto. Matth. 26. verſ. 39. Sic & ſanctus Petrus Actor. 4. 90. & S. Ioan. Apocal. c. 19. 10. & c. 22. 8. ac ſanctus Paulus Actor. 20. 36. & Epheſ. 3. 14. *Huius rei gratia*, inquit, *flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Chriſtiani ergo orãt genuflexi omnibus ferijs & diebus, idque ad memoriam lapſus Adæ & omnium poſterorum eius, exceptis Dominicis & tempore Paſchali, quando ſtantes orant in honorem & repræſentationem reſurrectionis Chriſti, vt docet ſanctus Iuſtinus qu. 115. *Vnde*, inquit, *talis in Eccleſia conſuetudo? quia vtriuſque nos oportuit iugẽ obtinere memoriam, & ipſius per peccatum lapſus noſtri, & gratiæ Chriſti noſtri, per quam à lapſu reſurreximus: ea propter genuum per ſex dies inclinatio, ſymbolum & nota eſt lapſus per peccata noſtra. Quòd verò die Dominico genua non flectimus, ſignum eſt & deſignatio reſurrectionis, per quam gratia Chriſti & à peccatis & à morte, quæ ab illo interfecta eſt, liberati ſumus.* A temporibus autem Apoſtolorum hanc conſuetudinem cœpiſſe, docet S. Irenæus lib. de Paſchate. Eamdem conſuetudinem inculcat Tertullianus libr. de Corona militis c. 3.

Vers. 6.

Tv avtem cvm oraveris, intra in cvbicvlvm (Græcè ταμεῖον, id eſt in locum ſecretum, in quo quis ſe vel ſua recondit, vti eſt penus, conclaue, cubiculum, Vatabl. vertit *cellam*) tvvm, et clavso ostio, ora Patrem tvvm in abscondito, et pater tvvs, qvi videt in abscondito reddet tibi] Græca rurſum addũt ἐν τῷ φανερῷ, id eſt, *in manifeſto*, ſiue in propatulo. S. Auguſtinus, S. Hieronymus & S. Ambroſius lib. de Cain & Abel cap. 9. per cubiculum accipiunt cor & mentem, eiuſque ſecretũ, quaſi hoc orantem ingredi & claudere oporteat, ne diſtractiones irrepant, quæ mentem à Deo auocent: Aut vt ſanctus Hieronymus: *Claude oſtium*, id eſt, claude labia tua & ſecretò in mẽte ora, vti faciebat Anna mater Samuelis 1. Reg. 1. 13. Audi ſanctum Ambroſium loco iam citato: *Saluator ait, intra in cubiculum, non incluſum parietibus, quo tua membra claudantur, ſed cubiculum, quod intra te eſt, quo includuntur cogitationes tuæ, in quo verſantur ſenſus tui. Hoc orationis cubiculum vbique tecũ eſt, & vbique ſecretum eſt, cuius arbiter nullus eſt, niſi ſolus Deus*, qui, vt ait Cyprianus tract. de oratione, *non vocis, ſed cordis auditor eſt*. Vnde in oratione ſumma requiritur attentio, vt excluſis omnibus cogitationibus de ſolo Deo cogitemus, cum eoque reuerenter & ardenter colloquamur. Vnde poſt multa ſubdit ſanctus Cyprianus: *Quæ autem ſegnitia eſt alienari, & capi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo audiri te à Deo poſtulas, cùm te ipſe non audias? vis eſſe Deum memorem tui, cùm rogas, quando tu ipſe memor tui non ſis.* Huc facit dictum ſancti Franciſci: *Corpus eſt cella, & anima eſt eremita, quæ moratur in cella vbicumque ſit, etiam inter homines, ad orandum Dominum & meditandum de ipſo.*

*Cor eſt cella animæ.*





Ita refert Lucas Waddingus in Annalibus Minorum anno Chriſti 1216. nu. 5. Aliam cauſam dat Caſſianus collat. 9. cap. 34. Orandum, inquit, in ſilentio, vt inimicos noſtros (dæmones) lateat petitionis noſtræ intentio, nec eam impediant.

Hic ſenſus verus & appoſitus eſt, ſed ſymbolicus potiùs & myſticus, quàm literalis, nil enim vetat cubiculum hîc propriè, vt ſonat, accipi: per cubiculum autem à pari quemuis locum ſecretum ſignificat: ſed intellige quantum opus eſt, & attinet ad vanam gloriam & oſtentationem vitandam, atque ad mentem colligendam, vt tota vni Deo intendat, præſertim in oratione priuata. Audi S. Cyprianum tract. de Oratione: *Secretò nos orare præcepit in abditis & ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quòd magis conuenit fidei, vt ſciamus Deum vbique eſſe præſentem, audire omnes & videre, & maieſtatis ſuæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, ſicut ſcriptum eſt: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo.* Ierem. 23. Non ergo damnat hîc Chriſtus publicam in Eccleſia orationem, quæ communi Iudæorum & Chriſtianorum vſu laudabiliter recepta eſt, vt patet 3. Reg. 8. 29. Actor. 1. 24. & cap. 6. verſ. 6. Primò enim, publicâ oratione publicè colitur & honoratur Deus. Secundò, in ea quiſque ad orationem aliorum exemplo magis excitatur & accenditur. Tertiò, in ea quaſi iunctis animis & precibus vim Deo facimus, & impetramus quod petimus. Vnde Tertullianus in Apolog. cap. 30. ſic ait: *Illuc* (in cælum) *ſuſpicientes. Chriſtiani manibus expanſis, quia innocui, capite nudo, quia non erubeſcimus* (Iudæi enim præſertim ſacerdotes orabant tecto capite, vt dixi in Pentateucho; noſtri quoque in China, dum Miſſam celebrant, tegunt caput ex indulto Pauli V. Pontificis, quia apud Sinas turpe eſt & dedecus nudare caput) *Denique ſine monitore, quia de pectore oramus, precantes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus.* Et rurſum: *Quaſi manu factâ oramus, hæc vis Deo grata eſt.* Plura eaque pulchra hac de re habet S. Chryſoſtomus hom. 3. de Incomprehenſibili Dei natura. Et Origenes hom. 7. in Ioſue. Denique templum eſt proprius orandi locus, in quo omnes & ſinguli ſecretò Deum orant, perinde ac ſi orarent in cubiculo.

*Eccleſia orat publicè: Cur? Reſp. Primò.*
*Secundo Tertio.*
*Caput nudare apud Sinas inhoneſtum.*
*Quarto.*

*Hæreſis cubicularia.*

Ridicula ergo eſt hæreſis ex hoc loco malè intellecto nuper in Hollandia exorta, à quodam nouatore, qui reijcit omnia templa, & tantùm in cubiculo agit ſuas ſuæ ſectæ ſynaxes. Quin & Caluiniſtæ, dum ante prandium menſæ benedicitur, pileo os contegunt, vt ſecretò orẽt: ſed pileus non eſt cubiculum, de quo hîc Chriſtus: atque magis orthodoxi ſub facie orant ſecretò in mente & cubiculo cordis, vt paulò antè ex S. Ambroſio dixi.

Reddet tibi] Græca Syrus & Arabicus addunt, *in publico*, q. d. Si ores in ſecreto, Deus publicam tibi rependet deuotæ orationis mercedem, præſertim in die iudicij. Vnde contra Caluinum diſce hinc orationis meritum & mercedem. Audi ſanctum Chryſoſtomum: *Si ergo ſic oras, plurimam profectò accipies mercedem. Non, ait, donabit tibi, ſed reddet, inquit: debitorem quippe ſe tibi conſtituit.*

Vers. 7.

Orantes avtem nolite mvltvm loqvi, sicvt Ethnici: pvtant enim qvod in mvltiloqvio svo exavdiantvr] Hoc eſt, propter multiloquium (ponitur ἐν pro διὰ more Hebræo) vel vt Græcè eſt propter *battologiam*, id eſt, nugacitatem & futilem verborum profuſionem & repetitionem, quaſi hac ſuâ Rhetoricâ Deum de rebus ſuis informaturi & docturi, ſimulque flexuri, vt concedat quod poſtulant: ſicut Rhetores ſuâ phaleratâ oratione informant, flectuntque iudices, vt reum abſoluant.

*Pius affectus eſt anima orationis.*

Docet ergo hîc Chriſtus orationis eſſentiam non eſſe ſitam in verbis ore prolatis & profuſis, ſed in colloquio mentis cum Deo, cuius cauſa & quaſi anima ſit deſiderium, & pius animi affectus: quam tamen non negat verbis poſſe exprimi & foueri, tum vt ſicut corde interiùs, ſic & exteriùs ore & linguâ Deum laudemus: tum vt voce mentis affectus excitetur, acuatur, & continuetur. Diſputat de Oratione fusè S. Auguſtinus epiſt. 121. ad Probam, quæ inſcribitur *de Orando Deum*: Ianſenius hîc cap. 41. accuratè tradit modum orandi, æquè ac orationis vtilitates.

Vers. 8.

Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester, qvid opvs sit vobis, antequam petatis evm] q. d. Ethnici putant Deum ignorare, vel certè non conſiderare, nec æſtimare ſuas miſerias & egeſtates, à quibus, vt liberentur, Deum orant: vtuntur ergo multis verbis, vt eas ipſi enarrent, quaſi eum de illis docturi. At errant: ſcit enim Deus, conſiderat & æſtimat illas magis, quàm ipſi, qui orant. Vult tamẽ orari & ſæpè non niſi rogatus ſuccurrit, vt homines ſuas miſerias ęquè ac Dei miſerationes agnoſcant: ſciantque ſe non ſuo merito, ſed Dei dono & gratia ab ijs liberari. Addit ſanctus Auguſtinus epiſt. 121. cap. 8. *Deum velle exerceri in orationibus deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere quod præparat dare. Illud enim valdè magnum eſt, ſed nos ad accipiendum parui & anguſti ſumus.* Et paulò pòſt: *Tantò quippe illud, quod valdè magnum eſt, quod nec oculus vidit, quia non eſt color; nec auris audiuit, quia non eſt ſonus; nec in cor hominis aſcendit, quia cor hominis illuc debet aſcendere; ſumemus capaciùs, quantò id & fideliùs credimus, & ſperamus firmiùs, & deſideramus ardentiùs.*

Vers. 9. Luc. 11. 2.

Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qvi es in cælis] Tradit hîc Chriſtus Chriſtianis modum orandi, non tamen præcipit, vt hiſce omnino verbis oremus, ſed tantùm docet res quæ à Deo petendæ ſunt, & quo ordine, qualique verborum breuitate petendæ ſint. Meritò tamen Eccleſia ipſis etiam Chriſti verbis vtitur, vtpote diuinis, breuiſſimis, clariſſimis & efficaciſſimis. Vnde S. Cyprianus tract. de Orat. Dominica: *Quæ*, inquit, *vera magis apud Patrem precatio, quàm quæ à Filio, qui eſt veritas, de ore eius prolata eſt?* Et mox: *Agnoſcat Pater Filij ſui verba, cũ precem facimus, qui habitat intùs in pectore, ipſe ſit & in voce. Et cùm ipſum habeamus apud Patrẽ aduocatum pro peccatis noſtris, quando peccatores pro delictis noſtris petimus, aduocati noſtri verba promamus. Nam cum dicat, quia quodcumque petierimus à Patre in nomine eius, dabit nobis; quantò efficaciùs impetramus, quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione?*

*Breuiariũ vnde dictũ.* Nota. Hæc oratio Dominica omnes res à Deo petendas complectitur: vnde Tertullianus lib. de Orat. c. 1. & eum ſecutus S. Cyprianus lib. de Oratione, illam vocant *Euangelij breuiarium*; ſicut officium Eccleſiaſticum, quod ſacerdotes quotidie recitant, eſt totius S. Scripturæ compendium, ideóque vulgò vocatur *Breuiarium.*

Porrò S. Auguſtinus epiſt. 121. & lib. 2. de Verbis Domini in monte, ac poſt eum Theologi hanc orationem diſtinguunt in ſeptem petitiones, quarum tres primæ ſpectant honorem Dei, reliquæ quatuor vtilitatem noſtram. Primò enim ante omnia nobis quærendus eſt honor Dei: hic enim eſt finis noſter (æquè ac creaturarum omnium) ſimulque inuoluit beatitudinem noſtram, & media ad illam conſequendam neceſſaria vel opportuna.

PATER NOSTER] *Appellatio iſta & pietatis & poteſtatis eſt*, ait Tertullianus lib. de Orat. Per *Patrem* S. Cyprianus, Chryſoſtomus & Rupertus accipiunt primam S. Trinitatis perſonam: ad hãc enim velut S. Trinitatis principium, Eccleſia in Miſſa pleraſque orationes ſiue collectas dirigit, ab eaque per merita Filij exaudiri poſtulat dicẽs: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum*, &c. Meliùs alij accipiunt totam S. Trinitatem ſiue Deum, quia omnes tres perſonæ æquè ad extra omnia operantur, ideóque omnes æquè ſunt

*Deus eſt pater quintupliciter.* inuocandæ. Porrò Deus eſt *Pater noſter*; primò creatione, quâ nos ex nihilo ad ſui ſimilitudinẽ homines rationales & liberos creauit; ſecũdò redemptione, quâ nos per Chriſti mortem à morte & gehennâ redemit: tertiò regeneratione; quâ nos in baptiſmo peccato mortuos in nouam vitam regenerauit: quartò adoptione, quâ nos ſibi in filios per gratiam adoptauit: quintò vocatione, quâ nos ad cæleſtem hereditatem vocauit, ſuóſq; heredes inſtituit. Voce ergo *Pater* admonemur omnium Dei beneficiorum eorumq; maximorum, ac conſequenter ſummæ reuerentiæ, fiduciæ & charitatis, quam Deo debemus, vt illi quaſi Patri placere ſatagamus. Quid enim filio charius eſſe poteſt, quàm pater, aut cui magis is placere ſtudeat, quàm patri? Rurſum quid non ſperet filius à patre? *Patris nomine*, ait S. Auguſtinus, *charitas excitatur (quid enim charius filijs, quàm pater?) & ſupplex affectus, & quædam impetrãdi præſumptio: quid enim non det filijs, qui dedit, vt filij eſſent?* ac ſignificatur, vt ait Chryſoſtomus, peccatorum remiſſio, adoptio, hereditas, fraternitas ad Chriſtum, & ſpiritus largitio. Notat S. Cyprianus tract. de Orat. Dominica, miram Dei dignationem, qui nos iubet orare ſic, vt *Deum patrem vocemus, & vt eſt Chriſtus Dei filius, ſic & nos Dei filios nuncupemus, quibus æternitas repromittitur.* Vnde colligit: *Meminiſſe debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & de nobis. Conuerſemur quaſi Dei templa, vt Deum in nobis conſtet habitare. Nec ſit degener actus noſter à ſpiritu, vt qui cæleſtes & ſpiritales eſſe cœpimus, non niſi ſpiritalia & cæleſtia cogitemus & agamus.*

*Noſter. Cur?* NOSTER] Non dicit Chriſtus: *Pater mi.* Hoc enim Chriſto eſt proprium, qui vnicus eſt Dei Patris filius per naturam, ait Gloſſa, ſed *Pater noſter*, quia omnes alloquitur, vt doceat Deum eſſe patrem omnium, ac conſequenter omnes nos eſſe fratres, ideóque inuicem amare, & pro inuicem orare debere, non pro ſe ſolo. *Sic*, ait S. Cyprianus tract. de Oratione, *orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipſe portauit.* Et auctor imperfecti: *Dulcior eſt ante Deum oratio, non quàm neceſſitas rei tranſmittit, ſed quam charitas fraternitatis commendat.* Addit aliam cauſam aliudq; commodum S. Ambroſius lib. de Cain. cap. 9. *Nunc*, inquit, *quia ſinguli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro ſingulis*, &c. *Ita magna remuneratio eſt, vt orationibus ſingulorum acquirantur ſingulis totius plebis ſuffragia.* q. d. Voluit Chriſtus ſingulos orare pro omnibus, vt omnes orent pro ſingulis, vt ſic quiſque non ſuas dumtaxat, ſed omniũ preces lucretur, ſibique aſciſcat, quod ſanè magnum eſt ſpiritale fœnus & vſura.

QVI ES IN CÆLIS] quaſi dicat: Qui dominaris in cælis, indeque totum orbem ad nutum moderaris & gubernas. Significat ergo hæc vox: Primò ſummam Dei potentiam & dominium, vt omnia, quæ petimus, præſtare poſſit & velit tamquam Pater noſter, vti optimus, ſic & maximus. Secundò, ſignificat hereditatem noſtram, quam ex hac filiatione à Deo Patre ſperamus eſſe cæleſtem, non terrenam. Tertiò, monet, vt orans mentem transferat à terrenis ad cæleſtia, vbi Deus gloriam ſuam oſtendit Angelis & beatis. Ita S. Chryſoſtomus. Hinc orantes conuertimur ad Orientem, vnde cælum ſurgit, ait S. Auguſtinus, vt admoneantur omnes ſe ad Deum conuertere. Quartò, innuit oranti non alia eſſe petenda, quàm quæ ad cælum conducunt: cetera enim vana ſunt, nec niſi fumus & vmbra.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM] Primò S. Cyprianus, & S. Ambroſius exponunt. q. d. Sanctificatio Dei, quam in baptiſmo accepimus, in nobis permaneat: opus eſt enim nobis, ait Cyprianus, ſanctificatione quotidianâ, *vt qui quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſſiduâ repurgemus.* Secundò, Tertullianus ſic. q. d. Sanctos fac homines. Verùm hoc ſenſu hæc prima petitio eſſet eadem cum ſecunda: *Adueniat regnum tuum.* Tertiò ergo meliùs S. Auguſtinus; Chryſoſtomus, & alij explicant. q. d. Da Domine non vt idolorum, vel dæmonum, vel Mahometis, vel Arrij, Lutheri, Caluini, &c. ſed tuum nomen ſanctum habeatur ab hominibus.

*Nomẽ Dei triplex.* Porrò nomen hîc propriè accipi poteſt, & figuratè pro re nominata: Idque primò pro ipſa deitate & Deo, quaſi dicat: Sanctificetur nomen tuum, id eſt, ſanctificeris tu, ô Domine Deus noſter. Secundò, pro fama & gloria Dei; hanc enim petimus ab omnibus celebrari. Tertiò, pro Dei attributis, vt omnipotentia, iuſtitia, ſapientia, miſericordia, &c. ob quæ Deus nominatur & colitur omnipotens, ſummè iuſtus, ſapiens, miſericors, &c. Senſus ergo eſt. q. d. Fac Domine, vt homines cognoſcant, colant, ſanctificent tuum nomen, id eſt, teipſum, ſiue Deũ in eſſentia vnum, & in perſonis trinum, ac tuam famam & gloriam, tuamque omnipotẽtiam, iuſtitiam, ſapientiam, miſericordiam, ceteraque attributa; nec quidquam ijs ſanctius, id eſt auguſtius, integrius, diuinius, ac proinde nihil magis reuerendum, colendum, glorificandum æſtiment, ideoque illa perpetuò tum mente, tum lingua, tum vita & moribus celebrent & glorificẽt, non





tantùm Chriſtiani; ſed & pagani, Iudæi, hæretici per veram de te fidem, veramque tui religionẽ, amorem, latriam & cultum, vt ſcilicet ad illum ipſos conuertas.

*Sanctitas Dei, quid?* Nota: Sanctitas Dei eſt ſacratiſſima Dei maieſtas, integritas, perfectio, diuinitas: item puritas, liberalitas, fidelitas, bonitas, ceteraque diuina attributa, quam videntes & intuentes Seraphini, quaſi in extaſin rapti, ita admirantur & obſtupeſcunt, vt iugiter non canant aliud, quam *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena eſt omnis terra gloriâ eius*: Iſaiæ 6. Vide ibi dicta. Et Pſaltes: *Gloria*, ait, *& diuitiæ in domo eius.* Pſal. 111. v. 3. & Pſal. 3. verſ. 6. *Sanctimonia & magnificentia in ſanctificatione eius.* Et Pſal. 144. v. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis*, &c. *magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua enarrabunt.* Hinc B. Virgo, cùm Dei ſanctitatem, imò Verbum æternum mente vteroque ſuo concepiſſet, ſtupens iubilanſque exclamauit: *Magnificat anima mea Dominum*, &c. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.*

SANCTIFICETVR ergo NOMEN TVVM] Id eſt, ſanctitas tua, ô Domine: tua, inquam, ſancta maieſtas, deitas, omnipotentia, iuſtitia, clementia, &c. celebretur & glorificetur ab omnibus; quo indirectè & conſequenter petimus omnium hominum ſanctificationem. Quare dum dicimus *Sanctificetur nomen tuum*, tam Dei, quàm noſtram ſanctificationem flagitamus. Deum enim in ſe ſanctificare nequimus, imò nec gloriam eius internam & immenſam (quâ immensâ laude Pater glorificat Filium, & Filius Patrem, ac vtrumque Spiritus ſanctus, & hi viciſſim Spiritum ſanctum) augere, nec Deo quidquam addere. Sed dum Deum ſanctificamus, nobis ipſis ſanctitas accedit & accreſcit, putà ſancta fides, ſancta charitas, ſancta religio, ſanctus Dei cultus, &c. per quæ nos ipſi ſanctificamur intrinſecè, & ſanctificamus Deum extrinſecè, quia per ſanctitatem noſtram Dei ſanctitas apud homines laudatur

*Modus duplex ſanctificandi Deũ infinitè. Prior.* & celebratur. Denique omnis noſtra ſanctificatio Dei finita & exilis eſt: diſce ergo modum ſanctificandi Deum infinitè eſſe duplicem Prior eſt dicẽdo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Hoc eſt attribuo Deo gloriam ipſi commenſam & infinitam, quam habuit à principio, hoc eſt, ab æterno, qua ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus iugiter ſe inuicem diuinâ

*Poſterior.* & infinitâ laude glorificant. Poſterior eſt, quâ Deo offerimus Chriſtum crucifixum in Miſſa: Chriſtus enim, quia Deus & homo, eſt victima diuina, ac Deo commenſa & infinita. Itera & frequenta vtramque hanc praxim, vt Deum ſanctifices quantum meretur, & quantum dignus eſt ſanctificari & glorificari.

*Vers. 10. Luc. 11. 2.* ADVENIAT REGNVM TVVM] Hæc eſt ſecunda petitio orationis Dominicæ, quâ Deo poſtulamus regnum, ſicut primâ eidem poſtulauimus nominis ſanctificationem; quia per hoc regnum ſanctificatur & glorificatur Dei nomen.

*Quadruplex Dei regnum. Primum.* Porrò quadruplex eſt Dei regnum. Primum eſt Dominium Dei in omnes omnino creaturas, de quo Pſal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorũ: & dominatio tua in omni generatione & generationem.*

*Secundum.* Secundum regnum Dei eſt myſticũ, quo per fidem & gratiam regnat in animis fidelium & ſanctorum: ac tale regnũ hîc nos poſcere cenſent, vt diabolus in mundo regnare deſiſtat, nec peccatum regnet in noſtro mortali corpore. Ita S. Hieron. Ambroſius, & Euthymius. Audi S. Ambroſium lib. 6. de Sacram. c. 5. *Poſtulatio, vt in nobis ſit regnum Chriſti. Si Deus in nobis regnat, locum habere aduerſarius non poteſt, culpa non regnat, peccatũ non regnat, ſed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat deuotio.*

*Tertium.* Tertium Dei regnum eſt in cælo, quo feliciter per gloriam regnat in beatis: ac illud hîc intelligunt Tertullianus, & S. Cyprianus tract. de Orat. Dominica: *Vt Chriſto*, inquit, *dominante regnemus, qui antè ſæculo ſeruiuimus.* *Benè autẽ* ait S. Cyprianus, *regnum Dei petimus, id eſt, regnum cæleſte, quia eſt & terreſtre regnum. Sed qui renũtiauit iã ſæculo, maior eſt & honoribus eius, & regno; & ideò qui ſe Deo & Chriſto dedicat, non terrena, ſed cæleſtia regna deſiderat.*

*Quartum.* Quartum Dei regnum pleniſſimum & perfectiſſimum eſt, quo deuicto & deſtructo prorſus diaboli regno, peccato & morte, Deus ſolus perfectè tam amicis ſuis, ſcilicet Sanctis, quàm inimicis, id eſt, impijs & reprobis dominabitur, quod fiet in reſurrectione & die iudicij, durabitque in omnem æternitatem, de quo 1. Corint. 15. verſ. 28. Ita S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus; tunc enim tolletur omnis poteſtas dæmonum & hominum impiorum, qui nunc in mundo dominantur, Deumque & Dei ſeruos perſequuntur & impugnant, idque hîc optimè intelligitur & petitur: nam, vt dixi, hæ tres primæ petitiones per ſe & directè tantũ Dei honorem ſpectant, & non noſtram gloriã, niſi conſequenter. Non eſt ergo ſenſus. q. d. Regna tu Domine in cordibus noſtris per gratiam, aut fac nos regnare cum beatis in cælo; hoc enim ad nos propriè pertinet, non ad Deum ſed q. d. Precamur, ô Domine, vt tu abſolutè & ſine aduerſario regnes, vt ſcilicet omnes omninò creaturæ & homines tibi ſubſternantur, itaque tu glorioſè in pijs regnes per gratiam & gloriam, in impijs per iuſtitiam & vindictam æternam. Inde tamen conſequenter poſtulamus nobis, vt citò ex hoc mundo, velut è graui peregrinatione & periculoſa militia, transferamur ad regnum gloriæ & felicitatis æternæ, vt cum Chriſto & Sanctis eius in æternum regnemus. Tunc enim Deus plenè regnabit in nobis, & nos in Deo, iuxta illud Apoc. 5. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Et Sap. 5. *Ideò accipient* (iuſti) *regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua teget eos, & in brachio ſuo defendet illos.* Tunc enim *Deus erit omnia in omnibus.* 1. Corinth. 15. v. 28.

FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN CÆLO ET IN TERRA] Hæc eſt tertia petitio, licet Tertullianus, lib. de Orat. eam ponat ſecundam; tertiam verò illam, quæ præceſſit: *adueniat regnum tuum.* Spectat & hæc Deum Deique regnum, quia quò magis fit voluntas Dei, eo magis propagatur Dei regnum, dum plures illi ſe voluntariè ſubijciunt. Magnus enim Dei honor, magnũ Dei dominium & regnum eſt, vt omnes & omnia eius voluntati ſubſternantur, vtque illa in omnibus compleatur. Porrò duplex eſt volun-

tas, Dei ſcilicet, *beneplaciti* & *ſignij* ſiue *abſoluta* & *optatiua.* Volũtas beneplaciti in Deo eſt illa, quâ Deus abſolutè vult aliquid fieri, quę ſemper impletur, & quam nulla vis impedire, aut ſiſtere vel retardare poteſt, iuxta illud Pſ. 113. *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra.* Et illud Iſaiæ 46. *Omne conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et illud Eſther. 13. *Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati.* In hac ergo nobis acquieſcendum eſt, vel congaudendo, vel tolerando aduerſa, quæ nobis immittit.

*Voluntas beneplaciti in Deo.*

Voluntas ſigni eſt, quâ Deus ſignificat quid velit à nobis fieri per ſuas leges & pręcepta, quę nobis imponit. De hac ſecunda volũtate omnes Patres intelligunt hanc petitionem. Non ergo eſt hîc ſermo propriè de voluntate efficaci & beneplaciti, hæc enim non poteſt non impleri, ſed de voluntate Dei optatiua & imperatiua, quæ à Theologis ſigni dicitur. Senſus ergo eſt, q. d. Da Domine nobis tuam copioſam & efficacem gratiam, quâ ita alacriter, integrè & concorditer per omnia tam in agẽdo, quàm in patiendo tuis iuſſis & deſiderijs obediant homines, ſicut Angeli ijſdem in cælo obediunt. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hîc, & S. Auguſtinus lib. 2. de Serm. Domini in monte. Alludere videtur Chriſtus ad illud Pſ. 102. v. 20. & 21. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potẽtes virtute, facientes verbũ illius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius qui facitis voluntatem eius.* Angelorũ ergo promptitudinem, celeritatem, efficaciam perfectionem in implenda Dei voluntate imitari debemus, vt illã veneremur & honoremus, ac conſequenter nobis ipſis benefaciamus. Nã, vt ait Apoſtolus 1. Theſſ. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Et Chriſtus Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ille meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Audi S. Cyprianum tract. de Orat. Dominica: *Volũtas Dei eſt, quam Chriſtus & fecit & docuit: humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriã facere non noſſe, & factã poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater eſt, timere quod Deus eſt, Chriſto nihil omnino præponere quia nec nobis quidquam ille præpoſuit: charitati eius inſeparabiliter adhærere, cruci eius fortiter ac fidenter aſſiſtere: quãdo de eius nomine & honore certamen eſt exhibere in ſermone conſtantiã, quâ confitemur: in quæſtione fiduciã, quâ congredimur: in morte patientiam quâ corónamur; hoc eſt, coheredem Chriſti eſſe velle; hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt, voluntatem Patris adimplere.*

*Voluntas ſigni. quæ.*

Nota primò: Voluntas optatiua Dei, quæ *ſigni* dicitur, duplex eſt, vna *præcipiens*, quâ aliquid fieri iubet aut vetat: hanc ſemper implere tenemur: altera *ſuadens* & *conſulens*, quâ conſulit paupertatem ſpiritus, virginitatem, ſtatum perfectionis, &c. hanc non tenemur implere: nam poſſumus nolle ob aliquam cauſam particularẽ honeſtam; verbi gratiâ, infirmitatem, tentationem, obligationem ſuccurrendi parentibus vel reipublicæ, id quod Deus in genere conſulit. Ratio eſt, quia Deus id quod conſulit, neque abſolutâ voluntate vult, neque etiam me vult ad hoc obligare; vnde non teneor illud implere; ſecus eſt in voluntate Dei præcipiente.

*Volũtas ſigni duplex, præcipiens & cõſulens.*

Nota ſecundò: Voluntas noſtra debet eſſe cõformis voluntati diuinæ primò effectiuè, quia vt voluntas noſtra ſit bona, debet velle, id quod eã velle vult Deus, putà, vt velit id, quod lex Dei vult eam velle & facere. Noſtra enim voluntas ſubijcere ſe debet legi & voluntati diuinæ, tamquam omnium creatrici & imperatrici.

Secundò obiectiuè: Debet enim voluntas noſtra conſentire diuinæ in obiecto formali, ſiue in ratione volendi. Vt enim ſit recta, debet velle id, quod honeſtum eſt ac conforme rectæ rationi; ideoq; voluntati diuinæ. Hęc enim vult omne honeſtum & id, quod recta ratio faciendum dictat. Lex enim æterna, quæ eſt in mente & voluntate Dei, eſt norma & regula omnis honeſti, omniſque virtutis, quam recta ratio dictat.

*Voluntas noſtra debet eſſe conformis in obiecto formali.*

Tertiò: Voluntas noſtra, vt ſit bona, non debet ſeſe conformare diuinæ in obiecto ſiue volito materiali, etiam cognito. Patet hoc exemplis S. Scripturæ: Deus enim volebat Sodomam ſubuertere; & Abraham, quantum in ſe erat, hoc nolebat: vnde Dominum rogauit, ne id faceret. Deus volebat infantem, quem ſibi ceperat Dauid ex adulterio mori, Dauid autẽ de hoc vehementer dolebat. Deus nolebat Chriſtũ venire in carnem ante quatuor millia annorum euoluta; Prophetæ autem deſiderabant eum venire citiùs: volebat gentem Iudaicam deſerere, & ſuam beneficentiam conuertere ad gentes; ſed Paulus ita de hoc dolebat, vt vellet eſſe anathema à Chriſto. Denique hoc adeò verũ eſt, vt Deus poſſit mihi præcipere, vt velim aliquid, quod tamen ipſe nõ vult, ſicut præcepit Abraham, vt vellet interficere filium, quem tamen ipſe nolebat interfici. Ratio eſt, quia id quod Deus vult, poteſt homini eſſe incommodum & detrimentoſum: aliud enim Deo, aliud homini congruit, vt ait Auguſtinus, Enchir. 101. vnde quatenus eſt incommodum, poteſt homo illud nolle, & de eo dolere, & hæc affectio erit conſentanea diuinę voluntati in generali ratione volendi, quæ eſt ratio honeſti. Charitas enim & pietas dictant honeſtum eſſe, vt noſtram noſtrorumque ſalutem deſideremus, & quoad poſſumus, procuremus: quòd ſi deinde videamus nihilominus Dei voluntatem abſolutam eſſe, vt contrarium fiat, illi repugnare non debemus, nec ei obmurmurare, ſed potiùs ei humiliter nos ſubijcere, in eaque conquieſcere, ac dicere cum Chriſto in horto: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Prior ergo voluntas noſtra diſſonans à voluntate Dei in volito materiali, velleitas potiùs eſt, quàm abſoluta voluntas: vnde in ea vel explicitè vel implicitè addenda eſt hæc conditio, ſi id placeat Deo, aut ſi id permittat diuina voluntas; aut q. d. Vellem Deum velle hoc, quod mihi meiſque commodum eſt, ſi id ei placeret. Nam ſi is abſolutè id nolit in eius voluntate æquiſſima & ſanctiſſima conquieſcendum eſt.

*Non in materiali.*

*Ratio*

Hinc vlteriùs ſequitur, non teneri nos, vt ea velimus, quæ ex ſola Dei permiſſione eueniunt, imò quædam neque poſſe nos velle, vt ſunt peccata, quia etiam Deus hæc nullo modo vult: alia verò quæ peccata non ſunt, non tenemur velle, ſed toto affectu poſſumus deſiderare, vt nõ eueniant; & quantum in nobis eſt, amoliri; vt ſunt cædes, euerſiones vrbium, violationes virginum, quæ pati peccatum non eſt, & à Deo non ſunt

*Nec in permiſſione malorum.*





abſolutè decreta, ſaltem ante præuiſionem cauſarum ſecundarum. Sanctius tamen videtur in his quoque dicere cum Pſalte: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Quare melius eſt vt plurimum, conſiderare iuſto Dei iudicio ea permitti ad Dei gloriam, & acquieſcere in diuina ordinatione, quàm de eis multùm dolendo ſe vexare, quia hoc iuuat ad patienter ferenda quælibet mala præſertim cùm non ſemper conſtet, an illa ſit voluntas permittens, an ordinans & decretoria, licèt negandum etiam non ſit, diſplicentiam quamdam iſtorum effectuum, & ipſi naturæ & pietati & charitati eſſe conſentaneam; ſolùm adhibendus eſt modus.

Poſſumus ergo illa nolle, quatenus ex eis tot mala ſequuntur: poſſumus etiam illa velle, quatenus Deus ea vult fieri ad iuſtam ſcelerum caſtigationem. Hæc enim eſt Dei voluntas abſoluta, quæ beneplaciti dicitur, cui in bonis congaudendo & congratulando conſentire debemus; in malis tolerando, & non obmurmurando, ſed humiliter Dei flagella excipiendo, vt cùm Deus nos peſte, fame, bello caſtigat. Vnde Maldonatus: Petimus, ait, vt voluntas Dei fiat à nobis, ſed etiam in nobis: maioris enim momenti eſt, voluntatem etiam minimam Dei impleri, quàm omne bonum creaturæ, quà eſt creatura. Et S. Cyprianus tract. de Mortalitate, cùm hortaretur populum, vt æquo animo ferret mortalitatem, quæ tunc in illa prouincia graſſabatur: *Meminiſſe,* inquit, *debemus voluntatem nos non noſtram, ſed Dei facere debere, ſecundùm quod nos Dominus quotidie iuſſit orare.*

Sic Actor. 21. cùm diſcipuli non poſſent retinere S. Paulum, ne pergeret Hieroſolymam, vbi vinciendus erat, dixerunt: *Voluntas Domini fiat,* quia, vt ait S. Auguſt. ſer. 109. de Tempore: *Mẽtem ſuam ſublimi & diuino ſtatuto deuotiſſimè ſubdiderunt.* Sic S. Maria Oigniacenſis, cùm audiuiſſet à Deo matrem ſuam ob bona iniuſtè poſſeſſa eſſe damnatam ad gehennam, dixit: *Fiat voluntas Dei,* fiat quod Deus iuſtè decreuit, vti refert Iacobus Cardinalis de Vitriaco in eius vita, quæ extat apud Surium tom. 3.

Memorabile eſt quod in vita S. Chriſtinæ Mirabilis (apud Surium ante diem 24. Iunij) cap. 20. legimus, ea die, quâ à Saladino & Saracenis capta eſt Ieruſalem, Chriſtique crux & ſepulchrum, ipſam in Belgio degentem Deo reuelante id cognouiſſe, ideoque non contriſtatam, ſed exultaſſe in ſpiritu, cauſamque rogatam hanc dediſſe: *Chriſtus pro illata ipſi contumelia dignum cenſuit, vt terra illa hac ignominia afficiatur, quamuis ipſius paſſione ſanctificata, attamen in fine mundi cum ipſo reditura: quando illius recuperandæ causâ animæ ſemper victuræ, eiuſque ſanguine redemptæ, ab iniquitate ad iuſtitiæ ſtudium conuertentur, fundentq; homines ſanguinem ſuum, & quamdam morti Saluatoris vicem cum multa deuotione rependent.* Sic cùm videmus vrbes capi à Turcis vel hæreticis, non nos affligamus, ſed conquieſcamus in Dei voluntate & prouidentiâ, cuius partim iuſtitia, partim miſericordia ibi glorificatur: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine,* ait Pſaltes Pſalm. 100. verſ. 1.

*S. Chriſtina*

Adde quod infideles ſubinde honeſtiùs viuunt, minuſque Deum offendunt, quàm fideles, qui Deum meliùs norunt, & maiora ab eo beneficia perceperunt. Quocirca terram ſanctam ob multiplicia, eaque enormia, qualia nec Turcæ committebant, Chriſtianorum eam incolentium ſcelera à Deo traditam fuiſſe Saladino & Saracenis, graphicè enarrando oſtendit Marinus Sanutus Venetus in libro, cui titulus: *Secreta fidelium crucis,* lib. 3. par. 8. c. 2. 5. 6. & ſeq.

Deniq; ſtolidè Lutherus hinc inferebat, Turcæ non eſſe reſiſtendum: quia Turca, inquit, eſt flagellum Dei, Deique voluntate nos inuadit & caſtigat. Reſp. Turca eſt flagellum Dei non poſitiuum, quale eſt flagellum magiſtri flagellantis negligentem diſcipulum, ſed permiſſiuum dumtaxat: vult enim Deus permittere, vt Turca tyrannicè non inuadat & affligat; ſed ſimul vult vt eius tyrannicæ inuaſioni reſiſtamus, nimirum vt pugnando & vincendo Turcam, diſcamus pugnare contra vitia, illaque ſuperare.

*Stolida Lutheri illatio*

Deniq; pręclarè R. Gamaliel in Pirke Auoth. c. 2. *Fac,* inquit, *voluntatem Dei perinde ac tuam, imò relinque tuam, vt Dei adimpleas. Sic enim Deus pariter aliorum voluntates tuæ concordabit.* Hoc enim congruum obedientiæ eſt præmium, vt ſicut obedimus voluntati diuinæ, ſic alij obediant & conſentiant voluntati noſtræ.

Sicvt in cælo et in terra] q. d. Sicut Angeli in cælis promptiſſimè & pleniſſimè faciunt voluntatem Dei; ſic eamdem quoque faciant homines in terra, vt ſicut à beatis ex amore purè, conſtanter & perſeueranter ad Dei gloriam, Deo ſeruitur in cælo; ſic & ſeruiatur à mortalibus in terra: *Iubet,* ait Chryſoſtomus, *hîc degentes conuerſationem cum cæli habitatoribus habere cõmunem, & antequam ſuperna illa præſtetur habitatio, cælum quodammodò vult fieri & terra, alioſque nobis Angelos terram monſtrare,* vt ſcilicet ita obediamus Deo in terra, perinde ac ſi inter Angelos verſaremur in cælo.

Hinc hieroglyphicum orationis eſt catena aurea è cælo emiſſa cum hoc lemmate: *Ad ſidera ſic trahimur.* Catena enim dicta eſt, quòd ſe capiendo teneat, quia in ea annulus annulum capit. Catenam auream è cælo pendere finxit Homerus à Ioue emiſſam, vt ceteri alij qui in terris commorabantur ad eam appenſi; ipſum è cælo traherent, qui omnes toto virium conatu egregium hoc opus aggredientes, inconſideratè in cælum veluti per ſcalam aſcenderunt. Symbolum hoc eſt orationis. Eſt enim oratio aſcenſus mẽtis in Deum, & hanc D. Dionyſius affirmabat eſſe catenam auream, quâ Deum ipſum ad nos trahimus, noſque ad eum trahimur, dum velle noſtrum infallibili & æquiſſimæ eius voluntati ſubijcimus, & is eſt orationis noſtræ præcipuus effectus, huncque ipſemet Chriſtus in oratione Dominicali nobis expreſſit illis verbis: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.*

*Symbolum orationis eſt catena aurea.*

Myſticè primò S. Auguſtinus, Tertullianus, & Cyprianus per cælum accipiunt ſpiritum, per terram carnem. q. d. Quoniam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, fac Domine vt caro ſubdat ſe ſpiritui, vt ſicut ſpiritus ſeruit legi Dei, ſic & caro non ſeruiat ampliùs legi peccati, ſed legi Dei.

Secundò, S. Cyprianus per cælum accipit iuſtos, per terram peccatores, q. d. Fac Domine vt peccatores faciant voluntatem tuam, ſicut faciunt iuſti.

Tertiò, S. Auguſtinus per cælũ accipit Chriſtum, qui è cælis deſcendit in terram, vt terram, id eſt, Eccleſiam terreſtrem ſibi deſponderet & copularet in incarnatione, quaſi dicat: Fac Domine, vt ſicut Chriſtus facit tuam voluntatem in omnibus, ſic faciat & Eccleſia; hæc enim eſt ſpõſa Chriſti, quam proinde ſponſo ſuo Chriſto in omnibus conformari decet.

*Sanctitas ſita in conformatione voluntatis noſtræ cum diuina.*

Moraliter ſanctitas, quies, lætitia, perfectio Chriſtiani conſiſtit in abnegatione voluntatis ſuæ, eiuſq; in omnibus tam aduerſis, quàm proſperis, conformatione cum voluntate diuina: nã, ait S. Bernardus ſerm. 3. de Reſurrectione: *Quid odit aut punit Deus præter propriam voluntatẽ? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæuiet, niſi in propriam voluntatem?* Quocirca priſci aſcetæ, & religioſi perfectionis ſtudioſi, cõtinuè ſe exercebant in hac cõformitate, vt nihil vellent, niſi quod Deus vult, atque hanc vnicam ad quietem & perfectionem eſſe viam dictitabant: *Talis enim conformatio maritat animam Verbo*, ait S. Bernardus ſerm. 28. in Cant. Sicut ergo ſponſa nil vult, niſi quod vult ſponſus, itaque ſemper fit, quod ipſa vult; ſic anima, quæ ſuam voluntatem exuit & induit diuinam, experitur ſemper id fieri, quod ipſa vult. Illud D. Taulerum docuit inſtructor ille ſuus, vti fusè enarraui Roman. 12. verſ. 2. Quocirca S. Gertrudis hæc verba: *Fiat voluntas tua*; ſubinde trecenties ſexagies quinquies pientiſſimè recitabat, & iterabat, hocque gratiſſimum Deo ſacrificium eſſe intelligebat. Vnde ipſa iuſſa à Deo eligere ſanitatem aut morbum, reſpondit: *Vehemẽtiſſimè deſidero, vt non facias voluntatem meam*, ſed tuam. Et hoc pacto in altiſſima pace & gaudio permanebat. Nã qui in Deo ſcit ſe habere omnia, ceteraque nihil æſtimat, & conſiderat voluntatem illius eſſe optimam, potentiſſimam & vtiliſſimam, omnino in ea conquieſcit, dicitque cum Pſalte: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam.* Et cum S. Auguſtino libr. 1. Confeſſ. cap. 1. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Deus enim eſt omne bonum, adeoque vnicum & dulciſſimum ſolatium, ac quies & centrum animæ ſibi vnitæ: hæc ergo fixa in Deo, quaſi rerum vertice, vnum vndique Deum & ſuper omnia, ſubtus ſe appetitum ſuum, omniaque cetera intuetur, & in diuina, volũtate, quaſi in ſinu Dei conquieſcit.

*Ratio.*

Extat hac de re dialogus breuis, ſed inſignis S. Catharinæ Senẽſis, quo ſummam pacem & perfectionem conſiſtere docet in cõformitate cum voluntate diuina, vt quis in eam voluntatem ſuam, imò totum ſe ſuaque omnia in omnibus & per omnia planè pleneque reſignet, dicatque ſemper & vbique in quolibet rerum euentu: *Fiat voluntas tua.* Quocirca ipſa in corde ſuo fabricarat cubiculum ex tabulis voluntatis diuinæ concameratum, in eoque quaſi in cælo iucundiſſimè & ſanctiſſimè aſſiduè habitabat, ſeſeque concludebat, vt nihil cogitaret, loqueretur aut faceret, niſi quod Deo placeret Deique voluntatis eſſe crederet, ideoque illam, quidquid agendum erat, edocebat Spiritus ſanctus. Audierat enim à Deo: *Crede filia, Deum tuum magis poſſe, ſcire & velle bonum tuum, quàm tu, ideoq; omnia proſpera & aduerſa ordinare & dirigere ad bonum tuum multò magis, quàm pater & mater per omnia curant, & omnibus modis procurant bonum filij ſui vnicè dilecti.*

*S. Catharina Senenſis.*

*Vers. 11. Luc. 11. 3.*

PANEM NOSTRVM SVPERSVBSTANTIALEM (multi legunt *quotidianum*) DA NOBIS HODIE] Hæc eſt quarta petitio, quâ vti & tribus ſequentibus poſt tres primas petitiones ad Deum ſpectantes petimus ea, quæ ad nos pertinent, ac in primis *panem noſtrum*, hoc eſt, non Angelis, non etiam iumentis, ſed nobis hominibus à te Domine deputatum; non etiam alienum aut raptũ, ſed nobis per noſtros labores, cenſus, eleëmoſynas aliterúe à te datum aut dandum. Hinc S. Chryſoſtomus hanc petitionem connectit præcedenti hac ratione. q. d. Chriſtus: Iuſſi petere, vt fiat voluntas Dei à vobis, ſicut fit ab Angelis, nõ tamen vos Angelis æquo. vos enim pane indigeris, illi non indigent: quia illi ſunt immortales & impaſſibiles, vos eſtis mortales & fragiles. Hinc rurſum Rupertus lib. 17. in Gen. cap. 25. colligit omnes homines, etiam diuites, principes & reges eſſe mendicos Dei, & ab eo quotidie mendicare panem. Sicut enim Deus filijs Iſraël per 40. annos in deſerto quotidie pluebat manna è cælo, eoque aluit ſexcenta hominum millia: ſic quotidie dum menſæ aſſidemus, Deus quaſi pluit ſingulis eſcã de cælo. Hinc Dauid licèt rex, dicebat: *Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei.* Pſ. 39. 18. *Dicamus ergo mendici omnes*, ait Rupertus, *ante fores diuinæ gratiæ: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Audi S. Auguſtinum ſer. 15. de Verbis Domini ſecundum Matthæũ; *Petit te mendicus, & tu es Dei mendicus: omnes enim, quando oramus, mendici Dei ſumus, ante ianuam magni Patrisfamilias ſtamus, imò etiam proſternimur, ſupplices ingemiſcimus, aliquid volentes accipere, & ipſum aliquid eſt ipſe Deus. Quid à te petit mendicus? Panem. Et tu quid petis à Deo, niſi Chriſtum qui dicit: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi?* Ioan. 6.

NOSTRVM] Panis, ait S. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 7. 7. Dei eſt ex munere, noſter autem per acceptionem. S. Chryſoſtomus verò, qui de iuſtitia, ait, acquiſitum manducat, ſuum panẽ manducat; qui autem cum peccato, alienum.

*Panis ἐπιούσιος quis? Reſp. Primo,*

SVPERSVBSTANTIALEM] Quæres quis eſt panis ſuperſubſtantialis? Reſp. Græcè eſt ἐπιούσιον (quę vox alibi non reperitur, quàm hîc & Lucę 6. 22.) quòd primò Angelus Caninius lib. de Nomin. Hebraicis noui Teſtamenti, vertit *craſtinum*: nam ἐπιοῦσα ἡμέρα dicitur ſequens vel craſtina dies. q. d. Sicut in Paraſceue, ſiue feriâ ſextâ Hebræi in deſerto colligebant manna pro Sabbato, quo quieſcendum erat; ita tu Domine da nobis hodie panem in craſtinum: nam vlteriùs non ſumus ſolliciti, ſed poſt craſtinum expectamus & quaſi præparamus nos ad Dominicam reſurrectionis, & ad iubilæum æternum. Sarcinas ergo colligimus, & tantùm petimus panem in craſtinũ. Fauet quod ſcribit S. Hieronymus in Euang. Hebræo Nazaræorũ haberi מָחָר *machar*, id eſt, *craſtinum.* Vnde S. Athanaſius tract. de Incarnatione Verbi, cenſet nos hîc petere Spiritum ſanctum, qui eſt panis diuinus, quo veſci & frui ſperamus in cælo, & cuius primitias accipimus & libamus in Euchariſtia.

*Secundo*

Secundò, S. Hieronymus ἐπιούσιον explicat περιούσιον, id eſt, præcipuum, egregium, eximiũ, peculiarem; Symmachus vertit *electum*: aut qui



ſuper omnẽs ſubſtantias eſt, & vniuerſas ſuperat creaturas. Sic & Caſſianus collat. 9. c. 20. & Cyrillus catech. 5. Myſtag. & S. Ambroſius l. 5. de Sacram. c. 4. qui per panem hunc intelligunt Euchariſtiam, quæ à Zacharia cap. 9. v. vlt. vocatur *frumentum electorum.*

*Tertio.*

Tertiò, ad literam, ἐπιούσιος, idem eſt, quod οὐσιαστής, id eſt, ad ſubſtantiam pertinens, putà panis ſubſtantialis, eſſentialis, ſubſtantiuus, qui ad conſeruandam hominis ſubſtantiam & vitam quotidie eſt neceſſarius. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & S. Baſilius in qq. compendio explicatis q. 252. S. Cyrillus catecheſi 5. Myſtag. & alij multi, qui cum Suida ἐπιούσιον interpretatur, ἐπὶ τὴν ἡμῶν οὐσίαν καὶ τροφὴν ἀπαρκοῦντα, id eſt, noſtræ ſubſtantiæ & nutritioni congruentem & ſufficientem, qui ſcilicet non ſeruiat voluptati, ſed neceſſitati, nec delicatior aut copioſior ſit, ſed frugalis & moderatus, id eſt, quotidianus; illud enim quod quotidie neceſſarium eſt ad ſuſtentationem, & quo quotidie indigemus, hoc vocamus quotidianum. Vnde Syrus vertit, *panem indigentiæ noſtræ*; Arabicus, *panem ſufficientem* (ſic & Ægyptius, Æthiopicus & Perſicus) quem Latini *cibarium* vocant, vnde & Latinus interpres in Luca c. 11. v. 3. clarè vertit *quotidianum*, & ita hoc loco Matthæi *quotidianum* vertunt leguntque Patres, qui verſionem S. Hieronymi anteceſſerunt, vt S. Cyprianus, S. Ambroſius, lib. de Sacram cap. 4. S. Auguſtinus Enchir. cap. 115. & alij, imò Eccleſia recitans in officio & Miſsâ *Pater noſter*, iuxta S. Matthæum, dicit oratq; ex veteri ante S. Hieronymum verſione: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*; itaque fideles orare docet.

Porrò S. Hieronymus, qui iuſſu Damaſi Latinam verſionem noui Teſtamenti ad Græcum textum emẽdauit, pro *quatidianum* hoc loco poſuit *ſuperſubſtantialem*, vt fideliter ad verbum vim vocis exprimeret. Dicitur enim ἐπιούσιον ab ἐπὶ οὐσίαν, id eſt, *ſuper ſubſtantiam*, id eſt, iuxta, vel ad ſubſtantiam pertinens, qui ſcilicet ſubſtãtiæ noſtræ ſuſtentandæ eſt conueniens & neceſſarius, putà non ſuperuacaneus, delicatus, curioſus, ſed ſubſtantialis, ſimplex, vulgaris. Audi Nyſſenum tract. de Oratione: *Panem da, non luxum, non delicias, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non agros, non gentium præfecturas, non pannos ſericos, non muſica acroamata, non quidquam, quo anima à diuina & potiori cura abſtrahatur, ſed panem.* Et infrà. *Exiguum eſt, quod naturæ debes, cur aduersùs temetipſum multiplicas tributa? Eſt autem venter perpetuus tributorum exactor. Dic ei, qui educit panem de terra: Dic coruos paſcenti, qui omni carni cibum dat, qui manum aperit, & omne animal bonâ voluntate replet. A te mihi vita eſt, à te quoque mihi vitæ ſubſidium contingat. Tu da panem, id eſt, vt ex iuſtis laboribus cibum adipiſcar. Nam ſi Deus iuſtitia eſt, non habet à Deo panem, quia ex re fraudulenter partâ cibum habet.*

Rurſum ἐπιούσιον deriuari poteſt ab ἔπειμι & ἐπιέναι, id eſt, accedo, aduenio, inſto, vt ſignificet panem inſtantem, id eſt, hodiernum, quem ſcilicet manè petimus quotidie pro adueniente die, & inſtante prandio vel cœnâ. Ita noſter Leſſius lib. 2. de Iuſtitia cap. 37. dubio 4. & fauet S. Ambroſius lib. 5. de Sacram. cap. 4. vbi nota Euangeliſtas ſubinde nouare, nouaſque voces formare, præſertim vbi res eſt noua, vti in Euangelio ſunt Euchariſtia, baptiſmus, ἐπιούσιον, περιούσιον, &c. idque ſimili compoſitione illi, quâ Græci ab οὐσία formarunt περιούσιος, ἐνούσιος, ὁμούσιος, &c.

Panis ergo ſuperſubſtantialis idem eſt, qui panis quotidianus, quo ſcilicet quotidie ſubſtantiam noſtram conſeruare debemus, quem Euãgelium Matthęi Hebr. nuper editũ vocat תְּמִידִי *temidi*, id eſt, iugẽ, quo ſcilicet continuè egemus; hæc enim vox ficta eſt à תָּמִיד *tamid*, id eſt, ſemper, iugiter. Alij vocãt דְּבַר יוֹם *debar iom*, id eſt, *verbum*, ſiue *rem diei*, hoc eſt, panem quotidianũ, quem quotidie vt neceſſariũ ſuſtentationi à Deo petere debemus. Vetat enim mox Chriſtus, ne ſolliciti ſimus de craſtino de quo incerti ſumus, an ſimus victuri: *Volens*, inquit Chryſoſtomus, *nec vndique accinctos eſſe, & quibuſdam velut fidei pennis inſtructos, ſemper ad cæleſtia ſubuolare, nec ampliùs indulgere naturæ, quã à nobis ipſe neceſſitatis vſus expoſcit.* Et S. Cyprianus tract. de Oratione Dominicâ: *Meritò*, ait, *Chriſti diſcipulus victum ſibi in diem poſtulat, qui de craſtino cogitare prohibetur, quia & contrariũ ſibi ſit & repugnans, vt quæramus in ſæculo diu viuere, qui petimus regnum Dei velociter aduenire.* Per *quotidianum* ergo excluditur ſollicitudo craſtini. Rurſum S. Hieronymus vertit *ſuperſubſtantialis*, vt innueret maximè hîc peti panem cæleſtem, qualis eſt Euchariſtia, de quo mox.

*Panis ſuperſubſtantialis, quis?*

Quæres ſecundò, quis in particulari eſt hîc panis ſuperſubſtantialis, ſiue quotidianus? Caluinus libr. 3. Inſtit. cap. 20. 44. & Philippus Melanchton in locis communibus tit. de Inuocatione & precatione, ſolùm corporalem accipiunt. Catholici nonnulli ſolùm ſpiritualem intelligunt. Sanè hunc ſolùm exprimunt S. Hieronymus, Cyrillus, Ambroſius, Caſſianus locis mox citandis.

*Reſp.*

Verùm dico panem hîc tum materialem corpori ſuſtentando neceſſarium, tum ſpiritualem & celeſtem animæ nutriendæ idoneum, vti eſt Verbum Dei & Euchariſtia, poſtularis vtroque enim indigemus: quare vtrumque petere debemus, & tantò magis ſecundum, quàm primum, quantò anima præſtat corpori; idq; ſignificat vox *ſuperſubſtantialis*, quam S. Hieronymus interpretatur præcipuus, eximius, & omnes ſubſtantias creatas ſuperans, eò quòd, vt Caſſianus ait collat. 9. cap. 20. ſublimitas magnificentiæ eius, & ſanctificationis excedat omnia creata. Sic & S. Cyrillus catech. 5. Myſtag. Vnde in Græco additur, imo geminatur articulus τὸν cùm ait τὸν ἄρτον, τὸν ἐπιούσιον, q. d. Da nobis panem nõ communem, ſed illum ſingularem, eximium, cæleſtem & diuinum. Alludit enim ad manna datum Hebræis in deſerto, quod fuit typus Euchariſtiæ. De manna enim dicitur Pſalm. 77. 24. *Panem cæli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo.* Sicut ergo manna erat cibus ἐπιούσιος, putà cæleſtis & Angelicus; ſic multò magis eſt Euchariſtia. Vnde Sapient. 19. 20. vtraque in Gręco vocatur *ambroſia*, quæ à Poëtis dicitur eſſe deorum cibus. Hic ergo eſt panis propriè ſuperſubſtantialis. Ita per panem hîc tam ſpiritualem, quàm corporalem accipiunt S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Auguſti-

 nus,

nus, Tertullianus, & Cyprianus tract. de Orat. Dominica. Quocirca S. Ambroſius lib.5. de Sacramentis, c.4. per panem ſuperſubſtantialem accipiens Euchariſtiam: *Si*, inquit, *panis eſt quotidianus, cur poſt annum tantùm eum ſumis? Sic viue, vt quotidie merearis accipere*, vti primi fideles quotidie communicabant, vt patet Actor.2.46. Et S. Cyprianus de Orat. Dominicâ: *Hunc*, ait, *panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abſtenti & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur, ipſo prædicante & monente: Ego ſum panis vitæ, qui de cælo deſcendi. Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum.* Ioan.6.

Nota ſub pane phraſi Hebræâ per ſynecdochen accipi quidquid victui, veſtitui, habitationi & vitæ tum corporis, tum animæ ſuſtentandæ eſt neceſſarium; omne enim hoc petimus hîc nobis dari, vel ſi nobis diuitibus iam datum ſit, conſeruari & cuſtodiri. Sufficientiam petimus, ait S. Auguſtinus epiſtol.121. nomine panis totum ſignificantes.

Da nobis hodie] Tò *da* non tantùm dari poſtulat panem, ſed & ſalutarem vim vigoremque nutriendi & roborandi pani inſeri, vt panis corpori proſit ad ſanitatem & robur, quo corpus meliùs animæ ſeruiat in Dei famulatu & obſequio. Ita S. Chryſoſtomus. Tum etiam; vt docet S. Auguſtinus ſerm.135. quoniam cupimus cibum de manu Dei accipere, id eſt, ab illo ſanctificatum, temperatum, dimenſum, vt corpori proſit, & animæ non obſit, ſi de corporali agatur; & contrà, mentem nutriat, & corpus non deſtruat, ſi de ſpirituali tractetur.

Hodie] Quia omni momento aliquo Dei ſuſtentaculo egemus.

Vers.12. Luc.11.4.

Et dimitte nobis debita nostra, sicvt et nos dimittimvs debitoribvs nostris] Arabicus: *Et dimitte nobis peccata noſtra, ſicut nos dimittimus his, qui peccauerunt in nos.* Hucuſque in quatuor petitionibus fuit apprecatio bonorum; iam in tribus vltimis ſequitur deprecatio malorum. *Debita*, hæc Lucas cap.11.4. interpretatur ἁμαρτίας, id eſt, peccata; peccatum enim eſt ſummum debitum ob ſummam iniuriam, quam irrogat Deo, quæ quia eſt infinita, hinc pro ea eiuſque debito nec homo, nec Angelus ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere potuit, ſed ſolus Chriſtus, qui eſt Deus eſt homo. Debita ergo hæc ſunt culpæ, quæ inducunt reatum ſiue obligationem pœnæ & gehennæ: huius enim debitorem conſtituunt hominem, dum peccat: peccator ergo debet animam dæmoni, morti, & inferno: Deo autem debet mille, imò infinitas animas, mortes & gehennas, ſi eas haberet, vel ſuſtinere poſſet.

Hinc Patres contra Pelagianos probant neminem eſſe ſine peccato. Reſpondebant Pelagiani, iuſtos orare, ac dicere: *Dimitte nobis debita.* non pro ſe, ſed pro alijs, putà proximis, qui peccarunt: aut ſi pro ſe id dicant, id dicere non ex veritate, ſed ex humilitate & modeſtiâ. Vtrumque confutat S. Auguſtinus lib.2. de Peccat. meritis, cap.10. & lib.2. contra Epiſtolam Parmenian. cap.10. Nam non dicimus: Dimitte alijs debita aliena, ſed *dimitte nobis debita noſtra*. Abſit autem, vt coram Deo mentiamur; hæc enim non eſt humilitas, ſed hypocriſis & fictio. Vnde S. Cyprianus de Orat. Dominica: *Ne quis*, inquit, *ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare.* Denique Concil. Mileuit.II. c.2. Anathema dicit ijs, qui verba Dominicæ orationis: *Dimitte nobis debita noſtra*; ita volunt à Sanctis dici, vt humiliter, non veraciter hoc dicatur: *Quis enim*, inquit, *ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labijs ſibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur debita, non habere.* Idem habet Concilium Africanum ijſdem verbis c.76.

Sicvt et nos dimittimvs debitoribvs nostris] ſcilicet debita non pecuniæ, nec reſtitutionis famæ & honoris, ſed iniuriæ nobis illatæ, ita vt propter illam non proſequamur eos odio, nec velimus vindictam priuatã, nec etiam publicam, niſi quando bonum publicum, aut recta ratio aliud poſtulat. Tò *ſicut* non ſignificat regulam vel menſuram, quam Deus in dimittendis peccatis ſequatur: plura enim debemus, petimuſque dimitti nobis à Deo, quàm alij debeant nobis, ſed cauſam inductiuam, quæ Deum moueat ad dimittendum. Vnde Lucas c.11.4. habet: *Dimitte nobis debita noſtra, ſiquidem & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hæc eſt enim conditio, quam Deus à nobis requirit, qua poſitâ facilè dimittit: ſi verò ea deſit, non dimittit, iuxta id quod ſequitur: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra; ſi autem non dimiſeritis, non dimittit.* Hoc eſt ergo quaſi pactum Dei cum peccatore: Si dimittis, dimitto: ſi non dimittis, non dimitto. Ita S. Auguſtinus Enchir.73. Vnde S. Cyprianus de Orat. *Addidit*, inquit, *legem, certâ nos conditione & ſponſione conſtringens, vt ſic nobis peccata dimitti poſtulemus, ſecundùm quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus. Quale crimen eſt* (nolle dimittere) *quod martyrio non poteſt exorari?* Sic enim legimus Sapritium excidiſſe martyrio, quod iam quaſi in manibus habebat. Cùm enim in fide conſtans iam capite plectendus eſſet, iuberetúrque genua flectere, abnegauit; eò quòd Nicephoro petenti veniam, offenſam nollet condonare; qui proinde in eius locum ſe ſubſtituens, martyrij palmam illi eripuit & obtinuit, vti habet eius vita apud Surium die 9. Februarij. Ita *Vita Sanctorum eſt interpretatio Scripturarum*, vt ait S. Hieronymus. Quocirca S. Ioannes Eleëmoſynarius, vt principem iram ſeruantem ad reconciliationem adduceret, Miſſam coram eo celebrans, dicenſque *Dimitte nobis debita noſtra*, illicò ſiluit, idque ſtudio; proſequutus ergo eſt princeps: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Tum Patriarcha ad eum conuerſus: *Vide*, ait, *in quali terribili hora, quid dicas Deo: Quoniam ſicut ego dimitto, ita & tu dimitte mihi*; quâ voce quaſi fulmine ictus princeps: *Quæcumque iuſſeris Domine*, inquit, *faciet ſeruus tuus*, illicoque inimico reconciliatus eſt. Ita Leontius in eius vita c.38.

*Conditio remiſſionis eſt remiſſio*

*Exempla. Sapritij.*

*S. Ioannis Eleëmoſynarij.*

Qui ergo nolunt proximis iniuriam dimittere, mentiuntur coram Deo, & ſe hîc tacitè condemnant, ac ſe remiſſione indignos oſtendunt, atque quaſi contra ſe ſententiam pronuntiant, ſcilicet, quòd Deus eis ſua debita non remittat. Cenſent aliqui hoc mendacium, quia fit Deo, eſſe graue peccatum. Vnde aliqui nolentes dimittere recitando *Pater noſter*, hanc petitionem omittunt, ſed perperam & contra Chriſti inſtitutum. Ita Caſſianus collat.9. cap.22. & noſter Salmeron tom.5. tract.51. vbi docet eos illam recitando non peccare, quia id dicunt in perſona Eccleſiæ, quæ debitoribus debita dimittit: & quia per hoc incitantur ad remittendum, ac tacitè poſtulant gratiam à Deo, quâ idipſum faciant. Igitur *ſicut & nos dimittimus*, id eſt, ſicut multi ex nobis ſuis debitoribus dimittunt. Adde recitatiuè hæc verba accipi, tamquam formulam precandi à Chriſto præſcriptam, vt eâ moneamur dimittere noſtris debitoribus. Inſuper *dimittimus*, id eſt, ſicut debemus & optamus dimittere; ſed quia infirmitas noſtra id præſtare non valet, tu Domine da robur, & cor noſtrum immuta, vt id præſtemus. Eſt ergo hîc tacita oratio, quâ petimus à Deo gratiam dimittendi iniurias nobis illatas. Ita explicabat S. Franciſcus, cuius verba inferiùs recitabo.

*Qui nolunt dimittere, an peccent recitando ſicut & nos dimittimus.*

Denique ſi rigidè accipiantur hæc verba, mẽdacium ſonant, ſed vt videtur veniale dumtaxat: nulli enim pernicioſum eſt. Sicut ergo ſi quis in confeſſione, quæ fit ſacerdoti, quaſi Dei vicario, dicat, falſum in re parua, peccat venialiter, modò det materiam veram abſolutionis, putà confiteatur peccata, quæ verè commiſit. Ita etiam in hoc caſu videtur dicendum. Talis enim omnes petitiones verè poſtulat à Deo, ſed mentitur in vnius circumſtantia dumtaxat.

Vers.13. Luc.11.4.

Et ne nos indvcas (Græcè εἰσενέγκῃς, id eſt, *inferas*) in tentationem] *Inducas*, non impellendo, vt vult Caluinus: *Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat*. Iacobi 1.13. ſed permittendo induci. Ita Patres & Catholici omnes. Subinde enim Deus dicitur facere quod permittit; quia fieri, niſi ipſo annuente, & manũ omnipotentiæ ſuæ laxante, non poteſt. Senſus ergo eſt, q.d. Primò: Ne permittas nos induci in tentationem, ita nimirum, vt eâ capiamur & ſuperemur, ſicut piſces & aues inducuntur in rete, cùm illo concluduntur & capiuntur, *Ne* ſcilicet. vt explicat S. Auguſtinus epiſt.121. *deſerti tuo adiutorio, alicui tentationi vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti.* Secundò. q.d. Ne permittas vt tentatio nobis obueniat: licèt enim in Vitis Patrum nonnullos Sanctos legamus optaſſe tentationes, quaſi materiam augendæ virtutis & meriti, ex magna animi fortitudine & fiducia in Deum, vnde Iacob. c.1.1. ait: *Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis* (vide ibi dicta) tentatione enim probamur, exercemur, certamus, proficimus ac perficimur; tamẽ ordinariè tutius eſt tentationes fugere & deprecari. Monet ergo nos Chriſtus infirmitatis noſtræ, & vt ob eam nos tentationibus non ingeramus, ſed eas, quoad fieri poteſt, arceamus & deprecemur. Ita Tertullianus, S. Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus de Orat. Dominica, & S. Auguſtinus de Bono perſeu. c.6. Hinc diſce dæmonem nil poſſe in tentando, ni Deus id ei permittat. Ita S. Cyprianus. Exemplum clarum eſt in Iob. c.1. quem, vt tentaret dæmon, tertiò facultatem petijt à Deo. Rurſum tentationes non poſſe à nobis vinci, niſi per opem & gratiã Dei: quare illa cuilibet in tentatione aſſiduè & ardenter eſt inuocanda. Vnde B. Petrus Chryſol. ſerm. 44. ait: *Ad tentationem vadit, qui ad orationem non vadit.* Et S. Gregorius Nyſſenus orat.1. de orat. Dominica: *Si oratio negotium præcedit*, inquit, *peccatum aduerſus animam aditum non inuenit.*

Sed libera nos a malo] Hoc eſt, à tentatione; de hac enim ſermo præceſſit. Secundò, à *malo*, id eſt, à diabolo, qui præſes & artifex eſt tẽtationis, inquit Tertullianus & Chryſoſtomus: hîc enim Græcè vocatur ὁ πονηρός, vt 1. Ioãnis 5. *Malignus* (ὁ πονηρός) *non tanget eũ.* 1. Ioan.2. *Viciſtis malignum*, & alibi: diabolus enim per malos homines, perq; carnem & mundum omnes tentat. Tertiò, generaliùs & pleniùs S. Cyprianus de Orat. omne malum hîc accipit, quod ſcilicet vel ad peccatum trahit, vel virtutis & perfectionis eſt impedimentum. Et ſic clariùs liquet hanc petitionem à præcedenti diſtingui, eſſeq; ſeptimam & vltimam. Audi S. Cyprianum: *Quando dicimus: Libera nos à malo, nihil remanet, quod vltrà adhuc debeat poſtulari, quando ſemel protectionem Dei aduerſus malum petamus, quâ impetratâ, cõtra omnia, quæ diabolus & mundus operantur, ſecuri ſtamus & tuti. Quis enim ei de ſæculo metus eſt, cui in ſæculo Deus tutor eſt?*

Anagogicè S. Auguſtinus ep.121. docet nos hîc petere, vt liberemur à malo, id eſt, à cõcupiſcentia, omnique miſeria per gloriam felicitatis æternæ: *Cùm dicimus*, inquit, *Libera nos à malo, nos admonemur cogitare nondum nos eſſe in eo bono, vbi nullum patiemur malum. Et hoc quidem vltimum, quòd in Dominica oratione poſitum eſt, tam latè, tamq; euidenter & manifeſtè patet, vt homo Chriſtianus in qualibet tribulatione conſtitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lachrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem.* Idem lib.2. de Peccat. mer. & rem. cap.4. *Deinde*, ait, *addimus quòd perficietur in fine, cùm abſorbebitur mortale à vita: ſed libera nos à malo. Tunc enim nulla talis erit concupiſcentia, cùm quâ certare, & cui non conſentire iubeamur.* Vnde Franc. Lucas haſce tres vltimas petitiones refert ad concupiſcentiam; quaſi ſic oremus: Ignoſce Domine nobis ea, in quibus ſumus abſtracti à concupiſcentia; hæc enim maxima eſt tentatio: aufer à nobis concupiſcentiam, hæc enim ingens eſt malum, quod non niſi in cælo auferetur à nobis. Haſce ſeptem petitiones S. Auguſtinus l.2. de Sermone Domini in monte, adaptat ſeptem donis Spiritus ſancti, & octo beatitudinibus, ſingulas ſingulis.

*Anagog.*

Amen] Hoc, ait S. Hieronymus, ſignaculum Dominicæ orationis, approbantis & optantis, vt ita fiat. Vnde Septuag. Pſal.71. v.vlt. & alibi vertunt γένοιτο, id eſt, *fiat*.

Nota: In Græcis codicibus hîc additur: *Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria in ſæcula.* Et ità legunt Syrus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius: ſed videntur id Græci addidiſſe ex pia & ſolenni conſuetudine, ſicut ijdem ſalutationi Angelicæ addunt: *Quia tu peperiſti Saluatorem noſtrum.* Et Pſalmis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, Nam codex Græcus Vaticanus & Roberti Stephani, item Latini Tertullianus, Cyprianus, S. Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius id non legunt.

Rurſum aduerte: In hac oratione nulla fit mentio ingenij, ſanitatis, ſapientiæ, roboris, vxoris, familiæ, prolium, opum, honorum, aliorumque bonorum naturæ, quia hæc indifferentia ſunt,

unt, & tantùm petenda, quatenus ad ſalutem noſtram & aliorum conferunt. Et ſic comprehenduntur ſub pane quotidiano, vel ſub prima petitione: *Sanctificetur nomen tuum*; vt ſcilicet Deum ſanctificemus. Denique non eſt neceſſum hæc petere, quia nobis vltrò adijcientur, ſi primùm quæramus Dei regnum, vti Chriſtus promittit verſ. 33. *Neque enim*, vt ait S. Auguſtinus epiſt. 121. *in tempore vtiliter viuitur, niſi ad comparandum meritum, quo in æternitate viuatur*, &c. *Vt quid ergo per multa diſpergimur, ac non potiùs cum Pſalmo 26. dicimus: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Porrò tomo 5. Bibliothecæ SS. Patrum extat expoſitio orationis Dominicæ paraphraſtica, concinnata à S. Franciſco, quæ partim literalis eſt, partim myſtica, quam, quia ſublimis eſt, ſapida & feruens, ac Deo, vt videtur accepta (fuit enim ipſe θεοδίδακτος) viſum eſt hîc attexere.

*Paraphraſis orationis Dominicæ ex S. Franciſco.*

*Sanctiſſime* Pater noſter, *creator, redemptor noſter, ſaluator noſter, conſolator noſter.* Qui es in cælis, *in Angelis, in Sanctis, illuminãs eos ad tui cognitionẽ, quia tu es Domine lux, inflammãs eos ad amorem tuum diuinũ: quia tu Domine amor es, inhabitans & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine ſummum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & ſine quo nullum bonum.* Sanctificetur nomen tuum. *Clarificetur in nobis notitia tua, vt cognoſcamus, quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum lõgitudo promiſſorum, ſublimitas maieſtatis, & profundum iudiciorum.* Adueniat regnum tuum, *vt regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnũ tuũ, vbi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna.* Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra, *vt amemus te ex toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima te ſemper deſiderando, ex tota mẽte omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & honorem tuũ in omnibus quærẽdo, & ex omnibus viribus noſtris omnes vires, ſenſuſq́; animæ & corporis in obſequiũ tui amoris, & nõ in alio exponendo: & proximos noſtros amemus ſicut nosipſos omnes ad amorem tuum pro viribus trahẽdo, de bonis aliorum ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini vllã offenſam faciendo.* Panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie. *Dilectum Filium tuum Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum da nobis hodie in memoria, in intelligentia & reuerentia amoris, quẽ ad nos habuit, & eorum, quæ pro nobis fecit, dixit & ſuſtinuit.* Et dimitte nobis debita noſtra, *per tuam miſericordiam & ineffabilem paſſionis dilecti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & beatiſſimæ Mariæ Virginis & omnium electorum merita & interceſſiones.* Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. *Et quia non plenè dimittimus, tu Domine fac plenè dimittere, vt inimicos propter te diligamus & pro eis apud te deuotè intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus.* Et ne nos inducas in tentationẽ, *occultam ſiue manifeſtam, ſubitam vel importunam.* Sed libera nos à malo, *præterito, præſenti, & futuro.* Amen, *ſpontaneè & gratis.* Supradicto modo dicebat hic beatus *Pater noſter*, ad omnes horas.

VERS. 14. Mar. 11. 25. SI ENIM DIMISERITIS HOMINIBVS PECCATA (Græcè ἁμαρτίας, id eſt, offenſas) EORVM, DIMITTET ET VOBIS PATER VESTER CÆLESTIS DELICTA VESTRA] Si ſcilicet cetera ad hoc alibi requiſita adſint, ſcilicet contritio & confeſſio.

VERS. 15. Inf. 18. 35. SI AVTEM NON DIMISERITIS HOMINIBVS, NEC PATER VESTER DIMITTET VOBIS PECCATA VESTRA] Τὸ *enim* dat cauſam eius quod præceſſit, non proximè, ſed remotiùs v. 12. more Hebræo cur ſcilicet dixerit: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; quia nimirum hęc eſt quaſi conditio & lex talionis, vt quod proximo facimus, hoc nobis pari quaſi iure faciat & rependat Deus, vt ibi dixi. Remittentibus ergo iniurias, remittuntur offenſæ; vindicãtes viciſſim Dei vindictam ſibi accerſunt. Vnde Eccleſ. cap. 28. v. 3. admirans, imò indignans: ait: *Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur?* &c. Vnde Gloſſa hîc: In noſtra, ait, poteſtate poſuit, quâ conſcientiâ iudicium Dei prouocemus erga nos, & ſententiam temperemus: non aliud exigit iudex, quàm vt qualem eum volumus erga nos, tales nos præſtemus fratribus.

VERS. 16. CVM AVTEM IEIVNATIS, NOLITE FIERI SICVT HYPOCRITÆ TRISTES, EXTERMINANT ENIM FACIES SVAS, VT APPAREANT HOMINIBVS IEIVNANTES] Arabicus: *Ieiunia eorum.* Docuit Chriſtus modum orandi; nunc docet modum ieiunandi (quia infirma eſt oratio ſine ieiunio, ait S. Chryſoſtomus, ſcilicet, vt fiat alacriter & ſecreto, ſtudio placendi Deo, non hominibus, vti dixit verſ. 1. de Eleëmoſyna, & verſ. 5. de Oratione. Pro *triſtes* Græcè eſt σκυθρωποὶ id eſt, vultuoſi, obſcuri, triſtes, auſteri, tetrici, vultu tetrico & ſcythico trucique, quibus opponuntur ἱλαροὶ id eſt, alacres & læti. Dicuntur σκυθρωποὶ, quaſi σκυθροὶ, id eſt, mœſti, turbidi, τὴν ὦπα, id eſt, vultu; vel à σκύζεσθαι, id eſt, iraſci, vultu triſti & obnubilo incedere, quaſi bibiſſent acetum; vel alludit ad χύθρας, id eſt, *olla* vel *cacabus*, quod ὦπα, id eſt, faciem habeant atram, nigram & tetram inſtar cacabi & ollæ: ieiunium enim, quia corpus deſiccat, acuit bilem vtramque, facitque homines melancholicos & cholericos; cibus verò vtramq́ue diluit, facitque ſuaues, amœnos, beneuolos. Quocirca qui res arduas alijs perſuadere conantur, eos adeunt non ieiunos, quia tum moroſi ſunt & difficiles, ſed in prandio, vel poſt prandium, cùm cibo & potu exhilarati faciles ſunt, iouiales & iucundi. Porrò hypocritæ affectabant & induebant vultum tetricum, vt viderentur ieiunaſſe, hoc hîc carpit Chriſtus, monetque, vt omnem vultus mœſtitiam diſcutiant, faciemq́ue oſtendant amœnam & lætam, quæ hilaritatis & hilaris ieiunij ſit indicium, aut potiùs diſſimulatio, vt non ieiunaſſe, ſed lautè conuiuati eſſe videantur. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Corinth. 9. 7.

EXTERMINANT] Græcè ἀφανίζουσι, quod S. Hieron. vertit *demoliuntur*, S. Hilarius *conficiunt*, Syrus & Chryſoſtomus *corrumpunt*. Alij propiùs *obſcurant facies ſuas*, affectando ſcilicet & induendo vultus ſeueritatem pallorem, mœrorem. Alij *labefactant, obliterant, perdunt, & velut è medio tollunt*, vt quaſi non appareat, quod noſter vocat *exterminant*. Eſt enim ἀφανίζειν obſcurare, ac quaſi è conſpectu tollere, velut qui fucis vtuntur, celant faciem ſuam; ſic & qui fictâ macie, triſtique



triſtique pallore luridi ſanctimoniam ſimulant, id eſt hypocritæ, quales erant Scribæ. Audi ſanctum Hieron. *Exterminantur exules, qui extra terminos mittuntur.* Deinde *exterminant* exponens per *demoliuntur*, id explicat, ſubdens: *Demolitur autem hypocrita faciem ſuam, vt triſtitiam ſimulet, & animo fortè lætante, luctum geſtet in vultu.*

VERS. 17. TV AVTEM CVM IEIVNAS, VNGE CAPVT TVVM, ET FACIEM TVAM LAVA.

VERS. 18. NE VIDEARIS HOMINIBVS IEIVNANS (Arabicus: *Ne appareant hominibus ieiunia tua*) SED PATRI TVO, QVI EST IN ABSCONDITO (qui ſuam eſſentiam & maieſtatem celat & abſcondit, quique tam eſt in locis abſconditis, quam publicis, tamq́ue videt abſcondita cordis, quàm oſtenta operum) ET PATER TVVS, QVI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI] Sufficit, ait Remigius, vt qui eſt inſpector conſcientiæ, ſit remunerator. Familiare fuit Palæſtinis, imò omnibus Orientalibus, diebus feſtis & lætis vngi, faciemq́ue lauare, & expolire, præſertim in conuiuijs, idque tum ad refrigerium, tum ad nitorem, tum ad coloris & odoris ſuauitatem.

*Vngebãtur Palæſtini, Cur?*

Cùm enim Palæſtina ſit in Climate calido & æſtuoſo, hinc fit vt incolæ ſudent, ſudorq́ue faciem deturpet, & fœtentem efficiat: lauant ergo faciem, vt ſudorem abluant: vngunt, vt fœtorem abigant. Hęc patent ex Ruth. 3. verſ. 3. Iudith 10. verſ. 3. 2. Reg. 12. 20. Lucæ 7. 46. Vngebantur igitur, tum ſanitatis, tum recreationis, tum deliciarum, tum fragrantiæ & mollitiei cauſa. Vnde illud de Magdalena vngente Chriſtum: *Et domus impleta eſt ex odore vnguenti.* Ioannis 12. 3. In triſtitia verò & luctu abſtinebant ab vnctione & lotione.

Nota hîc eſſe catachreſin, cui ſimilem audiuimus cap. 3. 6. & alibi; non enim veram vnctionem hîc præcipit Chriſtus, ſed tantùm hilaritatẽ & diſſimulationem ieiunij, q. d. *Vnge caput*, hoc eſt eſto hilaris, & præ te fer lætitiam, quaſi vnctus eſſes oleo, id eſt, vnguento, quod eſt lætitiæ cauſa & ſymbolum, iuxta illud: *Vt exhilaret faciem in oleo.* Pſ. 103. 15. imò vt ieiunium diſſimules, & conuiuium ſimules; adhibe ſymbola conuiuantium, ſcilicet, vnctionem & lotionem. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. Audi S. Hieronymum: *Iuxta ritum Paleſtinæ loquitur, vbi diebus feſtis ſolẽt vngere capita. Præcipit igitur, vt quãdo ieiunamus, lætos & feſtiuos nos eſſe monſtremus.*

*S. Syncleti.* Huc facit aurea S. Syncleticæ in Vitis Patrum l. 5. libello 8. nu. 19. ſententia: *Sicut*, inquit, *theſaurus manifeſtus citò expenditur; ita & virtus qualibet, cùm innotuerit, vel publicata fuerit, exterminabitur. Sicut enim cera ſoluitur à facie ignis, ita & anima laudibus inanitur, & amittit virtutum rigorem.*

Myſticè S. Aug. tractat. 2. de Serm. Domini in monte ca. 20. per vnctionem capitis accipit lætitiam mentis, quæ adhibenda eſt in omni bono opere: ſanctus Hieronymus verò accipit ipſam virtutum operationem.

VERS. 19. NOLITE THESAVRIZARE (Syrus: *Ne reponatis.* Alij: *Ne congregetis* vel *coaceruetis*) VOBIS THESAVROS IN TERRA, VBI ÆRVGO ET TINEA DEMOLITVR, ET VBI FVRES EFFODIVNT ET FVRANTVR] Tranſit ab oſtentatione ad auaritiam, eamque taxat vſque ad finem capitis. Vtrâque enim laborabant Scribæ & Phariſæi, imò longè maior pars hominum, qui non niſi opes corradere omni labore ſatagunt, ac non rarò per fas & nefas, quæ ingens eſt vanitas & cæcitas. Oſtendit ergo hîc Chriſtus, quæ ſint veræ opes, quæ falſæ, nimirum, veras eſſe cæleſtes, falſas eſſe terreſtres vt nõ has, ſed illas ambiamus, nec in hiſce, ſed in illis cor mentemq́; defigamus. Opes enim in terra *ærugo & tinea demolitur.* Græcè eſt σὴς καὶ βρῶσις, id eſt, *tinea & comeſtura*, vti eſt rubigo ferro, ærugo æri & auro; vtrumq; enim ſenſim exedit, corrodit & conſumit. Notat tres corruptionis modos, tinea enim exedit veſtes, ærugo aurũ & argentum; fures cetera omnia furantur & rapiunt.

Chriſtus hîc tribus argumentis auocat homines à ſtudio diuitiarum. Primum eſt, quòd ipſæ fluxæ ſint & corruptibiles. Secundum verſ. 22. quòd mentem obtenebrent & excæcent. Tertium verſ. 24. quòd ipſæ mentem totam ad ſe rapiant, vt Deo ſeruire nequeat: quia nemo poteſt duobus dominis, ſcilicet Deo & Mammonæ ſeruire.

VERS. 20. THESAVRIZATE AVTEM VOBIS (non filijs, non nepotibus, non ingratis heredibus ſed *vobis*, id eſt animæ veſtræ) THESAVROS IN CÆLO, VBI NEQVE ÆRVGO, NEQVE TINEA DEMOLITVR, ET VBI FVRES NON EFFODIVNT, NEQVE FVRANTVR] q. d. Opes gloriæ cæleſtis ſunt incorruptibiles, inamiſſibiles, ſtabiles & æternę: in illis ergo cor mentemq́; figite, illas omni virtutum ſtudio comparate, non verò terrenas, quæ exiles ſunt & caducæ, varijſq́ue modis citò corrumpuntur & pereunt; ſed eas erogate pauperibus: *Quæ ſtultitia*, ait S. Chryſoſtomus, *illic relinquere vnde exiturus es, & nõ illuc præmittere quò iturus es? Theſauriza vbi patriam habes.* Idem hîc hom. 48. ſub finem: *Si*, inquit, *intueri volueris animã hominis aurum amantis, inuenies eam, vt veſtimẽtum à decem millibus vermium corroſum, ita eam perforatam vndique à ſollicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenã. Verùm haud talis eſt anima pauperis voluntarij, ſed potiùs fulget vt aurum, ſplendet vt gemma, effloreſcit vt roſa. Non eſt illic tinea, neque fur, neque ſollicitudo negotiorum huius vitæ, ſed ſicut Angelus ita conuerſatur. Non ſubiacet dæmonibus, non aſſiſtit regi, ſed aſſiſtit Deo, non militat cum hominibus, ſed cum Angelis: non hebet theſaurum, terram, ſed cælum: non indiget ſeruis, magis autem habet ſeruorum loco paſſiones; habet ſeruos appetitus, qui regibus dominantur, vt nec reſpicere audeant. Quid igitur hoc paupere melius? at non habet equos & currum. Quid vero his opus eſt ei, qui ſuper nube vehi debet, & eſſe cum Chriſto,*

VERS. 21. Luc. 12. 34. VBI ENIM EST THESAVRVS TVVS, IBI EST ET COR TVVM] *Theſaurus tuus* id eſt, quod habes in pretio, id quod amas, quod æſtimas, quo delectaris, id quod tibi eſt chariſſimum, in quo omne tempus & ſtudium collocas: *ibi eſt & cor tuum. Hoc non ſolùm de pecunia*, ait S. Hieronymus, *ſed & de cunctis paſſionibus ſentiendum eſt. Guloſi Deus venter eſt: ibi ergo habet cor, vbi eſt theſaurus. Luxurioſi theſaurus epulæ ſunt: laſciui ludicra, amatoris libido. Huic ſeruit vnuſquiſque, quo vincitur.*

Vis ergo ſcire, quis ſit theſaurus tuus, quid ames, quid æſtimes? Aduerte quid ſæpiùs in corde verſes, quid mente agites & cogites. Si crebrò cogitas & ruminas cæleſtia, cælum amas, theſau-

theſaurus tuus eſt in terra, in terra cor tuũ quaſi talpa ſepeliuiſti. Si ergo ſapis, *mens tua non ſit in aëre, ſed in æthere.*

*Cor vſurarij mortui in ſuo theſauro inuenitur.*

Huc facit quod S. Antonius de Padua (vt habet eius vita) in exequijs cuiuſdam vſurarij concionaturus, hoc thema accipit: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum,* dixitque: *Mortuus eſt hic diues, & ſepultus eſt in inferno. Ite ad theſaurum eius, & in medio illius inuenietis cor eius.* Abierunt amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum eius inuenerunt.

Sanctiùs & ſapientiùs S. Paulinus Nolæ Epiſcopus. Nolâ captâ à Wandalis, Deum orabat: *Domine non excrucier propter aurum & argentum, vbi enim omnia mea ſint, tu ſcis,* quia ſcilicet cor habebat fixum in Deo, non in auro.

VERS. 22. Luc. 11.34. LVCERNA CORPORIS TVI EST OCVLVS TVVS. SI OCVLVS TVVS FVERIT SIMPLEX, TOTVM CORPVS TVVM LVCIDVM ERIT] *Lippientes oculi,* ait S. Hieronymus, *ſolent lucernas videre numeroſas: ſimplex oculus & purus ſimplicia intuetur & pura.*

VERS. 23. Luc. 11.34. 35. SI AVTEM OCVLVS TVVS FVERIT NEQVAM, TOTVM CORPVS TVVM TENEBROSVM ERIT. SI ERGO LVMEN, QVOD IN TE EST TENEBRÆ SVNT. IPSÆ TENEBRÆ QVANTÆ ERVNT?] Dicitur oculus ſimplex, qui ſanus eſt, & externis humoribus, qui viſum perturbant, non miſcetur, ideoque purus eſt, ſincerus & clarus. q.d. *Si oculus tuus fuerit ſimplex,* id eſt, purus, candidus, & mundus; totum corpus tuum lucidum erit, & quaſi oculatum, quia præuiâ oculi ſui luce & directione omnes actiones ſuas rectè obibit: *Si autem oculus tuus fuerit nequam,* Græcè *πονηρὸς*, id eſt, malè affectus, & vitioſo humore imbutus, ideoque impurus & obnubilatus, *totum corpus tuũ tenebroſum erit,* quia carebit luce & duce, puta illuſtratione & directione oculi ſui. *Si ergo lumen* oculare, *quod in te eſt,* id eſt, eſſe debebat, iam offuſcatum, non lumen, ſed tenebræ & cæcitas ſit, *ipſæ tenebræ quantæ erunt?* id eſt, ipſum reliquum corpus naturâ ſuâ tenebroſum, ac, vt ita dicam, cæcum, cùm nullum niſi ex oculis lumen habeat, iam oculis ſuis & luminibus, quaſi ducibus orbum, quàm tenebroſum erit, quamque in tenebris errabit, palpabit, & ceſpitabit? *Quantas,* ait S. Hilarius, *neceſſe eſt ipſarum in te tenebras eſſe tenebrarum?*

Eſt parabola, vti & pleræq; aliæ Chriſti gnomæ hîc. Per oculum ergo cum S. Hieronymo, Chryſoſtomo, Ianſenio, Maldonato, Toleto in ca. 11. Lucæ, & alijs mentem & ſenſum internũ accipe, q.d. ait S. Chryſoſtomus: A corporalibus interiora diſce, quod enim oculus eſt corpori, hoc intellectus eſt animæ. Sicut enim oculus dirigit corpus; ſic intellectus practicus animam: quod enim hic ſentit & guſtat, hoc ſentit & guſtat anima. Vnde error & vitium animæ in operãdo naſcitur ex errore & vitio intellectus, quòd tamen vitium ſæpè oritur ex praua inclinatione & cupiditate affectus. Quod enim affectus concupiſcit, eòdem trahit intellectus, vt iudicet illud ſibi bonum & proſequendum. Hoc eſt quod paulò antè dixit: *Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Illud enim cor hîc explicat vocatque oculum mentis, hoc eſt, intellectum practicum, qui omnes actiones luce ſuâ præit & dirigit.

*Quod oculus eſt corpori, hoc intellectus eſt animæ.*

Vult enim docere Chriſtus animum non poſſe eſſe purum & rectum, ac conſequenter nec actiones ab eo manantes eſſe puras & rectas, vbi cor eſt auaritiâ & auri cupiditate occæcatũ: de hoc enim egit in præcedentibus, & aget in ſequentibus. Sẽſus ergo eſt. q.d. Sicut oculus purus clarè illuminat regitque corpus, corporiſque motus omnes: ſin verò oculus craſſo prauoque humore obnubiletur, obtenebratur totum corpus, vt illud in tenebris oberret, & ceſpitet; ſic pariter ſi mens hominis ſit pura, illuminabit totam animam omneſque eius actiones, vt ritè rectèque fiant: ſin mens ſit prauo affectu & cupiditate auaritiæ imbuta & occæcata, eodem afficiet totam animam omneſque eius operationes, vt non niſi terram & terrenas opes ſpectent & ambiant, ijſq; quaſi talpæ ſeſe oppleant & excæcent. Ex affectu enim pecuniæ mens multis erroribus & ignorantijs practicis obtenebratur, vt putet ſibi licere quod reuerà eſt illicitum, eſſeque vtile, quod eſt damnoſum, atq; has cæcitates ſuas cæcis & effrænatis ſuis paſſionibus, affectibus & actibus cõmunicat, vt cæcè ruant in rapinas, fraudes, vſuras, aliaque ſcelera, quæ mens ipſa corrigere & frænare debuerat, itaq; eos in ſe cæcos magis ipſa mens excæcat, agitque in cæcas peccatorum ruinas.

*Et intentio.*

Poteſt ſecundò cum S. Auguſtino & S. Gregorio lib. 28. Moral. cap. 6. ac Beda per oculum accipi intentio mentis; hæc enim mentem & intellectum mouet, regit & flectit quocumq; vult; atque hæc ipſa, ſi purè intendat Deum & diuina, velut finem & ſcopum ſuũ, faciet vt opus ex ea manans (intellige ſi illud in ſe ſit bonum, aut certè non malum) totum ſit purum & ſanctum: ſin intentio ſit praua & impura, faciet vt opus ex ea manans, licèt in ſe bonum, ſit impurum, malum & vitioſum. Nam toto capite à verſ. 1. huc uſque Chriſtus egit de recta intentione, eamq; requiſiuit in eleëmoſyna, oratione & ieiunio, hoc eſt, in omni opere bono. Nonnulla huic parabolæ addit Lucas c. 11. v. 36. quæ ibi velut loco proprio explicanda ſunt.

NEMO POTEST DVOBVS DOMINIS SERVIRE] VERS. 24. Luc. 16.13.
Non tantùm contrarijs, ſed etiam diſparatis, ſiue diuerſis dumtaxat. Eſt adagium ſignificans rarũ & difficile eſſe duobus dominis, qui ferè aduerſis ſunt moribus & humoribus, ſatisfacere, aut æquè eis addici, ſeruire, & obſequi. Non ait *famulari*: ſubinde enim quis duobus dominis famulatur, ſed *ſeruire,* id eſt, ſe addicere, amare per omnia, obſequi & obedire. Id Chriſtus applicat auaritiæ & religioni, Deique cultui. q. d. Non poteſtis ſeruire Deo & diti, cælo & cœno, ætheri & æri, numini & nummis. Quare ſi Deo ſeruire, & cor addicere placet, illud ab ære & auro auellendum eſt. Eſt hoc tertium Chriſti argumentum ceteris efficacius, quo Scribas omneſque homines auocat à ſtudio diuitiarum, quòd ſcilicet impoſſibile ſit eis ſeruire & Deo. Vis ergo ſeruire Deo? noli ſeruire Mammonæ.

AVT ENIM VNVM ODIO HABEBIT, ET ALTERVM DILIGET: AVT VNVM SVSTINEBIT, ET ALTERVM CONTEMNET] Pro *ſuſtinebit* S. Auguſtinus legit *patietur,* idque exponit de Mammona. q. d. Mammona, id eſt, opes, eſt Dominus tam imperioſus & difficilis, vt auari duram ſub eo ſeruiant ſeruitutem, nec eum



ament, ſed ſuſtineant & patiantur eius herile & durum imperium. Franc. Lucas verò cenſens interpretem legiſſe in Græco ἀνέξεται, id eſt ſuſtinebit, patietur, ſic diſiunctiuam hanc exponit, q.d. Seruus, qui duobus dominis ſeruit, aut vnum odiet, & alterum diliget; aut ſi neutrum diligat, ſed vtrumque oderit, vnius imperium feret & ſuſtinebit, alterius contemnet. Verùm Græci hîc, æquè ac Lucæ 16.13. conſtanter habent non ἀνέξεται, id eſt, patietur, ſed ἑνὸς ἀνθέξεται, id eſt, *vni adhærebit,* vt vertit Noſter Lucę 16.13. Syrus & Arabicus, *vnum honorabit.* Vatablus: *vni ſe dedet,* vni cor ſuum affiget, vni obſequium impendet, id eſt, vnum diliget, vt paulò antè dixi. Senſus enim huius poſitionis diſiunctiuæ eſt, q.d. Seruus duobus dominis ſeruiens, ambobus non ſeruiet, ſed aut hunc odio habebit, illum diliget; aut vice verſâ hunc diliget & ſuſtinebit, illum odiet & contemnet, v. g. Si odiat herum Iacobum, diliget herum Ioannem; ſin diligat Iacobum, odiet Ioannem: cui enim mores vnius placent, huic mores alterius, vtpote diuerſi & ſæpè contrarij, diſplicent: quare illum amabit, illi obediet & ſeruiet, hunc odiet, nec promptè ei obedire aut ſeruire volet.

SVSTINEBIT] ergo hîc idem eſt quòd fauebit, tuebitur, fouebit, ſuſtentabit. Sic Cicero 1. Offic. ait: *Magiſtratus eſſe ſuſtinere dignitatem & decus ciuitatis.* Et orat. pro Flacco: *Vos rempublicam humeris veſtris iudices ſuſtinetis.* Et pro Rabirio: *Labentem excepit, corruere non ſiuit, fulſit, & ſuſtinuit, re, fortuna, fide, hodieq; ſuſtinet.* Et Brutus epiſt. ad Ciceronem: *Apuleium,* inquit, *tu auctoritate ſuſtinere debes.* Sic matres ſuſtinent, id eſt, alunt & ſuſtentant ſuos infantes, magiſtri diſcipulos, heri ſeruos, & viciſſim filij parentes, diſcipuli magiſtros, ſerui heros. Vnde Virgil. 2. Georg.

*Hinc patriam, paruoſq; nepotes*
*Suſtinet.*

Sic & Liuius ait: *Milites fluuiatili piſce & herbis ſuſtinebantur,* id eſt, ſuſtentabantur.

NON POTESTIS DEO SERVIRE ET MAMMONÆ] q. d. Non poteſtis vos addicere Deo ſimul & ſtudio opum, vt cor veſtrum affigatis vtrique, vt vtrique curas, operas, & labores veſtros impendatis; præſertim quia Deus ita vult coli & amari ſupra omnia, vt nullum riualem patiatur, nec ſinat aliquem ſibi in amore æquari aut comparari. Vice verſâ opes, ita cor & curas diuitis auari ad ſe rapiunt, vt non ſinant illa Deo impendi.

*Mammona etymon.*

Nota: Hebr. מַטְמוֹן *matmon,* Chald. *mamon,* Syriacè *mamona,* ait S. Hieronymus, vocantur diuitiæ & theſauri, quos in arcis recondunt diuites, à radice טָמַן *taman,* id eſt, *abſcondere.* Aut vt Angelus Caninius in nomin. Hebr. noui Teſtamenti, à radice אָמַן *aman,* id eſt, *firmare, ſtabilire,* Nam vt dicitur Prouerb. 10.15. *Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.* Sic opes Hebraicè vocantur חַיִל *chayl* à robore, quòd diuitem faciant valentem & potentem: ſed tum potiùs ſcribendum eſſet *mamon & mamona* per ſimplex *m*, quomodo in libris Chaldæis & Syris ſcriptum habetur. Hinc & lucrum Punicè (Punica enim lingua eſt affinis Hebrææ) vocantur *mammon,* ait S. Auguſtinus lib. de Serm. Domini in monte, cap. 22. Hinc quoque Perſicus pro *Mammonæ,* vertit *diuitijs & bonis caducis.*



Porrò S. Irenæus lib. 3. cap. 10. *Mammonas* interpretatur *cupidum,* quos interpres eius exponit quaſi S. Irenęus *Mammona* deriuet ex מוּם *mum,* id eſt, macula; & הוֹן *hon,* id eſt, opes, vt *mammona* ſit idem quod *macula diuitiarum:* talis enim eſt cupiditas vel auaritia, quæ maculat, imò perdit opes, eas recondendo, vt ab ærugine comedantur; non verò erogando eas in egentes, quæ eſt quaſi opum vita, ſalus, finis, & felicitas, quæ ad hunc vſum à Deo & natura creatæ ſunt.

*Auarus eſt ſeruus auri.*

Nota: Non dicit: Non poteſtis opes habere & Deum: vtrumq; enim habuit Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Salomon, multique Sancti, qui diuitijs non affixere cor, quia eis vſi ſunt ad pia opera: ſed *non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ:* qui enim ſeruit Mammonæ, opum eſt ſeruus, quare eas non regit vt Dominus, ſed ab eis regitur quaſi mancipium, vt omnes labores & dolores ſuſcipiat, quos cupido opum illi ſuggerit. Sanè dura & miſerabilis eſt hæc ſeruitus: *Seruire* verò *Deo, regnare eſt.* Verè S. Bernardus ſer. 21. in Cant. *Auarus,* ait, *terrena eſurit vt mendicus, fidelis contemnit vt Dominus. Ille poſſidendo mendicat; iſte contemnendo ſeruat.* Igitur:

*Imperat aut ſeruit regina pecunia cuique.*

Imperat auaro, ſeruit liberali. Et quid eſt aurum & argentum, niſi terra rubra & alba? ait S. Bernardus.

Opponit Deum Mammonæ appoſitè, quia Mammona ſiue Plutus, vel Pluto (πλοῦτος enim vocantur diuitiæ) qui & Dis dicebatur, à Gentilibus colebatur quaſi diuitiarum Deus. Vnde Cicero libr. 2. de Natura deorum: *Terrena,* inquit, *vis omnis atque natura Diti Patri dedicata eſt, qui diues, vt apud Græcos πλούτων, quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terra.* Auari ergo Deus eſt Mammon, ſiue Pluto, qui eum ſecum ad inferos (ibi enim eſt regnum & regia Plutonis) deducet.

Audi S. Auguſtinum lib. 4. de Ciuit. cap. 21. Gentiles commendabant ſe *deæ Pecuniæ, vt pecunioſi eſſent: deo Æſculano, & filio eius Argentino, vt haberent æream aureamq; pecuniam. Nam ideò patrem Argentini Æſculanum poſuerunt, quia priùs ærea pecunia in vſu eſſe cœpit, poſt argentea. Miror autem, quòd Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt. Quem deum ſi iſti haberent, ſicut Saturno Iouem, ita & patri Argentino, & auo Æſculano, Aurinum præponerent.* Cauſa cur pecunia facta ſit dea, eſt eius potentia & imperium: Nam, vt ait Eccleſ. c. 10. *pecuniæ obediunt omnia;* pecunia enim cõparantur dignitates, vina, epulæ, veſtes, equi, currus, & quid non? vnde Oſee cap. 12.8. de talibus ait: *Verùmtamẽ diues effectus ſum, inueni idolum mihi.* Hinc & Iuuenal. Satyra 1.

*Inter nos,* inquit, *ſanctiſſima diuitiarum*
*Maieſtas.*

Et Petronius arbiter eas Ioui pares facit, vel ſuperiores:

*Quiduis,* inquit, *nummis præſentibus opta,*
*Et veniet: clauſum poſſidet arca Iouem,*

Et Auctor Anthologiæ:

*Nunc vulgus ſuperos vix putat eſſe deos.*
*Nimirum ingenti congeſta pecunia curâ*
*Eſt Deus: humanas nunc regit illa vices.*

Vide Ariſtophanem in Pluto.

Præclarè S. Hieronymus epiſt. 28. ad Lucinium: *Non poteſtis,* inquit Dominus, *Deo ſeruire & Mam-*

*Mammonæ. Aurum deponere, incipientium eſt non perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antiſthenes; ſeipſum offerre Deo, propriè Chriſtianorum eſt & Apoſtolorum: qui duo cum vidua paupertatis ſuæ in gazophylacium æra mittentes, totum cenſum, quem habuerunt, Domino tradiderunt, & merentur audire: Sedebitis ſuper duodecim ſolia, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Denique diuitiæ dictæ ſunt, eò quòd diuidant diſtrahantque mentem, ait S. Ambroſius lib. de Abraham, ſicut diuiſerunt Abraham à Lot. Geneſ. 13.

VERS. 25. Luc. 12. 22. 23.

IDEO DICO VOBIS NE SOLLICITI SITIS ANIMÆ VESTRÆ QVID MANDVCETIS, NEQVE CORPORI VESTRO QVID INDVAMINI] *Animæ:* illa enim eget cibo, non præcisè pro ſe, ſed vt in corpore retineatur, illudque animet & vegetet. Rurſum in anima eſt omnis cibi ſenſus, guſtus, & delectatio. Aut *animæ*, id eſt, vitæ, ait S. Auguſtinus, anima enim eſt cauſa vitæ.

B

Pro *ne ſolliciti ſitis*, Græcis eſt μὴ μεριμνᾶτε, id eſt, ne anxiè cogitetis, ne cum cura, anxietate, & ærumna ſolliciti ſitis: μεριμνᾶτε enim dicitur à μερίζειν τὸν νοῦν, quòd ſtudium cōgregandi opes animum diuidat, & in varias cogitationes, curas, ſollicitudines, anxietates diſtrahat, & quaſi diſſecet. Non ergo prohibet hic Chriſtus prouidam diligentiam & laborem procurandi ſibi ſuiſque neceſſaria ad vitam, vti voluerunt Euchitæ (qui volebant ſemper orare, & numquam laborare) contra quos S. Auguſtinus ſcripſit librum de Opere monachorum: ſed vetat eorum ſollicitudinem anxiam, præoccupatam, intempeſtiuam, timidam, Deo diffidentem, cor in terra defigentem, & à Dei ſeruitio diſtrahentem.

*Chriſtus vetat ſollicitudinem victus ſeptem argumentis.*

Atque vt eam confutet, nobiſque eximat, adhibet ſeptem rationes ſiue argumenta: Prima eſt hoc verſu in verbis proximè ſequentibus, peti turq; à cura corporis noſtri, quam gerit Deus. Secunda verſ. 26. ab auibus, quas Deus curat & paſcit. Tertia verſ. 27. quòd omnis noſtra ſollicitudo inanis ſit ſine Deo. Quarta verſ. 28. à lilijs & fœno, quæ veſtit & ornat Deus. Quinta verſ. 22. quòd hæc ſollicitudo paganorum ſit, non Chriſtianorum. Sexta verſ. 32. quia ad Dei ſcientis omnia, & gubernantis prouidentiam pertinet de victu nobis prouidere, vt quærentibus regnum Dei alimenta adijciat. Septima verſ. 34. quia ſufficit diei malitia ſua. Tot argumentis vtitur Chriſtus, quia longè maior hominum pars laborat hac nimiâ ſollicitudine, adeoque à manè in veſperam non aliud cogitat, non aliud laborat, quàm vt cibum & veſtitum ſibi ſuiſque comparet, quę eſt magna miſeria, & pluſquam aſininus labor.

*Primum argumentum.*

NONNE ANIMA PLVS EST QVAM ESCA, ET CORPVS PLVS QVAM VESTIMENTVM?] Eſt hæc prima ratio contra anxiam & nimiam ſollicitudinem rerum temporalium, petita à minori, ſiue à minus veriſimili ad id, quod magis eſt veriſimile, q. d. Deus qui nobis animam & corpus dedit, imò ex nihilo creauit, & continuè conſeruat, & quaſi creat, hic vtique etiam dabit quæ minora ſunt, puta eſcas & veſtes, ſine quibus corpus & anima non poſſunt ſubſiſtere, Ita S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius. Verè S. Chryſoſtomus homil. 57. ad populum: *Deo*, ait, *paſcente, non eſt opus nos eſſe ſollicitos*. Nam *diuites eguerunt & eſurierunt:*

A

*inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Pſal. 33.

VERS. 26. Luc. 12. 24.

RESPICITE VOLATILIA CÆLI, QVONIAM NON SERVNT, NEQVE METVNT, NEQVE CONGREGANT IN HORREA: ET PATER VESTER CÆLESTIS PASCIT ILLA. NONNE VOS MAGIS PLVRES ESTIS ILLIS?] Græcè μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν, id eſt, magis differtis ab illis? multum præcellitis illis?

*Secundum argumentum.*

Eſt ſecundum argumentum, quo probat Chriſtus nos non debere eſſe ſollicitos de victu & veſtitu, petitum ab auibus, ideoque à minori ad maius, q. d. Si Deus aues irrationales de victu non ſollicitas, nec pro ea laborantes, ſed otioſas, ac ſubinde odioſas, v. g. coruos, vt habet Lucas cap. 12. 24. paſcit, datque eis illaboratum granum & cibum: quantò magis paſcit vos, qui eſtis homines rationales, creati ad imaginem eius, imò filij eius & heredes, Chriſti ſanguine redempti, pro quibus proinde tot agricolas procurat, quos facit ſerere, metere & triturare, ac tot molitores molere, tot piſtores pinſere panem? &c. Comparat homines non bobus terreſtribus, ſed auibus cæleſtibus, vt doceat eos debere eſſe cæleſtes, & inſtar auium è terra in cælum mente auolare, indeque cibum tum corpori, tum animę neceſſarium, quotidie à Deo expectare & poſtulare. Aues enim quotidianâ annonâ contentæ, de craſtina non ſunt ſollicitæ, ſed in Dei prouidentia placidè conquieſcunt, tantumque volatui & cantui vacant. Poterat Chriſtus, ait Chryſoſt. *hominum proferre exempla, vt Moſen, Eliam, Ioannem, qui de victu non fuere ſolliciti: ſed vt magis audientium conſcientias verberaret, de irrationalium illos ſecuritate commonuit.* Cur enim homo non faciat, quod faciunt aues; cur ſollicitus ſit, cum non ſint ſollicitæ aues?

C

Quocirca S. Franciſcus mirè delectabatur auibus, præſertim alaudis, eaſque ad Dei laudes concinendas inuitare ſolebat. Vnde & illi mox à morte ſuo cantu parentarunt alaudæ. Magna enim copia ad tectum domus, in qua mortuus erat, aduolantes, diu cum inſolita iubilatione gyrantes, Sancti laudes & gloriam celebrarunt. Solitus erat ipſe fratres ſui ordinis comparare alaudis, & vt eas imitarentur adhortari. Nam alauda, inquit, criſtam habet inſtar galeri, vnde & galerita vocatur, teſte Plinio lib. 11. cap. 37. Sic & minoritæ cucullum geſtant ſiue caputium, vt meminerint ſe puerorum, qui cucullis caput ſuum inuoluunt, innocentiam & humilitatem imitari debere. *Secundò*, alauda eſt cinerei coloris; cinerea eſt & tunica fratrum, vt recordentur illius dicti à Deo ad Protoplaſtum: *Memento homo, quia puluis*, ſiue *cinis es, & in cinerem reuerteris.* Tertiò, alaudæ viuunt in paupertate, ſine ſollicitudine grana, quæ terra præbet carpentes; ſic & fratres profitentur paupertatem, mendicato viuunt ſine ſollicitudine, in Dei prouidentia & fidelium charitate ſpem annonæ reponentes. Quartò, alaudæ mox vt granum inuenerint & comederint, in cælum feruntur volatu directo & ſublimi, ita vt aciem intuentium fugiant, canentes, & quaſi gratias agentes Deo omnium parenti & altori. Idem faciunt fratres, *quia panem Angelorum manducauit homo.* id eſt, panem ex eleemoſyna quæſitum, ad quem fratribus mendicantibus dandum Angeli inſtigant eos, qui

*Religioſus ſit alauda.*
*Primo.*
D
*Secundò.*
*Tertio.*
*Quarto.*



*Quinto.*

ſunt diuites. Quintò, alaudæ dicuntur *à laude*, quòd aſſiduo cantu Deum laudent; ſic & fratres terrena deſpiciant, cæleſtia appetant quaſi hoſpites terræ; & ciues cæli, ſciantque ſe à Deo vocatos ad hoc, vt iugiter Deum laudent tum pſalmodiâ, tum prædicatione & ſanctitate vitæ. Ita refert Lucas Waddingus in Annal. Minorum anno Chriſti 1226. numer. 39. & alij. Audi S. Ambroſium ſerm. in cap. 1. Malachiæ, qui extat in fine tomo 1. *Aues*, inquit, *propter viles eſcas gratias agunt; tu pretioſiſſimis epulis paſceris & ingratus es? Quis igitur non erubeſcat ſenſum hominis habēs, ſine pſalmorum celebritate diem claudere, cùm ipſæ aues ad gratificandum pſalterij ſuauitate perſultent: & eius gloriam non verſuum dulcedine perſonare, cuius laudem volucres modulata cantilena pronuntiant! Imitare ergo frater minutiſſimas aues, manè & veſperè creatori gratias referendo, Et ſi es deuotior, imitare luſciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies ſola non ſufficit, nocturna ſpatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur tuis laudibus diem vincens, operi tuo adde nocturna curricula, & inſomnem ſuſcepti laboris induſtriam pſalterij ſerie conſolare.*

*Auaritia cauſa inopiæ.*

Denique idem S. Ambroſius in Lucæ. cap. 12. ad illa v. 24. *Conſiderate coruos, quia non ſeminant, &c. & Deus paſcit illos*, ex hoc loco docet cauſam inopiæ noſtræ eſſe auaritiam: *Etenim*, inquit, *illis (coruis) idcircò inelaborati pabuli vſus exuberat, quòd fructus ſibi communes ad eſcam datos, ſpeciali quodam neſciunt vindicare dominatu. Nos communia amiſimus, cùm propria vindicamus, nam nec proprium quidquam eſt, vbi perpetuum nihil eſt; nec certa copia, vbi incertus euentus. Cur enim diuitias tuas æſtimes, cùm tibi Deus etiam victum cum ceteris animantibus voluerit eſſe communem? Aues cæli ſpeciale ſibi nil vindicant, & ideò pabulis indigere neſciunt, quia alijs inuidere non norunt.*

VERS. 27. Luc. 12. 25.

QVIS AVTEM VESTRVM COGITANS (Græcè μεριμνῶν id eſt, ſollicitus, ſollicitè cogitans, anxiè curans, hoc eſt ſollicita ſua cogitatione, diſquiſitione & molitione: *ſollicitudo* enim *eſt ægritudo* (inquietudo, anxietas) *animi cum cogitatione*, ait Cicero Tuſcul. 4.) POTEST ADIICERE AD STATVRAM SVAM CVBITVM VNVM]

*Tertium argumentum.*

Eſt tertium argumentum à maiori, ſiue magis veriſimili ad minus. Vnde Lucas cap. 12. 26. addit: *Si ergo quod minimum eſt non poteſtis, quid de cetero ſolliciti eſtis?* q. d. Si fruſtranea eſt cogitatio, ſollicitudo & labor, qua quis vellet excogitare modum adijciendi ſtaturæ ſuæ cubitum vnum, vt ſcilicet longior & altiori fieret, quàm ſit, cubito vno; licè enim mille annos cogitaret, & cogitando ſe diſcruciaret, numquam id perficeret: quantò magis inanis eſt anxia ſollicitudo, qua quis vitam per eſcas anxiè conſeruare, & prolongare ſuapte induſtria molitur; ſolius enim Dei eſt vti corpus à ſe creatum augere, vt ad iuſtam ſtaturam excreſcat, ita multò magis vitam, quam dedit, conſeruare, & ad finem à ſe ſtatutum producere, ac conſequenter alimenta ad hoc neceſſaria, paterna ſua prouidentia procurare & ſubminiſtrare.

Notat Euthymius hîc nominari cubitum, quia cubitus eſt propria menſura ſtaturæ humanæ. Omnis enim homo rectè formatus ſuorum cubitorum quatuor habet in altitudine, & quatuor in latitudine, ſcilicet, ſi extenſis ſit brachijs, vt hęc extenſio latitudini addatur: extenſio enim



A

brachiorum eſt menſura ſtaturæ cuiuſque hominis: atque hac ratione homo eſt quadratus, hoc eſt, tam latus, quàm longus, vt diſcat eſſe quadratus & ſolidus in conſtantia & virtute.

VERS. 28. Luc. 12. 27.

ET DE VESTIMENTO QVID SOLLICITI ESTIS? CONSIDERATE LILIA AGRI, QVOMODO CRESCVNT: NON LABORANT, NEQVE NENT.

VERS. 29.

DICO AVTEM VOBIS: QVONIAM NEC SALOMON IN OMNI GLORIA SVA COOPERTVS EST (Græcè περιεβάλετο, id eſt, amictus, indutus fuit, Arabicus *veſtitus fuit*) SICVT VNVM EX ISTIS] Eſt quartum argumentum ab elegantia liliorum. Si enim Deus lilia tanto candore, decore & pulchritudine veſtit & ornat, quantò magis homines in ſe confidentes veſte neceſſaria donabit?

*Quartum argumentum.*

B

Innuit, lilia dum creſcunt & nutriuntur, ſuis inuolucris quaſi veſtibus obuolui. Porrò mira eſt liliorum venuſtas, fulgor, fragrantia, ordo, decor, elegantia, celſitudo, quibus ea condecoret Deus, de quibus Plinius lib. 21. cap. 5.

*Veſtis regum liliata.*

Meminit Chriſtus liliorum, & veſtis ſiue paludamenti Salomonis, quia hoc erat candidum, floridum & liliatum, ſcilicet intertextum, vel opere phrygionico acupictum liliorum effigiebus, & liliorum candentium fulgorem æmulabatur; hoc enim ſuo candore, decore & pulchritudine eſt elegantiſſimum, ideoque fuit veſtis regum & principum. Audi Pauſaniam in Eliacis li. 5. cùm Iouis deſcribit ſimulacrum: *Cui præter alia pallium erat aureum: in eo cùm diuerſa animalia, tum ex omnibus florum generibus, lilia in primis cælata erant.* Et

C

Marcellinus lib. 14. inuectus in luxum veſtium: *Longioris*, inquit, *fimbriæ tunicæ perſpicua lucent varietate liliorum, effigiatæ in ſpecies animalium multiformes.* Hinc & ſuam illam nobiliſſimam candidiſſimamque togam, donatam ſibi à Parthenio, cubiculi Domitiani præfecto, cum liliis comparat Martialis l. 8. 28.

*Lilia tu vincis: nec adhuc dilapſa liguſtra,*
*Et Tiburtino monte quod albet ebur,*
*Spartanus tibi cedet olor, Paphiæq; columbæ,*
*Cedet Erythræis eruta gemma vadis.*

Ita Pineda lib. 6. de Rebus Salomonis, cap. 5.

*Lilia ſymbolum gloriæ cæli.*

Anagogicè lilia & liliata veſtis repræſentant ſtolam immortalitatis & gloriæ, qua ſuos electos in cælo amiciet Chriſtus. Vnde Pſalm. 44. inſcribitur: *Pro lilijs*; ſiue *pro ijs, qui commutabuntur*, ſcilicet à morte in immortalitatem, à miſeria

D

in gloriam. Quocirca Hilarius hîc per *lilia non laborantia, neque nentia* ſignificari intelligit *Angelorum cæleſtium claritates quibus extra humanæ ſcientiæ eruditionem à Deo gloriæ candor inductus eſt: & cùm in reſurrectione ſimiles omnes Angelis erūt, ſperare nos cæleſtis gloriæ voluit operimentum, exemplo Angelicæ claritatis. Lilium enim etiam auulſum à radice & à terra, ex ſe effloreſcit & vireſcit, & rurſum ſuo honore veſtitur. Ita ſanè Angelorum virtutes ex ſua origine, vt ſint ſemper, accipiunt.*

*Lilia pulchriora veſte Salomonis. Cur?*

Porrò quàm illa ſint ſpecioſa, deceantque principes ſponſos, præſertim Salomonem & Chriſtum: proinde quàm ijs delectaretur Salomon, patet ex eius canticis, vbi ſępiùs ait de ſponſo: *Qui paſcitur inter lilia.* Et cap. 2. 16. & cap. 6. 2. & cap. 7. 2. *Venter tuus*, inquit, *ſicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Imò cap. 2. 1. *Ego*, inquit, *flos campi & lilium conuallium.*

Porrò Chriſtus præfert liliorum pulchritudinem liliatis ex filo argenteo Salomonis veſtibus, quia illa, vtpote naturalis & natiua omnem artis elegantiam, quaſi adumbratam & imitatione expreſſam ſuperat. Ars enim imitatur naturam, ſed non adæquat: hinc maior eſt pulchritudo naturæ, quàm artis. Ars enim eſt quaſi ſimia naturæ: ſicut ergo ſimia imitatur hominem & hominis geſtus, ſed non aſſequitur, nunquam enim fit homo, ſed *ſimia eſt ſimia, licèt aurea geſtet inſignia*; ſic & ars numquam pertingit ad dignitatem & decorem naturæ. Ars enim eſt quaſi fucus naturæ, quaſi vmbra & imago naturæ; quantum ergo præſtat veritas fuco, vmbra imagini, tantum natura præſtat arti. Ita ſanctus Chryſoſtomus: *Quantum*, inquit, *diſtat à veritate mendacium tantum inter illorum amictus, & horum florum diſcrimen interiacet.* Et S. Hieronymus: *Reuerà*, inquit *quod ſericum, quæ regum purpura, quæ pictura textricum poteſt floribus comparari? Quid ita rubet vt roſa? quid ita candet vt lilium? Violæ verò purpuram nullo ſuperari murice oculorum magis, quàm ſermonis iudicium eſt.*

*Ars, ſimia naturæ.*

Denique flos naturæ eſt flos verus & viuus, flos veſti intextus eſt flos pictus & exanimis: tantum ergo inter ſe differunt, quantum homo verus & homo pictus. Ars enim eſt pictura & adumbratio naturæ. Vetus eſt dictum: *Pulchros eſſe fœtus artis, aureos naturæ.* Tacitè hîc notat Chriſtus, quàm exiles & viles ſint veſtes aureæ, ſericæ, purpureæ, in quibus opulenti vanè gloriantur, quaſque tanto labore & ſollicitudine ambiunt. Quid enim, vt ait S. Bernardus: eſt aurum & argentum, niſi terra alba & rubra? quid margaritæ, niſi excrementa concharum? quid purpura, niſi ſanguis vilis piſciculi, qui purpura dicitur? quid bombycina, niſi netus & ſtamina vermium, putà bombycum?

Tropologicè Gloſſa: Lilia, ait, ſunt virgines, qui per augmentum virtutum in Deo creſcunt, & induuntur gratiæ veſtibus in præſenti, & gloriæ in futuro. Hinc illud cant. ca. 2. verſ. 1. *Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Et cap. 6. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi qui paſcitur inter lilia.* Vide ibi dicta.

VERS. 30. Luc. 12. 28.

SI AVTEM (Arabicus: *Si enim*) FOENVM AGRI, QVOD HODIE EST, ET CRAS IN CLIBANVM MITTITVR, DEVS SIC VESTIT: QVANTO MAGIS VOS MODICÆ FIDEI?] Lilijs pulchris addit vilem herbam & fœnum, ad maiorem energiam. Pro *fœnum* enim Græcè eſt χόρτον, id eſt, *herbam*, q. d. Si Deus herbam in agro tanto virore, tamque pulchris foliculis & inuolucris veſtit, quæ hodie eſt & viret, cras demetitur & ſiccatur, fitque fœnum, ac in clibanum ſiue furnum mittitur, vt eum ſuccendat & calefaciat ad coquendos in eo panes; *quanto magis vos*, qui eſtis homines fideles, amici & filij ſui, Deus veſtiet? Vos, inquam, qui ſine cauſa eſtis *modicæ fidei*, Græcè ὀλιγόπιστοι, id eſt, *parum fidentes* in Deo, Deique paternâ prouidentiâ.

Nota: Hac increpatione Chriſtus oſtendit vulgarem de cibo & veſte ſollicitudinem naſci ex nimia & non ferenda diuinæ prouidentiæ diffidentia; ſi enim illi planè confiderent homines, non eſſent adeò ſolliciti, ſed in ea ſecurè conquieſcerent, tumque Deus moderatè laborantibus, ſibique fidentibus de neceſſarijs omnibus prouideret.

VERS. 31. Luc. 12. 29.

NOLITE ERGO SOLLICITI ESSE, DICENTES: QVID MANDVCABIMVS, AVT QVID BIBEMVS, AVT QVO OPERIEMVR?] quâ veſte tegemus corpus nudum contra aëris iniurias?

VERS. 32. Luc. 12. 30.

HÆC ENIM OMNIA GENTES INQVIRVNT] Eſt quintum argumentum, quod hæc terrenorum, putà cibi, potus, veſtitus ſollicitudo pagana ſit, non Chriſtiana, ideoque congruat paganis, qui Deum Deique prouidentiam ignorant, non Chriſtianis, qui vtramque credunt & ſperant, imò in dies ſentiunt & experiuntur.

*Quintum argumentum.*

SCIT ENIM PATER VESTER (Græca & Syrus addunt οὐράνιος, id eſt, *cæleſtis*) QVIA (quòd, quantum & quamdiu) HIS OMNIBVS INDIGETIS] Eſt ſextum argumentum, q. d. Nolite eſſe ſolliciti & anxij in veſtra cibi veſtiſque indigentia; nam Deus probè illam nouit, imò videt & intuetur, quia Deus eſt: ergo eidem prouidebit, quia amat curatque vos tamquam filios, quia Pater veſter: idque facere poteſt, quia cæleſtis eſt & omnipotens. Quin ergo in eum ſollicitudinẽ veſtram omnem deuoluitis? Scit enim, vult & poteſt veſtræ neceſſitati ſuccurrere: ſcit, quia Deus; vult, quia Pater; poteſt, quia Rex cæleſtis in cælo & terra pleno iure dominatur. Addit S. Lucas cap. 12. 29. *Et nolite in ſublime tolli*, Græcè μὴ μετεωρίζεσθε, id eſt, nolite in meteora aut alia præſidia humana reſpicere, de quo ibidem plura. Vnde S. Franciſcus ſuis non aliud dabat viaticum, quàm illud Pſaltis 54. 23. *Iacta ſuper Dominum curam tuam & ipſe te enutriet*, vbi pro *curam tuam*: Hebr. eſt יְהָבְךָ *iehabcha*, quod Chald. vertit *ſpem tuam*. S. Hieronym. *charitatem tuam.* Vatabl. *pondus vel ſarcinam tuam*, hoc eſt tua negotia, tuas ſollicitudines, tuas ærumnas, tuã paupertatem, & quidquid te onerat & grauat. Pſalt. Rom. *cogitatum tuum.* Radix יָהַב *iahab* ſignificat affectum poſtulantis, q. d. tuum *ea*, quidquid tibi ſollicitudinem, auiditatem, precem anxiam mouet & elicit, *& ipſe te enutriet*, Hebr. *ſuſtentabit, perficiet, curabit.* Quin & S. Petrus in epiſtol. 1. cap. 5. verſ. 7. *Omnem*, inquit, *ſollicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Et S. Paulus Philip 4. verſ. 6. *Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Vide ibi dicta. Nobis enim mens eſt arcta, humeri, & vires exiles: Deus autem latiſſimos habet prouidentiæ oculos, æquè ac humeros: ipſe enim eſt verus Atlas, qui cælum & terram humeris ſuſtinet. Ita Deus caſtra Hebræorum (erant in ijs facilè duo milliones hominum præter equos, boues, feraq; animalia) in ſterili deſerto aluit manna, veſteſq; eorum incorruptas ſeruauit, imò fecit, vt illæ cum pueris creſcentibus ſenſim creſcerent: idem fecit de calceis; idque per 40. annos. Sic etiamnum Deus vbiuis gentium mirabiliter prouidet alitque tot pauperes opifices, qui numeroſam habent prolem & familiam, ad quam alendam quotidianus eorum labor & lucrum exile nullo modo ſufficit; præſertim quia ſæpè malè valent; aut ſi ſani ſunt, non inueniunt quod operentur & lucrentur: quod velut certum diuinæ prouidentiæ argumentum admiratur & celebrat alibi S. Chryſoſtom. Fac enim computum, ac rationes ſubduc tam lucri, quàm expenſi, inuenies longè plus eos expendiſſe, quàm lucrati ſint. Facit ergo illis Deus, quod faciebat Hebræis colligentibus manna in deſerto; qui enim minùs collegerant, quàm menſuram Gomor, his Deus inſenſibiliter plus addebat, tantùm ſcilicet, quantum ſufficeret ad implendum Gomor, Exodi 16. 18. *Gomor* enim erat menſura diurni victus cuique ſufficiens. Quocirca Pſaltes: *Dominus*, ait, *regit me* (Hebr. *Dominus paſtor meus*, vel *paſcit me*) & (idcircò) *nihil mihi deerit: in loco paſcuæ, ibi me collocauit.* Pſalm. 22. Cur ergo de craſtino es ſollicitus? cur Deo non fidis? iniuriam facis Deo: diuinam prouidentiam & curam Deo quaſi adimis, & tibi arrogas. Meritò ergo te deſeret Deus, teque vacuum, egenum, famelicum & nudum relinquet. Longè ergo latius eſt *ſollicitum ambulare cum Deo ſolo.* Michææ 6. 8. eique dicere: *Ego autem ſum mendicus & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei.* Dei enim ſollicitudo pro nobis multò maior eſt omni cura, quam pro nobis ipſimet gerere poſſumus. Eſt enim in Deo diuina & immenſa.

*Viaticum S. Franciſci.*

*Sextum argumentum.*

*Mira Dei prouidentia.*

VERS. 33. Luc. 12. 31.

QVÆRITE ERGO (Græcè δὲ, id eſt, *autem*,) PRIMVM REGNVM DEI ET IVSTITIAM EIVS, ET HÆC OMNIA ADIICIENTVR) Græcè προστεθήσεται, id eſt, *apponentur*, vt legunt S. Cyprianus, & Auguſtinus, ſicut panis & cibus pauperi famelico in menſa à diuite apponitur) VOBIS] *Primum* non tam tempore, quàm dignitate, ait S. Auguſtinus, item æſtimatione & appretiatione, q. d. Maximè & præcipuè quærite regnum Dei, illud præ ceteris æſtimate, & ſummi pretij ducite; parui verò bona temporalia, vtpote quæ tantùm in ordine ad regnum Dei quærenda ſunt, quæque à Deo mantiſſæ loco adijciuntur, ſcilicet vbi hominum ſaluti id expedit. Errant ergo qui dicunt:

*O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm,*
*Virtus poſt nummos.*

Tales errores ſunt & hodie eorum, qui pinguia officia, beneficia, dignitates & prælaturas omni diligentia quærunt & procurant, parum de onere & aptitudine ſua, ac de ſalute æterna cogitantes.

REGNVM DEI (cæleſte, putà æternam beatitudinem & gloriam) ET IVSTITIAM EIVS] ſcilicet Dei (Græcè enim eſt maſculinum αὐτοῦ) hoc eſt, media, quæ ducunt ad regnum Dei, ſcilicet Dei gratiam, virtutes, & bona iuſtaque opera, quibus coram Deo ſimus iuſti vel iuſtiores, quæque Deus nobis præſcripſit & mandauit, vt nimirum ei eiuſque præceptis obediamus.

ET HÆC OMNIA ADIICIENTVR VOBIS] Ergo ipſa non erunt merces bonorum operum, quia hæc tota nobis ſeruatur in cælo, ait S. Aug. ſed *adijcientur* quaſi mantiſſa, & auctoramentum exiguum ad pondus mercedis adiectum: ipſa enim ſunt bona infima, ait S. Chryſoſt. reſpectu cæleſtium, vbi *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus* expectamus 2. Corinth. 4. 17.

VERS. 34.

NOLITE ERGO SOLLICITI ESSE IN CRASTINVM (in tempus futurum) CRASTINVS ENIM DIES SOLLICITVS ERIT SIBI IPSI] hoc eſt, de ſeipſo: videtur legiſſe ἑαυτῆ, iam legunt τῆς ἑαυτῆς, id eſt, de rebus ſuis, ſed eodem redit ſenſus. Eſt ſeptimum argumentum, q. d. Sinite craſtino, id eſt, futuro tempori curam & ſollicitudinem craſtini, id eſt, ſuiipſius, vt quid ante tempus vultis eſſe anxij & miſeri? licèt enim hodie curas craſtini vobis accerſatis, nihil idcircò minus curarum vobis ſecum afferet dies craſtinus, quibus ſibi ſollicitus & vobis moleſtus ſit, ita vt non ſitis illius onera leuiora reddituri, ſed hodiernum diem noua craſtini faſcis iniectione dumtaxat oneraturi: ſuo ergo tempori ſua ſeruetur ſollicitudo, hodierno hodierna, craſtino craſtina: ita ſollicitudo in partes diuiſa minuetur, fiet que leuior, & portatu facilior. Sanè, ſi anima ingrediens in corpus hominis, dum naſcitur, videret vniuerſas egeſtates, moleſtias, dolores & angores, quos per omnem vitam, per ſingulos dies, horas & momenta eſt ſubitura, exhorreſceret, deſperaret, nec in corpus ingredi ſuſtineret. Quocirca Deus celat & abſcondit futuras ærumnas, quæ nobis obueniunt, vt ſingulis diebus ſingulas carpamus, & diuiſas carptim ſuſtineamus: quod factu longè facilius eſt. Sapienter S. Chryſoſtomus hîc: *Nequaquam*, inquit, *vlterioris diei cura te conterat: cuius enim diei ſpatium te viſurum neſcis, quam ob cauſam illius ſollicitudine torqueris?* Et ſanctus ille θεοδίδακτος: *Quid prodeſt ſollicitum eſſe de futuris contingentibus, quæ fortè nunquam euenient?*

*Septimum argumentum.*

Nota primò τὸ *hodie* ſignificat tempus præſens: *craſtinum* quoduis tempus futurum. Ita S. Hilarius & Hieronymus: ſimile eſt verſ. 6. & ca. præced. v. 27. & 29.

Secundò, per proſopopœiam craſtino hîc tribuitur ſollicitudo, quia videlicet dies craſtinus ſuggerit homini materiam nouæ ſollicitudinis, quæ pro tempore & re nata curari debet. Ita S. Chryſoſtomus. Simili ſchemate ait Poëta:

*Neſcis quid ſerus veſper vehat.*

Et Pſaltes: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Pſal. 18. 3.

Tertiò, Chriſtus hîc non prohibet omnes craſtinas, imò menſtruas & annuas prouiſiones frumenti, vini, olei, &c. has enim prudentia œconomica requirit, ideoque has prudenter fecit Ioſeph in Ægypto. Geneſ. 41. 35. & Apoſtoli Actor. 11. 29. Vnde S. Antonius apud Caſſianum collat. 2. cap. 1. ait nonnullos nihil in craſtinum ſeruare volentes fuiſſe deceptos, nec potuiſſe arreptum opus congruo exitu terminare. Vide S. Auguſtinum lib. de Operibus monachorum cap. 23. & 24. Sed tantùm vetat ſollicitudines de futuro inutiles, anxias & intempeſtiuas, videlicet, cùm quis ſollicitus eſt circa ea; quorum cura ſecundùm rectam rationem non congruit præſenti tempori, ſed futuro: talis enim tantùm diei præſenti & ſibi ipſi onus curaſque fruſtra accerſendo & aggrauando iniuriam facit, & fruſtraneam moleſtiam creat.

*Prouiſiones non vetat Chriſtus.*

Sollicitudo ergo eſt duplex: Prior moderata & ſedula, quam recta ratio tali rei vel negotio adhibendam dictat, quæ à Græcis dicitur ἀκρίβεια, id eſt, *diligentia*, & σπουδή, id eſt, *ſtudium*, Vnde S. Iſidorus lib. 2. Etymol. *Sollicitus*, inquit, *dicitur quaſi ſolers citus; in quantum ſcilicet aliquis ex quadam ſolertia animi velox eſt ad proſequendum ea, quæ ſunt agenda*; vnde *ſolers* dicitur quaſi *ſolis ars*, ait Feſtus, id eſt, totus artificioſus, induſtrius, & ingenioſus. Hæc ergo ſollicitudo eſt laudabilis & neceſſaria in omni prudentia & virtute: poſterior eſt immoderata, nimia, anticipata, imper-

*Sollicitudo duplex.*

*Solers vnde.*

impertinens, quâ homo timidus vel cupidus fruſtrà ſe diſcruciat & affligit de futuris euentibus, qui planè incerti ſunt, nec præuideri vel impediri poſſunt: hæc Græcis dicitur *μέριμνα* (quæ vox hîc eſt in Græco) id eſt, anxia cura, anxietas, ærumna: hanc vetat hîc Chriſtus, vt dixi verſ. 25. Vnde Gloſſa Interlinearis: *Non labor*, inquit, *& prouidentia damnatur, ſed ſollicitudo mentem ſuffocans.*

SVFFICIT DIEI MALITIA SVA] *Malitia*, id eſt, moleſtia, cura & afflictio *ſua*, q.d. Quilque dies ſuam homini affert moleſtiam & ſollicitudinem, vt quid ergo fruſtrà alias ſibi de craſtino & futuro accerſit? Græcum ergo *κακία*, id eſt, malitia: ſumitur pro *κακώσιν*, id eſt, mali illatione ſiue afflictione. Sic Iacob ait Pharaoni: *Dies peregrinationis meæ 130. annorum ſunt parui & mali*, id eſt, miſeri. Geneſ. 47. 9. Sic vice verſâ bonitas vel bo- A num ſumitur pro læto, hilari & iucundo, vt: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Pſalm. 132. 1. Ita S. Hieron. Chryſoſtom. Theoph. Euthym. & S. Auguſtin. lib. 2. de Serm. Domini in monte, vbi totum hunc Chriſti ſermonem fusè explicat. Cauſam dat S. Chryſoſtomus: *Vt enim eos acrius increparet*, inquit, *ipſum penè tempus animauit, & velut afflictum ab omnibus introduxit; quaſi quod contra illos de impoſita ſibi afflictione ſuperflua clamaret.* Audi & S. Auguſtinum: *Neceſſitatem vocat malitiã, quia pœnalis eſt nobis: pertinet enim ad mortalitatem, quam peccando meruimus. Cùm videmus ſeruum Dei prouidere neceſſaria, non putemus agere contra Domini præceptum; nam & Dominus propter exemplum loculos habuit; & in Apoſtolorum Actis legimus procurata neceſſaria in futurum, ob imminentem famem; non prohibemur ergo procurare, ſed ob iſta militare.*

# CAPVT SEPTIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRohibet Chriſtus, ne alios iudicemus, & ne ſanctum demus canibus. Secundò, verſ. 7. docet inſiſtendum eſſe orationi. Tertiò, verſ. 13. aſſerit viam in cælum eſſe arctam, & à paucis iniri. Quartò, verſ. 15. monet fugiendos eſſe falſos Prophetas & doctores, qui in veſtimentis ouis celant lupum. Quintò, verſ. 24. pronuntiat ſapientem eſſe eum, qui ita audit verba ſua, vt illa faciat, & opere implent; ideóq́ ſimilem eſſe ædificanti domum non in arena, ſed in petra, quæ ventis & procellis omnibus reſiſtit.*

1. NOlite iudicare, vt non iudicemini. 2. In quo enim iudicio iudicaueritis,
iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. 3. Quid
autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? 4. Aut
quomodo dicis fratri tuo: Sine eijciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in o-
culo tuo? 5. Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere
feſtucam de oculo fratris tui. 6. Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis
margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi
dirumpant vos. 7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & ape-
rietur vobis. 8. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti
aperietur. 9. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem,
numquid lapidem porriget ei? 10. Aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem
porriget ei? 11. Si ergo vos, cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris:
quantò magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? 12. Omnia
ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc eſt enim
lex, & Prophetæ. 13. Intrate per anguſtam portam: quia lata porta & ſpatioſa
via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. 14. Quàm
anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inueniunt
eam. 15. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium,
intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. 16. A fructibus eorum cognoſcetis eos.
Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus. 17. Sic omnis arbor
bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. 18. Non poteſt
arbor bona malos fructus facere. Neque arbor mala bonos fructus facere. 19. Om-
nis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 20. Igi-
tur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. 21. Non omnis, qui dicit mihi: Domine,
Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in
cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. 22. Multi dicent mihi in illa die:
Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmo-
nia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et tunc confitebor
illis: Quia numquam noui vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.
24. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti,
qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, 25. & deſcendit pluuia: & vene-
runt



runt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: funda-
ta enim erat ſuper petram. 26. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea,
ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: 27. & deſcendit
pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & ce-
cidit, & fuit ruina illius magna. 28. Et factum eſt cùm conſummaſſet Ieſus ver-
ba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. 29. Erat enim docens eos, ſicut
poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.

VERS. 1. Luc. 6 37. *Temerariũ iudicium, quod?*

NOLITE IVDICARE (temerariè & malignè) VT NON IVDICEMINI] Nota: Chriſtus non prohibet hîc publicum magiſtratus iudicium, quo reos condemnat, innocentes abſoluit; hoc enim neceſſarium eſt in omni republica, ſed tantùm priuatum, cùm ſcilicet temerarium eſt, aut curioſum, aut detractorium; hoc enim charitati & iuſtitiæ, ipſique Deo, cuius iudicium vſurpamus, repugnat; proximo enim dati ſumus non iudices; ſed ſocij: quare ſi temerariè malam de eo habemus opinionem, iniuriam ei facimus, eique famam in animo noſtro, & apud alios, ſi eam ore proloquamur, eripimus. Fama autem ingens eſt bonum, maiuſque quam ſint opes. Ita S. Hieronymus, Beda, S. Baſilius in Reg breuior. reg. 164. & S. Auguſtinus: *Quæ dubium eſt quo animo fiant*, inquit, *in meliorem partem* B *vult nos interpretari.* Nam *φιλαυτία*, id eſt, amor proprius & inuidia impellunt hominem, vt in deteriorem partem illa interpretetur. Vnde Gloſſa: *Vix quiſquam*, ait, *inuenitur hoc vitio carens, vt ſuis fauens, aliena facilè reprehendat.* Audi S. Auguſtinum ſermon. 202. de Tempore: *De iſtis ergo, quæ ſunt Deo nota, & nobis incognita, periculosè noſtros proximos iudicamus. De ipſis enim Dominus dixit: Nolite iudicare, vt non iudicemini. De illis verò, quæ aperta ſunt, & publica mala iudicare & redarguere, cum charitate tamen & amore, & poſſumus & debemus, odio habentes non hominem, ſed peccatum, non vitioſum, ſed vitium deteſtantes, morbum potiùs quàm ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, aſſiduè ebrioſus, proditor, ſuperbus, ſi iudicati vel caſtigati non fuerint, im-* C *plebitur in eis illud, quod beatiſſimus martyr Cyprianus de talibus dixit: Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccati fomitem ſubminiſtrat.*

*Cur?*

Cauſam peruerſitatis temerarij iudicij dabat S. Antonius, dictitans nos ſæpè falli in ratione geſtorum: aliud eſſe Dei cuncta cernentis iudicium, qui non ex ſuperficie corporum, ſed ex mentium iudicat arcanis. Æquum autem eſſe nos nobis compati, & inuicem onera noſtra portare, vt conceſſo examine ſaluatori proprias conſcientias nolmetipſos iudicantes intueremur. Ita S. Athanaſius in eius vita.

VT NON IVDICEMINI] Temerariè ſcilicet & malignè, vel ſeuerè & rigidè, vti iam dixi: neque ab hominibus, neque à Deo, q. d. Ita fiet, vt D plurima aliorum iniqua iudicia effugiatis, aut ſaltem vt ſeuerum Dei iudicium non experiamini. Nota: hoc vt plurimùm eſt verum, non tamen ſemper. Chriſtus enim, Apoſtoli & Sancti, qui neminem temerè iudicarunt, à Pilato & Iudæis temerè & iniuſtè iudicati & condemnati ſunt: ſemper tamen id verum eſt de iudicio Dei. Audi ſanctum Auguſtinum de Sermone Domini in monte: *Temeritas, qua punis alium, ipſa te puniet: nocet ſemper iniquitas iniuriam facienti.*

Vide huius rei appoſitum & illuſtre exemplum apud Anaſtaſium Sinaitam orat. de S. Synaxi, quod recenſui Iacobi 4. 11.

Nonnulli codices cum Maldonato, hîc addũt: *Nolite condemnare, & non condemnabimini*; ſed id delent Græca, Roman. Tertullianus, S. Ambroſius: Auguſt. Chryſoſtomus, & alij: eſto id habeatur Luc. 6. 37.

Narrat Leontius Epiſcopus Cypri in vita S. Ioannis Eleemoſynarij c. 35. Vitalium qui multas conuertebat meretrices, à quodam alapa cæſum, & fornicarium iudicatum, ſed hunc iudicem viciſſim alapam accepiſſe à dæmone, ab eóque poſſeſſum, nec potuiſſe liberari, niſi ſupplicẽ in cella Vitalij iam vita functi, vbi & in pauimẽto cælitùs ſcriptum legerunt: *Viri Alexandrini nolite ante tempus iudicare, quoadusque Dominus veniat.* Porrò quàm ipſe S. Ioannes caueret, ne quem iudicaret, idemque alios cauere doceret, pluribus ibidem narrat Leontius. Sapienter S. Bernardus ſerm. 40. in Can. *Excuſa intentionem*, inquit, *ſi non potes opus, putà ignorantiam, putà ſubreptionem, putà caſum*;

VERS. 2. Luc. 6 38. Mar. 4. 24.

IN QVO ENIM IVDICIO IVDICAVERITIS, IVDICABIMINI, ET IN QVA MENSVRA MENSI FVERITIS, REMETIETVR VOBIS] *In quo & in qua*, id eſt, *quo & qua*, hoc eſt, quali iudicio iudicaueritis alios, tale & vos ſubibitis, ſcilicet temerarium, curioſum, infamans ab hominibus: à Deo autem curioſum, exactum, rigidum & ſeuerum. Deus enim temerarius eſſe nequit: ſin autem candidè & benignè dicta factaque aliorum iudicaueritis, in meliorem partem illa interpretando, etiam candidum & benignum de dictis factiſque veſtris iudicium Dei & hominum experiemini: *Vt enim peccata examinentur tua*, ait S. Chryſoſtomus, *legem priùs ipſe poſuiſti, ſeueriùs de his, quæ proximo peccauerat, iudicando: quia iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* Iacobi 2. 13. Plura de damnis & remedijs iudicij temerarij vide apud S. Auguſtinum ſermon. 202. de Tempore, & fuſiùs apud noſtrum Alphonſum Rodriguez tractat. 4. de Perfectione, qui eſt de charitate fraterna, cap. 15. & ſequent. ac Ioannem Bulæum in Panario verſ. *Iudicium temerarium.* Sanè Caſſianus libr. 5. de Inſtitut. renunt. cap. 30. Macherem Abbatem de ſe narrantem inducit, quòd in tres defectus, de quibus alios iudicauerat, ipſemet iuſta Dei permiſſione inciderit, de ijſque iudicatus ſit. S. Dorotheus doctrina 6. qui totus eſt de non iudicando, narrat Angelum detuliſſe animam adulteri cuiuſdam ad ſenem, qui illum condemnarat, eique dixiſſe: *En quem iudicaſti, vita functus eſt, quò me iubes igitur animam deferre, ad ſuperóſue, an ad inferos? Tu enim iudicem mortuorum te feciſti, & Chriſti iudicis locum vſurpaſti; iudica ergo vt iudex hanc animam.* Qua voce compunctus ſenex veniam petijt, totaque vita pœnitentiam egit. Denique quàm noxium ſit iudicare facta aliorum,

& quàm vtile iudicare ſeipſum & ſua, pulchris plurium Sanctorum gnomis & exemplis demõſtrat noſter Matthæus Raderus in Viridario part. 3. cap. 1. verſ. 2. vbi inter alia hæc aurea eſt: *Mendoſa amuſſis etiam recta deprauat*, nimirum melancholia; indeq́ue nata procliuitas ad malè ſuſpicandum de alijs eſt mendaciſſima, ac in ſe grauiter fallitur indeq́ue alios fallit. Quare qui hoc morbo laborat, diſcat ex experientia ſuarum ſuſpicionum illas plerumque eſſe falſas & fallaces; ideoq́ue dicat: Ego vobis ampliùs non credam, quia huculq́ue expertus ſum vos eſſe mendaces. Sic qui laborat vertigine capitis, vt videantur omnia gyrare, voluiq́ue, ſibi dicit: Erras, non gyrant res ipſæ, ſed gyrat cerebrum tuum: vertigo tua te gyrat.

Et in qva mensvra mensi fveritis, remetietvr vobis] Eſt adagium idem ſignificãs, q. d. Quali modo & menſurâ iudicaueris alios, tali & ipſe viciſſim iudicaberis, tum ab hominibus, tum à Deo; qualem te alijs exhibueris, tales & alij ſe tibi exhibebunt, ſcilicet, ſi benignus fueris, benignos; ſi ſeuerus, ſeueros; ſi temerarius, temerarios. Menſuram intellige ſimilem, non æqualem. Nam noſtra diuinæ æquari nequit. Dei enim cenſura ſiue ſeueritas & miſericordia longè noſtram ſuperat, licèt ſeueritas eius de meritis & culpis noſtris ſit minor. Deus enim peccata punit citra condignum. Chriſtum Dominum ſecutus S. Iacobus cap. 4. 11. *Nolite*, ait, *detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem.* Vide ibi dicta.

Vers. 3. Luc. 6. 41.

*Feſtuca, quid?*

Qvid avtem vides festvcam in ocvlo fratris tvi, et trabem in ocvlo tvo non vides?] Græcè οὐ κατανοεῖς, id eſt, *non animaduertis. Feſtucam:* Græcè τὸ κάρφος, id eſt, feſtuca, ſtipula, ſurculus, palea, ligni particula ſubtilis, quæ in oculos facilè inſilit, vel inuolat; hæc enim rectè opponitur trabi craſſæ. Feſtuca propriè eſt arboris nouellæ, ſiue cuiuſque ſati pullulus, id eſt, primum germen tenue ex ea pullulans & ebulliens: inde res minimas & tenuiſſimas ſignificat, quales hîc ſunt culpæ & defectus leues: trabs verò illi oppoſita notat crimina grauiora. Eleganter alludit ad viſionem oculi. Oculus enim non videt ſeipſum, ſuoſq́ue næuos, ſed alienos. Simili modo critici non vident nec cenſent ſuos defectus, ſed alienos: ſibi ergo cæci ſunt, vt talpæ; alijs oculatiſſimi, vt lynces; aliorum vel minimis vitijs offenduntur, ſuis, licèt maximis, blandiuntur. Hoc hominum genus eleganter ſimili ſchemate perſtringit Horatius, dicens:

*Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,*
*Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,*
*Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?*

*Apologus de Criticis.*

Huc facit vetus adagium: *Non videmus id manticæ, quod in tergo eſt*, de quo extat Apologus apud Æſopum: Singuli homines, inquit, duas habent mãticas, hoc eſt, peras vel ſaccos, alteram ante pectus, alteram à ſcapulis tergoq́ue pendentem: ſed in priorem aliena vitia immittunt, in poſteriorem ſua. Vnde Perſius:

*Vt nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo,*
*Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo:*

hæc eſt innata hominibus φιλαυτία.

*Exempla.*

Eodem Apologo criticos anachoretas taxauit & correxit Abbas Prior in Vitis Patrum libr. 5. libello 9. numer. 9. Nam ſaccum multâ implens arenâ coniecit in tergum: modicam autem ſportam parum arenæ continentem manu ante ſe geſtabat, rogatus cur hoc faceret? reſpondit: *Saccus ille, qui multum habet arena, mea peccata ſunt: & quoniam multa ſunt, poſui ea ſupra dorſum, ne doleam pro ipſis, & plorem; iſta autem arena modica peccata ſunt iſtius fratris, & ſunt ante faciem meam, & in ipſis exerceor iudicans fratrem.* Ibidem num. 8. Abbas Paſtor hanc vitæ regulam cuidam dedit: *Nullum ſpernas, neque condemnes, & nulli obloquaris, & Deus præſtabit tibi requiem, & erit ſeſſio tua ſine perturbatione.* Ibidem numer. 3. Abbas Iſaac, cùm quemdam iudicaſſet, aſtitit ei Angelus, dixitq́ue: *Deus me miſit, vt dicerem tibi: Vbi vis vt mittam fratrem illum, quem addixiſti;* quo audito, veniam ſupplex petijt Iſaac, cui Angelus: *Surge ignoſcit tibi Deus, ſed cuſtodi de cetero ne adiudices quemquam, priuſquam Deus adiudicet eum.*

Vers. 4. Luc. 6. 42.

Avt qvomodo dicis fratri tvo: Sine eiiciam festvcam de ocvlo tvo, et ecce trabs est in ocvlo tvo] q. d. Qua fronte, qua impudentia vis leue vitium proximi carpere & corrigere, cùm ipſe trabale & immane ſcelus in mente tua toleres?

Vers. 5. Luc. 6. 42.

Hypocrita; eiice primvm trabem de ocvlo tvo, et tvnc videbis eiicere (Græcè διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, id eſt, diſpicies, vel perſpicies, vt eijcias) festvcam de ocvlo fratris tvi] q. d. Sicut impoſſibile eſt, vt qui habet trabem in oculo, videat carpatq́ue exilem feſtucam ex oculo fratris ſui: trabs enim oculum occupat & excæcat, vt feſtucam diſſitam videre nequeat; ſic pariter fieri vix poteſt, vt quis graui ſcelere mentem rationemq́ue velans & opprimens, rectè, videat corrigatq́ue aliorum culpas minimas. Quomodo enim potes odiſſe minimas, qui maximas amas, & in teipſo foues? Quomodo potes videre minimas in alijs, qui maximas in te non aduertis? Purga ergo priùs oculum mentis tuæ à maximis, vt deinde minores in alijs rectè diiudicare & emendare adiſcas.

Vers. 6.

Nolite sanctvm dare canibvs, neqve mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte concvlcent eas pedibvs svis, et conversi dirvmpant vos] Chriſtus more ſuo pergit docere per parabolas & adagia, vt dixi canone 24. Eſt hîc duplex adagium idem ſignificans: vtrumque rectè connectitur præcedentibus; cùm enim paulò antè oſtenderit, qui & quales eſſe debeant, qui alios corripiunt, hîc viciſſim docet, qui corripi debeant & doceri, qui non. Idem ergo hîc ſignificat ſanctum, quod margaritæ, ſcilicet pretioſam cæleſtemq́ue doctrinam Euangelij, fidei, & veritatis, conſequenter etiam SS. Sacramenta. Iam per canes & porcos ijdem notantur, ſcilicet peruerſi & obſtinati, idq́ue propter immunditiam, quâ ſimiles ſunt porcis, & propter rebellem oblatrationem, quâ ſimiles ſunt canibus. Vetat ergo Chriſtus, ne quis eos, qui in ſceleribus ſuis obſtinati ſunt & incorrigibiles, vt canes & porci, docere velit & corripere. Rationem addit, quia illi velut porci famelici, ſtolidi, & impudentes ſanctas doctrinas, quæ animæ cibi ſunt, ſuis appetitibus & immunditijs contrarias contemnunt

*Obſtinati porcis & canibus ſimiles.*

*Non corripiendi.*



temnunt & calcant; deinde verò acuuntur in ſermonis auctorem, eumq́ue vel verbis, vel verberibus lacerant, Græcè ῥήξωσιν, id eſt, laniant. Intellige hoc per ſe: nam per accidens Chriſtus Dominus, S. Stephanus, S. Paulus, & alij peruerſiſſimis & obſtinatiſſimis Iudæis prædicarunt Euangelium, eorumq́ue incredulitatem acriter corripuerunt & caſtigarunt, licèt ſcirent ſe idcircò ab eis occidendos. Id enim fecerunt, tum vt publicum perhiberent teſtimonium veritati, & gloriæ Dei; tum ad conteſtationem inexcuſabilis impietatis improborum; tum propter aliorum aſtantium vtilitatem, & vitandum ſcandalum. Tunc enim ſancta non dantur porcis, ſed potiùs Deo & electis eius: Ita S. Auguſtinus, qui per canes accipit impugnatores veritatis, per porcos, contemptores. S. Chryſoſtomus verò per canes accipit Gentiles ſummè immundos; per porcos, hæreticos ventri deditos, per ſanctum accipit baptiſmum & Euchariſtiam, quæ non debet dari canibus & porcis, id eſt, immundis & indignis: margaritæ ſunt myſteria veritatis incluſa diuinis verbis in maris profunditate, id eſt, S. Scripturæ altitudine.

*Niſi ad aliorum bonum.*

Vers. 7. Luc. 11. 9.

Petite, et dabitvr vobis: qværite, et invenietis: pvlsate, et aperietvr vobis] Redit ad orationem, de qua cœpit agere cap. 6. 5. & ſeq. ad eamq́ue inſtanter adhortatur.

Petite] ſcilicet per orationem à Deo ad ea, quæ hactenus docui, quaſi vobis neceſſaria, ſed ardua & difficilia, ac præſertim quæ in oratione Dominica c. 6. 7. petenda præſcripſi; nam ad illã hæc refert Lucas c. 11. 9.

*Petite, quærite, pulſate, an differant?*

Nota: Hæc tria *petite, quærite, pulſate* idem ſignificant, ſcilicet inſtantiſſimam petitionem: nam petere ſignificat fiduciam in oratione cum primis neceſſariam: quærere, ſtudium & diligentiam; qui enim aliquid quærit, totum mentis ſtudium intendit in id, quod requirit: pulſare, perſeuerantium. Significat ergo orandum eſſe fidenter, diligenter, ardenter, & perſeueranter. Ita S. Auguſtinus, qui id, quod dixerat libr. 2. de Serm. Domini in monte cap. 33. *petite* pertinere ad impetrandas vires, quibus præcepta Dei impleamus; *quærite*, ad inueniendum veritatem; *pulſate*, ad aperiendum cælum, quò tendimus; quia *poſſeſſio ipſa aperitur pulſanti*: idipſum retractans libr. 1. Retract. cap. 19. *Operoſè*, inquit, *tria iſta quid inter ſe differant, exponendum putaui, ſed longè meliùs ad inſtantiſſimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe oſtendit, vbi eodem verbo cuncta concluſit, dicens: Quantò magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus, & quærentibus, & pulſantibus.*

Huc accedit S. Chryſoſtomus, qui & addit: Petite, inquit, precibus die ac nocte orantes: quærite ſtudio & labore: donum enim non datur negligentibus: pulſate oratione, ieiunijs & eleemoſynis, qui enim oſtium pulſat, manu pulſat.

Rurſum tria hæc notant auxeſin & incremẽtum orationis, quæ gradatim creſcere, ſuumq́ue affectum augere & intendere debet: petitur enim aliquid, primò loquendo; mox ſi non reſpondeatur, clamando; ſi clamor non ſufficiat, quæritur modus, quo exaudiatur, & impetret id quod petit, v. g. rima, per quam vocem in domum ad herum immittat; ſi nec id ſufficiat, pulſatur oſtium, pulſuq́ue excitatur herus domus, vt reſpondeat. Sic pariter orans, vocem non tam oris, quàm cordis ſenſim intendere debet, vt primò petat orando & clamando ad Deum; deinde quærendo modos omnes Deum quaſi excitandi & commouendi, vt concedat quod petitur: denique ingenti & intentiſſimo deſiderio pulſando quaſi cælum, ipſumq́ue cor Dei, vt illud aperiat, indeq́ue dona, quæ petuntur, largè effundat. Hinc Remigius ſic explicat: petimus orando, quærimus rectè viuendo, pulſamus perſeuerando. Alij, q. d. Petite fide, quærite ſpe, pulſate charitate. Oratio enim propriè eſt actus ſpei, quæ incipit à fide, & charitate perficitur. Denique Climacus gradu 28. *Pete*, ait, *per luctum, quære per obedientiam, pulſa per longanimitatem.*

*Myſticè.*

Myſticè S. Bernardus in Scala Clauſtralium: *Quærite*, inquit, *lectione, inuenietis meditatione, pulſate oratione, & aperietur vobis contemplatione. Lectio apponit ori ſolidum cibum, meditatio frangit, oratio ſaporem conciliat, contemplatio eſt ipſa dulcedo, quæ iucundat & reficit.* Hæc quatuor verò ita definit: *Meditatio eſt ſtudioſa mentis actio, occulta veritatis notitiam ductu propriæ rationis inueſtigans. Contemplatio eſt mẽtis in Deum ſuſpenſæ eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia deguſtans. Lectio inquirit, meditatio inuenit, contemplatio deguſtat, oratio poſtulat.*

Vers. 8. Luc. 11. 10.

Omnis enim qvi petit, accipit: et qvi qværit, invenit: et pvlsanti aperietvr] Hoc enim meretur orationis inſtantia & perſeuerantia. Intellige, ſi petat, quòd oportet, & quomodo oportet; ac niſi magis expediat, non accipere id, quod petitur: ſubinde enim petimus ea quæ ſalutaria videntur, ſed Deus videt, ea nobis fore noxia, quare clementer & ſapienter illa negat: ſicut mater puero petenti cultrum, quo ſe lædet, dare renuit. Audit ergo & exaudit Deus preces noſtras, non ad voluntatem, ſed ad ſalutem.

Eleganter & verè S. Auguſtinus (vel quiſquis eſt auctor) libr. de Salutar. monitis cap. 28. *Oratio iuſti*, ait, *clauis eſt cæli: aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio.* Idem S. Auguſtinus in lib. Sentent. apud Proſperum ſent. 87. *Quid*, ait, *infirmo ſit vtile magis nouit medicus. Itaque Deus aliquando miſericorditer non audit.* Idem ad Paulinum epiſt. 43. *Negat Dominus ſæpè quod volumus, vt tribuat quod mallemus.* Idem de Serm. Domini: *Cùm Deus tardiùs dat, commendat bona, non negat, diu deſiderata dulciora, citò data vileſcunt. petendo & quærendo appetitus creſcit vt capiat.* Gloſſa: *Non negat ſe petentibus, qui ſponte obtulit ſe non petentibus: & quærentes inuenient eum, qui non quærentibus dedit vt inuenirent, & pulſantibus aperiet qui clamat: Ecce ad oſtium ſto & pulſo.*

Vers. 9. Luc. 11. 11.

Avt qvis est ex vobis homo, qvem si petierit filivs svvs panem, nvmqvid lapidem porriget ei? Pro *aut* Græcè eſt ἢ, id eſt, *an*, quod hoc loco clarius eſt: noſter tamen vertit *aut*, quia ἢ quoque *aut* ſignificat. Sic *aut* pro *an* ponitur, cùm eſt nota interrogationis, præſertim efficacis, bicornis, & diſſectæ, vti hîc eſt. Sic Comicus in Eunucho ait: *Aut* (id eſt, *an*) *ego neſciebam quorſum tu ires?* Efficacius verò eſt *aut* quàm *an*, q. d. Aut Deus dabit nobis filijs ſuis id quod petimus, ſi homo det filijs panem, quem

quem petunt, non verò lapidem: aut ſi Deus non det, vtique nec homo dabit. Deus enim liberalior eſt homine. *Tò* ergo *aut* combinat Deum cum homine, eumque homini anteponit.

VERS. 10. AVT SI PISCEM PETIERIT, NVMQVID SERPENTEM PORRIGET EI?] Serpens enim ſpeciem formamque habet piſcis, vt doloſe pro piſce ſubſtitui poſſit, ſed non niſi ab hoſte inuido, qualis non eſt pater. Idem dicit alia ſimilitudine, ſed efficaciori: nam ſi pater filio poſcenti panem, daret lapidem, daret rem duntaxat inutilem & incomeſtibilem: ſin verò poſcenti piſcem det ſerpentem, non tantùm dat rem inutilem, ſed & noxiam & venenatam: ſerpens enim comeſtus à filio, eum ſuo veneno perimet: quare impius parricida foret pater, qui id faceret, quod remotiſſimum eſt à pietate & amore paterno erga filios: vnde illud hîc vt ordinariè & moraliter impoſſibile, à Chriſto proponitur.

VERS. 11. Luc. 11. 13. SI ERGO VOS, CVM SITIS MALI, NOSTIS BONA DATA (Græcè δόματα, id eſt, dona) DARE FILIIS VESTRIS, QVANTO MAGIS PATER VESTER QVI IN CÆLIS EST, DABIT BONA PETENTIBVS SE?] *Cùm ſitis mali*, tum naturali procliuitate in malum, quam contraxiſtis ex natura per peccatum corrupta. Geneſ. 8. 21. Ita ſanctus Hieronymus: tum propria voluntate & moribus: tacitè enim eos eorumque malos mores perſtringit. Vnde patet hæc ad plebem dici, non ad Apoſtolos. Apoſtoli enim boni erant, in plebe autem multi erant mali, & vitijs irretiti. Vnde S. Auguſtinus: Multos, ait, vocat ſæculi dilectores. Aliter S. Chryſoſtomus ad comparationem Dei omnes, licèt boni, inquit, videntur mali, ſicut ad comparationem ſolis omnia, licèt lucida, videntur obſcura.

NOSTIS] id eſt, conſueuiſtis. Eſt metalepſis: quia enim ritè nouimus ea, quæ facere conſueuimus, hinc noſſe ſignificat conſueſcere. Sic dicitur Pſalm. 103. *Sol cognouit occaſum ſuum.* q.d. Sol ſcit vbi ſoleat occumbere, ſed toties tritum à ſe iter optimè nouit; vnde per illud quotidie pergit ad locum in quo occumbat, q.d. Sol quotidie ibi occumbit, vbi ſolet occumbere.

DABIT BONA] Lucas habet: *Dabit ſpiritum bonum*; omnia enim bona per gratiam Spiritus ſancti dantur, ait Remigius. *Bona*, vera & ſolida intellige, quæ ducunt ad beatitudinem. Vnde S. Auguſtinus: *Aurum, inquit, & argentum bona, non quod te faciant bonum, ſed vnde facias bonum.*

VERS. 12. Luc. 6. 31. OMNIA ERGO QVÆCVMQVE VVLTIS, VT FACIANT VOBIS HOMINES, ET VOS FACITE ILLIS: HÆC EST ENIM LEX ET PROPHETÆ] *Tò ergo* nonnulli cenſent hîc non habere vim illationis, ſed quaſi encliticum redundare; ſic enim, cùm ſermonem concludimus, vel nouum dicendi argumentum ordimur, dicimus. Ergo, vt concludam, ſit hæc ſumma dictorum; vel: Ergo ſit nouum rei probatæ argumentum: vnde *τὸ ergo* omittit Syrus, quin & Lucas cap. 6. verſ. 31.

Poteſt tamen *τὸ ergo* hîc propriè ſumi vt illatiuum, ſed ita vt concluſionem inferat non ex ijs, quæ proximè præceſſerunt, licèt id velit S. Chryſoſtomus (qui ſic explicat, q.d. Ergo vt bona, quæ orando petitis, à Deo Patre impetretis, vos quoque bona, quæ proximi à vobis petunt, illis tribuite, ſicut vultis vobis eadem tribui) Verùm eam inferat ex vlterioribus & remotiùs dictis more Hebræo, putà ex ijs, quæ tum cap. 5. & 6. tum initio huius capitis dixit de dilectione proximorum etiam inimicorum, de danda eleemoſyna, de danda venia offendentibus, de non iudicando. Vnde Lucas cap. 6. verſ. 30. illis hæc ita connectit: *Omni, inquit, petenti te tribue, & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas: Et prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter*; ac veriſimile eſt Chriſtum hæc ita dixiſſe & connexiſſe, vt habet Lucas. Senſus ergo eſt, q.d. Quæ hactenus ſparſim dixi de diligendo proximo, deque danda eleemoſyna, illa omnia ex hoc primo naturæ dictamine, & primo philoſophiæ moralis principio oriuntur, atque hac æquitate nituntur, vt quid tibi fieri, velis, id alijs facias: ac quod ab alijs pati nolis, id alteri non irroges. Intellige quod *velis & nolis* rectè & honeſtè, iuxta iudicium rectæ rationis: nam guloſus, v. g. qui vult ſibi propinari vinum vſque ad crapulam, non poteſt licitè alijs illud ita propinare: ſed ſicut hoc ſibi perperam vult, ita & perperam facit illud alijs propinando. Alludit ad monitum, quod Tobias moriens dedit filio cap. 4. 16, dicens: *Quod ab aliquo oderis fieri tibi, vide, ne aliquando alteri facias.*

*Primum Ethices principium.*

HÆC EST ENIM LEX ET PROPHETÆ] q.d. Hoc ſpectat, hoc per varia præcepta iubet lex & Prophetæ: hæc eſt ſumma legis & Prophetarum. Nam ex hoc principio: *Quod tibi vis fieri, hoc alteri fac; & quod nolis tibi fieri, alteri ne facias*, rectè particulatim elicitur & concluditur: tu non vis tibi eripi vitam, vxorem, famam, opes, &c. ergo eadem alijs non eripito, ſed conſeruato & foueto. Ita S. Auguſtinus.

Nota: Non dicit Chriſtus totam legem hoc ſpectare, quia lex etiam ſpectat ſancitque dilectionem Dei, idque vel maximè: poteſt tamen hoc quoque verè dici, quia ſcilicet dilectio proximi includit dilectionem Dei, ex eaque procedit, ſicut ramus ex radice: nec enim proximus charitate diligitur, niſi propter Deum primò & per ſe dilectum. Simile eſt Galat. 5. 14. & Rom. 13. 8. *Qui, inquit, diligit proximum, legem impleuit.* Simili phraſi ait Eccleſ. 12. 13. *Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.* Vide his locis dicta.

VERS. 13. Luc. 13. 24. INTRATE PER ANGVSTAM PORTAM: QVIA LATA PORTA ET SPATIOSA VIA EST, QVÆ DVCIT AD PERDITIONEM: ET MVLTI SVNT, QVI INTRANT PER EAM] *Anguſta porta*, qua intratur in cælum ad beatitudinem & conuiuium gloriæ cæleſtis, eſt lex Dei, ait S. Auguſtinus, quæ cupiditates noſtras arctat & conſtringit, item obedientia, continentia, mortificatio, crux quotidiana, quam lex vel fieri vel portari iubet: *Porta lata*, quæ ducit ad perditionem vel gehennam, eſt concupiſcentia, libertas nimia, gula, libido, &c. Reſpicit Chriſtus ad ſuas legum partim ſanctiones, partim interpretationes, quas recenſuit ſtatuitque cap. 5. dicens: *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, &c. non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Qui petit à te, da ei. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Eſtote perfecti, ſicut & Pater*

*Anguſta porta cæli, quæ*



*Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, &c. Hæc omnia enim ſunt ardua & arcta, q.d. Videor vobis meis præceptis arctaſſe viam ſalutis, ſed ſcitote illam in ſe eſſe arctam, ideoque me eam non arctaſſe; ſed talem, qualis reuera eſt, deſcripſiſſe duntaxat: via enim ad gloriam cæleſtem eſt puritas & ſanctitas, quæ in ſtatu hoc naturæ corruptæ in arcta cupiditatum refrænatione & mortificatione conſiſtit: quia enim per libertatem & voluptatem lapſus eſt Adam, & in eo nos omnes in peccatum, indeque in omnem concupiſcentiam: hinc omnium horum remedium non eſt aliud, quàm arcta continentia, crux, & mortificatio: contraria enim contrarijs curantur. S. Ambroſius in Pſal. 1. *Duæ, inquit, ſunt viæ: vna iuſtorum, altera peccatorum: vna æquitatis, altera iniquitatis. Iuſtorum via anguſtior eſt; iniuſtorum latior: illa ſobrietatis anguſtior, hæc ebrietatis latior, vt poſſit capere fluctuantes.* Et paulò pòſt comparans hanc viam latam cum anguſta: *Hîc*, inquit, *libertas cupiditatum, illic ſeruitutis iniuria; hîc conuiuium, illic ieiunium; hîc intemperantia gaudiorum, illic perſeuerantia lacrymarum: hîc ſaltatio, illic oratio: hîc cantus dulces, illic gemitus graues.* Clemens Alexandrinus lib. 4. Strom. citat laudatque illud Heſiodi: *Sudor ante virtutem eſt poſitus, via longa eſt atque decliuis ad ipſam.* Et illud Simonidis: *Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus.* S. Baſilius in Pſal. 1. *Via, inquit, illa facilis & lata, pronoq; curſu decliuis habet decipientem dæmonem malum, qui per voluptatem ſe ſequentes ad perditionem trahit: aſperæ verò & accliui & arduæ Angelus præſidet bonus, qui per ſtrenuos pro paranda virtute labores ad finem beatum ſequaces ſuos deducit.* Quocirca Lucas cap. 13. 24. habet: *Contendite intrare per anguſtam portam*, vbi pro *contendite* Græcè ἀγωνίζεσθε, id eſt, agonizate, & quaſi in agone & agonia contendite, extremas ſummaſque vires velut agonizantes exerite, quaſi pro vita, ſi vincitis; vel morte, ſi vincimini, luctaturi, iuxta illud Apoſtoli: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidẽ vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* 1. Cor. 9. 25. Agonem ergo obimus, & in eo agonizamus certamuſque pro cælo vel inferno, pro gloria vel gehenna, pro æternitate beatiſſima vel miſerrima. Quiſque videat, quomodo tantum agonem agonizet; nam ſtadium & via ad vitam eſt crux: ſtadium & via ad perditionem eſt voluptas. Via ad perditionem eſt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: via ad vitã eſt continentia, paupertas ſpiritus & humilitas: via ad perditionem eſt amor mundi & mundanorum: via ad vitam eſt contemptus mundi & mandanorum. Quocirca S. Barlaam Ioſaphat regi dixit viam ad vitam eſſe martyrium vel ſanguinis, vel voluntatis, & pœnitentiæ; hanc enim viam iniuit, nobiſque præiuit Chriſtus: hac de cauſa primos Chriſtianos, eiuſque ſequaces vltrò ſe obtuliſſe martyrio; ſequentes verò, ceſſante perſecutione, voluntarium ſibi indixiſſe martyrium auſteræ vitæ in cœnobijs, in deſertis & ſpeluncis. Ita refert Damaſcenus in hiſtor. cap. 12.

*Ratio à priori.*

*Chriſtianus agonizet pro cælo.*

*Exemplum S. Perpetuæ.*

Sic S. Perpetua (quam celebrat S. Auguſtinus in Pſalm. 47. & alibi) vidit ſcalam auream: ſed vndique circumſeptam cultris & gladijs per quam ſcandendum erat in cælum, atque hac viſione cognouit ſibi ſuiſq; portendi martyrium. Vidit enim S. Satyrum, vnum è ſocijs per illam animoſè aſcendentem, ceteroſque ad ſe ſequendum exhortantem, vti habet eius vita apud Surium die 7. Martii.

Hinc rurſum ex hac Chriſti ſententia ſanctus Wilhelmus ex duce Aquitaniæ pœnitens eremita colligebat, reſecatis omnibus ſuperfluis, indulgendum eſſe corpori in ſolis neceſſarijs: *Quanti fratres, inquit, in Ægypto, quàm multis annis Domino ſine piſcibus ſeruierunt? Quantis tyrannis in inferno poſitis abundè ſufficeret extra infernum ſaccus Hieronymi, tunica Benedicti, mattula Eulalij, lachrymæ Arſenij, nuditas Apoſtoli, olla Eliſæi? ſed væ nobis miſeris, qui fortitudine mentis eneruati, & fragilitate corporis prægrauati, ſuperfluitatem conuertimus in neceſſitatem. Iam non eſt, quo ſe immiſceat charitas, vbi totum occupauit vanitas. Dicebat inſuper ſeruum Dei omni horâ cogitata, dicta, geſta debere circumſpicere, ne in ipſis contingeret oculos creatoris offendere. Seruum Dei ſemper aut orare, aut laborare, aut cæleſtia cogitare debere.* Ita Theobaldus Epiſcopus in eius vita cap. 23. Extat apud Surium die 10. Februarij.

Vidit ipſum per vmbram Pythagoras, qui dictitabat, viam virtutis initio eſſe arctam & ſtrictam, ſed deinde ſenſim dilatari: viam verò voluptatis initio eſſe amplam, ſed ſenſim magis magiſque arctari: *Tribulatio enim & anguſtia in animam omnis hominis operantis malum: gloria autem, honor & pax omni operanti bonum.* Rom. 2. Charitas enim & gratia Chriſti dilatant cor, vt fidenter dicat fidelis cum Pſalte: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.* Pſal. 118. 32.

Symbolum Pythagoræ hac de re erat litera Y, quod eleganti epigrammate explicuit Virgilius, dicens:

*Symbolum Pythagoræ.*

*Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,*
*Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur:*
*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,*
*Difficilemq; aditum primùm ſpectantibus offert,*
*Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.*
*Molle oſtentat iter via lata: ſed vltima meta*
*Præcipitat captos, voluitq; per ardua ſaxa.*
*Quiſquis enim duros caſus virtutis amore*
*Vicerit, ille ſibi laudemq; decuſq; parabit.*
*At qui deſidiam luxumq; ſequetur inertem,*
*Dum fugit oppoſitos incautâ mente labores,*
*Turpis inopſq; ſimul miſerabile tranſiget æuum.*

VERS. 14. QVAM ANGVSTA PORTA ET ARCTA VIA EST, QVÆ DVCIT AD VITAM: ET PAVCI SVNT, QVI INVENIVNT EAM?] Idem dicit repetitque ad maiorem emphaſim, vt id altiſſimè cordibus noſtris imprimat; vt notat S. Baſilius in Breuior. quæſt. 241. Hæc eſt vox æternæ ſapientiæ: qui ſapit ergo, & ſeriò animam ſuam ſaluare ſatagit, arctam viam capeſſat. Vnde Theophylactus & Euthymius cenſent hanc eſſe vocem Chriſti admirantis, q.d. Papæ, quàm anguſta eſt via ad vitam!

Menſuram huius anguſtiæ & arctitudinis viæ ad cælum æquè ac paucitatis eorum, qui illam capeſſunt & ſaluantur, æſtima ex typis, quorum primus eſt Lot, qui ſolus cum duabus filiabus euaſit incendium Sodomæ & Pentapolis, ceteris omnibus ob libidinem eo concrematis. Mundus enim eſt inſtar Sodomæ, ardetque cupiditate & luxuriâ: quocirca longè maior pars eorum, qui damnantur, ob pollutiones & libidines dam-

*Paucitatis ſaluandorum ſymbola. Primus.*

damnantur, ait Toletus, imò id reuelatum eſt S. Chriſtinæ Mirabili, vt habet eius vita. *Secundus.* Secundus typus eſt in diluuio: hoc enim ſolus Noë euaſit cum ſeptem animabus, ceteros ob peccata diluuium abſorpſit. In mundo enim eſt exundatio & diluuium ſcelerum, indeque pœnarum & ærumnarum omnium. *Tertius.* Tertius eſt in ingreſſu terræ promiſſæ, quæ erat typus cæli: hanc enim ex ſexcentis millibus Hebræorum duo ſoli, putà Ioſue & Caleb ingreſſi ſunt. Num. 14. 30. *Quartus.* Quartus typus eſt Iſaiæ cap. 17. verſ. 5. vbi Propheta Damaſcenos ſaluandos à ſtrage Chaldæorum comparat paucis ſpicis poſt meſſem, & paucis vuis poſt vindemiam remanentibus, imò duabus vel tribus oliuis poſt excuſſionem oleæ reliquis: hi ſunt typus paucitatis ſaluandorum. *Quintus.* Quintò, id patet ex irrefragabili Chriſti ſententia, dicentis: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 20. Sapienter enim monet Caſſianus: Viue cum paucis, vt inter paucos inueniri ſaluarique merearis. *Sextus.* Multitudo denique damnatorum liquet ex magnitudine inferni, quæ eſt ſtadiorum 1600. Apocal. cap. 14. 20. *Inferni capacitas.* hoc eſt, ducentorum milliarium Italicorum (octo enim ſtadia faciunt vnum milliare) idque quaquauerſum, ſcilicet, vt infernus profundus ſit 200. milliaribus Italicis, totidem longus, & totidem latus, quod ſpatium capiet multa millena millia millionum damnatorum, qui in inferno compingentur ſicut haleces & piſces in vaſe. Vide dicta Apocal. 12. 20.

Porrò hæc ſententia vera eſt, ſi omnes omnino homines accipias. Longè enim maior hominum pars eſt infidelium, Turcarum, Saracenorum, hæreticorum. Sed & de fidelibus S. Chryſoſtomus hom. 40. ad populum, cenſet vix milleſimum quemque ſaluari; ait enim: *Quot eſſe putatis, qui in ciuitate noſtra* (Antiochia) *ſaluantur? infeſtum quidem eſt quod dicturus ſum; dicam tamen: Non poſſunt in tot millibus* (facilè Antiochiæ erant centum millia & plura) *centum inueniri, qui ſaluentur, quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus eſt malitia? quantus in ſenibus torpor? nemo zelum habet, multitudo ſumus fœni, inordinatum mare.* Et S. Auguſtinus lib. 4. contra Creſcent. cap. 53. Eccleſiam comparat areæ, in qua plures ſunt paleæ, quàm grana tritici, putà plures mali, quàm boni; plures damnandi, quàm ſaluandi. Verùm alij mitiùs probabiliter cenſent maiorem partem fidelium ſaluari, quia maior pars moritur perceptis ſanctis Sacramentis, quæ iuſtificant peccatores, etiam attritos dumtaxat, non contritos. Hoc verum videtur de ijs, qui non vixerunt in peccatis continuis, & quaſi habituatis, vt concubinatus, vſuræ, odij, rixarum, &c. Hi enim ægrè concipiunt ſerium & efficax emendationis propoſitum, aut ſi illud concipiant, mox eos rurſum in morte, iuſtè permittente Deo in vindictam ſcelerum præteritorum, tentat dæmon illecebroſa præteritæ, & crebrò vſurpatæ voluptatis illicitæ memoriâ, eam refricando & acuendo, cui proinde homo infirmus ex habitu facilè cedit & conſentit, itaque peccat & damnatur, cuius rei plura extant exempla. Plura de numero electorum & reproborum dixi Iacobi 2. 13. ad illa: *Superexaltat autem miſericordia iudicium.*

Vers. 15. Act. 20. 29. Attendite Græcè προσέχετε, id eſt, cum attentione cauete, attentè ſeruate vos. Syrus: *Cuſtodite vos*) a falsis prophetis, qvi veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces] Tranſit Chriſtus ad ſaluberrimum de cauendis falſis doctoribus monitum, qui docent viam in cælum non eſſe arctam, ſed laxam, ideoque ſuos ſequaces non ad cælum, ſed ad tartara tranſmittunt. Docent enim non eſſe ieiunandum, non confitendum, non eſſe ſeruandam virginitatem, nec vota religionis, omnemque carni libertatem indulgent, ac bonis operibus omnem merendi vim adimunt.

*Propheta eſt doctor.* Nota: Propheta in Scriptura non tantùm vatem, qui futura prænuntiat, ſed & multa alia per catachreſin ſignificat, ſcilicet, nunc virum ſanctum & religioſum, nunc cantorem, nunc miraculorum operatorem, nunc & ſæpiùs doctorem. Olim enim Prophetæ erant doctores populi, qua de re plura dixi 1. Corinth. 14. initio capitis, & Eccleſ. 48. 14. Propheta ergo eſt doctor, qui officium viuendi & cognoſcendi ea, quæ alijs non ſunt manifeſta, profitetur, ſiue futura prædicat, ſiue non. Propheta enim Hebr. vocatur *videns*, quòd videat arcana & alijs abſcondita, qualia ſunt in primis futura. Falſi Prophetæ ergo ſunt falſi doctores, ſiue illi hæretici ſint, ſiue Gentiles & Pagani, ſiue alij quilibet, qui nos ab arcta & recta ſalutis via in latam & peruerſam ſollicitant: quare ſimiles ſunt lupis oues laniantibus & deuorantibus.

*Veſtes ouinæ quæ.* Porrò veſtes ouium, quas induunt hi lupi, ſunt prętendere & obuelarè ſuo errori & hæreſi, primò libertatem conſcientiæ; ſecundò ſententias S. Scripturæ in ſpeciem ſuæ hæreſi fauentes: tertiò reformationem morum Eccleſiæ, præſertim cleri & Eccleſiaſticorum; quartò manſuetudinem, ſimplicitatem & ſimulationem pietatis; quintò blandiloquentiam & facundam garrulitatem, quibus tegunt ſuam lupinam ſæuitiam, ſeſeque in animos audientium callidè inſinuant, vt eos deinde ſuo errore inficiant & interficiant, eorumque crumenas emungant, opeſque deuorent: vt enim ſuo ventri ſeruiant, animas ſectatorum perdunt mittuntque in tartara, quæ ſanè lupina eſt voracitas & feritas.

Qvi veniunt] à ſeipſis ſponte ſua ſe ingerentes, & munus docendi vſurpantes, cum ab Epiſcopis & Prælatis Eccleſiæ non ſint vocati, nec miſſi, nec approbati. de quibus Ierem. cap. 23. 21. dicitur: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.*

Vers. 16. Luc. 6. 44. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numqvid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?] *Colligunt*, non falſi Prophetæ, ſed homines, v. g. agricolæ. *Colligunt* ergo, id eſt, *colliguntur*, q. d. Sicut è ſpinis non ſolent gigni & colligi vuæ, nec à tribulis ficus; ſic ab hæreſi & hæreticis nullus fructus bonus & ſuauis, ſed malus, aſper & ſpinoſus colligitur. Fructus hic eſt duplex: primus falſæ & impiæ doctrinæ: ſecundus prauorum morum & ſcelerum ex ea conſequentium. Exempla huius ſæculi dedere Lutherus & Caluinus. Lutherus enim docet vota non obligare religioſum, hominem non habere liberum arbitrium, agi fato, neceſſariò peccare, fidem ſolam iuſtificare, opera bona nil apud Deum mereri. Caluinus docet Deum eſſe auctorem malorum, Chriſtum in





cruce deſperaſſe: ſenſiſſe pœnas inferni, &c. quæ prorſus ſunt blaſphema, ac contra legem ac rationem naturalem; item fidem, id eſt, perfidiam ſuam armis eſſe tuendã & propagandam, depoſitis, vel occiſis legitimis principibus, & regibus, Epiſcopis, ſacerdotibus, & Catholicis illi obſiſtẽtibus. Vnde in Gallia, Anglia, Germania audiuimus, & quaſi oculis ſpectauimus tot ſacerdotum & Catholicorum cædes, rapinas, exilia, ac immane iniquitatis diluuium, & probitatis quaſi incendium vniuerſale, nimirum SS. Sacramenta *Exemplum* profanari, ſacroſanctum Sacrificium aboleri, Sanctos cõtemni, vota violari, templa comburi; ſacros canones irritari, ſanctas virgines corrumpi, viros probos eliminari, improbos exaltari & dominari, &c. Nam vt rectè agebat Ioannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, glorioſus cum Thom. Moro in Anglia ſub Hẽrico VIII. martyr: *Libido eſt mater hæreſeos, æquè ac filia.*

Vers. 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala (Græcè σαπρὸν, id eſt, inutilis, vitioſa, putrida, ait Euthymius) autem arbor malos fructus facit] *Non enim ex folijs, neque ex floribus, ſed ex fructu arbor bona malaue dignoſcitur* ait S. Bernardus epiſt. 107. *Arbor*, ſcilicet, fructifera; ceteræ enim dant folia & ramos ſine fructu. Sub arbore frutices omnes intellige, quales ſunt ſpinæ & tribuli, de quibus ſermo præceſſit, quem hîc continuat, vt patet ex *τὸ ſic*, quæ hanc habet vim, q. d. Sicut ex ſpinis non colliguntur vuæ, ſed ſpinæ; nec ex tribulis ficus, ſed tribuli (tribulus eſt ſpinæ genus, à ſemine triangulari ſic dictum, vel quòd cuſpidatim trifariam feriat, vnde dicta tribulatio) ſic ex omni arbore (ex frutice) bona boni naſcuntur fructus, ex mala mali. Sic planè res ſe habet. Sic vbique fieri videmus. Ita Gloſſa Interlinearis.

*Quid per arborem bonam ſignificetur hîc.* Nota primò, per arborem hîc ad literam non accipi voluntatem bonam, ſiue charitatem; nec per arborem malam voluntatem malam, ſiue cupiditatem, vti cenſent S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus & Lyranus; ſed doctorem bonum vel malum, id eſt, verum vel falſum; de hoc enim ſermo præceſſit; hîc enim tantùm de fide & doctrina agitur. S. Lucas tamen cap. 6. v. 43. arborem malam interpretatur hypocritas, quia falſi doctores ſunt maximi hypocritæ, tum quia hæc ſententia etiam de omnibus hypocritis vera eſt. Nam Lucas omittit falſos doctores, quos Matthæus aptè hîc nominat & interſerit: propter illos enim propriè hæc parabola affertur à Chriſto: quare ex Matthæo ſupplendus & interpretandus eſt Lucas.

Nota ſecundò, per fructus arboris, id eſt doctoris, accipi tum eius doctrinam, vt ait ſanctus Lucas c. 6. 45. quæ à vero vera, à falſo falſa promanat: tum eius opera cum ſancto Hieronymo Chryſoſtomo, Auguſtino; licèt enim falſi doctores & hæretici aliquando ſanctitatem in bonis operibus prę ſe ferant; tamen per ſe & natura ſuâ fides praua in doctore prauo, prauos mores & opera progignere nata eſt, & plerumque reipſa progignit, quòd tantùm nos hîc docere vult Chriſtus: intendit enim dare vulgare & commune ſignum praui doctoris & doctrinæ, quia vix fieri poteſt, vt diu hîc lupus ſub ouina pelle delitescat, quin per opera tandem ſe prodat: vice verſa fides bona in doctore bono natura ſuâ nata eſt ſanctam vitam ſanctoſque mores & opera producere, & in multis producit, etiamſi ſubinde per accidens contrarium fiat, vt v. g. hæreticus ſit largus in dandis eleëmoſynis ex naturali benignitate & compaſſione: huius ergo benignitatis, non autem hæreſis vel erroris, tunc fructus eſt eleëmoſyna: hæc enim producitur à corde benigno, non verò ab hæreſi. Nam alioqui ex vno hoc. v. g. hæreticorum principio, *ſola fides iuſtificat*, ſequitur, ergo fruſtra & ſine merito quis dat ſe pœnitentiæ, mortificationi, eleëmoſynæ, arduiſque virtutum operibus. Comedamus ergo & bibamus, omni voluptati fræna laxemus, quaſi cras morituri, & ebrij cælum ingreſſuri.

Vers. 18. Luc. 6. 43. Non potest arbor bona malos fructus facere: neqve arbor mala bonos fructus facere] q. d. Non poteſt ſpina producere vuas, nec tribuli ficus, ſed ſpina ſpinas, tribuli tribulos, vti dixit v. 16. ac vice verſa, non poteſt vitis producere ſpinas, ſed vuas; nec ficus tribulos, ſed ficus; ac licèt ipſæ vuæ & ficus ſubinde non matureſcant, ideoque acerbæ ſint, id tamen non prouenit ex vitio vitis & ficus, ſed ex aëris intemperie, & ſolaris caloris defectu; ſic pariter non poteſt Propheta, id eſt, doctor verus falſa docere vel praua agitare: nec falſus doctor poteſt vera docere vel recta ſanctaque peragere. Intellige in ſenſu compoſito & formali, quatenus ſcilicet bonus vel malus eſt; nam in ſenſu diuiſo & materiali poteſt doctor bonus à bonitate ſua deficere, prauaque docere vel facere, vti Scribæ recta docebant, ſed praua faciebant, hoc enim in ijs obijcit Chriſtus Matth. 23. 2.

*Hæretici qui hoc loco abuſi.* Perperam ergo hac gnome Chriſti plures hæretici abuſi ſunt, eamque detorſerunt ad ſuas hæreſes ſtabiliendas. Primò enim Manichæi ex ea probare conabantur, alios homines natura ſua eſſe bonos, alios verò malos, ſiue duas eſſe rerum naturas, vnam bonam, quæ homines hos faceret bonos; alteram malam, quæ alios faceret malos, teſte S. Hieronymo hic. Secundò, Iouinianus ex hac gnome contendebat, hominem natum ex Deo non poſſe peccare, teſte S. Hieronymo contra Iouinianum. Tertiò, Pelagiani ex ea inferebant, non eſſe peccatum originale, quòd ex bono coniugio ceu arbore bona, tam malus peccati fructus naſci non poſſit, teſte S. Auguſtino lib. 2. de Nuptijs & concup. cap. 26. Quartò, Donatiſtæ ex ea colligebant; malos ſacerdotes ceu arbores malas non benè baptizare, teſte S. Auguſtino lib. 3. contra literas Petiliani cap. 44. Quintò, Caluiniſtæ ex ea concludunt in homine non eſſe liberum arbitrium, ad producendum bona opera vel mala. Sextò, ijdem ex ea inferunt bonis operibus nos non iuſtificari, ſed tantùm iuſtos declarari; ſicut arbor non fit bona ex bonis fructibus, ſed ijs bona eſſe declaratur. Verùm hæc omnia perperam inferuntur: ſunt enim hoc loco parerga & impertinentia. Chriſtus enim propriè hanc gnomen applicat dumtaxat Prophetis, id eſt, doctoribus veris & falſis, vti dixi.

Poteſt tamen hæc gnome cum ſancto Auguſtino, Chryſoſtomo, Theophylacto, Lyrano & Ianſenio accipi generaliùs, & applicari voluntati bonæ vel malæ, quia plerumque bona, vel mala voluntas operum, non omnium, ſed aliquorum, ad quæ magis inclinat, bonitate vel malitia ſe

prodit. Sequitur enim homo frequentiùs appetitum in ſe dominantem. Diceſ; ergo bona voluntas non poteſt mala opera producere, nec mala bonos. Reſpondeo, parabolas non ſignificare quid ſemper, ſed quid ſæpè & plerumque fiat, vti crebrò oſtendi in Eccleſiaſtico & Prouerbijs. Rurſum in parabolis non poſſunt omnia accommodari rei per parabolam ſignificatæ: ſufficit enim ea adaptari, in quibus parabolæ vis ſiue ſimilitudo conſtituitur, vt dixi Canone 29. quæ in hac parabola conſtituitur in eo, quòd ſicut arbor bona bonos fructus producit, mala malos; ſic pariter bona voluntas ex habitu bono plerumque bona opera producat, mala malos; ſed diſſimilitudo eſt in eo, quòd arbor bona vel mala ſit cauſa naturalis, ideoque determinata ad ſuum fructum bonum vel malum: voluntas verò ſit cauſa libera, quæ licèt ex conſuetudine & habitu ſit proclinior in bonum vel malum, ſemper tamen manet libera & indeterminata ad bonum vel malum, donec ipſa ſe determinet ad hoc vel illud, quod ipſa elegerit, tumque ipſa actu ſit bona vel mala ex electione & operatione bona vel mala, quam eligit & exercet. Quocirca non ait Chriſtus, arbor bona non poteſt fieri mala; nec arbor mala poteſt fieri bona, ſed: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala bonos*, quia dum voluntas bona eſt & virtuti incumbit, bona opera producit: dum verò mala eſt, & vitio incumbit, mala opera profert; ſed ſicut ipſa poteſt ſe facere bonam & virtuti incumbere; ita conſequenter poteſt & benè operari, bonoſque operum fructus producere, ac vice verſa poteſt ſe facere malam, & vitio ſtudere, itaque vitioſos ſcelerum fructus edere. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij.

Vers. 19. Suprà 3. 10.

OMNIS ARBOR, QVÆ NON FACIT FRVCTVM BONVM, EXCIDETVR ET IN IGNEM MITTETVR] Hanc gnomen repetit & inculcat Chriſtus, nam eam audiuimus cap. 3. v. 10. vbi illam explicui. Græcè eſt *exciditur* & *mittitur*, in præſenti, id eſt, exſcindi & mitti ſolet, idque ſtatim & citò.

Vers. 20.

IGITVR EX FRVCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS] Scilicet Prophetas, id eſt, doctores, an veri & boni ſint, an falſi & praui. Eſt concluſio collecta ex parabola arboris bonæ & malæ, cuius ſenſus patet ex iam dictis.

Vers. 21. Luc. 6. 46.

NON OMNIS, QVI DICIT MIHI, DOMINE, DOMINE, INTRABIT IN REGNVM CÆLORVM: SED QVI FACIT VOLVNTATEM PATRIS MEI (& conſequenter meam: nam eadem eſt voluntas Patris & Filij, ſed Chriſtus quà homo modeſtiæ cauſa nominat voluntatem Patris, non ſuam QVI IN CÆLIS EST, IPSE INTRABIT IN REGNVM CÆLORVM] Ecce hîc clarè fructum arboris bonæ, id eſt, boni doctoris & Chriſtiani aſſignat Chriſtus, ſcilicet facere voluntatem Patris cæleſtis, vt nimirum non tantùm credas in eum, eiuſque legem à Chriſto propoſitam, ſed vt eamdem opere perficias & poſt omnia impleas. Ita S. Auguſtinus lib. 2. de Serm. Domini in monte ſub finē; ait ergo: *non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine*, id eſt, non omnis, qui in me velut Dominum & Deum credit, meque vt talem inuocat ait S. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, quique me crebrò in ore habet, ac me nominat, meumque nomen ſuis dictis, ſuæque doctrinæ præfert, quaſi prædicet fidē veram Chriſti, purumque eius Euangelium, vti iactant hæretici: hîc, inquam, non intrabit in aulam & regnum Patris cæleſtis, ſed qui eius fecerit voluntatem, id eſt, eius præcepta impleuerit, quæ ſunt duo, ſcilicet: Primò credere in Chriſtum fide orthodoxa. Secundò, Chriſti mandatis obedire eaque opere exequi: *Regnum enim cælorum ſola verborum officia non obtinent*, &c. *de noſtro eſt beata æternitas promerenda, præſtandumq; aliquid de proprio*, ait S. Hilarius. Atque *iter regni Dei eſt obedientia, non nominis nuncupatio*, ait Gloſſa. Vnde S. Chryſoſt. *Qui*, inquit, *non conuerſatur ſecundùm verbum Chriſti, non intrabit in regnum cælorum.*

MVLTI DICENT MIHI IN ILLA DIE] Putà in die iudicij, quæ vltima & ſumma erit mundi dies ideoque ſingularis, eximia & decretoria, vtpote quæ erit ianua æternitatis, ac eos, qui bona opera fecerunt, ad beatam in cælis; qui mala, ad miſerrimam in gehenna æternitatem tranſmittet: *Quando*, vt ait S. Chryſoſtomus, *ſingulorum opera loquentur & ora tacebunt, nec alter pro altero interueniet.* Vers. 22.

DOMINE, DOMINE, NONNE IN NOMINE TVO PROPHETAVIMVS?] Id eſt nónne tuo lumine, gratia, & virtute futura prædiximus? Vnde ſequitur, *& virtutes*, id eſt miracula, *multas fecimus*: ita Maldonatus. Rurſum *in nomine tuo prophetauimus*, id eſt, Spiritu ſancto afflati ex tua commiſſione & auctoritate veram fidem docuimus, & prædicauimus. Ita Ianſenius.

ET VIRTVTES MVLTAS FECIMVS] *Virtutes* vocat miracula, eaque vera & ſincera. Ex hoc verſu liquet Deum ſubinde etiam per malos prophetare, id eſt, facere miracula, vti fecit per Iudā proditorē. Luc. 10. 17. & ſeq. & Caipham. Ioan. 11. 49. ac Balaam ariolū. Num. 24. 3. nam vt ait S. Hieronymus, *Virtutes facere interdum nō eſt eius meriti, qui operatur, ſed inuocatio nominis Chriſti hoc agit ad aliorum vtilitatem.* Vnde colligit S. Gregorius lib. 20. Moral. 8. *Probatio ſanctitatis*, ait, *non eſt ſigna facere, ſed proximum vt ſe diligere, de Deo vera, de proximo meliora, quàm de ſe ſentire.* Hinc diſce gratias gratis datas, vti ſunt miracula, prophetiæ, ſapientia, multum diſtare à gratia gratum faciente; hæc enim ſignificat animam, iſta verò alios dumtaxat iuuant & erudiunt.

*Impij ſubinde prophetant.*

Nota. Licèt impij & falſi doctores ex dono Dei poſſint prophetare & miracula facere, non tamen ea poſſunt facere ac confirmandam falſam doctrinam. Miraculum enim, etiam vnicum dumtaxat, modò verum ſit & euidens, eſt argumentum non tantùm probabile, ſed moraliter certum veræ doctrinæ: vnde eo vt certo & inuicto vtuntur Chriſtus & Apoſtoli ad probandam Chriſtianam fidem. Neque vmquam miraculum vllum in confirmationem hæreſis vel erroris factum legimus. Et ratio à priori id euincit. Miraculum enim eſt ſingularis, ſupernaturalis & propria ſolius Dei operatio, qua quaſi ſigillo ſuo Deus ſua dicta, rectamque fidem & veritatem obſignat: quare ſi Deus falſum doctorem, inuocantem ſe pro miraculo ad ſtabiliendum errorem exaudiret, videretur illi cooperari & errori atteſtari, ac per conſequens mentiri & fallere, quod eſt impoſſibile; Deus enim eſt prima veritas, ipſaq; veracitas & fidelitas, qui proinde poteſtatem faciendi miracula ſibi ſoli reſeruauit, vt

*Sed non ad hæreſim ſtabiliendā.*

*Miraculū eſt certum ſignum veritatis.*

per



per eam, quaſi proprium ſibi teſtimonium, ſua dicta, ſuaſque veritates obſignaret, teſtareturque illa à ſe promanare: miraculum ergo eſt quaſi vox Dei operantis & atteſtantis ſe loqui, ſuaque dicta hoc quaſi ſigillo obſignare: cetera enim Deo cum Angelis & dæmonibus ſunt communia: quatenus in ijs incertum eſt, an Deus, an Angelus, an diabolus loquatur & operetur. Ita D. Thomas 2. 2. qu. 178. art. 2. & paſſim Theologi. Vnde S. Auguſtinus lib. contra epiſt. fundamenti cap. 4. dicit ſe teneri in Eccleſia vinculis miraculorum. Et Richardus de Sancto Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine*, inquit, *ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus: iſta enim in nobis ijs ſignis & prodigijs confirmata ſunt, quæ non niſi à te fieri potuerunt.* Vide Bellarm. lib. 4. de Notis Eccleſiæ cap. 14.

*Exceptio.*

Aduerte hîc tamen, ſi cui gratia miraculorum per modum quaſi habitus permanentis antea à Deo ob aliam cauſam eſſet collata, ille poſtea poſſet eâ abuti, & miraculum facere ad malum finem, v.g. ad vanam gloriam, ad quæſtum, ad confirmationem falſi. Tunc enim Deus concurrit quidem ad ipſum miraculum, non tamen ad abuſum & malum finem eius, qui patrat miraculum: hunc enim tantùm permittit. Sic Deus concurrit cum impio ſacerdote ad conſecrationem & tranſubſtantiationem Euchariſtiæ, etiamſi is intendat eâ abuti ad veneficia, ad blaſphemiam, imò vt illam Iudæo irridendā & transfigendam vendat. Quod dixi, impium poſſe abuti gratia miraculorum ad malum & confirmationem falſi, intellige, cùm paſſim conſtat gratiam hanc illi collatam à Deo ad alium finem, ipſumque illâ abuti ad malum vel falſum: ſicut conſtat ſacerdoti impio datam à Deo poteſtatem conſecrandi alio fine, eſto ipſe ad malum eâ abutatur. Pertinet enim ad Dei prouidentiam, non permittere hominem impium abuti gratiâ miraculorum ad alios decipiendum, & in hereſim inducendum, ſi hic abuſus ſit planè occultus, ita vt hominibus conſtare, vel ab eis deprehendi nequeat. Tunc enim homines ſine ſua culpa, ex auctoritate quaſi atteſtantis Dei inducerentur in errorem, quod eſt impoſſibile, neque Deus hunc errorem per aliud miraculum corrigere, & emendare poſſet. Dicerent enim homines, ſi prius miraculum factum eſt ad confirmationem falſi, pari iure ſecundum fieri potuit ad confirmationem falſi: quare Deus tunc quaſi ſe exarmaret, priuaretq; ſe ſua auctoritate ac fidelitate dicendi & atteſtandi verum, ac confutandi falſum: hæc enim conſiſtit in operatione miraculi. Sic in ijs, quos vulgus *Saluatores* vocat, licèt ſubinde malæ ſint vitę, conſtat, ait Nauarrus in Manuali, à Deo datam gratiam curandi morbos ad commune Eccleſiæ bonum, quâ tamen illi ad malum poſſunt abuti. Sic in Flandria aiunt natos in die Paraſceues; item maſculum ſeptimum, continua maſculorum generatione à parentibus p. ognatum, curare ſtrumas, eas tangendo, ſed prius à Deo datum eſt diei ſanctæ Paraſceues, & myſterio paſſionis mortiſque Chriſti, ſecundum coniugio, vt ſcilicet id honoretur, & à Deo inſtitutum, ac à Chriſto in Sacramentum erectum oſtendatur: quare ſi quis hac poteſtate ad malum vteretur, omnes ſcirent illū poteſtate ſuâ abuti, nec Deum ad malum hoc cooperari, ſed tantum ad curationem illam miraculoſam alio fine illi datum. Sic regibus Franciæ & Angliæ eadem poteſtas dicitur à Deo collata, ob merita ſancti Eduardi regis, aliorumque, imò Tokerus quidam Nouator, libellum conſcripſit de Strumis ab Eliſabetha nuper Angliæ regina curatis, ſed eum validè confutat Delrio in Magicis lib. 1. cap. 3. quæſt. 4.

*Num Saluatores Nati in die Paraſceues: Septimus maſculus, ſanandi gratiam à Deo accipiant, & quare?*

*Reges Frāciæ & Angliæ ſtrumas tactu ſanant.*

Denique hucuſque nullum extat exemplum, quo doceatur hæreticum patraſſe miraculum, etiam ex habitu, ad confirmationem hæreſis falſæque doctrinæ, niſi quod Caluinus in confirmationem ſuæ hæreſis volens reſuſcitare quemdam, qui ſe fingebat mortuum, cùm reuera eſſet viuus, Deo fictionem puniente, ex viuo fecerit mortuum; ſed talia miracula, quaſi perfidiæ indicia, damnant hæreſim, veramque fidem ſtabiliunt. Quod enim Caiphas prophetarit, dicendo: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ioan. 11. 50. illaque prophetiâ abuſus ſit ad confirmationem falſi, ſcilicet, ad damnationem Chriſti, impertinens eſt: nec enim populus vel ſacerdotes ſciebant Caipham hîc prophetare, ſed putabant eum ex proprio ſuo ſenſu iudicioque loqui. Quod enim Spiritus ſanctus per os eius dictabat, ſcilicet expedire Chriſtum mori, ad hoc, vt eius morte redimeretur genus humanum, hoc Caiphas non intelligens, ſuo ſenſu detorſit ad Chriſti velut malefici, blaſphemi & ſeditioſi condemnationem, quæ in reipſa fuit falſiſſima & iniuſtiſſima. Vide Franc. Suarez 3. p. quæſt. 44. diſp. 31. ſect. 2.

*Caiphæ oraculum quale?*

ET TVNC CONFITEBOR (profitebor, liberè & palam aſſeuerabo) ILLIS QVIA (quòd) NVMQVAM NOVI VOS: DISCEDITE A ME OMNES, QVI OPERAMINI INIQVITATEM] q. d. Ego Chriſtus doctoribus falſis & impijs, qui in nomine meo prophetarunt, docuerunt & fecerunt miracula, dicam in die iudicij. Noui quidem vos, vt meos Prophetas, doctores & miraculorum patratores; at non noui vos, vt meos amicos & filios, quos prædeſtinaui ad meam hereditatem & gloriam, hoc eſt, non amo, non diligo vos, quia voluntatem & legem Patris cæleſtis, quam alios voce docuiſtis, ipſimet opere non impleſtis, Ite ergo maledicti in ignem æternum, quia operati eſtis iniquitatem. Ita ſanctus Auguſtinus ſerm. 23. de Verbis Domini, vbi interrogans, ait: *Non nouit illos, qui nouit omnia? quid eſt ergo, non noui vos? improbo vos, reprobo vos. Hoc eſt autem magnum, & neſcit vitia & indicat vitia; neſcit faciendo, & indicat arguendo.* Et S. Gregorius hom. 12. in Euang. *Velut incognitos*, inquit, *deſerit, quos per vitæ meritum non cognoſcit.* Quocirca Apoſtolus ſignacula, quibus Deus ſuam prædeſtinationem & amorem erga electos obſignat, duo hæc 2. Timoth. 2. 19. aſſignat: *Firmum*, ait, *fundamentum Dei ſtat; habens ſignaculū hoc. Cognouit Dominus, qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Vide ibi dicta. Eſt ergo hæc notitia in Deo, non ſpeculatiua, ſed practica, amoroſa & affectuoſa, qua dicimur noſſe eum quem diligimus, non noſſe eum quem non diligimus; ſed odimus & reijcimus; quia amor parit familiaritatem, indeque notitiam rei amatæ; odium verò parit auerſionem, indeque ignorantiam rei exoſæ. Eſt Catachreſis & Metalepſis. Hinc à contrario colligit Gloſſa Interlin. Si Deus non nouit eos.

Vers. 23. Luc. 13. 27

qui Dei mandata non ſeruant; ergo nouit, diligitque illos, qui ea cuſtodiunt quaſi filios lucis. Nam vt ait Gloſſa: *Non nouit lux tenebras, id eſt, non aſpicit, quia ſi aſpiceret, tenebræ non eſſent.*

Vers. 24. Luc. 6. v. 47. 48.

Omnis avtem qvi avdit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitvr viro sapienti, qvi ædificavit domvm svam svper petram] Eſt epilogus, quo Chriſtus prolixum ſermonem habitum in monte à cap. 5. v. 1. huc uſque concludit. q. d. Hucuſque vos docui, quomodo vitam prudenter & ſanctè iuxta legem & voluntatem Dei inſtituere debeatis, ſi velitis ad Dei regnum & felicitatem æternam peruenire: quia hæc ad illam eſt directa via, & præter illam non eſt alia: quare ſi illa, quæ docui, opere præſtetis, ſimiles eritis viro prudenti, *qui ædificauit domum ſuam ſuper petram*, vt in ea firmiter ſundata, ventis omnibus & procellis irruentibus, inuicta reſiſtat & immota conſiſtat. Simili enim modo vos faciendo quæ docui, conſtruetis quaſi fabricam ſanctę conuerſationis, & domum perfectionis in ſoliditate animi, ſolidaquè & conſtanti mandatorum Chriſti obſeruatione & obedientia; quaſi in petra fundatam, quæ omnibus tentationibus generosè obluctetur ac perduret in æternum.

Alludit ad Prouerb. cap. 10. 25. *Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius: iuſtus autem quaſi fundamentum, ſempiternum.* Et c. 9. v. 1. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.*

*Domus ſpiritualis eſt perfectio virtutum.*

Nota; domus ſpiritualis animæ eſt perfectio virtutum; ſicut enim domus materialis conſtruitur magno labore, ordine, varietate, ſenſim creſcendo ex varijs lapidibus, tignis & trabibus: ſic ſpiritualis ædificatur ex varijs virtutibus & ſanctis operationibus, idque longo labore, ordine, varietate & lento incremento ſenſim creſcendo. Longitudo eius eſt longanimitas; latitudo charitas; altitudo ſpes. Quatuor parietes ſunt quatuor virtutes Cardinales, ſcilicet: Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Pauimentum eſt humilitas; tectum patientia; feneſtra deſiderium cæleſtis gloriæ, per quam venit & intrat lux Euangelij. Oſtium eſt obedientia mandatorum. Oſtiarius eſt timor ſanctus. Cuſtodes ſunt ſancti Angeli. Turris eſt contemplatio, canis vigil & improbis motibus moribuſque allatrans eſt ſynderesis; Dominus eſt mens & intellectus; ſponſus eſt voluntas; filij ſunt bona opera; ſerui ſunt ſenſus obſequentes menti; menſa eſt S. Scriptura; panis eſt Euchariſtia; vinum eſt ſanguis Chriſti; aqua viua eſt Spiritus ſanctus; oleum eſt miſericordia; lectus eſt animi quies & pax; medicinæ ſunt Sacramenta; medici ſacerdotes; hoſpites ſunt Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Ita Salmeron. Vide S. Bernardum tract. de Interiori domo, id eſt, de conſcientia; vbi fusè oſtendit, quomodo hæc domus particulatim ſingulis virtutibus ſit exædificanda & perficienda.

*Pauimentum eſt humilitas; tectũ patientia; parietes quatuor virtutes Cardinales, &c.*

Denique nota hìc Primò contra Nouatores, fidem ſine bonis operibus, quæ fides facienda præſcribit & dictat, non ſufficere ad ſalutem. Chriſtus enim hìc fundamentũ arenarium, ſiue in arena fundatum vocat ſolam fidem ex auditu prædicationis conceptam, quæ inſtar arenæ arida eſt, inutilis & diffluens; petram verò vocat fidem bonis operibus ſolidatam. Nota ſecundò, ordinem Chriſti; nam primò verſ. 15. docuit neceſſitatem veræ fidei & verorum doctorum, Secundò v. 21. & ſeq. neceſſitatem etiam bonorum operum & vitæ ſanctæ. Myſticè petra eſt Chriſtus, vnde Gloſſa: *Ille*, ait, *ædificat in Chriſto, qui, quod audit ab illo, facit.*

Vers. 25. Luc 6. 48.

Et descendit plvvia, et venervnt flvmina, et flavervnt venti, et irrvervnt in domvm illam, et non cecidit: fvndata enim erat svper petram] Arab. *quoniam fundamenta eius firmata erant ſuper petram.* Pluuia; venti, flumina ſunt quæuis aduerſitates & tentationes tum à mundo, tum à carne, tum à dæmone ingruentes: item condemnatio, quam Chriſtus in improbos detonabit & fulminabit in die iudicij: hæc enim ſæpè in Scriptura nomine tempeſtatis & procellæ exprimitur, vt Iſaiæ 28. 2. *Ecce validus & fortis Dominus ſicut impetus grandinis; turbo confringens ſicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſſarum ſuper terram ſpacioſam.* Simile eſt Pſalm. 49. 3. & Sapient. 5. v. 18. & ſequent. vbi graphicè ira & vindicta Dei in reprobos & procellas, fulmina & grandines depingitur.

Fidelis ergo in Chriſto Chriſtiq; lege, timore & amore velut in firmiſſima petra fundatus, non curat flabra perſecutionum, nec fluctus adulationum, nec zephyros promiſſionum, nec aquilones minarum, nec nimbos probrorũ, nec procellas verberum, ſed in vocatione & officio ſuo, in timore & amore Dei incõcuſſus cõſiſtit, ſicut Marpeſſia cautes, ſicut rupes, quæ maris fluctibus vndique tunditur, ventis agitatur, grandine & fulmine feritur, & tamen immota inuictaque perſiſtat. Exemplum fuit S. Petro, qui in petra, id eſt, Chriſti amore ſolidatus, omnia aduerſa peruicit. Vnde Actor. 4. 20. à Principibus Sacerdotum iuſſus ceſſare à prædicatione Chriſti, reſpondit: *Non poſſumus, quæ vidimus & audiuimus non loqui*, quem locum citans S. Chryſoſtomus hìc ſerm. 25. *Conſideraſti*, inquit, *grande mentis inuictæ excelſum. Vidiſti petram vndarum murmura deridentem. Vidiſti domũ contra ventorum flatus prorſus immobilem. Quod enim multò eſt ampliùs admirãdum; non modò deterriti per aduerſa non ſunt, verùm etiam maiorem inde aſſumpſere conſtantiam, & perſecutores ſuos in trepidationem maximam compulerunt. Quicumque enim adamantẽ percutit, magis ipſe percutitur; & qui aduerſus ſtimulum calcitrat, ſine dubio ipſe compungitur, ſuiſq; proprijs ictibus vulneratur; & qui impugnat virtutem tenentes, ipſe profectò ſubruitur, & malitia tantò efficitur infirmior, quantò contra virtutem diutiùs præliatur. Et ſicut qui ignem obligat in veſtimento, illum quidem non extinguit, veſtem verò cõburit; ita etiam qui in virtute poſitos perſequebantur, comprehendebant, ac ſæpiùs colligabant, illos quidẽ reddebant ex his omnibus clariores, ſe autem omnino perdebant. Etenim quantacumque ob iuſtitiam paſſus fueris aduerſa, tanta ingentior effíceris & firmior.*

*Virtus inuicta omnia vincit.*

Simili ſchemate ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 28. pingit Chriſtianum philoſophum: *Eſt quædam in fabulis arbor*, inquit, *quæ cùm cæditur, viret, & aduerſus ferrum certat, morte viuit, & ſectione pullulat, atque cùm abſumitur, creſcit.* Non vera ſed fabuloſa eſt hæc arbor, ait ſcholiaſtes Nazianzeni: ſi tamen vis veram, accipe vitem, quæ quo plus putatur, eò magis pullulat & fructificat. Talis quoque eſt lex Horatiana, quæ duris tonſa bipennibus, ab ipſo ducet opes animumque



ferro. Pergit Nazianzenus: *Talis planè eſſe vir Philoſophus videtur. Floret enim inter cruciatus, at vitæ moleſtias virtutis ſegetẽ exiſtimat, atque in aduerſis geſtit & gloriatur: ſic nimirùm ſe comparans, vt nec ob dextera iuſtitiæ arma efferatur: nec ob ſiniſtra inflectatur, ſed in diuerſis rebus idem ſemper, ſuiq; ſimilis permaneat, atque adeò probatior, tamquam aurum in fornace reperiatur.* Particulatim deinde per varias hominũ ſortes & conditiones idipſum oſtẽdit, ac denique concludit tria eſſe inſuperabilia, ſcilicet Deum, Angelum, & Philoſophum: *Duo hæc*, inquit, *arriri ac ſuperari nequeunt: Deus & Angelus: tertium eſt Philoſophus, in materia expers materiæ, in corpore incircũſcriptus, in terra cæleſtis, in paſſionibus impatibilis, omnibus rebus vinci ſe facilè ferẽs, præter quam animi magnitudine, eò ipſo quòd vinci ſe patitur, eos, qui ſuperiores ſibi eſſe videntur, deuincens.*

*Tria inſuperabilia. Deus, Angelus, Philoſophus.*

Vers. 26. Luc. 6. 49

*Inconſtans ſimilis arenæ.*

Et omnis qvi avdit verba mea, et non facit ea, similis erit viro stvlto, qvi ædificavit domvm svam svper arenam] Rectè inſtabilitas & inobedientia eius, qui audit verba Chriſti & non facit, comparatur arenæ.

*Primò.*

Primò, quia ſicut arena mollis eſt, mobilis & fluida, vt fundamenti ſolidi vicem ſubire nequeat, ac proinde quod arenæ inædificatur irruentibus vndis & ventis, cedit ac prolabitur: ſic pariter animus inſtabilis & inobediens fundamentum ſolidæ virtutis & perfectionis eſſe nequit, ſed ingruenti tentationi illicò ſuccumbit & corruit, vnde fabrica virtutum illi innixa illico collabitur, vti Chriſtus explicat v. ſequenti.

*Secundò.*

Secundò, arena eſt ſicca, vnde *arena* dicitur ab *ariditate*, inquit Varro, vel ab *arendo*, quòd ſibi per particulas adhæreat: ſic animus inſtabilis, qui non facit ea quæ audit, aridus eſt, & virtutis ſpirituſque diuini ſucco vacuus, ac terræ & terrenis affixus adhæret.

*Tertiò.*

Tertiò, ſicut arena vento difflatur & diſpergitur in omnes partes: ſic & animus leuis & inconſtans omni cupiditatum, & tentationum æſtu raptatur in omnem concupiſcentiam.

*Quartò.*

Quartò, ſicut arena eſt minutiſſima, & milliones arenularum ſiue granulorum complectitur: ſic cor inſtabile mille cogitationibus & deſiderijs rerum exilium, & minutarum eſt refertum & diſſectum.

*Tropolog.*

Tropologicè, ſtultus & mundanus ædificat ſuper arenam, id eſt, ſuper creaturam, ait Salmeron, quæ inſtar arenæ ſterilis eſt ad bonum; & fluida, vt in peccatum cadat; & fluctibus concuſſa, quia laboribus & tentationibus agitatur. Eſt enim ſicca, ſiue bibula & inſatiabilis, quia creaturæ hominem ſatiare non poſſunt. Et etiam multiplex, quia impij innumerabiles ſunt, & ſtultorum infinitus eſt numerus. Arena ergo eſt omnis diaboli populus, ſterilis & minimè vnitus, magnis laboribus agitatus & ſine numero, quẽadmodum populus Dei vnitus eſt, vt petra, & fortis & fructuoſus: quia etſi multi ſunt vocati, pauci tamen electi.

Hinc Elias Cretenſis in orat. 1. Nazianz. Arena, ait, eſt ſuperbia, inanis de ſe opinio, vanæ gloriæ cupiditas: cui quidquid inædificatur, leui aduerſitatis vento difflatur & corruit.

Denique Gloſſa: *Omnis*, ait, *conſcientia, non fixa ſpe in Deum, in tentationibus non ſubſiſtit.* Radix enim & fomes omnium tentationum, eſt mentis inconſtantia & diffidentia in Deum, vti oſtendi Eccleſ. 2. 6. ad illa: *Crede Deo & recuperabit te: & dirige viam tuam, & ſpera in illum.*



Vers. 27. Luc. 6. 49

*Pluuia eſt tentatio mundi.*

Et descendit plvvia, et venervnt flvmina, et flavervnt venti, et irrvervnt (græcè προσέκοψαν, id eſt, impegerunt: Arabicus, *percuſſerunt*) in domvm illam, et cecidit, et fvit rvina illivs magna] Pluuia notat tentationem mundi; flumina, carnis; venti, diaboli. Pluuia enim ex alto deſcendens, terramque irrigans, inflans, tumentemque efficiens, & fœcundans notat ambitionem honorum & cupiditatem opum, quas offert mundus homini vano & inconſtanti, quibus ille illectus, à Dei lege, & ſubinde à fide deficit & apoſtatat.

*Flumina carnis.*

Flumina, quæ ex terra oriuntur, & domum circumlambunt, notant tentationes carnis, putà gulam & libidinem, quæ ex ipſa carne oriuntur, eamque oblectando & blandiendo quaſi circumlambunt, vt à continentia & puritate, quam Dei lex præſcribit, deſciſcat.

*Venti, diaboli.*

Venti, qui ex aëre lateraliter & inuiſibiliter in domum ſufflant, notant tentationes dæmonis, qui eſt ſpiritus inuiſibilis, & princeps aëris huius hic enim mille prauas cogitationes & affectiones phantaſiæ noſtræ ingerit & inſufflat, ita latenter vt neſcias ſępè an ab Angelo an à diabolo proueniant. Satanas enim transfigurat ſe in Angelum lucis, 2. Corinth. 11. v. 14. quare ipſe homines leues & inconſtantes agitat & rotat ad libitum, vt ab obſeruatione mandatorum Dei ad cupiditates ſuas deflectant, itaque ruant in tartara; ſicuti domus arenæ inædificata, flabris ventorum agitata, magno fragore colliſa cadit, corruitque in ſubiectam vallem, vel voraginem.

Vers. 28. Luc. 4. 32. Mar. 1. 21.

Et factvm est cvm consvmmasset Iesvs verba hæc, admirabantvr tvrbæ svper doctrina eivs] Adeò noua, clara, ſolida, paradoxa, inaudita, cæleſti, diuina, æquè ac ſuper nouo diuinoque docendi modo. Pro *admirabantur*, Græcè eſt, ἐξεπλήσσοντο, id eſt, *excutiebantur*, ſcilicet mente, hoc eſt obſtupeſcebant, percellebantur, ita vt videretur eis mens animuſque eripi & excuti.

Tvrbæ] Id eſt vulgaris populus, non principes, ait S. Chryſoſtomus, vnde liquet hunc ſermonem à Chriſto habitum coram populo, vti dixi initio c. 5. licèt S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangel. c. 19. *Fortè*, ait, *intelligitur turba diſcipulorum ex quibus duodecim elegerat.*

Hìc ergo finitur totus ſermo Chriſti in mõte, continens totam legem & perfectionem Euangelicam; ac licèt in ea diſparata ſint præcepta, nec inter ſe connexa, ſi quis tamen eorum inter ſe ordinem & aliqualem connexionem deſideret, legat Bellarm. lib. 4. de Iuſtificatione c. 3. in fine.

Vers. 29. Luc. 4. 32. Mar. 1. 21.

Erat enim docens (ſolebat docere: ſignificat enim phraſis docendi conſuetudinem & frequentiam) sicvt potestatem (ἐξουσίαν, id eſt *auctoritatem*; Syrus, *dominium*; alij *ius*; alij *libertatem*) habens, et non sicvt Scribæ eorvm et Pharisæi] Primò, quia Chriſtus docebat magna auctoritate res ſerias, graues, & ſummi ad ſalutem momenti, ipſamque veritatem: Scribæ verò docebant leuiter res friuolas & nugoſas, vt ritus & ceremonias, crebraſque lotiones manuum, corporis, & calicum.

*Chriſti modus docẽdi. Primò.*

*Secundò* Secundò, quia Chriſtus id quod ſermone docebat, hoc opere faciebat, magiſque docebat exemplo quàm verbo. Magna enim auctoritas doctrinæ, docenti accedit, ſi bonum, quod docet, reipſa perficiat. Longum, ait Seneca, ad virtutem iter eſt per præcepta; breue & efficax per exempla. Audi S. Gregorium 23. Moral. 7. *Cum imperio quippe docetur, quòd priùs agitur quàm dicatur. Nam doctrina ſubtrahit fiduciam, quando conſcientia præpedit linguam. Non ergo poteſtatem ei elatæ locutionis, ſed bonæ fiduciam inſinuauit actionis. Vnde etiam de Domino ſcriptum eſt: Erat enim docens ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ & Phariſæi; ſingulariter namque ac principaliter ſolus ex poteſtate bona locutus eſt, quia ex infirmitate mala nulla commiſit. Ex diuinitatis quippe potentia habuit id, quod nobis per humanitatis ſuæ innocentiam miniſtrauit.*

*Tertiò.* Tertiò, Chriſtus docebat magno ſpiritu & feruore, magnaque vi & efficacia ad perſuadendum: Scribæ aridè, frigidè & ſuperficialiter.

*Quartò.* Quartò, Chriſtus doctrinam confirmabat miraculis: nil tale poterant Scribæ. Rurſum Chriſtus miram habebat dicendi gratiam, iuxta illud: *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius*, Lucæ 4.

*Quintò.* Quintò, Scribæ docebant vt legis interpretes; Chriſtus verò vt legiſlator è cælo miſſus, cæleſti ſapientia & maieſtate; ipſe ergo ius proprium docendi habebat. Ita Beda & Theophylactus. Vnde Chriſtus Ioan. 3. *Quod ſcimus*, ait, *loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Et Ioannes Baptiſta ibidem de Chriſto: *Qui de ſurſum venit*, inquit, *ſuper omnes eſt. Et quod vidit & audiuit, hoc teſtatur.*

*Sextò.* Sextò, Chriſtus docendo dumtaxat quærebat Dei gloriam & hominum ſalutem; Scribæ verò ſuam gloriam & hominum plauſum.

*Septimò.* Septimò, Chriſtus exteriùs docendo, interiùs ſua ſancta inſpiratione & luce gratiæ illuminabat mentem, & inflammabat affectum auditorum, vt homines etiam rudes & ſtupidos faceret doctos, ac torpidos, & frigidos faceret feruentes.

*Octauò.* Denique Chriſti doctrina erat rectiſſima, vtiliſſima, integerrima, ſublimiſſima, perfectiſſima, plenam & conſummatam in rebus omnibus, quæ ad mores pertinent, perfectionem continens. Vnde legis interpretationes à ſcribis prolatas velut mancas, inutiles, imperfectas; imò falſas & erroneas correxit cap. 5.

Chriſtum in hiſce imitetur Chriſtianus orator & concionator, vt magis vitâ doceat, quàm verbo, inſtar S. Baſilij, de quo ſcribit S. Gregorius Nazianzenus orat. 20. *Sermo Baſilij erat tonitru quia vita eius erat fulgur.* Sic ſua libertate, auctoritate & neruo dicendi vtatur, vt quaſi Doctor agat cum diſcipulis, ſitque efficax in docendo & perſuadẽdo. Talis erit poſſeſſor cathedræ, dominus pulpiti; talis docebit & prædicabit, vt poteſtatem habens, inſtar Chriſti, ſicut fecit S. Paulus & Apoſtoli. S. Malachias, ait S. Bernardus in eius vita, feminam quamdam iracundam & furibundam, ideoque omnibus intolerabilẽ, adeò manſuefecit, vt videretur nequire iraſci, idque vno verbo, dicendo: In nomine Domini Ieſu iubeo, ne amplius iraſcaris: quod S. Bernardus præfert ſuſcitationi mortui factæ ab eodem S. Malachia, *eò quòd exterior quidam ibi, hîc verò interior reuixerit homo.* Sic B. Franciſcus Borgia dicebat de S. Ignatio de Loyola: *Loquebatur tamquam poteſtatem habens*, quia efficax erat eius ſermo, & quocumque volebat homines impellebat. Teſtis eſt Ribadeneira in eius vita.

# CAPVT OCTAVVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Chriſtus doctrinam Euangelij, quam à c. 5. hucuſque docuit, confirmat & obſignat miraculis. Ita S. Hieronymus. Primò ergo v. 1. ſanat leproſum. Secundò, v. 5. curat puerum Centurionis. Tertiò, v. 14. Socrum Petri liberat à febri. Quartò, v. 18. duos ſe ſequi volentes iubet omnibus tam opibus, quàm parentibus renuntiare, eò quòd filius hominis non habeat vbi caput reclinet.* Et dimitte, *ait*, mortuos ſepelire mortuos ſuos. *Quintò, v. 23. ſedat tempeſtatem in mari. Sextò, v. 28. ſanat duos dæmoniacos, dæmoneſq. obſecrantes permittit ingredi in porcos, qui mox eoſdem in mari ſubmergunt.*

1. CVm autem deſcendiſſet de monte ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: 2. Et ecce
leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.
3, Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et confeſtim
mundata eſt lepra eius. 4. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris: ſed vade, oſtende
te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium, illis.
5. Cùm autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum,
6. & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.
7. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. 8. Et reſpondens Centurio, ait:
Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantùm dic verbo, &
ſanabitur puer meus. 9. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens
ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit, & ſeruo meo:
Fac hoc, & facit. 10. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit:
Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſraël. 11. Dico autem vobis, quod
multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac,
&



& Iacob in regno cælorum. 12. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium, 13. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut
credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. 14. Et cùm venit Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem; 15. & tetigit manum
eius, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis. 16. Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes & eijciebat ſpiritus verbo: & omnes malè habentes curauit; 17. vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit: & ægrotationes noſtras portauit. 18. Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum.
19. Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter, ſequar te, quocumque ieris. 20. Et
dicit ei Ieſus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis
non habet vbi caput reclinet. 21. Alius autem de diſcipulis eius ait: Domine, permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum. 22. Ieſus autem ait illi: Sequere
me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. 23. Et aſcendente eo in nauiculam,
ſecuti ſunt eum diſcipuli eius; 24. & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt
nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat. 25. Et acceſſerunt ad eum
diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus. 26. Et
dicit eis Ieſus: Quid timidi eſtis: modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis
& mari, & facta eſt tranquillitas magna. 27. Porrò homines mirati ſunt, dicentes:
Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei. 28. Et cùm veniſſent trans fretum
in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. 29. Et ecce
clamauerunt dicentes: Quid nobis, & tibi Ieſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus
torquere nos? 30. Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum paſcens. 31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos
in gregem porcorum. 32. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, &
ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis. 33. Paſtores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem nuntiauerunt omnia, & de eis,
qui dæmonia habuerant. 34. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Ieſu: & viſo eo rogabant, vt tranſiret à finibus eorum.

VERS. 1. CVM AVTEM DESCENDISSET DE MONTE SECVTÆ SVNT EVM TVRBÆ MVLTÆ] Excitæ vel voce, vel famâ doctrinæ & concionum eius: docebat enim vt poteſtatem habens, vti paulò antè audiuimus. Iam dixi initio cap. 5. ex Luca, ſermonem illum Chriſti hucuſque ab eo habitum poſt deſcenſum è vertice montis in loco campeſtri, putà in medio montis, vbi planities erat campeſtris; ex quo Chriſtus finito iam ſermone, deſcendit in ſubiectam & imam vallem. Ita Franc. Lucas.

Aliter Ianſenius, qui cenſet Matthæum hîc per hyſterologiam poſteriùs ponere deſcenſum Chriſti è monte, quia Chriſtum aliò migraſſe narrat: nam deſcenſus Chriſti è monte hucuſque non meminit Matthæus, ſed Lucas dumtaxat initio ſermonis Chriſti iam recenſiti, quem ipſe c. 6. 17. aſſerit habitum in loco campeſtri.

VERS. 2. ET ECCE LEPROSVS VENIENS ADORABAT EVM, DICENS: DOMINE, SI VIS, POTES ME MVNDARE] Idem miraculum deſcribitur à Marco cap. 1. 40. & Luca cap. 5. 12. ex vtroque videtur colligi hoc miraculum non contigiſſe ſtatim à deſcenſu in radice montis; nam Lucas ait, id cõtigiſſe *in vna ciuitatum*; & quia Lucas cap. 4. 23. & Marcus cap. 1. 23. priùs alia miracula à Chriſto patrata enarrant. Verùm magis ordinata videtur narratio S. Matthæi, iuxta quam dicendum hoc miraculum Chriſti fuiſſe primùm à deſcenſu montis. Ita S. Hieronymus, Ianſenius, & alij quod ergo ait Lucas, id contigiſſe *in vna ciuitatum*, intellige iuxta vnam ciuitatum. Nam lege Leuit. 13. verſ. 45. & 48. iubentur leproſi omnino ſeparari, arcerique ab vrbibus & caſtris, ne incolis lepram ſuam affricent: licèt alij cenſeant ibi vetari tantùm: ne morentur in vrbibus, non autem ne per eas tranſeant; quare leproſum hîc in tranſitu ciuitatis videri à Chriſto curatum. *Vbi curatus fuerit hic leproſus.* Hæc ciuitas, vt colligitur ex verſu 5. fuit Capharnaum, iuxta quam videtur curatus hic leproſus: huic enim ciuitati adiacet mons, ex quo deſcendebat Chriſtus, vt dixi cap. 5. verſ. 1. Vide Chronotaxin, quam commentario huic præfixi numero 22.

*Quantus morbus ſit lepra.* Quantus, quamque incurabilis & contagioſus morbus ſit lepra, inde liquet, quòd leproſi & lege veteri & vſu omnium gentium à conſortio hominum arceantur. In leproſis enim cõtagium eſt cum ſeminario, quo ſanos attactu, vlcerum fœtore & reſpiratione putida inficere poſſunt. His proinde à contagio & morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exeduntur oſſa, lingua tumet, fœtet reſpiratio, omni denique morbi genus, omneque ſymptoma in leproſo comitatu & ſatellitio reperitur. Morbum ergo Elephanticum fucari quidem poſſe, iure docent Medici, curari numquam. Quomodo, ait Auicenna, curabitur lepra, cùm ſit cancer vniuerſalis, quando cancer particularis medicinam neſcit? Porrò regiones calidæ, ſaxoſæ, ſalſæ, caloribus & algoribus inæqualiter impetitæ, morbis melancholicis, & præſertim lepræ ſubiacent. Talis eſt Iudæa & pars Ægypti, Vnde Galenus 2. ad Glauc. ait: *Itaq; in Alexandria plurimi Ele-*

*phantiâ tum ob victus rationem, tum ob regionis caliditatem laborant.* Medici lepræ remedia præſcribunt vinum viperinum, hydrargyrum, theriacam, aurum potabile; ſed horum non eſt ea vis, vt lepram formatam & habitu firmatam tollant, leproſoſque tota membrorum compage fœdatos, cute & carne innouent.

ADORABAT] ſcilicet in genua & faciem cadendo, nam Marcus addit γονυπετῶν, id eſt, *accidens ei ad genua.* Lucas πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, id eſt, *cadens in faciem.* Fecit id leproſus non tantùm vt ciuilem honorem, ſed potiùs vt religioſum cultum latriæ Chriſto exhiberet, vt patet ex tam humili tantæque fidei eius petitione: non enim dixit, ſi rogaueris Deum, vt Moyſes, ſed, *Si vis, potes me mundare.* q.d. Scio, te paris eſſe cum Deo Patre poteſtatis, & cõſequenter morborum Dominum, vt lepræ herili iure imperare, eamque ſolo iuſſu à me depellere poſſis. Rogo ergo, vt id facere velis & digneris; ſi velis, res acta eſt, ſanus ſum. Ita S. Chryſoſtomus homil. 26. Theophyl. Euthymius, Maldonatus, & alij. Vnde S. Chryſoſtomus: *Spirituali medico,* ait, *ſpiritualem offert mercedem, ſcilicet fidelem orationem, quâ nihil dignius Deo offerimus.* Et Gloſſa Interlinearis: *Volũtas,* ait, *poteſtatem tribuit;* nam quanta eſt voluntas, tanta eſt & poteſtas Dei; quidquid enim vult, hoc illicò facere poteſt, iuxta illud: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra.* Pſal. 134.6. In Deo enim voluntas, potentia, ceteraque attributa ſunt paria & æqualia, quia diuina, immenſa & infinita. Habuit ergo leproſus fidem diuinitatis Chriſti, partim ex eius interna illuminatione & inſpiratione, partim ex miraculis, quæ plura iam Chriſtus patrarat primo anno prædicationis ſuæ. Leproſus enim hic anno ſecundo ſanatus eſt, vti dixi in Chronotaxi nu. 22. Rurſum τὸ *Si vis,* notat deſiderium curationis mixtum cum reſignatione: reſignat enim & ſubmittit ſe voluntati Chriſti, vt ſi velit curet, ſi nolit, non curet. Morbi enim & lepræ ſępè animæ ſaluti ſunt vtiles vel neceſſarij, idque ſcit Deus, ſed neſcit homo: quare ſe Dei iudicio & voluntati reſignet oportet, nec ea poſtulare debet abſolutè, ſed conditionatè, ſi videlicet Deo placeat, & animæ ſaluti id profuturum ſit.

*Leproſus credidit Chriſtum eſſe Deum.*

VERS. 3. Luc. 5.13. Mar. 1. v. 41.42.

ET EXTENDENS IESVS MANVM, TETIGIT EVM, DICENS: VOLO: MVNDARE] *Extendens.* Primò, vt ſe oſtenderet eſſe ſupra legem, quæ leproſi contactum vetabat. Leuit. 13. vtpote qui leproſum non contaminandi (Deus enim eſt incontaminabilis) ſed curandi cauſa tangeret, ait Tertuallianus lib. 4. contra Marcion. c. 9. & vt ait S. Chryſoſtomus, non coporis, ſed animæ lepra impedimentum eſt ad virtutem. Porrò lex non vetabat contactum leproſi, niſi ob periculum contagionis, ne ſcilicet tangens eadem inficeretur: hoc autem periculum non erat in Chriſto, ſed potiùs certitudo curationis leproſi. Ergo Chriſtus idcirco tangens leproſum non faciebat contra, ſed potiùs iuxta mentem legis. Ita ſanctus Chryſoſtomus & Tertullianus loco citato.

*Chriſtus tangendo leproſum ſanat: cur?*

Secundò, tetigit eum beneuolentiæ cauſa, vt ſuum in eum affectum oſtenderet. Vnde Gloſſa interlin. *Extendit manum,* inquit, *qui miſericordiæ tendit effectum,* ſcilicet, *quando auxilium diuinæ miſericordiæ impendit,* ait Remigius.

Tertiò, tetigit eum, vt ſaluifica vis carnis Chri- A ſti pateſceret, ait S. Cyrillus, vtpote quæ ſolo tactu manus lepram pelleret. *Manus* enim dicitur à *manando,* quòd è brachio *manet,* & ex manu *manent* digiti & opera: ſic ex manu Chriſti manabant miracula & beneficia, & ipſius virtus manabat ex Deo, cui hypoſtaticè vniebatur. Vnde Victor Antioch. in cap. 1. Marci: *Verbum,* inquit, *indiuulſam ſe cum carne ſocietatem habere perſuaſum volens, pleraque miracula & ſigna per corporis miniſterium edidit.* Et Beda: *Extendit,* ait, *Deus manum & contigit humanam naturam in incarnatione, & eiectos è caſtris populi Dei* (leproſos) *templo reddidit, vt poſſint offerre corpora ſua hoſtiam viuentem illi, cui dicitur: Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Pſal. 109.

VOLO: MVNDARE] Ita hæc diſpunge per comma vel colon intermedium, vt Chriſtus B *primùm dicat:* Volo, *deinde imperet:* Mundare, ait S. Hieronymum. Τὸ ergo *mundare,* non eſt Infinitiuus actiuus, ſed Imperatiuus verbi Paſſiui, *mundor* ſignificans, *mundator* vel *munderis.* Hebr. eſt enim הִטָּהֵר *hittaher,* Græcè καθαρίσθητι, id eſt, *eſto mundus.* Hinc Patres probant Chriſti omnipotentem diuinitatem: citat eos fusè Maldonatus. Vnde S. Ambroſius in S. Lucæ c. 5. v. 12. *Dicit,* inquit: *Volo propter Photinum; imperat propter Arrium; tangit propter Manichæum.* Photinus enim docebat, Chriſtum eſſe merùm hominem, nec eſſe Deum, cui propria eſt omnipotens volũtas, qua dicat, *Volo, mundare.* Arrius docet Chriſtum minorem eſſe Patre, ac proinde non imperare, ſed imperia Patris excipere. Manichęus docebat Chriſtum habere carnem, non veram: ſed phan- C taſticam, ideoque verè nec tangere poſſe nec tangi. Hæc omnia hîc confutat Chriſtus tum verbis, tum factis.

Notat S Hieronymus Chriſtum pertinenter & ex æquo reſpondere duplici petitioni leproſi. Primò enim petierat, *ſi vis,* id eſt, vtinam velis; reſpondet Chriſtus: *Volo.* Secundò, *potes me mundare;* reſpondet Chriſtus: *Mundare,* id eſt, munderis, eſtoque mundus: Plus ergo tribuit Chriſtus, quàm ipſe expreſsè petat, eodem enim inſtanti ipſum planè curauit, imò vegetum, alacrem, validumque effecit tum corpore, tum magis animo: quos enim Chriſtus ſanauit corpore, ſanauit & animo, ac iuſtos, ſanctoſque effecit, vt plenam eis mentis & corporis integritatem largiretur. Dei enim perfecta ſunt opera: Ac Chriſtus ſua liberalitate merita ſupplicum excedit & vota, vt nos D ab eo diſcamus idem facere, ac liberaliſſimi eſſe tum erga Deum, tum erga proximos.

ET CONFESTIM MVNDATA EST LEPRA EIVS] q.d. Et illicò mundatus eſt homo à lepra ſua, vt vertit Arabicus. Nil medium fuit inter Chriſti præceptum & opus. Dixit enim, & facta ſunt omnia. Geneſ. 1. quia voluntas eius eſt omnipotens, ideoque eſt ipſa eius omnipotentia. Eſt hypallage ſiue inuerſus ſermo; nec enim lepra mundari poteſt, vtpote in ſe planè immunda & contagioſa, ſed homo à lepra. Hoc facto oſtendit Chriſtus ſe quaſi medicum veniſſe in mundum, vt omnes ægritudines curet omneſque ſordes expurget. Nota τὸ *confeſtim,* inde enim liquet, Chriſtum leproſum curaſſe non pharmacis naturalibus: hæc enim ſenſim operantur, & lentè ſanant, ſed virtute diuina, quæ in inſtanti operatur, iuxta illud: *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Pſ. 148.5.

Dei



Dei enim dicere & iubere eſt efficax, idemque, A quòd facere; quia eius voluntas idem prorſus eſt cum eius omnipotentia.

VERS. 4. Luc. 5.14. Mar. 1.44.

ET AIT (Marcus: *Comminatus eſt,* id eſt, ſeuero & minaci vultu iuſſit. Ita Euthymius.) ILLI IESVS: VIDE NEMINI DIXERIS] Id iuſſit ad vitandam oſtentationem, & vt nos doceret virtutes doteſque noſtras non iactare, ſed celare. Ita Chryſoſtomus. Si enim id fecerimus, nobis tacentibus efficiet Deus, vt prodamur inuiti, idque magna cum ædificatione audientium, & maiore gloria operantium. Vnde addit Marcus c. 1.45. *At ille* (leproſus) *cœpit prædicare & diffamare ſermonem, ita vt iam non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conueniebant ad eum vndique.*

SED VADE, OSTENDE TE SACERDOTI (Mar- B cus: *Principi ſacerdotum,* qui tempore vicis ſuę prę erat ceteris ſacerdotibus actu in templo miniſtrantibus) ET OFFER MVNVS, QVOD PRÆCEPIT MOYSES IN TESTIMONIVM ILLIS] *Mittit ad ſacerdotes,* ait S. Hieronymus, *ob humilitatem, vt eis deferre videatur: deinde vt illi vel credentes ſaluentur, vel fiant inexcuſabiles: denique ne legem infringere videatur.* Et Origenes: *Mittit,* ait, *ad ſacerdotes, vt cognoſcant non legis conſuetudine, ſed gratiæ operatione mundatum,* &c. *Vt omnes, qui vident portari munus, miraculum crederent.*

Munus à leproſis lepra mundatis ſacerdoti offerendum erat agnus, vel ſi leproſus pauper foret, duo turtures, aut duo pulli columbarum. Leuit. 14.13. & ſequent.

*Teſtimonium, id eſt, lex.*

IN TESTIMONIVM ILLIS] ſcilicet ſacerdotibus; nam princeps ſacerdotum, licèt vnus, multos tamen habebat aſſeclas ſacerdotes minores. C Nonnulli per *teſtimonium* accipiunt legem, q. d. Offer munus iam dictum, vt impleas legẽ, quam Moyſes præcepit Leuit. 14. ſacerdotibus & populo ſeruandam in expiatione leproſi: lex enim ſæpè pſ. 118. & alibi vocatur *teſtimonium,* ſcilicet voluntatis diuinæ, quia teſtatur quid à nobis velit fieri Deus. Verùm nil vetat *teſtimonium* hîc propriè accipi.

Planiùs ergo & germaniùs τὸ *in teſtimonium* refer ad verbum *oſtende,* & *offer,* q. d. Oſtende te ſacerdotibus, eiſque munus lege præſcriptum offer, vt illi videntes te à lepra liberum, ideoque munus mundatis præſcriptum offerre, ex hoc oculari teſtimonio cognoſcant te verè ſanatum, itaque ipſi ſanitatis tuæ ſint teſtes, ac populo teſtentur te verè à lepra curatum, ideoque eorum teſtimonio iuxta legem reſtituaris communi hominum ſocietati & conuictui.

*Teſtimonium triplex.*

Erat ergo duplex, imò triplex hoc teſtimonium. Primum, quod leproſus præbebat ſacerdotibus de ſe ipſo à lepra curato, quod erat oſtenſio & inſpectio ocularis corporis & membrorum, quam faciebant ſacerdotes, ac ſi videbant verè curatum, munus ab eo in gratiarum actionem Deo oblatum acceptabant; ſi non, refutabant.

Secundum teſtimonium erat, quod ipſi ſacerdotes populo perhibebant de leproſo verè curato; vnde eidem adhibebant luſtrationem ſiue expiationem lege Leuit. 14. præſcriptam, quæ erat legalis ceremonia tollens irregularitatem legalem ab immunditia lepræ contractam, hominemque lepra mundatum reſtituens conuictui A hominum, ac templo & ſacrificijs, vt ijs iam mundus cum ceteris liberè intereſſe poſſit.

Tertium teſtimonium erat maximi momenti, nimirum, iuſſit Chriſtus leproſum ſe iam curatum oſtendere ſacerdotibus, vt illi ex hoc miraculo agnoſcerent ipſum eſſe Meſſiam, aut certè inexcuſabili hoc teſtimonio conuicti, incredulitatis condemnarentur. Ita ſanctus Hieronymus, Chryſoſtomus, & ſanctus Ambroſius in cap. 5. Lucæ v. 14.

*Lepra eſt hæreſis & peccatum contagioſũ.*

Tropologicè; Lepra ſignificat peccatum mortale præſertim contagioſum, quale eſt imprimis hæreſis, ob ſummam fœditatem & contagionem. Ita ſanctus Auguſtinus lib. 2. quæſt. Euág. quæſt. 40. Theodor. Radulphus, & alij in c. 14. Leuit. Hinc mundatio lepræ ſymbolum eſt Sa- B cramenti pœnitentiæ & confeſſionis ſacramentalis, qua peccata expiantur, cuius proinde vim & efficaciam ex leprę typo cõtra hæreticos probant ſanctus Hieronymus in c. 16. Matthæi (vbi ex ea probat oportere ſacerdotes cognoſcere peccatorum ſpecies & varietates) & S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, vbi docet officiũ ſacerdotum Chriſtianorum longè efficacius & præſtantius eſſe, quàm olim fuerit Aaronicorũ. eò quòd hiſce lepram non curare, ſed curatam dumtaxat oſtendere; illis verò peccata non curata oſtendere, ſed verè curare & condonare conceſſum ſit. Atque hac de cauſa Chriſtus primum hoc à deſcenſu è monte, vbi legem Euangelicam docuerat, miraculum eſſe voluit curationem leproſi, tum quia in Syria & Iudæa communis & frequens erat hic lepræ morbus, multique erant leproſi: tum quia lepræ conditiones C optimè per tropologiam repræſentant peccati fœditatem & noxam, æquè ac lepræ curatio peccati remiſſionem: ideoque Chriſtus in paſſione leproſi formam aſſumpſit, vt lepram animæ noſtræ in ſe ſuſciperet & curaret. Vnde Iſaias cap. 53.4. *Verè,* ait, *languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Vide quę de lepra dixi Leuit. 13. & 14. Hac de cauſa Chriſtus in forma leproſi apparuit Martyrio Monacho, & eius humeris vſque ad fores Monaſterij baiulari ſe permiſit, ibique diſparuit; ſed ita vt Martyrius pondus non ſentiret, quia portantem ſe portabat, ait S. Gregorius homil. 39. in Euang.

*Chriſtus in forma leproſi apparet.*

D In eadem leproſi forma Chriſtus apparuit S. Ludouico Toloſatum Epiſcopo, qui fuit nepos S. Lodouici regis Franciæ, ac ab eo pedes ſibi lauari permiſit, vt habet eius vita.

VERS. 5. Luc. 7. v. 1.2.3.

CVM AVTEM INTROISSET CAPHARNAVM, ACCESSIT AD EVM CENTVRIO, ROGANS EVM] Hoc eſt ſecundum Chriſti miraculum, quo doctrinam in monte editam confirmauit. Ita ſanctus Hieron. Ex hoc loco colligimus leproſum primò à Chriſto ſanatũ fuiſſe iuxta Capharnaũ, vti paulò antè dixi. Porrò leproſus erat Iudæus; Centurio verò ethnicus, putà ex Romanorum (tunc enim Iudæa à Pompeio, Iulio Cæſare & Auguſto ſubiugata, Romanorum ducum militumque præſidio tenebatur) legione dux cẽtum militum, & ſubinde etiam plurium, vt docet Vegerius l. 1. de Re milit. quare in eo Gentiũ vocatio præſignata & inchoata fuit L. Dexter in Chronico,

*Centurio quis?*

nico,

nico, quod nuper in lucem prodijt, ait hunc Centurionem fuiſſe C. Cornelium Centurionem Hiſpanum, cuius filius C. Oppius pariter Centurio Chriſto in cruce quaſi ſatelles & cuſtos aſtitit, videnſque ſigna, quæ in cælo, ſolo, terra & petris tunc contigerunt, conuerſus eſt ad Chriſtum; vterque Chriſtum & in Iudæa, & in Hiſpania prædicauit. Hæc dexter. De cuius auctoritate & fide fuſiùs egi in fine Chronotaxis, quam Actibus Apoſtolorum præfixi.

ACCESSIT] Eſt hîc prima antilogia: Nàm Lucas cap. 7. 1. idem miraculum aliter narrat. Non enim dicit Centurionem ipſum acceſſiſſe ad Chriſtū, ſed ad eum miſiſſe primùm Iudæos, deinde amicos ſuos, qui hanc gratiam, purà ſanitatem puero ſuo peterent & impetrarent. Quare in Luca ex Matthæo hoc loco ſupplendum, eſt quod poſt Iudæos & amicos tandem Centurio ipſe vltimus ad Chriſtum iam appropinquantem accurrerit, ſiue honoris cauſa, ſiue ob morbi paroxyſmum & inſtans mortis periculum, vti volunt S. Chryſoſtomus hom. 26. Theophylactus & Euthymius: niſi dicas Centurionem hîc aſſeri ad Chriſtum acceſſiſſe, eique ſupplicaſſe & reſpondiſſe, non per ſe, ſed per legatos & amicos ſuos, vti cenſent Beda & S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. c. 20. Porrò Iudæi commendarunt Centurionis poſtulationem Chriſto, dicentes: *Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes. Diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis*, vt ait Lucas c. 7. v. 4.

VERS. 6.
Luc. 7. v. 2
ET DICENS, DOMINE, PVER MEVS IACET IN DOMO PARALYTICVS, ET MALE TORQVETVR] *Puer*, id eſt, *ſeruus*, vt habet Lucas c. 7. v. 3. Serui enim apud heros ſubiectione, obedientia & reuerentia ſunt inſtar puerorum. Eſt catachreſis. Porrò hic ſeruus Centurioni erat charus & *pretioſus*, ait Lucas.

IACET IN DOMO PARALYTICVS] Quaſi cadauer in lecto *omnibus vndique artubus fluidis, & ad conſiſtendi officium agendiq; corruptis*, ait S. Hilarius: Paralyſis enim eſt reſolutio neruorum, ait Celſus lib. 2. cap. 1. Eſt enim morbus, in quo dimidia pars corporis reſoluitur, motu ſenſuque interceptis, ait Galenus Commentar. lib. 4. vnde à Græcis vocatur *hemiplexia*, id eſt, ſemiapoplexia, cùm ſcilicet in alteram tantùm corporis partem malum id incubuit, nam cùm totum afficitur, apoplexia nominatur: nunc vtrumque, inquit Celſus libr. 3. cap. 27. paralyſin appellari video.

*Paralyſis quid?*

ET MALE TORQVETVR] Græcè δεινῶς βασανιζόμενος, id eſt, *grauiter afflictus, vehementer cruciatus* (vt vertit Arabicus) ideoque *moriturus*, vt ait Lucas. Subita & acuta fuit hæc paralyſis, quæ cum cruciatu periculum vitæ crearit: Nam alioqui communes paralyſes ſunt lentæ, ideoque & graui cruciatu & periculo carent. Cruciatus hic videtur fuiſſe conuulſio & retractio neruorum, qui à cerebro oriuntur: hi enim, cùm præter naturam contorquentur aut diſtenduntur, grauiſſimos excitant dolores, vti ex Galeno oſtendit Guilielmus Ader Medicus lib. de Ægrotis & morbis à Chriſto ſanatis cap 2. vbi probat omnes illos fuiſſe deſperatos, & naturaliter incurabiles, ideoque eorum curam Chriſto quaſi Archiatro à Deo fuiſſe reſeruatam: Talis fuit hæc paralyſis. Idem docet S. Ambroſius epiſt. 75. *Eos*, inquit, *ſanauit Dominus Ieſus, quos nemo curaret*, id eſt, curare potuiſſet.

*Incurabilis*

Porrò Lucas paulò aliter rem geſtam enarrat: Sic enim ait c. 7. v. 3 *Et cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret & ſaluaret ſeruum eius.* Eſt hîc ſecunda antilogia. Lucas enim ait, *rogans eum, vt veniret*: Matthæus verò, imò & Lucas v. 6. ſubdit eum contrarium dixiſſe, ſcilicet: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo* (id eſt, iube abſens) *& ſanabitur puer meus* Reſpondetur, Tὸ *rogans* & *miſit*, quatenus refertur ad τὸ *veniret*, pertinere ad Iudæos Centurionis legatos, qui minoris erant fidei & humilitatis, quàm ipſe Centurio: hic enim ſolùm petebat, vt Chriſtus ſanaret puerum; Iudæi verò de ſuo addiderunt, vt veniret, & veniendo tangendoque ſanaret eum. *Miſit* ergo ſeniores ad Chriſtum *rogans* per ſe, *vt ſanaret*: per ſeniores verò, *vt veniret*. Quod enim legatus dicit, hoc cenſetur dicere is, qui legatum miſit. Lucas igitur more ſuo (vt patet cap. 19.) breuitatis ſtudio conuoluit dicta factaque Centurionis & Iudæorum: quæ proinde reſpectiuè explicanda ſunt, vt quædam à Iudæis, quædam à Centurione dicta ſint. Vult enim Lucas dicere, quòd ſeniores Iudæorum miſſi à Centurione dixerint Chriſto: Centurio rogat te, vt venias, & ſanes puerum eius: vbi addunt ex ſuo τὸ *vt venias*, putantes id decere, idque tacitè cupere Centurionem. Quod ergo ſubdit Lucas: *At illi cùm veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſollicitè, dicentes ei*, &c. ſignificat eos ſuam hanc petitionem, vt veniret & ſanaret puerum, inſtanter vrſiſſe, allegantes: *Quia dignus eſt, vt hæc ei præſtes*, quæ verba planè ſignificant petitionem ſeniorum fuiſſe illam, quæ præceſſit, quam ob breuitatem Lucas conuoluit, dicens: *Rogans, vt veniret & ſaluaret ſeruum eius.* Ille igitur verbis ſimul miſſionem Centurionis & eius petionem, æquè ac ſeniorum licèt poſteà factam, per anticipationem complexus eſt: vnde eam non iterat, nec vti reipſa facta eſt, enarrat.

*Enodatur difficultas occurrens in petitionis Centurionis & ſeniorum ab ipſo miſſorum.*

Aliter reſpondent nonnulli, ſcilicet Centurionem, cùm mitteret Iudæos per eos rogaſſe Chriſtum, vt veniret, & veniens ſanaret puerum; ſed poſt Iudæorum abitum ad Chriſtum, illuminatum à Deo, creſcente fide & humilitate, pœnituiſſe, ac optaſſe dixiſſeque, vt Chriſtus non veniret, ſed abſens curaret puerum. Sed tunc dicendum eſt Centurionem eſſe mentitum, cū, vt ait Lucas v. 7. per Iudæos legatos priùs à ſe miſſos dixit: *Propter quod & me ipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te.* Si enim ipſe putabat ſe dignum, vt Chriſtus veniret ad ſe, multò magis putabat ſe dignum, vt veniret adiretque Chriſtum. Rurſum dicendum eſt eum non credidiſſe Chriſtum eſſe Deum. Deo enim non fuiſſet auſus mentiri, vtpote quem mendacij conſcium ſciret.

Denique Centurio priùs miſit ſeniores Iudæorum ad Chriſtum honoris cauſa, quia ipſe, vtpote Gentilis, æſtimabat ſe indignum conſpectu & alloquio Ieſu: Iudæi enim, Gentiles, vtpote idololatras, æſtimabant viles & impuros quaſi canes, vt patet Matth. 15. 26.

ET AIT ILLI IESVS: EGO VENIAM, ET CVRABO EVM] Nota promptum Chriſti animum ad benefaciendum & ſanandum paralyticum, quo VERS. 7. Luc. 7. 6.



quo plus offert centurioni, quàm ipſe petierat, ſed nimirum volebat hac oblatione è pectore Centurionis elicere fidem & reuerentiam, quæ mox ab ipſo proſilijt. Dixit Chriſtus, & fecit; vnde Lucas v. 5. ait, *Ieſus autem ibat cum illis.*

VERS. 8.
Luc. 7. v. 6. & 7.
ET RESPONDENS CENTVRIO AIT: DOMINE NON SVM DIGNVS, VT INTRES SVB TECTVM MEVM (in domum meam) SED TANTVM DIC VERBO, ET SANABITVR PVER MEVS] Dixit hoc primò Centurio per amicos Chriſto, cùm Chriſtus ad domum eius accederet, vt ait Lucas c. 7. 6. deinde ipſe accurrens ad Chriſtum venientem idem per ſe dixit, & proteſtatus eſt, vt ait hîc S. Matthæus: vrbanitas enim & ciuilitas id omninò exigebat, vt ipſe perſonaliter Chriſto occurreret, ipſumque venientem & iā vicinum exciperet. *Dic verbo*, id eſt, iube ſermone. q. d. Non eſt opus, vt præſens tangas ſeruum meum, ſed abſens iube dumtaxat, & illicò ſanabitur. Credidit ergo Centurio Chriſtum eſſe Deum, qui vbique quaſi præſens imperat & operatur quodlibet, aut certè Chriſtum eximium eſſe Prophetam Deo chariſſimum, purà Meſſiam Iudæis promiſſum, qui nomine Dei in Iudæa rebus omnibus ad libitum imperaret: *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.* Pſal. 32. 9.

VERS. 9.
Luc. 7. 8.
NAM ET EGO HOMO SVM SVB POTESTATE CONSTITVTVS, HABENS SVB ME MILITES, ET DICO HVIC: VADE, ET VADIT: ET ALII (alij, alteri: Sic *alio* pro *alij* vſurpat Plautus) VENI, ET VENIT: ET SERVO MEO, FAC HOC, ET FACIT] *Sub poteſtate*, id eſt, in poteſtate, in regimine, in magiſtratu *ſum conſtitutus*, purà ſum Centurio, imperans centum militibus. Ita Auctor imperfecti, qui à pari tendit hîc argumentum Centurionis, q. d. Si ego paruam habens poteſtatem in paucos milites, illis ad nutum impero; quantò magis tu, ô Chriſte, qui plenam omnium habes poteſtatem, morbis imperabis? Verùm τὸ *ſub poteſtate* propriè hîc accipi liquet ex Græco, qui habet, ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν, & ex eo quod ſubdit, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν ϛρατιώτας, id eſt, *habens ſub me milites.* Ergo ſicut Centurio verè & propriè habebat ſub ſe milites ſibi ſubditos, ſic viciſſim ipſe erat ſub poteſtate altiori ſui Tribuni, vel Cæſaris Romani, ſcilicet Tiberij. Ita S. Chryſoſtomus, Leontius, Gloſſa, Maldonatus, Ianſenius, Franc. Lucas, & alij. Eſt argumentum à minori ad maius, q. d. Si ergo, licèt ſub poteſtate Cæſaris conſtitutus, impero tamen ad libitum militibus mihi ſubditis, *& dico huic, Vade, & vadit, & alij, Veni, & venit*; Quantò magis tu, ô Chriſte, qui ſub nullius es poteſtate, ſed Deus es omnipotens, omnium Dominus, poteris imperio tuo facere quidquid volueris, vt ſi etiam abſens dicas, iubeaſque morbo (paralyſi ſerui mei) *Abi*, illicò abibit: ſi eidem dicas, *Veni*, illicò veniet: morbi enim ſunt quaſi milites & ſatellites tui, quos ad nutum in reos immittis, & à pœnitentibus ſupplicibuſque reuocas. Ita S. Auguſtinus de Verbis Domini ſecundùm Matthæum ſerm. 6. *Si ego*, inquit, *homo ſub poteſtate iubendi habeo poteſtatem, quid tu non poſſis, cui omnes ſeruiunt poteſtates?* Ponderat S. Hieronymus Centurionis *Fidem, in eo quòd credidit*, inquit, *ex Gentibus, paralyticum à Saluatore poſſe ſanari: Humilitatem; quòd ſe iudicauit indignum, cuius tectum Dominus intraret: Prudentiam; quòd intra corporis tegmen diuinitatem latentem videret, ſciens non id ſibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur, ſed id, quod latebat intrinſecùs.*

*Virtutes heroicæ Centurionis.*

Moraliter; ſi vis eſſe in poteſtate, diſce eſſe ſub poteſtate, ſi vis imperare, diſce priùs imperanti obedire. Audi S. Bernardum epiſt. 42. *Vt ſecurè præeſſe poſſitis, ſubeſſe & vos, ſicut debetis, non dedignemini: Dedignatio quippe ſubiectionis, prælationis reddit indignum: videant in vobis ſubditi, quod redhibeant.* Probat idipſum exemplo Centurionis: *Dicturus quippe: Habens ſub me milites; præmiſit, homo ſum ſub poteſtate. Iam quidquid ſubinferat, ſuſpectam non habemus iactantiam. Præmiſſa ſiquidem eſt humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum inuenit arrogantia, vbi tam clarum humilitatis inſigne præceſſit. Quia non confuſus eſt de ſubiectione, iure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit ſuper ſe poteſtatem, & ideò dignus, qui haberet & ſub ſe milites. Dedit priùs honorem præpoſitis, vt iam à ſubditis iuſtè reciperet.* Sic ſymbolicè, ſi anima velit imperare corpori, priùs ſe ſubdat Deo; quòd ſi illi rebellet, ſentiet & ſibi corpus rebelle, vti ſenſit Adam, violans præceptum Dei de non comedendo pomo vetito. Sic pœna ſuperbiæ & inobedientiæ eſt lapſus carnis & luxuriæ.

AVDIENS AVTEM IESVS, MIRATVS EST] Tantam fidem, humilitatem, reuerentiam & deuotionem Centurionis, qui non erat Iudæus, ſed Gentilis. Vnde Origenes: *Attende*, ait, *quantum ſit, aut quale, quod Deus vnigenitus miratur. Aurum, diuitiæ, regna, principatus in conſpectu eius ſunt tamquam vmbra, vel flos decidens:* Nil *ergo horum in conſpectu Dei mirabile eſt, quaſi magnum, vel pretioſum; ſed tantùm fides; hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem ſibi æſtimat.* VERS. 10. Luc. 7. v. 9

Quæres, an in Chriſto verè fuerit admiratio? Suppono ex communi Theologorum ſententia in Chriſto, præter diuinam ſcientiam, quam habebat quà Deus, triplicem fuiſſe ſcientiam, quà homo erat: Primò, *beatificam*, per quam Dei eſſentiam intuebatur, eaque fruens beabatur. Secundò, *infuſam*, quà per ſpecies animæ ſuæ à Deo inditas ab ipſo conceptionis ſuæ inſtanti omnia cognoſcebat. Tertiò, *experimentalem*, quâ illa, quæ faciebat per ſcientiam infuſam, quotidie per experientiam videbat & ſentiebat.

*An in Chriſto fuerit admiratio? Triplex ſcientia Chriſti.*

Reſpondeo ergo: In Chriſto propriè & abſolutè non fuit admiratio, quæ ſcilicet ex imo cordeeiuſque fundo manaret. Ratio eſt, quia admiratio oritur & fit in nobis ex eo, quòd aliquid noui, inſoliti & incogniti videamus, vel audiamus: Chriſtus autem per ſcientiam infuſam, iam omnia antequam fierent, cognoſcebat: vnde nil ei, vtpote omniſcio, erat nouum, incognitum vel inopinatū & admirabile. Excitauit tamen Chriſtus in ſe per ſcientiam experimentalem, cùm aliquid magni & noui experiretur, aliquē quaſi ſuperficialem actum interiorem & geſtum exteriorem admirationis, vt alios idem admirari doceret. Ita S. Auguſtinus, quem audi, lib. 1. de Geneſi contra Manich. c. 8. *Quis autem in illo fecerat illam fidem, niſi ipſe, qui admirabatur? quòd ſi & alius eam feciſſet, vt quid miraretur qui præſcius erat? Quod ergo miratur Dominus, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc opus eſt ſic moueri: omnes enim tales motus eius non perturbati animi ſigna ſunt, ſed docentis magiſterium.* Sic & S. Thomas 3. part. q. 15. art. 8.

*Reſponſ.*
*Ratio.*

Hinc

*Sapiens nil miratur.*

Hinc ſapiens nihil miratur: Et Cyrus rex Perſarum docebat ſuos nil mirari, quòd rex altior ſit & ſuperior omni re mundi. Qui cum S. Paulo conuerſatur in cælo, nil miratur in terra. Pręclarè S. Cyprianus tract. de Spectaculis: *Numquam*, ait, *humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognouerit filium Dei. Deijcit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt.*

Et ſeqventibvs ſe dixit: Non inveni tantam fidem in Iſrael] Arabicus, *in vno ex Iſrael.* Græcè eſt neruoſius: *Nec in Iſrael tantam fidem inueni*, quantam in Centurione Gentili, intellige, *non inueni*, ſcilicet in communi populo à tempore prædicationis meæ: nam maior ſine dubio erat fides in B. Virgine, Abraham, Moyſe, Ioanne Baptiſta, &c. Aut vt S. Chryſoſtomus, non inueni tantam, ſcilicet proportionabiliter, quia hîc erat Ethnicus & Centurio, ceteri erant Iſraelitæ & fideles: vnde eadem fides in illo magis erat mira & miranda, quàm in hiſce. Idem Chryſoſtomus præfert fidem Centurionis fidei Apoſtolorum, quam habuerunt initio vocationis: Origenes verò fidei Marthæ etiam & Magdalenæ. Audi S. Chryſoſtomum: *Credidit Andreas ſed Ioanne dicente: Ecce Agnus Dei. Credidit Petrus, ſed euangelizante ſibi Andrea. Credidit Philippus, ſed legendo Scripturas: Et Nathanael priùs ſignum diuinitatis accepit, & ſic fidei confeſſionem obtulit.* Audi & Origenem: *Iairus Iſraelis princeps pro filia ſua petens non dixit: Dic verbo, ſed veni velociter. Nicodemus de fidei Sacramento audiens, ait: Quomodo hoc poteſt fieri? Maria & Martha dicunt: Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus; quaſi dubitantes quod vbique poſſet abeſſe Dei potentia.*

Vers. 11. Luc. 13. v. 29.

Dico avtem vobis, qvod mvlti ab Oriente et Occidente venient, et recvmbent cvm Abraham, et Iſaac, et Iacob in regno cælorvm] *Ab Oriente & Occidente*, id eſt, ab extremis Gentium regionibus. Occaſione enim Centurionis, qui erat Gentilis prædicit Gentium (quarum primitiæ erat hîc Centurio) vocationem & Iudæorum reprobationem. Alludit ad Iſaiæ cap. 43. v. 5. & ſequent. vbi à quatuor mundi plagis prædicitur Gentium vocatio, gratia & gloria. *Recumbent*, id eſt, requieſcent, ait S. Hilarius & Euthymius. Verùm græcè eſt, ἀνακλιθήσονται, id eſt, *diſcumbent*, quaſi in triclinio accumbent, quaſi conuiuæ epulabuntur in opiparo conuiuio: huic enim regnum cælorum, ac cæleſtis gloria & felicitas Chriſti & Sanctorum ſæpè comparatur, ob ſummam quietem, lætitiam, ſecuritatem & ſatietatem. Alludit ad illud in Pſal. 16. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et Pſalm. 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hoc cæleſte conuiuium quaſi nuptiale Agni, id eſt Chriſti, graphicè depingit S. Ioannes cap. 19. verſ. 7. & ſequent. ac Chriſtus Lucæ cap. 22. v. 29.

*In cælo conuiuantur beati.*

Cvm Abraham, et Iſaac, et Iacob] Hi tres præ alijs ſanctis Patriarchis & Prophetis hîc & alibi nominantur, & celebrantur. Primò, quia hi tres fuere primi Patres & Patriarchæ Iudæorum, ad hoc ſingulariter electi & ſelecti à Deo. Secundò, quia ijdem erant capita Reipublicæ & Eccleſiæ Dei. Tertiò, quia hi ſingularia dedere fidei & religionis exempla. Quartò, quia hi tres promiſſionis de terra Chanaan à poſteris poſſidenda, in typum regni in cælis eiſdem eorumque aſſeclis promiſſi, fuere heredes. Vnde & Deus ſe vocat Deum Abraham, Iſaac & Iacob, eorumque nomine apud Iudæos gloriabatur.

Vers. 12. Luc. 13. v. 28.

Filii avtem regni eiicientvr in tenebras exteriores: ibi erit fletvs et ſtridor dentivm] *Filij regni*, id eſt deſtinati ad regnum, vocantur Iſraelitæ; quia hi prognati erant ex Abraham, Iſaac & Iacob, quibus, & quorum ſemini Deus promiſerat regnum vti terrenum Iudææ, ſic & ſpiritale æternæ gloriæ in cælis. Simili Hebraiſmo vocantur filij mortis, gehennæ & reſurrectionis, qui ad mortem & gehennam comminatam, aut ad reſurrectionem promiſſam à Deo deſtinati & deputati ſunt.

Moraliter ſi filius regni es, fac opera regni, fac opera digna cælo, viue vt Angelus. Sic enim Chriſtus dixit Iudæis: *Si filij Abrahæ eſtis opera Abrahæ facite.* Ioan. 8.

*Priſci cœnabant, non prandebant.*

In tenebras exteriores] gehennæ. Perſiſtit in metaphora cõuiuij in regno cęleſti, ideoque lucidiſſimi; circa quod nota pleroſque veterum non prandiſſe, aut non niſi parcè & tenuiter per modum ientaculi, ſed cœnaſſe dumtaxat, tumque ſe exſatiaſſe & exhilaraſſe; ideoq; conuiuia non in prandio, ſed in cœna celebraſſe idque otij & libertatis cauſa, & vt diem, vt ait Horatius lib. 1. Ode 1. non frangerent, ſed totum negotijs darent, atque inde triclinia dicta ſunt cœnacula. De Hebræis id liquet ex S. Scriptura, vbi paſſim fit mentio cœnæ & cœnaculi, raro prandij, vt patet in cœna *Darij* 3. Eſdræ 3. 1. *Holophernis* Iudith 12. 10. *Herodis* Marci 6. 21. *Marthæ* Ioan. 13. 2. & 1. Corinth. 11. 20. De Eſſenis idem docet Philo lib. 2. de Vita contemplatiua; imò prandij in veteri teſtamento nulla eſt mentio, niſi apud Tobiam cap. 2. verſ. 1. & Danielem cap. 13. 13. & Eſtherem, cùm Iudæi abducti in Aſſyriam & Babylonem, ibi inter Gentes degerent, earumque more comederent. Excipio vnum Ieroboam regem Iſrael, qui Prophetam, ſibi manum reſtituentem, inuitauit ad prandium 3. Regum 13. 7. ſed rex hic fuit idololatra, & auctor aurifexque vitulorum aureorum, quos coluerunt Iſraelitæ. Vnde non mirum, ſi guloſior prandia celebrarit. Hoc eſt, quod laudat Boëtius de Conſolatione:

*Hebræi.*

> *Felix*, ait, *nimium prior ætas,*
> *Nec inerti perdita luxu,*
> *Facili quæ ſera ſolebat*
> *Ieiunia ſoluere glande.*

*Græci.*

D Græcis id docet Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 2. Athenæus de Cœnis ſapientum, Hippocrates lib. de Aëre & aqua, Plutarch. li. 8. Sympoſiac. quæſt. vbi ait, infames fuiſſe eos, qui ante cœnam manducarēt; Hippocrates verò ait, eos non rectam viuendi normam ſeruare. Addit Plutarchus cœnam dici quaſi κοινήν, quòd communis eſſet omnibus, cùm prandium ſeorſim à priuatis quaſi obiter ſumeretur. Hinc Plato, teſte Cicerone Tuſcul. 5. cum ſtomacho miratus eſt priſcos Italos & Siculos bis in die cibo impleri. Leonidas Græcorum dux contra Xerxem & Perſas innumeros, cum paucis apud Thermopylas pugnaturus: *Prandete*, inquit, *commilitones apud inferos cœnaturi.* Alexãder Magnus dictitabat prandium



prandium condire nocturnas profectiones, cœnam verò prandij tenuitatem.

*Romani.*

De Romanis idem docet Plutarchus loco citato. Martialis libr. 4. Epigrammat. ad Euphemium:

> *Surgite*, inquit, *iam pueris vendit ientacula piſtor.*

Horat. lib. 1. Satyr. 5.

> *Pranſus non auidè, quantum interpellet inani*
> *Ventre, diem durare.*

Idem lib. 2. Satyra 5.

> *Ille ſalubres*
> *Æſtates peraget, qui nigris prandia Moris*
> *Finiet.*

Plura vide apud Alexandrum ab Alexandro lib. 5. Genial. cap. 21. & Ciacconum, ac Fuluium Vrſinum lib. de Triclinio.

*Chriſtiani primi.*

Porrò primos Chriſtianos vſque ad veſperam ieiunaſſe docet Tertullianus lib. de Ieiunijs cap. 10. & alij, quos ibidem citat Pamelius, imò adhuc tempore S. Thomæ Aquinatis, qui floruit anno Domini 1290. ieiunabant vſque ad nonam; nam in ieiunio non niſi poſt officium veſperarum, putà poſt tres horas à meridie, quando Chriſtus in cruce expirauit, licebat cibum ſumere, & qui priùs ſumpſiſſet, cenſebatur non ieiunaſſe, idque ex decreto Concilij Cabilonenſis, vt habetur de Conſec. diſt. 1. cap. *ſolent*. Vide D. Thomam 2. 2. quęſt. 147. art. 7. vbi tamen pro *Cabilonenſis* irrepſit *Chalcedonenſis*.

Denique S. Antonium, S. Hilarionem, S. Paulum primum eremitam, ceteroſque priſcos Aſcetas & Anachoretas quotidie ieiunaſſe, nec cibum ſumpſiſſe ante veſperam patet ex eorum vita. Audi & Virgilium:

> *Pendent lychni laquearibus aureis*
> *Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.*

nimirum comedere æſtimabant rem animalem & vilem, ideoque indignam luce & dignam tenebris; vnde de ea erubeſcebant cauebantque, ne ſol eos comedentes aſpiceret.

Quia ergo olim non prandebant in meridie, ſed cœnabant veſpere & noctu; idcirco copioſo vtebantur lumine: vnde Lucretius lib. 2.

> *Lumina nocturnis epulis vt ſuppeditentur.*

Sic & Horatius lib. 3. Ode 2. In cœnaculis ergo & conuiuijs lux erat, extra ea verò erant tenebræ, quæ proinde hîc vocantur *exteriores*, quia extra conuiuium ſitæ. Græcè enim non eſt, ἐσχάτας, id eſt, extremas, ſed ἐξώτερον σκότος, id eſt, externa caligo, quæ ſcilicet exteriùs & extra conuiuij locum reperitur. Vnde Lucas c. 13. 28. habet: *Videbitis vos expelli foras.* Senſus ergo eſt. q. d. Filij regni, id eſt Iudæi, in Patribus Abraham, Iſaac, & Iacob deſtinati ad regnum cæleſte, ob ſuam perfidiam, quâ in Chriſtum credere noluerunt; à regno epuloq; cæleſti expellentur in gehennæ tenebras exteriores, Græcè ἐξωτέρας, id eſt, à luce cæleſtis conuiuij regnique extorres, alieniſſimas, & remotiſſimas, nimirum profundiſſimas, & obſcuriſſimas. Gehennæ enim eſt in centro terræ, quod à ſuperficie terræ diſtat tribus millibus milliarium & ampliùs: quare tanta terræ opacitas magnas cauſat in gehenna tenebras. Id ita eſſe patet: Primò ex eo, quòd Hebr. חיצון *chitſon*, quod hîc eſt in Matthæo, dicatur à חוץ *chuts*, ſicut Græcum ἐξώτερον ab ἔξω, id eſt, exterior ab extra; quia ſcilicet hæ tenebræ ſunt extra regnum & conuiuium cæleſte, in quo epulantur & regnant beati quaſi filij lucis. Secundò, quia ſimili modo Chriſtus cap. 22. 13. ſeruum nõ habentem veſtem nuptialem, eiecit è conuiuio in tenebras exteriores. Tertiò, quia pari ratione ait Ioannes de gehenna & damnatis Apoc. c. 14. 20. *Calcatus eſt lacus extra ciuitatem, & exiuit ſanguis de lacu vſque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcẽta.* Nam poſt diem iudicij duo tantùm erunt loca hominum, ſcilicet cælum pro electis & beatis, ac gehenna, ſiue lacus & tartarus pro reprobis & damnatis; quare qui à cælo, vbi erit ciuitas regni & conuiuij lucidiſſima, excludentur, hi extra illud relegabuntur in lacum & tartarum obſcuriſſimum. Et hoc eſt, quod ait Lucas. 13. 28. *Cum videris Abraham*, &c. *in regno Dei, vos autẽ expelli foras.* Et v. 25. *Cùm intrauerit paterfamilias & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare.* Et Chriſtus Ioan. c. 6. 37. *Eum, qui venit ad me, non eijciam foras.* Et c. 15. 6. *Mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.* Et Apocal. 3. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egreditur ampliùs.* Et c. 11. 2. *Atrium autem*, &c. *Eijce foras.* Et cap. 22. 15. *Foris canes & venefici.* Ita S. Hieronymus. Quare minùs rectè Caietanus cenſet tenebras exteriores opponi interioribus, quæ animum obſcurant: exteriores ergo eſſe ſenſibiles, quæ lucem ſenſibilem excludunt; interiores verò eſſe ſpirituales, quæ luce internâ mentem ſpoliant.

Porrò *exterior* licèt ſit comparatiuus, tamen vicem habet poſitiui, quia poſitiuo caret; aut potiùs ſuperlatiui, vt vult Ianſenius; exterior ergo, id eſt extimus, extra domum vel locum longè poſitus. Tenebræ igitur exteriores ſunt tenebræ à cælo & luce remotiſſimæ, tartareę, profundiſſimæ. Magna enim erit pœna damnatis cælo, id eſt conſortio Dei, Angelorum & Beatorum excludi, ac relegari cum diabolis in tenebroſum gehennę ergaſtulum, imò tartarum: quę à Theologis vocatur pœna damni, & æquiparatur, imò à multis præponitur, quaſi grauior & acerbior, pœnæ ſenſus, putà igni & combuſtioni, quæ tamen hîc per tenebras exteriores quoque intelligitur. Denique regnum cælorum, qui eſt locus Beatorum lucidiſſimus & feliciſſimus, vocatur conuiuium, quia plenum omni voluptate & gaudio omnibuſque delicijs, quibus perpetim quaſi epulantur Sancti. Per tenebras enim exteriores denotat carcerem inferni eiuſque tormenta, per ſynecdochen & metonymiam, quia ibi ignis vti feruentiſſimus, ita & fumoſiſſimus ac tenebroſiſſimus, damnatos torquet, teſte S. Baſilio in priori expoſit. Pſal. 28. atque ad hoc tantùm lucet ignis ille, vt damnati ſuas pœnas ſuorumque ſociorum videant & augeant, vti docet S. Gregorius lib. 9. Moral. c. 48. & 49.

*Exteriores tenebræ quæ?*

Denique per tenebras hîc accipe tum corporales tum ſpirituales. Vnde ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 6. per tenebras has accipit cæcitatem mentis, ex iudicio practico in damnatis falſiſſimo, & peruerſiſſimo, atque ex ſummo Dei vindicis odio manantem, indeque conſequentem obſtinationem & impœnitentiam. Damnati enim ex odio & rabie in Deum, eò quòd eos adeò cruciet in gehenna, iudicant Deum, virtutes, omniaque, quæ Deus amat, ſibi eſſe odienda; vnde nil niſi malum amare poſſunt ex ſumma in Deum rabie ac ſalutis ſuæ deſperatione.

IBI ERIT FLETVS ET STRIDOR DENTIVM] Hac phraſi ſignificatur ſummus damnatorum in gehenna cruciatus, ſcilicet, per fletum ſummus dolor, per ſtridorem ſummus horror: qui enim horrendè torquentur & cruciantur, hi oculis flent, voce eiulant, dentibus ſtrident.

*An damnati lachrymentur? Reſpond. negatiuè Ratio.*

Quęres; an verè damnati in gehenna, reſumpto in die iudicij corpore, flebunt, & lachrymas fundent? Affirmat Maldonatus: Meliùs alij negant, tum quia ignis gehennæ ardentiſſimus lachrymas omnes, ſi quæ eſſent, cohiberet & illicò deſiccaret; tum quia ad æternas has lachrymas per omnia ſęcula duraturas infinita flumina non ſufficerent: tum quia eadem ſemper corpore ſine nutrimento, mutatione & excretione fęcium vel lachrymarum, in ęterno igne à Deo integra conſeruabuntur; alioqui enim ſenſim totum corpus, imò infinita corpora in lachrymas reſolui deberent. Per fletum ergo & lachrymas hîc catachriſticōs accipe ſingultus, gemitus, eiulatus, omneſque complorantium geſtus & lamenta, quæ fletui coniungi ſolent.

*An ſtrideant dentibus? Reſp. affirmatiuè.*

Quæres ſecundò, an in gehenna verè erit ſtridor, quo damnati dentibus ſtrideant? Reſpondetur affirmatiuè: ſtridor enim hic oritur ex acerbitate & horrore pœnarum: qui enim in eculeo torquentur, dentibus ſtrident, eoſq; inter ſe collidunt. Addunt aliqui, in gehenna eſſe ſtridorem ex ſummo frigore: ex eo enim propriè oritur ſtridor dentium: licet enim Ianſenius & alij, in gehenna cenſeant eſſe merum ſummumque ignem, ideoque negent ibi eſſe frigus; tamen multi contrarium opinantur ſcilicet, ibi quoque eſſe ſummum frigus, illoque cruciari & vri damnatos, iuxta illud Iob 24.19 *Ad nimium calorem trãſeat ab aquis niuium.* Ita Philippus presbyter, Beda, Lyranus, & D. Thomas ibidem, ac S. Auguſtinus lib. de Triplici habitac. cap. 2. & S. Hieronymus in cap. 10. S. Matth. qui ait *triplicem eſſe gehennam, nimij ignis & frigoris, in Iob* (cap. 24. 16.) *pleniſſimè legimus*, quaſi ideo dicatur gehenna ignis, quòd ſit & gehenna frigoris. Sed hac de re plura in Iob cap. 24. 13.

*An in inferno ſit frigus?*

VERS. 13. Luc 7 v. 10
ET DIXIT IESVS CENTVRIONI: VADE, ET SICVT CREDIDISTI (Arabicus, *ſecundùm fidem tuam*) FIAT TIBI. ET SANATVS EST PVER IN ILLA HORA] Eodem momento quo Ieſus dixit, *fiat.* *Vade*, id eſt, Redi lætus & alacer domum tuam. Eſt particula annuentis & concedentis id quod petitur; vnde ſequitur: *Et ſicut credidiſti, fiat tibi*: Credidiſti me abſentem ſolo verbo poſſe ſeruum tuum curare, curetur ergo abſens verbo meo, *fiat.* Hinc videtur quòd Chriſtus non ſit ingreſſus domum Centurionis, nec ſeruum eius tetigerit, aut allocutus ſit, ſed in loco vbi ei occurrit Centurio, dicens: *Domine non ſum dignus, &c. ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus*, illico eum curarit, vt eum in fide confirmaret, ſeſeque Meſſiam, imò Deum eſſe oſtenderet, nimirum: Magna fides magna meretur, magna fiducia magna impetrat: Quantum à Deo ſperas, tantum obtinebis. Vnde S. Bernardus ſerm. 15. in Pſalm. *Qui habitat*, illud Dei ad Ioſue cap. 1. promiſſum: *Omnem locum quem calcauerit veſtigium pedis veſtri, veſter erit*, tropologicè explicans, ait: *Sperate in Deo omnis congregatio populi: quemcumq; enim locum calcauerit pes veſter, veſter erit: pes veſter vtique ſpes veſtra eſt, & quantumcumque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, vt firma ſit & nõ titubet*: quia Deus cùm ſit liberaliſſimus, ac fiduciâ, quam in eo collocamus, valdè honoretur, nõ patitur ſe fiduciâ noſtrâ vinci, ſed eam ſuperare deſtinat. Vnde illud eiuſdem S. Bernardi ſerm. 3. de Annunt. *Sola ſpes apud te* (Domine) *miſerationis obtinet locum, nec oleum miſericordiæ niſi in vaſe fiduciæ ponit.*

*Quantum ſperas tantum impetras.*

Tropologicè à Centurione diſcant heri, quãtam ſeruis curam impendere, quantoque pretio eos habere debeant; illi enim hic ſeruus erat *pretioſus*; vt ait Lucas, ideoq; Chriſtum tanto ſeniorum & amicorum impendio ad eum curandum euocauit: ſic viciſſim ſerui heris maiori ſtudio, amore & reuerentiâ obſequentur. Audi Eccleſiaſt. cap. 33. 31. *Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua, quaſi fratrem ſic eum tracta.* Vide ibi dicta: Sapienter Seneca licèt Gentilis epiſtol. 47. *Serui*, inquit, *ſunt? Sed homines. Serui ſunt, imò contubernales. Serui ſunt? imò homines amici. Serui ſunt? imò conſerui, ſi cogitaueris tãtumdem in vtroque licere fortunæ.* Deinde ſubdit exempla ſeruorum, qui benè ab heris habiti pro eis *parati* erant *porrigere ceruicem, & periculum imminens in caput ſuum auertere.* Quare falſum eſt quod iactatur vulgo: *totidem eſſe hoſtes, quot ſeruos.* Nam *non habemus illos hoſtes*, inquit, ſed *facimus* inhumaniter eos tractando. Quare quilibet herus ſuperior & prælatus id faciat ſuis ſeruis & ſubditis, quod hîc Centurio fecit famulo ſuo, præſertim vt eos ad Chriſtum magis à morbis animæ, quàm corporis ſanandos adducat.

Myſticè, Centurio eſt quilibet homo, qui ſuis membris, ſenſibus, viribus & potentijs quaſi militibus præeſt, vt militent & ſeruiant Deo. *Militia enim eſt vita hominis ſuper terram.* Iob. 7. Quare ſi quis in eo ſenſus vel appetitus languet, & paralyſi gulæ, acediæ, luxuriæ, ſuperbiæ, &c. laboret, adeat, inuocetque Ieſum cum humilitate & fiducia per amicorum, id eſt, Sanctorum interceſſionem, nec deſiſtat, donec illi ſanitatem impetret.

VERS. 14. Luc. 4. 38. Mar. 1. 29. 30.
ET CVM VENISSET IN DOMVM PETRI, VIDIT SOCRVM EIVS IACENTEM ET FEBRICITANTEM] Eſt hyſterologia ſiue inuerſus ordo. Hoc enim miraculum & cetera Chriſti geſta, quæ deinceps narrat Matthæus vſque ad finem cap. 9. contigerunt ante curationem leproſi & ſerui Centurionis, imò ante aſcenſum & ſermonem Chriſti in monte, vt colligitur ex Marco cap. 1. 22. & 29. ac Lucæ cap. 4. verſ. 32. & 38. atque ex ipſo Matthæo: ſermo enim Chriſti in monte habitus fuit coram duodecim Apoſtolis, ac conſequenter coram ipſo S. Matthęo, qui tamen ſuam vocationem poſt hæc deſcribit cap. 9. verſ. 9. Nimirum voluit Matthæus initio prædicationis Chriſti breuiarium conſcribere doctrinæ editum à Chriſto in monte, ac deinde miracula, quibus eamdem Chriſtus tam ante ſermonem, quàm poſt eum confirmauit, ordine pertexere; quia hoc miraculum curationis ſocrus Petri contigit Capharnai, vbi & contigit curatio leproſi & ſerui Centurionis, ſed hęc poſt ſermonem, illud ante eum, vt dixi. Hæc ergo eſt ſeries rei geſtæ, vt patet ex Marco & Luca: Chriſtus cum à piſcatione Petrum & Andream vocaſſet ad ſui ſequelam, vti narrauit Matth. cap. 4. 18. ingreſſus Capharnaum, ibi in Synagoga prædicauit & ſanauit dæmoniacum, indeque pergens



ad domum Petri, ibi ſocrum eius febricitantem ſanauit. Hoc ergo miraculum & cetera ſequentia vſque ad finem cap. 9. Matthęi, recto hiſtoriæ ordine anteponenda forent, & inſerenda cap. 4. Matthæi ſtatim poſt verſ. 22.

*Domus Petri vbinam?*

IN DOMVM PETRI] Quæ Petri & Andreæ, vt habet Marcus cap. 1. verſ. 29. paulò antè fuerat: iam enim vterque omnia reliquerat, Chriſtumque pauperem pauper ſecutus erat. Domus ergo hęc erat Bethſaïde; hæc enim erat patria Petri. Ioan. capit. 1. verſ. 44. ac Bethſaïda vicina erat vrbi Capharnaum; ab ea enim diſtabat tantùm itinere ſeſquihoræ: aut certè domus hæc erat ipſius ſocrus Petri quę habitabat in ipſa vrbe Capharnao apud quam proinde vrbem ingrediens diuertere ſolebat Petrus: Capharnai enim hęc contigiſſe inſinuant Marcus & Lucas. Socrus hæc erat mater vxoris ſancti Petri: ipſe enim à coniugio vocatus eſt à Chriſto, tumque reliquit vxorem & filiam ex ea genitam, quę poſtea à patre Petro, dicta eſt Petronilla, ac ſecutus eſt Chriſtum: In Euangelijs autem nemo Apoſtolorum legitur habuiſſe vxorem, niſi ſolus Petrus. Porrò vxor S. Petri vocabatur Perpetua, ait Molanus die 4. Nouembris, licèt alij Concordiam, alij Mariam nominatam dicant, quæ ad Chriſtum conuerſa, cùm ob eius fidem duceretur ad martyrium, corroborata fuit à ſancto Petro, dicente. *O coniux, memento Domini*, Chriſti ſcilicet, qui pro te mortem crucis alacriter ſuſtinuit, vt pro eo viciſſim generosè ſanguinem profundas. Vti narrat Clemens Alex. lib. 2. Strom. & ex eo Euſebius lib. 3. Hiſtor. cap. 30. Petronilla autem ob egregiam formam à Flacco Comite in coniugem appetita, cùm tres induciarum dies poſtulaſſet, tertiò die, à Nicomede ſacerdote perceptâ ſacrâ Synaxi, in virginitate animam Deo reddidit, ac inter ſanctas virgines relata, extat in tabulis Eccleſiaſticis vltima die Maij, eiuſque ſacra lipſana hîc Romæ veneramur in Baſilica S. Petri.

*Vxor S. Petri martyr.*

*S. Petronilla S. Petri filia.*

VIDIT SOCRVM EIVS IACENTEM] Græcè βεβλημένην, id eſt, deiectam & proſtratam, viribus eam omnino deficientibus ex grauitate tum morbi, tum ætatis (erat enim vetula) ideoque in periculo mortis conſtitutam. Acutas & ardentes fuiſſe has febres, ideoque in vetula incurabiles, ex Hippoc. docet Guilielm. Ader medicus libr. de Ægrotis à Chriſto ſanatis c. 8.

ET FEBRICITANTEM] *Magnis Febribus*, ait Lucas capit. 4. 38. Græcè πυρέσσουσαν, id eſt, febrientem, æſtuantem. Græcè enim πυρετὸς dicitur à πῦρ, id eſt ignis, ſicut Latinè febris à feruendo, ait Seruius, febris enim eſt calor exæſtuans & verſus in ignem. Hinc Tropologicè febris animæ eſt ignis concupiſcentiæ, putà ardor & ęſtus libidinis, gulæ, ſuperbiæ, inuidiæ, &c. Audi S. Ambroſium lib. 4. in Lucę cap. 4. verſ. 38. *In typo ſocrus Simonis & Andreæ, varijs criminum febribus caro noſtra languebat, & diuerſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris eſſe dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflãmat. Febris enim noſtra auaritia eſt, febris noſtra libido eſt, eò quòd ignitæ ſint cupiditates. Vnde & Apoſtolus ait ſi non ſe continent, nubant: meliùs eſt nubere, quàm vri. Febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt. Quæ licet corporis vitia ſint, ignem tamen oſſibus implicant, mentem, animum, ſenſumq; pertentant.* Subijcit luxuriâ febrientis exemplum Theotimi; qui audiens à medico ſe perditurum oculos, ſi vxori miſceretur, libidine victus exclamauit: *Vale amicum lumen.* Sic *Febre*, ait ſanctus Ambroſius, *libido flagrantior eſt, grauiuſq; præcipitat & inflammat. Sed vbi quis reſipuerit à furore, tunc conſcientiæ interioris aperitur viſus, factiq; pœnitentia ſuccedit, & pudenda ſui quiſque facinoris erubeſcit. Tunc Deus timetur, & peccator ſe cupit celare, ſed non poteſt; tunc caro arguitur, diabolus accuſatur; hæc quaſi lena vitiorum, ille quaſi auctor erroris.*

*Febris eſt ardor concupiſcentiæ.*

Chriſtus ergo è cęlo Medicus venit, vt æſtum hunc febris concupiſcentiæ in nobis rore gratiæ ſuæ reſtinguat & ſanet, quę proinde ſic febrienti aſſiduè inuocanda eſt.

Quicumque ergo laboras febri luxuriæ, non dico vt monaſticam vitam capeſſas, non vt corpus cilicijs & diſciplinis conficias, non vt aquam bibas, ſed rem facilem & efficacem ſuggero: ſæpè ſume ſacram Synaxin, & per illam induc Chriſtum in domum animę tuę: ipſe eſt virgo & virginis filius, ac virgineâ ſuâ carne ęſtum hunc reſtinguet. Sanè hoc potentiſſimum eſſe contra luxuriam remedium, & ſacra Scriptura docet, & SS. Patres teſtantur, & experientia quotidiana comprobat. Hoc eſt enim *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*, de quo Zachar. c. 9. verſ. vltim. Vide ibi dicta.

*Nouem analogiæ febris & concupiſcentiæ. Primo.*

Porrò nouem ſunt analogiæ febris corporis & animę. Primò, febris fit, cùm noxius humor & vitioſus calor, naturali calori repugnans, cor afficit vel inficit: Sic febris animæ fit, cùm voluntas hominis noxio amore concupiſcentiæ, qui Dei amori repugnet, imbuitur.

*Secundò.*

Secundò, ſicut febris tollit temperiem humorum & qualitatum in corpore; ſic febris animæ tollit temperiem paſſionum, affectuum & actionum eiuſdem.

*Tertio.*

Tertiò, ſicut febris ex pulſu inordinato dignoſcitur; ſic febris animæ ex cogitationibus & ſollicitudinibus nimijs, mentem crebrò pulſantibus.

*Quarto.*

Quartò, febris excitat ſitim, quam febrientes bibendo non extinguunt, ſed acuunt & augent: ſic febris animæ excitat ſitim opum, honorum, voluptatum, quæ eas hauriendo non extinguitur, ſed augetur, iuxta illud:

*Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

*Quinto.*

Quintò: febris ex frigore oritur & deſinit in calorem & æſtum: ſic febris animæ ſępè oritur ex negligentia, otio & torpore: inde enim cupiditas ardorque luxurię, gulæ, ſuperbiæ accenditur & inardeſcit,

*Sexto.*

Sextò, febris guſtum vitiat vt dulcia & mellea ei videantur amara, eò quòd ipſe prauo humore infectus ſit: ſic febris animę facit, vt res diuinę, conciones, lectiones ſpirituales, colloquia pia, monita ſancta ei deſipiant.

*Septimo.*

Septimò, febris corpus ſanum, pulchrum, vegetum facit infirmum, pallidum, deforme, exſuccum & horridum: ſic febris animæ eamdem facit debilem, turpem, ſpiritu vacuam, eneruem, & horridam.

*Octauò.*

Octauò, febris hominem agitat, nec quieſcere ſinit, ſiue pronus, ſiue ſupinus, ſiue in latus decumbat: ſic febris animæ facit hominem inquietum, vt nuſquam conſiſtat figatque mentem, ſed ab vna cupiditate, vtpote breui & inſta-

inſtabili, labatur in aliam & aliam.

Nonò, febris vna ſubinde gignit aliam & aliã; ſic vnum vitium parit aliud & aliud; nam acedia parit gulam, gula luxuriam, inuidiam, &c. Denique febre peſtilente laborat hæreticus; hecticâ & lentâ otioſus & acedus; quotidianâ guloſus; tertianâ inconſtans; quartanâ luxurioſus; tumidâ ſuperbus; ſitibundâ auarus.

VERS. 15. Luc. 4. 39. Mar. 1. 31. ET TETIGIT MANVM EIVS ET DIMISIT EAM FEBRIS, ET SVRREXIT ET MINISTRABAT EIS] Marcus cap. 1. 31. *Apprehenſa*, ait, *manu eleuauit eam.* Lucas cap. 4. 39. *Stans ſuper illam*, non quòd pede illam calcarit, ſed *ſuper*, id eſt, iuxta illam, ſcilicet, modicè inflexo capite verſus illam quaſi incubuit ſuper eam, velut compellans, iubensque eleuatâ manu, vt ſurgeret, ac febri, vt diſcederet. Addit Lucas *imperauit febri.* Græcè ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ, id eſt, *increpauit febrim*, hoc eſt, cum valida auctoritate & quaſi comminatione iuſſit febri, vt faceſſeret. Vnde Euthymius: ἐπετίμησε, ait, *non eſt hîc propriè increpauit, ſed præcepit.* Præclarè B. Petrus Chryſolog. ſerm. 18. *Videtis*, ait, *quomodo dimittit ſebris, quem tenuerit Chriſtus: ibi non ſtat infirmitas, vbi auctor ſalutis aſſiſtit: acceſſus illuc mortis nullus eſt, vbi viuificatoris ingreſſus eſt. Tenuit*, inquit, *manum eius. Quæ neceſſitas tangendi erat, vbi inerat ius iubendi? Sed Chriſtus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Tenuit manum eius, vt quod manus præſumentis amiſerat, manus repararet auctoris. Tenuit manum eius, vt acciperet indulgentiam manus, quæ ceperat de morte ſententiam.*

ET DIMISIT EAM FEBRIS, ET SVRREXIT] *Centurio*, ait Lucas, ſcilicet, eodem inſtanti, quo Chriſtus eam tetigit, non tantùm curata eſt à febri, ſed ita valida effecta, vt ſurgeret, & Chriſto cum Petro & ſocijs ad menſam accumbenti miniſtraret, nimirum ſanitate receptâ ſapienter vſa eſt non ad otium, ſed ad Chriſti ſanantis obſequium. Tropologicè. Cùm aliquo animæ morbo & vitio laboras, Chriſtum adi & inuoca, vt ſanet te, faciatque vt ſanatus non otioſè viuas; ſed ſedulò ei ſeruias.

VERS. 16. Luc. 4. 40. 41. Mar. 1. 32. 34. VESPERE AVTEM FACTO, OBTVLERVNT EI MVLTOS DÆMONIA HABENTES, ET EIICIEBAT SPIRITVS VERBO, (ſolo iuſſu dicens: exite) ET MVLTOS MALE HABENTES CVRAVIT] *Manuum impoſitione*, ait Lucas cap. 4. 40. ſcilicet non dedignatus eſt Chriſtus manibus, ſuis puriſſimis & diuinis tangere vlceroſos, ſanioſos, ſcabioſos, leproſos, &c. vt contactus ſui diuini vim & efficaciam oſtenderet, illicò omnes ſanando. Porrò Deus permiſit tempore Chriſti multos ægrotare & à dæmone poſſideri, vt Chriſto daret materiam exercendæ miſericordiæ, & omnipotentiæ ſuæ in eis ſanandis declarandæ.

VERS. 17. VT ADIMPLERETVR QVOD DICTVM EST PER ISAIAM PROPHETAM, DICENTEM (cap. 53. v. 4.) IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT, ET ÆGROTATIONES NOSTRAS (Arabicus, *dolores noſtros*) PORTAVIT] Verba hæc Iſaiæ duplicem habent ſenſum: Primus eſt de morbis animæ, id eſt peccatis, eorumque pœnis quas in ſe ſuſcepit & in cruce exoluit Chriſtus, & hoc maximè intendit Iſaias; vt patet ex ſequent. & ex verbo *portauit.* Secundus eſt de morbis corporis, qui typi ſunt æquè ac effectus morborum animæ, quos Matthæus hîc ait Chriſtum portaſſe, non quòd eos in ſe ſuſceperit, hoc enim indecens fuiſſet, & impedimentum Chriſto ad circumeundum Iudæam, in eaque prædicandum ſed quòd portarit eos per compaſſionem, ſublatis ſcilicet ipſis morbis morbidiſque perſanatis, ſicut medicus dicitur per compaſſionem & curam portare & ſuſtentare ægros, dum eorum ægritudines lenit, curat & ſanat: Vnde Syrus vertit: *Ægritudines noſtras ſuſtinebit*: quomodo Apoſtolus ait: *Alter alterius onera portate.* Galat. 6. præſertim quia Chriſtus tot cruciatus ipſamque crucis mortem pertulit, vt omnes infirmitates ipſamque mortem vel in hac vita, vel in reſurrectione aboleret, hoc eſt, peccatum cum omni ſua prole & pœnâ tolleret. Sicut ergo Chriſtus peccata noſtra portauit, ſic & morbos pœnaſque noſtras: hæ enim è peccato manarunt, adeoque Chriſtus habuit poteſtatem morbos curandi ex eo, quòd eos ipſe in ſe luendos & in cruce expurgandos ſuſcepit. Ita ſanctus Chryſoſtomus, & Origenes. Vnde dicta Iſaiæ cap. 53. 4.

*Chriſtus curauit morbos quia eos luit in cruce.*

VERS. 18. Luc. 8. 22. Mar. 4. 35. VIDENS AVTEM IESVS TVRBAS MVLTAS CIRCVM SE, IVSSIT IRE TRANS FRETVM] Ieſus prædicans ſanansque ægros iuxta mare Galilææ, ſiue ſtagnum Geneſareth, cùm turba plurima afflueret, eumque obrueret, vt eam effugeret, iuſſit diſcipulis vt nauim conſcenderent, & ſecum ſtagnum hoc traijcerent, docens nos in bonis operibus ſtudioſè auram popularem & vanam gloriam vitare deberè ac myſticè amaros ſæculi fluctus pertranſire, ait Gloſſa.

VERS. 19. Luc. 9. 57. ET ACCEDENS VNVS SCRIBA (id eſt legiſperitus, ſiue doctor) AIT ILLI: MAGISTER, SEQVAR TE, QVOCVMQVE IERIS) Schriba hic videns Ieſum parare abitum, vt transfretaret, motus eius prædicatione, miraculis, & populi applaudentis concurſu, cupiuit ei aſſociari; vnde ait: *Sequar te*, velut diſcipulus magiſtrum, vti faciunt Apoſtoli ceterique tui ſequaces. q. d. Cupio velut diſcipulus me tibi tradere in diſciplinam, vt à te velut ſummo ſapientiæ magiſtro erudiar, former & dirigar ad omnem ſapientiam, honorem & gloriam.

VERS. 20. Luc. 9. 58. ET DIXIT EI IESVS: VVLPES FOVEAS (Græcè φωλεοὺς, id eſt, cauernas, ſpeluncas) HABENT ET VOLVCRES CÆLI NIDOS (Græcè κατασκηνώσεις, id eſt, vmbracula ex ramis & frondibus arborum contexta. Sanctus Cyprianus libr. 1. ad Quirinum cap. 11. & ſanctus Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 48. vertunt *diuerſoria*) FILIVS AVTEM HOMINIS NON HABET VBI CAPVT RECLINET] q. d. Vilia, inutilia & noxia animalia, vti ſunt vulpes & aues, præſertim rapaces habent ſuos nidos: at filius hominis, id eſt, ego natus ex virgine & factus homo, nil habeo proprij, ne puluinar quidem, aut lectum, vel ſcamnum, in quo feſſum caput corpuſque reclinem: Me ergo ditiores ſunt vulpes & aues, ac plus commoditatis habent, quàm habeam ego. Putas me commodè lauteque viuere: falleris; nam ego ne quidem tantùm habeo proprij, quãtum aues & vulpes, quæ paruas & pauperrimas habent domos ad quieſcendum, ſuoſque catulos vel pullos educandum.

Detegit latens auaritiæ vlcus in Scriba. q. d. Tu cupis me ſequi, quia vides me populo eſſe gratum ob ſanitates & beneficia, quæ ei cõfero. Vnde ſperas te in mei ſequela poſſe rem tuam augere, & multa bona corradere, quaſi ego ex Euangelio me meoſque locupletem; ſed erras; quia ego velut perfectionis magiſter, pauper ſum & paupertatis ſtudioſus, taleſque volo eſſe meos diſcipulos, vt expediti à cura rerum temporalium, toti vacent mihi & Deo, ac prædicationi, in qua ſatagant verbo & exemplo, omnes ad cæleſtia ipſumque cælum traducere: Quod audiens Scriba, ſiluit ac ſpe ſuâ fruſtratus, ab oculis Chriſti ſe ſubduxit, vt tacitè hîc innuit Matthæus. Simili modo Chriſtus filijs Zebedæi per matrem primas in regno ſuo petentibus, reſpondit, propinauitque ſuum calicem paſſionis & martyrij: *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Matth. 20. 22. Ita ſanctus Hilarius, Theophylactus, Euthymius, & ſanctus Hieronymus: *Quid*, inquit Hieronymus, *me propter diuitias & ſæculi lucra ſequi vis, cùm nec hoſpitiolum habeam?* Et ſanctus Auguſtinus de Verbis Domini: *Elatus*, ait, *& doloſus non me ſequeris.* Idem ſanctus Auguſtinus de Quæſt. Euang. quæſt. 5. *Intelligitur*, inquit, *hic miraculis motus Chriſtum ob iactantiam ſequi voluiſſe, quam ſignificant aues, & diſcipuli, obſequium finxiſſe, quæ fictio vulpis nomine ſignificata eſt.* Et Interlin. *Elatio*, ait, *nidum fecit cor tuum.*

*Scribam auarum perſtringit Chriſtus.*

Hac Chriſti ſententiâ ſanctus Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum, eum ad ſuam in Syria eremum inuitãs, extimulat: *Filius hominis*, inquit, *non habet vbi caput reclinet, & tu amplas porticus, & ingentia tectorum ſpatia metiris? Hereditatem expectans ſæculi, Chriſti coheres eſſe non poteris.* Et paulò antè: *Cur timido animo Chriſtianus es? Reſpice à Petro relictum rete, reſpice ſurgentem de telonio publicanum ſtatim Apoſtolum, &c. Seruus Chriſti nihil præter Chriſtum habet.*

*Paupertas Euangelica commendatur.*

Hoc Chriſti exemplum imitentur religioſi, per profeſſionem paupertatis Deo ſe vnientes, & ab eius prouidentia alimoniam expectantes. Vnde ſanctus Franciſcus ad eam ſuos exhortãs, ne erubeſcerent mendicare: *Nolite*, inquit, *verecundari petere eleemoſynam, quia Dominus pro nobis fecit ſe pauperem in hoc mundo, cuius exemplo elegimus viam veriſſimæ paupertatis. Si enim ipſius amore viam paupertatis elegimus, non debemus confundi ſtipem mẽdicare: arrham cæleſtis hereditatis erubeſcere, nequaquam conuenit regni cælorum heredibus. Hæc eſt enim hereditas noſtra, quàm acquiſiuit & reliquit nobis Dominus Ieſus Chriſtus & omnibus, qui ſuo exemplo viuere volunt in S. paupertate.* Addebat petentes ſtipem plura offerre dantibus, quàm ab ijs reciperent: *Quoniam*, inquit, *offertis eis amorem Dei dicentes. Amore Domini Dei faciatis nobis eleemoſynã, cuius comparatione nihil eſt cælum & terra.* Et rurſum: *Euangelica hæc paupertas*, ait, *noſtri ordinis eſt fundamẽtum, vt ipſius firmitate firmetur, & euerſione funditus euertatur. Quãtum itaque fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab eis, & quærent & non inuenient. Si Dominam meam paupertatem complexi fuerint, mũdus eos nutriet, quia mundo dati ſunt ad ſalutem. debent enim ipſi mundo bonum exemplum, debet eis mundus prouiſionem neceſſitatum; quando autẽ ipſi retraxerint bonum exemplum fide mentitâ, retrahet mundus manum iuſtâ cenſurâ.* Ita Annales Franciſcanorum.

*Hæreſis circa paupertatem.*

Ex hoc ergo loco refellitur hæreſis damnantium voluntariam paupertatem, quam profitentur religioſi, cuius auctor fuit quidam Deſiderius Longobardus tempore Alexandri IV. Pontificis, & alius eodem tempore dictus Guilielmus de Amore, quos validè confutarunt S. Thomas & S. Bonauentura. Perperàm tamen ex aduerſo ex hoc eodem loco inferebant hæretici, dicti Apoſtolici, paupertatem hanc omnibus Chriſtianis eſſe neceſſariam ad ſalutẽ, teſte ſancto Auguſtino hæreſi 40. Perperàm quoque ex eodem cõcluſerunt Vadiani ſiue Anthropomorphitæ, ac Waldenſes ſiue pauperes de Lugduno, & Wicleph, Epiſcopis & ſacerdotibus non licere habere poſſeſſiones, ſed eos debere ex eleemoſynis ſolis viuere, quia ex eis vixit Chriſtus: Chriſtus enim hoc fecit & conſuluit, vt perfectius; nõ autem præcipit, vt neceſſarium ad ſalutem. Vnde hic error multis decretis & Concilijs refutatur 12. quæſt. 1. 2. 3. 4. 5.

*Paupertatis vis in quo.*

Rurſum ex hoc loco patet paupertatem eiuſque vim & medullam in eo conſiſtere, vt quis nil habeat proprij, nec vlli rei, quaſi propriæ afficiatur, ſed affectum ab omni re propria liberum ſoli Deo ſeruet & reſignet, cui non repugnat; imò conforme eſt poſſidere in communi res ad vitam neceſſarias. Vnde religioſi omnes, præter Franciſcanos, ex decreto Concilij Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. poſſunt habere bona, etiam immobilia, in communi; ne cogantur mendicare, eſſeque ſolliciti de victu quotidie conquirendo, neve fidelibus ſint graues & oneroſi: Chriſtus enim cum Apoſtolis habuit bona in communi, quorum receptor & diſpenſator erat Iudas, vt patet Ioan 12. 6. Eadem habuêre & haberi iuſsêre religionum Fundatores ſanctiſſimi & doctiſſimi, vt ſanctus Auguſtinus (qui epiſt. 109. iubet monialibus, vt ſi quid in ſæculo habuerint, id in monaſterio velint omnibus eſſe commune) ſanctus Baſilius, ſanctus Benedictus ſanctus Bernardus, S. Bruno & ceteri. Vide S. Thomam 2. 2. quæſt. 188. art. 7. quin & Iuſtinianus Imper. in Authent. Collat. 1. conſtit. 5. §. *Ibid.* & collat. 9. Conſt. 15. §. *Si qua*, edidit legem, quâ iubet vt eorum bona, qui monachi fiunt, eò ipſo ad monaſteria pertineant.

*Tropol.*

Tropologicè S. Gregor. 19. Moral. c. 1. *Vulpes fraudulentæ*, inquit; *in ſpecubus abſconduntur, & tortuoſis anfractibus currunt: aues volatu ſe ſubleuant: Significantur ergò fraudulenta & elata dæmonia in illius corde habitare, nec poſſe Chriſti humilitatem in ſuperba mente quieſcere.* Et Raban. *Hæretici, vt vulpes, verſuti; vt volucres, id eſt maligni ſpiritus, in Iudæorum cordibus nidos habebant.*

Symbolicè S. Bernardus in declamat. *Prudentiam carni*, ait, *in fouea vulpis; in nido volucris arguit cordis elationem. Prudentia carnis eſt, quâ aliqui abrenuntiantes ſæculo, totos ſeſe diuino committere nutui formidantes, aliquid ſibi reſeruant quod totam maſſam corrumpit.*

Tritum eſt illud ſancti Baſilij ad Senatorem ſæculo renuntiantem, ſed eâ lege, vt aliquid è bonis ſibi reſeruaret: *Senatorem perdidiſti, & monachum non effeciſti*, quod citat laudatque Caſſianus & alij.

FILIVS HOMINIS] Id eſt, homo ab homine prognatus: ita paſſim ſe vocat Chriſtus ſtudio humilitatis, quia ipſe, cùm eſſet Deus, pro nobis dignatus eſt incarnari fierique homo.

*Filius hominis Chriſtus, cuius? Prob. Primò.*

Sed cuius hominis filius eſt Chriſtus? Primò Gentiles per hominem intelligebant Ioſeph; vnde eum ex ſemine Ioſeph, non ex Spiritu ſancto, genitum, natumque eſſe contendebant, vt teſtatur S. Iuſtinus quæſt. 66. ad Orthodoxos. Verùm ex Scriptura & Symbolo conſtat Chriſtum conceptum eſſe ex Spiritu ſancto, & natum ex Virgine Maria.

*Secundò.*

Secundò, Theophylactus: Chriſtus, ait, eſt filius hominis, id eſt, filius B. Mariæ Virginis & matris ſuæ: *homo* enim eſt communis generis, tamque de femina, quàm de viro dicitur, æquè ac Græcum ἄνθρωπος. Verùm obſtat articulus maſculinus τοῦ ἀνθρώπου, id eſt, hominis viri.

*Tertiò.*

Tertiò, meliùs alij: Chriſtus, inquiunt, vocatur filius hominis, id eſt, filius Abrahæ vel Dauidis: his enim promiſſum eſt, quòd ex eorum poſteris naſceretur Meſſias, ſiue Chriſtus: vnde horum filius in Scriptura vocatur Chriſtus.

*Quartò.*

Quartò, alij: Chriſtus, inquiunt, eſt filius hominis, id eſt, hominum, putà Patriarcharum & regum, ex quibus genealogiam Chriſti Matthæus contexuit, cap. 1.

*Quintò. Genuinè, Chriſtus, eſt filius hominis, ſcilicet Adæ.*

Quintò & optimè, Chriſtus eſt filius hominis, ſcilicet Adæ, quia ex Adam æquè ac ceteri homines prognatus eſt. Adam enim abſolutè vocatur homo, quia primus fuit homo & parens ceterorum, vnde Adam Hebr. idem eſt, quod homo: alludit enim ad Ezechiel cap. 2. v. 1. vbi Ezechiel, qui fuit Chriſti typus, vocatur *filius hominis*, Hebr. בֶּן אָדָם *ben Adam*, id eſt, filius Adæ. Vnde ſanctus Gregorius Nazianz. Orat. 4. de Theolog. Chriſtus, ait, dicitur filius Adam, vt ſonant Hebræa, vt ſe patrem hominem non habere oſtendat, ſed per Virginem matrem ex Adam vſque genus traxiſſe. Naſci enim voluit ex Adam, vt Adami & poſterorum in eo lapſum repararet. Vnde & S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 1. *Commendat nobis*, inquit, *quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis, & velut myſterium commendans admirabilis incarnationis ſuæ, nomen hoc ſæpiùs auribus noſtris inſinuat.*

*Plus filius hominis quàm homo.*

Plus autem ſignificat filius hominis, quàm homo, quia homo poteſt creari à ſolo Deo, vti creatus eſt Adam; filius autem hominis ſignificat prognatum ex Adam communi parente, vt ſignificetur primò immenſa Chriſti humilitas, quâ ex peccatore naſci dignatus eſt, eiuſque miſerias & mortem in ſe ſuſcipere in terreno corpore à ſeſe aſſumpto. Adã enim dicitur ab *Adama*: ſicut *homo* ab *humo*, *mortalis* à *morte*. Vide dicta Ezechiel 2. verſ. 1. Secundò, mira Chriſti cum hominibus fraternitas & charitas, qua ex eodem communi omnium parente Adamo naſci voluit in Bethlehem, vt fieret hominum omnium frater & conſanguineus, vtque intimè inſereretur & vniretur naturæ humanæ, hominumque cœtui per humanam generationem, & naturalem ex homine natiuitatem, eo modo, quo explicui cap. 1. 18. iuxta illud: *Paruulus natus eſt nobis & filius datus eſt nobis.* Iſaiæ cap. 9. verſ. 6. filius ergo hominis notat Chriſti ſummam manſuetudinem, familiaritatem & demiſſionem æquè ac amoris blanditias, quibus ſe hominibus offert quaſi filium hominis, ac paruulum paruulis, vt cum eo quaſi dulciſſimo puerulo, ac ſuauiſſimo fraterculo delicientur & ſuauientur, iuxta illud: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum.* Prou. 8. Quid times, ô homo, accedere ad Ieſum? Ecce filius hominis eſt: quid metuis ô peccator Dei iram? accurre ad Ieſum hominis filium, & factum pro te paruulum; non eſt in orbe dulcior eo puerulus, non eſt blandior filiolus; factus eſt enim filius hominis, vt hominibus ſe in pretium mortis, æquè ac delicium amoris daret: *Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat.* Lucæ 19. 10. Et: *Non venit filius hominis miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, redemptionem pro multis.* Matth. 20. 28.

*Filius hominis eſt portentum amoris.*

Filius hominis ergo eſt nomen proprium, vel potiùs appropriatum Chriſto; hoc fuit portentum dignationis, portentum charitatis, portentum ſæculorum omnium, quòd filius Dei vnigenitus pro hominibus dignatus ſit fieri filius hominis vt cum hominibus conuerſaretur, eoſque doceret viam ſalutis, ac cruce ſuâ redimeret, ſaluaret & bearet in cælis: Ἄνθρωπος enim (id eſt *homo*) vt ait Plato in Cratylo, dicitur quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, id eſt, *contemplans quæ vidit.* Alij quaſi ἄνω ῥέπων, id eſt, *ſurſum vergens*, ſcilicet in cælum. Hinc Chriſtus ait de ſe: *Nemo aſcendit ad cælũ, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui eſt in cælo.* Ioan. 1. 13. Ipſe ergo verè eſt, ἄνθρωπος, ac ſuos aſſeclas pariter facit ἀνθρώπος, qui relictâ terra non niſi cæleſtia ſpectent & ambiant, iuxta illud: *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.* Coloſſ. 3. 1.

Quocirca S. Hieronymus epiſt. 26. ad Pammachium, Patritium Romanum, monachi vitam profeſſum, ita ad perſeuerandum extimulat: *Quantumcumque te deieceris, humilior Chriſto non eris. Eſto incedas nudis pedibus, fuſcâ tunicâ veſtiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, cæcorum oculus ſis, manus debilium, pes claudorum ipſe aquam portes, ligna concidas, focum extruas: vbi vincula? vbi alapæ? vbi ſputa? vbi flagella? vbi patibulum? vbi mors? Et cùm omnia quæ dixi feceris, ab Euſtochio tua Paulaq; vinceris, ſi non opere, certè ſexu.*

*Vers. 21. Luc. 9. 59.*

Alivs avtem de discipvlis eivs ait illi: Domine, permitte me primvm ire, et sepelire patrem mevm] Diſcipulus hic non fuit vnus è duodecim Apoſtolis, ſed alius vocatus à Chriſto ad ſui ſequelam: ſupplendum eſt enim hìc ex Lucæ cap. 9. 59. Chriſtum eidem priùs dixiſſe: *ſequere me*: ille vocationem Chriſti non reſpuit, ſed expletâ pietate paterni funeris, vult liberior ſequi, ait Gloſſa. Ex reſponſione ergo diſcipuli, quam narrat hic Matthæus, intelligenda & ſupplenda eſt interrogatio & vocatio Chriſti, quam aſſignat Lucas, iuxta Canonem 18.

Domine] Reuerenter & obſequenter compellat Chriſtum vocatque Dominum, quaſi eius ſeruituti ſe ſubdere volens, cùm prior Scriba audaculus Chriſtum vocauit Magiſtrum, vt meritò ille relictus, hic acceptus ſit. Quantùm in Scriba mali, tantùm in hoc homine boni fuit, ait S. Auguſtinus ſerm. 7. de Verbis Domini.

*S. Philippus petijt ſepelire patrem.*

Permitte me primvm ire, et sepelire patrem] Theophylactus in cap. 9. Lucæ, & ex eo Franc. Lucas putant adhuc patrem fuiſſe viuum. q. d. Permitte me manere apud patrem iam ſenem, eiuſque ſenectuti inſeruire, donec moriatur, tunc pietatis officio perfunctus ſequar te. Longiores ergo petijt inducias. Planiùs & præciſiùs ſanctus Chryſoſtomus & alij cenſent patrem



trem fuiſſe mortuum: non enim ſepelitur, niſi mortuus: Opportunè ergo & ſuauiſſimè eũ vocauit Chriſtus. q. d. Mortuus eſt iam pater tuus, ſequere me: ego ero tibi pater longè melior: ille tuâ, tu meâ indiges operâ; ille vitam carnalem tibi dedit, ego dabo tibi ſpiritualem & æternam: ille te ſimilem ſibi in corpore formauit, ego te ſimilem mei in anima, putà in gratiâ & gloria efficiam: faciam enim te mei Euangelij prædicatorem & Apoſtolum.

Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. ca. 2. opinatur Philippum, poſtea Apoſtolum, fuiſſe illum, cui Chriſtus dixit: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Verùm obſtare videtur, quòd iam pridem Philippus vocatus erat à Chriſto, eumque ſequebatur, vt patet Ioannis cap. 1. verſ. 43. niſi dicas Philippum iam antè ſecutum fuiſſe Chriſtum, ſed cùm audiſſet patrem ſuum vitâ functum, eum ſepeliendi facultatem à Chriſto petijſſe, ſed non impetraſſe; vnde & hìc vocatur diſcipulus: *Alius*, inquit, *de diſcipulis eius ait illi: Domine permitte me primùm ire & ſepelire patrem*, vt eo ſepulto planè tibi adhæream, & per omnia conſtanter te ſequar; idque ſatis eſt veriſimile, præſertim quia Clemens idipſum pro certo habet.

*Vers. 22. Luc. 9. 60.*

Iesvs avtem ait illi: seqvere me et dimitte mortvos sepelire mortvos svos] Iteratò vocat eum Ieſus, iterans τὸ *ſequere me*, ſcilicet, ante excuſationem eius & poſt illam, quia efficaciter volebat eum ſibi diſcipulum; vnde impedimentum ab illo obiectum diſcutit, vetatque redire ad patrem ſepeliendum, ſed ita vt cauſas ſuæ vetationis iuſtiſſimas alleget, quibus vocatum erudiat, ſoletur, & animet ad vocationem illicò ſequendam: Ait ergo: *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*: vbi nota, Chriſtum non damnare ſepulturam mortuorum, quod eſt opus miſericordiæ laudatum in Tobia, ſed velle docere, Deo vocanti ſtatim eſſe obediendum: ſcit enim Deus impedimenta noſtra, ac dum cum ijs nos vocat, vult nos illa abrumpere, ac gratiam opemque ſuam ad id faciendum tacitè promittit & ſpondet: quare iubet ſequelam & vocationem Dei præferendam eſſe ſepulturæ, etiam parentum, id eſt diuina humanis, pietatem naturæ, Deum homini.

*Alludit Chriſtus in voce æquiuoca.*

Ludit Chriſtus in voce *mortuos*: prius enim *mortuos* ſpiritualiter, putà infideles, & fide gratiaque Dei deſtitutos ſignificat, ait ſãctus Chryſoſtomus, Hieronymus, & Auguſtinus, quæſt. 6. in Matthæum: poſterius *mortuos* corporaliter intelligit; ſicut enim corpus ab anima ſeparatum eſt mortuum, ſic anima à Deo ſeparata eſt mortua: ſicut enim corporis vita eſt anima; ſic animæ vita eſt Deus, ait ſanctus Auguſtinus. Senſus ergo eſt quaſi dicat. Sine *mortuos*, id eſt infideles (id eſt, Iudæos fidem meam reſpuentes) immerſos peccato & mundo, ac gratiâ Dei & ſpiritu deſtitutos *ſepelire ſuos*, id eſt, ſibi analogicè ſimiles; aut ſuos, id eſt, ſibi cognatos & affines *mortuos* corporaliter, fortè enim ſpiritualiter: te enim volo me, qui vera ſum vita, ſequi, & mecum viuere hìc per gratiam illuſtrem & perfectam; ac in futuro per gloriam eximiam, atque vtramque alijs euangelizare, vt addit Lucas.

Audi ſanctum Ambroſium lib. 7. in Lucæ ca. 9. verſ. 59. *Paterni funeris ſepultura prohibetur, vt intelligas humana poſthabenda diuinis. Bonum ſtudiũ, ſed maius impedimẽtum. Nam qui partitur ſtudium, deriuat affectum: qui diuidit curam, differt profectum. Ergo prius obeunda, quæ maxima ſunt. Nam & Apoſtoli, ne occuparẽtur ſtudio diſpenſandi, miniſtros pauperibus ordinarunt: & ipſis, cum à Domino mitterentur, neminem in via ſalutare præſcriptum eſt; non quod beneuolentiæ diſpliceret officium, ſed quod perſequendæ deuotionis intentio plus placeret.*

*Cur Chriſtus vetuit ſepelire patrem. Cauſa Prima.*

Prima ergo cauſa, quam ſuæ vocationis & ſequelæ hìc prætendit Chriſtus, vt vocatus illam illicò ſequatur, eamque præferat ſepulturæ patris, eſt, quòd alij fratres vel cognati ſuperſint, qui patrem ſepeliant, ad quos decentiùs eius ſepultura pertineat, quàm ad hunc à Chriſto vocatum, eo quòd & ipſi ſint mortui, idque peiori morte, ſcilicet infidelitatis & peccati. q. d. Sine mortuos agere cum mortuis; decet enim infideles ſepelire infidelem, te verò viuentem in fide mea & charitate decet agere cum viuis, putà mecum & cum meis fidelibus & Apoſtolis.

*Secunda.*

Secunda cauſa eſt periculum, ne ſi mortuis, id eſt infidelibus te immiſceas, cum ijſque conuerſeris, efficiaris vnus ex eis, ac moriaris myſticè fiaſque infidelis.

*Tertia.*

Tertia, ne dum ſepulturæ patris indulges, poſt eam interſis reſignationi teſtamenti ceteriſq; negotijs funeralibus, quibus à mei ſequela retarderis, ne ſcilicet cum fratribus & cognatis impliceris in diuidenda hereditate, in ſoluendis debitis, in exequendo teſtamento, alijſque multis tricis & litibus, quæ in domo mortuaria occurrunt, & plures menſes, imò annos exigunt, antequam expediantur. Hæc omnia prudenter adoleſcenti ſuccidere voluit Chriſtus, ſicut enim fragum ferit fragum, ſic lis ferit litem, trica tricam. Ita S. Chryſoſtomus, hom. 28. Sanè experientiâ didici, eos qui vocantur ad ſequelam Chriſti in religione, ſi teſtamentis ſuorum ſeſe implicent, ad plures annos retardari, fieri ſæculares & perdere vocationem, vt numquam vitam religioſam capeſſant.

*Tropolog.*

Tropologicè ſignificat Chriſtus mortuos, & rei mortuæ vacare eos, qui incumbunt legatis & negotijs parentum vel cognatorum: vacãt enim domi mortuariæ, id eſt, parentibus, filijs cognatis mortuis & morituris. q. d. Tu deſtinas viuere Deo, ac ſi per gratiam viuus eſſe cœpiſti, perge ergo illi viuere, ac ſerui Deo viuo: quare mortuis & morituris relinque mortua & moritura. Ita ſanctus Hieronymus: *Si mortuum*, ait, *ſepelit mortuus, non debemus habere curam mortuorum, ſed viuẽtium) ne dum ſolliciti ſumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur.* Hinc ſanctus Baſilius in Conſtitutionib. Monaſt. ca. 21. ex hoc loco oſtendit. quantum damni viris ſpiritualibus & religioſis afferat affectus erga parentes, cum eiſque familiaritas.

Et ſanctus Chryſoſtomus: *Quod ſi nunc*, inquit, *ad tam breue tempus propter ſepeliendos parentes abeſſe à ſpiritualibus vetitum eſt, perpende quo ſupplicio digni ſint, qui ſemper ab ijs, quæ digna ſunt Chriſtò rebus recedunt, quia vilia nimium & abiecta ſæcularium rerum negotia neceſſarijs anteponunt, nullo vrgente.*

*Symbolicè.*

Symbolicè ſanctus Gregor. lib. 4. Moral. 25.

*Mortui*, ait, *mortuos ſepeliunt, cùm peccatores peccatorem fauoribus premunt*, (dum ei in peccatis fauent, & adulando fouent: (*quid eſt enim aliud peccare, quàm occumbere; & ſepelire, quàm abſcondere, ſed qui peccātem laudibus proſequuntur, extinctum ſub verborum ſuorum aggere abſcondunt*. Vnde addit tales velut ſepultos vix à peccatis reſurgere. Lazarum verò reſurrexiſſe, quia à ſororibus non mortuis, ſed per charitatem viuis ſepultus erat.

Addit Lucas cap. 9. verſ. 60. *Tu autem vade & annuntia regnum Dei*, quâ ſcilicet viâ perueniatur ad regnum cælorum, putà per fidem & vitam conformem Euangelio, quod attulit Chriſtus: *Quando*: ait ſanctus Auguſtinus ſerm. 7. de Verb. Domini: *Dominus parat homines Euangelio, nullam excuſationē vult interponi carnalis huius, temporaliſq́; pietatis*. Nam vt ait S. Chryſoſtomus, *Multò melius eſt regnum Dei promulgare, & alios à morte retrahere, quàm mortuū, qui nulli vſui eſt, ſepelire, maximè cùm ſint, qui hæc omnia obeant*. Hoc idem ſanctus Gregorius lib. 19. Moral. cap. 14. docuit: *Aliquando*, inquit, *in actionibus noſtris minora bona prætermittēda ſunt pro vtilitate maiorum: nam quis ignoret eſſe boni operis meritū mortuum ſepelire? & tamen cuidam, qui ad ſepeliendum patrem ſe dimitti popoſcerat, dictum eſt: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem vade & annuntia regnum Dei: poſtponendum namq; erat obſequium huius miniſterij officio prædicationis, quia illo carne mortuos in terram conderet; iſto autem animā mortuos ad vitam reſuſcitaret*.

VERS. 23. Luc. 8. 22.

ET ASCENDENTE EO IN NAVICVLAM (ad transfretandum, vt dixi verſ. 18.) SECVTI SVNT EVM DISCIPVLI EIVS] Græcè εἰς πλοῖον, id eſt, *in nauim*. Noſter vertit *nauiculam*, quia paruæ ſolent eſſe naues, quæ adhibentur ad transfretandum vel piſcandum. Addit Marcus cap. 4. 36. *Aſſumunt eum ita vt erat*, ſcilicet, docens turbas conſiſtentes in littore, docens, inquam, *in naui* & ex naui, q.d. Ex loco maris littori vicino aſſumpſerunt, & duxerunt Chriſtum in altum mare: *Et aliæ naues erant cum illo*.

VERS. 24. Luc. 8. 23. Mar. 4. 37. 38.

ET ECCE MOTVS MAGNVS FACTVS EST IN MARI, ITA VT NAVICVLA OPERIRETVR FLVCTIBVS: IPSE VERO DORMIEBAT] Marcus: *Et facta eſt procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis*. Lucas: *& cōplebantur*, ſcilicet vndis fluctuum ipſi diſcipuli in naui & cum naui, *& periclitabantur* de ſubmerſione & morte. Beda & Strabus ſiue Gloſſa (hanc enim Strabus Monachus Fuldenſis ex Scriptis Rabani magiſtri ſui conflauit anno Domini 840.) opinantur hac tempeſtate ſolam Chriſti nauim fuiſſe iactatam, non verò ceteras eius comites, vt ſcilicet Chriſtus oſtenderet, ſe eſſe auctorem tam ortæ, quàm ſedatæ tempeſtatis. Sed verius eſt etiam alias fuiſſe iactatas; erant enim vicinæ, imò proximæ naui Chriſti, idque voluit Deus, vt oſtenderetur maior vis tempeſtatis maiorque Chriſti eam compeſcentis poteſtas. Porrò permiſit, imò per cauſas naturales, vt vapores & ventos, cum eis naturaliter concurrens Chriſtus excitauit & immiſit hanc procellam.

*Strabus Rabani diſcipulus auctor Gloſſæ.*

*Chriſtus excitauit tempeſtatē. Cur? Cauſa. Prima.*

Primò, vt declararet potentiam ſuam, ſeque tam maris, quàm terræ eſſe Dominum, ait Origenes homiliâ ſextâ in diuerſos. Hinc Angelus apparens ſancto Ioanni, poſuit dextrum pedem ſuper mare, quaſi illi imperans. Apocalyp. ca. 10. v. 2. Angelus enim hic repræſentabat Chriſtum, ait ibidem Beda, Richard. de S. Victore Pannonius, & alij.

*Secunda.*

Secundò vt diſcipulos exerceret ad perferendas vti perſecutiones hominum, ſic & procellas ventorum, pluuiarum, procellarum, &c. quas crebras & magnas experturi erant, orbem euangelizando circuituri. Ita Theophylactus. Vnde etiam Chryſoſtomus hanc dat cauſam, *vt athletas orbis terrarum tentationibus & timoribus exerceret*.

*Tertia.*

Tertiò, vt diſcipuli ceterique vectores per miraculum ſedatæ tempeſtatis in ipſum crederent, ipſum ſcilicet eſſe Deum omnipotentem.

*Quarta.*

Quartam cauſam addit S. Ambroſius, & ex eo Beda, quia nauis hæc impium vehebat Iudam: ſed incertum eſt, an Iudas tunc fuerit impius, an poſtea talis euaſerit.

*Tropolog. Eccleſia eſt nauis in medijs tentationum fluctibus, vt & Anima.*

Tropologicè turbatio hæc maris, ait Chryſoſtomus, typus fuit futurarum in Eccleſia tentationum: nauis enim in fluctibus eſt Eccleſia, & anima in tentationibus, quibus illa acuitur & proficit. Vita enim ſine tentatione eſt quaſi mare mortuum, ait Seneca ep. 67. Sic & homo carens tentatione eſt inſtar ſopiti & mortui: tentatio ergo eum excitat vt vires exerat ad illam ſuperandam. Rurſum ſicut tempeſtas naues impellit vt ad optatum portum citiùs appellant, ſic & tentatio hominem ſtimulat ad maius ſtudium virtutis, quo vehatur in cælum. Ad hæc: *Gubernatoris peritiam*, ait Chryſologus ſerm. 20. *non probat temperies ſerena, ſed procelloſa tempeſtas: aurâ blandiente nauim regit vltimus nauta, in confuſionem ventorum primi quæritur ars magiſtri*. Tempeſtas ergo fluctuum & ventorum eſt tentatio ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, inuidiæ, &c. vti pulchrè docet S. Auguſtinus hom. 3. inter 17.

*Tentatus faciat quod nautæ in tempeſtate. Primò.*

Porrò is, qui pulſatur tentatione, faciat id quod faciunt nautæ in tempeſtate. Primò, enim contrahunt vela, ne vento furente nauim abripiant, rotent & mergant. Sic tentatus contrahat vela voluptatum, detque ſe ieiunio & pœnitentijs.

*Secundò.*

Secundò, nautæ fugiunt in altum mare, ne in ſcopulos & rupes nauim allidant: ſic tentatus fugiat mundum & mundana, ac ad Deum velut ſalutis aſylum recurrat, dicatque cum Pſalte: *Renuit conſolari anima mea; memor ſui Dei & delectatus ſum*. Pſal. 76.

*Tertiò.*

Tertiò, nautæ vaſa & merces proijciunt in mare, vt nauim onere leuent: ſic tentatus per cōtritionem & confeſſionem euomat graue peccatorum pondus, vt animam alleuiet. Hinc Doctores docent illos, qui nauigaturi mare conſcendunt, præſertim longum & periculoſum, teneri confiteri, vt ſe in ſtatu gratiæ conſtituant, vtpote adituri mortis periculum & articulum, non vnum, ſed crebrum & multiplex.

*Quartò.*

Quartò, nauarchus magno conſiſtens animo & præſenti pollens conſilio, modos omnes indagat ad euitandum periculum. Idem faciat mens tentati. *Gubernator*, ait S. Cyprianus tractat. de Mortal. *in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur. Aduerſa non auocant à fidei virtute, ſed corroborant in dolore. Quanta ſublimitas inter ruinas generis humani ſtare erectum?*

IPSE



*Chriſtus dormit. Cur?*

IPSE VERO DORMIEBAT] Sponte fuit à Chriſto aſſumptus hic ſomnus, naturalis tamen. Primò vt augerentur venti, creſceretque tempeſtas, in cuius proinde ſedatione magis eius potentia appareret, maiorque oſtenderetur auctoritas. Ita Chryſoſtomus.

Secundò, *exprimitur*, ait ſanctus Ambroſius in cap. 8. Lucę verſ. 24. *ſecuritas poteſtatis, quòd omnibus timentibus, ſolus intrepidus quieſcebat*, vt in quauis ſimili tribulatione ad eum confugientes, in eoque ſpe defixi, idem faciamus, iuxta illud Prouerb. 12. *Non contriſtabit iuſtum quidquid acciderit ei*. Et c. 28. *Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit*. Et illud Poëtæ:

*Etiamſi fractus illabatur orbis,*
*Impauidum ferient ruinæ.*

*Ceruical Chriſti quid?*

Porrò *ceruical*, in quo, teſte Marco, dormiebat Chriſtus, myſticè eſt primò bona conſcientia: ſecundò reſignatio in Dei voluntatem: tertiò fiducia de Dei ope & prouidentia; in hac enim fidelis in quauis aduerſitate ſecurus quieſcit, & quaſi indormit.

Tertiò, Origenes hom. 6. in diuerſos: Chriſtus, ait, dormiebat corpore, vigilabat deitate, vt diſcipuli, ait Lyranus, in periculo poſiti, ardentiùs ad eum recurrerent opemque implorarent. Huius rei figura Ionas, cap. 1. dormiebat, ceteris in naui periclitantibus. Vide ibi dicta. Porrò qualis fuerit ſomnus Chriſti, & quàm diuerſus à noſtro, vide apud Toletum in cap. 8. Lucę Annotat. 43.

Tropologicè Gloſſa: Dormit Chriſtus, inquit, cùm negligentiùs agimus, & ideo tempeſtas; ſi verò fides reſurgit, imperat ventis & fluctibus.

VERS. 25. Luc 8. v. 24 Mar. 4. verſ. 38.

ET ACCESSERVNT AD EVM DISCIPVLI EIVS, ET SVSCITAVERVNT EVM, DICENTES: DOMINE SALVA NOS, PERIMVS] Arabicus: *Domine libera nos, profectò perimus*. Non debebant timere, qui ſecum vehebant Saluatorem, imò ſalutem & vitam, ſed modica adhuc in eis de Chriſto erat fides & ſpes. Marcus ſignificantiùs habet cap. 4. 38. *Magiſter non ad te pertinet, quia perimus?* q.d. Non eſt tibi curæ, quòd perimus? itáne ſine cura dormis, ſiniſque nos tecum mergi?

VERS. 26. Luc. 8. v. 24. 25. Mar. 4. v. 39. 40.

ET DIXIT EIS: QVID TIMIDI ESTIS MODICÆ FIDEI?] Gręcè eſt neruoſiùs, ὀλιγόπιστοι, id eſt, parum fidentes.

DIXIT] Hoc ante ſedatam tempeſtatem, vt narrat hîc Matthęus, licèt poſt eam id narrent Lucas & Marcus. Decebat enim priùs ſedari diſcipulorum pauorem extremum, quàm maris tempeſtatem, atque eorum fidem prolapſam erigi, vt hæc mereretur miraculum ſedandæ procellæ. Ita Ianſenius, Toletus & alii.

MODICÆ FIDEI] Tum quia non videmini perfectè credere me eſſe Deum; tum quia non ſperatis mea prouidentia, nec creditis me dormientem poſſe, aut ſcire, & velle vos liberare à periculo. Ita S. Chryſoſtomus.

*Tentationis remedium ſpes.*

Fides hîc primò accipi poteſt propriè dicta; ſecundò pro fiducia: hanc enim parit acuitque fides. Porrò timor cauſa eſt modicę fidei; modica autem fides cauſa eſt modicæ fiduciæ. Lucas efficaciùs habet: *Vbi eſt fides veſtra?* Gręcè ἡ πίστις, id eſt, illa fides, ſcilicèt, perfecta in me, quam toties vobis inculcaui, quamque præ vobis tuliſtis, cùm relictis omnibus, me vocantem ſecuti eſtis. Chriſtus equidem in miraculis exigit hanc fidem, vt doceat eam in tentationibus maximè requiri, ac contra eas præſentiſſimum eſſe remedium. Audi ſanctum Bernardum ſerm. 9. in Pſal. *Qui habitat: Si ſæuiat mundus*, inquit, *ſi fremat malignus, ſi ipſa caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo. Quis enim ſperauit in eo & confuſus eſt?* Et mox. *Vt quid ſi hæc ſapimus, vt quid cunctamur abijcere omnes ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias & huic vni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei totā deuotione animi, toto feruore ſpiritus inhærere? ſcriptum eſt enim: Adiuuabit eos, quia ſperauerunt in eo*.

TVNC SVRGENS IMPERAVIT VENTIS ET MARI, ET FACTA EST TRANQVILLITAS MAGNA] Pro *imperauit* Græce eſt, ἐπετίμησε, quod reſpondet Hebr. גָּעַר *gaar*, id eſt increpauit (vt vertit Arabicus) obiurgauit ceu herus famulum. Vnde Marcus habet: *Comminatus eſt vento, & dixit mari, tace, obmuteſce*, id eſt, quieſce, tuoſque fremitus, fluctuſque reprime. Lucas: *Increpauit ventum & tempeſtatem aquæ*.

Hiſce vocibus ſignificatur magna vis maris fluctibus agitati & exæſtuantis, quam nulla vis humana, ſed ſolùm diuina compeſcere & ſedare valeat; hę ergo voces ſignificant magnum dominium & imperium Dei, imperantis mari cum ſumma auctoritate & poteſtate: rugiens enim & fremens furenſque mare procelloſum, magnâ vi Dei reprimendum ſedandumque eſt. Hîc ergo Chriſtus ſe Deum eſſe oſtendit, vtpote qui mari & ventis quaſi Dominus imperaret: mare enim illi imperanti velociùs ceſſit ceſſauitque, quàm ſeruus ab hero ſuo increpitus. Chriſtus ergo dormit vt homo, imperat vt Deus, ait Interlinearis.

*Tropolog.*

Tropologicè quomodo Chriſtus mente cogitatus & inuocatus imperet perſecutionibus Eccleſiæ & tentationibus animæ, docet ſanctus Auguſtinus homil. 3. inter 17. quę extant in fine tom. 10. *Audiſti conuitium?* inquit, *ventus eſt: iratus es? fluctus eſt. Vento igitur flante, fluctu ſurgente periclitatur nauis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito conuitio vindicari deſideras. Et ecce vindicatus es, & malo alieno cedens feciſti naufragium. Et quare hoc? quia dormit in te Chriſtus. Quid eſt, dormit in te Chriſtus? Oblitus es Chriſtum; Excita ergo Chriſtum, recordare Chriſtum. Euigilet in te Chriſtus, conſidera illum. Quid volebas? vindicari. Excidit tibi, quia ipſe cùm crucifigeretur, dixit: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciūt? Qui dormiebat in corde tuo nòluit vindicari. Excita illum, recole illum*. Et nonnullis interiectis: *Ergo compeſcam me ab iracundia mea, & redibo ad quietem cordis mei: Imperauit Chriſtus mari, facta eſt tranquillitas. Quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tētationibus veſtris. Nata eſt tentatio, ventus eſt: turbatus es, fluctus eſt: excita Chriſtum, loquatur tecum*.

*Allegor.*

Allegoricè & Anagogicè Beda: *Nauicula* cum antenna *eſt arbor crucis, cuius beneficio adducti maris, id eſt, mundi fluctibus euerſi obtinemus littus patriæ cæleſtis: aſcendunt & diſcipuli, ait enim: ſi quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam*, &c. *Obdormit Chriſtus, tempore ſcilicet paſſionis; exorta eſt tempeſtas, id eſt, perſecutio dæmoniatis flatibus excitata. Excitant Dominum diſcipuli, cuius mortem viderant, reſurrectionem optantes. Surgit celeri reſurrectione, ventum increpat, id eſt, ſuperbiam diaboli; ſedat tempeſtatem,*

*id eſt,*

*id eſt, ſuperbiam diaboli; ſed at tempeſtatem, id eſt, inſultantium Iudæorum rabiem labefeĉtat, increpat diſcipulos: exprobrauit enim poſt reſurrectionem incredulitatem eorum.* A

ET FACTA EST TRANQVILLITAS MAGNA] Nam, vt ait ſanctus Hieronymus, *ſentiunt omnes creaturæ creatorem, & quæ apud nos inſenſibilia ſunt, illi ſunt ſenſibilia. Magna poteſtas, quia de magna poteſtate fit magna tranquillitas.* Origenes: *Decet magnum magna facere.* Et Chryſoſtomus in hom. *Confeſtim ſoluta eſt tempeſtas, & nihil turbationis manſit, impletumq; illud; Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ.*

VERS. 27. Luc. 8. v. 25 Mar. 4. v. 41 PORRÒ HOMINES MIRATI SVNT, DICENTES: QVALIS EST ISTE; QVIA VENTI ET MARE OBEDIVNT EI?] *Homines*, non diſcipuli, ſed nautæ & ceteri qui erant in naui, ait Interlinearis, nauibuſque eam comitantibus. Nam, vt ait Origenes, numquam ſine honore nominantur diſcipuli, ſed ſemper aut Apoſtoli, aut diſcipuli. Addit ſanctus Hieronymus: *Si quis contendat ſignificari diſcipulos, dicendum appellari homines, quia nondum nouerant potentiam Saluatoris.* Pro *qualis*, Græcè eſt, ποταπὸς, quæ vox eſt non ſimpliciter interrogantis, ſed cum emphaſi admirantis. q. d. Quis, qualis, cuias eſt iſte? Non videtur ſimilis alijs hominibus, ſed alterius eſſe generis; non videtur è terra natus, ſed è cælo lapſus, quia non tantùm terrigenæ eorumque morbi, ſed & cæli eorumque venti obediunt ei, quaſi hero & Domino ſuo. Vnde Græcè eſt: *Quia etiam venti & mare obtemperant ei.* Quis ergo, qualis & quantus eſt hic nouus in Paleſtina Æolus, ventorum Deus & Imperator? Ita ipſi, necdum ſcientes Chriſtum verum merumque eſſe Deum. C

Tropolog. Tropologicè S. Auguſtinus hom. 3. iam citata: *Magis*, inquit, *imitare ventos & mare: obtempera creatori ſub iuſſione Chriſti: mare audit, & tu ſurdus es? Mare audit, & ventus ceſſat, & tu ſufflas? Quid? dico, facio, fingo quid eſt aliud, niſi ſufflare & ſub verbo Chriſti nolle ceſſare? Non vos vincat fluctus in perturbatione cordis veſtri.*

VERS. 28. Luc. 8. v. 26. 27. Mar. 5. v. 1. 2. 5. ET CVM VENISSET TRANS FRETVM IN REGIONEM GERASENORVM, OCCVRRERVNT EI DVO DÆMONIA HABENTES] *Duo* Marcus c. 5. 2. & Lucas cap. 8. 27. vnum tantùm recenſent, quia ſcilicet vnus ille nobilior & famoſior erat, vt vult ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 24. & quia ille truculentior erat: obſidebatur enim à legione dæmonum, vt habet Lucas. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius & alij.

Reliqua de his dæmoniacis à Chriſto curatis, luculentiùs enarrat Lucas cap. 8. à verſ. 27. vſque ad verſum 40. quare ibi commodiùs & pleniùs illa explicabo.

A VENISTI HVC ANTE TEMPVS TORQVERE NOS] Hinc aliqui putarunt, dæmones necdum recepiſſe vltimum demeritorum ſuorum ſupplicium, nec ante diem iudicij eſſe damnandos, vt in gehenna torqueantur: Ita videtur hîc ſentire ſanctus Hilarius can. 8. dicens: *Proclamabat, ait, cur ſedem inuideat, cur ante tempus iudicij infeſtet?* Eadem ſententia à nonnullis tribuitur ſancto Irenęo, Iuſtino, Lactantio, Euſebio & Nicephoro, ſed nil tale apud eos reperi, nec Hilarij verba id ſignificant, ſed tantùm idipſum quod verba Matthæi. VERS. 29. Luc. 8. v. 28 Mar. 5. v. 7.

Certum eſt ex Scriptura & Patribus dæmones ab initio mundi mox vt peccarunt fuiſſe damnatos, igneque gehennæ cruciatos, quo igne cruciantur etiam abſentes, dum inferno egreſſi in hoc aëre verſantur, per Dei omnipotentiam. Ignis enim gehennę, quia eſt inſtrumentum ſupernaturale Dei omnipotentis, hinc Deo volente in diſtantiſſima agere poteſt. B *Dæmones ſtatim poſt ſuum peccatum igne gehennæ cruciati.*

Quod ergo aiunt Chriſto: *Veniſti ante tempus torquere nos*, non antiquam, perpetuam & irreuocabilem ignis gehennę torſionem, ſed nouum quod à Chriſto timebant tormentum, deprecantur. Nouum hoc erat expulſio à corpore hominis, quod poſſidebant, vti docet ſanctus Chryſoſtomus homil. 29. ac dominij in tentandis vexandiſque hominibus diminutio: item relegatio ad carcerem gehennæ. Dæmones enim gaudent, dum permittuntur in hoc aëre verſari, tum quia aliquid in eo libertatis habent ad vagandum per varias prouincias, ad concitandum tempeſtates, ſterilitatem, morbos, peſtes, &c. tum quia in eo facultatem habent homines tentandi & affligendi. Quare tormentum eis eſt relegari in infernum: hæc enim eſt eorum quaſi incarceratio (arctiſſimus enim & moleſtiſſimus carcer eſt infernus) & ſumma coarctatio, ad quam damnabuntur in perpetuum à Chriſto in die iudicij, in quo fiet publica eorum reprobatio & damnatio, quæ erit ſumma eorum pœna & confuſio coram omnibus Angelis & Beatis: Videntur ergo hi dæmones timere, ne diem iudicij, quem ipſi remotum putabant, Chriſtus anticipet, ac velut iudex in eo illos ad tartara illicò condemnet, aut certè ſeorſim eò ipſos ablegct. Ita Maldonatus, Toletus & Suarez libr. 8. de Angelis cap. 2, num. 13. Vnde Gloſſa hîc: *Torquentur dæmones*, inquit, *dum de corporibus eijciuntur, in quorum tortura delectabantur.* Addit ſanctus Hieronymus: *Præſentia Saluatoris tormenta ſunt dæmonū.* Et ſanctus Chryſoſtomus: *Ab experientia*, inquit, *clamant: flagellabantur enim inuiſibiliter, intolerabilia patientes ex præſentia Chriſti.* *Tormentum dæmonum quod.*

CAPVT



# CAPVT NONVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus primò paralyticū ſanat, tū in anima, tū in corpore. Secundò v. 9. vocat Matthæum, Scribis obmurmurātibus: quòd cum Publicanis ageret, reſpendet ſe quaſi medicum animarum miſſum eſſe ad curandos peccatores. Tertiò v. 14. Diſcipulis Ioannis Baptiſtæ crebrò ieiunantibus dat cauſam, cur ſui Diſcipuli necdum ieiunent. Quartò v. 18. ſanat hæmorrhoïſſam, & à morte ſuſcitat filiam Iairi. Quintò, 27. illuminat duos cæcos, v. 32. muto loquelam reſtituit, omneſq; infirmos ſanat, ac videns multam populi meſſem, multos in eam optat mitti operarios.*

1. ET aſcendens in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. 2. Et
ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat. 4. Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? 5. Quìd eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula? 6. Vt autem ſciatis; quia filius hominis habet poteſtatē in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. 7. Et ſurrexit, & abijt in domum ſuam. 8. Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus. 9. Et, cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. 10. Et factum eſt diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum Ieſu & diſcipulis eius. 11. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? 12. At Ieſus audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus; ſed malè habentibus. 13. Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores. 14. Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi, ieiunamus frequenter: diſcipuli autem tui non ieiunant? 15. Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. 16. Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à veſtimento, & peior ſciſſura fit. 17. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. 18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus acceſſit & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. 19. Et ſurgens Ieſus, ſequebatur eum, & diſcipuli eius. 20. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. 21. Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. 22. At Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit, 23. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. 24. Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. 25. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit: & tenuit manum eius. Et ſurrexit puella. 26 Et exijt fama hæc in vniuerſam terram illam. 27. Et tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili Dauid. 28 Cùm autem veniſſet ad domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et dicit eis Ieſus: Creditis, quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Vtique, Domine. 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem veſtram fiat vobis. 30. Et aperti ſunt oculi eorum: & comminatus eſt illis Ieſus, dicens: Videte ne quis ſciat. 31. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. 32. Egreſſis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem. 33. Et eiecto dæmonio, locutus eſt mutus & miratæ ſunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit ſic in Iſrael. 34. Phariſæi autem dicebant, In principe dæmoniorum eijcit dæmones. 35, Et circuibat Ieſus omnes ciuitates, & caſtella,

ſtella, docens in Synagogis eorum,& prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem. & infirmitatem. 36. Videns autem turbas miſertus eſt eis: quia erant vexati,& iacentes ſicut oues non habentes paſtorem. 37. Tunc dicit diſcipulis ſuis ; Meſſis quidem multa : operarij autem pauci. 38. Rogate ergo dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.

VERS. 1. Luc. 8. 37. Mar. 2. 21. & 5. v. 18. 21

*Ciuitas Chriſti quænam?*

ET ASCENDENS IN NAVICVLAM ( Græcè A ϖλοῖον, id eſt nauem) TRANSFRETAVIT (nauigando redijt in citerius maris Galilęę littus,ex quo venerat,vt patet cap.8.18.)ET VENIT IN CIVITATEM SVAM] Sedulius intelligit Bethleem, in qua natus erat Chriſtus. S. Hieronymus verò accipit Nazareth.in hac enim fuit educatus.Meliùs S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Ianſenius, Maldonatus,& alij paſſim accipiunt Capharnaum, in qua frequentiùs verſatus eſt Chriſtus: nam cap.4. 13. ibi, relictâ Nazareth, Chriſtum habitaſſe dixit Matthæus;& miraculum paralytici ſanati, quod ſequitur,in Capharnao contigiſſe docet Marcus c.2 3.Sicut enim Chriſtus nobilitauit Bethleem ſuâ natiuitate,Nazareth educatione,Ægyptum ſuâ fugâ,Ieruſalem ſuâ paſſione;ſic Capharnaum decorauit B ſuâ habitatione , prædicatione & miraculorum operatione.

VERS. 2. Luc. 5. v. 18. 20.

ET ECCE OFFEREBANT EI PARALYTICVM IACENTEM IN LECTO] Paralyſis enim ita neruos (qui motus ſunt inſtrumenta) corporis diſſoluit , vt homo impotens fiat ad ambulandum , imò ad ſe mouendum , fiatque quaſi animatum cadauer,nō niſi ad pœnam ſuam viuens, ideoque ferè immedicabile , & in lecto quaſi in viuo ſepulchro recondendum. Marcus c.2.v 3. paralyticum portatum dicit à quatuor portitoribus: à quibus diſce non tantùm tuam,ſed & proximorum curare ſalutem , idque impensè; tum quia charitas id exigit; tum quia ſæpè Deus flagellat bonos cum malis, eò quòd boni malo- C rum peccata corripere , impedire , & emendare negligant,vti docet S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuitat.cap. 9.

ET VIDENS IESVS FIDEM ILLORVM DIXIT PARALYTICO : CONFIDE FILI , REMITTVNTVR TIBI PECCATA TVA] *Illorum*, ſcilicet, qui Chriſto offerebant paralyticum : hi enim cùm præ turba nō poſſent paralyticum inferre in domum ad Chriſtum , portarunt eum in tectum (tecta enim domorum in Palæſtina non ſunt acuminata , vt in Germania , ſed plana , & longè planiora, quàm ſint in Italia) mox tectum aperuerunt, imò ſublatis regulis fregerunt & perfoderunt:nam Marcus cap.2.4.ait: *Nudauerunt tectum*,indeque ęgrotum ex alto per faſcias & fu- D nes ante Chriſtum demiſerunt , quæ omnia arguunt magnam eorum fidem, ſpem & deuotionem erga Chriſtum. *Illorum* ergo,id eſt,offerentium,ait S. Ambroſius, Haymo & Hieronymus: addit S. Chryſoſtomus , Theophylactus & Euthymius etiam ipſius paralytici: nam ex hac fide ad Chriſtum portari,& per tectum demitti ante ipſum voluit:nec audiſſet à Chriſto; *Remittuntur tibi peccata tua*, niſi fidem habuiſſet. Porrò fides hæc eſt miraculorum, quę includit certam fiduciam futuri miraculi , & ſanitatis à Chriſto conſequendæ. Vide Canonem 38. Moral. diſce hîc, quòd menſura orationis eſt fides & ſpes : quod A enim ſperas à Chriſto,hoc impetrabis:quò enim magis dilatas ſinum animę per ſpem,eò illam capaciorem & digniorem efficis,vt Deus illam donis ſuis impleat,iuxta illud: *Dilata os tuum,& implebo illud*. Pſal. 80. 11. Et: *Os meum aperui,& attraxi ſpiritum*. Pſal. 118. verſ. 131. Hac de cauſa dixit illi Chriſtus:

*Fides miraculorum quæ?*

*Menſura orationes eſt ſpes.*

CONFIDE FILI] Syrus, *bono ſis animo*,ſcilicet, confide te à me miraculosè ſanandum,idq; priùs in anima à peccatis deinde conſequenter in corpore à paralyſi ; nam ob peccata morbo hoc te Deus afflixit. Ita S. Hieronym. Theophylactus, Euthymius. Nota : Paralyticus hic iam habebat fidem & ſpem in Chriſtum vt paulò antè oſtendi, ſed Chriſtus iubet,vt illam corroboret & adaugeat. Porrò Chriſtus hac voce externa: *Confide* B *fili*,& magis interno gratiæ ſuę afflàtu,inſtinctuque paralyticū excitauit ad actum magnæ fidei, ſpei,doloris de peccatis commiſſis , ac firmi propoſiti de noua ſanctaque vita capeſſenda , item amoris Dei ſuper omnia , vt ſic capax fieret remiſſionis peccatorum, ad eamque ſe diſponeret: has enim diſpoſitiones alibi requirit Scriptura: Chriſtus tamen hîc & alibi ſolam fidem nominat & requirit,ac fidei tribuit ſanitatem , præſertim corporis, quia fides prima eſt radix & origo ſpei, timoris, doloris & amoris Dei ; ac fides in Chriſtum , maximè tunc erat inculcanda. Vide Canonem 11. Nihil ergo hîc habent hæretici, quo probent ſolam fidē propriè iuſtificare: maximè quia hîc agitur de fide miraculorum & ſa- C nitatis, quam etiam ipſi à fide iuſtificante diſtinguunt. Adde, Chriſtum tam,vel magis loqui de fide offerentium,quę ægrum iuſtificare non poterat, quàm ipſius ægri & paralytici.

FILI] Nam verè filius Dei eſt,cui dimittuntur peccata,ait Haymo. Nota hîc Chriſti benignitatem , quâ dulciſſimis verbis paralyticum compellat,dicēs: *fili*. Vnde S. Hieronymus exclamat: *O mira humilitas! deſpectum & debilem,totis membrorum compagibus diſſolutum filium vocat , quem ſacerdotes non dignabantur attingere.*

REMITTVNTVR TIBI PECCATA TVA] *Tibi*,ita per meam inſpirationem iam contrito,& ad remiſſionem iuſtificationemque diſpoſito, vt dixi. Gręcè ἀφέωνται,id eſt remiſſa ſunt,id eſt remit- D tuntur. Eſt Hebręa enallage temporis. Similis eſt Lucæ 7. 17.

Notat S. Chryſoſt. Chriſtum priùs remiſiſſe peccata paralytico,deinde eū ſanaſſe, vt occaſione calumniæ Phariſęorum,quam ex hoc ſuo dicto factoq; ſecuturam præuidebat , diuinitatem ſuam eis probaret, idque triplici miraculo quaſi inuincibili argumēto,ſcilicet: Primò enūtiando, & propalando arcanas eorum cogitationes & murmura contra Chriſtū,dicentium intra ſe: *Hic blaſphemat*. Secundo,ſanando paralyticum. Tertiò, hoc miraculum ſanitatis patrando ad eundē finem, ſcilicet, vt per illud ſe habere poteſtatem remittendi peccata probaret & demonſtraret.

Ad



Ad literam tamen magis vicina & genuina A cauſa erat, vt oſtenderet paralyſes, ceteroſque morbos ſæpè non tam à cauſis naturalibus , quā à peccatis oriri; priùs ergo peccata dimittit , deinde ſanat paralyticum , quia priùs auferenda eſt cauſa,vt eâ ſublatâ,tollatur effectus,putà paralyſis & morbus, q. d. Recto naturæ ordine volo priùs tollere cauſam paralyſis , ſcilicet peccata, deinde ipſam paralyſim curare: *Vt demonſtraret propter peccata præterita percuſſū eſſe infirmitate corporali*, ait Haymo;& Theophylactus: *Declarans*, ait, *quòd paralyſis ex peccatis eſſet*. Sic & S. Hieronymus Euthymius,& alij.

*Medici priùs curent ſalutem animæ, dein corporis.*

Hinc iure canonico ſancitum eſt , vt medici priùs animæ,quàm corporis ęgroti ſalutem procurent,vt patet cap. *cum infirm.* de Pœnit. & remiſſ. idq; Romæ ſtrictè ſeruatur,vbi medici poſt B tertium ægritudinis, præſertim periculoſæ,diem infirmo adeſſe nequeunt, niſi is illicò ſacramentali confeſſione animam à peccatis expiet. Nam, vt ait S. Baſil. Reg. 55. inter fuſiùs diſputatas: *Sæpè morbi velut quædam peccatorum flagella ſunt , quibus nil aliud agitur , niſi vt vitam noſtram in melius commutemus.* Vide dicta Eccleſ. 38. v. 1. & ſeq.

*Sanati à Chriſto etiā iuſtificati fuere. Cur?*

Rurſum ex hoc loco colligunt interpretes, eos,qui corporaliter à Chriſto ſanati ſunt, communiter etiam ſpiritualiter ab eo fuiſſe ſanatos & iuſtificatos, id enim contigit huic paralytico: tum quia hoc decebat liberalitatem Chriſti, vt non dimidiatam,ſed integram perfectamque daret ſalutem : *Dei enim perfecta ſunt opera.* Deuter. 32. tum quia ſalus corporis refertur ad ſalutem animæ; tum quia ſalus corporis ſæpè pendet ex ſalute animæ; tum denique quia Chriſtus maxi- C mè ad ſpiritualem ſalutem conferendam in mundum & carnem venerat. Hoc eſt,quòd ait Chriſtus Ioan. 7. 23. de alio paralytico à ſe ſanato: *Totum hominem ſanum feci in Sabbato.* Idipſum diſertè docet S. Thomas 3. p. q. 44. ar. 3. ad 3. Maldonatus, Barradius, & alij.

VERS. 3. Luc. 5. 21. Mar. 2. 6.

ET ECCE QVIDAM DE SCRIBIS DIXERVNT INTRA SE ( Syrus *in anima ſua* , id eſt, in mente ſua ) HIC BLASPHEMAT ] quia Deo propriam poteſtatem condonandi peccata adimit, eamque ſibi arrogat : quæ ſanè grauis eſt in Deum contumelia,ideoque blaſphemia. Ita ipſi: putabant enim Chriſtum non eſſe Deum , ſed merum hominem: hic enim fuit perpetuus & obſtinatus eorum error , qui eos adegit ad continuam Chriſti perſecutionem, vſque ad cædem & crucem. Vnde Marcus cap. 2. 7. addit eos dixiſſe : *Quis poteſt dimittere peccata,niſi ſolus Deus?* Peccatum enim D eſt offenſa in Deum commiſſa , ac diuinæ maieſtatis violatio : hanc autem nemo niſi Deus ipſe condonare poteſt.

VERS. 4. Luc. 5. 22.

ET CVM VIDISSET IESVS COGITATIONES EORVM, DIXIT : VT QVID COGITATIS MALA IN CORDIBVS VESTRIS? ] Marcus addit cap. 2. 8. Ieſum id *ſpiritu ſuo* cognouiſſe & vidiſſe,q.d. Ieſus arcanas Scribarum blaſphemias cognouit & vidit non alio reuelante , vti cognouerunt Prophetæ, ſed per ſe & ſpiritum ſuum omnia peruadentem & penetrantem: ex quo rectè Patres contra Arrianos probant Chriſti diuinitatē,eò quòd Chriſtus ſit cardiagnoſtes,id eſt, cordium inſpector,quod ſoli Deo eſt proprium. Ita S. Hieronymus,qui & addit : *Et quodammodo tacens , loquitur: Eâdem potentiâ & maieſtate, quâ cogitationes veſtras intueor , poſſum & hominibus peccata dimittere.* A Sic & S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius,& alij vnde Chryſol. ſer. 50. *Cape*,ait, *Chriſti diuinitatis inſignia,aſpice eum ad cogitationum tuarum latebras perueniſſe.*

Dices : Scribæ excipere potuiſſent , ac dicere: Tu, ô Ieſu, arcanas cogitationes noſtras cognoſcis quidem & reuelas,at nō tuo ſpiritu (nullo enim argumento id nobis probas) ſed alieno,putà Dei;ergo Propheta quidem es,ſed non idcircò es Deus, vt remittas peccata ; aut ea remittis non tuâ,ſed Dei virtute. Reſpondeo: Si Scribæ agnoſcebant Ieſum eſſe Prophetam , vtique credere debebant eum non mentiri,ſed verum dicere, cū diceret ſe ex ſeipſo habere poteſtatem remittendi peccata,ideoque eſſe Deum. Rurſum in vete- B ri Teſtamento nulli prophetæ data eſt poteſtas remittēdi peccata; ſed ſoli Meſſiæ id per prophetas promiſſum fuit,ergo ex hoc debebant agnoſcere Ieſum eſſe Meſſiam , ac conſequenter eſſe Deum, vt patet ex alijs Scripturæ locis,maximè accedente miraculo ſanationis paralytici, ceteriſque, quæ Chriſtus multa & magna patrabat hoc fine,vt probaret ſe eſſe Deum.

Denique quia Chriſtus ſolo iuſſu & propriâ auctoritate vti ſanauit paralyticum, ſic & ei peccata dimiſit, adeoque in omnibus alijs miraculis ita ſe geſſit, & ad hoc omnia ſua direxit,vt probaret & perſuaderet ſe eſſe Meſſiam, id eſt, Dei Filium in carne aſſumpta, & mundi Saluatorem, ac peccatorum redemptorem à Moſe & Prophetis promiſſum. E contrario Prophetæ & Sancti, cùm patrant miracula, vel remittunt peccata, vel C arcana vel futura reuelant, id facere ſe Deo reuelante,vel inuocato palàm proteſtantur, vel certè ſat ſuperque ſubindicant.

QVID EST FACILIVS DICERE : DIMITTVNTVR TIBI PECCATA TVA,AN DICERE: SVRGE, ET AMBVLA? ] *Dicere* eſt iubere,& iubendo efficaciter efficere. Eſt metalepſis. VERS. 5. Luc. 5. 23. Mar. 2. 9.

Quæres , vtrum horum duorum abſolutè ſit difficilius?

*Difficilius eſt iuſtificare quàm creare. Cur?*

Dico Primò : Per ſe difficilius eſt remittere peccata, quàm ſanare paralyticum , imò quàm creare cælum & terram. Ratio à priori eſt: Prima, quia peccatum & peccator , vtpote hoſtis Dei, longè magis diſtat à Deo , quàm paralyſis & paralyticus, imò quàm omnes res creatæ, vtpote in ſe bonæ,imò quàm ipſum nihil, ex quo creatæ ſunt ; nihil enim negatiuè dumtaxat & priuatiuè opponitur enti & Deo: peccatum verò D ex diametro aduerſatur , & contrariè repugnat Deo : nulla enim contraria magis ſibi aduerſantur,quàm ſumma bonitas & ſumma malitia, hoc eſt,Deus & peccatum.

Secunda, quia remiſſio peccatorum eſt altioris ordinis,quàm ſit natura, omneſque res naturales : ſpectat enim ad ordinem ſupernaturalem gratiæ ; illamque ſecum adducit. Gratia autem eſt ſumma participatio diuinitatis : per gratiam enim ſimus *diuinæ conſortes naturæ*. 2. Petri 1. v. 4. Ita diſertè docet S. Auguſtinus tract. 72. in Ioannem,& S. Chryſoſtomus hîc, ac S. Thomas 2. 2. q. 113. art. 9.

Dico ſecundò : Chriſtus tamen è contrario videtur hîc proponere remiſſionem peccatorum vt faciliorem , quàm paralytici ſanatio , quaſi hoc ſit difficilius illo: tum quia difficilius erat reſpectu

ſpectu Iudæorum: hominibus enim res naturales & corporeas magis, quàm ſpirituales & occultas capientibus ita videtur: tum quia minùs periculoſum eſt illud, quàm ſit hoc, nam qui dicit: *Remitto tibi peccata*, mẽdacij argui non poteſt, ſiue ea reuerà remittat, ſiue non; quia nec peccatum, nec peccati remiſſio oculis videri poteſt; qui autem dicit paralitico: *Surge, & ambula*, ſe & famam ſuam euidenti falſitatis periculo exponit: reipsâ enim, ſi paralyticus non ſurgat, falſitatis, impoſturæ, & mendacij ab omnibus arguetur & conuincetur. Sic dicimus: Facilius eſt ſcribere res Tartaricas, quàm Italicas, quia hic à multis, ille à nemine falſitatis argui poteſt. Vnde ſignanter Chriſtus non ait: *Quid eſt facilius*, remittere peccata, an ſanare paralyticum, ſed *dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula?* Nota *τὸ dicere*: facilius enim & minùs periculoſum eſt dicere: Remittuntur tibi peccata, quàm dicere: Surge, & ambula, ob rationem, quam adduxi.

Denique ſanatio paralytici eſt opus phyſicum, & phyſicè difficilius, quàm ſit remiſſio peccatorum, quæ per ſe tantùm eſt ens morale, ſicut & peccatum, ſiue culpa & offenſa tantùm eſt ens morale.

Addit Ianſenius, reſpectu Dei vtrumq; æquè eſſe facile & diuinum: vtrumque enim eſt miraculum, ideoque infinitam Dei virtutem & omnipotentiam requirit.

Porrò licet minus in ſe ſit opus ſanatio paralytici, quàm remiſſio peccati, tamẽ valide ex illo probat hoc, ſcilicet ex ſanatione probat ſe habere poteſtatem remittendi peccata, quia vel vnum miraculum, quale eſt ſubita ſanatio paralytici, certum eſt argumentum veritatis, ſi ad illã probandam edatur & fiat, vt dixi c.7.22.

*Vers.6. Luc.5.24. Mar.2.10.11.*

VT AVTEM SCIATIS QVIA FILIVS HOMINIS HABET POTESTATEM (Syrus *dominium*) IN TERRA DIMITTENDI PECCATA (TVNC AIT PARALYTICO) SVRGE, TOLLE LECTVM TVVM, ET VADE IN DOMVM TVAM] Nota *τὸ Filius hominis*: Chriſtus enim remiſit peccata, non tantùm quà Deus per ſuam omnipotentiam, ſed etiam qua homo auctoritatiuè & meritoriè: quia enim eius humanitas hypoſtaticè coniuncta erat diuinitati, & ſubſiſtebat in perſona diuina Filij Dei, idcircò mereri & ſatisfacere potuit ex æquo pro peccatis totius mundi, qua de cauſa hæc primaria poſt Deum auctoritas, & poteſtas excellentiæ remittendi peccata illi data eſt, quam etiam alijs, putà ſacerdotibus à ſe inſtitutis, ceu miniſtris ſuis cõmunicare poſſet, eatenus ſcilicet, vt queant remittere peccata. Vnde D.Thomas 3.p.q.64. art.3.

*Poteſtas excellentiæ Chriſti quadruplex.*

Poteſtas excellentiæ Chriſti, inquit, in quatuor conſiſtit. Primò, quod meritum & virtus paſſionis eius operetur in Sacramentis. Secundò, quòd in eius nomine Sacramenta ſanctificentur. Tertiò quòd ipſe, qui dedit virtutem Sacramẽtis, potuit illa inſtituere. Quartò, quòd effectum Sacramentorum (putà remiſſionem peccatorum & gratiam) poſſit conferre ſine Sacramento. Hæc poteſtas ſoli Chriſto, qua homo eſt, propria eſt, ideoque nulli ſacerdoti vel Pontifici, imò nec S. Petro communicata fuit.

TVNC AIT PARALYTICO] Hæc verba ſunt Euangeliſtæ, volentis ſimul rem geſtam & verba Chriſti intexere. Vnde à Syro & nonnullis Latinis, parentheſi includuntur. Significat autẽ Chriſtum à Scribis obmurmurantibus ad paralyticum ſanandum ſermonem animumque conuertiſſe.

SVRGE, TOLLE LECTVM TVVM, ET VADE IN DOMVM TVAM] *Surge* excuſſâ paralyſi ſanus & vegetus, vtque id probes, & Scribis totique populo declares: *Tolle lectum tuum*, vt iam curatus portes eum, qui te paralyticum paulò antè portauit, iuxta illud Sedulij hoc loco:

*Mercedem ipſe ſuam gratâ mercede reuexit.*

*Grabatus quid, & vnde dicatur.*

Pro *lectum* Marcus c.2.8. habet *grabatum*. *Grabatus*, ait Sipontinus, eſt exiguus lectus, in quo meridiari ſolemus, dictus quaſi *carabatus*, quòd in eo capite recumbamus: *καρὴν* enim caput, *βάτον* peruium Græci appellant, Vnde Martial.

*Ibat tripes grabatus, & tripes menſa.*

*Vers.7. Luc 5.25. Mar.2.12.*

ET SVRREXIT, ET ABIIT IN DOMVM SVAM] *Surrexit* ſubitò, dictum enim Chriſti fuit factũ. *Et abijt* ſublato in humeros lecto, vti iuſſerat Chriſtus, idque in ſignum perfectæ ſanitatis à Chriſto recuperatæ.

*S. Simon Stylites paralyticum curat.*

Hoc Chriſti exemplum & miraculum imitatus eſt S.Simeon Stylites, vti habet eius vita, quam ex Theodoreto recenſet Surius tomo 1. Cùm, inquit, quidam Saracenorũ Tribunus obtuliſſet ei quemdam è ſuis paralyticum, rogans vt eum ſanaret: *Vir ſanctus cum illum in medium afferri iuſſiſſet, imperat, vt maiorum ſuorum impietatem deteſtetur. Cùm his dictis obtẽperaſſet, rogatus an Patri, & vnigenito Filio, ac Spiritui sãcto crederet? ait ſe credere: Si credis, inquit, ſurge. Qui cũ ſurrexiſſet, iuſſit vt Tribunũ illum, virum ſanè maximè corpulentum, ſublatum humeris, vſque ad tentorium ferret: qui ſubiens onus, confeſtim abſtulit, quò iuſſus erat. Quo ſanè miraculo ſpectatores ſtupefacti Deum laudabant. Hoc autem iuſſerat illi Domini exemplo, qui paralytico, vt grabatũ tolleret, imperauerat.* Simili modo S.Bern. rogante Rege Franciæ paralyticum cruce ſignans curauit, iuſſitque vt grabatum ſuum tolleret.

Tropologicè S.Gregorius homil.12. in Ezechielem: *Per lectum ſiue grabatum*, inquit, *in quo carnis eſt requies, ipſa caro ſignatur; per domum verò conſcientia figuratur. Tolle* ergo *grabatum tuum, id eſt, porta lectum, in quo portatus es: quia neceſſe eſt, vt ſanatus quiſque portet contumeliam carnis, in qua priùs iacebat ægrotus. Quid eſt ergo dicere: Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, niſi porta tentationes carnis, in quibus hactenus iacuiſti, ac reuertere ad conſcientiam tuam, vt videas quæ feciſti?* Iuſto enim Dei iudicio fit, vt peccator, qui priùs tentationi conſenſit libens, poſteà pœnitens eamdem ſentiat inuitus. Pœnitentia enim tollit quidem peccatum, at non habitus & prauas inclinationes ad peccatum, quos ipſe malâ conſuetudine ſpontè contraxit & induit. Hinc S. Maria Ægyptiaca poſt cõuerſionem per 17. annos ſenſit acres luxuriæ ſtimulos, quia per totidem annos turpiter in eâdem vixerat, vti habet eius vita, auctore Zozymo.

*Vers.8. Luc.5.26. Mar.2.12.*

VIDENTES AVTEM TVRBÆ TIMVERVNT ET GLORIFICAVERVNT DEVM, QVI DEDIT POTESTATEM TALEM HOMINIBVS] Pro *timuerunt*, Græcè eſt, ἐθαύμασαν, id eſt, admiratę ſunt; admirationis autem effectus eſt timor, ſiue reuerentia: vnde Lucas c.8.16. *apprehendit*, inquit, omnes ἔκστασις, id eſt, *extaſis*, putà ſacer quidam timor & pauor ex ſtupore tanti miraculi manans, & in Dei gloriationem erumpens. Vnde Marcus addit eos dixiſſe: *Quia numquam ſic vidimus.* Lucas: *Quia vidimus mirabilia hodie.* Erat enim paralyticus per totum corpus. Nam Marcus addit, quòd portabatur à quatuor, quia erat vniuerſalis paralyſis ſerpens per totius corporis membra. Paraliticus iſte alius eſt ab illo, cuius meminit Ioan.5.2. ſanato ad probaticã piſcinam, quia ille in Ieruſalem ſanatus eſt, hic in Capharnaum: ille hominem nõ habebat, hic portabatur à quatuor: ille non credebat vt iſte, cui dictum eſt: *Confide fili.*

*Paralyſis eſt voluptas carnis.*

Tropologicè: Paralyſis eſt quoduis animæ vitium, ſed præſertim carnis voluptas, ex eaque naſcens acedia, quæ ita animam proſternit, vt impotens ſit ſe erigere ad virtutem, ad cælum, ad Deum: quare anima hoc morbo laborans à portitoribus, id eſt, à paſtoribus, prædicatoribus, confeſſarijs, &c. euehenda eſt in tectum, id eſt, ad ſtudium ſalutis rerumque cęleſtium, indeque per tegulas ad pedes Chriſti demittenda, ac ſupplici & ardenti prece poſtulandum, vt ipſe eam ſuâ gratiâ ſanet, motumque & ſenſum rerum ſpiritualium ipſi reſtituat: ipsâ deinde ſanatâ Chriſto ſaluatori ſuo gratias agat, nec deſideat, ſed abeat in domum mentis & conſcientiæ ſuæ, vt illam à vitijs expurget, & omnium virtutum actibus adornet. Ipſa ergo debet confidere in Domino, quia ipſe ſolus poteſt omnia imperfecta ſua ſupplere. Debet ſurgere à ſomno peccati, & à prauæ lecto conſuetudinis, cõſiderando vbi proſtratus fuerat, quod fit per cõfeſſionem. Vt enim qui ſurgit, ita & qui confitetur ſe prodit: debet tollere lectum, quod pertinet ad ſatisfactionem, quæ cùm iniungitur, quaſi onus quoddam portatur. Caro etiam, quæ vt lectus delectabat, & portabat ſpiritum mortuum, poſt remiſſionem & ſatisfactionem, debet eſſe homini inſtar oneris, vt illi erat, qui dicebat: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Roman. cap. 7. v. 24. Ita Salmeron, Ianſenius, Toletan. Vincent. Reg. & alij.

Anagogicè hæc accipe de cæleſti gloria, de qua ait Pſaltes Pſal.121. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Dicet enim in reſurrectione Dominus: *Surge* (ſcilicet à morte) *tolle lectum tuum* (id eſt, corpus glorioſis dotibus ornatum aſſume) *& vade in domum tuam*, id eſt, in æternam & cæleſtem manſionem.

*Analogiæ paralyſis & acediæ. Prima.*

Porrò multæ ſunt analogiæ paralyſis & acediæ. Prima: Sicut paralyſis oritur ex frigore & craſſis lentiſque humoribus, cùm illi neruos obſident, ſic vt impediatur tranſitus ſpirituum vitalium & animalium ad ſenſuum inſtrumẽta, quò fit, vt motus & ſenſatio impediatur, vti docet Galenus lib.2. de Symptomatum cauſis c.1. Sic & acedia ex ſpirituali frigore & defectu charitatis oritur, per quod homo fit inſenſibilis ad diuina, & immobilis ad bona opera.

*Secunda.*

Secunda: Paralyſis eſt neruorum reſolutio. Si in cerebro ipſo læſio incidat, ſtatim omnibus partibus homo impotens inſenſibiliſque efficitur. Si in omnes corporis neruos, illicò totum corpus ſenſu motuque priuat, ac mortem celerem reſpirationis priuatione infert: quare paralyſis in eodem genere cum torpore eſt, ſed ab eo magnitudine differt, ait Galenus idem libr.1. cap.5. nam torpor eſt leuis quædam paralyſis, ait idem inferiùs ſub finem libr. 1. Sic acedia eſt torpor & paralyſis animæ, quæ omnes eius virtutes ita occupat & torpefacit, vt ad omnia pietatis officia impotens eſſe videatur: quare certam animę per peccatum mortẽ inducit. Sicut ergo piſciculus, qui à torpore, quem inducit, dicitur torpedo ſiue remora, quia naues, quibus ſe affigit, licet vento agitatas, remoratur & ſiſtit: ſic acedia omnes animæ vires & actiones remoratur & inhibet, illaſque torpore ſuo quaſi ſtupefacit, hebetat & obtundit.

*Tertia.*

Tertia: Pyralyſis in corpore ſequitur ad dominium phlegmatis; eadem eſt paſſio atræ bilis, ſiue melancholiæ: vnde contingit conceptis in horis melancholiæ, ait Galenus. Sic acedia oritur ex phlegmaticis & fluidis carnis voluptatibus, ex vini crapula & fluxu luxuriæ, Rurſum ex melancholicis cogitationibus & affectibus, qui in moroſa ſuperbiæ, iræ, luxurię, vindictæ deſideria hominem, etiam neſcientem, inducit.

*Quarta.*

Quarta: Paralyſis, ait Galenus, ſequitur apoplexiam. Rurſum paralyſis eſt totius corporis apoplexia. Sic acedia facit vt anima viuat quaſi mortua, & apoplexiâ icta videatur.

*Quinta.*

Quinta: ad paralyſin, ait Galenus, tendit pulſus ſtupidus: ſic cùm homo nullum rerum ſpiritualium habet ſenſum aut pulſum, ſignum eſt inſtantis acediæ ſummæ & lethiferæ.

*Sexta.*

Sexta: Paralyſis, ait Galenus, cauſat grauitatem vt corpus ponderoſum & plumbeum eſſe videatur, ideoque in grabato decumbit. Sic acedia mẽtem grauem plumbeamq; efficit, vt infelici cupiditatum carnis grabato affixa videatur; hinc in otium & ſomnum, æquè ac in gulam & luxuriam eſt procliuis. Vide Caſſian.l.10. Inſt.c.2. & 3.

*Septima.*

Septima: Apoplexia ſiue ſideratio (& conſequenter paralyſis, maximè contingit ſenibus, & in hyeme, & in pluuiarum multitudine, ait Hippocr. Aphoriſmo 16.23. & 31. ſect.3. Sic acedia veteranos inuadit, cùm nouitius ardor deferbuit. Longitudo enim temporis parit laborum tędiũ, præſertim cùm feruor charitatis æquè ac ætatis intepuit, ac cogitationum variarum ſenſualium, velut pluuiarum multitudine obruitur.

*Octaua.*

Octaua: Apoplexiam (& paralyſin) fortem curare eſt impoſſibile; leuem verò difficile, ait Hippoc. Aphoriſmo 42. ſect. 2. idem dicas de acedia & triſtitia. Audi S.Chryſoſt. epiſtol.8. ad Olympiam: *Triſtitia animarum crudele tormentum eſt, dolor quidam inexplicabilis, & iudicium omni iudicio vindictaq; deterius. Nam & vermi eſt ſimilis venenato: non ſolummodo carnem, ſed & animam ipſam perimens. Et tinea non ſolùm ad oſſa, ſed ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, ſed vires animæ conſumens: & iugis nox, ac tenebræ profundæ, & tempeſtas, & turbo, febris non apparens omni igni validiùs incendens, & pugna requiem non habens.*

*Triſtitia animarum tormentum crudele.*

*Nona.*

Nona: Paralyſin curant aut minuunt res calidæ, vt ſaliua & euphorbium, ait Galenus: item exercitium corporale. Sic acediam ſuperat charitas, id eſt, Dei amor, & feruor: item exercitatio tum corporis, tum mentis; Nam, vt ait Caſſianus lib.10. de inſtit. cap.vlt. *Experimento probatum eſt, acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam.* Acedia ergo laborans vi torporem excutiat, & ad laborem violenter ſe cogat, oportet: quod ſi fecerit, acediam ſuperabit & ſanabit.

VERS. 9. Luc. 5. 27. Mar. 2. 14. *Telonium. quid?*

ET CVM TRANSIRET (id eſt, diſcederet, abiret, pergeret. Ita Euthymius) INDE IESVS VIDIT HOMINEM SEDENTEM IN TELONIO, MATTHÆVM NOMINE, ET AIT ILLI: SEQVERE ME; ET SVRGENS, SECVTVS EST EVM] Τέλος Græcis eſt vectigal, inde telonium vocatur locus ſeu domus, in quo nautæ & mercatores ſoluebant nauium merciumque vectigal. Vnde in ea ſedebant telonarij publicani, id eſt, vectigalium redemptores & exactores (Hinc Perſicus pro *in telonio*, vertit *in domo ſolutionis*: Æthiopicus *in foro*; quia in loco publico, quale eſt forum, merces, & mercium vectigalia pendebantur) qualis erat Matthæus (vnde veriſimile eſt domum eius fuiſſe Capharnai, ad littus maris Galilææ; eò enim naues & merces appellebant) qui publica Senatus populique Romani tributa & vectigalia à ſubditis pendenda, certo conſtituto pretio redemerant, illaque à prænauigantibus applicantibus exigebant. Ita Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ p. 114. nu. 92. Addit Ianſenius, in c. 33. Concordiæ Euang. eos, qui accuratiùs terram ſanctã perluſtrarunt, aſſerere, locum, vnde vocatus fuit Matthæus, extra Capharnaum circa mare etiamnum demonſtrari. Marcus & Lucas dicunt Matthæum ſediſſe ad telonium, quia per telonium accipiunt non domum, ſed menſam, in qua numerabant pecuniam, pro vectigali ſoluendam. Myſticè τὸ *ſedentem in telonio* vrget B. Petr. Chryſol. ſerm. 29. *Sedebat vtique, quia ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſâ totus conſcientia fraudis incuruus. Aurum natura graue, grauius ſit auaritia, nimis. Hinc eſt, quòd plus habentem deprimit, quam ferentem, & vehementiùs aggrauat corda, quàm corpora. Naſcitur in terra profunda, perq; ima venarũ cæcis diſcurrit anfractibus, & dum ſuam ſemper repedat ad naturam, cæleſtes animos ad inferna deponit.* Contrà verò Zachæus, vbi animum à terrenis opibus exonerauit, ſtare dicitur: *Stans*, inquit, *Zachæus dixit ad Ieſum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Luc. 19. 8.

*Ex qua vrbe vocatus Matthæus.*

MATTHÆVM NOMINE] Nominat ſe Matthæus, tum humilitatis ſtudio, vt ſe publicanum & peccatorem fuiſſe toti orbi confiteatur, tum gratitudinis ergo, vt eximiam Chriſti erga ſe gratiam deprædicet, æquè ac facit S. Paulus. 1. Tim. 1. 15. *Fidelis*, ait, *ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Vide ibi dicta.

SEQVERE ME] quem iam audiſti in Capharnao cæleſtẽ doctrinam prædicare, eamque multis confirmare miraculis ac in primis recenti paralytici ſanatione. Vocat Matthæum *miraculorum iam fama perdomitum*, ait Chryſoſtomus. Vide hîc dignationem Chriſti, quâ Matthæum publicanum, ideoque apud Iudæos infamem, non tantùm ad gratiam, ſed & ad familiam ſuam, intimamque amicitiam & Apoſtolatum vocat.

ET SVRGENS SECVTVS EST EVM] Nota hîc efficaciam vocationis Chriſti, æquè ac promptam Matthæi obedientiam. Audi S. Hieronymum hîc: *Arguit in hoc loco Porphyrius, & Iulianus Auguſtus vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſint Saluatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti; cùm tantæ virtutes, tantaq; ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequam crederent, vidiſſe non dubium eſt. Certè fulgor ipſe & maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide & ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, vt annulos & ſtipulam & feſtucas ſibi copulent, quantò magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat?*

*Fulgor faciei Chriſti rapiebat ad ſe.*

Sicut ergo magnes trahit ad ſe ferrum, ambra paleas, ſol vapores; ſic Chriſtus ad ſe traxit Matthæum, atque hoc tractu ſuas ei virtutes cõmunicauit, ac præſertim eximium Dei amorem, contemptum mundi, ſtudium paupertatis, zelum animarum, ardorem prædicandi, &c. Vide quæ de efficacia & effectibus gratiæ, quà Chriſtus ad ſe traxit Saulum, fecitque Paulum, dixi Actor. 9. v. 6.

Audi modum conuerſionis S. Matthæi, quem ipſe reuelauit S. Birgittæ, oranti ad ſepulchrum eius Malphi l. 1. Reuelat. c. 129. *Voluntas mea talis erat eo tempore* (telonij) *quòd neminem defraudare volui, ſed deſiderabam inuenire viam, quâ ſepararem me ab officio iſto, & toto corde adhærerem Deo ſoli. Prædicante igitur amatore meo Ieſu Chriſto, tunc inflammabatur ſicut ignis verbum vocationis ſuæ in corde meo, ſic dulciter ſapuerunt verba ſua mihi, quòd de diuitijs & honoribus non plus cogitabam, quàm de paleis: imò mihi magis flere placuit, & gaudere quòd Deus meus tantillum & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam. Adhærens quoque Domino meo, verba eius ardẽtius cœpi infigere cordi meo, quæ nocte & die quaſi cibũ ſuauiſſimum guſtando cogitabam.*

ET FACTVM EST, DISCVMBENTE EO IN DOMO, MVLTI PVBLICANI ET PECCATORES VENIENTES DISCVMBEBANT CVM IESV ET DISCIPVLIS EIVS] *In domo* ipſius Matthæi, qui humilitatis ſtudio de ſe ſilet, quod virtutis eſt; prodit, quod vitij, ſcilicet quòd fuerit publicanus. Id liquet ex Luca cap. 5. 29. vbi ait: *Et fecit ei conuiuium magnum Leui* (ita vocabatur quoque Matthæus: erat enim binomius, vt & alij multi Iudæorũ) *in domo ſua.* Vnde ad illud à Matthæo inuitati fuêre ſocij eius publicani, ſimileſque peccatores, vt Chriſti beneuolentia, & doctrina allecti, ad illã ſequendam pari modo traducerentur. Nã Phariſæi eos, vt peccatores, auerſabãtur, nec cum eis edere aut loqui dignabantur: quare publicani malebant ſequi Chriſtum, quàm Phariſæos. Signum enim veræ cõuerſionis eſt, ſatagere alios ab iiſdem vel ſimilibus peccatis conuertere. Bonum enim eſt ſui diffuſiuum: & charitas inſtigat ad aliorum perditorum ſalutẽ procurãdam, cùm quis illam eiuſque ſuauitatem in ſeipſo expertus eſt.

VERS. 10. Luc. 5. 29. Mar. 2. 15.

*Signum veræ conuerſionis eſt zelus.*

Porrò publicanorum officium, licet ex ſe iuſtũ ſit, & ſine peccato exerceri poſſit, quia tamen illud ſæpè obibant homines quæſtui & auaritiæ planè addicti, qui vectigalia maiora æquo, præſertim à pauperibus extorquebãt, hinc apud Iudæos publicani erãt infames, & quaſi publici peccatores habebãtur, perinde vt apud Chriſtianos habẽtur publici vſurarij. Accedit, quòd olim Iudæi cõtenderent ſe velut populum Deo dicatum non debere ſubijci Romanis, vtpote Gẽtilibus & idololatris, nec eis tributa pendere: hoc enim eſſe contra libertatẽ & dignitatem filiorũ Dei: quare publicanos tributa exigentes deteſtabantur, imò hæc fuit cauſa rebellionis Iudæorum, ob quã exciſi ſunt à Tito & Veſpaſ. vt patet ex Ioſepho.

*An publicanorum officium ſine peccato exerceri poſſet?*

PECCATORES] Hi diſtinguuntur hîc à publicanis, velut ſocij à ſocijs. Quare peccatores hîc videntur vocari Iudæi diſſoluti, qui parum curantes legem & religionem Iudaicam, cum Gentibus gẽtiliter viuebant, vel ad Gentiliſmum deficiebãt: vnde publicanis erant familiares; quare Iudæis exoſi erant, vt publicani. Iudæi enim ſe vocabant populum fidelem & ſanctum, quia ſic eos vocarat Deus, Exodi 19. v. 6. Quare à ſe ſuaque lege Apoſtatantes vocabant peccatores.

*Qui peccatores hîc nominentur?*



VERS. 11. Luc. 5. 30. Mar. 2. 16.

ET VIDENTES PHARISÆI, DICEBANT DISCIPVLIS EIVS: QVARE CVM PVBLICANIS ET PECCATORIBVS MANDVCAT MAGISTER VESTER?] Non interrogantium, ſed accuſantium vox eſt, q. d. Chriſtus magiſter veſter facit contra legem Dei & Patrum traditiones, vt quid ergo eũ auditis & ſequimini? Verſatur enim cum peccatoribus, quare eorum vel peccata vel infamiam vobis afflat: quin ergo eum infamem & vos infamantem dimittitis? Hic erat paralogiſmus Phariſæorum, quem diluit & diſſoluit Chriſtus.

VERS. 12. Luc. 5. 31. Mar. 2. 17.

AT IESVS AVDIENS (ex relatu diſcipulorum; nec enim Phariſæi audebant Chriſto id obiectare) AIT: (non diſcipulis; ſed Phariſæis: ad eos enim, à quibus obmurmuratio profecta erat, ſeſe conuertit, vt patet ex ſequent.) NON EST OPVS VALENTIBVS MEDICVS, SED MALE HABENTIBVS] q. d. Non egent medico, qui rectè valent, ſed qui malè. Sicut ergo medicus non inficitur morbo ægrotorum, ſed potiùs morbum vincit, & ab ijs depellit, ideoque non dedecus, ſed decus medici eſt verſari cum ægris, eoſque curare, eoque maius, quò maior eſt eorum ægritudo: ſic pariter ego, qui è cælo in terras à Deo Patre miſſus ſum, vt ſim medicus peccatricium animarum, conuerſando cum eis, morbis & peccatis eorum non contaminor, ſed potiùs ea curo & ſano, quę mihi ſumma eſt laus (æquè ac ſummum eorum bonum) eoque maior, quò peccata ſunt maiora & grauiora. Ego ergo peccatorum ſum medicus, non ſocius. Vos verò, ô Phariſæi, peccatorum eſtis non medici, ſed ſocij, ideoque contaminati, infames, & vituperio digni: vultis tamen à populo haberi iuſti & ſancti, ideoque vobiſcum (vti velletis) non verſor, tum quia valentes, id eſt iuſti, quales vos eſſe dicitis, non egent medico ſpirituali; tum quia veſtram ſimulationem & hypocriſin auerſor.

VERS. 13. Luc. 5. 32. Mar. 2. 17.

EVNTES AVTEM (q. d. Abite à me, faceſſite è conſpectu meo: eſt enim vox repellentis & repudiantis) DISCITE, QVID EST (quod ait Oſee cap. 6. 6.) MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIVM] id eſt, miſericordiam malo, quàm ſacrificium, licèt hoc nobilius ſit, & nobilioris virtutis, putâ religionis actus, q. d. Miſericordiam ſequimini, ſicut ego, vt peccatores ſaluetis. Malo, inquam, miſericordiam, & miſereri miſerorum peccatorum, quàm vobiſcũ hoſtias offerre Deo ob cauſas, quas recenſui Oſee 6. v. 6. Vide ibi dicta, vbi de dignitate & præcellentia miſericordiæ annotaui.

Meritò exclamat hîc S. Bernardus ſerm. 16. in Cant. *O ſapientia, quantâ arte medendi in vino & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras! fortiter ſuauis, & ſuauiter fortis: fortis pro me, & ſuauis mihi! Oleum effuſum nomen tuum, non vinum effuſum: nolo enim vt intres in iudicium cum ſeruo tuo. Sed oleum, quia coronas me in miſericordia & miſerationibus. Oleũ planè, quod dum ſupernatat cunctis, quibus immiſcetur liquoribus, liquidò illud deſignat nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

*Cornel. à Lapide in Matth.*

NON ENIM VENI VOCARE IVSTOS, SED PECCATORES] Græca addunt εἰς μετάνοιαν, id eſt, *ad pœnitentiam*; ſicque habet Lucas & Arabicus hîc. Alioqui enim Chriſtus quoque vocauit Nathanaëlem, qui iam erat iuſtus, ad ſui ſequelam. Item B. Virginem, S. Ioannem & Eliſabetham, qui iam erant ſancti, vocauit ad maiorem ſanctitatem & perfectionem: ſed tamen prior quoque horum, quin & primorum Patrem, vt Abrahæ, Moſis, Dauidis, ſanctitas manauit ex præuiſis meritis Chriſti: quâ de causâ S. Auguſtinus, lib. 3. contra duas epiſt. Pelag. cap. 4. Abraham & omnes priſcos ſanctos vocat filios non tam veteris, quàm noui Teſtamenti, hoc eſt, Chriſti diſcipulos & Chriſtianos: omnes enim quaſi filij Adæ peccatoris eguerunt redemptione, fide, & gratia Chriſti: *Omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ* (glorioſã gratiâ) *Dei.* Rom. 3. 23. Ita S. Chryſoſtomus.

Aliter S. Hilarius Hieronymus, Beda, Theophylactus, & Euthymius, q. d. Non veni vocare iuſtos, eos ſcilicet, qui ſuperbè, ſed falsò ſe iuſtos æſtimant & iactitant, cùm reuera ſint peccatores & hypocritæ, quales vos eſtis, ô Scribæ & Phariſæi.

TVNC ACCESSERVNT AD EVM DISCIPVLI IOANNIS, DICENTES: QVARE NOS ET PHARISÆI IEIVNAMVS FREQVENTER, DISCIPVLI AVTEM TVI NON IEIVNANT?] *Tunc*, ſignificat paulò pòſt hæc contigiſſe: idem inſinuat Marcus c. 2. 18. & Lucas c. 5. 33. qui omnes hanc narrationẽ præcedenti murmuri proximè ſubnectunt. Phariſæi ergo iuſta ratione confutati à Chriſto, aliam hîc moliuntur criminationem, illamq; non diſcipulis, ſed ipſi Chriſto intentant. Subornant ergo diſcipulos Ioannis, vt occaſione ieiunij ſibi cum eis communis criminentur Chriſtum, quòd cum ſuis diſcipulis non ieiunet. Id ita eſſe indicat Marcus c. 2. 18. dicens: *Et erant diſcipuli Ioannis & Phariſæi ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi: Quare*, &c. Erat hoc ieiunium non lege præſcriptum (hoc enim, & cetera legis exactè ſeruabat Chriſtus cum ſuis) ſed vel à magiſtris ordinatũ, vel à diſcipulis hortatu magiſtrorum ſpontè aſſumptum. Vnde Lucas cap. 5. 33. ait eos dixiſſe: *Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequẽter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autẽ edunt & bibunt?* q. d. Tu vis eſſe reformator noſter & magiſter perfectionis, cur ergo nos ieiunamus, tu cum tuis genio indulges? *Diſcipuli Ioannis* cum Phariſæis vt habet Marcus; ita ſcilicet, vt Phariſæi diſcipulos Ioannis inſtigarent, & animarent ad proponendum idipſum Chriſto, vnde Phariſæorum tantùm meminit Lucas; diſcipuli verò Ioannis nomine ſuo & Phariſæorum, rem Chriſto proponerent; vnde eos ſolos nominat hîc Matthæus. Premunt verò vrgentque Chriſtum Ioannis Baptiſtæ auctoritate (hæc enim ſumma erat apud Iudæos) ſed imperitè & præſumptuosè: *Fuit* ergo hæc *ſuperba interrogatio*, ait Interlinearis, *& plena ſupercilio Phariſæorum: Reprehendendi enim*, ait ſanctus Hieronymus, *ſunt Ioannis diſcipuli, & ob ieiunij iactantiam, & quia ſe iungebant Phariſæis à Ioanne damnatis, & quia calumniantur à Ioanne prædicatum.* Sic ſuperbus ille Phariſæus non tam Deum orabat, quàm ſe iactabat, dicens: *Ieiuno bis in Sabbato*, id eſt, in hebdomada. Lucæ cap. 18. verſ. 12. Porrò diſcipulos

VERS. 14. Luc. 5. 33. Mar. 2. 18.

*Ieiunium diſcipulorum Ioannis.*

Ioannis hæc dixiſſe ex zelo magiſtri ſui Ioannis in inuidiam Chriſti, vt Ioannem præferrent Chriſto, colligitur ex Ioannis capite 3. verſ. 26. Similem zelum etiamnum ſubinde videmus in viris alioqui probis, qui ſuum fundatorem vel patronum ceteris omnibus præferre ſatagunt; qua in re adhuc animales ſunt ac pueriles, produntque occultam vanitatem & arrogantiam, quâ per magiſtrum ipſimet ceteris antecellere contendunt. Tales erant Corinthij, dicentes: Ego ſum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo, quos acriter quaſi animales caſtigat Apoſtolus. 1. Corinth. 3. 3. *Cum*, inquit, *ſit inter vos zelus & contentio, nónne animales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis*, &c.

Vers. 11. Luc. 5. 33. Mar. 2. 18.

Et ait illis: Nvmqvid possvnt filii sponsi lvgere, qvamdiv cvm illis est sponsvs? Venient avtem dies, cvm avferetvr (Syrus, *tolletur*, Arabicus, *ſubleuabitur*) ab eis sponsvs, et tvnc ieivnabvnt] Sponſus eſt Chriſtus, quia humanam naturam, & per eam Eccleſiam ſibi in incarnatione deſpōdit, ac perpetuo coniugij vinculo copulauit. Hoc coniugiū Chriſtus inchoauit per gratiam in terra. Matth 22. v. 2. ſed per gloriam cum electis cōſummabit in cælo, vbi erunt perpetuæ nuptiæ Agni. Apoc. 19. 7. Hinc Ioannes Baptiſta vocat ſe amicum ſponſi, id eſt, Chriſti, Ioan. 3. 29. idque audierant diſcipuli Chriſti: vnde ſciebant ſponſum vocari Chriſtum. *Filij ſponſi*, Græcè υἱοὶ νυμφῶνος, id eſt, filij thalami nuptialis, & *nuptiarum*, vt habet Marcus c. 2. 19. id eſt, qui nuptijs & thalamo ſponſi gaudent, & nuptialibus gaudijs perfruuntur, ſcilicet familiares ſponſi, eiuſque intimi amici, qui ad ſecretum eius cubiculū & thalamum admittuntur, vt familiariter cum eo agāt, eiuſque ſecreta audiant. Noſter vertit *filij ſponſi*, quia νυμφὼν & ſponſum, & cubiculum nuptiale, ſiue thalamum, vt vertit Suidas & Syrus, ſignificat. Simili Hebraiſmo vocantur filij obedientię, qui obedientiam adamant eaque gaudent: filij iniquitatis, qui iniquitatem diligunt: filij ſuperbiæ, qui eam impensè ſectantur, valdeque ſunt ſuperbi. *Lugere*, id eſt, ieiunare. Eſt cathachreſis: in luctu enim ieiunabant, & ieiunium facit homines mœſtos, ſicut cibus & vinum facit iouiales & hilares. Luctus ergo eſt luctuoſum ieiunium. Senſus eſt, q. d. Mirum non eſt diſcipulos meos non lugere, ac per conſequēs non ieiuniare, cùm me ſponſo, meiſque nuptijs fruantur: in nuptijs enim decent modeſtæ epulæ & conuiuia, dedecent ieiunia: filios autem ſerui, ſcilicet diſcipulos Ioānis Baptiſtæ, qui meus eſt ſeruus, quique auſteram & triſtem vitam degit vt homines inducat ad pœnitentiam, atque oneroſam Moſis legem (vtpote adhuc vigentem) ſuis imponit: hos, inquam, decet luctus, auſteritas & ieiuniū: hi enim per luctum & aſpera ieiunij pœnitentiæque opera oſtendebant, & parabant peccatoribus viam ad lætas nuptias ſponſi Chriſti: at morietur, auferetur que ſponſus Chriſtus, tuncque diſcipuli eius lugebunt & ieiunabunt. Alludit ad veterem morem lugendi mortuos, adhibito ieiunio: ſolēt enim qui lugent, cibo abſtinere. Ita Hebræi luxerunt Saulem mortuum, ieiunando ſeptem diebus. 1. Reg. 13. 13. ac cæſos in prælio. Iudic. c. 20. 26. ac Ionathan, 1. Reg. 7. ac cladem illatam ab Antiocho 1. Mach. 3. 47.

*Filij ſponſi quinam?*

*Lugere eſt ieiunare.*

*Nouitij leniter tractandi. Exempla.*

Significat hic Chriſtus, nouitios in fide & religione leniter & blandè tractandos, vtpote teneros adhuc & quaſi pueros in ſpiritu, donec creſcant & adoleſcant in virtute, ne ſi initio dura & ardua eis imponantur, deſperent, aut deſerant inchoatam virtutis viam. Ita exemplo Chriſti tractantur benignè nouitij in religionibus benè cōſtitutis, ibique quaſi lactantur conſolationibus diuinis & humanis, tum à Deo, tum à præfecto ſuo & magiſtro. Quocirca S. Pacomius, qui regulam ordinis ſui ab Angelo accepit, voluit nouitios per triennium in ea ſenſim inſtrui & perfici, ſicut Chriſtus Apoſtolos in ſua ſchola per triennium lactauit & erudiuit. Idem grauiter caſtigauit coquum, quòd iunioribus intaculum à ſe præſcriptū non præparaſſet, vt habet eius vita. Hic eſt ordo naturæ; pueri enim lacte, adulti cibo ſolido duroque nutriendi ſunt.

Huc facit exemplū priſci Abbatis probatiſſimi, qui hoſpites ante canonicam refectionis horā prandio excepit, ac rogatus cauſam dixit: *Ieiuniū, fratres, ſemper eſt mecum: vos autem continuò dimiſſurus, mecum iugiter tenere non potero, Itaq; Chriſtum in vobis ſuſcipiens reficere eum debeo: & cùm vos deduxero diſtrictionem ieiunij in memetipſo potero compenſare. Non enim poſſunt filij ſponſi ieiunare, donec cum illis eſt ſponſus; cùm autem deceſſerit; tunc licitè ieiunabunt.* Ita referunt Caſſianus & Sulpitius lib. 4. in Vitis Pat. c. 32. Simile fecit ille Magnus S. Spiridion Trimytuntis Epiſcopus.

Porrò poſt mortem Chriſti Apoſtoli ſæpè ieiunarunt, & fame ſitiq; laborarunt, ac vitam auſteram egerunt in continuis peregrinationibus, laboribus, perſecutionibus, fame & ſiti, vti de ſe fusè narrat Apoſtolus 2. Cor. 11. Sic in vita S. Petri legimus, eum aſperam egiſſe pœnitentiam, vt non niſi panem cum oliuis comederet, aut, vt ait S. Gregorius Nazianz. orat. de Amore pauperum, non niſi pane cum lupinis, vel herbis, aut leguminibus veſceretur.

*Græcorum ieiunia. Vnde?*

Hinc in Eccleſia Orientali, ait S. Epiphanius, hæreſi 75. ſub finem, Chriſtiani ieiunant feriâ 4. & 6. ſiue die Mercurij & Veneris, vti etiamnum fit in Græcia, Polonia, Hollandia. Ceteri verò Occidentales feriâ ſextâ & Sabbato carnibus abſtinent, quia ſponſus feriâ quartâ proditus eſt à Iuda Iudæis: feriâ ſextâ crucifixus eſt & mortuus, Sabbato ſepultus, planéque ablatus, vti docet S. Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum. Addit Innocentius 1. epiſt. ad Lugubinum cap. 4. feriâ ſextâ & Sabbato ieiunandum eſſe, quia eo biduo mœſti Apoſtoli ob Chriſti mortem iuiunārunt. Addit Epiphanius Chriſtianos olim in ieiunio non comediſſe niſi panem, ſalem & aquam, idq; ex decreto Apoſtolorum.

*Quadrageſima Montani poſt Paſcha.*

Ex hoc loco Montanus hæreſiarcha ſecundam poſt Paſcha (in quo occiſus & mortuus eſt Chriſtus) & Pentecoſten induxit quadrageſimam, in ſpeciem, quòd mortem Chriſti lugendam diceret: ſed ſic oporteret Chriſtianos Chriſto ſuo iam mortuo, totâ vitâ ieiunare. Montanum ſecutus Tertullianus in eius hæreſin iam prolapſus, vt eius ieiunium propugnaret, ſcripſit librum de Ieiunijs contra Pſychicos, id eſt, Chriſtianos animales & carnales, vti ipſe eos nominabat.

*Tropologicè.*

Tropologicè S. Hieronymus: Cùm ſponſus Chriſtus, ait, à nobis propter peccata diſceſſerit,



ſerit, tunc maximè ſuſcipiendus eſt luctus, & ieiunium.

S. Hilarius verò & S. Ambroſius: Sponſum Chriſtum, inquiunt, præſentem habemus, & aſſiduè eius corpore paſcimur in Euchariſtia: illi verò, quibus ſponſus non eſt præſens (per gratiam; vti ſunt, qui viuunt in peccato mortali) iugiter ieiunant & eſuriunt, eò quòd cibo vitæ careant. Addit S. Ambr. in c. 5. Lucæ explicans τὸ *auferetur* ab illis ſponſus: *Nemo tibi Chriſtum poteſt auferre, niſi ipſe te auferas illi: non ergo te auferat iactantia tua, non te auferat arrogantia.*

Symbolicè ſignificat Chriſtus ſe ſalutis & lætitiæ publicæ totius mundi non ſolùm eſſe nuntiū, ſed & auctorem, vti ſponſus eſt auctor conuiuij & ſymphoniæ, lætitiæque nuptialis.

Vers. 16. Luc. 5. 36. Mar. 2. 21.

*Parabola commiſſuræ panni rudis ac veſtimēti veteris.*

Nemo avtem immittit commissvram panni rvdis in vestimentvm vetvs: tollit enim plenitvdinem eivs a vestimento (Arrabicus addit *veteri*) et peior scissvra est] Nota primò: Pro *commiſſuram* Græcæ eſt ἐπίβλημα, id eſt, additamentum & aſſumentum, S. Auguſtinus & Tertullianus libr. de Orat. cap. 1. vocant *plagulam*. Syrus *fruſtum panni*. Alij *panniculum*. Flandri clarè *een lap*. Itali *vn pezzo*. Vnde S. Franciſcus volebat ſuos fratres geſtare veſtes *rappeciatas*, quaſi pauperes. Sic enim videmus mendicos veſtes ex multis panniculis, & ſæpè diuerſicoloribus conſarcinatas geſtare, vt ſi omnes numeres, ſubinde centum inuenias, indeque centones dicti.

Panni rvdis] id eſt panni impoliti & impexi, qualis eſt cùm à textoribus ad fullones præparandus & tingendus defertur. Patet ex Græco ἄγναφος, α enim eſt priuatiuum, γναφεὺς eſt fullo, vnde hereſiarcha ille olim addens Triſagio: *Qui crucifixus eſt pro nobis*; quaſi tota Trinitas ſit crucifixa, aut tota Trinitas ſit Chriſtus, dictus eſt Petrus Gnaphæus, quia arte erat fullo. Lucas habet *commiſſuram noui Teſtamenti*, tale enim eſt pannus nouus & rudis: vnde Itali veſtes vocant pannos: fieri etiam poteſt, vt vtraque phraſi, ſcilicet panni & veſtis vſus ſit Chriſtus.

Plenitvdinem (vocat integritatem) eivs (id eſt, ſuam) a vestimento] ſcilicet veteri: ſi enim aſſuas fruſtum panni noui veſtimento veteri, tolles eius integritatem, vt iam non vnum vetus eſſe videatur, ſed duo, ſcilicet partim vetus, partim nouum.

Nota ſecundò: Senſus parabolæ eſt, q. d. Veſtis vetus, ſi ſit lacera, ſimili veteri aſſumēto, panníque fruſto reſarcienda eſt, non nouo, hoc enim nouum, ſi aſſuatur veteri, tollit plenitudinem, id eſt, integritatem *eius*, id eſt *ſuam*, à veſtimento, ſcilicet veteri, cui aſſuitur, vt ſcilicet non videatur vnum plenum, id eſt, integrum & homogeneum eſſe veſtimentum, ſed heterogeneum & multiplex, quia partim vetus, partim nouum, ideoque illud deformat & deturpat: quare qui tale ſupplementum vel aſſumetum nouum veteri aſſuerit, videns eius deformitatem, ſtatim illud detrahit & aufert, vt habet Marcus c. 2. v. 21.

Et (ſic) peior scissvra fit] quàm ſcilicet antè fuerat, cùm veſtis eſſet lacera: *ſciſſura*, inquam id eſt, diuiſio partium veterum ſibi ſimilium per noui aſſumentum, & rurſum per detractionem illius. Peior ergo ſciſſura fit, quia quod additum fuit ad eam reſarciendam, hoc eam lacerat magis: vnde iterùm ex eo exſcinditur, tumque maior ſciſſura fit.

Simili ſchemate de Iulio Cæſare dixit Tullius: *Cæſar cum quoſdam* (indignos ſenatoriâ dignitate) *ornare voluit, non illos honeſtauit, ſed ornamenta ipſa turpauit*, ait S. Hieronymus ad Pammachium; perinde ac qui aſino torquem auream circumdat, non honeſtat aſinum, ſed torquem dehoneſtat.

Aliter Ianſenius cum Syro, quaſi dicat *tollit*, ſcilicet herus veſtis, cùm offenſus diſſimilitudine & deformitate panni noui & veteris, aufert *plenitudinem* ſuam, id eſt, ſupplementum ſiue fruſtum ſuum nouum, quod aſſuerat veteri, vt eius ſciſſuram impleret, à veteri veſtimento, & ſic eo ablato maior & peior fit ſciſſura in illa veſte. Verùm hoc remotius eſt à verſione Latina vulgati interpretis.

Nota tertiò: Addit Lucas cap. 5. verſ. 36. *Alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commiſſura à nouo*; quaſi dicat: Alioqui fit noui panni ruptura (quia ſcilicet ex nouo panno præſcinditur aſſumentum aſſuendum ad vetus veſtimentum) & ſimul perditur ipſum nouum aſſumentum, quod Lucas vocat commiſſuram, quia cùm illud veteri aſſutum, ibi nullum habeat vſum, ſed planè dedeceat, rurſum detrahitur & abiicitur.

Nota quartò: Parabola hæc ita eſt accommodanda rei propoſitæ; quaſi dicat: Sicut nouum pannum nemo aſſuit veteri veſti, ſed nouum nouæ, veterem veteri: ſic ego, qui ſum prudentiſſimus & ſuauiſſimus animarum medicus, perſpiciens diſcipulorum meorum, qui ſunt, veſtimentum vetus & vtres veteres, vt ſequitur, veterem & priſtinam conſuetudinem, infirmitatem & libertatem, necdum eis impono tam duras & rigidas pœnitentias ac ieiunia (cùm illa non ſint lege præſcripta, ſed voluntaria & libera) ne & doctrinæ meæ fructus apud ipſos pereat, & ipſi deſperatione acti, me & ſalutem ſuam deſerant, ſed expecto dum innouentur ſpiritu cæleſti à me mittendo in Pentecoſte, vt vetuſtate & infirmitate depoſitâ, innouati nouam auſteritatem nouaque ieiunia ſuſcipiant; idque non coactè & ex metu pœnarum, vti faciebant Iudæi, ſed ſponte, & ex amore: lex enim noua Chriſti amoris & libertatis eſt, ſicut lex vetus fuit timoris & ſeruitutis: ſic Apoſtolos poſt Pentecoſten crebrò ieiunaſſe, patet Actor. 13. v. 2. & 3. 2. Corinth. c. 6. 5. Actor. 27. 9. & alibi. Ita Euthymius, Theophylactus, Maldonatus, Ianſenius, & alij. Minùs appoſitè Tertullianus, lib. de Orat. cap. 1. & lib. 3. contra Marc. cap. 15. per vetus veſtimentum & veteres vtres accipit legem veterem; per pannum verò rudem & nouum intelligit legem nouam ſiue Euangelium: lex enim noua veterem reformauit, & quaſi nouam effecit. Nam præciſè & adæquatè per vetus veſtimentum & nouum intelliguntur Apoſtoli, iam adhuc ex veteri comedendi libereque viuendi conſuetudine vetuſti, ſed in Pentecoſte ſpiritu temperantię & auſteritatis innouandi, vt dixi.

Neqve mittvnt vinvm novvm in vtres veteres: alioqvin rvmpvntvr vtres, et vinvm effvnditvr, et vtres perevnt; sed vinvm novvm in vtres novos mittvnt (vinitores) et ambo con- Vers. 17. Luc. 5. 37. & 38. Marc. 2. 22.

SERVANTVR ] Chriſtus probat diſcipulis ſuis ſe præſente non eſſe ieiunandum, triplici ſimilitudine, ſiue parabolâ: Prima ſponſi, & nuptiarum, verſ. 15. Secunda, veſtis veteris & nouæ, verſ. 16. Tertia, vini noui, & vtrium nouorum, hîc. Senſus eſt. q.d. Sicut vinũ nouum, ſiue muſtum bullientis ſpiritus, æſtuantiſq; caloris violentiâ rumpit vtres veteres, vtpote debiles & tritos; vnde duplex fit damnum, primò, quòd vtres frangantur; ſecundò, quòd vinum effundatur: quare vinum nouum in nouos vtres infundendum eſt, vtpote qui noui & robuſti ferant vim muſti; nec eo efferueſcente diſſiliant: ſic prorſus nouæ auſteritates & ieiunia diſcipulis meis adhuc vetuſtis imponenda non ſunt, ne ipſi animo frangantur & abeant, ſed expecto dum per Spiritũ ſanctum in Pentecoſte innouentur, fiantque ſpiritu robuſti & feruẽtes: tum enim ſponte ſua illa capeſſent, vti dixi v. 16. Verè dixit Horat.

*Sincerum eſt niſi vas, quodcumq; infundis, aceſcit.*

Sic quoque auſtera & perfecta vita, non niſi purgato à vitijs animo, puro & nouo conuenit, alioqui aceſcit & amareſcit tam auſteritas, quàm ipſe animus.

*Noua hirundo, nouũ ver.*

Huic parabolæ ſimile eſt vetus prouerbium: *Nouum cribrum, nouo paxillo*, quod citat Nonius ex Varronis Eumenidibus, vbi dicitur primus Zeno nouam hæreſim nouo paxillo ſuſpendiſſe, quia Zeno Athenis inuenit nouam ſectam Stoicorum, idque nouis rationibus & paradoxis. Et illud: *Noua hirundo, nouum ver*; vnde Rhodij, teſte Theognide apud Athenæum libr. 8. quotannis publicis vocibus ſub ver inuitabãt hirundinem, vociferantes; *Veni, veni hirundo pulchra tempora adducens, ac pulchros annos.*

Hiſce oppoſitum eſt adagium: *Noua Hymetia, falerna vetera*, dici ſolitum, cùm res diuerſæ, putà nouæ & veteres optimè miſcentur. Hymetia enim ſunt mella, quæ in Hymetto, qui mons eſt Atticæ, colliguntur, præſtantiſſima, teſte Plinio l. 11. c. 13. Vnde Martial. l. 7. 87.

*Paſcat & Hybla meas, paſcat Hymettos apes.*

Mel enim optimum eſt recentiſſimum, vinum verò optimum eſt vetuſtiſſimum, teſte Macrobio lib. 7. Saturn. Si vtrumque miſceas, erit potus delicatiſſimus. Vnde adagium: *Mulſum quod probe temperes, miſcendum eſt nouo Hymettio* (melle) *falerno* (vino) *vetulo.*

VERS. 18. Luc. 8. 41. 42. Mar. 5. 22. *Filia Iairi à morte ſuſcitatur.*

HÆC ILLO LOQVENTE AD EOS, ECCE PRINCEPS VNVS ACCESSIT, ET ADORABAT EVM, DICENS: DOMINE ECCE FILIA MEA MODO DEFVNCTA EST: SED VENI, IMPONE MANVM TVAM SVPER EAM, ET VIVET ] *Princeps*, ſcilicet *ſynagogæ*, vt addit Lucas, qui ſynagogæ Capharnaenſi præerat. Hæc enim geſta ſunt in littore maris Galilææ vicino vrbi Capharnaum, vt patet Marci 5. 21. 22. Marcus ait: *Archiſynagogorum vnus*; plures enim præerant vni ſynagogæ, qui ſcilicet eam, & populum ad eam conuenientem moderabantur, docebant & regebant, vt faciunt nunc ſacerdotes in templis. Nomen illi erat *Iairus*, vt habet Marcus c. 5. 22. *Iairus*, vel vt Hebræi dicunt, *Iair* idem eſt, quod ſplendebit, vel *illuminabit*, à radice אור *or*, id eſt, *luxit*: Iairus enim velut Archiſynagogus populum illuminabat, legemque docebat.

ADORABAT EVM] ſcilicet *procidit ad pedes eius*, vt habent Marcus & Lucas.

A FILIA MEA (annorum duodecim, vt habet Lucas) MODO DEFVNCTA EST; SED VENI] Matthæus breuitati ſtudens, rei geſtæ ſubſtantiam perſtringit potius, quàm hiſtoriæ ſeriem enarret. Nam, vt patet ex Luca & Marco, necdum mortua erat filia, cùm primò venit ad Chriſtum pater Iairus, rogans & dicens: *Veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet*; cumque ſimul progrederentur, accurrit quidam Iairo, nuntians mortem filiæ, monenſque eum, vt re iam deſperatâ Chriſtum relinqueret. Vnde Chriſtus, vt videtur, eum in fide vacillantem confirmat & ad firmam fidẽ, ſpemque ſanandæ filiæ erigit: ille in ſpem erectus, Chriſtum ſequitur, & domum ſuam deducit, rurſum tacitè, vel expreſsè & conceptis verbis rogans Chriſtum, vt filiam iam mortuam ſuſcitaret, vt habet hîc Matthæus.

B Aliter S. Chryſoſtomus, & Theophylactus: Defuncta eſt, inquiunt, id eſt, morti proxima: ſolent enim miſeri ærumnas ſuas augere, & calamitates exaggerare, vt faciliùs opem, quam implorant imperrent. Addit S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 28. quòd conijcere poterat pater filiam, quam agonizantem reliquerat, tempore itineris ſui eſſe defunctam: *Ita enim deſperauerat*, ait S. Auguſtinus, *vt potiùs vellet eam reuiniſcere, non credens viuam poſſe inueniri, quàm morientem reliquerat.*

SED VENI, IMPONE MANVM ] Viderat vel audierat Iairus, Chriſtum plures ægros Capharnai impoſitione manus ſanaſſe, idem ergo ſperabat facturum filiæ ſuæ; impoſitio enim manus eſt tum poteſtatis & dominij, tum voluntatis propenſæ & attentæ ad ſanandum. Minor fuit fides

C Iairi, quam Centurionis credentis, Chriſtum abſentem ſolo verbo poſſe ſanare ſuum famulum c. 8. v. 8.

VERS. 19. Luc. 8. 42. Mar. 5. 24. *Chriſti quanta facilitas.*

ET SVRGENS IESVS, SEQVEBATVR EVM ET DISCIPVLI EIVS] Græcè ἐγερθεὶς, id eſt, *cùm ſurrexiſſet*. Veriſimile eſt enim Chriſtum ſedẽdo docuiſſe turbas, indeq; à Iairo rogatum ſurrexiſſe. Nota hîc Chriſti facilitatem, & promptitudinem ad benefaciendum & opitulandum afflicto. Idem imitentur Chriſtiani: Mira, ait S. Chryſoſtomus, Chryſti humilitas & manſuetudo, ſtatim ſequentis rogantem. Prælati etiam hîc ſollicitudinem demonſtrauit. Addit S. Chryſoſt. quod Chriſtus primus interpellans à Iairo, tardiùs incedebat, & plura ſit locutus mulieri à ſanguinis fluxu curatæ, vt moreretur interim puella, & manifeſta fieret reſurrectionis demonſtratio.

VERS. 20. Luc. 8. 33. 44. Mar. 5. 33. 34.

D ET ECCE MVLIER, QVÆ SANGVINIS FLVXVM PATIEBATVR DVODECIM ANNIS, ACCESSIT PETRO, ET TETIGIT FIMBRIAM VESTIMENTI EIVS] *Mulier* ex Cæſarea (quæ priùs *Dan*, poſteà *Paneas*, deinde à Philippo filio Herodis tetrarcha amplificata, in gratiam Tiberij Cæſaris dicta eſt *Cæſarea*) Philippi, vt patet ex hiſtoria, quam de eadem narrat Euſebius Cæſarienſis lib. 7. Hiſtor. c. 14. Cetera de muliere hac à Chriſto ſanata fuſiùs narrat Marcus c. 5. quare ibi commodiùs explicabuntur.

VERS. 23. Luc. 8. 52. Mar. 5. 38. *Tibicines in funere. Curt*

ET CVM VENISSET IESVS IN DOMVM PRINCIPIS, ET VIDISSET TIBICINES ET TVRBAM TVMVLTVANTEM ] *Tibicines*, qui, vt ait S. Ambr. in cap. 8. Lucæ v. 52. in funere conducti triſte modulantes carmen, & nænias, amicis & vicinis luctum & lachrymas ciebant ob mortem defuncti, idque



idque faciebant nõ tantùm viri, ſed & feminæ lamentatrices, de quibus Ierem. 9. 17. *Vocate*, ait, *lamentatrices, & veniant, &c. & deducant ſuper nos lamentum: deducant oculi noſtri lachrymas, & palpebræ noſtræ defluant aquis.* Hic erat mos apud Iudæos: idem fuit apud Gentiles, qui in morte ſuos habebant planctores & planctrices, quas Nonius Marcellus, Feſtus Pompeius & Varro Præficas vocant eò quòd planctui præficerentur; de quibus Ouidus lib. 6. Faſtor.

*Cantabat mœſtis tybia funeribus.*

Notat Lactantius Placidius in librum 6. Statij & Theoph. hîc veteres in funere virorum tubâ, in funere puerorum & virginum (qualis erat filia Iairi hîc) tibiâ ceciniſſe, idq; in ſignum virginitatis, ait Theoph. Vnde Statius lib. 6. Thebaidos:

*Tibia cui teneros ſuetum deducere manes.*

Vide de Præficis Alexandrum ab Alexandro lib. B 3. Genial. c. 7. & ibi Tiraquellum.

VERS. 24. Luc. 8. 52. & 53.

DICEBAT: RECEDITE (diſcedite à luctu & lamentis) NON EST ENIM MORTVA PVELLA, SED DORMIT ] Verè mortua erat puella, vt patet ex verſ. 18. Chriſtus tamen id negat, aitque eam dormire: Primò, quia, vt ait S. Hieron. & Theophyl. Deo & ſibi, cui omnia viuũt, non erat mortua: & quia reſuſcitanda erat in reſurrectione communi, quæ fiet in die iudicij: qua de cauſa paſſim in Scriptura mortui vocantur dormientes, tum vt horror mortis, & immodicus luctus mortuorum leniatur nomine ſomni; tum ob ſpem reſurrectionis, atq; inde manauit pius Chriſtianorum ſermo, vt cùm quis mortuus eſt, dicant: *Obdormiuit in Domino.* Vide S. Paulum 1. Theſſ. 4. v. 12. & ſeq. Secundò, & meliùs quia

*mors vacatur ſomnus. Curt*

C hæc puella non erat mortua eo modo, quo turba putabat, ſcilicet omninò & abſolutè, quaſi ad vitam reuocari non poſſet, cùm tamen ſecundùm extraordinariam Dei prouidentiam id fieri poſſet, ac reipſa ſtatim futurum eſſet: Vnde non tam eſſe mortua, quàm dormire dumtaxat ad modicum tempus videbatur. Sic Lazarum defunctum ſed mox à ſe reſuſcitandum, Chriſtus ait dormire, Ioan. 11. 11. Ita Maldonatus, Ianſen. Franc. Lucas. Toletus, & alij. Denique vicina & cognata ſunt mors & ſomnus: nam mors videtur eſſe ſomnus diuturnus, & ſomnus videtur eſſe mors; vnde Poëta:

*Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*

Porrò anima huius puellæ defunctæ, vti & animæ aliorum, quos Chriſtus & Sancti à morte ſuſcitarunt, non fuit iudicata, nec damnata ad D gehennam vel purgatorium, ſed à Deo ſuſpenſum fuit eius iudicium, quia volebat eam Deus mox reſuſcitare.

Addit Chryſoſtomus, Chriſtum hac phraſi oſtendere, ſibi tam facile eſſe ſuſcitare mortuos à morte, quàm dormientes à ſomno; ideoque non timendam eſſe mortem, quia, ipſo accedente, mors non mors, ſed ſomnus eſt.

VERS. 25. Luc 8. 54. & 55. Mar. 5. 41. & 42.

ET DERIDEBANT EVM] Quia animales non capiebant diuinum Chriſti ſpiritum, vim, & cõſilium. Permiſit hoc Chriſtus, vt teſtatior eſſet mors puellæ, ait S. Chryſoſtomus, indeque maior admiratio ſuſcitationis eiuſdem, ideoque in Chriſtum eam ſuſcitantem crederent.

ET CVM EIECTA ESSET TVRBA, INTRAVIT (cum puellæ parentibus ac Petro, Iacobo & Ioanne, ait Marcus: Hos enim primarios Apo-

A ſtolos voluit eſſe teſtes, vti ſuæ transfigurationis, paſſionis, mortis, & reſurrectionis, ſic & huius ſtupendæ ſuſcitationis puellæ) ET TENVIT MANVM EIVS, ET SVRREXIT PVELLA ] Eiecit ergo Chriſtus turbam; non enim digni erant, ait Interlinearis, videre, quòd non credebant; &, vt ait S. Hier. *indigni erant*, qui viderent myſterium reſurrectionis; ſuſcitantem enim irriſerant. Docet nos Chriſtus, cùm magni aliquid molimur, turbas mentem diſtrahentes ac tumultus vitare, vt mens collecta tota operi intendat, ac orationi, Deoque inuocando vacet. Tropologicè S. Gregorius 18. Moral. c. 28. Eijcienda, ait, eſt de corde ſæcularium curarũ multitudo, vt anima mortua reſurgat. Symbolicè Gloſſa: Reprobatis irriſoribus, inquit, intrauit Chriſtus in electorum mentes Anagogicè S. Hilarius: Vt rarus, inquit, B electorũ numerus intelligatur, turba expulſa eſt.

TENVIT ] Græcè ἐκράτησε, id eſt, prehendit, vi tenuit, occupauit; ſicut prætor inijcit manum in reum, cùm eum apprehendit, vincit, ſibique captiuum domat & ſubiugat. Notat ergo hæc vox efficacitatem, vim, & imperium Chriſti, quâ tenuit manum mortui cadaueris, tamquam illi dominans, imperans, & potenter efficiens, vt à morte ad vitam reſurgeret. Manu enim corpus iacens è terra eleuauit, animamque ex inferno in illud reuocauit, vt viua reſurgeret. Syriacè ei dicens & imperans: *Talitha cumi*, id eſt, puella ſurge, vt habet Marcus c. 5. 41. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & viuificat; ſic & Filius, quos vult, viuificat.* Ioan. 5. 21.

ET SVRREXIT PVELLA] Græcè ἠγέρθη, id eſt, C experrecta eſt, euigilauit. q. d. Tam facilè eam ſuſcitauit Chriſtus, atque ſi dormientem expergefeciſſet. Addit Marcus: *Et iuſſit illi dare manducare* (vt magis ſuſcitatio eius vera eſſe appareret) *& obſtupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent quod factum erat.* Id præcepit Chriſtus, tum modeſtiæ & humilitatis ſtudio, vt doceret nos pręclara noſtra facta nõ oſtentare, ſed occultare; tum vitandæ iræ & inuidiæ Phariſæorum cauſa, ne eã tot miraculis à ſe patratis accenſam, tanto miraculo magis inflammaret.

VERS. 26.

ET EXIIT FAMA (miraculi huius) IN VNIVERSAM TERRAM ILLAM] Putà in totam Galileam. q. d. Omnes diuulgarunt & celebrarunt hanc ſuſcitationem puellæ à Chriſto factam, velut opus nouum, inauditum & diuinum, ac conſequenter Chriſtum, velut Prophetam, imò Meſſiã deprædicarunt.

*Allegor.*

D Allegoriam de Eccleſia habet S. Hilar. Ambroſ. Hieronymus: Hæmorrhoiſſa, inquiunt, à fluxu ſanguinis curata verſu 22. ſignificat populum Gentium, qui præripuit ſanitatem & ſalutẽ animæ ante filiam Archiſynagogi, id eſt, ante Iudæos, qui poſtquam plenitudo Gentium intrauerit in Eccleſiam, conuertentur ad eamdem, & ſaluabuntur in fine mundi. Vnde Gloſſa: Iairus, inquit, id eſt, *illuminans*, vel *illuminatus* eſt Moſes, qui videns Dominum in carne venturum, rogat pro filia, id eſt, ſynagoga, quæ lege & Prophetis educata, erroribus languens, in peccatis moritur; in domo tamen id eſt, in Dei cultu. Et S. Hieron. *Vſque hodie*, ait, *iacet mortua ſynagoga: & qui videntur magiſtri* (Rabbini Iudæorum) *tibicines ſunt, carmen lugubre canentes, & turba Iudæorum non credentium eſt, ſed tumultuantium.*

*Iairus, id eſt, illuminans, ſeu illuminatus.*

Tropo-

*Tropol.* Tropologicè tam Hęmorrhoiſſa à fluxu ſanguinis curata, quàm filia Iaïri,ſuſcitata à Chriſto,ſignificat animam peccatricem, quam Chriſtus à morte peccati ſuſcitat ad vitam gratiæ: ſed priùs expelli debent amici & tibicines, id eſt, praui ſocij & maligni ſpiritus triſti eam carmine, demulcentes, & in morte peccati detinentes, dū adulando ſuggerunt & occinunt peccatum non eſſe graue, aut ætati indulgendum, aut in ſenio per pœnitentiam expiandum &c, Tunc Chriſtus eam tangit; Græcè κρατεῖ, id eſt,magnâ potentiâ,vi,& imperio eam apprehendit, viuificat, & eleuat à profundo mortis ad apicem vitæ. Mox iubetur ambulare ad faciēda bona opera,& comedere,id eſt,paſci Euchariſtiâ quæ eam corroboret,vitamque confirmet.Interſunt ſoli tres Apoſtoli primarij,Petrus,Iacobus,& Ioānes, vt ſignificetur Chriſtum per Apoſtolos & Apoſtolorū ſucceſſores peccatores à morte ſuſcitaturum, hancque eſſe primariam & ſummam Apoſtolorum poteſtatem,de qua ait Chriſtus: *Accipite Spiritum ſanctum,quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis: & quorum retinueritis,retenta ſunt.* Ioan.20.23. Ita Raban. Puella in domo mortua,inquit,eſt anima mortua in cogitatione: dicitur dormire, quia poteſt per pœnitentiam ſuſcitari; tibicines ſunt adulatores: ſuſcitatur in domo coram paucis,Lazarus coram multis,iuuenis extra portam: publica enim noxa puplico eget remedio; leuis leuiori,& ſecretâ poteſt deleri pœnitentiâ.

*Tres mortuos ſuſcitauit Chriſtus.* Denique Chriſtus legitur tres dumtaxat mortuos ſuſcitaſſe. Prima eſt hæc puella duodennis, quam defunctam mox ſuſcitauit. Secundus eſt adoleſcens filius viduæ,quem ſuſcitauit in Naim. cùm deferretur ad ſepulchrum.Lucæ 7.11.Tertius eſt Lazarus, quē quatriduanum è ſepulchro euocauit. Ioan.11.

*Eorum ſymbola.* Prima puella notat eos, qui ex ætate(quia iuuenes feruidi & inexperti) fragilitate vel infirmitate prolabuntur in peccatum, ſed mox tacti à Deo videntes ſuum lapſum facilè pœnitent & reſurgunt; ſicut puella hac eleuatione manus Chriſti illicò reſurrexit.Secundus adoleſcens notat eos,qui peccatum iterarunt,vt vergant ad peccandi conſuetudinem: hi difficiliùs reuocantur: vnde potētiori & efficaciori Chriſti gratiâ & impulſu indigent; ſicut Chriſtus iuſſit portitores adoleſcentis ſtare loculumque tangens imperiosè dixit: *Adoleſcens, tibi dico: Surge.* Tertius Lazarus notat inueteratos in peccatis; hi difficillimè reuocantur:vnde efficaciſſimâ Dei gratiâ & vocatione indigent,cuius rei ſymbolo Chriſtus fremens,lachrymans,magnaque voce clamans: *Lazare, veni foras*, eumdem ſuſcitauit. Quocirca ſymbolicè Rabanus,& alij in puella ſuſcitata cenſent notari pœnitentiam eius, qui cogitatione dumtaxat,& moroſâ mentis delectatione peccauit: in adoleſcente pœnitentiam eius, qui cogitationem opere perpetrauit: in Lazaro pœnitentiam eius. qui peccandi habitum & cōſuetudinem induxit. Denique docet hîc Chriſtus, peccata occulta & leuiora occultâ pœnitentiâ deleri,ideoque puellam in domo, quaſi occultè coram paucis, ſuſcitauit: publica verò crimina publico remedio; ideoque adoleſcentem & Lazarum publicè coram turbis reuocauit ad vitam.

VERS.27. ET TRANSEVNTE INDE(à Iaïri domo exeunte) IESV, SECVTI SVNT EVM DVO CÆCI, CLAMANTES, ET DICENTES: MISERERE NOSTRI FILI DAVID] Cæci hi fidem & ſpem viſus recuperandi à Chriſto conceperunt ex miraculis, quæ iam plurima ab eo patrata audierant: vnde magnâ voce clamarunt: *Miſerere noſtri*, vt miſeriam cæcitatis noſtræ,quæ ſumma eſt abigas,nobiſque lumen oculorum, cæli & ſolis reſtituas. Credimus enim te eſſe filium Dauid, id eſt, Meſſiam, cui hæc cæcitatis & morborum ceterorum curatio à Prophetis promiſſa eſt, præſertim ab Iſaia c.35.verſ.5.& c.61.1. Dauidi enim promiſſus erat Meſſias, quaſi filius ex poſteris eius naſciturus, vnde eum omnes ex ſemine eius expectabant,tranſlato iam ſceptro à Iuda ad Herodem alienigenam tempore Chriſti, iuxta oraculum Iacob Geneſ.49.v.10. ideoque Meſſias à Iudæis paſſim vocabatur filius Dauid. Ergo cæci hi oculis, oculati fuerunt mente, ſicut Deus ſupplet non rarò defectum viſus per viſum & acumen mentis; vnde exclamat quidam hîc: *O igitur tenebræ omni luce clariores! ô acutiſſimi cæcitatis aſpectus!* Quocirca Didymus præceptor S. Hieronymi fuit cæcus, ſed in explicatione S. Scripturæ oculatiſſimus. Vnde S. Hieronymus eum vocat ſuum videntem, & S. Antonius viſitans & conſolans Didymum ob cæcitatem mæſtum: *Nihil te*,inquit,*offendat. ô Didyme, quòd carnalibus oculis fueris orbatus. Deſunt enim oculi illi quos mures & muſcæ & lacertæ habent; ſed lætare, quia habes oculos, quos Angeli habent, è quibus Deus videtur, per quos tibi magnum ſcientiæ lumen accenditur.* Ita Ruffinus lib.11.Hiſtor.Eccleſ.cap.7.vbi Didymum, velut lampadem quamdam diuinâ luce fulgentem. Alexandrinæ ſcholæ præfectum, ſeque eius auditorem fuiſſe teſtatur. *Cæci oculis vident mente.*

VERS.28. CVM AVTEM VENISSET DOMVM, ACCESSERVNT AD EVM CÆCI, ET DICIT EIS IESVS: CREDITIS, QVIA HOC POSSVM FACERE VOBIS? DICVNT EI: VTIQVE DOMINE] *Domum*, ſcilicet ſuam, quam Chriſtus Capharnai conduxerat & inhabitabat, vti dixi cap.4.13. Chriſtus in itinere clamantibus, lumenq; poſcentibus cæcis non reſpondit, ſed diſtulit,donec domum veniret.Idque primò, vt eos probaret, eorumque fidem ac deſiderium ſanitatis accenderet. Secundò, vt perſeuerantiam orationi neceſſariam eſſe doceret: *Creditis quia hoc* (quod petitis, ſcilicet vt vos illuminem) *poſſum facere*; non dicit: *Quia hoc facturus ſum*, ſed *poſſum facere*? quia fides propriè eſt de omnipotentia Dei; vnde in ſymbolo dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotētem, creatorem cæli & terræ*; hæc verò fides excitabat ſpem,vt cæci ſperarent Chriſtum id, quod facere poterat,reipsâ facturum. Exigit Chriſtus: *Vt ſicut fides illuminat mentem, ita oculis reſtituat lucem*, ait Interlin. Apage ergo fides Nouantium, quâ credunt ſibi in particulari ob Chriſti merita remiſſa eſſe peccata ſeque eſſe iuſtos & filios Dei. Credunt, inquam,in ſua falſa opinione, quâ ſe fide diuinâ firmiſſimè id credere autumant, cùm id dumtaxat imaginentur & ſomnient. Credi enim nequit id,quod non eſt reuelatum à Deo. Atqui tibi,ô Luthere, non eſt reuelatum te eſſe iuſtum, ergo id credere nequis.

VERS.29. TVNC TETIGIT OCVLOS EORVM, DICENS: SECVNDVM FIDEM VESTRAM FIAT VOBIS] Tactu manus ſuæ ſanat Chriſtus, vt ſaluificam manuum ſuarum vim oſtendat, aliaſq; ob cauſas



ſuperiùs dictas. *Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* q.d.Creditis me vos poſſe illuminare, ac ſperatis me vos reipsâ illuminaturum: illuminamini ergo, vti creditis & ſperatis. Vide canonem 11. *Confeſſio oris tactum meretur pietatis*, ait Gloſſa Interim.

ET APERTI SVNT OCVLI EORVM] id eſt,videre cœperunt. Eſt catachreſis: nā cæci iam antè apertos habebant oculòs,ſed viſu deſtitutos, ac proinde erant,quaſi clauſi fuiſſent. Chriſtus autem facultatem videndi eis reſtituit; vnde dicitur eos aperuiſſe. Sic aperire aures eſt,apertis auribus audiendi facultatem reddere. Marc.7.35.

VERS.30. ET COMMINATVS EST ILLIS IESVS, DICENS: VIDETE, NE QVIS SCIAT] Græcè eſt ἐνεβριμήσατο, id eſt,cum fremitu & increpatione grauiter interminatus eſt,vt oſtenderet,quàm auerſaretur miraculorum oſtentationem & vanam gloriam, eamdemque nos auerſari doceret.

VERS.31. ILLI AVTEM EXEVNTES DIFFAMAVERVNT EVM IN TOTA TERRA ILLA] *Diffamauerunt*,id eſt, famam & gloriam eius ſparſerunt. Græcè enim eſt διεφήμισαν αὐτὸν, id eſt, *diuulgauerunt eum*,famam eius vbiq; celebrarunt, vt vertit Vatablus: Non peccarunt cæci contra Chriſti comminationem, diuulgando hoc eius miraculum, vt vult Caluinus, quia perſuadebant ſibi prudenter Chriſtum id non præcepiſſe abſolutè, ſed tātùm modeſtię & honeſtatis causâ ſeuerius dixiſſe,ob cauſam iam dictam: nec mirum,nā & Patres ita Chriſtum dixiſſe ſibi perſuadent. Audi S. Chryſoſtomum: *At alteri*, inquit,*dicit: Annuntia gloriam Dei. Nempe docet prohibendos,qui nos volunt laudare propter nos, non autem ſi propter Domini gloriam.* Et Gregor.19. Moral.c. 18. *Exemplum dat ſeruis,vt virtutes ſuas occultari deſiderent, tamen vt alijs proſint exemplo, prodantur inuiti: propter memoriam gratiæ non poſſunt tacere.* Et S.Hieronymus: *Dominus*, ait, *propter humilitatem fugiens iactantiæ gloriam hoc præceperat, & illi propter memoriam gratiæ nō poſſunt tacere beneficium.* Et Theophylactus: *Vides*,ait,*quomodo faſtum fugerit: illi verò non vt inobedientes, ſed vt grati diuulgauerunt.*

VERS.32. EGRESSIS AVTEM ILLIS, OBTVLERVNT EI HOMINEM MVTVM, DÆMONIVM HABENTEM] Græcum κωφὸν magis ſurdum, quàm mutum denotat,ſed in Scriptura indifferenter vtrumque ſignificat,ait S.Hieronymus, & qui ſurdi ſunt à natiuitate,ſolent eſſe muti: qui enim nil audiunt, non poſſunt diſcere voces & verba, quæ loquātur; nil enim diſcimus, niſi quod audimus. Auditus enim eſt ſenſus diſciplinæ, ait Ariſtoteles; quare,qui nil audit,nil habet,quod articulatè loqui & ſignificare poſſit. Vnde ab hoc Chriſtus fidem non exegit,vti exegit ab alijs.Ita S. Chryſ. Theoph. Euthymius. Porrò τὸ *mutum* nō ad *dæmonium*,vt vult Caietanus, ſed ad hominem referendum eſt,vt patet ex Græco δαιμονιζόμενον, id eſt,*dæmoniacum*. Vnde Syrus clarè vertit: *Obtulerunt ei mutum,in quo erat dæmonium.*

Alius eſt hic dæmoniacus ab eo, de quo Lucas c.11.14.nam de illo agit Matthæus c.12.22. Ita Ianſenius, licet Maldonatus vtrobique vnum eumdemq; eſſe velit. Hîc impleuit Chriſtus illud Iſaiæ c. 35. de ſe oraculum: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum.*

VERS.33. ET EIECTO (Chriſti iuſſu) DÆMONE, LOCVTVS EST MVTVS] Hinc videtur, quòd dæmon fecerit eum ſurdum & mutum,cùm à natura non eſſet talis, impediendo ſcilicet vſum linguæ & aurium: vnde eo expulſo,ſtatim audiuit & locutus eſt mutus,ita S.Chryſoſtomus. Mira Chriſti benignitas & miſericordia, quâ hominem non petentem,nec cogitantem,imò nec loqui aut cogitare potentem (erat enim poſſeſſus à dęmone) ad preces dumtaxat offerentium eum ſanitati reſtituit,nimirum,vbi maior eſt calamitas, ibi vicinior eſt Chriſti miſeratio & opitulatio,iuxta illud: *Abyſſus* miſeriæ noſtræ *abyſſum* diuinæ miſericordiæ *inuocat*. Pſal.41.8.

*Tropologicè.* Tropologicè cæcitas eſt error in fide vel moribus; omnis enim cupiditas inducit errorem iudicij practici, vt homo iudicet,v.g. gulam, luxuriam, vſuram ſibi eligendum præ Deo Deique lege. Vnde dicitur Prouerb. 14. *Errant, qui operantur malum.* Hanc curat Chriſtus, dum per lucem ſapientiæ & prudentiæ, quam menti infundit, oſtendit æterna præferenda eſſe caducis, diuina humanis, cæleſtia terrenis. Mutum myſticè curat,cùm linguam cæci peccatoris, quæ priùs à dæmone tenebatur ligata,laxat, vt peccata confiteatur,vtque Deum inuocet, laudet, celebret. Ideoque priùs Chriſtus cæcos illuminauit, deinde muto loquelam reſtituit, quia oportet,vt priùs apertis mētis oculis per fidem, Chriſtum cognoſcamus,deinde in laudes eius lingua noſtra laxāda eſt.

ET MIRATÆ SVNT TVRBÆ, DICENTES: NVMQVAM APPARVIT SIC IN ISRAEL] In populo Iſraëlitico, putà Iudæis in Iudea. q.d. Nec Moſes,nec Elias,nec Iſaias,nec quis alius Prophetarum tot tantaque miracula fecit,quot fecit Ieſus. Ergo ille ijs maior, ideoque Meſſias ſiue Chriſtus ſit oportet. Præponebant, ait S. Chryſoſt. ceteris Chriſtum, quia velociter curabat, & infinitas ægritudines,& inſanabiles,

VERS.34. Inf.c.12.24. PHARISÆI AVTEM DICEBANT: IN PRINCIPE (*per principem*, vt habet interpres Syri) DÆMONIORVM EIICIT DÆMONIA] Sicut inter Angelos, ſic & inter dæmones alij ſunt inferiores alij ſuperiores & principes; ſcilicet ij, qui ex altioribus ordinibus ceciderunt, ideoque naturæ ſunt nobilioris (naturalia enim in dæmonibus poſt lapſum manſerunt integra) Hinc qui ex ordine Seraphim, Cherubim, Thronorum ceciderunt,ſunt principes eorum, qui ex inferioribus ordinibus Dominationum, Principatuum, Poteſtatum prolapſi ſunt. Et hi conſequenter ſunt principes eorum, qui ex ordinibus inferioribus Virtutum, Archangelorum & Angelorum ceciderunt.Sic in militibus,dum rebellant, ſunt ſigniferi,capitanei,colonelli: ſine his enim exercitus ordinari regique nequit,adeoque nulla reſpublica ſine ordine & ſubordinatione conſiſtere poteſt. Omnium verò dæmonum princeps eſt Lucifer,ſicut Angelorum eſt S.Michaël,vti dixi Apoc. 12. Daniel 12. Iſaiæ 14. Nota hîc quàm diſpar fuerit ingenium Phariſæorum & turbarum: turbæ enim ex ſimplici candore magnificabant Chriſti miracula, quaſi patrata à viro diuino,& à Meſſia: Phariſæi verò inuidentes & indignantes Chriſto, dicebant eum eſſe Magum, & habere dæmonem familiarem, cuius arte magicâ tam mira faceret, non autem per virtutem diuinam. Hæc ingens fuit blaſphemia,quam validè refellit Chriſtus cap.12. v.5.& ſeq. Verùm *Ordo inter dæmones, quorum alij aliorum principes.*

hæc

hæc animoſè æquè ac manſuetè tolerans ac contemnens Chriſtus, pergit in benefaciendo, & blaſphemias nouis miraculis compenſat & confutat. Vndè Chryſoſtomus: *Poſt contumelias beneficia præſtat Dominus*. Sequitur ergo.

VERS. 35. Supra c. 4. v. 23. Luc. 8. 1. ET CIRCVIBAT IESVS OMNES CIVITATES ET CASTELLA, DOCENS IN SYNAGOGIS EORVM, ET PRÆDICANS EVANGELIVM REGNI, ET CVRANS OMNEM LANGVOREM ET OMNEM INFIRMITATEM] *Et quos ſanabat corpore, ſanabat & mente*, ait Remigius. Chriſtus domum fixerat Capharnai; inde egrediebatur, & pedibus circuibat prædicando, & ſanando omnes circumcirca vrbes & pagos Galilææ mirâ ſedulitate, charitate, zelo, labore, humilitate, patientiâ & fortitudine. Addit hoc Matthæus, vt paucis perſtringat Chriſti labores & opera, ne ſigillatim ea cogatur enumerare, quod fuiſſet prolixum, & quaſi impoſſibile.

*Caſtellum, quid?* ET CASTELLA] Caſtrum eſt locus muris cinctus maior caſtello, & minor oppido; inde diminutiuè dicitur caſtellum; quaſi paruum caſtrum, paruum oppidum. Caſtella ergo ſunt arces, vel minora oppida muris cincta: inde tamen dilatatâ ſignificatione denotant vicos & pagos, qui muris carent; hos enim ſignificat Græcum κώμας: & ſic hîc & alibi accipitur; q. d. Chriſtus non tantùm ciues & honeſtos in vrbibus, ſed & pauperes & ruſticanos homines in pagis degentibus viſitauit, docuit, & curauit. Hoc Chriſti exemplum imitentur ſacerdotes & religioſi. Hæc enim eſt vita Apoſtolica circuire ciuitates & caſtella, ac vbique omnibus ſine diſcrimine opem ferre & prædicare regnum Dei, ſiue viam ſalutis, quâ tendant ad regnum cæleſte. Noli ergo, ô cōcionator, ambire cathedras magnificas magnarum vrbium, Chriſtus enim tam in pagis & villis, quàm in vrbibus docuit, adeoque paucorum pauperum & ruſticorum fuit catechiſta & prædicator, æquè ac redemptor. Reliqua expoſui capit. 4. 23.

VERS. 36. VIDENS AVTEM TVRBAS, MISERTVS EST EIS, QVIA ERANT VEXATI ET IACENTES, SICVT OVES NON HABENTES PASTOREM] Pro *miſertus eſt* Græcè ἐσπλαγχνίσθη, id eſt, ex intimis viſceribus commiſeratus eſt, quod Hebræi dicunt רחם *racham*: רחם *rechem* enim ſignificat σπλάγχνα, id eſt, viſcera. *Vexati* Græcè ἐσκυλμένοι, id eſt, varijs moleſtijs, maliſque afflicti. Syrus *fatigati*, Remigius: *Attriti infirmitatibus & languoribus*, Rabin. *Vexati per varios errores dæmonum*. Alij legunt ἐκλελυμένοι, id eſt, diſſoluti & diſſipati. *Iacentes* ſparſim. Græcè ἐρριμμένοι, id eſt, diſiecti, abiecti, ſparſi, proiecti: ῥίπτω enim eſt proijcio; Syrus, *diſperſi*; Arabicus, *errantes*; Interlinearis, *iacentes* interpretatur, vanâ ſecuritate torpentes: *Sicut oues non habentes paſtorem*: Nullum animal eſt magis ſimplex, incurium, ſtolidum, improuidum, prædæ luporum & ferarum expoſitum, ideoq; magis egens paſtore, quàm ſit ouis. Notat Scribas & ſacerdotes non ſtuduiſſe ſaluti populi, vt eum viam ſalutis docerent, ideoq; non fuiſſe paſtores, ſed laniones ouium, qui lac & lanam, id eſt, ſua dumtaxat ex populo lucra captarent, cùm tamen populus ſimplex quaſi ouis maximè egeret doctore & ductore. Scribæ ergo populo non tam erant paſtores, quàm lupi, ait S. Chryſoſt. quia praua & peruerſa docendo tam verbo, quàm exemplo perdebāt ſimplicium animas, præſertim dum Chriſtum vocantes magum, illas in Chriſtum pronas ab ipſo auertebant.

TVNC DICIT DISCIPVLIS SVIS: MESSIS QVIDEM MVLTA, OPERARII AVTEM PAVCI] VERS. 37. Meſſem vocat multitudinem populi, paratam ad recipiendum Euangelium & doctrinam ſalutis, cuius ſemina iecerunt Prophetæ. Vnde Chriſtus Ioan. 4. v. 35. *videte*, ait, *regiones, quia albæ iam ſunt ad meſſem*, id eſt, maturæ ad capeſſenda dogmata ſalutis, vt inferantur in horreum Eccleſiæ. Hinc S. Aug. ſerm. 42. de Sanctis cap. 1. Apoſtoli, ait, in Iudæis quidem meſſuerunt, in Gētibus autem ſeminauerunt, quia prima fidei dogmata quaſi ſemina ijs tradiderunt. *Operarij autem pauci*, quia ſolus Chriſtus & Ioannes Baptiſta laborabant in docendo populum, Scribæ verò otioſi ſuis lucris & delicijs vacabant.

ROGATE ERGO DOMINVM MESSIS, VT MITTAT OPERARIOS IN MESSEM SVAM] VERS. 38. ſcilicet, vt mittat vos, ô Apoſtoli, veſtróſque adiutores & ſucceſſores, nempe viros Apoſtolicos, eiſque ſapientiam, ſpiritum & zelum ad efficaciter prædicandum & laborandum aſſiduè, in tanta animarum meſſe ſuggerat & inſpiret, ne tam copioſa meſſis pereat. *Dominum meſſis*: ita ſe tacitè Chriſtus nominat: ipſe enim eſt Dominus Eccleſiæ, non tantùm quà Deus (ſic enim Dominus quoque eſt Deus Pater, & Spiritus ſanctus) ſed etiam quà homo: ſic enim eam ſuo ſanguine redemit & emit; quare ipſius eſt mittere Apoſtolos quaſi operarios, qui hanc meſſem cum labore & ſudore metant, & in horreum Eccleſiæ colligant, vti de facto c. 10. & ſequ. Apoſtolos dimittit. Ipſe ergo inuocandus eſt, vt etiamnum operarios ſtrenuos & infatigabiles in meſſem hanc, quæ multis in locis albeſcit, & matura eſt, emittat. Vnde S. Chryſoſtomus, oſtendit, ait, primò magnum donum eſſe decenter prædicare, dum dicit hoc eſſe orandum. Secundò, latenter ſe Dominum oſtendit; miſit enim Apoſtolos metere, quæ per Prophetas ſeminauerat. Addit Remigius: Auctus eſt numerus operariorum, deſignatis alijs 72. diſcipulis, & quando Spiritus ſanctus deſcendit in Pentecoſte in fideles 120. Act. 2. Denique Chriſtus hac voce tacitè ſtimulat Apoſtolos, vt offerant ſeſe Chriſto ad operādum in hac meſſe, dicantque cum Iſaia cap. 6. 8. *Ecce ego, mitte me*.

Hîc finitur pueritia Chriſti, & acta eiuſdem à baptiſmo ſuo, & primo Paſchate, vſque ad ſecundum Paſcha, ſcilicet acta vnius anni & aliquot menſium. Fuit hic annus 31. ætatis Chriſti. Vide chronotaxin, quam commentario huic præpoſui. Quocirca Ianſenius hîc finit primam partem concordiæ ſuæ. *Finitur hîc pueritia Chriſti.* Verum tamen eſt Matthæum hîc cap. 5. 6. 7. & initio cap. 8. inſeruiſſe ſermonem Chriſti in monte, qui habitus eſt poſteriùs, ſcilicet, poſt ſecundum Paſcha anno Chriſti 32. ac miracula nonnulla, quibus Chriſtus eum confirmauit, vt ſanationem ſerui Centurionis, & curationem leproſi: quia per anticipationem voluit Matthæus ſtatim initio dare ſummam totius doctrinæ Chriſti & legis Euangelicæ, vti dixi c. 5. v. 1. quare hic ſermo Chriſti in monte æquè ac vocatio Apoſtolorum, corā quibus habitus eſt, recto temporis ordine ponendus eſt initio capitis 10. proximè ſequentis.

CAPVT



# CAPVT DECIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Hoc caput recto ordine hiſtoriæ iungendum eſſet proximè electioni Apoſtolorum & ſermoni Chriſti in monte, vti iam dixi: quare nectendum eſſet c. 8. poſt v. 13. & ponendum poſt curationē famuli Centurionis. Ita Gloſſa: Relata, inquit, à curatione ſocrus Petri hucuſque, facta ſunt ante ſermonem in monte habitū, quod patet ex electione Matthæi; fuit enim electus in monte. Hîc ergo redit ad ordinem rei poſt curatum Centurionis ſeruū. Igitur Chriſtus hoc capite mittit duodecim Apoſtolos (quorum nomina hîc recenſentur) quaſi operarios in meſſem ad prædicandum, eiſq; Primò dat poteſtatem eiiciendi dæmones, & curandi infirmos. Secundò, v. 5. dat eis duodecim præcepta, inter quæ præcipua ſunt hæc: primùm, vt Iudæis, non Gentibus euangelizent; ſecundum, vt gratis & in paupertate prædicent; tertium, vt pacem hoſpitibus ſuis apprecentur: quartum, vt ſint prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ. Tertiò v. 17. prædicit eos paſſuros multas infidelium perſecutiones. Quartò v. 27. contra eas illos animat, multiſq; corroborat ad intrepidam fidei profeſſionem & propagationem Quintò v. 40. recipientibus Apoſtolos amplam promittit mercedem, perinde ac ſi ipſimet Chriſtum recepiſſent.*

1. ET conuocatis duodecim diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 2. Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, 3. Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus, 4. Simon Chananæus, & Iudas Iſcariotes, qui & tradidit eum. 5. Hos duodecim miſit Ieſus, præcipiens eis, dicens: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: 6. ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. 7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. 8. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite: gratis accepiſtis, gratis date. 9. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: 10. non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo. 11. In quamcumque autem ciuitatem aut caſtellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibi manete, donec exeatis. 12. Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. 13. Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra reuertetur ad vos. 14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus veſtris. 15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati. 16. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes: & ſimplices ſicut columbæ. 17. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: 18. & ad præſides, & ad reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & Gentibus. 19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. 20. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient: 22. & eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. 23. Cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis ciuitates Iſraël, donec veniat Filius hominis. 24. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum. 25. Sufficit diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo, ſicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius? 26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim eſt opertum, quod non reuelabitur: & occultum, quod non ſcietur. 27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. 28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. 29. Nónne duo paſſeres aſſe veneunt: & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. 30. Veſtri

ſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt. 31. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos. 32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt: 33. qui autem negauerit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt. 34. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium. 35. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: 36. & inimici hominis domeſtici eius. 37. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. 38. Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. 39. Qui inuenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. 40. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit. 41. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. 42. Et quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

VERS. 1. Luc. 9. v. 1 & 2. Mar. 3. 15. & c. 6. 7.

ET CONVOCATIS DVODECIM DISCIPVLIS (Apoſtolis) SVIS, DEDIT ILLIS POTESTATEM SPIRITVVM IMMVNDORVM; VT EIICERENT EOS, ET CVRARENT OMNEM LANGVOREM ET INFIRMITATEM] Nota: Chriſtus proximè ante ſermonem in monte habitum, è turba diſcipulorum ſelegit duodecim Apoſtolos, vt disertè docet Lucas cap. 6. 13. *Vocauit*, ait, *diſcipulos ſuos, & ſelegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit, Simonem quidem cognominauit Petrum*, &c. Elegit ergo duodecim Apoſtolos, id eſt, legatos ſuos primarios, quos cum plena auctoritate & poteſtate legauit & miſit per totum orbem, vt Euangelium ſuum annuntiarent omnibus gentibus: alios enim 72. quoque elegit, ſed hos non Apoſtolos, ſed diſcipulos nuncupauit, licèt & hi à veteribus ſubinde Apoſtoli, id B eſt, legati Chriſti vocentur, ac reuerà tales fuerint, ſed cum minore poteſtate, vtpote ſubiecti & ſubordinati 12 Apoſtolis. Hos igitur duodecim Chriſtus iam mittit, vt officium, ad quod ab eo vocati erant, exequi incipiant, eiuſque ſub ſe magiſtro adhuc viuente tyrocinium ponāt, quod poſteà facti ſacerdotes & Epiſcopi, poſt mortem ſuam pleniſſimè obeant & conſumment. Quocirca Chriſtus Apoſtolos conſtituit principes Eccleſiæ, qui omnes fideles tam martyres, quàm confeſſores & virgines, vti officio & dignitate, ſic & gratiâ ac ſanctitate præcellerent: ſuper ipſos enim fundauit Eccleſiam, vt patet Epheſ. 2. 20. & Apocal. 21. 19. Ita D. Thomas in cap. 8. ad Roman. v. 23. ad illa: *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes.*

*Apoſtolatus dignitas, & munia tria.*

Porrò poteſtas Apoſtolorum in Eccleſia fuit C maxima, ac longè maior quàm ſit Epiſcoporum; Apoſtoli enim edocti & miſſi ſunt immediatè à Chriſto Domino, quaſi Chriſti legati *à latere* cum abſoluta poteſtate per totum orbem, & cum ſumma auctoritate in totam Eccleſiam, vt ſcilicet vbique poſſent primò prædicare Euangelium, idque dono linguarum & miraculis firmare, æquè ac conſcribere: Apoſtoli enim habebant poteſtatem ſcribendi libros canonicos, vti de facto Matthæus & Ioannes ſcripsêre Euangelia, Epiſtolas canonicas, & Apocalypſin. Secundò, vt poſſent vbique fundare Eccleſias, ac paſcere & regere fideles omnes vbiuis gentiū. Tertiò, vt poſſent inſtituere & ordinare ſacer- A dotes & Epiſcopos, totumque ordinem hierarchicum, cæremonias etiam ſacrificij Euchariſtiæ, & Sacramentorum omnium.

Aduerte, in hac triplici poteſtate Apoſtoli pares & æquales erant inter ſe & cum S. Petro, ei tamen ſuberant quaſi capiti & ſuperiori ſuo, vnde Petrus verſ. 2. inter eos ponitur, imò nominatur *primus.*

DEDIT ILLIS POTESTATEM SPIRITVVM IMMVNDORVM (id eſt, dæmonum) VT EIICERENT EOS] Sicut enim Angeli ſunt mundi & ſancti, ſic dæmones ſunt immundi & ſceleſti, ideoque turpiſſimi, vtpote pleni ſuperbiâ & odio Dei, ac irâ & inuidiâ in homines, vt eos in luxuriam & immunditiam (ad quæ ſciunt homines eſſe proptiſſimos) omniaque ſcelera, indeque in gehennam pertrahant.

ET CVRARENT OMNEM LANGVOREM] Græcè *νόσον*, id eſt, morbum: vtraque hæc poteſtas data fuit Apoſtolis, per modum habitus permanentis, non quòd Deus eis inderet habitū phyſicum, quo curarēt omnes ægritudines (hic enim dari nequit) ſed quòd omnipotētiâ ſuâ illis promiſſâ ita ſemper aſſiſteret, vt quoties vellent dæmones eijcere, vel ægritudines curare, illicò Deus illas eijceret, & ſanitatem conferret. Porrò data fuit eis hæc poteſtas ad auctoritatem prædicationis, vt ſcilicet illam miraculis confirmarent, & populis perſuaderent. Ita Gloſſa.

VERS. 2. Luc. 6. 14. Mar. 3. 17. 18.

DVODECIM AVTEM APOSTOLORVM NOMINA SVNT: PRIMVS SIMON, QVI DICITVR PETRVS (Syrus *kipho*, hoc eſt *Cephas*, id eſt Petra vel Petrus) ET ANDREAS FRATER EIVS, IACOBVS ZEBEDÆI ET IOANNES FRATER EIVS]. Cauſa, cur præcisè Chriſtus duodecim elegerit Apoſtolos, non plures, nec pauciores, eſt, vt ipſi reſponderent duodecim Patriarchis, qui fuêre filij Iacob. Sicut enim hi Iudæorum, ſic Apoſtoli Chriſtianorum omnium fuêre parentes. Ita S. Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & paſſim Patres. Alia huius muneri myſteria affert Rabanus, & ex eo D. Thomas in Catena: *Duodenarius*, inquit, *conſurgens ex ternario & quaternario* (in ſe ductis & multiplicatis) *ſignificat eos prædicaturos Trinitatis fidē per quatuor mundi partes: ſignificatus in duodecim filijs Iacob: duodecim principibus filiorum Iſraël: duodecim fontibus Helim: duodecim lapidibus rationalis: duodecim panibus propoſitionis*

*Apoſtoli duodecim. Cur?*





*ſitionis: duodecim exploratoribus: duodecim lapidibus, vnde factum eſt altare: duodecim lapidibus ſublatis ex Iordane: duodecim bobus ſuſtinentibus mare æneum: duodecim ſtellis in corona ſpōſæ, de quibus in Apocalypſi: duodecim fundamentis ciuitatis: duodecim portis.* Plura vide apud Toletum in c. 6. Luc. annot. 19.

PRIMVS SIMON, QVI DICITVR PETRVS] Beza, vt tollat primatum Petri, & Pontificum Romanorum illi ſuccedentium, putat mendosè legi *τὸ primus*, ideoque expungendum: ſed conſtanter id legunt omnes codices Græci, Latini, Syri, quin & Hebræus, quem Munſterus Nouator ipſum Matthæi autographum eſſe contendit: nec credibile eſt hunc locum corruptum eſſe à Græcis, vt ipſi addiderint πρῶτος, id eſt, primus: ipſi enim ſunt ſchiſmatici, negantque Petri primatum: vnde potiùs τὸ πρῶτος expūxiſſent, B ſi id honeſtè facere potuiſſent. Denique vbique in Scriptura ab omnibus recenſentibus nomina Apoſtolorum, Petrus ponitur primus, & Iudas vltimus, cùm in ceterorum ordine diſcrepent & euarient, vt patet Marci 3. 16. Lucæ 6. 14. & Actor. 1. 13.

*Petri primatus.*

Porrò Petrus vocatur Apoſtolorum *Primus* non ætate, quia eo ſenior erat Andreas, teſte Epiphanio hæreſi 51. ſub medium, non etiam vocatione, quia prior eo vocatus à Chriſto fuit Andreas, vt patet Ioan. 1. 41. non etiam dilectione, quia præ omnibus à Chriſto dilectus fuit S. Ioannes, ideoque in vltima cœna ipſe in pectore Chriſti recubuit. Super eſt ergo, vt Petrus Apoſtolorum ſit primus excellentiâ & auctoritate, quia ſcilicet eorum fuit caput, ſuperior, & rector: vnde in ceteris nullus ponitur ordo, nec C hîc vocatur ſecundus, ille tertius, quia omnes fuêre pares, pariterque Petro ſubiecti: atque à Tò *primus* dictus eſt primatus Petri, quem omnes veteres Græci & Latini confeſſi ſunt. Audi ſanctum Chryſoſtomum: *Apoſtolorum omnium primus, & quaſi vertex, indoctus ille erat ac rudis.* S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. c. 14. *Propterea*, ait, *inter duodecim Apoſtolos vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Ambroſiaſtes in 2. Corinth. 12. *Prior ſecutus eſt Andreas Seruatorem, quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus.* Plura vide apud Bellarminum lib. 1. de Roman. Pontif. c. 18. Petrus ergo, quaſi Apoſtolorum primus & primas, poterat Apoſtolis præcipere, atque eos, ſi errarent in fide & moribus, corrigere, lites eorum dirimere, prouincias diuidere eis, ſi laberentur, alios ſubſtituere, vti Iu- D dæ proditori ſubſtituit Matthiam, Actor. 1. Hæc enim ſubordinatio Apoſtolorum, Epiſcoporum, & fidelium omnium ſub vno capite & Pontifice neceſſaria erat ad vnionem, concordiam, ſtabilitatem, & bonum regimen Eccleſiæ, vti docet S. Cyprianus lib. de Vnitate Eccleſiæ: *Primatus*, inquit, *Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & cathedra vna monſtretur*, &c. Hinc ſecundò ſolus inter Apoſtolos Petrus habuit poteſtatem ordinariam, cui proinde in illa ſuccedunt Romani Pontifices. Romæ enim pontificiam ſedem ſtatuit B. Petrus, in eaque ſedit, & martyr occubuit: alij verò Apoſtoli habuêre poteſtatem à Chriſto delegatam, quibus proinde nemo in eadem ſucceſſit. Dices: Epiſcopi dicuntur Apoſtolis ſuccedere. Reſpondeo: Id tantùm dicitur per analogiam & accommodationē quam- A dam, quia ſcilicet Epiſcopi ab Apoſtolis participant ordinem & iuriſdictionem Epiſcopalem & quia Epiſcopi ſimiliter eminent alijs ſacerdotibus, ſicut duodecim Apoſtoli 72. diſcipulis, alioqui Epiſcopi carent poteſtate Apoſtolicâ, illaque triplici, quam initio capitis aſſignaui; atque Epiſcoporum poteſtas non niſi ad ipſorum diœceſes extenditur, Apoſtolorum verò ad omnes gentes toto orbe diſperſas.

*Epiſcopi num Apoſtolis ſucceſſerint.*

SIMON QVI VOCATVR PETRVS] Chriſtus mutauit nomen Petri, cumque priùs vocaretur Simon, vocauit eum Syriacè *Cepha* vel *Cephas*, id eſt, *Petra* vel *Petrus*, quia deſtinabat eum poſt ſe facere petram & fundamentum Eccleſiæ, iuxta illud Chriſti ad Petrum: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1. 42. *Simon* Hebr. idem eſt, quod *audiens, obediens*, qualis fuit Petrus, qui Chriſto vocanti ad ſuam ſequelam, illicò relictis retibus obediuit, ſuprà cap. 4. 20.

ET ANDREAS FRATER EIVS, IACOBVS ZEBEDÆI ET IOANNES FRATER EIVS] Marcus præponit Iacobum & Ioannem Andreæ, eumque facit quartum. Idem facit Lucas Actor. 1. 13. Sed in Euangelio c. 6. 14. Andream vtrique præponit, æquè ac Matthæus hîc. Sic & in alijs nonnullis Apoſtolis ordo ab alijs Euangeliſtis variatur, vt doceat inter eos certum non fuiſſe ordinem, ſed eos per omnia fuiſſe pares dignitate & officio. Vnde Caietanus hîc: *Solus Petrus*, ait, *hîc ordine inſignitur & deſcribitur primus, ad inſinuandum valdè ſpectare ad Chriſtianam notitiam ſcire primatum Petri, nulliuſque momenti noſſe Apoſtolorum ordinem inter ſe.* Probabilior eſt tamen ordo, quem Apoſtolis hîc aſſignat Matthæus: ipſe enim exactus eſt Chriſti hiſtoricus, & temporis cuſtos. Chriſtus ergo in monte è diſcipulis ad Apoſtolatum (nam ad diſcipulatum Chriſti priùs ab eo expreſsè euocatus legitur Philippus Ioan. 1. 43.) primò, ait Abulenſis, hîc q. 28. & 29. & Ribera in Apocal. c. 21. v. 16. euocauit & nominauit Petrum: ſecundò Andream, tertiò Iacobum, quartò Ioannem, & conſequenter ceteros eo ordine, quo aſſignat hîc Matthæus, niſi quòd ipſe modeſtiæ causâ ſe poſtponat Thomæ, cum illi ſit præponendus, vti præponunt Lucas & Marcus, idque docent S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Euthymius, & alij: atque hoc Matthæi ordine S. Ioannes Apoc. 21. 19. duodecim fundamenta cæleſtis Ieruſalem ponens duodecim Apoſtolos, ſingulis ſuum locum cum gemma aſſignat: *Fundamentum primum*, ait, *iaſpis, ſecundum ſapphirus, tertium calcedonius, quartū ſmaragdus, quintum ſardonyx, ſextum ſardius, ſeptimum chryſolithus, octauum beryllus, nonum topazius, decimum chryſopraſus, vndecimum hyacinthus, duodecimū amethyſtus.* Primus iaſpis notat Petrum, ob firmitatem fidei: ſecundus ſapphirus Andream, ob cæleſtem vitam & amores: tertius calcedonius ſiue carbunculus Iacobum, zelo ardentem: quartus ſmaragdus Ioannem, virentem, & virginem: quintus ſardonyx Philippum, ob cādorem animi: ſextus ſardius rubeus Bartholomæum excoriatum: ſeptimus chryſolithus marini coloris Matthæum pœnitentem: octauus beryllus politus Thomam, à Chriſto in fide reſurrectionis expolitum & ſolidatum: nonus topazius Iacobum Minorem, aureâ ſanctitate radiantem: de-

*Ordo duodecim Apoſtolorum.*

*Duodecim gemmæ, ſunt duodecim Apoſtoli.*

cimus chryſopraſus Iudam Thaddæum, qui inſtar porri acri ſapientia inſectatur hæreticos: πϱάσον enim eſt porrum: vndecimus hyacinthus Simonem Chananæum, ob mores ſuauiſſimos: duodecimus amethyſtus humilem, minimumque Matthiam. Fuſè hac de re egi Apocal. c. 21. v. 16. & ſeq. ac Exodi cap. 24. v. 17. vbi eædem gemmæ duodecim ornant rationale Pontificis, putà pectus Chriſti.

Denique inter hos duodecim Apoſtolos non nominantur, nec fuerunt Paulus & Barnabas, quia hi duo à Chriſto, non viuente in terris, ſed iam glorioſo & regnante in cælis vocati ſunt ad Apoſtolatum; vnde parem cum duodecim Apoſtolis poteſtatem & ſpiritum habuere.

*Andreas, id eſt virilis.*

ANDREAS] Græcè idem eſt, quod *virilis*, fortis, heros: ἀνὴϱ enim eſt vir, & ἀνδϱεία eſt virilitas, fortitudo: Iudæi enim plures, quia ſubiecti iam Alexandro Magno & Græcis, Græcè didicerunt, & Græca nomina aſſumpſerunt, vti oſtendi, cap. 4. v. 18. Ita Pagninus, Caninius, & alij. Talis fuit Andreas, ſcilicet virilis & heroicus in prædicatione & paſſione, ex robore amoris Chriſti anhelans ad crucem: priùs fuerat vnus de diſcipulis S. Ioannis Baptiſtæ, imò inter omnes primus, ait Gaudentius Brixienſis tract. de Dedic. Baſil. & à S. Ioanne miſſus ad Chriſtum primus eum noſſe cœpit, ad eumque fratrem ſuũ Petrum adduxit Ioan. cap. 1. Vnde Epiphanius hæreſ. 51. eum Petro ſeniorem fuiſſe putat, licèt Beda iuniorem æſtimet, eò quòd hîc vocetur frater Petri.

*Iacobus, id eſt ſupplantator, &c.*

IACOBVS ZEBEDÆI] ſcilicet filius, vt patet Lucæ cap. 5. verſ. 10. Iacobus hic, cognomento Maior, Hiſpaniarum & Apoſtolus & protector. primus Apoſtolorum pro fide Chriſti martyr occubuit, capite plexus ab Herode Agrippa, de quo plura dixi Actor. 12. v. 2.

IOANNES FRATER EIVS] Hic eſt dilectus Chriſti diſcipulus, de quo fusè egi in prooemio in Apocal. epiſt. & Euangelium eiuſdem. *Iacobus* Hebr. idem eſt, quod ſupplantator; *Ioannes* idem, quod *gratioſus* & miſericors, vel *in quo eſt gratia*, vel *Domini gratia*, ait S. Iſidor. lib. 7. etymol. cap. 9 *Ampliùs enim eum ceteris Apoſtolis dilexit Ieſus.* Sed de nomine Ioannis plura dicam Luc. 1. v. 13. Hi ſunt filij *Zebedæi*, id eſt, liberalis & munifici. Ita Pagninus & Angelus Caninius in Nomin. noui Teſtamenti cap. 13.

VERS. 3. Luc. 6. 14. 15. 16. Mar. 3. 18.

PHILIPPVS ET BARTHOLOMÆVS, THOMAS ET MATTHÆVS PVBLICANVS, IACOBVS ALPHÆI ET THADDÆVS] Syrus *Philippus & Bar Thoulmai, & Thoumo, & Mathai publicanus, & Iaacoub filius Chalphai, & Labbi cognominatus Thaddi.*

*Philipp etymon Græcum & Hebræum.*

*Philippus* Græcè eſt φίλ⊕ ἵππων, id eſt, amator equorum, equeſtris, bellicoſus. Ita Pagninus & Caninius Hebrei enim iam ſubiecti Grecis Grecæ vſurpauêre nomina, vti dixi; Philippus enim fuit quaſi equus bellicoſus Chriſti contra Iudæos, infideles & impios: de quo Apocal. 6. 2. *Ecce*, inquit, *equus albus: & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Vide ibi dicta. Licèt S. Hieronymus in Nominibus (vel quiſquis eſt auctor; conſtat enim non eſſe S. Hieronymi, quia auctor oſtendit ſe Græcæ linguæ & Hebrææ imperitum, & in cap. 24. & 15. multa ſcribit inepta & falſa) *Philippus* interpretetur *os lampadis* à פֶּה *pe*, id eſt *os*, & לַפִּיד *lappid*, id eſt *lampas*, quia os eius velut lampas orbem illuminauit, ait Emiſſenus.

*Etymon Bartholomæi.*

BARTHOLOMÆVS] S. Hieronymus in Nom. Hebr. & ex eo Pagnin. *Bartholomæus* interpretantur *filius ſuſpendentis aquas*: בַּר *bar* enim eſt *filius* תָּלָה *thala ſuſpendit* מַיִם *maim* ſunt *aquæ*. Vnde Rupertus in cap. 1. Ioannis, & Oſorius in ſerm. de S. Ioanne, putant Chriſtum occaſione Bartholomæi, aquas in vinum conuertiſſe in nuptijs Canæ Galilææ, quaſi ipſe in ijs fuerit ſponſus: quod alij confutant. Verius eſt Hebr. *Bartholomæi* idem eſſe, quod *filius Tholmai*, vt habet Syrus, vel Tholomæi: *Tholmai* enim crebrum & priſcum fuit nomen Hebræis, vt patet Ioſue 15. 14. 2. Reg. 3. 3. Minus aptè nonnulli *Bartholomæus* interpretantur *filius Ptolomæi*, quaſi oriundus fuerit ex Ptolomæis regibus Ægypti, quos confutat Abulenſis hîc. Sic Bartimæus idem eſt, quod filius Timæi, & *Bariona* eſt filius Ionæ, ſiue Ioannis.

*Thomæ.*

THOMAS] Græcè δίδυμ⊕, id eſt, *geminus*: תָּאַם enim eſt geminare, de quo Ioan. 20. verſ. 24.

*Matthæi.*

MATTHÆVS PVBLICANVS] Nota humilitatem Matthæi qui ceteris tacentibus ſe publicanum, id eſt, peccatorem publicè profitetur. De eo dixi initio Commentar. & cap. 9. v. 9. *Matthæus* Hebr. idem eſt, quod *donatus*, aut *donum Dei*, Græcè *Doſithæus* vel *Theodorus*, ait Caninius. Idem dictus eſt Leui, id eſt, additus, appoſitus Chriſto & Apoſtolis Marci c. 2. v. 14. Ita Beda, Euthymius, Pagninus, Caninius.

*Alphæi.*

IACOBVS ALPHÆI] ſcilicet filius, vt habet Arabicus & Syrus. *Alphæus* Hebr. idem eſt, quod *doctus*, vel *doctor*. Hic Alphæus pater Iacobi, alius fuit ab Alphæo patre Matthæi. Marci 2. v. 14. Hic enim fuit maritus Mariæ Cleophæ, quæ dicitur ſoror Mariæ matris Domini. Ioan. 19. v. 25. Vnde Helecas Epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui continuauit Chronicon L. Dextri, & alij cenſent Alphæum eumdem eſſe cum Cleopha, licèt Baronius id neget, de quo dicendum Ioannis 19. v. 25. Alphęus ex Maria genuit Iacobum & Iudam. Hic Iacobus dictus eſt Minor, quia ſcilicet ætate (vt volunt aliqui) vel potiùs vocatione iunior erat Iacobo Maiore, qui fuit frater Ioannis. Dictus quoque eſt frater Domini, quia cognatus Chriſti, illique ſimillimus, auctorque fuit epiſtolæ S. Iacobi, ac primus Epiſcopus Hieroſolymorum, de quo multa dixi Præfat. in epiſtolam Iacobi.

*Iacobus hic cur dicatur Minor.*

*Thaddæus, ſiue Iudas, trinomius.*

THADDÆVS] Eſt hîc Iudas auctor epiſtolæ Canonicæ, qui fuit trinomius, cognominatus enim eſt *Thaddæus*, id eſt mammeus, & *Iudas Iacobi*, ſcilicet Minoris frater Iudæ 1. 1. & *Lebbæus*, vt habet hîc Græcus & Syrus, id eſt, *corculum*, ait Hieronymus לֵב *leb* enim eſt cor. Sic & Angelus Caninius in Nomin. noui Teſtamenti cap. 13. vel vt alij, *Leoninus*: לָבִיא *labi* enim eſt Leo, qui primus Iudas patriarcha, filius Iacob, dictus eſt Leo Geneſ. cap. 49. v. 9. De Iuda hoc dixi præfatione in eius epiſtolam.

VERS. 4. Luc. 6. 15. 16. Mar. 3. 18. 19.

SIMON CHANANÆVS, ET IVDAS ISCARIOTES, QVI ET TRADIDIT EVM] Simon hîc dicitur Chananæus, quia oriundus non ex Chananæis, vt vult Munſterus, qui in Euang. Hebræo



*Simon dictus Chananæus.*

S. Matthæi eum nominat כְּנַעֲנִי *kenaani*, id eſt, *Chananæum*, à Chanaan oriundum: ſed perperam: omnes enim Apoſtoli fuêre Iudæi. Dicitur ergo Chananæus, quia natus in Cana (vnde præcisè Canæus dicendus eſſet, ait Caninius) Galilææ, imò Nicephorus lib. 8. cap. 30. & Baronius cenſent ipſum fuiſſe ſponſum in nuptijs, ad quas vocatus Chriſtus, aquas vertit in vinum Ioan. 2. Verùm quia *Cana* Hebr. ſignificat *zelum*, hinc *Cananæus* quoque, id eſt, *zelotes*, dictus eſt, ait S. Hieronymus, alluſione ad vrbem Cana, æquè ac ad zelum eius. Sicut ſi quem virum fortem Valentię natum, Valentinum vel valentem voces, vt ſignifices eum Valentię natum, & ſimul viribus pollere. Simili modo Simon vocatur Chananęus, id eſt, Zelotes, quia in Cana natus eſt, & ingentem habuit קִנְאָה *kina*, id eſt, zelum.

*Iudas Iſcariotes vnde dictus?*

ET IVDAS ISCARIOTES] ita dictus quaſi אִישׁ קְרִיּוֹת *Iſch krioth*, id eſt, *vir ex Carioth*, vrbe tribus Iuda oriundus, de qua Ioſue cap. 15. v. 25. Ita Angelus Caninius in nomin. Hebr. cap. 13. vnde Syrus vertit *Ihoudo Scarioutho*. Melius alij cenſent eum ita dictum, quia oriundus erat ex vico Iſcarioth in tribu Ephraim, non longè à Samaria. Ita ſanctus Hieronymus hîc & in Iſaię 28. verſ. 1. Maldonatus, & Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ p. 28. num. 60. *Iſcariotes*, Hebr. idem eſt, quod *mercenarius*: שָׂכָר *ſachar* enim eſt merces, idque appoſitè competit Iudæ, qui mercede 30. denariorum vendidit Chriſtum. Ita S. Hieronymus.

*Cur Chriſtus elegerit Iudam Iſcariotem.*

Elegit Iudam Chriſtus, licèt ſciret eum fore ſuum proditorem, tum quia proditionem eius pati volebat, illamque addere ad cumulum paſſionis ſuæ, quia volebat illam eſſe pleniſſimam in omni genere, ideoque voluit pati quoque à diſcipulis, & prodi à ſuo Iuda: voluit enim pati omne genus tormentorum, & ab omni hominum genere; tum vt doceret nos non tantùm bonis & gratis, ſed & malis ac ingratis benefacere. Audi S. Ambroſium lib. 5. in Lucam: *Eligitur & Iudas non per imprudentiam, ſed per prouidentiam, ſcilicet ab eo prodi voluit Chriſtus, vt tu, ſi à ſocio deſertus, ſi à ſocio proditus fueris, moderatè feras tuum erraſſe iudicium, periſſe beneficium.* Vide ſanctum Hieronymum, in Iſaiæ 28. v. 1. vbi illud *Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim & flori decidenti, gloriæ exultationis eius*, pro quo Septuaginta vertunt: *Væ coronæ iniuriæ mercenarij Ephraim flos cadens de gloria ſuper verticem montis pinguis*, myſticè accipit de Iuda proditore: *Qui*, inquit, *de tribu Ephraim, & de vico eiuſdem tribus Iſcarioth, Dominum pretio vendidit, qui verò flos Apoſtolicæ gloriæ cecidit ſuper montem pinguiſſimum, de quo dictum putamus: Manducauit & bibit Iacob, & ſaturatus eſt, & impinguatus, & recalcitrauit dilectus. Siue iuxta Hebraicum: Super vallem pinguium, id eſt, Geſſemanim, in qua etiam nomen loci ſignificatur, in quo Iudas dominum tradidit.* Et poſt nonnulla: *Ebrius autem fuit proditor non vino, ſed auaritiâ & furore aſpidum inſanabili, & diaboli cibo, qui poſt buccellam intrauit in eum, & penitus deuoratus eſt, quia oratio eius verſa eſt in peccatum, & ne pœnitentiæ quidem eius fructum ſalutis habuit.*

*Chriſtus combinat Apoſtolos. Cur?*

Nota Primò: Chriſtus Apoſtolos omnes cõbinat, & cuique ſocium aſſignat, adeoque ſex paria Apoſtolorum conſtituit, Petro enim aſſociat Andream, Iacobo Ioannem, Philippo Bartholomæum, Matthæo Thomam, Iacobo Minori Iudam, Simoni Iudam Iſcariotem, vt quiſque à ſocio haberet adiutorium prædicationis, æquè ac teſtimonium; hac de cauſa miſit eos binos. Lucæ 10. 1. Marc. 6. 7.

*Trinum par fratrũ Apoſtolorũ Apoſtoli.*

Rurſum Chriſtus inter Apoſtolos elegit trinum par fratrum, ſcilicet Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem; Iacobum Minorem & Iudam; addunt aliqui & Simonem Cananæum, quem Iacobi & Iudæ fratrem fuiſſe autumant, vt doceret, quàm ſibi chara ſit φιλαδελφία, id eſt, amor fratrum, iuxta illud Eccl. cap. 25. verſ. 1. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier ſibi conſentientes.* Et Prouerb. c. 18. 19. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.* Vide vtrobique dicta.

*Conſanguinei Chriſti electi Cur?*

Secundò, nota, plures ex Apoſtolis fuiſſe Chriſti cognatos & conſobrinos, vt Iacobum & Ioannem, Iacobum Minorem & Iudam: quia Chriſtus elegit Apoſtolos, non vt eſſent principes opulenti & lauti, ſed ad labores, paupertatem, cruces, aculeos, & martyria. Vnde eis dedit copiam bonorum non temporalium, ſed ſpiritualium, vti charitatis ordo exigit, iuxta quam parentibus & cognatis maiorem, quàm alijs gratiam & ſanctitatem optare & curare oportet. Adde, decebat, vt verbum carnem aſſumens, eos, qui ſibi carne magis erant coniuncti, magis quoque diuinitati ſuæ per gratiam vniret; ideoque fecit, vt ſua mater eſſet ſanctiſſima, deinde S. Ioſeph, vtpote pater nutritius, mox Ioachim & Anna, quaſi auus & auia; Ioannes Baptiſta & Eliſabeth, Iacobus & Ioannes, Iacobus Minor & Iudas, quaſi cognati eius & conſobrini: hi enim quia magis per cognationem carnis fuêre vicini humanitati Chriſti, hinc & diuinitati eiuſdem per gratiam fuêre coniunctiores: ſicut caro & humanitas Chriſti diuinitati fuit coniunctiſſima, imò vnita hypoſtaticè. Igitur in Chriſto hîc nullum fuit vitium acceptationis perſonarum, vti eſt in Prælatis, qui præter fas nepotes & cognatos dignitatibus, præbendis, & opibus onerant verius, quàm honorant.

*Inter Apoſtolos tres primarij.*

Denique Apoſtolorum primarij fuêre tres, ſcilicet Petrus, Iacobus (inde Maior dictus) & Ioannes, quos Chriſtus teſtes ſuæ transfigurationis & paſſionis in horto, aliorumque ſecretorum adhibuit: vnde hi fuêre quaſi tres Eccleſiæ columnæ, & Apoſtolorum triumuiri, vt dixi Actor. 12. 2.

VERS. 5.

HOS DVODECIM MISIT IESVS PRÆCIPIENS EIS DICENS: IN VIAM GENTIVM (Syrus *profanorum*) NE ABIERITIS ET IN CIVITATES (legit interpres πόλεις: iam legunt εἰς πόλιν, id eſt, *in ciuitatem* id eſt, in ciuitates, vel in vllam ciuitatum: eſt enallage numeri) SAMARITANORVM NE INTRAVERITIS:

VERS. 6.

SED POTIVS ITE AD OVES, QVÆ PERIERVNT DOMVS ISRAEL] *In viam Gentium*, id eſt, ad Gentes; via enim Gentium tendit & ducit ad Gentes. Eſt Hebraica catachreſis & metalepſis. Similis eſt Ierem. 2. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti?* q. d. Cur vadis in Ægyptum, cur Ægyptiorum opem imploras?

*Primum Chriſti præceptum Apoſtolis datum.*

Primum eſt hoc Chriſti præceptum, quod ipſe Apoſtolos mittens prædicatum, eis aſſignat, ſcilicet, ne Gentes & Samaritanos adeant, ſed Iudæos; cuius vera ratio erat, quòd Chriſtus volebat primò ſuum aduentum & Euangelium prædicari Iudæis: hi enim erant filij regni, ac filij Abraham, Iſaac, Iacob, Dauidis, &c. quibus à Deo promiſſus erat meſſias, id eſt, Chriſtus: alioqui enim Iudæi contra Chriſtum & Apoſtolos excipere potuiſſent, ac dicere: Tu non es verus Meſſias quia euangelizas Gentibus & Samaritis: Meſſias enim nobis Iudæis à Prophetis promiſſus eſt, non Gentibus. Hoc pręceptum fuit temporarium dumtaxat; durauit enim ſolùm toto tempore vitæ Chriſti: nam poſt paſſionem & reſurrectionem ſuam, Chriſtus miſit Apoſtolos euangelizare Gentibus per totum orbem; tunc enim ſublatum eſt diſſidium Iudæorum & Gentium, & ex vtriſque factum eſt vnum ouile & vnus paſtor, vt patet Matth. 28. v. 19. & Actor. 18. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Euthymius, & alij paſſim. Hoc eſt, quod ait Paulus: *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis* (id eſt, circumciſorum, putà Iudæorum) *propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum.*

VERS. 7. Luc. 9. 2. ſuprà c. 3. 2. & c. 2. 17. *Secundum.*

EVNTES AVTEM PRÆDICATE, DICENTES: QVIA APPROPINQVAVIT REGNVM CÆLORVM] Secundum eſt hoc Chriſti ad Apoſtolos præceptum, idque præcipuum, ſcilicet, vt circumeundo Iudæam, prædicent, inuitent, & impellant homines ad regnum cælorum, q. d. Ego breui morte mea patefaciam hominibus cælum, tot millibus annorum ob peccatum Adæ clauſum: itaque viam aperiam ad illud ingrediendum: inuitate ergo omnes, vt hanc viam capeſſant, regnumque cælorum animosè, terrenas cupiditates calcando, inuadant & occupent. Vide dicta cap. 3. verſ. 2. & cap 4. v. 17. Hæc fuit ſumma & compendium prædicationis Chriſti & Apoſtolorum, in quo includitur prædicatio pœnitentiæ, & abnegationis vitiorum, rerumque omnium, quæ homines à regno cælorum arcent vel impediunt. Adhęc fuit hæc declaratio, quòd tempus dandi regnum cælorum aduenerit, breuique ſit implendum: item quantâ alacritate & diligentiâ omnes & ſinguli ſe pręparare debeāt ad gratiam hanc regni cæleſtis iam oblatam obtinendam; quamque graue ſupplicium maneat illos, qui tantam gratiam non receperint, vel neglexerint. Ita Ianſenius.

VERS. 8. *Tertium.*

INFIRMOS CVRATE, MORTVOS SVSCITATE, LEPROSOS MVNDATE, DÆMONES EIICITE] Tertium eſt hoc Chriſti præceptum, quo iubet, vt poteſtate miraculorum ſibi verſ. 1. datâ ad commune orbis bonum liberaliter vtantur, itaque miraculis prædicationem ſuam non humanam, ſed diuinam eſſe oſtendant, ac fidem, quam pręedicant, à Deo manare toti orbi demonſtrent, atque per ſanitatem corporum inducant ſanitatem imò æternam ſalutem animarum: ideò enim dedit eis poteſtatem ſanandi corpora, vt per eam fidem Chriſti perſuaderent, & ab infidelitate ſanarent animas.

*Quartum.*

GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE] Quartum eſt hoc Chriſti pręceptum. Per τὸ *gratis accepiſtis*, excludit occaſionem ſuperbię, ait S. Chryſoſtomus, cùm ſciant ſe hanc poteſtatem non à ſe habere, ſed à Deo gratis ſine ſuo merito accepiſſe: ſicut τὸ *gratis date*, excludit occaſionem auaritiæ, & ſimoniæ, ne ſcilicet miracula ſua accepto pretio vendant. Rurſum monentur eſſe liberales in exercenda hac poteſtate, vtpote quam gratis à Deo ſine labore & merito acceperunt, hoc fine, vt ipſi liberaliter illam in aliorum vtilitatem expendant: quæ enim gratis accipimus & copiosè, illa liberaliter elargimur inſtar fontium, qui, quò plus aquę foras emittunt, eò plus interiùs admittunt & recipiunt. Senſus ergo eſt, q. d. Donum illud ſanandi ęgros, ſuſcitandi mortuos, &c. tale & tantum eſt, vt illud non potueritis veſtro labore & induſtriâ aſſequi, ſed gratis ſit à Deo vobis elargitum, ac proinde gratis eo vti debetis, vt non tantùm illud pretio non vendatis, ſed nec munera pro eo oblata recipiatis, vti Eliſęus curans Naaman à lepra eius munera reſpuit, Giezi ea ſecreto accipientem leprâ puniuit, 4. Reg. c. 5. v. 16. Hoc eſt, quod de Chriſto pręedixit Iſaias cap. 55. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas*, &c. *Venite emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac*; hęc enim liberalitas decebat ſummum Regem & Principem, putà Chriſtum Dominum, ideoque voluit Apoſtolos ab omni ſpecie, imò vmbrâ ſimonię & auaritię eſſe alieniſſimos, vt nullum munus acciperent, ne homines putarent eos quęrere ſuas opes & burſas, ideoque à fide Chriſti auerterentur: quocirca peccaſſent Apoſtoli, Chriſtique pręceptum violaſſent, ſi ob pręedicationem munera accepiſſent. Sic S. Hilarion, teſte S. Hieronymo in eius vita, cùm plurimos ęgros curaret, nulla admittebat eorum dona, imò nec fragmen panis, dicens: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Et cuidam primario (cui nomen Orionus) quem à legione dęmonum liberarat, vrgenti inſtantique vt munus acciperet, ſaltem vt in pauperes diſtribueret, reſpondit: *Noli contriſtari fili, quod facio, pro me & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio reuertetur.*

*Occaſionē auaritiæ, & ſimoniæ ab Eccleſiaſticis excludit Chriſtus.*

Porrò Conc. Cōſtantinopolitanum Prouinciale in epiſtola Synod. τὸ *Gratis accepiſtis, gratis date*, de Sacerdotio exponit, ne illud per ſimoniam vendatur: hoc enim inter cetera ſpiritalia Dei dona hîc quoque vendi prohibetur.

*Cauſa ſimoniæ quæ?*

Nota: Cauſa pręciſa, cur Apoſtoli gratis dare debeant chariſmata ſibi à Deo data, non eſt hęc, quòd illa gratis à Deo acceperint, qui enim ſciētiam vel artem naturalem à Deo infuſam accepiſſet, vti accepit Beſeleel opifex tabernaculi Exodi 31. hic vtique poſſet eam vendere alioſque eamdem accepto pretio docere, vti faciunt alij artium magiſtri. Cauſa ergo pręciſa eſt hęc quòd hîc res talis ſit, tamque ſublimis, vt non poſſit humanâ induſtriâ haberi, ſed ſolo Dei munere gratis accipienda ſit, eò quòd ſit diuina ideoque omne pretium longè ſuperans & tranſcendens, & hoc ſignificat τὸ *gratis accepiſtis*: quare eam velle pretio ęſtimare & vendere, eſt eam velut profanam indignè tractare, illique ac Deo, à quo ipſa ſuam ſanctitatem habet, indignam vilitatem & iniuriam facere, ideoque eſt ſcelus ſimonię ac ſacrilegij.

Hinc patet hoc pręceptum non eſſe iuris poſitiui, putà diuini, ſed eſſe iuris naturę, pręſertim quia Chriſtus in nouo Teſtamento nulla



ſanxit noua præcepta poſitiua, niſi fidei & Sacramentorum, vti paſſim docent Theologi ex S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 3. & q. 107. art. 2. & 3.

*Rem ſacrā cum alia re ſacra permutare, an ſit ſimonia?*

Dices: Ergo pariter qui rem ſacram cum alia re ſacra permutat, eſt ſimoniacus iure naturæ & diuino, quia non dat eam gratis. Admittit id Adrianus quodlibeto 9. ad 4. concluſ. lit. E, ſed reſpond. negando conſequentiam: Gratis enim dare hîc eſt dare ſine mercede vel pretiò temporali, vt colligitur ex ſequent. *Nolite poſſidere aurum*, &c. res ſacræ autem non habent pretium temporale: hoc autem non exigitur vel accipitur, quando res ſacra cum alia ſacra commutatur. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, & alij. Vide Leſſium tract. de Simonia dub. 3. Hoc Chriſti præceptum imitentur viri religioſi & Apoſtolici, quia ad Chriſti gloriam & conuerſionem animarum facit quàm maximè, vti manifeſtè experientiâ 40. annorum didici. Quocirca S. Ignatius fundator Societatis noſtræ meritò regulâ 17. Summarij conſtit. ita ſancit: *Omnes, qui ſub obedientia ſunt Societatis, meminerint ſe gratis dare debere quæ gratis acceperunt, nec poſtulando, nec admittendo ſtipendium vel eleëmoſynas vllas, quibus Miſſæ, vel confeſſiones, vel prædicationes, vel quoduis aliud officium ex ijs, quæ Societas iuxta noſtrum inſtitutum exercere poteſt, compenſari videatur, vt ſic maiori cum libertate poſſit, & proximorum ædificatione in diuino ſeruitio procedere.*

*Gratis dare, ſummi eſt momenti. Cur?*

*Exempla.*

Verum eſt illud Chilonis apud Laërtium l. 1. *Aurum cotibus exploratur; mentes hominum, auro.* Et illud Tullij lib. 2. Offic. *Homines maximè admirātur eum, qui pecuniâ non mouetur*; imò illam vt venenoſum ſerpentem auerſatur & fugit. Quocirca S. Antonius ingenti auri maſsâ in itinere conſpectâ, magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido curſu, quaſi quoddam vitaret incendium, ad montem vſque perrexit. Abbas Pambo trecentas argenti libras à Melania delatas repudiauit. B. Barlaam roganti Ioſaphat, vt pro ſe exiguum pecuniæ in victum & veſtitum acciperet, qui pro ſodalibus nihil acceperat, renuit ac reſpondit: *Si pecuniarum poſſeſſio bona eſſet, illis certè ante me eas impertiſſem: quoniam autem exitioſam earum poſſeſſionem eſſe ſcio, nec illos, nec me item huiuſmodi laqueis implicabo.* Pecunia quoties offerebatur S. Vincentio Ferrerio per caſtella prædicanti, vetabat à ſocijs ſuis accipi. S. Franciſcus, teſte S. Bonauenturâ in eius vita cap. 7. *Pecunia*, ait, *ſeruis Dei nihil aliud eſt, quàm diabolus & coluber venenoſus.* Denique S. Petrus Simoni Mago offerenti pecuniam: *Pecunia tua*, ait, *tecum ſit in perditionem.* Actor. 8. 20.

*S. Antonij.*

*Abbatis Pambo Barlaam.*

*S. Vincentij Ferrerij.*

*S. Frāciſci.*

*S. Petri.*

VERS. 9. Luc. 9. 3. Mar. 9. 8. *Triplex pecunia: aurea, argentea, & ænea.*

NOLITE POSSIDERE AVRVM, NEQVE ARGENTVM, NEQVE PECVNIAM IN ZONIS VESTRIS] *Neque pecuniam*, ſcilicet vllam aliam, v. g. æneam; vnde Græcè eſt μηδὲ χαλκόν, id eſt, neque æs. Triplex enim eſt pecunia; aurea, argentea, & ænea, imò omnis pecunia, ait Budæus de Aſſe, primò ænea fuit, deinde argentea, demum aurea. *In zonis*, id eſt, *in marſupijs vel crumenis*, vt vertit Syrus. Olim enim burſas & crumenās ad zonas appendebant, aut zonæ intexebant, vel attexebant, præſertim milites & itinerantes; vnde prouerbium; *Zonam perdidit*, de eo, cui nihil eſt pecuniæ: inde loculi dicti ſunt zonæ. Vide Nebriſſenſem quinquagenâ 50. Vnde & Gracchus apud Gellium lib. 5. cap. 12. *Cùm Româ profectus ſum*, inquit, *zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex prouincia inanes retuli.* Alexander Imperator apud Lampridium: *Miles*, ait, *non timet, niſi veſtitus, calceatus, armatus, & habens aliquid in zona.* Peſcennius Niger apud Spartianum vetuit, ne milites zonam ſecum deferrent in bellum: ſed ſi quid haberent pecuniæ, publicè commendarent, recepturi poſt prælium, ſimul & ipſis luxuriei materiam eripiens, & hoſti prædam, ſi quid aduerſi eueniſſet.

*Quintum Chriſti præceptum. Tres eius cauſæ.*

Quintum eſt hoc præceptum de non poſſidendis opibus, à Chriſto datum Apoſtolis tribus de cauſis. Prima, vt omni terreno affectu, æquè ac ſollicitudine expediti, toti à Dei prouidentia penderent confidentes & ſecuri, quòd illa de omnibus neceſſarijs abundè eis proſpiceret. Secunda, vt toti Euangelio inſiſterent, ad illudque prædicandum omnes cogitationes & curas conuerterent. Tertia, vt omnibus gentibus illuſtre darent exemplum ſimplicitatis, ſobrietatis, paupertatis, contemptus opum, ſanctitatis, animique excelſi & cæleſtis, quo per Angelicam hanc vitam, ait S. Chryſoſtomus, & Euthymius, omnes in ſui amorem & admirationem raperent: *Nihil enim*, ait Euthymius, *ita admirandos reddit, ſicut vita frugalis, ac quibuſlibet obuijs contenta.* Quare Chriſtus hîc non tantùm vetat Apoſtolis præparationem pecuniarum ad viaticum, vt vult Ianſenius, ſed omnem omnino poſſeſſionem, vt patet ex τὸ *nolite poſſidere*: hæc enim poſſeſſio multò magis ſui curâ diſtraxiſſet & impediſſet Apoſtolos, quàm viaticum. Ita Maldonatus. Dices Lucæ cap. 9. verſ. 3. explicatur hoc Chriſti præceptum, dicendo: *Nihil tuleritis in via*, Græcè *in viam*, id eſt, pro via & itinere conficiendo. Reſpondit Maldonatus, per viam totam eorum peregrinationem & legationem, ac conſequenter vitam omnem intelligi, iuxta illud verſ. 5. *In viam Gentium ne abieritis.* Simpliciùs dicas, Chriſtum expreſsè quidem vetare tantum Apoſtolis, ne ferant ſecum pecuniam ad viaticum, implicitè tamen ſub hoc vetare omnem rei temporariæ, & pecuniæ æſtimabilis poſſeſſionem: qui enim v. g. agrum poſſidet vel domum, hoc ipſo virtute pretium & pecuniam poſſidet: domus enim vel ager pretio & pecuniâ eſt æſtimabilis. Vnde Matthæus pleniùs ait: *Nolite poſſidere.* Chriſtus autem id hîc diſertè non expreſſit, quia illud iam factum ab Apoſtolis præſupponit. Apoſtoli enim vocati à Chriſto, relictis omnibus etiam naui & retibus, ſecuti ſunt Chriſtum.

Symbolicè S. Hieronymus: *Aurum*, ait, *ſæpè legimus pro ſenſu, argentum pro ſermone, æs pro voce* (accipi) *hæc nobis non licet ab alijs accipere, ſed data à Domino poſſidere.*

*An perpetuum hoc præceptum.*

Quæres, an hęc Chriſti pręcepta de non poſſidenda pecunia, calceis, virga, & duabus tunicis data Apoſtolis fuerint perpetua, an temporalia dumtaxat? S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Ambroſius lib. 9. in Lucam, S. Auguſtinus lib. 2. de Cōſenſu Euang. c. 30. & ex ijs Maldonatus cenſent fuiſſe perpetua, ita vt Apoſtoli per omnem vitam, quâ prædicarunt Gentibus, obligati fuerint hac formâ & ſpecie paupertatis. Alij paſſim cenſent fuiſſe temporalia, ac obligaſſe eos dumtaxat eo tempore, quo viuente Chriſto prædicabant Iudæis.

*Reſp. fuiſſe temporale.* Dico Primò, propriè & præciſè hæc præcepta fuêre data Apoſtolis, dumtaxat pro tempore; quo primò miſſi ſunt bini à Chriſto prędicare per Iudęam, vt Iudęis hoc opum contemptu, atque hac vitâ Angelicâ & cęleſti perſuaderent ſe eſſe Apoſtolos veri Meſſię, id eſt, Chriſti, qui è cęlo in carnem deſcendens, omnes ad cęleſtem vitam & gloriam ſpretis rebus terrenis vocabat. Id patet primò ex verſ. 5. ex quo ſequentia hęc pręcepta pendent: *in viam Gentium*, inquit, *ne abieritis*, &c. *ſed priùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Primò enim Iudęis oſtendendus & perſuadendus erat Meſſias, vt illis eum recipientibus, Gentes faciliùs eum reciperent.

*Probat. Primò.*

*Secundo* Secundò, id patet ex Lucę 22. 35. vbi de pręterita hac miſſione & pręcepto loquens Chriſtus: *Quando*, inquit, *miſi vos ſine ſacculo, & perâ,* B *& calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt*: Nihil. *Dixit ergo eis*: *Sed nūnc*, &c. vbi Tò *miſi* ſignificat elapſum iam eſſe hoc præceptum; & Tò *nunc* ſignificat aliud diuerſum nunc eis præcipi, ſcilicet, vt tollant peram, & emant gladium.

*Tertio.* Tertiò, quia Apoſtoli per Gentes proficiſcētes ibant ad infideles, qui eos quaſi hoſtes deorum ſuorum primâ fronte auerſabantur, nec eis hoſpitium & cibum dare dignabantur, donec per miracula & ſanctitatem vitæ eius fidem adhiberent: ergo antequam eis fidem perſuadeſent, debebāt ſibi de victu prouidere, præſertim quia ſæpè magno comitatu catechiſtarum, interpretum, & aliorum coadiutorum incededant. Vnde Paulum proficiſcentem Hieroſolymam comitati ſunt Sopater, Ariſtarchus, Secundus, C Caius, Timotheus, Tychicus, & Trophimus, vt patet Actor. 20. 4.

Quocirca Apoſtoli permittebant mulierem piam, honeſtam & diuitem ſe comitari, quæ eos aleret, Id diſertè patet 1. Corinth. 9. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem*(Chriſtianam) *circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli?* Idipſum fecit Chriſtus, qui permiſit Magdalenam, aliaſque pias feminas à ſe conuerſas more gentis ſe comitari, ac ſe ſuoſque ſuſtentare, vt patet Lucæ 8. v. 3. Imò Iudas *loculos habebat*, &c. *& ea, quæ mittebantur, portabat.* Ioan. 12. 6. & Ioan. 6. diſcipuli aiunt Chriſto: *Vnde ememus panes, vt manducent hi*

Inſtabis, cur Chriſtus præceptum, quod dedit Apoſtolis de non portandis pecunijs, ipſe non ſeruauit? Reſpond. Chriſtus in ſe ſeruauit, D quia ipſe non portabat loculos, ſed Iudas, ac cùm initio ſolus cœpit prædicare, loculis omninò caruit, vt patet ex illo: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Matth. 8. 20. Quoad Apoſtolos verò 12. & diſcipulos 72. quos ſecum ducebat, alendos, permiſit Iudam portare loculos: quia aliàs eos alere fuiſſet impoſſibile. Quis enim tantam hominum multitudinem hoſpitio excipere, & continuò ſuſtentare voluiſſet, aut potuiſſet? Apoſtolos autem ipſe per Iudæam miſit binos dumtaxat: bini autem facilè apud aliquem virum pium hoſpitium, & victum reperire poterant. Similì modo S. Franciſcus Xauerius proficiſcens ad Indos, nil viatici in nauim intulit, imò oblatum à rege Luſitaniæ refutauit, ſed ci- A bum à nautis & nauigantibus quotidie mendicauit, quia ſolus erat. At iam cùm quinquageni & centeni è Societate Ieſu, & alijs ordinibus in Indias euangelizaturi ſæpiùs mittuntur, viaticum apud ſe aut alium habeant oportet. Quis enim nautarum, aut vectorum omnes illos per ſex nauigationis menſes quotidie paſcere poſſet aut vellet? Sic S. Vincentius Ferrerius, qui more Apoſtolico Europę prouincias euangelizando obiuit, ſecumque centenos, imò millenos ducebat, habebat ſuos procuratores, qui ſingulis de victu alijſque neceſſarijs prouiderent. Nec enim indigenæ hos ſumptus præſtare potuiſſent.

*S. Franciſcus Xauerius.*

*S. Vincentius Ferrerius.*

*Quarto.* Quartò, idipſum patet ex Actor. 4. & 5. vbi primi fideles omnes ſuas facultates offerebant Apoſtolis, ex quibus ipſi & ceteri omnes viuebant. Quin & Paulus, qui aliàs animo excelſo, ſe ſuoſque labore manuum ſuarum, faciendo tabernacula, eaque vendendo ſuſtentabat, in carcere tamen Romano, & ſubinde aliàs ex eleēmoſynis Philippenſium vixit, vt patet Philipp. c. 4. v. 14. & ſeq.

*Quinto.* Quintò, ita docet S. Chryſoſtomus hom. 9. in epiſt. ad Philipp. *Præcepta*, ait, *illa temporalia erant, & non perpetua*, S. Thomas & S. Anſelmus, Hugo, Dionyſius Carthuſ. Ianſenius, Barradius, Toletus, Franc. Lucas hîc, & Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 26. Audi S. Thomam: *Ante paſſionem*, inquit, *miſſi ſunt Apoſtoli ad Iudæos. Apud Iudæos autem conſuetudo erat, quòd ſuis debebant prouidere magiſtris: ideò Chriſtus nihil ferre præcepit Apoſtolis, cùm mitteret eos ad Iudæos. Sed iſta non erat conſuetudo in Gentibus. Ideò cùm miſſi ſunt ad Gentes, data eſt eis licentia portandi ſumptus: portabant igitur, quando prædicabant alijs quàm Iudæis.*

*Fuit perpetuum quoad ſubſtantiam.* Dico ſecundò: Hæc tamen præcepta quoad eorum ſubſtantiam & ſcopum, qui erat oſtendere animum alienum ab auaritia, ac præ ſe ferre magnum contemptum rerum omnium terrenarum, & deſiderium cæleſtium, æquè ac fiduciam in Deum, Deique prouidentiam: hæc enim hiſce præceptis Apoſtolis imprimere voluit Chriſtus, atque hæc Apoſtoli reipsâ præſtiterunt, cùm recepto Spiritu ſancto in Pentecoſte, non niſi cæleſtia cogitabant, dicebant, agebant. Quocirca hæc Chriſti præcepta non tantùm quoad ſcopum, ſed etiam quoad modum præciſè ad litteram ſeruarunt Apoſtoli, quandocumque & vbicumque id facere potuerunt: imò Paulus hiſce præceptis conſilium addidit. vt ſumptus ſuſtentationis à fidelibus non acciperet, ſed labore manuum ſibi victum pararet, Et hoc tantùm voluêre Patres initio citari. Hoc paupertatis Apoſtolicæ exemplum imitatus S. Franciſcus, cùm ſuos fratres binos euangelizatum mittebat, non aliud viaticum eis dabat, quàm hoc: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.*

NON PERA IN VIA, NEQVE DVAS TVNICAS NEQVE CALCEAMENTA, NEQVE VIRGAM. DIGNVS EST ENIM OPERARIVS CIBO SVO] Vers. 10. Mar. 6 v. 8. & 9. Pera eſt marſupium, vel ſacculus viatorius, in quo itinerantes deferunt panes & eſcas, quos in via comedebant; vnde adagium: *Mendici pera non impletur.*

NEQVE DVAS TVNICAS] Mutatorias intelligi, ſcilicet, duo paria tunicarum, ait D. Thomas,



mas, vt nunc vnum, nunc alterum induas: alioqui frigoris aut neceſſitatis causâ, duabus ſimul indui tunicis non vetat, nam & ipſe Chriſtus duabus indutus fuit, vt patet Ioan. 19. 23. ita S. Hieronymus, Ianſenius, & Maldonatus.

Simpliciùs Lyranus, Toletus, & Barradius, abſolutè vnicam hîc tunicam præcipi intelligunt, vna enim in Iudæa, vtpote regione calidâ tunica ſufficit. Vnde & Chriſtus vnicam tantùm externam habuit: nam illa inconſutilis interna erat loco indulij, vel ſubuculæ: externæ deinde pallium inijciebant. Vnde Euthymius in Matth. cap. 27. docet Chriſtum tria tantùm habuiſſe veſtimenta, ſcilicet ſubuculam, tunicam, & ſuperius indumentum, quale apud nos eſt toga vel pallium.

*S. Franciſcus ſuum inſtitutum hauſit ex hoc loco.* S. Franciſcus in Eccleſia S. Damiani, auditus in Miſſa recitari Euangelium hoc, quo Chriſtus B diſcipulis ad prædicandum mittendis, formam tribuit Euangelicam viuendi, ne videlicet poſſiderent aurum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas, nec calceamenta, nec virgam, finitâ Miſsâ clariùs ea ſibi explicari petijt, quo facto incredibili perfuſus lætitiâ: hoc eſt, inquit, quod cupio, hoc, quod totis præcordijs concupiſco. Hoc fuit initium, hæc fuit cauſa conuerſionis eius: hoc inſtitutum eius, ad æmulandam paupertatem Apoſtolicam. Quare ſtatim hæc omnia executioni dedit Chriſti diſcipulus, vt Chriſto in Euangelio plenè obſequeretur, ſeque coaptaret: calceamenta ergo ſoluit de pedibus, depoſuit baculum, peram reiecit, pecuniam execratus, vnaque contentus tunicâ, reiectâ corrigiâ, pro cingulo funem ſumpſit, idque per omnem vitam. Ita S. Bonauentura c. 3. vitæ eius, & C alij: vnde viuens & moriens diſertè aſſeruit: *Ipſe Dominus reuelauit mihi, quòd deberem viuere ſecundùm formam S. Euangelij.*

NEQVE CALCEAMENTA] Duplicata, ſiue duo paria calceorum æquè ac tunicarum, ait S. Thomas, & Caietanus; & innuit S. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 30. Euthymius verò vult Chriſtum primò hîc apud Matthæum Apoſtolis vetuiſſe calceos, deinde verò poſteà apud Marcum indulſiſſe eis ſandalia. Verùm de eodē loco & tempore agit Marcus, de quo Matthæus hîc, vt patet conferenti vtrumque.

*Sandalia permiſſa Apoſtolis.* Simpliciùs dicas, calceos hîc vetari, qui pedem totum tegant, non ſandalia, hoc eſt, ſoleas, quæ plantam pedis dumtaxat muniunt, ne in ſaxa impingant: hæc enim Apoſtolis conceſſa docet Marcus cap. 6. verſ. 9. Iudæa enim aſpera & D ſaxoſa eſt regio, æquè ac calida: quare ſandalia pedes contra ſaxa protegunt & calorem arcent eò quòd ſupernè pedes relinquant nudos. Ita S. Hieronymus, Euthymius, Ianſenius, Toletus. Maldonatus, & S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 30. calcei verò pedem ſtringunt, & quaſi incarcerant, vt minùs ſit liber & expeditus ad iter, atque eumdem ſæpè nimis calefaciunt. Calceos ergo vetuit Chriſtus Apoſtolis per Iudæan peregrinantibus, vt expeditiores forent ad iter, vtque eis nimiam pedum curam adimeret. Calcei verò Græcè vocantur ὑποδήματα, id eſt, ſubligacula, quia olim ſupernè ligaculis ſtringebantur, vti etiamnum apud multos fit. Porrò ſandalijs Apoſtolos poſt Chriſti aſcenſionem vſos, patet Actor. 12. vbi A Angelus ad Petrum: *Calcea*, ait, *te caligas tuas*: Græcè *ſandalia tua.* Et tale eſt ſandalium & Andreæ, quod Treuiris in cathedrali Eccleſia à R. D. Præpoſito mihi oſtenſum fuit. Talia quoque geſsêre Iſaias, Ieremias & Ezechiel Prophetæ, vt patet ex antiquis eorum imaginibus in codice Baſilij Porphyrogeniti Imper. quæ extant in Vaticano, quas curaui expingi & præfigi Prophetis maioribus. Talia denique exhibet imago B. Virginis Romæ depicta à S. Luca: Puer enim Ieſus in eius brachijs pingitur cum ſandalijs, quæ ſupernè per ligacula circumligantur pedi, ita vt pedes & digiti pedum Chriſti ſint intecti prorſus & nudi, planta verò pedum ſoleâ tegatur. Talia quoque exemplo Chriſti geſtauit S. Franciſcus, & eius ſequaces Capucini.

*Sandalium S. Andreæ Treuiris.*

*Primi Chriſtiani caruerunt calceis.* B Hoc Chriſti & Apoſtolorum exemplum ſecuti multi è primis Chriſtianis, inceſſerunt ſine calceis. Id docet Lucianus in Philopatro, vbi habitum Chriſtiani deſcribens: *Pallium putre*, ait, *ſine calceis & tegmine, capite nudo incedens, detonsâ comâ. Sic & Plato*, ait S. Hieronymus hîc, *præcepit duas corporis ſummitates*(caput & pedes)*non eſſe velandas, nec aſſueſieri debere mollitiei capitis & pedum. Cùm hæc enim habuerint firmitatem, cetera robuſtiora ſunt.* De pallio verò Chriſtianorum olim erat adagium: *A toga ad pallium*, id eſt, à Gentiliſmo tranſijt ad Chriſtaniſmum: Gentiles enim togâ amiciebantur, Chriſtiani pallio. Vnde Tertullianus lib. de Pallio c. 5. *Calceos*, ait, *nihil dicimus, proprium togæ tormentum, immundiſſimam pedū tutelam, verùm & falſam. Quàm enim non expediat in algore & ardore rigere nudipedē, quàm in cal-* C *ceo vincipedem. Magnum inceſſui munimentum ſutrinæ. Veneriæ proſpexêre, perones*(calceos)*effeminatos.* Clariſſimè verò Clemens Alexand. lib. 2. Pædagog. c. 11. *Viro*, ait, *pulchrè conuenit nullos habere calceos, præterquam ſi militet. Calceatum enim eſſe non paruam habet affinitatem cum eo, quod eſt eſſe ligatū. Optimum eſt exercitationis genus nudis vti pedibus, & ad ſanitatem, & ad expeditam facilitatem, vbi non prohibeat neceſſitas; quod ſi iter non ingredimur, nec nudis incedere pedibus pati poſſimus, ſoleis vtendum eſt; eas autem Attici vocant κονίποδας, quòd pedes, quantum ego conijcio, terræ appropinquarent. Tenuis ac ſimplicis calceaturæ teſtis Ioannes ſufficit, qui dicebat ſe non eſſe dignum ſoluere corrigiam calceamētorum Domini, non enim curioſos is habebat calceos, qui veræ philoſophiæ typum Hebræis oſtendebat.*

*A toga ad pallium.*

*Symbol.* Symbolicè S. Aug. l. 2. de Conſenſu Euang. D c. 30. *Marcus*, inquit, *dicit calceatos ſandalijs vel ſoleis, quibus ſcilicet pes, nec tectus deſuper, nec nudus ad terram, nempe volebat Dominus non occultandum Euangelium, nec terrenis commodis innitendum.*

Rurſum Gloſſa: Apoſtolo abijcienda ſunt, inquit, aurum, id eſt, ſapientia ſæcularis: argentum, id eſt, facundia: pecunia zonæ, id eſt, ſapientia abſcondita: pera, id eſt, onus ſæculi: calceamenta, id eſt, mortuorum operum exempla. Audi S. Hieronymum epiſt. 24. ad Marcellam de Obitu Leæ: *Hæc*, inquit, *quam vnius cubiculi ſecreta vallabant, quæ pauper videbatur & tenuis, cuius vita putabatur amentia, Chriſtum ſequitur & dicit: Quæcumque audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Dei noſtri, & reliqua. Quapropter moneo flens, gemenſque conteſtor, vt dum huius mundi viam currimus, non duabus tunicis, id eſt, duplici veſtiamur fide:*

non

*non calceamentorum pellibus, mortuis videlicet operibus prægrauemur, non diuitiarum nos pera ad terram premat: non virgæ, id eſt, potentiæ ſæcularis quæratur auxilium: non pariter & Chriſtum velimus habere & ſæculum, ſed pro breuibus & caducis æterna ſuccedant; & cùm quotidie (ſecundùm corpus loquor) præmoriamur, in ceteris non nos perpetuos exiſtimemus, vt poſſimus eſſe perpetui.*

Neqve virgam] Dices: Marcus c.6. v.9. contrarium habet, ſcilicet, *ſed virgam tantùm*, Reſp. S. Marcum loqui de מִשְׁעָן *miſcham*, id eſt, virgâ, ſeu baculo, & fulcimine, cui innitaris. Hic enim eſt ſymbolum viatorum pauperum, qui baculo innixi incedunt, vt fatigationem leuent, ſicuti inceſſit Iacob peregrinans in Meſopotamiam Geneſ. 32.10. Matthæus verò hîc loquitur de מַטֶּה *matte*, id eſt, virga defenſoria, vel vindicatoria, quam Chriſtus Apoſtolis vetat; pro quo nota Græcum ῥάβδος, id eſt, *virga*, tria ſignificare, primò inſigne honoris & poteſtatis, quale eſt ſceptrum regum, faſces conſulum, virga prętorum & iudicum, quę Hebr. dicitur שֵׁבֶט *ſcebet*, vnde *ſceptrum*: de qua Dauid Pſal. 2. *Reges eos in virga ferrea*. Et Pſal. 44. *Virga æquitatis virga regni tui*. Et Iſaias c. 14. *Contriuit Dominus baculum impiorum, & virgam dominantium*. Hinc & ῥαβδοφόροι, id eſt, *virgiferi* vocabantur lictores & viatores, per quos magiſtratus denuntiabant, quid vellent fieri: horum enim inſigne erat virga, quam geſtabant. Sic & Iudæorum doctores virgam manu ferebant, ait Lyranus velut doctrinæ inſigne, vti nunc ludimagiſtri ferunt ferulam. Hanc Apoſtolis vetat Chriſtus, quia iubet eos præ ſe ferre modeſtiam, humilitatem, non auctoritatem & poteſtatem imperioſam. Talem enim virgam geſtauit Moſes legiſlator durorum Iudæorum, quâ & Pharaonem per decem plagas contriuit, & rebelles Iudæos caſtigauit: at non Chriſtus, cuius lex eſt ſpiritus amoris & ſuauitatis.

*ῥάβδος, id eſt virga, tria notat. Primò.*

*Secundò.* Secundò ῥάβδος ſignificat *matte*, id eſt, virgam, ſeu baculum, quo alios ferias & percutias, ſicut præceptores virgis flagellant diſcipulos, de qua Pſal. 88. *Viſitabo in virga iniquitates eorum*. Et Exodi 21. v. 20. *Qui percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam virgâ*; imò ruſticorum & pauperum arma ſunt virgæ & baculi. Vnde Dauid contra Goliath proceſſit non alijs armis inſtructus, quã baculo & fundâ. 1. Reg. 17. Et Ezechiel. c. 39. agens de Cæde Gog: *Comburent*, ait, *arma, clypeum & haſtam, arcum & ſagittas, baculos manuum & contos*. Et Iſaias cap. 10. *Virga furoris mei Aſſur*. Per virgam ergo hîc ſynecdochicè quælibet arma intellige: hæc enim Chriſtus vetat Apoſtolis, quos iubet non armis, ſed Deo fidere, ac diuinæ tutelæ eſſe teſtes & præcones; atque fidem, non pugnando, ſed patiendo propagare. Nam, *qui Domini habet auxilium, cur quærat baculum?* ait S. Hieronymus.

*Tertiò.* Tertiò ῥάβδος ſignificat מִשְׁעָן *miſchan*, id eſt, fulcimen, virgam & baculum, cui incumbas, & hanc Apoſtolis permiſit Chriſtus, tum quia inſigne eſt pauperum viatorum, tum quia facit ad leuamen itineris & laboris.

*Virga amicitiæ teſſera.* Porrò Ioannes Alba lib. Electorum pag. 337. per virgam accipit eam, cui inſculpta erat conteſſeratio & ſignum amicitiæ, vt virga ſit idem, quod teſſera amicitiæ, quam oſtendebant, cùm ad amicos incognitos diuertebant, vt ex ea reciperentur quaſi amici; vnde cùm renuntiabant amicitiæ, dicebantur frangere teſſeram amicitiæ, putà virgam conteſſerantem amicitiam; vt ſenſus Chriſti ſit, q.d. nolite humanis niti præſidijs; nolite ferre teſſeram amicitiæ, vt ex ea recipiamini: Deus enim vobis prouidebit de hoſpitio & hoſpite. Verùm nulla hîc teſſeræ vel amicitiæ fit mentio, ſed virgæ dumtaxat.

Symbolicè virga notat poteſtatem Apoſtolorum, ait S. Aug. lib. 2. de Conſ. Euang. c. 30.

Dignvs est enim operarivs cibo svo] Cauſam dat, cur vetuerit viaticum, &c. Quia, inquit, Iudæi, quibus prædicabitis, vos alent: dignus eſt enim prædicator cibo ſuo, quo ſignificat & Iudæos debere eos, qui ſibi Euangelium prædicant, ſuſtentare, & prædicatores iure ſuo inde poſſe viuere. *Accipiant prædicatores*, ait S. Chryſoſtomus, *ſuſtentationem à populo, mercedem à Deo*, Alibi tamen hæc ſuſtentatio vocatur merces à ſimilitudine operariorum, quibus illa quaſi pars mercedis tribuitur, etſi in prædicatoribus propriè non ſit merces, quia prædicatio omne pretium, & omnem mercedem humanam longè ſuperat & tranſcendit. S. Paulus 1. Cor. 9. vocat ſtipendium à ſimilitudine militum, quibus datur non vt merces (quantula enim eſt ad periculum, quod ſubeunt?) ſed vt ſuſtentatio debita. Operamini ergo in vinea Domini, ô Apoſtoli, & prædicate ſtrenuè, nec ſolliciti ſitis de cibo, id eſt, victu & veſtitu, quia Deus de illo vobis abundè prouidebit, vel per hoſpites veſtros, vel aliundè ex ditiſſimis prouidentiæ ſuæ theſauris.

*Vers. 11. Luc. 9.4. & c. 10.7. Mar. 6.10. 10.*

In qvamcvmqve avtem civitatem, vel castellvm intraveritis, interrogate, qvis in ea dignvs sit, et ibi manete, donec exeatis] *Dignus*, ſcilicet aptus & congruus Euangelio, & vobis hoſpitibus, id eſt, qui ſit timens Deum, religioſus, probatæ vitæ, auidus ſalutis, hoſpitalis maximè erga pauperes & pios, præſertim prædicatores; quique, vt ait S. Hieronymus, *magis ſe nouerit accipere gratiam, quàm dare*, vos hoſpitio recipiendo, quòd ſcilicet à vobis recipiat fidem gratiam, & ſalutem, ac veſtræ prædicationi ad multorum conuerſionem cooperetur, quæ longè maiora ſunt, quàm hoſpitium, quod ipſe dat vobis.

*Sextum Chriſti præceptum.* Sextum eſt hoc præceptum, quod Apoſtolis per Iudæam prædicaturis dat Chriſtus de hoſpite, vt ſcilicet non diuertant apud aliquem, vel à fide Chriſti auerſum, ne ab illo malè tractentur, vel infamem, ne is ſuam infamiam eis afflet, ſed apud virum probum & propenſum ad pietatem & hoſpitalitatem, qui & eorum prædicationi libens cooperetur, & bonum nomen apud ciues ſuos eis conciliet. *Hoſpes*, ait S. Hieron. *famâ deligendus eſt populi, & iudicio vicinorum, ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamiâ deturpetur.*

*Non mutet hoſpitium quatuor de cauſis.* Et ibi manete, donec exeatis] Cur? Reſp. Prima cauſa eſt, ne ſi Apoſtoli non maneant, ſed mutent hoſpitium, ipſi leues & inconſtantes eſſe videantur. Ita S. Chryſoſtomus, & Victor Antiochenus in Marci cap. 6. Secunda, ne hoſpitem priorem contriſtent, vel dedecore afficiant, ſi ab eo ad alium digniorem commigrent. Ita S. Ambroſius, & Chryſoſt. Tertia, ne quis dicat eos guloſos, lautiores ditiorum menſas



ſas quærere. Ita Theodoretus. Quarta, ne vagentur, & per domos oberrent, itaque in incõmodas & periculoſas incidant. Audi S. Ambroſium ſerm. 32. *Reprehenſibile eſt, vt vir, qui Euangelium annuntiat, & docet errandum non eſſe, ipſe per diuerſos incipiat oberrare, & domum, cui pacem dixerat, deſerere, hoſpitemque, cui benedictionem intulerat, contriſtare.* Intellige, niſi nimis diu in eodem loco manerent, vt hoſpiti graues forent, aut alia iuſta migrandi cauſa occurreret: tum enim charitas & prudentia ſuaderent hoſpitium commutandum.

*Vers. 12. Luc. 10.5.*

Intrantes avtem in domvm, salvtate eam dicentes: Pax hvic domvi] Syrus: *Pacem precamini illi.* Eſt ſalutatio vetus Hebræorũ, quâ pacem, id eſt, omnia pacifica & proſpera (hæc enim ſecum affert pax, aufert verò bellum) hero & domeſticis apprecantur. Hebræi temporalia intelligebant, ſed Chriſtus ſpiritualia, ſcilicet gratiam, ſalutem, gloriam, & felicitatem æternam. Chriſtus enim in terram venit, vt pacem inter Deum, homines & Angelos conciliaret. Vnde eo naſcente cecinerunt Angeli: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2.

*Septimum Chriſti præceptum.* Septimum eſt hoc præceptum, vt pacem hoſpiti apprecentur, & apprecando explorent, an hoſpes ſit dignus & congruus. Id enim intelligent, ſi is ſalutationem æquè ac ſalutantes gratanter acceptet, benignè reſalutet, & ad hoſpitium inuitet. Apoſtoli ergo precantur hoſpiti pacem primò cum Deo; ſecundò cum domeſticis, vicinis, & ceteris omnibus. Vnde S. Hieron. *pacem*, ait, *imprecamini hoſpiti, & quantũ in vobis eſt, diſcordiæ bella ſedate.* Tertiò pacem, id eſt, omnia proſpera, omnia bona, tam præſentia, quàm futura & æterna. Addit S. Chryſoſt. Apoſtolorum ſalutationem non nudam & verbalem fuiſſe, ſed realem & efficacem, & benedictionis vires obtinuiſſe, vt hoſpiti, ſi is dignus erat, pacem, id eſt, fidem, gratiam, & ſalutem reipsâ conferrent.

*Vers. 13. Luc. 10.6.*

Et si fverit qvidem domvs illa digna, veniet pax vestra svper eam; si avtem non fverit digna, pax vestra revertetvr ad vos] *Digna*, ſcilicet, ſi, vt paulò antè dixit, hoſpes ſit dignus, quia amans pacis, id eſt, Euangelij & ſalutis: ſiue, vt Ianſenius, quia à Deo præordinatus & prædeſtinatus ad pacem, id eſt, ad fidem, gratiam, & vitam Euangelicam; tunc vtique *veniet pax veſtra ſuper eam*, quia hoſpes cũ ſuis domeſticis acceptabit fidem & gratiam Chriſti, quam illi apprecamini, & paulò poſt diſtinctiùs eidem explicabitis & prædicabitis.

Si avtem non fverit digna] quia hoſpes ſalutationem veſtram, & pacis Euangelicæ apprecationem refutat & repellit, *pax veſtra reuertetur ad vos*; Græcè ἐπιςραφήτω, id eſt, *reuertatur*, hoc eſt, reuertetur, vt explicat Noſter hîc, & Lucas cap. 10. v. 6. Hebræi enim ſæpè imperatiuum vſurpant pro futuro. Nota proſopopœiam: Pax enim inducitur hîc quaſi perſona ab hoſpite repulſa, aliò vadens, Apoſtoloſque deducens, q. d. Si hoſpes veſtram pacis ſalutationem repellat, non tamen idcircò infructuoſa erit veſtra ſalutatio, quia vobis eueniet; quod illi precati eratis, ſcilicet pax, id eſt, omnia proſpera; itaque fiet, vt pax ab indigno hoſpite repulſa, ad vos quaſi redeat, voſque ad alium hoſpitem di-

*Pax repulſa redit. Quomodo?*

gnum deducat, qui illam auidè à vobis vobiſcum hoſpitio excipiat: ac veſtræ prædicationi credat, fiatque Chriſtianus & ſanctus, dignuſque cælo & vita æternâ. Similis eſt phraſis Pſal. 34. 12. & 13. ad quam hîc alludit Chriſtus: *Retribuebant*, ait, *mihi mala pro bonis*, &c. *Et oratio mea in ſinu meo conuertetur*, q.d. Ego Dauid, & antitypè ego Chriſtus, pro hoſtibus meis Iudæis, eorumque ſalute oraui, ſed illi fuêre mihi ingrati & rebelles: quare oratio mea eis ob ipſorum malitiam non profuit; ad me ergo reuerſa videtur, quia mihi, meiſque fidelibus ex Gentilitate in me credentibus profuit. Ita Euſebius, S. Athanaſius, & Heſychius in Pſal. 34. *In ſinum Chriſti*, inquit, *id eſt, in Eccleſiam Gentium à Iudæis reflexa Chriſti oratio recidit.* Hoc eſt quod Iudæis ait Paulus: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Actor. 13.46. Et Iſaias cap. 9.8. *Verbum miſit Dominus*, inquit, *in Iacob, & cecidit in Iſraël*; quia, vt explicat S. Gregorius 2. Moral. cap. 30. *Chriſtum, quem ad ſe venientem Iudaicus populus reſpuit, hunc repentè populus Gentilis inuenit.* Eſto, & alius ſit illius loci ſenſus magis literalis, vt ibidem dixi.

*Non tantùm quoad meritum, ſed reipsâ.* Itaque ſalutatio & pax ab hoſpite repulſa redit ad Apoſtolos, non tantùm quoad meritum, vt vult S. Hieronymus, q.d. Merces & meritum veſtræ ſalutationis, beneuolentiæ & charitatis ad vos redibit, quia hoc meritum propriè non redit, ſed manet apud ſalutantem, ſiue ſalutatus dignus ſit & gratus, ſiue indignus & ingratus; ſed etiam redit propriè; ſicut legatus repulſus ab eo, ad quem mittitur, redit ad herum, qui eum miſit, quia ſcilicet ſalutatio repulſa ab indigno rediens quaſi ad Apoſtolos, in eorum poteſtate eſt, & quaſi in eorum manu ſeipſam ſiſtit, vt offerant eam dignis, qui eam magnâ reuerentiâ, & gratiarum actione cum Apoſtolis ſalutantibus hoſpitio tum domus, tum mentis ſuæ excipiant, ſeſeque totos dedant Chriſto & Apoſtolis, quaſi Chriſti legatis & vicarijs.

*Vers. 14. Luc. 9. v. 5 & c. 10. v. 10 & 11. Mar. 6.11.*

Et qvicvmqve non receperit vos, neqve receperit sermones vestros: exevntes foras de domo, vel de civitate, excvtite pvlverem de pedibvs vestris] Lucas & Marcus addunt: *In teſtimonium illis.*

*Excutiendus puluis. Cur?* Excvtite pvlverem] vel ſandalia excalceando, eaque inter ſe collidendo, vt puluis ex ijs excutiatur, ſicut ait Abulenſis quæſt. 83. qui vult Apoſtolos bis id feciſſe, ſemel in vrbe, ſecundò extra vrbem: vel ſandalia applodendo ad terram, aut ea affricando ad lapidem, vel lignum aliquod vt puluerem extergerent.

*Ratio prima.* Quæres cur hoc? Reſp. Primò S. Hieronymus: *Puluis*, inquit, *excutitur in teſtimonium laboris, quòd ingreſſi ſint ciuitatem, & prædicatio Apoſtolica ad illos vſque peruenerit.* Et Theophyl. *Vel quòd teſtantur*, inquit, *ſe illorum nomine magnum iter confeciſſe, nihilq; illis profuiſſe.*

*Secunda.* Secundò, *excutite puluerem*, quaſi impium propter impios incolas, vt ſignificetis eos eſſe quaſi anathema, nec vos quidquam cum illis quaſi execratis, ac maledictioni & condemnationi æternæ addictis, vel habere commune, ne puluerem quidem. Ita S. Hieronymus, Theophylactus hîc, & S. Ambroſius in cap. 9. Lucæ, & S. Aug. in quæſt. Euang. ex Matth. quæſt. 7.

Tertiò,

Tertiò, vt hic puluis à nobis excuſſus, in die iudicij ſit teſtis eorum incredulitatis & impietatis, ac coram Chriſto eos accuſet, & gehennæ reos peragat. Et hoc eſt, quod ait Lucas: *In teſtimonium illis*, hoc eſt, contra illos. Ita S. Hilarius & Origenes in Gen. cap. 18. homil. 4. *Signo pulueris pedibus excuſſi*, inquit Hilarius, *æterna maledictio relinquitur*. Ita puluerem pedum excuſſerunt Barnabas & Paulus, repulſi à Iudæis Antiochiæ, Piſidiæ, actor. 13.51. Alludit ad Prophetam, qui à Deo miſſus in Bethel ad Ieroboam idololatram, ab eo reiectus, in eum puluerem pedum excuſſit, hoc ipſo, quo iuſſu Dei aliâ viâ, quàm venerat reuerſus eſt domum ſuam. 3. Reg. 13.9.

*Octauum Chriſti præceptum.*

Octauum eſt hoc præceptum Chriſti iubens Apoſtolis, vt in eos, qui prædicationi reſiſtunt, puluerem excutiant, vt eis indignitatem ſuæ inhoſpitalitatis oſtendant, ac terrorem incutiant, & æternum gehennæ excidium comminentur. Quo tacitè iubet Apoſtolos eſſe animoſos ne percellantur cùm viderint Iudæos Euangelium reijcere, ſed in eos acriter velut vindices diuini inſurgant, eoſque quaſi anathematici ſubijciant.

Vers. 15. Luc. 10.12

AMEN DICO VOBIS, TOLERABILIVS ERIT TERRÆ SODOMORVM ET GOMORRHÆORVM IN DIE IVDICII, QVAM ILLI CIVITATI] q. d. Grauiùs punientur & damnabuntur, qui repellunt Apoſtolos, quàm Sodomitæ, qui igne cæleſti conflagrarunt horrendo Pentapolis totius incendio, & terrifico ſæculorum omnium exemplo; quia grauiùs ijs peccant.

*Quàm ſit graue reſpuere Apoſtolos.*

Quæres, quomodo hoc ſit verum, cùm ſodomia grauiſſimum ſit ſcelus contra naturam, & clamans in cælum? Reſp. ſodomiam numerari inter grauiſſima ſcelera, ſed in ſpecie libidinis, ſiue contra legem naturalem, continentiæ dumtaxat; nam alioquin conſtat grauiora eſſe peccare hæreſim, infidelitatem, blaſphemiam, ſacrilegium, deſperationem, odium Dei, &c. quàm ſit ſodomia. Repellentes ergo Apoſtolos, Chriſtiq; fidem, gratiam & ſalutem longè grauiùs, quàm Sodomitæ peccabant, idque non vno, ſed multiplici peccato, ſcilicet primò, infidelitatis; ſecundò, inobedientiæ; tertiò, ingratitudinis; quartò, inhoſpitalitatis; quintò, rebellionis & contumaciæ in Deũ contra legem naturalem & diuinam, ac gratiam eius tam beneuolè & liberaliter oblatam, totque miraculis & beneficijs confirmatam, inhumanè & barbarè reſpuebant. Ita S. Hilarius, Hieron, Beda, Theophyl. & alij.

Hoc etiam ſuo modo locum habet in ijs, qui reſpuunt Dei verbum, vel vocationem, & ſanctas inſpirationes, contra quos detonat Deus Prou. 1.24. *Quia vocaui, & renuiſtis*, &c. *ego quoque in interitu veſtro ridebo*. Vide ibi dicta.

Hinc S. Hieronymus probat contra Iouinianum non eſſe æquales omnium damnatorum pœnas, ac per conſequens nec culpas S. Anaſtaſius etiam Nicænus in quęſt. S. Script. quæſt. 17. hinc oſtendit nonnullos impios puniri tam in hac vita, quàm in futura, vti Sodomitæ puniti fuêre in hac vita, & rurſum punientur in die iudicij damnandi ad gehennam.

*Simile ſceleri ſodomiæ ob tres analogias.*

Porrò appoſitè Chriſtus repellentes Apoſtolos comparat Sodomitis. Primò, quia ſicut hi inhumani & barbari fuerunt in hoſpites; vnde Angelos diuertentes ad Loth voluerunt violare & inceſtare. Geneſ. 19. ſic illi inhumanos & barbaros ſe oſtendunt erga Apoſtolos hoſpites ſuos. Secundò, ſicut hi admoniti fuêre à Loth, ſed eum ſpreuerunt: ſic illi admonẽtur ab Apoſtolis, quos Chriſtus legauit ad eorum ſalutem, vt eos beneuolentiſſimè ad Chriſti fidem & gratiam inuitarent; quare longè inhumaniùs illos aſpernantur, quàm Sodomitę Loth. Tertiò, ſicut Sodomitæ puniti ſunt igne & ſulphure è cælo, ſic hi punientur igne & ſulphure in gehenna, ſed longè grauiùs: quia ſi Sodomitæ audiſſent prædicationem Chriſti & Apoſtolorum, ac vidiſſent eorum ſigna & miracula, credidiſſent, & pœnitentiam egiſſent, vti ait Chriſtus c. 11. v. 23.

Vers. 16. Luc. 10.3.

ECCE EGO MITTO VOS, SICVT OVES (Lucas cap. 10.3. *Sicut agnos*) INTER LVPOS] S. Hieronymus per lupos accipit Scribas & Phariſæos, alij quoſlibet hoſtes & perſecutores. Nullũ animal tam inerme & debile, quàm ouis. Sic Chriſtus mittit Apoſtolos ſine armis, imò ſine virga & viatico, vt ſuam in eis virtutem & potentiam oſtendat. Non mittit eos quaſi leones, ait Chryſoſtomus, ſed quaſi oues, vt ipſi mirâ ſuâ vi & efficacia ſuperent lupos, eoſq; in oues cõuertant. Audi Chryſoſtomum: *Erubeſcant, qui quaſi lupi aduerſarios ſuos proſequuntur, cùm videant lupos innumeros ab ouibus ſuperari pauciſſimis. Et certè quouſque ſumus oues, facilè hoſtes vincimus: cùm verò in naturâ luporum tranſimus, tunc ſuperamur: tunc enim nullum nobis à paſtore patrocinium adeſt, qui non lupos, ſed oues paſcit*. Notat S. Chryſoſt. & ex eo Theophyl. & Euthymius Chriſtum Apoſtolis hîc prædicere futura mala & perſecutiones, quatuor de cauſis. Prima eſt, vt diſcant eius præſcientiam: ſecunda, ne putentur hæc illis ex infirmitate magiſtri accidere: tertia, ne inopinantes opprimantur: quarta, ne turbentur tempore crucis, ſed hac miſſione & promiſſione Chriſti ſeſe corroborent ad omnia generoſè ferenda & ſuperanda. Chriſtus ergo hîc ſuos animat, q. d. Agite, ô mei Apoſtoli, ablego vos ad Iudæos, Scribas & infideles, qui vos vexabunt & perſequentur; ſed cogitate, quia *ecce ego mitto vos*: ego, inquam, qui olim Eliam, Eliſeum, Iſaiam, ceteroſque Prophetas ad Achab, Iezabelem, Manaſſem, alioſque impios reges miſi, animaui, roboraui, protexui, & cùm opus fuit, liberaui, ac tandem ab eis permiſi occidi, vt ſanguine ſuo meam fidem & religionem obſignarent, ac martyrij lauream conſequerentur. Idem ego nunc mitto vos, eademque imò maiora vobiſcum facturus ſum: ego vobis vbique adero, vbique aſſiſtam, vt & in vita per ouinam innocentiam, & in morte per ouinam manſuetudinem & tolerantiam omnes & omnia ſuperetis. Sic Abſalon iubens ſuis occidere Amnõ fratrem ſuum, ait: *Nolite timere: ego enim ſum, qui præcipio vobis: roboramini, & eſtote viri fortes*. 2. Reg. 13.28.

Igitur hac voce: *Ecce ego mitto vos*, ſignificatur diuina Chriſti auctoritas, poteſtas, aſſiſtentia, protectio, efficacia, quæ Apoſtolos, quaſi oues innocentes & inermes, luporum, id eſt hoſtium prædæ & lanienæ expoſitos tutatur, vt eos vel prædicando conuertant, vel generoſè moriendo ſuperent. Vide S. Chryſoſt. hom. de Pentecoſte tom. 3. Apoſtolos verò iubet eſſe oues & agnos; primò, per innocentiam; ſecundò, per humilitatem & manſuetudinem; tertiò, per patientiam, vt omnium iniurijs, ipſique morti pro





Chriſto corpus omniaque membra exponant. Qui ergo vult verus eſſe Chriſti ſeruus, diſcipulus & Apoſtolus, cogitet ſe mitti quaſi ouem inter lupos, ac proinde ſit prodigus vitæ, æſtimet ſe perditum, ſit paratus & reſolutus ad labores & cruces, ac ad mortem pro Chriſto vltrò ſubeundam.

*Apoſtolus ſit prodigus vitæ.*

Dux Albanus Capitaneus Generalis exercitus Caroli V. habebat 400. iuuenes animoſos & reſolutos, quos vocabat prodigos vitæ & perditos, vulgò *enfans perdus*. Hos in conflictu immittebat ſeorſim in latus hoſtium fortius, illi, vt audaciſſimi & pugnaciſſimi, certique mori, turbabant ordines hoſtium, eoſque rumpendo, ordinariè pariebant victoriam. Talem ſe perditum, & prodigum vitæ æſtimet Chriſti præco & Apoſtolus, vt infideles & impios Chriſto victori ſubijciat. Talem ſe reputabat B. Xauerius vadens in Indiam, ac ſuis flentibus dicebat: *Mercatores tantis impendijs & periculis nauigant in Indiã prodigi vitæ, mercium temporalium ſtudio; Ego non ibo eodem Dei & animarum causâ*: imò prodigam libens mille vitas. Nimirum habebat illud præmeditatum: *Anima mea in manibus meis ſemper*, vt eam cuilibet auferri volenti offeram.

Tropologicè S. Gregorius, & ex eo S. Thomas in Catena: *Qui*, inquit, *locum prædicatoris ſuſcipit, mala inferre non debet, ſed tolerare, vt ex ipſa ſua manſuetudine iram tumentium mitiget, & peccatorum vulnera ipſe in alijs afflictionibus vulneratus, ſanet. Quoniam & ſi quãdo zelus rectitudinis exigit, vt ergà ſubditos ſæuiat; furor ipſe de amore ſit, non de crudelitate, quatenus & iura diſciplinæ foris exhibeat, & intus paternâ pietate diligat, quos foris caſtigat. Multi autem cùm regiminis iura ſuſcipiunt, ad lacerãdos ſubditos inardeſcunt, terrorem poteſtatis exhibent, domini videri appetunt, patres ſe eſſe minimè cognoſcunt, humilitatis locum in elatione dominationis immutant; & ſi quãdo extrinſecus blandiuntur, intrinſecus ſæuiunt, de quibus dicitur: Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Contra quæ nobis conſiderandum eſt, quia ſicut oues inter lupos mittimur: Senſũ ergo ſeruãtes innocẽtiæ, morſum malitiæ nõ habeamus*,

*Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. Primò.*

ESTOTE ERGO PRVDENTES, SICVT SERPENTES, ET SIMPLICES SICVT COLVMBÆ] Primò, *vt per prudentiam*, ait S. Hieronymus, *deuitent inſidias, per ſimplicitatem non faciant malum. Et ſerpentis aſtutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, vt illud, in quo vita eſt, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus, id eſt, fidẽ integram & incorruptam ſeruare ſtudeamus*.

*Secundò.*

Secundò Rabanus: Solet, ait, etiam ſerpens eligere ſtrictas rimas, per quas tranſiens, veterem pellem exuat: ſimiliter prædicator tranſiens per anguſtam viam, veterem hominem omnino deponat. Audi Iſidorum Peluſiotam lib. 1. epiſt. 26. *Serpens*, ait, *arte ac verſutiâ vetuſtatẽ exuit, In arcta quadam & anguſta rima ſeſe comprimens, ac ſenium deponens. Vult igitur nos quoque per arctam viam & afflictionem, veterem hominem exuere, ac pro eo nouum induere, qui ad eius imaginẽ renouatur*.

*Tertiò.*

Tertiò Remigius: Pulchrè etiam Dominus, inquit, prædicatores ſerpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per ſerpentem deceptus eſt, ac ſi diceret, quia hoſtis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes ſitis ad liberandum: ille laudauit lignum, vos laudate crucis virtutem. Addit Hilarius: ille falſam promiſit immortalitatẽ, & diuinitatem, dicendo: *Eritis ſicut Dij*; vos veram promittite, ac Angelis ſimiles futuros eſſe, qui credant.

*Quartò.*

Quartò, ſerpentes, dum ſeneſcunt, per anguſtum foramen gliſcendo, vetuſtam pellem detrahunt, vt nouam induant, teſte Ariſtotele lib. 8. Hiſtor. animal. ca. 17. Ita & vos, ô Apoſtoli, ſenectam mentis per innouationem ſpiritus, & meditationem æternitatis exuite. Via enim in cælũ anguſta eſt, & virtute ſemper innouanda, ait S. Auguſt. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 16.

*Quintò.*

Quintò, *prudentia ſerpentis eſt*, ait, Beda, *quòd vnam aurem petræ opponit, alteram caudâ claudit, ne audiat incantantes*. Et S. Auguſtinus in Pſal. 57. verſ. 5. ad illa: *Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas: Allidit*, inquit, *ſerpens vnam aurem terræ, & de cauda obturat alteram*: Ita Chriſti diſcipulus & Apoſtolus, contra diaboli & impiorum ſuggeſtiones claudat aures caudâ & terrâ, id eſt, meditatione finis, putâ mortis & ſepulchri, ſibique dicat: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*.

*Sextò. Serpentis oculus.*

Sextò, ſerpens acutiſſimè videt: vnde Adagiũ: *Serpentis oculus*. Sic Apoſtolus omnia acuto mẽtis intuitu proſpiciat, vt mala auertat & bona acceſſat. Rurſum ſerpens eſt aſtutiſſimus: vnde quod agit, non robore, ſed aſtutiâ ſuâ agit ac prudentiâ: quare venenum ſuum non niſi cautiſſimè, & maximè ad nocendum opportuno tempore effundit: ſic & Apoſtolus prudenter obſeruet prædicandi occaſiones, ac videat, quid cuique loco, tempori, & perſonis conueniat, quidque ad perſuadendum ſit efficaciſſimum. Ita Baſilius in Regul. breuior. interrog. 245.

ET SIMPLICES SICVT COLVMBÆ] Quia, vt ait Remigius, *ſimplicitas ſine prudentia facile decipi poteſt, & prudentia periculoſa eſt, niſi ſimplicitate temperetur*. Et, vt ait S. Gregorius lib. 4. epiſt. 31. ad Mauritium: *Vt ſerpentis aſtutia columbæ ſimplicitatem acueret, & columbæ ſimplicitas ſerpentis aſtutiam temperaret*.

Pro *ſimplices*, Græcè eſt, ἀκέραιοι, quod ſi à κέρας (id eſt cornu) & α priuatiuo deriues, idem eſt, quod ſine cornibus, ſine noxa, ſine vindicta, innocentes, innoxij, ait S. Baſilius loco citato: ſi verò à κεράννυμι, id eſt, *miſceo*, & α priuatiuo, idẽ eſt, quod *ſine miſtione*, impermixti, candidi, ſynceri, qui quod corde ſentiũt, hoc ſine fuco ore proferunt.

*Eſtote ſimplices vt columbæ. Primò.*

Primò ergo iubet, *vt per prudentiam deuitet inſidias, per ſimplicitatem non faciat malũ*, ait S. Hieronym. Columba enim caret felle, nec vlli nocet.

*Secundò.*

Secundò, S. Chryſoſtomus: Ira, inquit, per iram non extinguitur, ſed per manſuetudinem: non ſufficit, pati mala, ſed nec turbari conceditur, quod eſt columbæ.

*Tertiò.*

Tertiò, notant Theophylactus & Euthymius columbas, licèt pullis orbentur, ad eoſdem tamen nidos & dominos redire. q. d. Chriſtus: Sic & vos, ô Apoſtoli, nolite eſſe memores iniuriarum vobis factarum, ſed placidi & amantes redite ad eos iuuandos & conuertendos, à quibus læſi vexatique eſtis.

*Nonum Chriſti præceptum.*

Nonum eſt hoc Chriſti præceptum, ſequitur decimum.

Vers. 17. Luc. 21. 12. Mar. 13. v. 9.

*Decimum.*

CAVETE AVTEM AB HOMINIBVS: TRADENT ENIM VOS IN CONCILIIS] Græcè εἰς συνέδρια, id eſt, in cõcilia, in conſeſſus magiſtratuum & iudicũ, vt ab ijs quaſi blaſphemi in Deum, vel potiùs in Deos iudicemini & cõdemnemini Syrus: *Tradent vos in domum iudiciorum*, hoc eſt, in prętoria. *Cauete ab hominibus*, primò fictis & proditoribus, qui vos deferẽt ad concilia, tradentq; iudici-

bus puniendos;ſicut eos ſummè hac de cauſa cauent iam ſacerdotes in Anglia,Scotia &Iaponia: Secundò *ab hominibus*,ſcilicet, inſidiatoribus,qui vobis per interrogationes perplexas & politicas, inſidias tendent,vt ex ore veſtro eliciant aliquid contra leges vel reges dictũ, vt apud eos vos accuſent: Tertiò *ab hominibus*, ſcilicet; perſecutoribus,qui vos ad necem quærent. *Cauete* ergo, id eſt,cautè vos gerite quoad, ſaluò officio veſtro, fieri poteſt,vt declinetis illorum proditiones,inſidias & perſecutiones; maximè verò lapſum, ne eorum ſuaſionibus & minis cedatis, vt Chriſtum negetis & illorum perfidię conſentiatis;quin potiùs pro Chriſto conſtanter vos flagellis exponite, & mortem oppetite.

Moraliter diſce hîc cuique cauendum eſſe ab hominibus, imò à ſeipſo vt homo eſt,quia *homo homini lupus.*

*Quilibet poteſt eſſe martyr.*

Nemo ergo dicat:Infelix ego ſum ac infauſto tempore natus;neque enim poſſum fieri martyr, quia ceſſat hominum perſecutio, nullus iam eſt Nero, nullus Decius; nam quilibet fieri poteſt martyr,ſi ſuis cupiditatibus, timoribus, tentationibus generosè ex Dei amore reſiſtat: tua cupiditas tuus eſt Decius; tuus timor tibi eſt Nero; tua tentatio tibi eſt Iulianus. Perſequitur te ſocius, irridet, probris afficit, calumniatur, cruciat te febris, catharrus,aſthma.Si hæc Dei amore patienter toleras, martyr es patientiæ, vti fuit Iob. Inſtigat te gula, vt vino & delicijs te ingurgites? Repugna, & martyr es abſtinentiæ, vti fuit Daniel.Sollicitat te ambitio,vt præ ceteris te extollas, dignitates primas ambias? Euelle illam è mente tua,& martyr es humilitatis ac modeſtiæ, vti fuit ſanctus Franciſcus. Superior tibi dura, tuiſque ſenſibus repugnantia iubet?Obedi,vince teipſum, & martyr es obedientiæ vti fuit Abraham offerendo ſuum Iſaac. Geneſ.22. Titillat te luxuria? Illam ieiunijs mortifica,&cilicijs crucia, eriſque martyr caſtitatis; vti fuit Ioſeph. Stude, doce, concionare, labora, ad Indos proficiſcere, vt tot animas pereuntes ſalues, & martyr es charitatis, vti fuit B.Xauerius.

VERS. 18. Luc. 21. v. 12. & 13. Mar. 13. 9.

ET SYNAGOGIS (vbi lex legebatur, & legis violatores caſtigabantur) SVIS FLAGELLABVNT VOS] Sic in ijs flagellati ſunt Petrus & Apoſtoli. Actor. 5. 40. & Paulus 2. Corinth. 11. 24. *A Iudæis*, inquit,*quinquies,quadragenas, vna minus,accepi; ter virgis cæſus ſum*, &c.

ET AD PRÆSIDES (prouinciarum) ET AD REGES DVCEMINI PROPTER ME, IN TESTIMONIVM ILLIS, ET GENTIBVS] Syrus,*in teſtimonium tum ipſorum, tum Gentium*. Sic Paulus ductus eſt captiuus, quaſi reus ad Felicem & Feſtum præſides Iudææ. Actor. 23. 24. & ſequent. Iacobus Minor ad Ananum Pontificem,à quo iuſſus occidi: Petrus & Iacobus Maior ad regem Agrippam,qui Iacobum capite plexuit. Actor. 12. 23. Idem à Iudæis per Græciam & totum orbem ſparſis, vbique perſecutionem paſſus eſt,& protractus ad præſides prouinciarum,vt patet ex Actis Apoſtol. cap. 13. 45. & ſequ.

*Apoſtoli ad reges & præſides variè ducti.*

Petrus & Paulus ducti ſunt ad Neronem, à quo tandem perempti, glorioſum obiêre martyrium. Sic S. Andreas ductus eſt ad Ægeum Achaiæ proconſulem, ab eoque crucifixus. S.Ioannes ad Domitianum Imperatorem,à quo dolio feruentis olei impoſitus, ex eo ſplendidior exiuit. Sanctus Mattheus ductus eſt ad Hirtacum regẽ Æthiopiæ,S.Thomas ad Brachmanes,S.Bartholomęus ad fratrem Polemonis regis Indiæ, à quo viuus excoriatus eſt. Hinc patet hæc non tam ad primam Apoſtolorum in Iudæam miſſionem,(tunc enim nil tale paſſi leguntur)quàm ad ceteras per omnem eorum vitam deinceps obitas ſpectare. Ad illas ergo hîc Chriſtus extendit & dilatat ſermonem ſuum.

PROPTER ME] Quia meam fidem & religionem prædicatis,me ſcilicet eſſe Meſſiam Dei Filium, Saluatorem mundi: vnicuique malorum, ait S.Chryſoſtomus,mitigationem adiungit,nam non parua conſolatio eſt,pati propter Chriſtum. Quocirca Apoſtoli flagellati *ibant gaudentes à conſpectu concilij,quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*: Actor. 5. 41.

IN TESTIMONIVM] Tum veræ fidei meæ, quam prædicatis: huius enim illuſtre teſtimoniũ erit veſtrum martyrium. Vnde multi videntes conſtantiam Apoſtolorum & martyrum in tormentis, ad Chriſtum conuerſi ſunt; ita S.Hilarius: tum perſecutorum perfidiæ, obſtinationis & condemnationis: *Illis*,ſcilicet Iudæis & Gentibus,quæ pariter vos perſequentur,& ad quarum præſides protrahemini.Notat Apoſtolos nõ tantùm à Iudæis in Iudæa, ſed & à Gentibus, cùm ad eas poſt mortem ſuam proficiſcentur, multa paſſuros.Porrò τὸ *illis & Gentibus*,propriè eſt.q.d.Contra illos.ſcilicet Iudęos,& contra Gentes. q.d. Veſtra productio ad tribunalia, liberaque meæ fidei confeſſio, ideoque condemnatio & punitio, publicum erit teſtimonium toti orbi oſtendens, iuſtè Iudæos & Gentes,tum in hac vita, tum in die iudicij exſcindi & damnari, eò quòd veſtræ prędicationi increduli fuerint, ac vos veros Dei pręcones perſecuti fuerint & occiderint. Vnde Euthymius: *In teſtimoniũ*,inquit, hoc eſt, ad redargutionem Iudæorum & Gentium, ne poſtmodum dicere poſſint, quòd veſtram prædicationem non audierint. Et Theophylactus *in teſtimonium*, ait, id eſt,in notam & reprehenſionem eorum,qui non credunt.

VERS. 19. Luc. 12. v. 11. & c. 21. 14. Mar. 13. 11.

CVM AVTEM TRADENT VOS NOLITE COGITARE QVOMODO, AVT QVID LOQVAMINI; DABITVR ENIM VOBIS IN ILLA HORA QVID LOQVAMINI] Vndecimum eſt hoc Chriſti præceptum,quo iubet Apoſtolos non eſſe ſollicitos de reſponſione ad interrogationes præſidum, quia hanc ſe illis ſuggeſturum pollicetur: *Nolite cogitare*, intellige, ſollicitè, anxiè, intempeſtiuè, quaſi vobis ſolis, veſtræque prudentiæ fiſi, Chriſto Deoque(cuius cauſa honor, & voluntas hîc agitur) diffidatis. Vnde Græcè eſt, μὴ μεριμνήσητε, id eſt,ne ſitis anxij & ſolliciti, vti vertit Noſter interpres apud Lucam cap. 12. v. 11. Non ergo prudentem reſponſionis præmeditationem vetat,ſed anxiam nimiamq; ſollicitudinem. Simili ſenſu vetuit ſollicitudinem victus craſtini c. 6. v. 25. vt diſcant fideles à Dei prouidentia pendere, eamque ſuppliciter quotidie inuocare. Quocirca martyri in quęſtionibus & tormẽtis aſſiduè inuocandus eſt Deus,vt ſapientiã ad reſpondendum,& animos ad tolerandũ ſuggerat.

*Vndecimum.*

Hoc eſt, quod Lucas c. 21. ait, Chriſtũ dixiſſe & promiſiſſe: *Ego dabo vobis os & ſapientiã,cui non poterũt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri*.Sic de S. Steph. ait Lucas Act. 6. *Non poterãt reſiſtere ſapiẽtiæ & ſpiritui qui loquebatur*.Ita ſanctus Franciſcus ſpe martyrij profectus in Syriam ad Sulthanum Babylonię,*tantâ mẽtis conſtantiâ*,ait S.Bonauentura in eius vita cap. 9. *tantâ virtute animi,tantoq; feruore ſpiritus prædicauit illi Ieſum Chriſtum,vt Euangelicum illud in ipſo clareſceret veraciter eſſe completum: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Nam & Sulthanus*(antea Chriſto infenſiſſimus)*libenter ipſum audiebat,admirando in viro Dei feruorem ſpiritus, conſpiciens & virtutem, & ad moram contrahendam cum eo inſtantiùs inuitabat.*

*S. Lucia.*

Illuſtre ad literam extat exemplum in vita S. Luciæ Syracuſanæ, quę à Paſchaſio pręfecto iuſſa dijs immolare, cùm audacter id refutaret, pręfectus minando, dixit: *Ceſſabunt verba cùm ventum fuerit ad verbera:* Cui virgo: *Dei ſeruis verba deeſſe non poſſunt, quibus à Chriſto Domino dictum eſt: Cùm ſteteritis ante reges & præſides, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini,ſed Spiritus ſanctus qui loquitur in vobis.*Quã cùm Paſchaſius interrogaſſet: *Eſtne in te Spiritus ſanctus?* Reſpondit: *Castè & piè viuentes templum ſunt Spiritus ſancti*. At ille: *Iubebo te ad lupanar duci, vt te Spiritus ſanctus deſerat*. Cui virgo: *Si inuitam iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Quare Paſchaſius ira inflammatus, Luciam eò trahi iuſſit, vbi eius virginitas violaretur: ſed diuinitùs factum eſt,vt firma virgo ita conſiſteret, vt nullâ vi de loco dimoueri poſſet. Vide hîc admirandam virginis prudentiam, qua ad ſingula interrogata tam ſapienter & cordatè reſpondit, vt pręfectus obmuteſceret; nimirum loquebatur in ea Spiritus ſanctus.

Tropologicè S. Auguſtinus lib. 4. de Doctrina Chriſtiana ca. 15. docet prędicatorem ante concionem orare debere & ſtudere: *Ad horam verò ipſius dictionis*, inquit, *illud potiùs bonæ menti cogitet conuenire,quod Dominus ait: Nolite cogitare,quomodo, aut quid loquamini: non enim vos eſtis,qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

VERS. 20. Luc. 12. 12. Mar. 13. 11.

NON ENIM VOS ESTIS, QVI LOQVIMINI SED SPIRITVS PATRIS VESTRI, QVI LOQVITVR IN VOBIS] q.d. Loquemini pręſidibus,non ex vobis veſtraque prudẽtiâ & animo,ſed ex Spiritu ſancto, qui vobis ſuggeret ſapientiam & animos, vt præſidibus ſapienter & animosè reſpondeatis: quare in vobis non tam vos ipſi, quàm Spiritus ſanctus loquetur: Sicut in aſina Balaam loquebatur Angelus. Num. 22. 28. Ita in Petro & Apoſtolis locutus eſt Spiritus ſanctus coram Pontificibus. Actor. 4. 13.

VERS. 21. Luc. 21. 16. Mar. 13. 12.

TRADET AVTEM FRATER FRATREM IN MORTEM, ET PATER FILIVM, ET INSVRGENT FILII IN PARENTES ET MORTE EOS AFFICIENT] Quia in me credunt, vel me prędicant. Præmunit Chriſtus Apoſtolos & fideles prædictione futurarum perſecutionum, quas paſſuri ſunt etiam à cognatis,fratribus & parentibus infidelibus, qui naturalis cognationis & pietatis obliti fidem & fideles ad necem perſequentur; vt in ijs conſtantes ſint, ac tormenta, carceres, & mortem ipſam ab ijs illatam generosè tolerent potiùs, quàm Chriſtum & fidem negent. Vnde Beda: *Prædixit*,ait, *futuram perturbationem, vt quaſi antè cognitam leuiùs portarent*. Nam tela pręuiſa minus feriunt, & vt ait S. Hilarius: *Multùm proficit ad tolerantiæ aſſumptionem, rerum imminentium cognitio.*

*Perſecutio à cognatis*

*S. Barbara.*

*S. Chriſtina.*

Sic S.Barbara à proprio patre ob Chriſti fidem interfecta eſt: Sic & S.Chriſtina. S. Lucia Martyr à proprio filio Euprepio de Chriſtiana fide accuſata eſt, & à iudice martyrio laureata die 16. Septembris anno Domini 303.

*S. Pauli Eremita.*

*S. Venceſlai.*

S.Paulus primus Eremita,ne proderetur à fratre, id eſt, à marito ſororis ſuæ, fugit in eremum, teſte Hieronymo. S. Venceſlaus princeps Bohemiæ, à Boleſlao fratre,& Drahomira matre infidelibus,proditoriè peremptus eſt.

*S. Flauij Clementis.*

*S. Flauia Domitillæ.*

*SS. Artemia, Serenæ, Caij Pont. Gabinij, Suſannæ.*

Denique Domitianus Imperator Flauium Clementem Conſulem Romanum, patruelem ſuum, & Flauiam Domitillam cognatam ſuam ob Chriſtianam fidem interfecit. Maximianus Imperator Artemiam ſororem ſuam Chriſtianam;Diocletianus Serenam vxorem, S. Caium Pontif. eiuſque fatrem S. Gabinium cum filia ſancta Suſanna; cognatos ſuos, quia Chriſtianos,martyrio affecit.

Hęc non tam in prima,quàm in ſecunda miſſione Apoſtolorum per Iudæam & totum orbem,poſt mortem Chriſti contigerunt. Quare Ianſenius putat hîc eſſe hyſterologiam:hęc enim à Chriſto eſſe dicta, non tunc, ſed paulò ante mortem, vt habet Lucas cap. 21. 16.

Verùm alij meliùs cenſent Matthæum, qui ordinis eſt tenax,hęc ſuo loco & ordine,quo dicta ſunt à Chriſto conſignaſſe; ſed Chriſtum illa rurſum paulò antè mortem Apoſtolis refricaſſe & inculcaſſe, cùm proximè futura erant, vt eos ad conſtantiam in aduerſis imminentibus animaret. Nam nonnulla ex his iterat repetitque Matthęus inferiùs cap. 24. verſ. 10. & 13. velut dicta à Chriſto ituro ad mortem.

VERS. 22. Luc. 24. 17. 19. Mar. 13. 13. Infra c. 24. v. 10. & 13.

ET ERIT ODIO OMNIBVS HOMINIBVS PROPTER NOMEN MEVM: QVI AVTEM PERSEVERAVERIT VSQVE IN FINEM, HIC SALVVS ERIT] *Omnibus*, id eſt,multis,paſſim omnibus,vti fiebat in concilijs,iudicijs & theatris martyrum. Chriſti enim crucifixi fides & prędicatio initio toti orbi erat noua,& paradoxa: Vnde paſſim Iudæi ſuo Moyſi, & Gentiles ſuis dijs aſſueti affixique inſurrexerunt contra Apoſtolos illam prædicantes, & contra paucos fideles ad illam conuerſos. Sic ſæpè τὸ *omnis* in Scriptura ſignificat multos. Sic enim vulgo loquimur, vt cùm plurimos cernimus quid facere,dicamus omnes id facere,id eſt, pleroſque.

*Perſeuerantia in finem virtutis conſummatio.*

QVI AVTEM PERSEVERAVERIT] In patientia. Græcè enim eſt, ὁ ὑπομείνας, id eſt, *qui ſuſtinuerit*, ſcilicet, has perſecutiones & aduerſitates, *vſque in finem*, tum perſecutionum.tum vitæ; *hic* omnis & ſolus *ſaluus erit*, ſalute, felicitate & gloriâ æternâ,quaſi patientiæ ſuæ prœmio & coronâ donabitur. Non ſatis eſt ſemel, ſecundò, tertiò toleraſſe &viciſſe,ſed ad coronam neceſſe eſt tolerare & vincere vſque in finem,iuxta illud Apoc. 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Vide ibi dicta: *Vt autem toleres in finem, iugiter reſpice finem.* Patientiæ enim corona, eſt perſeuerantia. Audi ſanctum Bernardum epiſt. 129. *Perſeuerantia meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Vigor eſt virium, virtutum conſummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium,ſoror patientiæ,propugnaculum ſanctitatis. Tolle perſeuerantiam, neque obſequium mercedem habet, neque beneficium gratiam,neque laudem fortitudo.*

VERS. 23. CVM AVTEM PERSEQVENTVR VOS IN CIVITATE ISTA, FVGITE IN ALIAM] *Non timendo paſſionem*, ait Beda, *ſed declinando, vt tribulationis occaſio ſeminarium fieret Euangelij*, ne ſcilicet prędicatoribus occiſis ſucciderettur prædicatio fidei, ſed ijs fugientibus alibi ſpargeretur, ſicq; fugientes Euangelio & alijs locis, imò eidem loco, ex quo fugiebant, vel abſentes, vel redeuntes conſulerent. Fuga ergo hæc erat victoria; fugiebant enim non ex timore, ſed ex amore Chriſti, vt eius fidem propagarent. Sic Tartari fugiendo iaciunt ſagittas in hoſtes, inſequentes, eoſque configunt & occidunt.

*Fugere quãdo præceptum: quando permiſſio.*

Quæres, an hoc ſit præceptum, an permiſſio dumtaxat? Reſp. Partim eſt præceptum, ſcilicet, cùm Eccleſię & fidei neceſſitas fugam exigit, aut lapſus proprij periculum: nam *Chriſtum fugiendo non negat, qui ideo fugit, ne neget*, ait S. Chryſoſtomus. Ita S. Nazianzenus Orat. 1. in Iulian. & S. Athanaſius lib. de Fuga ſua. Si enim ipſe non fugiſſet rabiem Arrianorum, ipſi in Oriente de fide Homoxſij (quæ in vno Athanaſio ſtare videbatur) triumphaſſent. Partim eſt conſilium, quando ſcilicet ex fuga maior propria, aut aliena vtilitas & perfectio ſperatur. Partim eſt permiſſio, vt cùm quis tormenta valde metuit & horret, nec in loco, vbi perſecutio viget, manere neceſſitate aut obligatione aliquâ (v.g. quia eſt Epiſcopus aut paſtor) obſtringitur, de quo vide ſanctum Auguſtinum epiſt. 180. ad Honoratum, & ſanctum Thomam, ſecundâ ſecundæ quęſt. 185. articul. 5. & Abulenſem hîc quæſtion. 110. Aliàs fugerę eſt illicitum, ſi videlicet fidei, iuſtitiæ, Sacramentis & ouibus, putà fidelibus, inde creetur ſalutis periculum, aut ſcandalum, vt patet Ioan. cap. 10. v. 11. & 12. Atque hæc quæ dixi ſunt iuris non poſitiui, ſed naturę & diuini. Duodecimum ergo eſt hoc Chriſti pręceptum, datum Apoſtolis ituris ad prædicandum.

*Duodecimũ Chriſti præceptum.*

Hinc exemplo Chriſti, Apoſtolorum, ſancti Athanaſij, & aliorum, qui in perſecutione fugerunt, refellitur Tertullianus qui libro de Fuga contendit fugam eſſe illicitam. Vnde S. Hieronymus in Catal. Scriptor. Eccleſiaſt. in Tertulliano docet hunc eius librum eſſe vnum ex ijs, qui ab eo iã hęretico & Montaniſta ſcripta ſunt contra Eccleſiam. Porrò Tertullianus Chriſtianis obijcientibus Chriſtum hic fugam iubere, reſpondebat hoc Chriſti præceptum fuiſſe temporale, datum Apoſtolis in prima miſſione per Iudæam, quia pręceſſit verſ. 5. *In viam Gentium ne abieritis*; & ſequitur: *non conſummabitis ciuitates Iſraël*, &c. Idem cẽſuerunt S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Euthymius: ſed alij paſſim docẽt hoc præceptũ Chriſti eſſe perpetuum, vti & alia hîc. Et patet, quia id eſt iuris naturæ, vt dixi. Licèt enim verſ. 5. Chriſtus Apoſtolos tantùm in Iudæam mittat, tamen eâdem occaſione dat illis præcepta in omnem vitam. Quocirca Matth. 18. & Actor. 1. Chriſtum poſt reſurrectionem iã in cælum abeuntem, alia eis præcepta dediſſe non legimus, maximè cùm omni tempore in Apoſtolis horum præceptorum ſeruandorum par fuerit ratio. Ita Origenes homil. 9. in librum Iudicum, S. Athanaſius in epiſt. ad Orthodoxos, Nazianz. orat. 1. in Iulian. Ianſenius, Maldonatus & alij.

*An fuerit perpetuum?*

AMEN DICO VOBIS, NON CONSVMMABITIS CIVITATES ISRAEL, DONEC VENIAT FILIVS HOMINIS] Græcè *ὀ μὴ τελέσητε*, id eſt, non abſolueritis, non finiueritis, ſcilicet peragrando & conuertendo ciuitates Iſraëlis, id eſt, Iudæorum. Primò S. Chryſoſtomus, & ex eo Theophylactus, & Euthymius, exponũt de prima miſſione Apoſtolorum in Iudæam. q.d. Fugite à ciuitate vos perſequente in aliam & aliam, quia non pręuenietis me circumeundo Palæſtinam, ſed antequam eam circumiueritis, ego redibo ad vos, voſque rurſum ad me aſſumam. Verùm in prima miſſione Apoſtoli benigne à Iudęis fuêre excepti: vnde eis non fuit fugiendum, ſed gaudentes reuerſi ſunt ad Chriſtum, vt patet Lucæ 10. verſ. 17.

*Non conſummabitis ciuitates Iſrael quid?*

*Prima explicatio.*

Secundò, Beda exponit. q.d. Non conuertetis Iſraëlitas ante meam reſurrectionem, poſtquam ego ad vos redibo, voſque mittam ad Gentes toto orbe diſperſas, vbi perpetuus circumeundi & prædicandi erit locus, & iugis laborandi campus. Sic & Gloſſa Interlin. D. Thomas, Lyran. Abulen. Dion. & Caiet.

*Secunda.*

Tertiò, alij. q.d. Non percurretis Iudæam fugiendo & prædicando, donec ego ad illam redeam quaſi veſter vltor & vindex, vt per Titum & Veſpaſianum, Iudæos, qui vos perſecuti ſunt, exſcindam & deleam.

*Tertia.*

Quartò & genuinè, *non conſummabitis*, id eſt, non perambulabitis, aut potiùs perambulando non perficietis in fide Euangelij, & religione Chriſtiana ciuitates Iſraëlis, id eſt, populum Iſraëliticum, ad quem iam vos mitto, vt dixi, verſ. 5. ante ſecundum aduentum filij hominis, putà Chriſti ad iudicium, quia vt docet Paulus Roman. 11. oportet, vt priùs in Eccleſiam Chriſti plenitudò Gentium, id eſt, omnes Gentes intrent, & tunc omnis Iſraël ſaluus fiet. q. d. Cùm vos perſequentur, fugite de vna ciuitate in aliam, quia ſemper vobis fugæ erit locus, vbi operam veſtram vtiliter collocare poſſitis apud Iudæos, & multò magis apud Gentes: non enim deerunt Iudæi nec Gentes conuertendi, & in fide inſtruendi vſque ad finem mundi & diem iudicij. Vnde Rupertus *Iſrael* accipit ſpiritualiter & myſticè; id eſt, fideles quoſlibet, qui ſemper futuris ſæculis per omnes Gentes ſupererunt cõuertendi. Innuit Chriſtus Iudęos fore Euangelio incredulos vſque ad finem mundi, ſed tum paulò ante iudicium conuertendos ab Elia & Enoch. Ita ſanctus Hilarius.

*Quarta. Germana.*

Hucuſque pręcepta Chriſti data Apoſtolis, ſequuntur iam promiſſa & ſtimuli, quibus eos animat ad generosè ſuperandum perſecutiones. Primus ſtimulus eſt verſ. 14. Chriſti exemplum, qui à Iudæis maiora ſuſtinuit. Secundus eſt verſ. 26. quòd Deus veritatem Euangelij poſt perſecutiones ſit patefacturus ad Chriſti & Apoſtolorum gloriam. Tertius verſ. 28. quòd magis timendus ſit Deus animę Dominus, quàm perſecutor corporis. Quartus verſ. 29. quòd Deus ſingularem eorum habebit curam. Quintus verſ. 32. quòd Deus coram Angelis eos honorabit, & glorificabit in æternum.

*Quinque ſtimuli ad conſtantiam in perſecutione.*

VERS. 24. Luc. 6. 40. Ioan. 13. 16. 15. 20.

NON EST DISCIPVLVS SVPER MAGISTRVM, NEC SERVVS SVPER DOMINVM SVVM] Chriſtus animat hîc diſcipulos ad fugæ & perſecutionum tolerantiam ſeipſo, ait Chryſoſtomus, id eſt, ſuo exemplo. q. d. Diſcipulus & ſeruus, qualeſ



quales vos mihi eſtis, ô Apoſtoli, non debet appetere maiorem honorem & plauſum populi, quàm habuit eius magiſter & dominus, qualis ſum ego. Si ergo ego à Iudæis tantas calumnias & perſecutiones paſſus ſum, & maiores patiar, vt tandem ab eis crucifigar; parate vos pariter, vt ſimilia ab eis & Gentibus patiamini. Hunc eſſe ſenſum patet ex verſu ſequenti: *Multum*, ait ſanctus Hilarius, *proficit ad tolerantię aſſumptionem rerum imminẽtium cognitio, maximè ſi patientiæ voluntas præſumatur exemplo.* Addit ſanctus Hieronymus, *vt gloriæ loco ducant, ſi Domino vel paſſionibus adæquentur.*

VERS. 25. Ioan. 15. 20.

SVFFICIT DISCIPVLO, VT SIT SICVT MAGISTER EIVS; ET SERVO SICVT DOMINVS EIVS. SI PATREM FAMILIAS BEELZEBVB VOCAVERVNT, QVANTO MAGIS DOMESTICOS EIVS?] q.d. Si me, qui ſum Chriſtus magiſter, & Dominus, imò paterfamilias veſter (erat enim familia 12. Apoſtolis conſtans, cuius Chriſtus erat caput, rector & pater) Iudæi irriſerunt, calumniati ſunt, & vocauerunt Beelzebub, id eſt, amicum & ſocium Beelzebub, dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Matthæi cap. 12. 24. imò augeſcente irâ & odio ipſum Chriſtum vocarunt Beelzebub, vt hîc dicitur; ſi, inquam, in me, qui eis per tot miracula me Meſſiam & filium Dei eſſe probaui, hoc auſi ſunt, quantò magis eadem audebunt in vos domeſticos meos, diſcipulos & famulos? Et ſi ego hæc ab eis modeſtè & fortiter toleraui, quantò magis vos eadem ſimili modo tolerare debetis, imò in ijs gaudere, quòd pro me iſta toleretis, quodque in hac tolerantia mihi aſſimilemini, meiſque quaſi veſtibus & inſignibus ornemini?

Audi ſanctum Hilarium hîc Can. 10. *Omnia iniuriarum & contumeliarum genera nihil nos terreãt, gloriæ potiùs loco amplectẽtes, ſi Domino noſtro vel paſſionum conditionibus adæquamur.* Et Tertullianus li. de Bono martyrij c. 9. *Cùm magiſter*, inquit, *& Dominus ipſe perpeſſus ſit perſecutionem, & traditionẽ & occiſionẽ, multò magis ſerui & diſcipuli eamdem expetere debebunt, ne quaſi ſuperiores, exempti de iniquitate videãtur; quando hoc ipſum ſufficere eis ad gloriam debeat, æquari paſſionibus Domini & magiſtri.* Nam vt ait ſanctus Chryſoſtomus hom. 11. in epiſt. ad Roman. *Magna corona eſt communionem habere cum Domino.* Vnde ſanctus Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 7. *Exercitata*, inquit, *mens non aquilarum præfert imagines, nec draconis: ſed in cruce Chriſti, & in Ieſu nomine progreditur ad prælium, hoc ſigno fortis, hoc vexillo fidelis.*

*Moraliter virtuti ſtudens paret ſe ad irriſiones.*

Moraliter diſcant hîc fideles, cùm ſe pietati dant: cum Chriſto & Apoſtolis irridendos fore & ſubſannandos, ſed generosè probra omnia tolerent, & contemnant, dicantque cum Paulo: *Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Hinc ſanctus Hieronymus epiſt. 39. ad Marcellam, loquẽs de Bleſilla S. Paulę filia, quæ mortuo marito monachæ vitam profeſſa, à mundanis ridebatur: *Bleſilla noſtra*, inquit, *ridebit, nec dedignabitur loquacium ranarum audire conuitia, cùm Dominus eius dictus ſit Beelzebub.* Grauiter Epictetus in Enchirid. c. 26. *Sapientiæ*, inquit, *ſtudium ſuſcipere cupis, ſtatim te para, quaſi futurum ſit, vt deridearis, vt multi te ſubſannent. Sed ſi quid proficere vis, ne recuſa, quominùs ob res externas amẽs & fatuus habearis.* Similiter Lactant. in Epitom. diuin. inſtit. cap. 1.



*Teneamus*, ait, *innocentiam, teneamus iuſtitiam, ſubeamus imaginem ſtultitiæ; vt veram ſapientiam tenere poſſimus.* Quin & Iſaias in nomine ſuo, cæterorumque Prophetarum & Apoſtolorum ait cap. 8. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in portentum.* Et S. Paulus: *Spectaculum*, ait, *facti ſumus mundo, Angelis & hominibus.* 1. Corinth. 4. Vide vtrobique dicta.

Quæres, quis & qualis fuit Beelzebub? Reſp. fuit Deus & idolum Accaronitarum, vt patet 4. Reg. 1. 2. 3. ita dictus quaſi בַּעַל זְבוּב *baal zebub*, id eſt, *dominus muſcæ*, vel *habens muſcam*, eò quòd aduerſus muſcarum peſtem coleretur & inuocaretur. Sic enim apud Græcos Iouis cognomen erat Ἀπόμυος, q.d. *amuſca*, quòd eum colerent ad fugandas muſcas. Sic Cyrenaici cùm muſcarum multitudo peſtilentiam afferret, Achorem Deum muſcarum ad eas abigendas inuocabant, teſte Plinio lib. 8. cap. 28. Sic denique Arcades & Elęi *Myagrum* ſiue *Myodem* (quo nomine Ioſephus li. 9. Antiq. cap. 1. vertit vocatque Beelzebub) quaſi muſcarum venatorem & interemptorem adorarunt, teſte Plinio lib. 10. cap. 28. & Pauſania in Arcadicis. Vide Gyraldum de Dijs Gentium. Hinc & idolum Beelzebub videtur habuiſſe caput muſcæ. Nam Septuag. *Beelzebub* vertũt, *Deum muſcam*. Simili enim modo Ægyptij Apin Deum bouis capite & ſpecie, Anubin canis, Hammonem Arietis, vel hirci, Æſculapium ſerpẽtis, alios deos & idola leonis, equi, aquilæ & auium formâ pinxerunt & coluerunt. Hinc ergo Iudęi Luciferũ principem dæmoniorum partim irriſione, partim abominationis cauſa vocarunt Beelzebub, id eſt, Deum muſcam, vel muſcarium, talemque dixerunt eſſe Chriſtum per ſummam contumeliam & ſacrilegium. Plura de Beelzebub dicam 4. Reg. 1. v. 2.

*Beelzebub quis?*

*Ægyptiorum varia Idola.*

Porrò Græci Codices tam hîc, quàm Marci 3. v. 22. & Lucæ 11. v. 15. 18. 19. æquè ac Theophyl. Enthym. Vatabl. conſtanter pro Beelzebub habent Beelzebul, quod nonnulli interpretantur *Baal* aut *Iuppiter ſtercorarius* (*zebul* enim Hebr. *habitaculum*, ſed Chald. Syriacè & Arabicè *zebel* ſignificat *ſtercus*, quia diabolus per peccatum eſt immundiſſimus, ideoque homines ad omnes immunditias, præſertim crapulæ & libidinis excitat, atque in ſepulchris, patibulis locíſque immundis vt plurimum cum ſuis ſagis verſatur) idque ad contemptum, cadaueribus enim & ſtercoribus muſcæ inſident. Atque hinc fortè *zebuli* nomen, quod S. Hilarius alijq; veteres dant diabolo, niſi malis Æolicè *za* poni pro διὰ, vt *zabulus* dicatur pro *diabolus*. Verùm legendum eſt Beelzebub, non Beelzebul: ſic enim legunt Codices Hebræi, Chaldęi, Syri, Arabici, S. Hieronymus, & alij paſſim. Sic etiam Septuag, legiſſe liquet ex 4. Reg. 1. vbi Beelzebub vertunt *Baal* (id eſt Iouem vel Deum) *muſcam*: *zebub* enim muſcam ſignificat, non *zebul*.

*Beelzebub quid?*

VERS. 26. Luc. 8. 17. 12. 2. Mar. 4. 22.

NE ERGO TIMVERITIS EOS: NIHIL ENIM EST OPERTVM, QVOD NON REVELABITVR, ET OCCVLTVM, QVOD NON SCIETVR] Græcà eſt pulchra paranomaſia: *Nihil enim eſt tectum, quod non ſit retegendum; nihil coopertum, quod non ſit diſcooperiendum.*

Senſus eſt. q.d. Licèt Iudæi vos calumnientur quaſi non Dei, ſed Beelzebub, id eſt, Luciferi Apoſtolos & legatos; nolite tamen eorum probra,

bra,irriſiones & ſannas timere, quia tandē Deus veſtram innocentiam, fidem & veram religionem patefaciet, non tantùm in die iudicij, ſed etiam in hac vita,facietque vt ij,qui vos antè perſequebantur vt diabolicos,cognitâ veritate,vt diuinos Deique nuntios honorent,colant, credāt, obediant.Ita ſanctus Chryſoſtomus, Theophyl. Euthym.nimirum virtus patitur fumum inuidiæ & infamię, ſed eluctans in flammam claritatis & gloriæ erumpit, ac diu preſſa laus maiori cum luce effulgurat.

Poſſet ſecundò ſic exponi. q. d. Ne timeatis aut refugiatis, ô Apoſtoli, prædicare meum Euangelium, quia licèt initio pauci credant, vt videatur illud eſſe opertum & occultum, tamen ſenſim ſerpet,& tandem toti orbi eius veritas innoteſcet, clareſcet & ſplendeſcet.

B Audi S. Ambroſium libr. 1. de Iacob & vita beata cap.8. *Perfecti*,inquit, *eſt viri non ſuccumbere ijs,quæ plerisque terribilia & formidoloſa videntur,ſed quaſi fortem militem, grauiſſimorum caſuum ſuſtinere incurſus, conflictus ſubire, & quaſi prouidum gubernatorem,nauem in tempeſtate regere,atq; occurrendo inſurgentibus fluctibus,magis vitare naufragium ſulcando vndas,quàm declinando. Non iſte in perſecutione pauidus, non in tormentis mollior, ſed quaſi athleta fortis qui repercutiat verberantem, ſi non cædis, certè ſermonis, flagello,dicens: Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum. Qui cum grauiſſimo licèt dolore luctetur, non miſerabilem ſe præbeat, ſed oſtendat tamquam in laterna lumen,& inter aſperas procellas & grauiſſimos flatus, ſuam lucere, nec extingui poſſe virtutem animi.*

*S. Vincentius.*

Sic olim ſuis in cruciatibus Vincentius tyrannū repercutiebat,dicens: *Videbis me plus poſſe dum torqueor,quàm ipſe dum torques.* Sic Apoſtoli in per- C ſecutionum tenebris clariùs radiabant. De quorum virtute D.Bernardus ſerm.27. in Cantica: *Quomodo*, inquit, *ſtellæ in nocte lucent,in die latent: ſic vera virtus,quę ſæpè in proſperis non apparet,eminet in aduerſis.*

Vers.27. Luc.12.3.

Qvod dico vobis in tenebris, dicite in lvmine: et qvod in avre avditis (Syrus, *quod in aures veſtras auditis*; Arabicus, *quod audiſtis auribus veſtris*) prædicate svper tecta] In Iudæa enim ſunt tecta plana,vt in eis ambulare, cœnare, dormire, atque ex ijs velut ex alto ſuggeſtu concionari licet. q. d. Quæ priuatim vobis dico,hæc publicè prædicate. Eſt catachreſis; nam *in tenebris & in aure* idem eſt, quod priuatim & ſecretò: *in lumine & ſuper tecta* idem eſt, quod palàm & publicè, coram omnibus. Ita S. D Chryſoſtomus, & S. Hieronymus,qui triplicem affert ſenſum: primum q. d. quod audiſtis in myſterio, hoc apertiùs prædicate: ſecundum quod didiciſtis abſconditè,hoc publicè loquimini: tertium,quod in vno Iudææ angulo vos docui, hoc in toto mundo liberè & audacter euangelizate.

Myſticè, S. Auguſtinus, lib. quæſt in Matth. cap.2. quod dico in tenebris,id eſt in timore,inquit, hoc in lumine, id eſt, in fiducia veritatis prædicare.

Vers.28. Luc.12.4.5.

Et nolite timere eos, qvi occidvnt: corpvs; animam avtem non possvnt occidere; sed potivs timete evm, qvi potest et animam et corpvs perdere in gehennam] Arabicus, *in ignem gehennæ.* q.d. Nolite metu mortis,quam vobis intentabunt perſe- A cutores,negare meam fidem, aut ceſſare ab eius prædicatione vobis à me imperatâ,vel aliquid eâ indignum committere,quia,ſi id feceritis,incurretis mortem tum corporis,tum animæ longè atrociorem & diuturniorem, ſcilicet, æternam in gehenna,vbi damnata moriuntur morte immortali, quia iugiter in tormentis mortiferis, quaſi in morte vitali & vitâ moribundâ viuunt & perdurant,iuxta illud: *Vermis eorum non morietur,& ignis eorum non extinguetur.* Iſaiæ 66.24. Verè S. Chryſoſtomus hom.5. ad Populum: *Gehennam*, ait, *continuè timens numquam in gehennæ ignem decidet, continuè caſtigatus hoc metu.*

Hæc Chriſti gnome propriè reſpicit rem neceſſariam & præceptam, ſcilicet, iubet vt metu tyrannorum fidem Deo datam, eiuſque legem non violemus. Extendi tamen poteſt ad res con- B ſultas, non præceptas; ſed tunc conſilij eſt,nunc præcepti. Sic S. Clemens Pontifex eam extendit ad conſilium virginitatis. Cùm enim SS. Nereus & Achilleus, famuli S. Flauiæ Domitillæ, quæ iam deſponſa erat Aureliano conſulis Romani filio, perſuaſiſſent Virginitatem, peterentque à S. Clemente vt illam velaret, Deoque Virginem conſecraret; animosè reſpondit Clemens: *Vobis, illi,& mihi,vt video,paratur palma martyrij: Sed quia Chriſtus ſanxit, vt non timeamus eos,qui occidunt corpus,contemnamus hominem mortalem,vt auctori vitæ immortalis planè pleneq; pareamus.*

*Conſtantia SS. Clementis, Domitillæ, Nerei & Achillei.*

Conſecrauit ergo Domitillam Virginem; quod audiens ſponſus eius Aurelianus, SS. Nereum & Achilleum variè tortos iuſſit plecti capite, S. Domitillam in Pontiam relegauit,quæ tandem martyrium per ignem obijt, ac demum S. Clemens in mare de- C merſus eamdem palmam obtinuit. Ita hi quatuor glorioſæ fuêre virginitatis victimæ. Fuit hic eorū actus heroicus: potuiſſent enim licitè ſuadere Domitillæ ad euadendam perſecutionem, vt nuberet Aureliano;ſed vicit amor caſtitatis & Chriſti. Ita habent eorum Acta apud Surium, die 12. Maij.

*Item S. Stephani Papæ.*

Hac eâdem Chriſti ſententiâ ſanctus Stephanus I. Pontifex & martyr, fideles ad conſtantiam in fide animauit ſub Valeriano Imperatore, qui octauam perſecutionem contra Chriſtianos ſuſcitauit,edicens, vt quiſquis Chriſtianum quēpiam accuſaſſet, eius bona poſſideret, & dignitates in exercitu,quas poſceret, obtineret. Pauidos ergo Chriſtianos S. Stephanus hac Chriſti gnome confirmauit, vt opes terrenas præ cæle- D ſtibus contemnerent, & vitam pro Chriſto ſpe vitę æternę profunderent. Atque dicta factis ſtabiliuit,ſuiſque quaſi dux ad martyrium præiuit. Miſſam enim celebrans, audito ſatellitum ſtrepitu, immotus & imperterritus perrexit: quâ finitâ conſidens in ſede, intrepidè caput carnifici amputandum obtulit anno Domini 260. Ita habet eius vita apud Surium die 2. Auguſti. Idem prorſus dixit & fecit S. Cornelius Pont. & martyr anno Domini 255. die 14. Septemb. vt patet ex epiſtola eius Lupicinium.

*Metus gehennæ vincit eculeos.*

In gehennam] Hic gehennæ metus, & vitæ æternę ſpes,acerrimus fuit ſtimulus Apoſtolis & martyribus ad generosè ſuperandum eculeos, ignes, leones, omniaque tormenta, vt patet in Machabæis 2. Machabæorum c.7.

*Exemplum S. Dionyſiæ.*

Victor. Vticenſis libr. 3. Wandal. perſecut. narrat Dionyſiam matronam, cùm ab Arrianis



excelſo loco tota nudaretur, & virgis acerrimè cæderetur, animosè reſpondiſſe: *Miniſtri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipſa eſt laus mea.* Cumque videret vnicum ſuum filiolum ad tormenta expalleſcentem, eum animauit recordatione gehennę, nequando rex dicat miniſtris: *Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum,& ſtridor dentium. Illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur. Talibus itaque filium ſolidans verbis velociter martyrem fecit.* Hucuſque Victor.

*Victoriani item proconſulis.*

Ibidem narrat Victorianum Carthaginis proconſulem,à legatis regis Hunerici ſollicitatum ad Arrianiſmum reſpondiſſe: *Securus de Deo & Chriſto Domino meo,dico,quæ regi dicatis. Subrigat ignibus, adigat beſtijs,excruciet generibus omnium tormētorum,ſi conſenſero, fruſtra ſum in Eccleſia Catholica baptizatus. Nam ſi hæc præſens vita ſola fuiſſet,& aliam,quæ verè eſt,non ſperaremus æternam, nec ita feciſſem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus exiſtere, qui ſuam fidem mihi contulit creditori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorum temporum & quantis eum afflixerit pœnis, humanus ſermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino feliciterq; conſummās, martyrialem coronam accepit.* Hæc Victor.

*S. Flauianus.*

Sapienter S. Flauianus martyr apud Surium in fine Februarij: *Corpus*, ait, *tormenta non ſentit, cùm animus in cælo eſt,& Deo ſe totâ mente deuouit.* Et ſanctus Ambroſius: *Sapiens*, ait, *non frangitur doloribus corporis, ſed etiam in ærumnis beatus manet.*

Vers.29. Luc.12.6. *As quid?*

Nonne dvo passeres asse venevnt, et vnvs ex illis non cadet svper terram sine patre vestro] *Aſſe*, Græcè *aſſario*,quod vocabulum eſt Romanum,& diminutiuum.q.d. paruus aſſis,cuius meminit Varro lib.1.de Analogia. Fuit autem aſſarius dimidia pars aſſis,non illius veteris, qui erat libralis (as enim erat libra C æris, auri, vel argenti) ſed recentioris, qui erat ſemiuncialis, cuius eſt lege Papyriâ, teſte Plinio lib.33.c.3. quare *aſſarius* erat quarta vnciæ pars, quæ in nummo æreo exigui erat valoris & pretij, adeoque duo quatrini Romani ex ære (vti meis oculis vidi) ponderant ferè quartam vnciæ partem; imò eam planè adæquant duo quatrini cum medio, qui valent dimidium baiocum,id eſt,quartam ſtuferi belgici partem,quam ipſi vocant *een oort.* Nam Iulius, ſiue regalis Hiſpanicus valet decem baiocos, id eſt, quinque ſtuferos: baiocus enim eſt dimidius ſtuferus. Quare aſſarius eſt dimidius baiocus, ſiue quarta ſtuferi pars. Porrò baiocus Romę continet quinque quatrinos. Porrò aſſarius dictus quoque eſt aſſis, vt vertit hic interpres, ſcilicet minor, ſiue dimidiatus: ſic enim regales alij ſunt duplices, alij ſimplices, & quaſi dimidiati. Vatabl. aſſem interpretatur quatuor denariolos,qui valent circiter duos quatrinos cum dimidio Romanos. *Aſſe* ergo, id eſt,vili & minimo pretio *veneunt*,id eſt venduntur,*duo paſſeres.* (Vnde Euthymius *aſſarium* interpretatur *teruncio lum*, vel *minimum obolum*) hoc erat eorum pretium in Iudæa tempore Chriſti. Ita Georgius Agricola li.2. de Externis ponderibus.

Non cadet svper terram] Id eſt,non peribit,non morietur. Aues enim cum viuunt,in aëre degunt & volant: ſagittis verò confixæ, vel aliâ ratione morientes,in terram decidunt: *Sine patre veſtro*,id eſt,ſine prouidentia,curâ voluntate, & decreto patris veſtri. q. d. Si Deus tantam A habet paſſerculorum curam & prouidentiam, quantam habebit veſtri? vtpote qui propriè ſit pater veſter,non paſſerculorum: vos enim ad ſimilitudinem ſuam rationales formauit, & per Chriſtum reformauit, Chriſtoque ſimiles, ſanctos, & Apoſtolos effecit: quare non permittet vos lædi, vel occidi à perſecutoribus, niſi vt per martyrium meliori, imò feliciſſimâ vitâ & coronâ vos donet.

*Symbolicè.*

Simbolicè S. Hilarius duo paſſeres, ait, ſunt corpus & anima,quæ quaſi paſſeres nata ſunt, vt pennis ſpiritualibus volent in cælum; ſed peccator ea aſſe, id eſt modicâ voluptate, vendit diabolo, vt deſcendant in tartara.

Vers.30. Luc.12.7. 21.v.18.

Vestri avtem capilli (Syrus *pili*, *Capillus* enim dicitur quaſi *capitis pilus*,nam & pili ſunt in alijs membris) capitis omnes nvmerati svnt) q.d. Deus ab æterno,non tantùm mem- B brorum,ſed & capillorum veſtrorum numerum ſtatuit & decreuit: quare illum exactè nouit, & capillos ſub numero hoc diligenter cuſtodit, ne vel vllus pereat ſine peculiari eius prouidentia, vt ait Lucas: quæ enim alicui numerata & ſub certo numero commendata ſunt,hæc ille exactè cuſtodit, ne vel vnum depereat, ſed eodem numero conſeruet, vt eodem ſuo tempore reſtituat. Ita facit Deus nobis in capillis.

*Capilli ſunt electi & cogitationes.*

Allegoricè, Capilli Chriſti primò ſunt omnes electi & ſaluandi, ait S. Hieronymus, hi enim Chriſtum ornant,ſicut capilli caput. Tropologicè,capilli ſunt omnes cogitationes,locutiones & actiones fidelium & ſanctorum. Ita S. Cyrillus lib.8.in Leuit. Rurſum capilli ſunt minutiſſimæ cogitationes & intentiones ſanctorum, quas Deus exactè nouit,cuſtodit, animat, dirigit,per- C ficit & præmiat. Ita Damaſc.in Hiſtoria Barlaam & Ioſaphat. cap.9.

Vers.31. Luc.12.7.

Nolite ergo timere, mvltis passeribvs meliores (Syrus *præſtantiores*) estis (Græcè διαφέρετε,id eſt, præſtatis, antecellitis, excellitis) vos] q. d. Si Deus paſſerum habet curam; ergo multò magis veſtri: quare in eius paterno prouidentiæ ſinu ſecuri conquieſcite in quauis perſecutione & tribulatione: ipſe enim ab omni vos liberabit vel eripiendo,vel martyrio in morte laureando,& in cælum transferendo; vbi non erit ampliùs labor aut dolor.

Porrò ſi paſſeres,qui ob garritum,& quia domos conſpurcant triticumque furantur,à domibus fugantur,& ob carnes quæruntur ad necem, incurij tamen viuunt ſine vitæ cura,eamque Deo reſignant, idque ex ſolo naturæ inſtinctu, cùm D Dei prouidentiam non cognoſcant; quantò magis vos, qui eamdem & ratione cognoſcitis, & fide creditis,& experientiâ quotidie ſentitis,imò quaſi manibus palpatis,eidem vos totos fidenter committere debetis; vos, inquam, qui eius cauſam agitis, eiuſque fidem & cultum propagatis? Horum enim, ſi vllorum, Deus curam habet quàm maximam.

Vers.32. Luc.12.8.

Omnis ergo qvi confitebitvr (ab hac voce olim *martyres* vocati ſunt *confeſſores*) me coram hominibvs, confitebor, et ego evm coram patre meo, qvi in cælis est] *Confitebitur me*, Græcè ἐν ἐμοί, id eſt, *in me.* Et mox: *confitebor & ego eum*, Græcè ἐν αὐτῷ, id eſt, *in eo*,id eſt,eum,& ſic legit Tertullianus in Scorpiaco, cap.9. Sic quoque habet Lucas cap. 12.

 verſ.5.

verſ.5.in Græco.Eſt Hebraiſmus. Hebræi enim verba contactus, ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis & mentalis (qualis eſt confiteri & profiteri aliquem conſtruunt cum propoſitione ב id eſt, *in*, dicuntque הודה בי *hoda bi*, id eſt, confeſſus eſt in me, id eſt, confeſſus eſt me, vt patet ex antitheſi, quam ſubijcit: *Qui autem negauerit me, negabo & ego eum.* Aliter Maldonatus: *confitebitur*, inquit, id eſt, gloriabitur *in me*, vt reſpondeat Hebr. התודה *hitvadde*, quod cùm ſit *Hitpael* ſignificat actionem in agentem reflexam, putà cõfiteri in ſeipſo, hoc eſt, gloriari. Denique τὸ *in me* habet emphaſim, multaque notat.

Senſus enim eſt q,d. Omnis, qui coram tyrannis de fide interrogatus, ingenuè, liberè & conſtanter profeſſus fuerit ſe credere in me quaſi in Meſſiam, Dei filium, ſaluatorem orbis, ſeque mihi, meæque doctrinę mordicus adhærere, ac pro

B

ea tuenda velle mortem oppetere; itaque me, meumque nomen & religionem palàm honorarit & celebrarit, hunc pariter ego coram Deo, Angelis & hominibus profitebor eſſe meum diſcipulum, confeſſorem & martyrem, ac vt talem honorabo & celebrabo; atque martyrij laureâ coronabo. Hoc eſt, quod ait Apoſtolus Rom.10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Vnde S. Baſil. hom. de Quadraginta martyribus, narrans eos vnanimi voce coram prǽſide profeſſos ſe eſſe Chriſtianos, exclamat: *O beatas linguas, quæ ſacram illam vocem emiſerunt, quam aër quidem excipiens ſacer eſt factus, Angeli audientes plauſerunt; diabolus verò cum dæmonibus magnam accepit plagam, Dominus poſtremò in cælo deſcripſit.*

*Martyrij excellentia.*

C

Martyrium ergo eſt confeſſio Chriſti; & profeſſio Chriſtianiſmi vſque ad eculeos & necem violentam, ideoque eſt ſummus honor & amor Chriſti. Vnde Apoſtoli viriq; Apoſtolici ardentiſſimè deſiderarunt martyrium. Sanctus Ignatius epiſt. ad Roman. *Amor meus*, ait, *crucifixus eſt: non eſt in me ignis mundanæ, ſed cæleſtis materiæ, & aqua viua, quæ intus dicit: veni ad patrem.* Idem: *Pulchrum eſt à mundo occidere ad Deum, vt ad ipſum exoriar.* Sanctus Baſilius homil.19. in S. Gordium martyrem: *Martyres*, ait, *cæleſtem gloriam violentâ immaturaq; morte præueniunt. Velociter ex hac vita, quæ potiùs eſt interitus longus dicenda, breui quidem labore commigrare contendunt, ſupremum ætatis finem inutilem, ſterilem, infructuoſum, ſtultum, vanum expectare faſtidiunt.* Mortem ergo non vocant mortem, ſed, vt ait S. Sophia ad Anaſtaſiam filiam

*Ignatius Martyr.*

D

apud Surium die 28. Octobris. *Bonũ ex malo mundo diſceſſum, lętitiam, gaudium, voluptatem, ſplendorẽ, pulchritudinem, lucem longè ac luce dulciorem & pulchriorem.* Sanctus Antonius, teſte ſancto Athanaſio, cum futuri martyres in perſecutione Maximiani ducerentur Alexandriam, ſpe martyrij proripiens ſe è monaſterio, ſequenſque futuras Chriſti victimas: *Pergamus*, ait, *ad glorioſos fratrum triumphos, vt & ipſi congrediamur.* Sanctus Dionyſius Areopagita, ſurrogato ſibi Athenis Epiſcopo, martyrij deſiderio Romam adijt, inde Gallias, vt cum Apoſtolis martyr occumberet: vnde glorioſum pro Chriſto agonem fortiter obijt iuxta Pariſios.

*Secundo.*

*S. Antonij.*

*S. Dionyſij Areopagitæ.*

Tertullianus Apologericum pro Chriſto & Chriſtianis ita concludit: *Sed hoc agite boni præſides meliores multò apud populum, ſi illis Chriſtianos immolaueritis. Cruciate, torquete, damnate, atterite nos;*

A

*probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra. Ideo nos hæc pati Deus patitur; nam & proximè ad lenonẽ damnando Chriſtianam, potiùs quàm ad leonem, confeſſi eſtis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni morte reputari; nec quidquam tamen proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ: plures efficimur, quoties metimur à vobis: ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Et paucis interiectis: *Qui non, vbi requiſiuit accedit, vbi acceſſit pati exoptat? vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur. Inde eſt quod ibidem ſententijs veſtris gratias agimus, vt eſt æmulatio diuinæ rei & humanæ: cùm damnamur à vobis, à Deo abſoluimur.*

Idem Tertullianus contra Gnoſticos, docentes poſſe in tormentis Chriſtum ore negari, modò eius fides corde retineatur (idem poſtea docuerunt Priſcillianiſtæ, quorum teſſera erat:

*Iura, periura, ſecretum prodere noli*)

ſcripſit Scorpiacum, id eſt, pharmacum contra Scorpios, putà Gnoſticos, quo toto agit de Bono martyrij. Tertullianum quaſi magiſtrum de more ſecutus ſanctus Cyprianus mirè extollit martyres & martyrium, exhortat. ad mart. *Martyrij*, ait, *inæſtimabilis gloria, infinita menſura, immaculata victoria, inæſtimabilis titulus, triumphus immẽſus.* Idem ibidem & in epiſt. ad martyres, inter alia his eos elogijs ſparſim ornat: *Martyr efficitur collega paſſionis Chriſti. Martyres præſtant magiſteria morum. Confeſſores initia virtutum. Martyres cum Chriſto futuri iudices. Martyres regnum cælorum ſine cunctatione obtinent. Martyres fructũ cẽtenarium percipiunt. Martyrum triumphus glorioſus. Martyrũ fides & fortitudo inexpugnabilis. Martyrum corona eò ſublimior quò longior. Martyrũ oratio meretur à Deo exaudiri. Martyrum triumphis lætatur Eccleſia. Martyrum prærogatiuâ poſſunt lapſi apud Deum iuuari. Martyrum memoria, paſſiones, & dies anniuerſaria, ſacrificijs in Eccleſia celebrari ſolita. Martyribus patent cæli tempore perſecutionum. Martyrium eſt in Dei dignatione, non in hominis poteſtate. Martyrium iam libenter appetunt, qui mortem contemnere diſcunt. Martyrium per baptiſma ſanguinis omnium excellẽtiſſimum. Martyrij initium ab Abel. Martyrij ſubeundi adiutor, teſtis, & probator Chriſtus. Martyrio ſtatim patet ingreſſus ad regnum cælorum.*

*Elogia Martyrij.*

Denique Anteſignanus, Princeps & Dux martyrum eſt Chriſtus. Hac de cauſa primi Antiſtites & Patres (quod & inuitus fatebatur Iulianus Apoſtata) *omnes ad martyrium quaſi apes ad aluearium volabant*, ait ſanctus Chryſoſtomus Orat. in Iuuent. & Maxim. mart. tom.3. in fine. Sanctus Hubertus, ſancto Lamberto martyri in Leodienſi Epiſcopatu ſuccedens, ingemiſcebat, quòd & eidem in martyrio non ſuccederet: *O me infelicem*, inquit, *cuius peccata ſe in tantam ſuſtulère congeriem, vt non idoneus dignuſq; poſſim reperiri conſortio tanti viri, martyrij triumphum ſubeuntis, palmamq; martyrij inuadentis!* Ita habet vita eius apud Surium die 5. Nouembris. Sanctus Dominicus vix inſtituto à ſe Ordine Prædicatorum, cupiditate martyrij ad Saracenos profectus eſt, anno Domini 1217. Sanctus Franciſcus ad martyrium ita anhelabat, vt teſte S. Bonauentura, cap.9. vitę eius, ter in Orientem eius potiundi ſpe ſit profectus. Primò in Syrium, anno ſexto conuerſionis ſuæ. Secundò, anno ſeptimo ab

*Chriſtus martyrum Anteſignanus.*

*Martyrij auidiſſimi. S. Hubertus.*

*S. Dominicus.*

*S. Franciſcus.*



ab inſtituto Minorum ordine, in Africam ad regem Marochij. Tertiò in terram ſanctam ad Sulthanum Babyloniæ, ſed irrito ſemper conatu, Deo nimirum ipſum ad nobilius ſacrorum Chriſti ſtigmatum martyrium deſtinante.

Plura de martyrio annotaui Oſee cap.11. in fine capitis. Vide Victorem Vticenſem lib.2.3. Wandal. Perſecut. vbi inter alia narrat ab Hunerico rege Arriano plurimos orthodoxos, quaſi agmina locuſtarum, compactos fuiſſe in anguſtum carcerem, vbi locus non erat ſecedendi, quare omnia ſtercoribus & vrinâ ſcatebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuerſa pœnarũ genera ſuperaret: Et tamen martyres hymnum cum exultatione Domino decantabant: *Hæc eſt gloria omnibus ſanctis eius.*

*Martyrum agmen.*

VERS.33. Luc 6.26. 12 9. Mar.8.38.

B

QVI AVTEM NEGAVERIT ME CORAM HOMINIBVS, NEGABO (Syrus *abnegabo*) ET EGO EVM CORAM PATRE MEO, QVI IN CÆLIS EST] Subiũgit hoc Chriſtus, vt qui non mouetur magnificâ promiſſione, percellatur terribili comminatione, quòd ſicut Chriſtus confitebitur confitentem, ita negabit negantem ſe, dicens: *Numquam noui vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem.* Matth.7.23. hoc eſt, ite ad Luciferum, cui ſeruiſtis, in gehennam. Matth.25. v.12. ſequent.

VERS.34. Luc.12.51.

NOLITE ARBITRARI, QVIA (quòd) PACEM VENERIM MITTERE IN TERRAM, NON VENI PACEM MITTERE, SED GLADIVM] *Pacem*, ſcilicet terrenam & mundanam; nam pacem ſpiritualem mentis, & pacem vnionis fidelium inter ſe, ac cum Deo & Angelis eius, quæ ducit ad pacem & felicitatem æternam in cælis, Chriſtum allaturum prædixit, & promiſit Iſaias cap. 9. verſ.6. & 7. & cap.65. verſ.25. & hanc Angeli, Chriſto nato, hominibus nuntiarunt, Lucæ 2. 14.

C

SED GLADIVM] Id eſt, *ſeparationem*, vt habet Lucas cap.12. 51. & diſcordiam in fide & religione, ſcilicet fideles meos Chriſtianos propriè per fidem ſeparem ab infidelibus: hi verò inde & occaſione acceptâ ſe ſeparent à fidelibus infideli odio, eoque libertate, bonis & vitâ mulctent; & hoc poſterius maximè intendit hîc Chriſtus, idque optimè reſpondet Michęæ cap.7. verſ.6. ex quo hæc ſumpſit Chriſtus. Ita S. Auguſtinus lib. 1. Retract. cap.19. & alibi, imò ſic explicat Lucas cap.12. verſ.51. & patet ex ſequentibus; ſequitur enim:

VERS.35.

D

VENI ENIM SEPARARE (Syrus vt *faciam diſſidere*) HOMINEM ADVERSVS PATREM SVVM, ET FILIAM ADVERSVS MATREM SVAM, ET NVRVM ADVERSVS SOCRVM SVAM:

VERS.36. Luc.12.53.

ET INIMICI HOMINIS, DOMESTICI EIVS] Syrus: *Et inimicos habebit vir filios domus ipſius.* Quia, vt ait S. Chryſoſt. hom.2. contra Iudęos, eueniet vt in eadem domo vnus ſit fidelis, credatque in Chriſtum, alter maneat infidelis, ac pater velit filium à fide retrahere ad priſtinam impietatem. Hoc prędicens, ait: *veni ſeparare*, &c. q.d. Adeò vincet poteſtas Euangelij, vt filij quoque cõtemnant parentes ſuos, filiæ matres ſuas & parentes liberos, imò & animan (vitam) & omnia pro pietate exponant. Hæc Chryſoſtomus. Porrò alludit, imò citat Chriſtus Michęæ 7. v.6. Putant nonnulli Chriſtum alio ſenſu & causâ abuti verbis Michęæ; ſed reſpondeo, Michæam ad lite-

*Alludit Chriſtus ad Michææ c.7.*

A

ram loqui de calamitate obſidionis impiæ Ieruſalem per Chaldęos, vti docet ibidem S. Hieronymus, quâ eius incolę adeò gladio, fama, peſte vexati & afflicti fuêre, vt etiam frater fratri, filius parenti, vxor marito panem, domum, arcem eriperet & pręriperet, vt ſibi vni conſuleret. Allegoricè autem, hęc Iudęorum pugna ſignificat diſcordiam & pugnam infidelium, etiam parentum, fratrum, coniugum, contra fideles Iudæos & Gentes tempore Chriſti, maximè quãdo propter eos periculum famæ, bonorum & honorum, vel etiam vitę incurrebant: tunc enim fratres, filij, ceterique domeſtici fiebant inimici fratrum & parentum fidelium. Et hoc ſenſu allegorico verba Michęæ citat hîc Chriſtus; nec enim neceſſe eſt in Allegoria vel parabola omnia omnino adaptare. Vide dicta Michęæ 7.6.

B

QVI AMAT PATREM AVT MATREM PLVSQVAM ME, NON EST ME DIGNVS: ET QVI AMAT FILIVM AVT FILIAM SVPER ME, NON EST ME DIGNVS] Scilicet, non eſt dignus, qui me habeat Dominum & magiſtrum: non eſt dignus meo nomine, conſortio, gratiâ, regno, ceteriſque promiſſis meis: Lucæ cap.14.26. *Non poteſt meus eſſe diſcipulus*, non eſt dignus me præceptore. Ratio eſt, quia Chriſtus, vtpote Deus, Dominus, Saluator & Redemptor noſter, longè præferendus eſt parentibus & filijs: quare qui illis eum poſtponit, vt propter eos à fide vel lege Chriſti deſciſcat, hic indignè tractat Chriſtum, eique ſummam ignominiam irrogat: quare indignum ſe facit, vt in Chriſti familia & ſchola receſeatur. Ita S. Hieronymus, & alij. Ita S. Saturus, cùm ei minaretur Hunericus rex, ni Arrianus fieret, ſe vxorem eius camelario in cõiugium traditurum,

VERS.37. Luc.14. v.26.

C

cumque vxor id horreſcens, obſecraret Saturum vt regi conſentiret, ipſe quaſi alter Iob reſpondit: *Tamquam vna ex inſipientibus mulieribus loqueris. Formidarẽ, mulier ſi ſola eſſet huius vitæ amara dulcedo: artificio, Coniux diaboli miniſtraris. Si diligeres maritum, numquam ad ſecundam mortem attraheres proprium virum. Diſtrahant filios, ſeparent vxorem, auferant ſubſtantiam, mei Domini ego ſecurus de promiſſis, verba tenebo: Si quis non dimiſerit vxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit eſſe diſcipulus.* Ita Victor Vticenſis lib.1. Wandal. perſec. Idem lib.3. Matrona, ait, nomine *Victoria*, *dũ in conſpectu vulgi continuato ſuſpendio crematetur, à marito iam perdito, filijs præſentibus, taliter rogabatur: Quid pateris coniux? Si me deſpicis, vel horum, quos genuiſti, miſerere impia paruulorum. Quare obliuiſceris vteri tui, & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperiſti? Vbi ſunt fœdera*

*S. Saturi heroica fortitudo.*

*Victoria Matrona magnanimitas.*

D

*coniugalis amoris? vbi ſocietatis vincula, quæ inter nos dudum honeſtatis iure tabulæ conſcriptæ fuerũt? Reſpice, quæſo, filios ac maritum, & regiæ iuſſionis implere feſtina præceptum, vt imminentia adhuc tormenta lucreris, ſimul & mihi doneris & liberis noſtris. Sed illa nec filiorum fletus, nec ſerpentis audiens blandimenta affectum multò altiùs eleuans à terra, mundum cùm ſuis deſiderijs contemnebat.*

ET QVI NON ACCIPIT (de manu Domini in humeros ſuos, vt inſtar Chriſti eam baiulet & æquo animo ferat) CRVCEM SVAM, ET SEQVITVR ME, NON EST ME DIGNVS] *Crucem*, vt ſcilicet paratus ſit pro Chriſto ferre opprobria, verbera, carceres, & mortem etiam duriſſimam & ignominioſiſſimam, qualis eſt mors crucis, quam Chriſtus pro nobis ſuſtinere dignatus eſt, quia,

VERS.38. Inf.16. v.24 Luc.14. v.27.

A quia, vt ait S. Chryſoſtomus, in perſona Chriſti: ſicut ego ſummam vobis attuli beatitudinem, ſic ſingularem obedientiam & affectionem à vobis poſtulo, imò repoſco, vt in mea acie ſitis leones.

*Crux Chriſti ferenda.* Alludit Chriſtus ad baiulationem ſuæ crucis futuræ: omnino enim par eſt & iuſtum, vt poſt Chriſtum crucem pro nobis baiulantem, nos quoque crucem noſtram eius amore & reuerentiâ baiulantes ſequamur, & tendamus in cælum. Hunc eſſe genuinum literæ ſenſum patet ex ſequentibus. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus & alij. Poteſt tamen generatim per *crucem* hîc accipi omnis tribulatio à Deo immiſſa. Crux enim à cruciatu dicitur, ait S. Gregorius, hęc Chriſtianis Chriſti Ducis ſui amore & exemplo fortiter ferenda eſt.

Myſticè, crux eſt mortificatio. Ita S. Gregorius hom. 33. in Euang. Beda & alij. Audi Euthymiũ: B *Crucem*, inquit, *vocat Chriſtus mortem ad ea quæ mũdi ſunt, quia mortis inſtrumentum erat crux. Oportet enim eum, qui Chriſtum ſequitur, mortuũ eſſe ad mundanas voluptates.* Audi & Gloſſam: *Crux duobus modis portatur, vel cùm per abſtinentiam corpus afficitur, vel cùm per compaſſionẽ proximi, animus affligitur, peccata proximorum fixorium ſunt Sanctorum.*

Simili modo S. Hilarius, & alij hæc accipiunt de cruce & martyrio ſpirituali, quâ quis carnem, concupiſcentiam & vitia crucifigit, & à ſe reſecat. Idem dico de ſententia proximè ſequenti. Addit ſanctus Chryſoſtomus Chriſtum meminiſſe crucis, vt ſenſim ad crucem & paſſionem ſuam animos diſcipulorum præparet.

Denique S. Hieronymus: *In alio Euangelio*, inquit, *ſcribitur: Qui non accipit crucem ſuam quotidie,* C *ne ſemel putemus ardorem fidei poſſe ſufficere, ſemper crux portanda eſt, vt ſemper nos Chriſtum amare doceamus.*

VERS. 39. Inf. 16. v. 25. Luc. 17. 33. Ioan. 12. 25. QVI INVENIT ANIMAM SVAM, PERDET ILLAM: ET QVI PERDIDERIT ANIMAM SVAM PROPTER ME, INVENIET EAM] τὸ *inuenit*, eſt præteritum non præſens. Græcè enim eſt, ὁ εὑρών Senſus eſt, q. d. Qui animam, id eſt, animæ & vitæ ſuæ ſalutem corporalem & temporalem (ne ſit amphibologia cum ſequenti) in periculo mortis ob fidem meam apud tyrannos conſtitutam, per fidei & mei nominis negationem (hoc enim ſupplendum eſſe patet ex ſequenti antitheſi) *inuenit*, id eſt, acquiſiuit & lucratus eſt, is perdet animam, id eſt, animę ſuę ſalutem æternam, quæ ſola vera eſt ſalus, ibique in gehennam. Et è contrario, qui perdiderit pręſentem animæ vitam ob D profeſſionẽ mei nominis & fidei, vt pro ea mortem oppetat & martyrium; hic inueniet vitam, ſalutem, felicitatem & gloriam animæ æternam. Ita Theophylactus & alij. Simile eſt cap. 16. 25. & Lucę 17. verſ. 33. Ita & Tertullianus in Scorpiaco cap. 11. *Animam*, ait, *ille inuenit, qui negarit Chriſtum lucrifaciendo vitam, ſed perdet in gehennam, qui ſe putat in negando lucrifacere eam. Perdet autem eam ad præſens, qui confeſſus occiditur, ſed inuenturus eam in vitam æternam.*

*Vita in morte & mors in vita.* Qui ergo indulget animæ ſuæ, perdit eam; qui mortificat, ſaluat. Vide hîc Paradoxon: vita hîc ſita eſt in morte, & mors in vita. Si enim pro Chriſto moreris, viues, ſin Chriſtum neges, vt viuas, morieris in æternum. Vnde Tertullianus in Scorpiaco cap. 5. *Voluit*, ait, *Deus mortem morte diſſoluere, tormentis tormenta diſcutere, vitam auferendo conferre, carnem lædendo iuuare, animã eripiendo ſeruare.* Quare non potes meliore vſu vitam expendere, quàm ſi eam pro Chriſto prodigas. *Nam pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Pſ. 115. *Pretioſa*, ait S. Cyprianus epiſt. 11. *mors hæc eſt, quæ emit immortalitatẽ pretio ſanguinis*, iuxta illud Sapient. 3. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt.*

*Inuenio pro acquiro.* Nota hebr. מצא *matſa*, id eſt, *inuenit*, ſubinde ſignificat, *acquiſiuit, nactus eſt, comprehendit, aſſecutus eſt*, vti vertunt Septuag. Iob c. 3. verſ. 22. & Noſter 1. Reg. 31. verſ. 3. Pari modo Græcum εὑρίσκω, id eſt, venio, ſæpe idem eſt, quòd impetro, obtineo, eruo, libero, aſſequor, comparo. Et Latinũ inuenire eſt quaſi in aliquid venire, aliquid acquirere & adipiſci, ait Donatus. Sic Cicero Philip. 1. ait: *Qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporemq; cordis cognitionem ex contumelia inuenit*, id eſt, acquiſiuit. Plinius in præfat. *Inde nomen diuinum inuenit*, id eſt, adeptus eſt. Sic dicitur quis inuenire laudem, mortem, famam, id eſt, acquirere. Sic Lucæ 1. ait Gabriel B. Virgini. *Inueniſti gratiam apud Deum*, id eſt, veniſti in gratiam Dei, eius gratiam iniuiſti, eius amorem nacta & adepta es. Sic Apoſtolus Rom. 4. 1. *Quid ergo dicemus inueniſſe*, id eſt, aſſecutum eſſe *Abraham patrem noſtrum?* Gen. 26. 12. dicitur: *Seuit Iſaac in terra illa & inuenit*, id eſt, acquiſiuit *in ipſo anno centuplum*. Ratio, eſt quia quod quis in fundo ſuo natum inuenit, hoc ſibi acquirit. Sic hîc, *qui inuenit animam*, id eſt, qui vitam ſuam in perſecutione mortis periculo expoſitam, & quaſi perditam lucratur, acquirit, & quaſi de nouo facit ad ſe venire, negando Chriſtum, hic *perdet eam* in altera & beata vita. Res enim perdita ſi inueniatur, æſtimatur quaſi de nouo acquiſita. Eſt catachreſis. Qui enim vitam, quam tyrannus petit, negando fidem conſeruat, hic eam quaſi inueniſſe & de nouo adeptus videtur.

*Inuenio pro quæro.* Rurſum מצא *matſa*, id eſt, *inuenit*, ſubinde ſignificat *quæſiuit* per metalepſin, quia preſsè non inuenitur, niſi quod quæſitum eſt. Sic ſenſus eſt, *qui inuenit*, id eſt, qui quærit vitam ſuam conſeruare, & quærendo acquirit ac conſeruat. Sic Ionathas ait famulo: *Vade, & affer mihi ſagittas*, vbi in Hebr. *matſa*, hoc eſt, *vade, & inueni*, id eſt, quære mihi ſagittas. 1. Reg. 20. 21.

*Notat vim & potentiam.* Ad hæc *matſa* ſubinde notat libertatem, ſufficientiam, copiam, facultatem, potentiam. Vt Pſ. 20. v. 9. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, id eſt, ſufficiat, potentior ſit & fortior inimicis tuis. Sic hîc inuenire animam, eſt acquirere, animæ, id eſt, vitæ libertatem, rerumque copiam & potentiam per negationem fidei; hæc enim reges & tyranni negantibus Chriſtum promittebant.

VERS. 40. Ioan. 13. 20. QVI RECIPIT VOS, ME RECIPIT: ET QVI ME RECIPIT, RECIPIT EVM, QVI ME MISIT] Qui enim recipit legatum, in legato recipit regem, qui eum legauit, vt per eum loquatur & agat, Apoſtoli autem ſunt legati Chriſti, & Chriſtus Dei: qui ergo eos recipit, Chriſtum in ijs recipit, & in Chriſto ipſum Deum, iuxta illud Pauli: *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* 2. Corinth. 5. ita fecerunt Galatæ Paulo: *Teſtimonium*, ait ipſe ad eos cap. 4. *vobis perhibeo, quia ſi fieri poſſet: oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.* Et rurſum: *Non me reſpuiſtis ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis, ſicut Chriſtum Ieſum.* Proponit



A ponit Chriſtus hîc præmia recipiẽtibus Apoſtolos, vt Apoſtolis in paupertate, quam ei pręcipit, v. g. prædicantibus, conſulat, in eaque confirmet, vtque hoſpites ad eos libenter excipiendum inuitet.

VERS. 41. QVI RECIPIT PROPHETAM IN NOMINE PROPHETÆ, MERCEDEM PROPHETÆ ACCIPIET: ET QVI RECIPIT IVSTVM IN NOMINE IVSTI, MERCEDEM IVSTI ACCIPIET] *Prophetam*, id eſt, doctorem & prædicatorem Euangelij, quales erant Apoſtoli. Olim enim Prophetarum munus erat, non ſolùm prædicere futura, ſed & populum docere, ac prædicare legem ac verbum Dei: *In nomine Prophetæ*, id eſt, quia Propheta, id eſt, doctor & prædicator Chriſti. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. Beda. Vide c. 7. 15.

*Merces Prophetæ quid? Primò.* MERCEDEM PROPHETÆ ACCIPIET] Primò B aliqui ſic explicant. q. d. Mercedem à Propheta accipiet, eàmque hoſpitio & hoſpitalitate longè maiorem, quia à Propheta id eſt, prędicatore recipiet fidem & gratiam Chriſti, item orationes eius apud Deum pro ſuo hoſpite.

*Secundò.* Secundò, Euthymius: *Mercedem Prophetæ accipiet*, hoc eſt, inquit, erit Prophetæ & prædicatori æqualis in pręmio, & æqualibus cum eo honoribus dignus habebitur. Hoc ſubinde verum eſt, cùm ſcilicet hoſpes tantâ charitate recipit prædicatorem, quantâ ipſe prædicat, eique magno feruore cooperatur, & cauſa eſt, vt plurimos conuertat. Menſuræ enim charitatis reſpondet menſura gloriæ cæleſtis, & beatitudinis eſſentialis. Quantum enim quis amat Deum, tantâ viſione Dei beabitur. Gradus enim viſionis & gloriæ correſpondent, & commenſurantur gradibus C charitatis. Aliàs verum non eſt: plus enim eſt prædicare Chriſtum, ac proinde maioris meriti & præmij, quàm ſit prædicatorem hoſpitio excipere.

*Tertio. Genuinè.* Tertio & genuinè, *mercedem Prophetæ accipiet*, quia ſicut cooperatur Prophetæ, eumque iuuat. quia Propheta & prædicator eſt, ita particeps erit laboris, meriti & præmij Prophetæ non æqualiter, ſed proportionaliter, ſcilicet, ſecundùm proportionem cooperationis & charitatis, quâ prædicanti cooperatur. Sic enim iure communi receptatores latronum & furum, ſimili cum ijs pœnâ plectuntur, licèt non æquali. Qui enim alienæ virtuti, vel crimini cooperatur, illius alieni operis naturam & meritum, indeq; præmium vel ſupplicium in ſe trahit. Sic explicat S. Chry- D ſoſtomus: *Mercedem Prophetæ accipiet illam*, inquit, *quam decens eſt, vt is capiat, qui Prophetam recipit*, alij: *Particeps erit mercedis Prophetis promiſſæ.* Simile dat S. Gregorius hom. 20 in Euang. *Quia*, inquit, *etſi vlmus fructum non habet, vuam tamẽ cum fructibus portãs, hæc ſua efficit, quæ benè ſuſtentat aliena.* Sic enim hoſpes per Prophetam, quem recipit, prophetat & pręedicat, ideoque Prophetæ meritum & præmium percipit.

Huc facit vetus militiæ lex: *Æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident hoſtium ſpolia.* 1. Reg. 30. 24. Mercedem ergo Prophetæ, id eſt, prophetiæ, ſiue prædicationis recipiet, quia eam adiuuit, & promouit: ſine eo enim prædicator (vtpote carens victu) prædicare non potuiſſet.

Denique per *mercedem Prophetæ* nonnulli accipiunt donum prophetiæ, quod Abdiam Prophetam meruiſſe cenſet S. Hieronymus in Abdiam, eò quòd ipſe Prophetas in perſecutione Iezabelis pane & aqua ſuſtentaſſet. *Hic*, inquit, *quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus ſit dux Eccleſiæ. Tunc in Samaria paruum gregem pauerat, nunc in toto orbe Chriſti paſcit Eccleſias.* Cenſet enim ipſe Abdiam, qui Prophetas ſub Achab latitantes aluit 3. Reg. 18. 13. eumdem eſſe cum Abdia, qui quartus eſt inter minores Prophetas. Idem cenſent S. Epiphanius, S. Dorotheus, S. Iſidorus & alij, etſi verius ſit alium fuiſſe ab eo, vti oſtendi proœmio in Abdiam. Simili modo S. Marius & Martha cum filijs, alijq; plures martyrium adepti ſunt, eo quod martyres viſitaſſent & aluiſſent in carcere, de quo mox plura.

B Ex hac ſententia colligit S. Ignatius epiſt. ad Smyrnenſes, eum qui recipit martyrem mercedem martyris recepturum: *Nimirum*, inquit, *qui honorat vinctum Ieſu Chriſti, martyrum mercedem accipiet.* Hinc in hiſtorijs martyrum legimus multos fideles, qui martyres viſebant, vel alebant, vel confortabant, vel ſepeliebãt, vel quouis alio modo fouebant, hoc ipſo martyrium meritos, & reipſa martyres euaſiſſe, vt patet in S. Vitale martyre, patre SS. Geruaſij & Protaſij, qui confortans S. Vrſicinum in morte & martyrio nutantem, captus & martyrio affectus eſt. Idem contigit S. Sebaſtiano confortanti S. Marcum & Marcellianum, & SS. Mario & Marthæ cum duobus filijs viſitantibus, & adiuuantibus martyres Romæ in carcere detentos, & plurimis alijs. *Martyrum hoſpites fiunt martyres.*

QVI RECIPIT IVSTVM IN NOMINE IVSTI C (quia iuſtus eſt) MERCEDEM IVSTI RECIPIET] Eo modo, quo iam dixi de Propheta, imò ſi ſit in peccato, gratiam pœnitendi obtinebit, fietque iuſtus. Id enim ſæpe Sancti ſuis hoſpitibus verbo & exemplo perſuadent, ac oratione apud Deum impetrant. Ita S. Franciſc. Celani à milite hoſpitio exceptus, prædixit illi inſtantem mortem, confeſſionem perſuaſit, & apud Deum impetrauit gratiam & ſalutem æternam; nam miles illicò cõfeſſus, initio refectionis expirauit. Vide S. Bonauenturam in Vita eius cap. 11. & Wading. in Annal. Minor. anno Chriſti 1225. num. 10. *S. Franciſcus mortem inſtantem militi ſuo hoſpiti prædicit.*

VERS. 42. Mar. 9. 41. ET QVICVMQVE POTVM DEDERIT VNI EX MINIMIS ISTIS CALICEM AQVÆ FRIGIDÆ, TANTVM IN NOMINE DISCIPVLI; AMEN DICO VOBIS NON PERDET MERCEDEM SVAM] *Aquæ frigidæ*, quę res viliſſima, eſtque paupertimorum: D ne, vt ait S. Hieronymus, *in calida quis ſumptum lignorum cauſari poſſit*, nec in calice magnitudinem vaſis: non enim dicit congium, nec amphoram, ſed calicem, ſiue cyathum: quis enim adeò debilis, vel pauper eſt, qui cyathum aquæ dare, aut ferre nequeat? Et S. Auguſtinus ſerm. 62. de Tempor. *Quis erit*, inquit, *qui ſe poſſit excuſare, cùm etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem ſe Dominus redditurum promiſerit? Et quare frigidæ dixit? Ne fortè ſe poſſet aliquis pauper de lignorum penuriâ excuſare, aut certè dicere ſe vaſculum, vbi aquam calefaceret, non habere.* *Calix aquæ frigidæ remuneratur.*

IN NOMINE DISCIPVLI] Id eſt, quia meus diſcipulus eſt, quia mihi, meæque doctrinæ adhæret, quia in me credit, quia fidelis eſt & Chriſtianus, hoc eſt, in honorem meum, meique intuitu & reſpectu. Hic enim Chriſti intuitus intentionem dantis, ipſumque opus rectificat, nobilitat, & exal-

& exaltat vt Chriſto factũ videatur, quod Chriſtiano collatum eſt, adeòq; Chriſtus ſibi factum æſtimet, & tale magnâ mercede remuneret. Si enim alio intuitu idem opus facias, v.g. quia tuus ſeruus, cognatus, vel amicus eſt, parui, vel nullius apud Deum erit pretij & meriti: Hæc enim eſt eleemoſyna actuſq; miſericordiæ naturalis, prior verò eſt actus miſericordiæ ſupernaturalis. Ita Suarez & Theologi. Audi Suarez libr. 2. de Neceſſitat. gratiæ cap. 16. 10. Hiſce Chriſti verbis inſinuatur, quòd opus miſericordiæ, ſi fiat homini ſolùm, quia homo eſt, ſit ordinis naturalis, ſi verò fiat, quia fidelis eſt, & ciuis Sanctorum ac domeſticus Dei, ſit opus miſericordiæ ſuperioris ordinis, ſiue ſupernaturalis.

*Et martyrio compenſatur.* Exemplum illuſtre eſt in vita (extat apud Surium die 28. Octobris) S. Anaſtaſiæ virginis & martyris. Hæc enim, cùm ei lingua præſcinderetur & dentes euellerentur, viribus deficiens ſitiẽſque popoſcit aquam. Illam ei præbuit Cyrillus quidam qui poculo *aquæ frigidæ* emit coronam martyrij. Cùm enim Probus præſes intellexiſſet id ab eo quaſi Chriſtiano factum Chriſtianæ, morte & martyrio eum affecit.

*Gratia creſcit per actus remiſſiores.* Ex hac Chriſti ſententia nonnulli Theologi cum Suarez probabiliter colligunt gratiam in iuſto augeri per actus remiſſiores, vt ſi iuſtus, v.g. habeat gradus gratiæ intenſos vt octo, eliciat, autem actum eleemoſynę, dando v.g. calicem aquę frigidæ pauperi actu remiſſo, vt tria, hoc tamen actu ipſum promeriturum argumentum gratiæ habitualis intenſæ vt octo, vt additis tribus gradibus, intenſa, vel extenſa ſit vt vndecim.

*Prob. Primo.* Probatur primò, quia recipere Prophetam eſt facile & obuium, perinde ac recipere pauperem vel hoſpitem; hic tamen, licèt iam iuſtus & ſanctus, recipiet mercedem Prophetæ, quæ eſt gloria æterna, ſcilicet certos gradus viſionis beatificæ; ac proinde recipiet priùs in hac vita gradus gratiæ illi reſpondentes, gradus enim gloriæ reſpondent gradibus gratiæ. Ponamus ergo, eum habuiſſe gradus gratiæ octo, iam per hoc opus intenſum tantùm vt tria, accedent ei alij tres gradus gratiæ: ergo minùs remiſſum opus auget gratiam intenſiorem.

*Secundò.* Secundò, dare calicem aquæ frigidæ eſt opus minimùm & facillimum, ac proinde communiter remiſſâ intenſione fit: nam dare, v.g. aureos decem vel viginti, longè maius eſt & difficilius; ac proinde requirit maiorem conatum & intenſionem voluntatis: & tamen illud, licèt minimũ, habet mercedem, vt ait hîc Chriſtus, ſcilicet, certos gradus gloriæ, & conſequenter totidem gradus gratię ei reſpondentes. Iuſtus ergo, qui ſæpè actus charitatis intenſiores elicuit, & per eos habitum gratiæ accepit intenſum vt viginti, ſi det calicẽ aquæ frigidæ per actum remiſſum vt duo, huius operis mercedem accipiet, ſcilicet duos gradus gloriæ, ac conſequenter totidem gradus gratiæ illis commenſos: hi ergo duo gradus augebunt gradus gratiæ viginti, vt fiant 22.

*Tertiò.* Tertiò, ſi opus obiectiuè, & quaſi eſſentialiter minùs, quale eſt dare calicem aquæ frigidæ, auget gratiam acceptam ex opere, quod maius eſt eſſentialiter & obiectiuè, quale eſt dare centum aureos pauperi: cur non pariter (imò magis) opus quòd tantùm accidentaliter eſt minùs; putà remiſſius in intenſione, augeat gratiam acceptam ex opere, quòd tantùm accidẽtaliter fuit maius, quia ſcilicet fuit intenſius & ardentius? Ita Suarez tom. 3. de Gratia lib. 9. cap. 3. nu. 36.

Denique ſignificat hîc Chriſtus, nullum opus, licèt minimum, prædicatori impenſum, cariturum ſuâ mercede. Talia autem ſunt opera remiſſa, qualia plurima faciunt iuſti, ac proinde plurimorum operum mercedem perderent, ſi opera remiſſa non augeant gratiam intenſiorem (pauci enim tam intenſos actus eliciunt, vt habitum adæquent vel excedant) cuius tamen contrarium hîc docet Chriſtus.

# CAPVT VNDECIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*IOannes Baptiſta per diſcipulos quærit à Chriſto, an ipſe ſit Meſſias? Chriſtus nõ per verba, ſed per facta, putà per miracula reſpõdet, ſe eſſe Meſſiã. Secundò v. 7. Chriſtus laudat Ioannem quaſi Angelum, quo inter natos mulierum nullus ſit maior. Tertiò v. 16. arguit Iudæos, quòd tam ſe quàm Ioannem exploſerint. Quartò v. 21. diras intentat ciuibus Corozaim & Capharnai, quòd eo toties audito, viſiſque tot ſignis non crediderint. Quintò v. 25. docet Deum ſe, ſuaque non niſi humilibus & mitibus reuelare & communicare.*

1. ET factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus, præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſit inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. 2. Ioannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, 3. ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et reſpondens Ieſus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. 5. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgũnt, pauperes euangelizantur: 6. & beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. 7. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? 8. Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt. 9. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & pluſquam Prophetam. 10. Hic



Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 11. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſtâ, qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. 12. A diebus autem Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim Prophetæ & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt: 14. & ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. 15. Qui habet aures audiendi audiat. 16. Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus. 17. Dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. 18. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. 19. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. 20. Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes eius, quia non egiſſent pœnitentiam. 21. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaïda: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. 22. Verumtamen dico vobis Tyro & Sidoni, remiſſius erit in die iudicij, quàm vobis. 23. Et tu Capharnaum, numquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes: quia, ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hanc diem. 24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi. 25. In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. 26. Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. 27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. 29. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtris. 30. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

VERS. 1. ET FACTVM EST CVM CONSVMMASSET IESVS PRÆCIPIENS DVODECIM DISCIPVLIS SVIS] Eſt Græciſmus. Ponitur enim participium pro infinitiuo vel gerundio, *præcipiens* pro præcipere. q.d. Cùm finem feciſſet præcipiendi, vel vt Græcè eſt, διατάσσειν, id eſt, *ordinandi*, & inſtruendi Apoſtolos, tam præceptis, quàm conſilijs, tam malorum prædictionibus, quàm bonorum promiſſionibus. Ita Maldonatus, Ianſenius, Frãc. Lucas, Barradius, & alij.

TRANSIIT INDE] Separans ſcilicet ſe ab Apoſtolis, quos ſeorſim miſit euangelizare: tum vt ipſi Chriſto ſecuturo viam præpararent docendo & miracula patrando; tum vt ipſi ſui ſuęq; virtutis periculum facerent in hac miſſione, ſeparati à Magiſtro. Porrò quid fecerint Apoſtoli ita à Chriſto miſſi & dimiſſi, tacet Matthęus, ſed narrat Lucas c. 9. v. 6. & Marcus c. 6. v. 12.

VT DOCERET ET PRÆDICARET IN CIVITATIBVS EORVM] Scilicet Galilæorum, ſiue Iudæorum, ad quos cap. præcedenti miſit Apoſtolos; ſed ita, vt ipſe quoque ſeorſim ab ijs iret per vrbes eorumdem prędicatum. Nota Hebraiſmum: Hebræi enim pronominis relatiui vel demonſtratiui (quale τὸ *eorum*) antecedens non exprimunt diſertè, ſed illud ex circumſtantijs quaſi notum lectori, vel auditori intelligendum relinquunt. Simile eſt Pſal. 98. 8. 4. Reg. 17. 24. 3. Reg. 5. 3. & alibi.

VERS. 2. Luc. 7. v. 18. 19. IOANNES (Baptiſta) AVTEM CVM AVDISSET, IN VINCVLIS OPERA CHRISTI] *Cùm audiſſet* à diſcipulis ſuis, vt ait Lucas cap. 7. verſ. 18. ex quo pariter liquet hîc eſſe hyſterologiam, & quæ hîc de Ioanne narrat Matthæus à verſ. 2. ad 20. contigiſſe ante miſſionem Apoſtolorum, quam ipſe recenſuit cap. 10.

IN VINCVLIS] Syrus, *in domo vinctorum* putà in carcere, cui eum incluſerat Herodes, eò quòd ipſius cum Herodiade adulteriũ reprehendiſſet. *Ioannes è carcere mittit diſcipulos ſuos ad Chriſtũ.* Igitur paulò ante ſuam mortem & martyrium, Ioannes miſit hos diſcipulos ad Chriſtum anno 32. ætatis Chriſti, qui fuit annus ſecundus prędicationis eiuſdem, cùm iam Chriſtus per doctrinam & miracula inclareſceret, vt ab illo diſcerent ipſum eſſe Meſſiam ſiue Chriſtum, ac ſe occiſo & mortuo, ad illum tranſirent: alioqui enim ſciſma à Chriſto facere potuiſſent, pręponentes Ioannẽ velut magiſtrum ſuum Chriſto; nam maiora ipſos ſenſiſſe de ſuo Ioanne, quàm de Chriſto liquet Matth. 9. 14. Sicut ergo curſores in ſtadio decurſâ metâ, alteri ad curſum ſequenti lampada tradunt; ſic Ioannes defunctus ſuo munere & prędicatione, illam reſignauit Chriſto: Et ſicut aurora occumbens deſinit in ſolem orientem, ſic Ioannes deſijt in Chriſtum; fuit enim ipſe Lucifer ſolis iuſtitiæ, putà Chriſti. Quare adeò non inuidit Chriſto gloriam orientem cum ſuo occaſu, vt in eo gauiſus ſit; imò occumbere optauit, vt Chriſtus oriretur; non enim ipſe ſuam, ſed Dei Chriſtique gloriam ambiebat; vnde ait: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Ioan. 3. 30.

VERS. 3. Luc. 7. v. 19. AIT ILLI: TV ES QVI VENTVRVS ES, AN ALIVM EXPECTAMVS?] *Qui venturus es*, Græcè ὁ ἐρχόμενος, id eſt, *ille veniens*, hoc eſt, *venturus* magnus ſcilicet ille Propheta, redemptor Iſraëlis & ſaluator mundi, putà Meſſias ab omnibus Prophetis promiſſus, & à Patribus auidiſſimè deſideratus, qui hoc tempore expletis de eo prophe-

propheti*j*s, quaſi iam iam venturus ab omnibus expectatur. Alludit ad oraculum Patriarchæ Iacob. Geneſ. 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, &c. donec veniat, qui mittendus eſt*, putà Meſſias.

*Ioannes non dubitauit Ieſum eſſe Meſſiã.*

Ex his Ioannis verbis Tertull. lib. de Baptiſmo c. 10. & lib. 4. contra Marcion. c. 18. & Iuſtinus q. 38. ad orthodoxos opinantur Ioannem dubitaſſe de Ieſu, an ipſe eſſet Meſſias ſiue Chriſtus; ſed perperam: nam iam in baptiſmo Chriſti Ioannes eum baptizans, viderat Spiritum ſanctum ſpecie columbæ in eum deſcendentem, ac vocem Patris audierat: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Matth. 3. 17. Quocirca Ioannes clariſſimum dederat ipſi teſtimonium, dicens: *Ecce Agnus Dei.* Ioan. 1. 32.

*Nec an ſit iturus ad limbum.*

Alij opinantur Ioannem non dubitaſſe quidẽ, quin Ieſus eſſet Chriſtus, ſed interrogare hìc dumtaxat, an ipſe poſt mortem ſit venturus in limbum, vt ſe propediem poſt mortem eò abiturum, ac Patres in eo degentes viſitet & liberet. Ita S. Hieronymus, quem audi: *Non ait, tu es, qui veniſti, ſed tu es, qui venturus es. Et eſt ſenſus: manda mihi quia ad infernum deſcenſurus ſum, vtrùm te & inferis debeam nuntiare, quia nunciaui ſuperis? an non conueniat Filio Dei, vt guſtet mortem, & alium ad hæc Sacramenta miſſurus es?* Et S. Gregorius hom. 6. *Non dubitat*, ait, *eſſe mundi redemptorem, ſed quærit, an ſit ad inferni clauſtra deſcenſurus.* Verùm hoc quoque minùs appoſitum & probabile videtur.

*Sed dubitantes diſcipulos inſtrui vult à Chriſto.*

Dico ergo: Ioannes mittit diſcipulos, ac rogat Ieſum, an ipſe ſit ille, *qui venturus eſt*, id eſt, an ipſe ſit Meſſias: non quòd de eo dubitaret, ſed quòd morti vicinus, diſcipulos de eo dubitantes voluerit inſtrui, & ad Chriſtum traduci. Ita S. Hilarius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, & alij: vbi nota prudentiam S. Ioannis: ipſe enim nomine ſuo interrogat Ieſum, an ipſe ſit Chriſtus, quia diſcipuli ex ſe non fuiſſent auſi hoc proponere Chriſto: nimirum optimus eſt medicus, qui vt ægrotũ curet, ſe quoque fingit ægrotare, & medicinam auſteram ſumit. Vnde S. Paulus: *Quis infirmatur*, ait, *& ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* 2. Corinth. 11. 29.

Vers. 4. Luc. 7. v. 22.

Et respondens Iesvs ait illis: Evntes renvntiate Ioanni qvæ avdistis, et vidistis] *Quæ audiſtis* ſcilicet ab aſtantibus narrari miracula à me facta: *& vidiſtis*, quæ ſcilicet præſentibus vobis feci, vt veſtræ quæſtioni non verbo, ſed facto & reipſa reſponderem. Teſtimoniũ enim à rebus efficacius & credibilius eſt, ait S. Chryſoſtomus, hæc enim miracula, quæ vidiſtis me facientem, ſunt indices veri Meſſiæ aſſignati ab Iſaia c. 35. v. 5. & c. 61. 1. Vnde Lucas c. 7. v. 21. addit: *In ipſa autem hora multos curauit à languoribus, & plagis & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum.* Nec enim Elias, nec Eliſæus, nec Moyſes, nec quis alius Propheta tot ac tanta fecit miracula, quot Chriſtus; vt ex ijs ipſe agnoſceretur ceteris omnibus eſſe maior, eſſeque Meſſias ab Iſaia hoc indicio præmonſtratus. Vnde S. Cyrillus l. 2 Theſauri c. 4. *Chriſtus*, inquit, *miraculorum magnitudine ſimul & multitudine oſtendit ſe Meſſiam eſſe*; Adde & beneficentiâ. Hæc enim Chriſti miracula omnes infirmitates & infirmos ſanabant. Moyſes verò licèt miracula plura ediderit in decem plagis Ægypti, tamẽ ijs non ſanauit, ſed potiùs afflixit & occidit Ægyptios, Exodi 7. & ſeq. Chriſtus verò *tranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Actor. 10. 38. Hoc ergo fuit certum indicium ipſum eſſe Meſſiam. Quocirca manus illius dicuntur *tornatiles*, id eſt, verſatiles & agiles ad benefaciendum omnibus, *plenæ hyacinthis*, id eſt, cæleſtibus operibus, miraculis & beneficijs: Cant. 5. 14. Vide ibi dicta.

Vers. 5. Luc. 7. v. 22.

Cæci vident, clavdi ambvlant, leprosi mvndantvr, svrdi avdivnt, mortvi resvrgvnt, pavperes evangelizantvr] Alludit, imò citat illud Iſaiæ 35. v. 4. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Et cap. 16. v. 1. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit Dominus me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem*, &c.

B

Pavperes evangelizantvr] Theophylactus & Euthymius τὸ *euangelizantur* capiunt actiuè. q. d. Pauperes Apoſtoli euangelizant & prædicant Euangelium: verùm εὐαγγελίζονται, id eſt *euangelizantur*, eſt verbum paſſiuum, non actiuũ; vnde Syrus, *pauperibus euangelizatur.* Senſus ergo eſt. q. d. Ego euangelizo pauperibus, ijſque prædico Euangelium, ipſique illud auidè recipiunt, cùm diuites illud reſpuant, pauperes enim cùm ſint inopes in terra, ſperant, ambiuntque opes cæleſtes; quas promittit Euangelium. Alludit, imò citat illud Iſaiæ 61. v. 1. *ad annuntiandum manſuetis miſit me*, vbi Septuag. pro עֲנָוִים *anauim*, id eſt, manſuetis, legentes עֲנִיִּים *aniim*, id eſt, pauperibus, vertunt *ad euangelizandum pauperibus miſit me.*

C

q. d. Pauperibus non coactis; ſed pauperibus ſpiritu & voluntarijs, ac conſequenter mitibus & manſuetis, vt vertit S. Hieronymus Iſaiæ 61. annuntiatur & promittitur gratia, ceteraque bona Euangelij, & regnum in cælis æternum, quod vt mundo paradoxum eſt & valdè mirum, ita proprium eſt Meſſiæ indicium ab Iſaia aſſignatum. Simpliciùs per pauperes accipias inopes, ſcilicet Apoſtolos, diſcipulos & turbas: hiſce enim prædicabat Chriſtus, vt oſtenderet animas pauperum coram Deo tam pretioſas eſſe, quàm diuitum, ideoque Chriſtum vtroſque æquare in Euangelio. Ita S. Hieronymus. Vide dicta Iſaiæ 61. v. 1. Vis ergo Chriſtum imitari? pauperes doce, dirige, ſolare, iuua.

Vers. 6. Luc. 7. v. 23.

D

Et beatvs est, qvi non fverit scandalizatvs in me] Qui, ſcilicet, non fuerit mea humili conuerſatione & obiectione offenſus. Syrus: *Felix ille, qui non impegerit in me*; quia vt ait S. Gregorius hom. 6. *Mira quidem facio, ſed abiecta perpeti non dedignor.* Tacitè notat diſcipulos Ioannis, qui illa offendebantur, ac ſignificat ſe eorũ corda & mentis arcana perſpicere. Ita S. Chryſoſt. & S. Hier. ad Algaſium epiſt. 151. q. 1. *Non Ioannem*, ait, *ſed diſcipulos eius percutit.* Vnde Gloſſa τὸ *qui nõ fuerit ſcandalizatus* exponit, qui de diuinitatis meę potentia non dubitauerit. Et S. Gregorius homil. 6. in Euang. ait, infideles ſcandalizatos fuiſſe in Chriſto; cùm poſt tot miracula morientem in cruce viderunt. Sic & S. Hilarius: *Quia futura erat crux plurimis ſcandalum*, inquit, *beatos eos profeſſus eſt Chriſtus, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, ſepultura.*

Illis



Vers. 7. Luc. c. 7. v. 24.

Illis avtem abevntibvs] Ne turba putaret, Chriſtum adulari Ioanni, eiuſque gratiam captare, ait ſanctus Chryſoſtomus, ſi coram eius diſcipulis ipſum laudaſſet, ideò permiſit eos priùs abire, deinde coram populo eum laudauit, vt populus teſtimonio Ioannis, quo teſtatus erat ipſum eſſe Chriſtum, fidem adhiberet, dum intelligit à Chriſto, Ioannem eſſe virum diuinum & quaſi Angelum è cælo lapſum.

Coepit Iesvs dicere ad tvrbas de Ioanne: Qvid existis in desertvm videre? arvndinem vento agitatam] Græcè σαλευόμενον, id eſt, *vndantem & fluctuantem*, inſtar vndarum & fluctuum maris. Simili metaphorâ ſegetem vocamus fluctuantem, dum vento impellente huc, illucque agitatur. Chriſtus remouet ſuſpicionem, quæ populo ex hac legatione Ioannis obrepere potuiſſet, ſcilicet, Ioannem mutaſſe ſententiam ſuam de Ieſu, vt cùm priùs eum putarit eſſe Meſſiam, iam de eo dubitet, ideoque diſcipulos id interrogatum ad Ieſum miſerit. q. d. Ne putetis, ô Iudæi, Ioannem aliter de me nunc ſentire, quàm antè ſenſerit: Ioannes enim non eſt arundo, quæ vento huc & illuc agitatur, vt leuiter aliquid aſſerat, ac poſtea idipſum ob dicta hominum reciprocet & reuocet; ſed eſt velut quercus, quę immota in veritate & conſtantia contra omnia laudantium & detrahentium flabra conſiſtit, vt quod priùs, cùm liber eſſet, tanta libertate de me ſenſit & teſtatus eſt, idipſum nunc carceri ab Herode incluſus pari fortitudine ſentiat & teſtetur, nec ob metum Herodis ſententiam mutet, ideoque diſcipulos ſuos ad me miſit, vt ipſi reipſa ex miraculis videant teſtimonium eius de me eſſe verum, meque eſſe Meſſiam. Quin & vos ipſi, qui Ioannem toties loquentem & prædicantem audiſtis, creditis illum non eſſe virum leuem, qui mutetur vt arundo, ſed ſerium & conſtantem, qui à Deo agitatur, vt quod ſemel dixit, hoc ſemper dicat; Ideò enim è domibus veſtris in deſertum Ioannem viſuri & audituri exiſtis, vtique non exituri, niſi illum talem crederetis. Ita ſanctus Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus, Beda, & alij.

Per arundinem ergo primò cum ſancto Gregorio hom. 9. in Ezech. mentis inſtabilitatem, ſecundò cum S. Chryſoſtomo inde naſcentem doctrinæ & prædicationis inconſtantiam accipe.

*Arundo quis?*

Arundo enim eſt, qui leuiter quid credit ob rumores hominum, ideoque ob contrarios rumores leuiter diſcredit & ſententiam mutat. Arundo eſt, qui ob laudes hominum pietatis officia colit, ſed ob irriſionem aliorum mox eadem omittit.

*Arundo eſt inconſtans.*

Arundo eſt, qui ob lauta promiſſa doctrinam veram prædicat, ſed ob aliorum minas eamdem ſubticet, vel in dubium reuocat. Arundo ergo eſt inconſtantiæ & inconſtantis imago & ſymbolũ, ęquè ac polypus, veſpertilio, euripus, ventus, mulier; vnde Adagia: Polypi mentẽ habet: Euripus homo: Mulieris animus: vento, chamæleonte, Proteo, veſpertilione mutabilior: cothurno verſatilior: duabus ſedet ſellis: aliud dicit ſtans, aliud ſedens.

*Adagia inconſtantiæ.*

*Tropol. Primò.*

Tropologicè, Arundo eſt homo leuis, varius & iactabundus, qui primò nunc verbis adulantium & laudantium impulſus aliquid aſſerit, nunc verbis vituperantium & minantium adactus idem negat, ſicut arundo ventis contrarijs in contraria agitatur. Secundò, qui veritate, virtute & conſtantiâ eſt vacuus, ſicut arundo inanis eſt & medulla vacua. Tertiò, qui nullum boni operis fructum edit, ſicut arundo eſt infrugifera. Quartò, qui fluxu mundi, & fluxis eius voluptatibus oblectatur & paſcitur ſicut arundo: quia arundo ſicca, iuxta aquas creſcit & paſcitur: vnde eius epithetum eſt, vt vocetur *fluuialis arundo*, quâ de re eleganter & piè ſcribit S. Auguſtinus in Pſ. 136. 1. ad illa: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, cùm recordaremur Sion: flumina*, ait, *Babylonis* ſunt omnia, quæ hìc amantur & tranſeunt: *Sede ſuper flumina, noli ſedere in flumine, noli ſedere ſub flumine. Ecce in Babylonia pulchra ſunt, quæ tenent, non te teneant, non decipiant*, &c. Audi Auctorẽ Imperfecti: *Omnis homo carnalis, vacuus in fide, leuis in ſenſu, mollis in paſſionibus, arundo eſt.*

*Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.*

B

Audi S. Gregorium hom. 6. in Euang. *Quid per arundinem niſi carnalis animus deſignatur? Qui mox vt fauore vel detractione tangitur, ſtatim in partẽ quãlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura fauoris flauerit, hilareſcit & extollitur; totumq; ſe quaſi ad gratiam inflectit. Sed ſi inde ventus detractionis eruperit, vnde laudis aura veniebat, mox eum quaſi in partẽ alterã ad vim furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Ioannes non erat: quia hunc nec blandum gratia, nec cuiuſlibet detractionis irà aſperum faciebat: Nec proſpera hũc erigere, nec aduerſa nouerant inclinare. Arundo ergo vento agitata Ioannes non erat, quem à ſtatus ſui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.*

Vnde eum nobis imitandum proponens ſubdit: *Non nos proſpera eleuent, non aduerſa perturbent; vt qui in ſoliditate fidei figimur, nequaquam rerum tranſeuntium mutabilitate moueamur.*

C

Audi S. Ambroſium lib. 5. in c. 7. Lucæ v. 24. *Negat Dominus in deſertum, id eſt, in mundũ eſſe prodeundum, vt mente carnis inflatos, vacuoſq; virtutis internæ nobis putemus imitandos, quos procellis mũdi huius obnoxios vita nobilis inquietat, iure arundini comparandos, in quibus ſolidæ iuſtitiæ nullus eſt fructus, qui forẽſibus criniti phaleris, nodis obſiti, vacuo oris ſtrepitu ſonori, nullâ ſui vtilitate, frequenti etiam offenſione, intus inania, foris ſpecioſa ſectãtur. Arũdines ſumus, nulla validioris naturæ radice fundati; Et ſi leuis aſpirauerit proſperioris aura ſucceſſus, vago motu proximos verberamus, inopes ad ſuffragandum, faciles ad nocendum. Arundines fluuios amant, & nos labentia mũdi caducaq; delectant. Tamen hanc arundinem ſi quis de terræ euellat plantarijs, & ſuperfluis exuat, expolians veterẽ hominem cum actibus eius, & Scribæ velociter ſcribentis manu temperet, incipit non arundo eſſe, ſed calamus, qui*

D

*præcepta cæleſtium ſcripturarũ penetralibus imprimat mentis, tabulis cordis inſcribat.*

Subdit deinde Ambroſius bonam arundinem eſſe Chriſtum, de quo prophetatum eſt Iſaiæ 42. *Arundinem quaſſatam non confringet: quoniam carnẽ, quam peccata quaſſauerant, reſurrectionis virtute ſolidauit. Bona arundo caro Chriſti, quæ ſerpentis caput, & mundanæ cupiditatis illecebras patibulo crucis affixit.*

Vers 8. Luc. 7. 25.

Sed qvid existis videre? hominem mollibvs vestitvm? Ecce qvi mollibvs vestivntvr, in domibvs regvm svnt] *Mollibus*, ſcilicet veſtibus, vt addunt Græca & Syrus. Mollibus verò veſtiri eſt delicioſè viuere & epulari (vti faciebat diues epulo, qui quotidie induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur





batur

batur ſplendidè. Lucæ c. 16. vt ex hoc mollis & laſciuus videri poſſit, ideoque mutabilis, quaſi dicat: Ioannes non eſt mollis & delicatus, non ambit menſas diuitum Scribarum opiparas, vt eas ambiens, illiſq; adulans ſententiam de me editam mutet, & reuocet; quia ipſe non vrbes & aulas, ſed deſertum quærit; non mollibus veſtitur & alitur, ſed pilis camelorum, locuſtis & melle ſyluéſtri, ait S. Hieronymus, quare ipſum nec aulica mollities, adulatio vel ambitio in tranſuerſum agent, quia ipſe omnis mundanæ gloriæ, æquè ac voluptatum, velut eremita & cælicola, eſt contemptor, iiſque longè ſuperior; vtpotè, in ipſa veritate, ipſoque Deo & cælo mente defixus. Deliciæ enim adulationis & falſitatis ſunt magiſtræ, aſperitas autem veritatis & ſanctitatis eſt doctrix. Vnde Tertullianus in libr. ad Martyres: *Virtus*, ait, *duritiâ extruitur, mollitie verò deſtruitur.* Et ſanctus Chryſoſtomus: *Qui mollibus*, ait, *veſtiuntur in domibus regum ſunt, qui verò talia non habent, in cælis ſunt.*

*Aſperitas veſtium commendatur.*

Sic ſanctus Franciſcus, ait S. Bonauentura in eius vita cap. 5. veſtis horrebat mollitiem, aſperitatem amabat, aſſerens propter hoc Ioannem Baptiſtam ore diuino fuiſſe laudatum. Si quando verò in data ſibi tunica lenitatem ſentiret, chordulis eam contexebat interius: quia non in caſulis pauperum, ſed in palatijs principum, veſtium dicebat requirendam eſſe mollitiem. Addebat dęmones aſperitate terreri; mollitie inuitari. Lege vitas Sanctorum, ac intuere & imitare eorum auſteritatem vitę, quę multum valet ad ſanctitatem, & ſanctitatis famam apud alios conciliat, vt liberè & efficaciter eis viam pœnitentiæ, mortificationis & virtutis prædicare, & ſuo exemplo perſuadere valeat.

VERS. 9. Luc. 7. 26.

SED QVID EXISTIS VIDERE? PROPHETAM? ETIAM DICO VOBIS ET PLVSQVAM PROPHETAM] Syrus, *prophetâ præſtantiorem.* Obijcies: Ioannes ipſe negat ſe eſſe prophetam. Ioan. cap. 1. v. 21. Reſpondetur. Id dicit ex humilitate, ſed vero ſenſu. Propheta enim propriè dicitur, qui futura prædicit vti facit Iſaias, Ieremias ceterique Prophetæ: Ioannes autem Chriſtum non futurum prædixit, ſed pręſentem oſtendit. Chriſti ergo fuit index potiùs, quàm propheta, ideoq; Chriſtus eum ait eſſe pluſquam prophetam: Primò, quia ita Chriſtum venturum pręduxit, vt mox eum pręſentem digito indicaret: Fuit ergo ipſe non ſolùm propheta, ſed & demonſtrator Chriſti. Secundò, quia diuino ſpiritu illuſtratus Chriſtum, Chriſtique in carne œconomiam clariùs, pleniùs & perfectiùs, quàm aliquis prophetarum cognouit. Tertiò, quia ipſe fuit Angelus, id eſt, legatus & præcurſor ipſius Chriſti, & immediatè ab eo miſſus, idq; coram eo & ante faciem eius, iuxta illud Malachiæ: *Ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te*, vti ſubijcit Chriſtus. Quartò, quia ipſe maior fuit omnibus omninò prophetis, vti aſſerit Chriſtus v. 11.

*Ioannes pluſquam propheta. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò.*

VERS. 10. Luc. 7. 27.

HIC EST ENIM, DE QVO SCRIPTVM EST: ECCE EGO MITTO ANGELVM MEVM ANTE FACIEM TVAM, QVI PRÆPARABIT VIAM TVAM ANTE TE] Citat Chriſtus verba Malachiæ c. 3. v. 1. Vide ibi dicta: attuli enim ibidem cauſas & analogias, cur Ioannes vocetur Angelus, ideoque multi putarunt eum reuera non eſſe hominem, ſed Angelum, teſte Euſebio lib. 1. Demonſtr. c. 5. Vnde Auctor Imperfecti hîc: *Mirabilis*, ait, *fuit, qui humanâ naturâ Angelicam ſanctitatem tranſgreſſus eſt, & obtinuit, quod non habuit naturâ, per gratiam Dei.*

VERS. 11. Luc. 7. 28.

AMEN DICO VOBIS, NON SVRREXIT INTER NATOS MVLIERVM MAIOR IOANNE BAPTISTA: QVI AVTEM MINOR EST IN REGNO CÆLORVM MAIOR EST ILLO] Lucas 7. 27. addit, *propheta*: *Non ſurrexit*, ait, *maior propheta.* Vnde Toletus ibidem ex S. Ambroſio & Hilario notat Ioannem maiorem à Chriſto dici non abſolutè, ſed prophetam dumtaxat: quia Apoſtoli eo maiores fuêre, vel certè ei omnino ſuppares. Verùm ex τὸ *propheta* Chriſtus intelligendum relinquit, nullum alium Ioanne fuiſſe maiorem: quia prophetæ olim habebantur, & reuera erant viri ſanctiſſimi; inde prophetæ vocati ſunt ſancti quilibet, vt religioſi illi, qui in libris regum nuncupantur filij prophetarum, quia ergo nullus prophetarũ maior fuit Ioanne, inde colligendum relinquit neminem alium eo fuiſſe maiorem.

*Ioannes omnium veteris teſtamenti maximus.*

Tacitè ergo Chriſtus hîc Ioannem vocat omnium maximum, alioqui enim non rectè hinc cõcluderet Ioannem eſſe pluſquam prophetam, quod tamen probare intendit. Intellige hoc de hominibus veteris teſtamenti, præcedentis ſcilicet ſæculi vſque ad Chriſtum. Non ergo Ioannes hîc comparatur cum Chriſto, B. Virgine vel Apoſtolis, qui Chriſtum ſecuti ſunt, & ob dignitatem Apoſtolicam Ioanne non fuêre minores, ſed potiùs maiores. Dices, Moyſes fuit maior Ioanne quia de Moyſe dicitur Deuteron. vlt. v. 10. *Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael ſicut Moyſes.* Reſp. ibidem additur: *Quem noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis & portentis, quæ miſit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni.* q. d. Non fuit ſimilis propheta Moyſi, ſimilis, inquam, in iſto familiari Dei alloquio & potentia, quâ tot plagis percuſſit Ægyptum, in alijs autem rebus Ioannes ſimilis, imò maior fuit Moyſe ceteriſque prophetis.

*Ioannes maior Moyſe. Primò.*

Primò, quia Ioannes in vtero matris fuit ſanctificatus, & reipſa prophetauit: exultans enim in vtero nuntiauit matri & reliquis, Chriſtum iam eſſe incarnatum in vtero B. Virginis. Ita S. Chryſoſtomus, & Euthymius; Id autem non legimus de Moyſe vel alio propheta.

*Secundò.*

Secundò, quia ſolus Ioannes Baptiſmum pœnitentiæ inſtituit, eoque Chriſtum baptizauit.

*Tertiò.*

Tertiò, ipſe primus prædicauit regnum cælorum, multoſque conuertit & in illud induxit.

*Quartò.*

Quartò, ipſe miſſus fuit à Deo, vt eſſet Chriſti præcurſor & Paranymphus, eumque toti mundo oſtenderet, ipſumq; eſſe Meſſiam & vnicum Dei filium teſtaretur, quod officium & dignitas omnia prophetarum officia & dignitates longè tranſcendit.

*Quintò.*

Quintò, ipſe à Malachia comparatus eſt Angelis, & multò antè natiuitatem promiſſus, ac per Eliam alioſque prophetas fuit adumbratus, illi enim fuêre typi Ioannis.

*Sextò.*

Sextò, abundantior & ſublimior fuit Spiritus, prophetia, vita & geſta Ioannis, quàm ceterorum prophetarum, teſte ſancto Hieronymo, & ſancto Auguſtino libr. 2. contra aduerſ. legis & pro-



Prophet. cap. 5. Ioannes enim fuit quaſi continuum miraculum in conceptione, in vtero, in natiuitate, in vita Angelica: miraculo enim ex parentibus ſterilibus conceptus fuit: miraculo, Chriſtum in vtero agnouit, ſalutauit & adorauit: miraculo naſcens, commune omnibus gaudium afflauit; miraculo in circumciſione patri muto loquelam reddidit, miraculo puer abijt in deſertum, ibique totâ vitâ vixit quaſi Angelus. Vnde de eo canit Eccleſia:

*O nimis felix, meritiq; celſi,*
*Neſciens labem niuei pudoris,*
*Præpotens Martyr, eremiq; cultor,*
*Maximè Vatum.*

*Baptiſtæ Elogia.*

Habet ergo Ioannes Lauream virginitatis, prophetiæ, doctoratus & martyrij. Audi B. Petrum Chryſologum ſerm. 27. *Ioannes ſchola virtutum, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, norma iuſtitiæ, virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei diſciplina: Ioannes maior homine, par Angelis, legis ſumma, Euangelij ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentium prophetarum, lucerna mundi, præco Iudicis, præcurſor Chriſti, metator Domini, Dei teſtis, totius medius Trinitatis.* Vide decem prærogatiuas S. Ioannis, quas recenſet ſanctus Bernardus ſerm. de Priuilegijs Ioannis Baptiſtæ, & alias 28. quas enumerat noſter Barradius lib. 8. c. 3. & 4. ac homilias S. Chryſoſt. de eodem.

*Minor in cælo maior eſt Ioanne. Primò.*

QVI AVTEM MINOR EST IN REGNO CÆLORVM, MAIOR EST ILLO] Ioanne Baptiſtâ. Primò, q. d. Minimus beatus in cælo maior, id eſt beatior, perfectior, excellentior & glorioſior eſt Ioanne, vtpote adhuc mortali & viatore. Addit hoc Chriſtus, vt acuat auditores ad proſequendam beatitudinem, & ſalutem ſuam per legem Euangelicam, quam ipſe attulit: hoc enim eſt regnum cælorum, ex quo prædicationem ſuã cœpit & continuauit Chriſtus. Vnde de eo ſubdit verſ. 12. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ita ſanctus Hieronymus, Beda, & ſanctus Auguſtinus lib. 2. contra Aduerſ. legis & Prophet. cap. 5. Accedit ſanctus Ambroſius, qui ſic explicat. q. d. Angelus minimus in cælo maior eſt Ioanne & quolibet ſancto, qui portat corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animam, ait ſanctus Auguſtinus libr. 2. contra Aduerſ. legis cap. 5.

*Secundò.*

Secundò, magis propriè, preſsè & neruosè dicas cum S. Chryſoſt. Theophyl. Euthymio, Salmerone & Ianſenio, Chriſtum ſe hîc opponere ac vna parte ſe ſupponere, ſed alia anteponere Ioanni. q. d. Dixi inter natos mulierum non fuiſſe maiorem Ioanne in veteri Teſtamento, at ne putetis illum eſſe maximum, eſſeque Meſſiam, addo Chriſtum, qui Ioanne eſt iunior, & in ſchola adhuc minor, ipſo tamen eſſe maiorem. Alludit Chriſtus ad illud Ioannis de ſeipſo dictum: *Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt*, id eſt, mihi prælatus, & antepoſitus eſt velut me maior. Ioan. 1. 15. Aut q. d. Ego Chriſtus, qui ætate, & opinione vulgi ſum minor Ioanne in prædicando, tamen in regno cælorum maior ſum illo, quia ita prædico, vt ſimul gratiam aſpirem, qua fideles mei regnum hoc reipſa conſequantur: vnde comma ponendum videtur poſt τὸ *minor*, non poſt τὸ *regno cælorum*, vt rectè aduertit Franciſc. Lucas, Græcè enim Chriſtus vocatur ὁ μικρότερος, id eſt minor, iunior, humilior, depreſſior Ioanne: aut *minor* Hebr. הקטן *haccaton*, id eſt, *ille paruus*, hoc eſt minimus, humillimus, abiectiſſimus, qualis fuit Chriſtus, dicens: *Ego autem ſum vermis & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Pſalm. 21. ſæpè enim comparatiuus ponitur pro ſuperlatiuo. Hinc exponit S. Auguſtin. loco iam citato. q. d. Ego Chriſtus qui Ioanne minor ſum ætate, eodem tamen maior ſum maieſtate, æternitate, poteſtate, gratia & gloria. Huc accedit S. Cæſarius frater S. Greg. Nazianz. Dialogo 3. qui ſic explicat. q. d. Chriſtus, qui in regno cælorum Angelis eſt minor humana natura (Hebr. 2. v. 7.) hic tamen maior eſt Ioanne.

*Tertiò.*

Tertiò, noſter Maldonatus conſequenter ad ſecundum ſenſum iam datum ſic explicat. q. d. *Minor*, id eſt, minimus Chriſtianus in regno cælorum, id eſt, in Eccleſia; quæ prædicat & ducit ad regnum cælorum, maior, id eſt, dignior & ſublimior eſt Ioanne. Maior eſt, inquam, ratione ſtatus Eccleſię, & ex Euangelij natura maior poteſt eſſe Ioanne Baptiſta: lex enim noua Chriſti, eſt lex gratiæ, quam ſemper augere poſſumus. Vnde Ioannes Baptiſta, & omnes veteres gratiã ſuam à Chriſto & lege noua acceperunt. Eccleſia enim noua ſiue Euangelica, vocatur regnum cælorum, vel vt Lucas ait, regnum Dei, quia ipſa eſt via & inchoatio vitæ & beatitudinis cæleſtis. Sic ferè S. Cyrillus lib. 2. Theſauri cap. 4. & Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 68.

*Symbolicè.*

Symbol. S. Cæſarius dialog. 3. iam citato: Minor, inquit, eſt Apoſtolorum iunior, S. Ioannes Euangeliſta, qui Ioanne Baptiſta maior eſt, quia Apoſtolus & Euangeliſta ſuper pectus Chriſti recubuit.

VERS. 12. Luc. 16. 16.

A DIEBVS AVTEM IOANNIS BAPTISTÆ REGNVM CÆLORVM VIM PATITVR (Syrus, *cum violentia accipitur*) ET VIOLENTI RAPIVNT ILLVD] Luc. c. 16. 16. *Ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.* Pertinet hoc quoque ad laudem Ioannis, oſtenditque, ipſum eſſe pluſquam Prophetam. q. d. Ioannes primus cœpit prædicare regnum cælorum, adeoque efficax fuit eius prædicatio coniuncta cum ſanctæ & Angelicæ vitæ exemplo, vt multi ab eo baptizati pœnitentiam egerint, vitam mutarint, & ad cælum magno ſtudio contenderint; hoc ſtudium ego ſuccedens Ioanni per me & Apoſtolos promoui, & indies promoueo, ac deinceps promouebo.

*Cælum vim patitur. Primò.*

Quare nunc regnum cęlorum βιάζεται, id eſt, *vim patitur.* Vatabl. *Vi inuaditur*, vi occupatur, ad illud vi tenditur. Primò, quia magna multitudine, ſtudio, auiditate, impetu, alio aliũ præuertere ſatagente, ad illud obtinendum, imò rapiendum homines à Ioanne excitati concurrunt; ſicut merx aliqua rara. v. g. vinum creticum, vel ſaccharum, cùm ab omnibus auidè emitur, rapi dicitur.

*Secundò.*

Secundò, quia non naturali propagine, vt volebant Iudæi; non etiam naturæ pondere & virtute; ſed ſupernaturali vi gratiæ, quæ naturam ſuperat, hoc regnum iam ab omnibus ambitur, & quaſi inuaditur, adeoque peccatores, vt publicani, meretrices, & Gentiles ipſis Phariſæis & Iudæis, qui ſibi ſolis quaſi filijs Abrahæ hoc debitum putabant, feruore Spiritus & pœnitentiæ illud præripiunt, eripiunt & quaſi vi auferunt,

quaſi dicat: Certant pro regno cælorum Phariſæi & Chriſtiani, ſed Chriſtiani illud eis vi extorquent. Vnde S. Hilarius & S. Ambr. ſub finem lib. 5. in Lucam. *Rapitur Chriſtus*, inquiunt, *cùm alijs naſcitur, alijs deligitur & ſuffragatur.* Addit Ambroſius; *Rapuit Eccleſia à Synagoga regnum. Regnum meũ Chriſtus eſt. Rapitur ergo regnum cælorum, cùm Chriſtus à domeſticis denegatur, à Gentibus adoratur. Rapitur, cùm ab illis repudiatur, à nobis colitur.*

*Tertiò.*

Tertiò, quia propter regnum cælorum terreni homines ſibi, & ſuis vitijs vim inferunt per pœnitentiam, paupertatem, continentiam, mortificatione. Vnde Lucas habet: *Omnis in illud vim facit.* Ita S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Gregorius homil. 6. in Euang. Theophylactus, Euthymius, Beda & S. Baſilius Orat. de Abdicatione rerum.

*Diſcipulus Anachoretæ cuiuſdã coronas ſeptem meretur ob deuictam ſomni cupiditatẽ.*

In Vitis Pat. (extat in editione noſtri P. Hereberti pag. 590. num. 40.) narratur viſio Anachoretæ cuiuſdam, qui vidit diſcipulum ſuum vna nocte ſeptem in cælo coronas meruiſſe, eò quòd ſepties cogitationibus ſuis & cupiditati ſomni viriliter reſtitiſſet: vnde intellexit, quòd quoties quis cogitationibus & cupidinibus ſuis obluctatur, toties coronetur à Deo. Etenim ſcriptum eſt: *Regnum cælorũ vim patitur, & violenti dirigiunt illud.* Hæc ibi.

*Quartò.*

Quartò, S. Hieronymus, ad Algaſiam epiſt. 152. qu. 1. *Regnum cælorum*, ait, *vim patitur*; quia proprium eſt Angelorum, vtpote, cæleſtium ſpirituum. Vis ergo illi quaſi fit, cùm à terrenis hominibus inuaditur, vti olim à gigantibus inuaſum fuiſſe fabulantur poëtæ: nunc enim per Ioannẽ, & magis per Chriſtum fit, *vt qui homo natus eſt, Angelus eſſe deſideret, & terrenũ animal cæleſte quærat habitaculum*, ait S. Hieron. ſicut violentum eſſet, ſi piſces relicta naturali maris elemento in terra, & vice verſa craſſi boues in mari cuperent habitare.

Porrò S. Ambroſius ſub finem l. 5. in Lucam & fuſiùs ſerm. 5. pro *vim patitur*, vertit; *cogitur*, id eſt, denſatur, quia ingredientibus peccatoribus & Gentilibus, turba introeuntium fit denſior. Verùm Græcum βιάζεται, propriè ſignificat *vim patitur*, etſi eodem redeat ſenſus; nam ex turba denſata irruente, & ſe comprimente vim patitur.

Præclarè verò in eodem ſerm. S. Ambroſius: *Vim*, inquit, *facimus Domino, non compellendo, ſed flendo; non prouocando iniurijs, ſed lachrymis exorando: non blaſphemando per ſuperbiam, ſed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, ſed miſericordiâ condonatur! Beata, inquam, violentia, quæ vim patienti bonitatẽ elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de iniuria nemo cauſatur: vis admittitur, & religio propagatur. Quiſquis enim violentior Chriſto fuerit, religioſior habebitur à Chriſto. Aggredimur in itinere Dominum (ſiquidem ipſe eſt via) & more latronũ ſuis eum ſpoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, theſauros & vitam; ſed ille tam diues & largus eſt, vt non abnuat, non reſiſtat, & cùm omnia dederit, nihilominus omnia poſſideat.* Deinde modum & arma huius violentiæ ſubijcit, dicens: *Aggredimur illum non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine, bonis operibus, caſtitate. Hæc ſunt arma fidei noſtræ, quibus in congreſſione certamus. Vt autem his armis vti in vi inferenda poſſimus, antè corporibus noſtris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, vt virtutum præmia conſequamur: Prius enim ipſi regnare debemus in nobis, vt regnum poſſimus diripere Saluatoris.*

Et violenti rapivnt illvd] *Violenti*, ſcilicet, in regnum cælorum, qui ſcilicet illi vim inferunt, illudque vi inuadunt eo ſenſu, quo iam dixit. Alludit ad ciuitatem opulentam in monte ſitam, quæ magna vi ſuperanda & expugnanda eſt, ac reipſa à militibus, qui eius opibus inhiant, cõfertim irruentibus expugnatur: maximè verò alludit ad regnum Chananææ, ſiue terræ promiſſæ, quod Ioſue & Hebræi vi & armis expugnarunt; hoc enim erat typus regni cælorum. Simili enim modo cælum à terrigenis, magna vi in altum per conuerſationem cæleſtem ſcandentibus, ſuperandum eſt. Cælum empyreum adeò altum eſt, ſublime, & eleuatum à terra, vt ſi quis viueret per octo annorum millia, & quotidie directè in altũ ſcanderet per centum milliaria, tamen per 8000. iam dicta, necdum eò perueniret, vti ex P. Clauio oſtendi. Geneſ. 2. 16. Et quia hoc erat homini impoſſibile, Deus conceſſit, vt ad illud non pedibus corporis, ſed affectibus mentis contenderemus. Rurſum nobis non tantùm eundum eſt in altum, ſed & multi anfractus, ſaxa & ſpinæ ſuperandæ ſunt, imò eundum eſt per hoſtes, & haſtas, putà, per multas tentationes, difficultates, perſecutiones, aduerſa, quæ omnia magna vi magnoq; animo vincenda ſunt, quia ergo cælum per hanc vim à fidelibus occupatur, hinc ab ijs vis fieri cælo dicitur. Quantam vim intulit cælo S. Paulus 1. Corinth. 11. Quantam S. Stephanus? quantam S. Laurentius, ceterique martyres, virgines, Anachoretæ, Sanctique omnes.

*Cæli empyrei altitudo.*

*Viſio S. Perpetuæ.*

In vita S. Perpetuæ & ſociorum martyrum ad diem 7. Martij legimus ipſam per viſum præmonitam de martyrio. Vidit enim ſcalam auream à terra in cælum porrectam, vndique cultris & gladijs acutis obſitam & circumdatam, per quam in cælum ſcandendum erat, infernè verò draconem horribilem, qui ſcandentes impediret: Porrò vidit vnum è ſocijs Satyrum nomine generosè per ſcalam aſcendentem, ſocioſque ad ſe ſequendum inuitantem: qua viſione ſocijs enarrata, omnes intellexerunt ſibi parari martyrium, quod & ſingulis obtigit. Idem æſtimet fidelis quiſque, ſibi per ſcalam cultris obſitam, magna vi eluctandum eſſe in cælum.

Iam verò ſi milites illecti ſpe prædæ tanta alacritate, vi, ardore & impetu inuadunt, imò inuolant per ſaxa, per ignes in vrbem opibus, ſpolijſque refertam, ſi illa à duce ipſis prædæ detur, dum alij foſſas faſcibus implent, alij afferunt ſcalas, alij bombardis ciues à muris abigunt, alij denſo agmine galeati confertim mœnia conſcendunt, & in muros inſiliunt: quanta alacritate, vi, feruore & animo par eſt fideles inuadere cælum, vbi ſunt opes cæleſtes & æternæ, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec minima illarum pars in cor hominis aſcendit?

*Vers. 13. Luc. 16. 16.*

Omnes enim Prophetæ et lex vsqve ad Ioannem prophetaverunt] Commodiùs Luc. 16. 16. hanc ſententiam præponit præcedenti hoc modo: *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem* (ſcilicet, prophetauerunt) *ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.* q. d. Lex Moyſis & Prophetæ omnes, ante Ioannem & vſque ad Ioannem prophetauerunt, id eſt, obſcurè & per ænigmata prædixerunt, & promiſerunt Chriſtum, eiuſque regnum cælorum, promittendo bona terrena, ſcilicet, abundantiam vini, frumenti & olei, regnumque temporale pacificum & opulentum, ſimile regno Salomonis, quod erat figura & typus regni cælorum afferendi per Chriſtum; at Ioannes primus clarè & disertè, cœpit prædicare regnum cælorum mox reſerandum à Chriſto, eumq; Iudæis digito oſtendit, quæ cauſa fuit, vt Iudæi felicitatem & gloriam regni cæleſtis ponderantes, illius conſequendi certâ ſpe excitati illud omni ſtudio ambirent, & in illud vim facerent eo ſenſu, quo dixi v. præcedenti, ita Theophylactus, Ianſenius hìc & Suarez lib. 9. de Legibus c. 12. in fine: *prophetauerunt*, inquit, hoc eſt promiſerunt bona terrena.

Rurſum. q. d. Vetus Teſtamentum, quod lege, ſiue Pentateucho & Prophetis, ſub quibus Hagiographa (puta Pſalmos & libros Sapientiales) conſtat, vſque ad Ioannem prophetauit, id eſt, docuit rudes Iudæos Deum nõ tam amare quàm timere, ſpe bonorum temporalium & regni terreni, eumque colere per ſacrificia, ritus & cæremonias externas, quæ fuere vmbræ, & typi Chriſti: At Ioannes cœpit prædicare nouam doctrinam pœnitentiæ, & amoris Dei, ſpe regni cælorum, ac bonorum cæleſtium conſequendorum per actus internos contritionis, pietatis, adorationis, & cultus Dei, quibus verè & perfectè iuſtificamur per Chriſtum, quem Ioannes digito oſtendit, ab eoque iuſtitiam & ſalutem flagitandam demonſtrauit.

*Ioannes Lucifer Euangelij.*

Opponit enim & anteponit Chriſtus prophetiam, id eſt, doctrinam Ioannis prophetiæ, id eſt, doctrinæ legis & prophetarum, vt patet ex verbis Luc. 16. 16. iam citatis, Ioannes enim *medius* fuit inter nouum Teſtamentum & vetus, ac quaſi vtriuſque horizon, diuidens & diſterminans nouum à veteri, ait Salmeron: fuit enim ipſe quaſi Lucifer Euangelij, qui vmbris & nocti obſcuræ legis veteris finem, ac diei claræ legis nouæ initium dedit. Ita Theophyl. Ianſen. & alij.

Paulò aliter Maldonatus: *Omnes Prophetæ*, inquit, *& lex prophetauerunt*, id eſt, officio ſuo functi ſunt, & durarunt vſque ad Ioannem; non quòd tunc ſtatim omnino lex deſierit, vt volunt Centuriatores Magdeburgenſes, ſed quòd mori & deſinere cœperit: lex enim vetus, eiuſque obligatio durauit vſque ad promulgationem legis nouæ, quæ facta eſt poſt reſurrectionem & aſcenſionem Chriſti in Pentecoſte. Actor. 2.

Et si vvltis recipere, ipse est Elias, qvi ventvrvs est] q. d. Si vultis Ioannem recipere, eique credere, vti debetis (vnde Syrus vertit in Imperatiuo: *Si vultis, recipite*) ipſe erit vobis Elias, quia ſpiritu & virtute Eliæ præditus vos ad Deum & Chriſtum conuertet, vti Elias veſtros nepotes & poſteros in fine mundi ad eumdem Chriſtum ſimili zelo, ac vitæ auſteritate & puritate conuertet. Ita S. Hieronymus hìc & epiſt. 151. ad Algaſiam q. 1. *Ipſe* (Ioannes) inquit, *eſt Elias, qui venturus eſt, non quod eadem anima, vt hæretici ſuſpicantur, & in Elia & Ioanne fuerit, ſed quòd eamdem habuerint S. Spiritus gratiam; zonâ cinctus, vt Elias, viuens in eremo vt Elias; perſecutionem paſſus ab Herodiade, vt ille ſuſtinuit à Iezabel; vt quo modo Elias ſecundi præcurſor aduentus eſt, ita & Ioannes venturum in carne Dominũ ſaluatorem, non ſolùm in eremo, ſed etiam in matris vtero ſalutarit, & exultatione corporis nuntiarit.*

Alludit ad Malachiæ c. 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam.* Vide ibi dicta Iudæi etiamnum ex hoc Malachiæ teſtimonio Eliam expectant auidè, vt ipſe eis oſtendat Chriſtum, omniaque legis dubia reſoluat, ideoque eum maximi faciunt: eaque de cauſa Chriſtus illi Ioannem comparauit & æquauit.

Nota; Chriſtus plura illuſtria Ioannis dat elogia, quibus probat, ipſum eſſe pluſquam Prophetam, vt Iudæi ipſi Chriſtum oſtendenti fidem adhibeant. Primò, enim v. 10. dicit eum eſſe Angelum à Malachia promiſſum. Secundò, v. 11. quòd inter natos mulierum nõ ſurrexit maior Ioanne. Tertiò, v. 12. quòd ipſe primus prædicarit regnum cælorum, ideoq; illud affluente turba vim patitur. Quartò, v. 13. quòd lex & Prophetæ fuerint quaſi prodromi & præcurſores Ioannis, quodq; vſque ad Ioannẽ prophetarint. Quintò, v. 14. quòd ipſe ſit Elias, non in perſona, ſed in virtute & ſpiritu.

*Vers. 15.*

Qvi habet avres avdiendi avdiat] *Audiendi*, id eſt, *ad audiendum*, vt vertit Syrus, hoc eſt, ad intelligendum & obediendum. Arabicus, *aures audientes.* Hebræi enim, quia verbis compoſitis carent, hinc ſimplicibus vtuntur pro compoſitis, vt per audire ſignificent obedire. Senſus eſt, q. d. qui habet aurem & mentem docilem & obedientem, hic audiat, intelligat & obediat ijs, quæ dico, ſcilicet, credat Ioanni quaſi Prophetæ, imò pluſquam Prophetæ, aſſerenti me eſſe Meſſiam, ac proinde me vt Dei filium, mundique ſaluatorem recipiat & colat: propriè verò reſpicit id, quod dixit, Ioannem eſſe Eliam: *Hoc enim myſticum erat, & egens intelligentiâ*, ait S. Hieronymus. Solet Chriſtus in re graui, hac phraſi excitare attentionem auditorum.

*Vers. 16. Luc. 7. 31. 32.*

Cvi avtem similem æstimabo generationem istam?] Phariſæorum & Scribarum; qui Dei conſilium, & baptiſmum prædicationemque Ioannis ſpreuerunt, vt ait Lucas cap. 7. v. 29. & 30.

*Vers. 17. Luc. 7. 32.*

Similis est pveris sedentibvs in foro, qvi clamantes coæqvalibvs dicvnt; Cecinimvs vobis, et non saltastis: Lamentavimvs, et non planxistis?] Erat illo æuo, ait Theophylact. in c. 7. Lucæ, & S. Cyrillus hìc in catena S. Thomæ, apud Iudæos tale ludi genus. Pueri in duas partes & quaſi duos choros diuiſi, vitam hominum quaſi in ſcena repræſentabant, & deridebant inſtar Heracliti illam ſemper deflentis, & Democriti illam ſemper ridentis: illi enim omnia quæ agimus, miſeriæ; huic ineptiæ eſſe videbantur. Alij enim ex vno choro lamentabantur, alij ex aduerſo tibijs canebant. At neque lamentantes curabant illi, qui erant ex aduerſo canentium choro; neque tibicines curabant illi, qui erant ex lamentantium parte: vtroſque verò velut in comœdia audiebant ſpectatores, ſed neque ad planctum, neque ad ſaltum mouebantur.

*Ludus puerorum.*

Senſus parabolæ, vt patet ex verſ. ſequent. 18. & 19. eſt. q. d. Chriſtus: Videre eſt in hac generatione, & hoc Phariſæorum Scribarumq; genere ſimile quippiam illi, quod in parabola puerorum contingit, vt ſicut eorum nec planctu nec cantu mouentur ad flendum vel ſaltandum moroſi ſpectatores, qui hæc vt ludicra, & comicè ad recreationem audientium compoſita, otioſè contemplantur. Sic pariter Scribæ & Phariſæi, nec exemplo auſterioris vitæ Ioannis, nec laxioris & temiſ-

remiſſioris Chriſti prouocari potuere (quia noluere) ad vitæ mutationem, conuerſionem, & ſalutem, quam prædicabant Ioannes & Chriſtus. Comparat enim totam parabolam toti rei per eam ſignificatæ, non verò partem parti, vti dixi Canone 28. Eleganter & ſapidè S. Ambroſius l. 2. de Pœnitentia cap. 6. *Non ergo*, inquit, *illa deliciarum comes, atque luxuriæ prædicatur ſaltatio; ſed qua vnuſquiſque corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardis ſinat torpere veſtigijs. Saltabat ſpiritaliter Paulus, cùm ſe pro nobis extenderet, & poſteriora obliuiſcens, priora appetens, contenderet ad brauium Chriſti. Tu quoque cùm ad baptiſmum venis, manus eleuare, pedes, quibus ad æterna conſcendas, velociores habere moneris. Hæc ſaltatio fidei ſotia, gratiæ comes. Hoc eſt ergo myſterium. Cantauimus vobis noui vtique canticum Teſtamenti, & non ſaltaſtis, hoc eſt non eleuaſtis animum ad ſpiritalem gratiam. Lamentauimus, & non ploraſtis, hoc eſt non egiſtis pœnitentiam.* Alludit ad illud Ezechiel. c. 33. v. 32. *Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq; ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Scribæ enim audiebant Ioannem & Chriſtum, non vt vitam mutarent, ſed vt aures ſapientiæ nouitate & pulchritudine paſcerent, perinde ac ſi cantorem vel hiſtrionem audiſſent. Vide ibi dicta, ac præſertim Apologum tibicinis.

*Saltatio myſtica quæ?*

*Allegoricè.* Allegoricè S. Ambroſius lib. 4. epiſt. 30. ad Sabinum; *Dixit*, inquit, *Dei filius: Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis. Derelicti itaque ſunt Iudæi, qui non ſaltauerunt, qui neſcierunt manibus ſuis plaudere, adſcitæ ſunt Gentes, quæ ſpiritalē Deo plauſum dederunt. Stultus enim complexus eſt manus ſuas, & deuorauit viſcera ſua, id eſt, corporalibus ſe implicauit negotijs, & deuorauit viſcera ſua ſicut mors præualens, & ideò non inueniet vitam æternam. Sapiens autem attollens opera ſua, vt lucerent coram patre ſuo, qui in cælis eſt, non abſumpſit, ſed eleuauit viſcera ſua vſque ad reſurrectionis gratiam. Hæc glorioſa ſapientis ſaltatio, quam ſaltauit Dauid, & ideo vſque ad ſedem Chriſti ſublimitate ſpiritalis ſaltationis aſcendit, vt videret atque audiret dicentem Dominum Domino ſuo: Sede à dextris meis.*

Vers. 18. Luc. 7. 33. VENIT ENIM IOANNES, NEQVE MANDVCANS NEQVE BIBENS] Id eſt, non comedens & viuens iucundè, more communi aliorum hominum, ſed ieiunans, & auſterè locuſtis victitans, vt non tam homo, quàm Angelus eſſe videretur, vt hac ratione Scribas compungeret, terreret, ſuoq́ue exemplo moueret ad pœnitentiam: *Et* tamen de eo *dicunt* Scribæ: *Dæmonium habet*. Arabicus, *cum illo ſunt dæmonia*. q. d. A dæmone poſſeſſus eſt Ioannes, cuius vi & energia tantum vitæ rigorem ſufferre poteſt: ſic auſteritatem vitæ Ioannis, quam ipſorum cauſâ aſſumpſerat (cùm ipſe purus & innocens, ea non indigeret) vt daret eis exemplum pœnitentiæ, attribuebant dæmoni: quæ inſignis fuit ingratitudo & malitia.

Rurſum *dæmonium habet*, id eſt, lunaticus eſt, emotæ mentis & inſanus, vti ſunt, qui aguntur à dæmone, vtpotè qui ſtultè corpus ſuum ita affligat, & vitæ huius iucunditatem repudiet, qualis fuit Timon ille Atheníenſis melancholicus & maniacus, indeq́ue μισάνθρωπος, id eſt, oſor hominum cognominatus, teſte Cicerone lib. de Amicitia, & Tuſcul. 4. Sic dum S. Paulinus cum ſua coniuge Teraſia honoribus, opibus & delicijs mundi valedicentes, vitam inchoarent ſolitariam, pauperem & auſteram, multi dicebant, ipſos laborare melancholia, vel mania, quam ſuſcitare ſolet dæmon. Vnde Auſonius S. Paulini amicus epiſt. 25. eum ſuggillat, quòd atræbilis (melancholiæ) morbo velut alter Bellerophontes laboraret, ideoq́ue ſeceſſiſſet, & muſas penitus abdicaſſet. Sic & Rutilius, & ipſe Ethnicus, idem monachis inſulæ Caprariæ obiectat, aitque:

*S. Paulinus cum ſua coniuge melancholicus ſeu maniacus habetur.*

*Sic nimiæ bilis morbum aſſignauit Homerus*
*Bellerophonteis ſollicitudinibus.*

Ecce Chriſtus hîc parabolam applicat: Ioannes enim auſterè viuens ſignificatur per chorum puerorum lamentantium: Chriſtus verò remiſſiùs viuens & familiariùs conuerſans, notatur per chorum canentium, ſed vtrumque riſere, & exploſere Scribæ & Phariſæi, vt ſuis voluptatibus & licentioſæ vitæ liberè ſine cenſore vacarent.

Vers. 19. Luc. 7. 34. 35. VENIT FILIVS HOMINIS MANDVCANS ET BIBENS (vulgari menſa & modo cum hominibus viuens, & familiariter cùm eis conuerſans) ET DICVNT (Scribæ & Iudæi in malo obſtinati) ECCE HOMO VORAX ET POTATOR VINI, PVBLICANORVM ET PECCATORVM AMICVS] Ioannes auſteram in deſerto vitam egit, Chriſtus communem ceterorum hominum, vt quos Ioannis auſteritas terrebat, illius humanitas ad ſe alliceret. Chriſtus enim ad hoc in mundum venerat, vt omnibus hominibus daret perfectum humilitatis, omniſque virtutis exemplum, quod ſinguli pro ſuo gradu & ſtatu imitarentur, ac præſertim vt peccatores à vitijs ad Deum conuerteret. Quare neceſſe fuit, vt cum eis conuerſaretur, ederet & biberet, itaque eos ad ſui amorem & ſequelam alliceret. Ita D. Thomas 3. part. quæſt. 40. art. 2. Suarez, & alij ibidem. Aliam cauſam dat S. Auguſtinus lib. 3. de Doctrin. Chriſt. c. 12. vt oſtenderet, *quòd in omnibus talibus* (cibo, potu, veſtitu, &c.) *non vſus rerum, ſed libido vtentis in culpa eſt*, itaque doceret diuites in ſuis diuitijs poſſe honeſtè viuere, & ſaluari. Verùm Scribæ hanc Chriſti facilitatem calumniabantur & guloſitatem interpretabantur, quæ ſanè ingens fuit maledicentia, ingratitudo & blaſphemia.

*Chriſtus agit vitam communē. Cur?*

ET IVSTIFICATA EST SAPIENTIA A FILIIS SVIS] Syrus, *à ſeruis ſuis*. Iuſtificare duo ſignificat, ſcilicet, iuſtum facere, & iuſtum declarare, hîc ſecundo modo ſumitur. *Iuſtificata* ergo, id eſt, iuſta, irreprehenſibilis, ab omni calumnia liberata, plena & omnino perfecta declarata, & pronuntiata eſt Dei ſapientia, quam in Ioanne & Chriſto oſtendit, quia nil ſaluti hominum conueniens intentatum reliquit; vt enim haberent auſteræ vitæ & pœnitentiæ exemplum, dedit eis Ioannem: ne verò multi hac auſteritate territi virtutem & ſalutem deſperarent, dedit communis vitæ & virtutis exemplum in Chriſto. *A filijs ſuis*, putà à ſtudioſis ſapientiæ & virtutis, ſcilicet, fidelibus Chriſto & Ioanni auſcultantibus & obedientibus. q. d. Sapientia Dei, quam ſuperbi Scribæ & inſipientes Iudæi in Chriſto & Ioanne contempſerunt, iuſtificata, id eſt, honorata & laudata eſt ab omnibus verè ſapientibus. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Theophylactus, & alij. Itaque ſi qui iam pereunt, ſua culpa pereunt, quia Ioanni & Chriſto credere & obedire nolunt: ſibi ergo ſuam perditionem imputent, Deū autem iuſtificent, iuxta illud Pſalm. 50. *Vt iuſtificeris*

*Sapientia Dei iuſtificata, id eſt, iuſta declarata.*



*ficeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Simili ſenſu ait Apoſtoli 1. Timoth. 3. v. vltim. *Magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum in ſpiritu*, id eſt, declaratum & oſtenſum eſt mundo iuſtum fuiſſe, ſanctum, ſapiens, Deoq; dignum incarnationis Verbi opus & myſterium. Hunc eſſe ſenſum liquet ex Luca c. 7. v. 29. qui occaſionem huius parabolę, indeq́ue eius intentionem & ſcopum per proparabolam, ſiue per præfabulationem ita enarrat: *Et omnis populus audiens & publicani, iuſtificauerunt Deum baptizati baptiſmo Ioannis. Phariſæi autem, & legiſperiti conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſis non baptizati ab eo.* Ac mox ſubijcit parabolam puerorum cantantiū & lamentantium, contra eos intortam à Chriſto, quam paulò antè explicui.

Paulò aliter Maldonatus hîc & Toletus in Lucæ c. 7. v. 34. & 35. *Iuſtificata*, inquiunt, eſt *ſapientia Dei à filijs ſuis*, id eſt, à Iudæis (hi enim erant filij legis, fidei, & ſapientiæ Dei) Iudæorum enim nonnulli magiſtram ſapientiam credendo, alij nō credendo iuſtificarunt, quia illis per tot ſigna iuſtè, meritoq́ue credentibus; hi ſua culpa non credendo ſeipſos condemnarunt, ſapientiam verò hi, illiq́ue credentes iuſtificarunt ipſo facto: credentium enim ſaluatio, & non credentium condemnatio eſt ſapientiæ iuſtificatio: quia credentes ſaluantur, eò quòd ſapientię à Ioanne & Chriſto prædicatæ crediderint: non credentes condemnantur, quia eidem credere, itaque ſe ſaluare noluerunt. Simili phraſi Ezechiel c. 16. v. 51. & 52. ait, *Iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis.* Vide ibi dicta.

Rurſum ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 11. ante medium arctiùs ſic exponit: *Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis, quia ſcilicet ſancti Apoſtoli intellexerunt regnū Dei non eſſe in eſca & potu, ſed in æquanimitate tolerandi, quos nec copia ſubleuat, nec deprimit egeſtas.* Chriſtum enim non ſubleuauit copia, Ioannem non depreſſit egeſtas.

Denique ſanctus Hieronymus hîc, & ſanctus Ambroſius in cap. 7. Lucæ verſ. 35. notant, in quibuſdam Græcis Codicibus legi: *Et iuſtificata eſt ſapientia ab operibus ſuis. Sapientia quippe non quærit oris teſtimonium, ſed operum*, ait ſanctus Hieronymus.

Vers. 20. TVNC COEPIT EXPROBRARE CIVITATIBVS, IN QVIBVS FACTÆ SVNT PLVRIMÆ VIRTVTES EIVS, QVIA NON EGISSENT POENITENTIAM] *Tunc*, cum ſcilicet Apoſtolos miſiſſet prædicatum per Galilæam, & ipſe ſeorſim prædicaſſet, ſed paruo fructu & paucorum conuerſione, *cœpit exprobrare* ſummam ingratitudinem & obſtinatam malitiam *ciuitatibus*, putà ciuibus, apud quos ab eo *factæ ſunt plurimæ virtutes*, id eſt miracula, quibus Chriſtus ſuam prædicationem & doctrinam nouam de more confirmabat, vt eos à vitijs ad pœnitentiam & virtutes alliceret, *quia* (quod) poſt tot miracula, tot exhortationes, tot minas inferni, tot promiſſa regni cælorum, *non egiſſent pœnitentiam*.

Vers. 21. Luc. 10. 13. VÆ TIBI COROZAIM, VÆ TIBI BETHSAIDA: QVIA SI IN TYRO ET SIDONE (Gentilium vrbibus, in vicina Palæſtinæ Phœnicia) FACTÆ ESSENT VIRTVTES, QVÆ FACTÆ SVNT IN VOBIS, OLIM IN CILICIO ET CINERE POENITENTIAM EGISSENT] Corozaim inclyta eſt Galilææ ciuitas, quę inter decem celebriores Decapoleos vrbes numeratur. Sita eſt è regione Capharnai ad mare Galilææ, vbi ſcilicet Iordanis in mare hoc influit, à Capharnao diſtat duobus milliaribus, ſiue duobus paſſuum millibus. Vnde Chriſtus, qui ſedem & domum fixerat Capharnai, ſæpè ad Corozaim & Bethſaïda, & ad alias vicinas vrbes prædicatum excurrebat, ibiq́ue virtutes, id eſt, miracula patrabat. Hinc *Corozaim* Chaldaicè idem eſt, quod *co*, id eſt, *hic*, *raza*, id eſt, *ſecretum*. Appoſitè, quia Chriſtus ibi prædicabat arcana fidei, & abſcondita à conſtitutione mundi, ſed ciuibus mercaturæ, lucro, & delicijs addictis quaſi ſurdis canebat: vnde eis hîc Dei vindictam intentat, quæ eis etiam in præſenti ſæculo obuenit. Teſtatur enim ſanctus Hieronymus, in locis Hebr. ſuâ ætate Corozaim fuiſſe deſertam, atque etiamnum antiquæ eius dumtaxat ruinæ ſuperſunt. Sunt qui putant Antichriſtum in Corozaim naſciturum, ibiq́ue nutriendum, quem tamen in Babylone generandum plures opinantur ex illo Ierem. 1. *Ab Aquilone* (id eſt Babylone, quæ Aquilonaris eſt reſpectu Ieruſalem) *pandetur omne malum*, putà, Nabuchodonoſor regnorum vaſtator, & eius antitypus Antichriſtus. Ita ex Fretello Adrichom. in deſcriptione terræ ſanctæ. Verùm vtrumque planè eſt incertum.

*Corozaim quænam ciuitas & vbi ſita?*

*Antichriſti patria quæ?*

VÆ TIBI BETHSAIDA] Bethſaïda pariter erat primaria ciuitas Galilęę, & Decapoleos, adiacens mari iuxta Capharnaum, ab eo diſtans itinere triū horarum, ita dicta, quòd in ea habitarent piſcatores, *Beth* enim eſt *domus*, *ſaida* eſt piſcatio: צד *ſud* enim Hebraicè ſignificat *venari*, ſed Syriacè *piſcari*, quia venatio in mari eſt piſcatio: vnde *ſaiade* ſunt piſcatores. Ita Franc. Lucas. Ex hac ciuitate orti ſunt ſancti Apoſtoli Petrus, Andreas & Philippus; vnde ipſa in Euangelio ciuitas Andreæ & Petri appellatur. Veriſimile eſt in hac ciuitate fuiſſe domum Petri & Andreæ, quam Chriſtus ingreſſus, ſocrum Petri in lecto decumbentem, grauiterq; febricitantem manu apprehendiſſe ac dicto ſanaſſe, Euangeliſtæ deſcribunt: vbi quoq; poſt ſolis occaſum oblatos ſibi ante ianuā multos malè habentes, ac varijs morbis afflictos, atque à dæmonijs vexatos curauerit. Ita Adrichomius. Sed vide quę dixi Matth. 8. 14. Hîc etiā Chriſtus cæco cuidam in oculos expuens, impoſitis manibus viſum reſtituit, priùs quidem imperfectum, deinde verò perfectum. Marci 8. Quare Chriſtus hîc Bethſaïdæ meritò exprobrat, quòd viſis tot ſuis miraculis in ſe non crediderit, ideoq; ei exitium minatur tum futurum, tum præſens, quòd ei reipſa obuenit. Nam cùm hæc ciuitas olim opibus & ædibus floreret, nunc ita deſerta eſt, vt vix ſex habeat domos, ait Adrichom. in deſcriptione terræ ſanctæ p. 137. n. 18. in fine.

*Bethſaïdæ etymon.*

QVIA SI IN TYRO ET SIDONE FACTÆ ESSENT VIRTVTES (ſigna & miracula) QVÆ FACTÆ SVNT IN VOBIS] Subintellige, accedente ad ſigna externa internâ Dei gratiâ, ſcilicet, illuminatione intellectus & impulſu voluntatis, ijs ſignis congruente & proportionata, qualem ordinariè dare ſolet Deus: ſine gratia enim interna, quæ mentem moueat, fruſtranea eſt omnis prædicatio externa: *olim in cinere & cilicio pœni-*

*pœnitentiam egiſſent*, vti fecerunt Niniuitæ ad prędicationem Ionæ cap. 3. Nota τὸ *olim*, q.d. Iam diu pœnituiſſent, nec tamdiu expectaſſent, ſicut vos expectaſtis, ô ciues Corozaim & Bethſaïdæ,

*Tyrus & Sidon qui?* Tyrus vrbs eſt munitiſſima Phœniciæ in rupe maris ſita, ideoque Hebr. *Tſor*, id eſt *rupes*, vocatur. Vide quæ de ea dixi Ezech. c.26. Sidon eſt vicina Tyro, ita dicta, vel à Sidone primogenito Chanaan conditore. Geneſ. 10.15. vel à piſcatione, piſciumque copia, vti paulò antè dixi de Bethſaïda.

*Deus cognoſcit futura conditionatè.* Hîc Theologi colligunt Deũ certò ſcire propoſitiones conditionatas liberas: licèt numquam euenturas, eò quòd conditio non ponatur in rerum natura: Chriſtus enim hîc certo aſſeuerat Tyrios & Sidonios pœnitentiam acturos fuiſſe, ſi Chriſti ſigna vidiſſent, quæ tamen non viderunt, ideoque pœnitentiam non egerunt. *Vnde?* Ratio à priori eſt, immenſitas mentis diuinæ, ſcilicet infinita acies & vis intellectus Dei, quæ omnia omnino etiam ſecretiſſima, ac nominatim libertatem hominis, liberaſq; cuiuſque cogitationes & volitiones, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè futuras, comprehendit, penetrat & peruidet, ideoque eſt omniſcia, nec quidquam poteſt illam fugere, quin illud planè plenèq; cognoſcat & perſpiciat. Obiectum enim eius eſt omne verum, præteritum, præſens & futurum, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè: quare omne hoc clarè intuetur & peruidet infinita acie mentis ſuæ. In futuris enim conditionatis altera pars contradictionis eſt vera, ſicut in abſolutis: poſita enim conditione vel erit, vel non erit id, quod dicitur. Vide dicta Ierem. 38. 17. & Sapient. 4. v. 11. ad illa: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.*

Rurſum S. Auguſtinus lib. de Bono perſeuer. c.9. & 10. ex hoc loco rectè refellit Semipelagianos, qui dicebant Deum prædeſtinare hos vel illos homines, quia præuidebat eos gratia, ſi daretur, benè vſuros. Nam Tyrij benè fuiſſent vſi gratia, & tamen hæc eis data non fuit.

Denique ex hoc loco ne colligas Tyris defuiſſe gratiam ſufficientem, ſed copioſam & abundantem, qualem habuêre hi Galilæi.

VERS. 22. LUC. 10. V. 14. VERVMTAMEN DICO VOBIS, TYRO ET SIDONI REMISSIVS ERIT (Arab. *remiſſio erit maior*) IN DIE IVDICII, QVAM VOBIS] q.d. Punientur quidem Tyrij & Sidonij ob ſua ſcelera, ſed vos, ô ciues Corozaim & Bethſaïdæ, grauiùs puniemini; Primò, quia maiorem habuiſtis Dei legis & virtutis cognitionem; vos, vtpotè Iudæi & fideles, quàm Tyrij Gentiles & infideles. Secundò, quia me prædicantem, & ad pœnitentiam exhortantem ſæpiùs audiſtis, ac plura miracula facientem vidiſtis, cùm Tyrij nil horum audierint vel viderint. Tertiò, quia Tyrij, vtpotè in corde maris ſiti (vti iam ſunt Genuenſes, Veneti, Liſbonenſes) ideoq; mercibus & opibus abundantes longè maiorem ſuperbiæ, auaritiæ & luxuriæ occaſionem habuêre, quàm vos, ô Galilæi, & tamen vos ſuperbiores, auariores & luxurioſiores eſtis Tyrijs.

*Moraliter.* Moraliter, ſimili modo in die iudicij grauiùs punientur Chriſtiani quàm Iudæi; Romani, quàm Indi; ſacerdotes quàm laïci; religioſi quàm ſæculares, ſi impiè vixerint, quia maiorem à Deo cognitionem, gratiam, aliaque beneficia & ſalutis adminicula acceperunt, ſed ijs vti noluerunt, imò ijs abuſi ſunt ad maiorem ſuam damnationem.

VERS. 23. LUC. 10. V. 15. ET TV CAPHARNAVM NVMQVID VSQVE IN CÆLVM EXALTABERIS? q.d. minimè; ſed VSQVE IN INFERNVM DESCENDES] Legit interpres ἡ ὑψωθεῖση, id eſt, *numquid exaltaberis*, iam legunt ἡ ὑψωθεῖσα, id eſt, *quæ es exaltata*; Arabicus, *eleuata*: quomodo etiam habet Lucas c.10. v.15. ſed eòdem redit ſenſus. q.d. Numquid tu, ô Capharnaum, quæ meis miraculis, doctrinâ & prædicatione magis, quàm mercibus & opibus tuis exaltata es, & celebris ac glorioſa effecta apud Deum & homines; numquid, inquam, ſemper ita exaltaberis? q.d. non, ſed in die iudicij ad inferna detraheris, & deſcendes in eius fundum profundiſſimum, vt ſub Tyrijs & Sidonijs, qui minùs quàm tu peccarunt, degas in ipſo centro gehennæ, ibiq; flammantia eius incendia præ alijs ſentias, crucieris, & comburaris: plerique enim ciues & incolæ tui damnandi ſunt, & in fundum gehennæ relegandi. Hinc S. Auguſtinus ſerm. 42. de Sanctis τὸ *exaltaberis*, vel vt Lucas habet *exaltata*, ſic exponit, q.d. *Nimiùm tibi felix videris, nimiùm potens, nimiùm ſuperba es*, ideoque me, omneſque te monentes reſpuis & deſpicis: qua de cauſa in certum tui ipſius ruis exitium.

*Fortè pro vtique.* QVIA SI IN SODOMIS FACTÆ FVISSENT VIRTVTES, QVÆ FACTÆ SVNT IN TE, FORTE MANSISSENT VSQVE IN HANC DIEM] Τὸ *fortè* non eſt *dubitantis*: nam Græcè eſt ἂν, quæ expletiua & confirmantis eſt particula, ſignificans certè, vtique. Vnde eam omiſit Interpres v.21. & alibi paſſim, vbi tamen eſt in Græco. Τὸ enim ἂν quater tantùm vertit *fortè*, ſcilicet, hîc & Ioan. 5.46. & Pſ. 80.15. & 2. Corinth. 7. v. 5. in ceteris omnibus locis, quæ plurima ſunt, omiſit τὸ ἂν, quod eſt in Græco, & ſimpliciter vertit aſſertiuè, vt Matth. c. 3.18. & c.5.18. & 6.5. & c.10.12. ac plurimis alijs locis, quę videre eſt in Concordantijs Gręcis. Sic quoq; τὸ *fortè* hoc v.23. omittunt Vatabl. Paguin. & alij, ac aſſeueranter vertũt *manſiſſent*. *Fortè* ergo non ſignificat Chriſtum dubitaſſe de Sodomorum manſione, ſed eam licèt certò futuram, liberè tamen, ideoq; quaſi caſu & fortuitò euenturam præuidiſſe. *Fortè* enim idem eſt quod caſu, & velut per ſortem; opponitur enim naturali & neceſſario. Sic Comicus in Andria: *Fortè*, inquit, *aſpicio militem, aggredior hominem*. Et Liuius libr. 1. *fortè euenit*: & infrà, *fortè ita acciderat*. Senſus ergo eſt. q.d. Si Sodomitæ audiſſent meam prædicationem & exhortationem ad pœnitentiam; meaq; miracula, quæ in eius confirmationem tot tantaque apud vos, ô Capharnaïtæ, patraui, conſpexiſſent, vtique compuncti fuiſſent & pœnitentiam egiſſent, ac manſiſſent vſque in hodiernum diem, intellige, niſi ipſi vel poſteri eorum poſt pœnitẽtiam in eadem vel ſimilia ſcelera relapſi, rurſum iram Dei prouocaſſent, quæ ſimile excidium eis irrogaſſet. Si enim perſtitiſſent in ſua pœnitentia & mutatione vitæ, manſiſſent vſq; in hanc diẽ. Et hoc innuit τὸ *fortè*. Vnde Franc. Lucas, ἂν ἔμειναν, quod noſter vertit *fortè manſiſſent*, exponit per modum potentialem, vertitq; *manſiſſe potuiſſent*.

VERS. 24. VERVMTAMEN, DICO VOBIS, QVIA TERRÆ SODOMORVM (Sodomitis) REMISSIVS ERIT (Arab. *inueniet remiſſionem maiorem*; Syrus, *tranquilliores erunt*) IN DIE IVDICII, QVAM TIBI] q.d. Mitiùs punientur Sodomitæ, quam Capharnaitæ

naitæ



naitæ ob cauſas, quas recenſui v.22. Hæc Chriſti de Capharnao ſententia, etiam iuxta literam impleta cernitur. Quamuis D. Hieronymus in ſuam vſque ætatem Capharnaum oppidum extitiſſe teſtetur: tamen poſteà & etiamnum adeò deſolata eſt, vt vilis & humilis ex ſtens vicus, vix ſeptem piſcatorum habeat caſas. Ita Adrichom. & alij in deſcriptione terræ ſanctæ.

VERS. 25. LUC. 10. V. 21. IN ILLO TEMPORE RESPONDENS IESVS DIXIT: CONFITEOR TIBI PATER, DOMINE (Syrus, *Dominator*) CÆLI ET TERRÆ QVIA ABSCONDISTI HÆC A SAPIENTIBVS ET PRVDENTIBVS ET REVELASTI EA PARVVLIS] Aptè hæc cohærent præcedentibus. Dat enim hîc Chriſtus cauſam, cur Capharnaïtæ, Scribæ, ſacerdotes & Phariſæi ſpreuerint Chriſtum, eiuſque prædicationem, quia, ſcilicet, erant ſuperbi, ſibique videbantur ſapientes eſſe & prudentes: quare ad humilitatem Chriſti & Euangelij noluerant ſuperbas ceruices inclinare, ſed id fecerant humiles Apoſtoli, diſcipuli & turbę. At hęc gnome ſignificat Chriſtum dolorem ſuum, quẽ ex eorum ſuperba incredulitate conceperat, leniuiſſe & abſterſiſſe cõſideratione, & laudatione iuſti iudicij decretique diuini, quo à ſuperbis quaſi indignis hęc abſcondit, & paruulis ſiue humilibus ea reuelauit. Vnde Lucas addit: *Exultauit Spiritu ſancto*, id eſt, per Spiritum ſanctum, qui hanc conſiderationem, ex eaque lætitiam ei ſuggerebat, *exultauit*, Deumq; laudibus celebrauit. Idem Chriſti imitatione faciamus & nos, vt dum operam noſtram apud ſuperbos & indignos perdimus, mœſtitiam abſtergamus conſideratione diuinæ voluntatis & prouidentiæ, quæ ſuperbos aſpernatur, & humiles eligit, eleuatque ad ſuam gratiam & gloriam.

RESPONDENS] Id eſt, dicens nouumque ſermonem orſus; nec enim hîc apparet vlla interrogatio, cui propriè reſpondeat. Eſt Hebraiſmus. Vide Canonem 18.

*Confiteor, id eſt, laudo, gratias ago.* CONFITEOR] Id eſt, laudo & gratias ago; hoc enim ſignificat Hebr. ידה *idda* in Hiphil, putà הודה *hoda*, vnde ſacrificium תודה *toda*, id eſt, *confeſſionis*, eſt laus & gratiarum actio. Hinc Lucas addit: *Exultauit Spiritu ſancto.* Sic paſſim in Pſalmis dicitur: *Confitebor tibi in toto corde meo*, id eſt, laudabo te. *Confitemini Domino, quoniam bonus*, &c. id eſt laudate Dominum.

TIBI PATER (qui me filium tuum vnicè amas, omniaq; ad tuam, meamque gloriam diſponis & ordinas) DOMINE CÆLI ET TERRÆ] Addit hoc, ne quis impotentię vel infirmitati Chriſti tribuat, quòd non potuerit domare, ſibique ſubiugare ſuperbos Capharnaïtas & Phariſæos. q.d. Tu ô Pater mi, cùm ſis Dominus cæli & terræ, omniũque corda in manu tua habeas, potuiſti ſolo nutu ſuperborum mentes flectere, mihiq; ſubdere, ſed iuſta tua ordinatione noluiſti.

*Nomine cæli & terræ ſignificantur omnes creaturæ.* Porrò nomine *cæli & terræ* ſignificantur omnes creaturæ, ideoq; omnes homines & Angeli; quo innuitur. Primò, Deum non ſolos Iudæos, ſed & Gentes curare & regere, ac reuocare ad Euangelij gratiam & ſalutem per Chriſtum. Secundò, Deum ſuos fideles è terra in cælum ſuum deducere, vtpote cæli æquè ac terræ Dominum: ipſius ergo eſt cælum ſuis amicis aperire. Tertiò, Deum, ſicut humiles Apoſtolos diſcreuit à ſuperbis Scribis in terra, ſic & humiles Angelos diſcreuiſſe à ſuperbo Lucifero, eiuſque aſſeclis in cælo. Ita Toletus in Lucæ 10.

Audi Tertullianum l. 1. contra Marcion c. 13. *Plenitudo eſt diuinitatis ipſius, exhibens Deum perfectũ, Patrem & Dominum; Patrem clementiâ, Dominum diſciplinâ: Patrem poteſtate blandâ, Dominum ſeuerâ: Patrem diligendum piè: Dominum timendũ neceſſariè: Diligendum, quia malit miſericordiam quàm ſacrificium, & timendum, quia nolit peccatum: Diligendum, quia malit pœnitentiã peccatoris, quàm mortem, & timendum, quia nolit peccatores ſui iam non pœnitentes. Ideò & vtrumque definit: Diliges Deum & timebis Deum. Aliud obſecutori propoſuit, aliud exorbitatori.*

HÆC (Myſteria gratię & glorię, quę ego prędicaui, & prædico) A SAPIENTIBVS ET PRVDENTIBVS] Scilicet, à Capharnaïtis & Scribis, qui in mercibus, mundique negotijs præ alijs ſapere videntur; vnde à me inſtrui, & diſcere viam ſalutis dedignantur: iuſtè ergo à nolentibus recipere lucem Chriſti tui, eam ab indignis retraxiſti. Ita S. Hieron. Chryſoſt. & Ambr. ſer. 17. in Pſal. 118.

ET REVELASTI EA PARVVLIS] Syrus, *puerulis*. Gręcè νηπίοις, id eſt, *infantibus*, vt vertit Arabicus, id eſt, idiotis, imperitis, infacundis, putà Apoſtolis, diſcipulis & turbis, qui Scribis & mundanis videntur eſſe rudes, & inſipientes velut infantes, vt in eis oſtendas vim lucis & gratię tuę, quâ linguas horum infantium ita feciſti diſertas, vt in omnem terram exierit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum. Pſal. 18. Alludit ad illud Pſ. 8.3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorẽ.* Dei enim electio & diſpoſitio planè contraria eſt mundo: mundus enim ambit & eligit diuites, ſapientes, potentes, Deus verò eligit pauperes, rudes, infirmos, eoſq; facit præ omnibus mundanis ſpiritu diuites, ſapientes, & potẽtes. Quare? *Vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1. Corint. 1.29. & 31. Vide ibi dicta.

Ex hoc loco S. Auguſtinus de Prædeſt. Sanct. c.6. & de Bono perſeuer. c.8. ac S. Gregorius 25. Moral. c.13. docent, quòd cum audita prædicatione Euangelij hi credunt, illi non credunt, eſſe opus gratiæ & iuſtitię Dei. Qui enim credunt, ita congruè per gratiam Dei in mente illuminantur, vt credant: qui verò non credunt, iuſto Dei iudicio ob ſuam ſuperbiam, aliaque peccata non ita congruè à Deo illuminantur, vt de facto credant, licèt, ſi vellent illuminationi, quam Deus eis ſuggerit, conſentire & cooperari, poſſent credere, & reipſa crederent.

VERS. 26. LUC. 19. V. 21. ITA PATER, QVONIAM SIC PLACITVM FVIT ANTE TE] Id eſt tibi, Græcè ſignificantius ναὶ ὁ πατήρ, id eſt etiam, vel rectè, ô Pater (Gręci enim ſæpè nominatiuum vſurpant pro vocatiuo) q.d. Vtique, ô Pater, quod feciſti, rectiſſimè feciſti, quia ſic placuit tibi humiliare ſuperbos, & exaltare humiles. Docet prædeſtinationis & electionis fidelium, æquè ac reprobationis infidelium & impiorum cauſam originalem non eſſe aliam, quàm Dei beneplacitum, quare in eo nos conquieſcere debere, nec alias rationes quęrere: cùm illud vnum fideli ſufficiat & inſtar mille rationum ſit. Hinc beati in cælo dum vident ſuos filios, parentes, nepotes ob demerita damnari, nõ dolent, ſed approbant, laudantque iuſtum Dei iudicium.

OMNIA

VERS.27. Luc.10. v.22.

*Omnia Chriſto à Patre tradita ſunt quo ſenſu?*

OMNIA MIHI TRADITA SVNT A PATRE MEO. ET NEMO NOVIT FILIVM NISI PATER, NEQVE PATREM QVIS NOVIT, NISI FILIVS, ET CVI VOLVERIT FILIVS REVELARE] Dixit Chriſtus, Patrem ſuum eſſe Deum omnipotentem, eumque quaſi Dominum cæli & terræ ſuperbos Phariſæos reieciſſe, humilibus verò Apoſtolis ſe, ſuamq; gratiam reuelaſſe: Nunc, ne quis Chriſtum ipſum putet eſſe Patre minorem, nec eſſe Deum omnipotentem, docet contrarium, ſcilicet, Patrem omnia ſua communicare Filio, imò non niſi per Filium operari, docere, prædicare, donaq; ſua conferre. Ad hunc enim finem miſit Deus Filium in carnem & in mundum, vt per eum velut doctorem & ſaluatorem omnes doceret & ſaluaret.

Porrò τὸ *omnia mihi tradita ſunt à Patre, ita intelligi debet, vt tamen omnia Chriſtus ſecundùm naturam habuiſſe cenſendus ſit. Sicut cùm ſit ſecundùm naturam vita, viuificari dicitur à Patre; ac cùm ſit gloriæ Dominus, dicitur gloriam accepiſſe*, ait Concil. Epheſ. ex Cyrillo in defenſ. Anathem. Senſus ergo eſt, q.d. Omnia quæ habet Pater, ſcilicet, diuina natura, imperium & poteſtas, ait S. Hilarius & Auguſtinus, ac conſequenter (quod magis hîc ſpectat Chriſtus) *omnia*, id eſt, omnium rerum, ſed præſertim hominum dominium, poteſtas, gubernatio, & diſpenſatio à Patre ab æterno data fuit mihi, quaſi filio per æternam generationem, & in tempore eadem mihi data fuit quaſi homini, per hypoſtaticam vnionem, vt poſſim, quos velim, v.g. humiles Apoſtolos eligere, illuminare, prædeſtinare, ſaluare; quos verò nolim, vt ſuperbos Capharnaïtas, reijcere, negligere, reprobare, damnare: in manu enim mea eſt omnium prędeſtinatio, vel reprobatio, ſalus vel damnatio, q.d. Conſtitutus ſum à Deo Patre mundi ſaluator & redemptor, & in manu mea ac poteſtate poſuit Pater vniuerſa, vt ea reparem & reſtaurem; vt ſicut per me vt Deum omnia creauit, ſic per me in carne aſſumpta omnia recreet & reparet. Ad hoc veni, & ad hoc ſum homo factus. Abſcondita igitur ſunt à ſapientibus ſacramenta, ſcilicet, legatio mea, incarnatio mea, finis aduentus mei, officium meum; paruulis autem ex parte iam reuelata, poſtmodũ verò perfectè reuelanda ſunt. Abſcondita, inquam, ſunt à ſuperbis & reuelata humilibus, tam à me, quàm à Patre meo; quia Pater omnia mihi tradidit, meæque poteſtati & arbitrio commiſit. Chriſtus enim hîc ſuum officium, dignitatem & auctoritatem edocet & ſtabilit, vt omnes ei quaſi doctori & legato Patris auſcultent, credant & obediant. Sicut vice-rex, vel gubernator demonſtrat populo ſibi hoc munus à rege eſſe demandatum, vt ſibi auctoritatem & ciuium obedientiam conciliet.

ET NEMO NOVIT FILIVM NISI PATER, NEQVE PATREM QVIS NOVIT NISI FILIVS, ET CVI VOLVERIT FILIVS REVELARE] Lucas c.10.22. *Et nemo ſcit, quis ſit Filius, niſi Pater: & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Reſpicit id quod dixit v.25. *Et reuelaſti ea paruulis*, q.d. Ego à Patre ſum miſſus, vt ſim doctor & ſaluator mundi, vt ſcilicet doceam homines veritatem & viam ad ſalutem, putà ad Deum Patrem, qui eſt increata ſalus & felicitas: hæc enim, cùm ſit ſupernaturalis, à nullo homine vel Angelo naturaliter cognoſci potuit; quare ſicut nemo nouit Filium niſi Pater, & cui voluerit Pater reuelare: ſic viciſſim Patrem nemo nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: Pater enim ſicut naturã, ſic & ſui cognitionem omniaq; quæ habet, communicat Filio, & per Filium ceteris hominibus. Qui ergo ad veritatem, gratiam & ſalutem, quæ in Deo Patre ſita eſt, accedere cupit, per me accedat, meque docentem audiat, & in me credat oportet. Ego enim ſum via, veritas & vita. Mea doctrina eſt doctrina Dei Patris: per me ergo habebitis acceſſum ad Patrem. Ego vos ad eum, eiuſque, gloriam deducam.

Porrò dum dicitur, *niſi Filius*, non excluditur Spiritus ſanctus; multò minùs cùm dicitur, *niſi Pater*, excluditur Filius. Regula enim Theologorum eſt, particulas excluſiuas additas vni perſonæ diuinæ in attributis eſſentialibus, non excludere ceteras duas perſonas, ſed tantùm creaturas, ſeu id, quod alterius eſt eſſentiæ. Ita S. Auguſtinus lib.6. de Trinit. c. 9. S. Cyrillus, D. Thomas ceterique Patres & Scholaſtici. Nota Chriſtum, primò Apoſtolis & diſcipulis reuelaſſe cognitionem duarum primarum perſonarum, ſcilicet Patris & Filij, ac deinde ſub diſceſſum, cùm iret ad mortem, inculcaſſe fidem tertiæ perſonæ, putà Spiritus S. vt patet Ioannis 16.7. Senſim enim hoc diuiniſſimum Trinitatis myſterium rudibus Apoſtolis patefaciendum fuit.

*Chriſtus Apoſtolis duarum Trinitatis perſonarum cognitionẽ reuelat, tertiam ſub diſceſſum reuelaturus.*

Aduertit ſolerter S. Chryſoſtomus hom. 39. non dici, qui iuſſus eſt à Patre reuelare, ſed *cui voluerit reuelare*, vt Filius Patri in dominio & poteſtate æqualis oſtendatur: licèt enim Chriſtus reuelet vt homo, ſiue per naturam humanam & os, tamen hæc natura ſubſiſtit in perſona diuina, ideoque hic homo, putà Chriſtus, eſt Deus & Deo Patri æqualis.

Porrò S. Chryſoſtomus, & Irenæus l.4. c.14. vt Marcioni vetus Teſtamentum eiuſque Deum reijcienti, dicentique: Si Deus Pater non fuit agnitus ante Chriſti incarnati reuelationem; ergo non fuit agnitus in veteri lege: Ergo illius auctor & Deus non fuit Deus verus; reſpondeant, τὸ *nemo nouit Patrem, niſi Filius*, exponunt de ſcientia diuina, per quam filius, quâ Deus comprehendit Patrem, & Pater Filium. Planiùs tamen accipias de ſcientia cõmunicata naturæ humanæ Chriſti: hæc enim illius myſteria reuelauit Prophetis & Patribus, hæc diuinitatis & Trinitatis myſteria. Sic eadem poſt incarnationem reuelauit Apoſtolis & fidelibus quà homo. Nemo enim eſt fidelis & Chriſtianus; niſi à Chriſto & per Chriſtum incarnatũ: *Aliud eſt enim*, ait Hieronymus, *naturæ æqualitate noſſe quod noueris*: (vti Filius nouit Patrem) *aliud reuelantis dignatione*, vti nos nouimus Deum per reuelationem Chriſti.

VENITE AD ME OMNES, QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS (Syrus, *qui feſſi eſtis & baiulantes onera*; Arabicus, *labore attriti & grauati onere*) ET EGO REFICIAM VOS] Oſtenſâ deitatis ſuæ majeſtate, ne quis eâ abſterreatur, Chriſtus addit humanitatem, & humaniſſimè omnes ad ſe inuitat. In legiſlatore & principe, cui ſumma ineſt potentia & majeſtas, ſumma virtus & beneuolẽtia & manſuetudo. Sic Moyſes legiſlator & dux Hebræorum fuit mortalium manſuetiſſimus. Numer. 12. VERS.28.

VENITE



VENITE (Non tam pedibus corporis, quàm affectibus fidei, ſpei, amoris, religionis, deuotionis & pietatis) AD ME] Cui omnia Pater dedit in manus, quemque miſit quaſi medicum peritiſſimum & officioſiſſimum, ac ſuauiſſimum tam moribus, quàm pharmacis, vt omnibus omnino corporis & animæ infirmitatibus mederetur: nemo enim præter eum ijs mederi poteſt.

*Omnes ad ſe inuitat Chriſtus.*

OMNES, QVI LABORATIS] Nemine excluſo: nemo enim eſt, qui nõ aliquo morbo laboret, & Chriſti medelâ indigeat. Omnibus ergo Chriſtus ſe offert, vt ab eo ſanitatem & ſalutem petant & recipiant. Sic blandè correxit, erexit, curauitque Magdalenam, Matthæum, Paulum, Petrum. Sic etiamnum in Euchariſtia omnes inuitat, aitque. Venite ad me infirmi, eſurientes, afflicti, ego reficiam vos.

QVI LABORATIS] Gręcè οἱ κοπιῶντες, (id eſt, qui moleſtiam patimini) ET ONERATI ESTIS] ſcilicet fatigati & depreſſi, ac ſuccumbentes oneri, tum peccatorum, ita ſanctus Chryſoſtomus, S. Hieronymus, S. Auguſtinus; tum legis Moſaicæ. ita Theophylactus; tum ærumnarum & tentationum huius vitæ: *Nam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animã, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Sapient. 9. 15. Vide ibi dicta.

ET EGO REFICIAM VOS] Græcè ἀναπαύσω, id eſt, refocillabo, feſſis *requiem dabo*, vt vertit Syrus, recreabo, in omni quiete conſtituam, ait ſanctus Chryſoſtomus, per verba blãdiſſima, per Sacramenta quaſi pharmaca efficaciſſima, per gratiam & cõſolationes internas ſuauiſſimas: deniq; per gloriam feliciſſimam in cęlo. Audi ſanctum Auguſtinum ſer.10. de Verbis Domini ſecundùm Matthęum: *Venite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, niſi quia ſumus mortales, fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt inuicẽ anguſtias? ſed ſi anguſtiantur vaſa carnis, dilatentur ſpatia charitatis. Quid ergo dicit. Venite omnes, qui laboratis, niſi vt non laboretis? Denique promiſſio eius in promptu eſt, quoniam laborantes vocabit. Quærent fortè, quâ mercede vocati ſunt? Ecce ego vos, inquit, reficiam.*

VERS.29. TOLLITE (Syrus, *baiulate*) IVGVM MEVM SVPER VOS] q.d. Tuliſtis graue & penè intolerabile iugum, & onus legis veteris, peccati & concupiſcentiæ venite ad me, ego illud tollam, & commutabo in ſuaue iugum legis Euangelicę, gratię, & charitatis. Reficiã ergo vos per iugum meum, quod iugum quidem eſt, quia eſt lex obligans animas, ſed ſimul pharmacum eſt, imò lectus, in quo ſuauiter quieſcatis, præſertim per humilitatem, quam docet & pręcipit; quæ vnica & ſingularis eſt medicina omnium morborum tam animę, quàm corporis, omniumque onerum leuamen & requies. *Nihil enim aſperum eſt mitibus, nil arduũ humilibus*, ait S. Leo. Sicut enim lana bombardarum globos excipit, ac ſua mollitie impetum eorũ infringit: ſic mititas & humilitas omnia dura & aſpera ſuâ lenitate frangit & mollit: iugum ergo hoc Chriſti eſt Euangelium & lex Euangelica, ſiue lex gratiæ. Vnde S. Bernardus ſerm.15. in Pſalm. *Qui habitat: laborantes*, inquit, *ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos, non tamen onus ſubtrahit aut laborem: magis autem onere alio, alio labore commutat, ſed onere leui, ſuaui iugo, in quibus requies aut refectio, etſi minùs appareat, tamen inueniatur.*

ET DISCITE A ME, QVIA MITIS SVM ET HVMILIS CORDE (id eſt *cordis affectu, id eſt, voluntate*, ait S. Bernardus ſer.42. in Cant. multi enim ſunt humiles ore, ſed pauci corde) ET INVENIETIS REQVIEM ANIMABVS VESTRIS] q. d. Imitamini meam humilitatem & manſuetudinem, eſtote mites & humiles ac ſentietis, quàm ſuaue ſit iugum Dei. Ita S. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus ſerm. de Verbis Domini ſecundùm Matthæum, quem audi: *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me non mũdum fabricare, non cuncta viſibilia & inuiſibilia creare, non in ipſo mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare; ſed quoniam mitis ſum & humilis corde. Magnus eſſe vis, à minimo incipe. Cogitas magnã fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis. Et quantam quiſque vult & diſponit ſuperimponere molem ædificij, quãtò erit maius ædificium, tantò altius fodit fundamentum.* Sapiẽter Climacus gradu 25. *Humilitas, inquit, eſt gratia animæ nominis expers, ſolis nominata ijs, qui eius experimẽtum ceperunt, inexplicabilis theſaurus à Deo nomen ſortita, ſingulare munus Dei: Diſcite, inquit, non ab Angelo, non ab homine, non ex libro, ſed à me, hoc eſt, ex mea in vobis habitatione, illuſtratione & operatione, quia mitis ſum & humilis corde, & cogitatione, & ſenſu, & inuenietis bellorum interiorum requiẽ animabus veſtris, & leuamen cogitationum veſtrarum.* Et poſt plura, humilis dotes & fructus hos aſſignat: *Qui cum hac velut ſponſa ſponſus copulatus eſt, lenis, placidus, pronus in compunctionem, miſericors, ſuper omnia verò ſerenus & tranquillus, lætus & alacer, obſequens, omnium moleſtiarum expers, vigil & impiger eſt, & vt vno verbo complectar omnia, imperturbatus.*

*Humilitatis dignitas.*

*Effectus.*

Secundò, & magis genuinè Auctor imperfecti, Maldonatus: & Ianſenius, q.d. Diſcite à me, id eſt, ne vereamini ad me accedere, & iugũ mei Euangelij in collum veſtrum ſuſcipere, quin venite, & illud ſuſcipite: diſcetis enim, & reipſa experiemini in me, me non eſſe tyrannum, aut regem ſeuerum & rigidum, ſed Dominum humilem, mitem, clementem, & benignum. Hunc ſenſum exigit ratio, quã ſubijcit: *Iugum enim meũ ſuaue eſt, & onus meum leue.* Et illud: *Et inuenietis requiem animabus veſtris*; hanc enim ſolus præſtat Chriſtus. Porrò Chriſtus tantæ fuit humilitatis & manſuetudinis in ſufferendis Scribis, diſcipulis, turbis, iniurijs, probris, irriſionibus, flagellis, cruce & morte, vt etiamſi nullum feciſſet miraculum, tantâ tamen manſuetudine ſat ſuperque probaſſet, ſe eſſe hominem cæleſtem, & verum Prophetam à Deo miſſum. Ego ſanè magis miror diuinam Chriſti manſuetudinem, quàm miracula; & mortuorum ſuſcitationem.

*Quàm chara Chriſto humilitas. Primò.*

Moral. diſce hîc, quanta, & quàm chara Chriſto ſit humilitas. Primò ex eò, quòd ſit ſumma & coronis vitæ, doctrinæ, & perfectionis Chriſti, q.d. Diſcite à me non mundum creare, non miracula facere, non ſubtilia de Deo & ſancta Trinitate diſputare, non Herculeos labores & facinora patrare, ſed quia mitis ſum & humilis corde; hic eſt apex &



breuia-

breuiarium meæ doctrinæ & Euangelicæ perfectionis.

*Secundò. Humilitas ſedes pacis.*

Secundò, quòd humilitas ſit ſedes pacis: *Et inuenietis*, inquit, *requiem animabus veſtris*: nuſquam quies animi, niſi in humilitate; vis ergo requiem, amplectere humilitatem, humilem locum, humile officium, humilem victum, veſtitum, &c: impoſſibile eſt, vt ſuperbus habeat pacem animæ, qui ſemper maiora deſiderat, & ambit, ac ſæpè aſſequi nequit.

*Tertiò.*

Tertiò, quòd humilitas tollit ab homine omnem laborē, & omnia onera: *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, à labore & onere ſubleuando: quâ ratione Dominè? per humilitatem: *Tollite*, ait, *iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Humilitas ergo eſt leuamen omnis laboris & oneris, & refectio virium, vt quidā Doctor meritò dixerit: *Humilitas eſt pharmacum contra omnes morbos, ac ſanitas animæ & corporis*; morbum enim tolerando lenit & ſuperat. Quin & Hippocrates dixit τὰ ἄχολα μακρόβια; hoc eſt, animalia, quę felle carent, vt cerui ſunt longæua: mites ergo & humiles ſunt ſani & longæui: manſuetudo enim, vti mores, ita & humores contemperat, quos diſtemperat bilis, vnde morbi.

*Quartò. Humilitas eſt virtus Chriſti.*

Quartò, humilitas eſt virtus Chriſti: *Diſcite*, ait, *à me*: hæc mea, mihi propria, mihi præ ceteris chara eſt virtus, quā deſcendendo è cælis in imā terram ad extremam pauperratem, ad infamem mortem & crucem ita oſtendi, vt nulla ſit illuſtrior & mirabilior in vita & morte mea. Sic ex diuerſo ſuperbia eſt peccatum Luciferi. Humilitas ergo facit nos ſimillimos Chriſto: quid dignius? quid optabilius?

*Quinto.*

Quintò, eadem facit iugum Chriſti ſuaue & legem leuem. q. d. Diſcite à me eſſe humiles & mites, & in iugo meo non ſentietis pondus, ſed experiemini illud eſſe ſuaue & leue. Quocirca S. Franciſcus dictitabat Chriſtum non aliā ob cauſam è cælo in terram deſcendiſſe, quàm vt nos doceret humilitatem. Vide S. Bonauenturam ca. de Humilitate S. Franciſci.

Pręclarè S. Auguſtinus epiſt. 112. Qui, inquit, didicerunt à Domino Ieſu mites eſſe & humiles corde, plus orando & meditando proficiunt, quàm legendo & audiendo.

Deniq; Chriſtus iungit hic mitem cum humili, quia manſuetudo & humilitas ſunt quaſi duæ ſorores inuicem aſſociatæ, vel ſicut mater & filia. Vnde S. Bernardus ſerm. 2. in illud Apocal. 12. *Signum magnum*: *Sicut*, ait, *mater præſumptionis eſt elatio, ſic manſuetudo vera non niſi ex vera humilitate procedit*. Idem de Verbis Apoſtoli: *Non eſt regnum Dei eſca & potus*: *Mitis*, ait, *pertinet ad charitatem, quia charitas patiens eſt, benigna & humilis*. 1. Corinth. 13.

*Manſuetudinis natura.*

Audi Climacum gradu 24. *Solem matutina lux auroræ præcurrit, humilitatem manſuetudo præcedit. Itaq; lucem Chriſtum priùs audiamus, quæ eas ita per gradum diſponit: Diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Deinde manſuetudinem ita definit: *Manſuetudo eſt immutabilis animi ſtatus, qui in omni fortuna honorum & contumeliarum æqualem animi habitum conſeruat. Manſuetudo eſt pro alijs te perturbantibus ſine perturbatione ſincerè & ex animo precari. Manſuetudo eſt prominens aduerſus iram maris rupes, quæ omnes illiſos fluctus diſſoluit ac frangit, nec ipſa interim mouetur aut frangitur.* Denique eius effectus & dotes per elogia ita aſſignat: *Manſuetudo eſt ſtabilimentum patientiæ, charitatis ianua, imò verò parens, prudentiæ argumentum: Docebit enim, inquit Dominus, mites vias ſuas; procuratrix veniæ, peccatorum fiducia in precibus, Spiritus ſancti domicilium: ſuper quos enim reſpiciam, niſi ſuper manſuetum & quietum?* Iſaiæ 66.

*Effectus.*

IVGVM ENIM MEVM SVAVE EST, ET ONVS MEVM LEVE] Iugum & onus Chriſti eſt Euangelium, ait S. Hilarius, & Beda, & alij. Euangelij ergo lex eſt iugum, quia diſciplinæ nos alligat, ne quis à iuſtitia diſcedat; hoc ſuaue Grecè eſt non γλυκὺς, id eſt, dulce inſtar ſacchari, ſed χρηστὸς, id eſt, commodum, humanum, placidum, benignum (Arabicus, *bonum*) præ lege veteri. Primò, quia pauciora & faciliora habet pręcepta. Secundò, quia maiorem dat gratiam, quę valdè alleuiat onus mandati. Tertiò, quia amore nos regit, vt filios; nō timore, vt ſeruos, ſicut faciebat lex vetus. Quartò quia mortem non intentat nec infert, vti lex vetus, ſed aufert. Quintò, quia promittit ſui obſeruatoribus vitam feliciſſimam, eoſque quaſi manu ducit ad æternam cæleſtium gaudiorum dulcedinem, iuxta illud: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrēte voluptatis tuæ potabis eos*. Pſalmo 35. 9. Cauſam dat S. Paulus, & ex eo S. Auguſtinus ſerm. 10. de Verbis Domini ſecundùm Matthæum: *Quia non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Quare, quæ duræ ſunt laborantibus, eiſdē ipſis miteſcunt amantibus: Omnia ſæua & immania propè nulla facit amor*. Ait ergo: *Tollite iugum meum ſuper vos*, quaſi in iugo diuinæ ſeruitutis perfecta conſolatio, & refectio includatur. Vnde D. Ambroſius lib. de Helia & ieiunio c. 22. *Suſcipite*, inquit, *iugū Chriſti. Nolite timere, quia iugum eſt; feſtinate, quia leue eſt. Nō conterit colla, ſed honeſtat. Quid dubitatis? quid procraſtinatis? Non alligat ceruicem vinculis, ſed mentem gratia copulat. Non neceſſitate conſtringit, ſed voluntatem boni operis dirigit*. Audi S. Bernardum epiſt. 72. *Libet admirari, quàm leue ſit onus veritatis, quod non ſolùm non onerat, ſed etiam portat omnem, cui portandum imponitur. Hoc onus potuit vterum grauidare virgineum, ſed non grauare. Hoc onus, ipſa quibus ſe præbuit ſuſtentandum, Simeonis brachia ſuſtentabat. Hoc etiam Paulum in graui ſcilicet & corruptibili corpore poſitum, rapiebat vſq; ad tertium cęlum*. Imò Dauid: *Propter verba*, inquit, *labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras*. Pſal. 16. 4. Vbi D. Auguſtinus lib. de Natura & gratia c. 69. *Duræ*, inquit, *ſunt timori, leues amori*.

*Iugū Chriſti ſuaue.*

MEVM] quod ſcilicet ego Chriſtus vobis impono, ſed & vobiſcum fero, onerique ſuccollo, imò totum onus, & vos ipſos baiulo & porto: iugum enim dicitur, quod duo iumenta iuncta ſubeunt; iugum enim à iungendo nuncupatur. Chriſtus ergo iugi, id eſt, legis Euangelicæ vnam dumtaxat partem collo noſtro imponit, alteram & potiorem ipſe ſubit, itaque nobiſcum iugum hoc trahit, & nobis vires animoſque trahendi ſuâ gratiâ, æquè ac ſuo exemplo ſuggerit, vti nuper quidam in Iapone è Societate Ieſu ſacerdos, mortem atrocem pro Chriſto



Chriſto generosè obiens, dictitabat, Chriſtus ergo facit computreſcere iugum à facie olei. Iſaiæ 10. verſ. 27. Ex aduerſo grauia eſſe onera peccati, ait S. Hieronymus Zachar. cap. 5. dicens iniquitatem ſedere ſuper talentum plumbi. Vide dicta vtrobique.

*Viſio ſanctæ Mechtildis.*

Huc facit, quod in vita S. Melchtildis legimus, ipſam, cùm grauibus capitis doloribus torqueretur, vt nuſquam poſſet quieſcere, audiſſe à Chriſto oſtendente vulnus lateris ſui: *Nunc intra, vt pauſes*; quæ ſtatim cum gaudio intrauit. Et viſum eſt ei tot ceruicalia ſerica ſe habere, quot ictus dolorum tunc ſenſit capiti ſuo aduenire. Et ait Dominus: *Bombyces ſericum gerunt, & de me ſcriptū eſt: Ego ſum vermis, & non homo, Hucuſq; in laboribus mihi deuotè ſeruiuiſti, amodo in virtutum exercitijs exemplo meo placitis mihi ſeruire ſtudebis: & quæ tibi fuerint importabilia, ego ea tecum feram*. Hæc ad verbum ſtylo ſimplici, ſed candido, auctor vitæ eiuſdem.

Iugum ergo hoc Chriſti non tam iugum eſt, quàm ceruical bombycinum; quia non moleſtiâ nos premit, ſed à pondere rerum terrenarum exonerat & in cælos attollit.

*Pennis auiū ſimile Chriſti onus.*

Quocirca appoſitè S. Bernardus onus hoc cōparat plumis auium; ſic enim ſcribit epiſtola 341. ad Monachos: *In via vitę quò citiùs, eò faciliùs curritur; & leue Saluatoris onus, quò creſcit ampliùs, eò portabilius. Nónne & auiculas leuat, nō onerat pennarū ſiue plumarum numeroſitas ipſa? Tolle eas, & reliquum corpus ſuo pondere fertur ad ima. Sic diſciplinā Chriſti, ſic ſuaue iugum, ſic onus leue, quod deponimus: eo deprimimur ipſi, quia portat potiùs, quàm portatur*. Et S. Auguſtinus ſer. 24. de Verbis Apoſtoli: *Hęc ſarcina*, inquit, *non eſt pondus onerati, ſed ala volaturi. Habent enim & aues pennarum ſuarum ſarcinas. Portant illas, & portantur. Portant illas in terra; portantur ab illis in cælo. Tu, ſi miſericordiam velis præbere aui, pręſertim æſtate, & dicas: Miſeram iſtam auiculā onerant pennæ, & detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui ſubuenire voluiſti*. Et rurſum lib. de Perfectione iuſtitiæ circa med. in fine 7. tomi: *Laborant*, inquit, *in Dei pręceptis, qui ea timendo conantur implere: ſed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam leuem, non ſolùm non prementem onere ponderum, verùm etiam ſubleuantem vice pennarum*.

Addit S. Ambroſius in Pſal. 118. ſer. 3. *Portare Chriſti iugum*, inquit, *ſuaue eſt, ſi ornamenta putes ceruicis tuæ eſſe, non onera. Attolle ergo oculos ad Dominū Deum tuum, & quære Deum, & inuenies. Erige ceruicem, redimicula, non vincula geris. Multa quoque animalia redimiculis gaudent, & phalerari ſibi magis, quā nudari videntur, genæ ſicut turturis præferent inſignia verecundiæ, redimicula ceruicis libertate attollent fiduciam. Leue eſt ergo iugum Chriſti, & ideo ceruix eo non premitur ſed leuatur. Nō mirum quidem, ſi iugum iſtud leue ſit quoniam homini gloriæ cupido omnia glorioſa & honorifica, leuia & ſuauia putantur; nihil autem eſt iſto Chriſti iugo glorioſius*.

Denique S. Bernardus ſer. 15. in Pſal. *Qui habitat*, per iugum & onus accipit onus donorū & beneficiorū Dei: quia onus impoſitæ legis, gratię donum eſt, cuius obſeruantia perfecta cetera in animam dona inuehit. Audi eum: *Graue onus iniquitas ſedens ſuper talentum plumbi, Sub hac gemebat ſarcina, qui dicebat: Iniquitates meæ ſupergreſſæ sūt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Quod ergo onus Chriſti quod onus leue? Vt quidē ego ſētio, onus beneficiorum: dulce onus ſed ei qui ſentit, ei qui experitur*. Et poſt nonnulla: *Onerat nos, cùm exonerat nos Deus; onerat beneficio, cùm exonerat peccato. Vox onerati: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Vox onerati: Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui Deum. Vox onerati: Exi à me, quia peccator ſum Domine*.

Porrò ſuperbis & carnalibus Chriſti iugum, & lex humilitatis, abſtinentię, continentię, mortificationes videtur grauiſſima & intolerabilis, quia carent ſpiritu, nec niſi carnem & carnalia amant & cogitant. Vnde S. Bernardus tractat. de Pręcepto & diſpenſ. *Chriſti iugum*, ait, *& onus eſt, & omnino importabile niſi Chriſti æquè ſpiritui*, ſed & his ipſis ſuperbis & carnalibus longè grauius iugum eſt ipſa ambitio, & carnis cōcupiſcentia: *Aſperum quippe iugum*, ait S. Gregorius 40. Moral. ca. 12. *& duræ ſeruitutis pondus eſt, ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labētia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus nolle tranſire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quę priùs mētem ex deſiderio adeptionis afflixerant, poſt ex pauore amiſſionis premunt*. Verè S. Chryſ. hom. 14. in 1. ad Cor. *Aſpera*, inquit, *virtus eſt, ſi ad imbecillitatem noſtram comparetur; nam quòd facilis & leuis ſit, audi Chriſtum teſtantem: Iugum meum ſuaue eſt & onus meū leue. Quod ſi non intelligis, nulla te admiratio teneat: non enim forti animo es: vt enim cùm animi vis adeſt, grauia leuia fiunt; ſic cum abeſt, leuia grauia. Quid, quæſo, manna ſuauius, quid magis in promptu? ægrè tamen Iudæi tulerunt, cùm eo in delicijs veſcerentur; quid fame & ceteris, quos Paulus eſt perpeſſus, laboribus grauius? gaudebat tamen ille, & exultabat, dicens: Nunc glorior in infirmitatibus meis, quæ igitur horum cauſa? animi diuerſitas, quem, ſi qualem eſſe oportet, inſtitueres, facilitatem virtutis dignoſceres*.

# CAPVT DVODECIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus contra Scribas probat Sabbato licere diſcipulis ſuis vellere ſpicas, & ſibi licere curare ægros. Secundò, v. 22. ſanat dæmoniacū probatq́; ſe id non facere ope Beelzebub, ſed in digito Dei: quare Scribas id Beelzebub tribuentes, committere blaſphemiam in Spiritum ſanctū, ideoq́; irremiſſibilem. Tertiò, v. 39. petētibus ſignum dat ſignū Ionæ, quodq́; Niniuitæ & regina Saba Iudæos ſibi incredulos condemnabunt in die iudicij. Quartò, v. 46. ſuos fratres & matres aſſerit eſſe eos, qui faciunt voluntatem Patris ſui.*

1. IN illo tempore abijt Ieſus per ſata Sabbato, diſcipuli autē eius eſuriētes cœ-
perunt vellere ſpicas, & manducare. 2. Phariſæi autem videntes, dixerunt
ei: Ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis. 3. At ille dixit eis:
Non legiſtis quid fecerit Dauid, quando eſurijt, & qui cum eo erant: 4. quo-
modo intrauit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei
edere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? 5. Aut non legiſtis in
lege, quia Sabbatis ſacerdotes in templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt?
6. Dico autem vobis, quia templo maior eſt hic. 7. Si autem ſciretis, quid
eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium: numquam condemnaſſetis innocen-
tes. 8. Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati. 9. Et cùm inde
tranſiſſet, venit in ſynagogam eorum: 10. Et ecce homo manum habens ari-
dam; & interrogabant eum, dicentes: Si licet Sabbatis curare? vt accuſarent eum.
11. Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam; & ſi
ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nónne tenebit & leuabit eam? 12. Quantò
magis melior eſt homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere. 13. Tunc ait ho-
mini: Extende manum tuam. Ex extendit, & reſtituta eſt ſanitati, ſicut altera.
14. Exeuntes autem Phariſæi, conſilium faciebant aduerſus eum, quomodo per-
derent eum. 15 Ieſus autem ſciens, receſſit inde, & ſecuti ſunt eum multi, & cu-
rauit eos omnes: 16. & præcepit eis, ne manifeſtum eum facerent. 17. Vt
adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: 18. Ecce puer
meus, quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam
Spiritum meum ſuper eum, & iudicium gentibus nuntiabit. 19. Non conten-
det, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius; 20. arundinem
quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad vi-
ctoriam iudicium: 21. Et in nomine eius Gentes ſperabunt. 22. Tunc obla-
tus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus, & curauit eum, ita vt loqueretur &
videret. 23. Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic eſt filius
Dauid? 24. Phariſæi autem audientes, dixerunt: Hic non eijcit dæmones;
niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. 25. Ieſus autem ſciens cogitationes
eorum, dixit eis: Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur: & omnis ciuitas,
vel domus diuiſa contra ſe non ſtabit. 26. Et ſi ſatanas ſatanam eijcit, aduerſus
ſe diuiſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? 27. Et ſi ego in Beelzebub
eijcio dæmones, filij veſtri in quo eijciunt? ideò ipſi iudices veſtri erunt. 28. Si
autem ego in Spiritu Dei eijcio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei.
29. Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere,
niſi priùs alligauerit fortem: & tunc domum illius diripiet. 30. Qui non eſt me-
cum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit. 31. Ideò dico vo-
bis: Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphe-
miæ non remittetur. 32. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis,
remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, ne-
que in hoc ſæculo, neque in futuro. 33. Aut facite arborem bonam, & fructum
eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſiquidem ex fru-
ctu arbor agnoſcitur. 34. Progenies viperarum, quomodo poteſtis, bona lo-
qui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. 35. Bonus homo
de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala.
36. Dico



36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint ho-
mines, reddent rationem de eo in die iudicij. 37. Ex verbis enim tuis iuſtifi-
caberis, & ex verbis tuis condemnaberis. 38. Tunc reſponderunt ei quidam de
Scribis & Phariſæis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre. 39. Qui
reſpondens; ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non
dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ: 40. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti
tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus,
& tribus noctibus. 41. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta,
& condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce
plus quàm Ionas hic. 42. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta,
& comdemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Et
ecce plus quàm Salomon hic, 43. Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab
homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. 44. Tunc di-
cit: Reuertar in domum meam, vnde exiui: & veniens inuenit eam vacantem, ſco-
pis mundatam & ornatam. 45. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſe-
cum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora
prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ. 46. Adhuc eo loquente ad tur-
bas, ecce mater eius & frater ſtabant foris, quærentes loqui ei. 47. Dixit autem
ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes te. 48. At ipſe
reſpondens dicenti ſibi ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? 49. Et
extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. 50. Qui-
cumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, &
ſoror, & mater eſt.

**Vers. 1.** Luc. 6. 1. Mar. 2. 23. IN ILLO TEMPORE ABIIT, IESVS PER SATA (per ſegetes albeſcentes vel maturas) SABBATO: DISCIPVLI AVTEM EIVS ESVRIENTES COEPERVNT VELLERE SPICAS, ET MANDVCARE] Addit Lucas cap. 6. v. 1. hoc Sabbatum fuiſſe ſecundo primum, quod quale fuerit ibidem dicā. Eſt rurſum hîc hyſterologia, hæc enim cōtigiſſe videntur ante miſſionem Apoſtolorum, de qua ca. 10. verſ. 1. & ſequent. atque adeò antè ſermonem Domini in monte, de quo cap. 5. verſ. 1. vt colligitur ex Marco cap. 2. v. 22. & Lucę 6. v. 1. *Quod autem ſpicas ſegetū manibus confricant, & inediam conſolantur*, ait S. Hieronymus, *vitę auſterioris indicium eſt, non præparatas epulas, ſed cibos ſimplices quærentium.*

**Vers. 2.** Luc. 6. 2. Mar. 2. 24. PHARISÆI AVTEM VIDENTES DIXERVNT EI: ECCE DISCIPVLI TVI FACIVNT QVOD NON LICET FACERE SABBATIS] Lucas ca. 7. verſ. 2. habet *dixerunt illis*, ſcilicet diſcipulis Chriſti, quia nimirum primùm diſcipulis, deinde Chriſto hoc obiectarunt.

*An ſpicas vellere illicitum olim.* Nota: Non carpunt diſcipulos quod ſpicas vel vuas vellāt: hoc enim lege permiſſum erat Deuter. 25. 25. ſed quòd id faciant die feſto, ſcilicet Sabbato. Vellere enim ſpicas videtur opus ſeruile, ideoque violans quietem & ſanctitatem Sabbati, cuius præ alijs feſtis apud Iudæos ſumma erat obſeruantia & religio.

*Allegor.* Allegoricè ſanctus Hilarius, Ambroſius, & Beda hoc facto ſignificatum putant, quòd Apoſtoli in Sabbato ſecundo primo, id eſt, Euangelico, ex ſemine & ſegete prædicationis collecturi erant grana, id eſt, fideles ex omnibus Gentibus electos, quorum fide & pietate & profectu ſe paſcerent, donec eos ſecum conderent in horreo cæleſti: ſed Phariſæi & Iudæi videntes Gentes ſibi in Euangelio præponi, eis



A inuidentes, fruſtra Apoſtolis obſtrepunt & obmurmurant.

*Tropolog.* Tropologicè Beda: Per ſata, ait, ambulant cū Domino, qui eloquia ſacra meditari delectātur. Eſuriunt, cùm in eis panem vitæ inuenire deſiderant; & hoc in Sabbatis, cùm ſopitâ mente à turbulentis cogitationibus vacare gaudent. Vellunt ſpicas, & contritas purgant, donec ad eſcam perueniant, cùm teſtimonia *S*cripturarum, ad quæ legentes perueniunt, meditando aſſumunt, & tamdiu diſcutiunt, donec in eis medullam dilectionis inueniant. Verùm hæc mentium refectio ſtultis diſplicet, ſed à Domino approbatur. Hinc *S.* Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad literam c. 20. carpit eos, qui *S.* *S*cripturæ floribus inhiant, ſed ſegetem eius meditando non confricant, do-

B nec ad virtutis eſcam perueniant.

**Vers. 3.** Luc. 6. 1. Mar. 2. 25. AT ILLE DIXIT EIS: NON LEGISTIS QVID FECERIT DAVID QVANDO ESVRIIT, ET QVI CVM EO ERANT?] Videtur hoc vltimum repugnare 1. Reg. 21. vbi dicitur Dauid fuiſſe ſolus. Reſp. Dauid fugiens *S*aulem ſolus abijt ad Achimelech (quem Marcus vocat Abiatar) Pontificem, ab eoque petijt & accepit panes, ſed eos detulit ad ſocios fugæ, quos alibi expectantes reliquerat, vt patet tum ex hoc loco, tum ex 1. Regum 21. verſ. 2. vbi Dauid ait Pontifici: *Pueris* (famulis meis) *condixi in illum & illum locum.* Ita *S.* Hieronymus.

**Vers. 4.** Luc 6. 4. Mar. 2. 26. QVOMODO INTRAVIT IN DOMVM DEI (in atrium tabernaculi; nec enim laicis, qualis erat Dauid, ſed ſolis ſacerdotibus licebat ingredi *S*anctum, & ſoli Pontifici *S*anctum *S*anctorum, idque ſemel dumtaxat in anno) ET PANES PROPOSITIONIS COMEDIT, QVOS NON LICEBAT EI EDERE, NEQVE HIS, QVI CVM EO ERANT, NISI SOLIS SACERDOTIBVS.]

*Panes propoſitionis quinam & ad quid?*

PANES PROPOSITIONIS] Vocantur panes propoſiti ſemper in Sancto ante arcam & Sanctum Sanctorum, quod erat quaſi thronus Dei reſidentis ſuper propitiatorium, hoc eſt, panes propoſiti ante faciem Dei. Vnde Septuag. vocāt ἄρτους ἐνωπίους, id eſt *panes faciales*. Syrus, *panem menſæ Domini*. Hebr. vocantur לחם פנים *lachme panim*, id eſt, *panes facierum*. Erant enim duodecim, ſeni in vna parte menſæ, ſeni in altera, ſicut duæ ſunt genæ in facie. Hiſce duodecim panibus proteſtabantur duodecim tribus Iſrael ſe à Deo continuè paſci aliquè. Vnde thus eis imponebāt, vt patet Leuit. cap. 24. Thus enim ſymbolum erat eos Domini eſſe, & Domino eſſe oblatos. Viciſſim Deus hac gratitudine oblationis duodecim panum ſe duodecim tribuum meminiſſe, eaſque ante faciem & oculos ſemper habere oſtēdebat. Vide dicta Exodi 25. 30. Iuſſerat Deus panes hos ſacros innouari quolibet Sabbato, tūc enim recentes ponebantur in menſa, & veteres auferebantur ac comedebantur à ſolis ſacerdotibus, idque in tabernaculo dumtaxat, vt patet Leuit. 24. 8. & 9. Vis argumenti eſt hæc: Dauid vir ſecundùm cor Dei in neceſſitate famis vſurpauit, & comedit panes propoſitionis ſanctos, quos alias laicis edere non licebat, ſed ſolis ſacerdotibus quia prudenter iudicauit legem poſitiuam de non comedendis his panibus à laicis, cedere debere legi, iurique naturæ, quod dictat in graui neceſſitate famis conſeruandam eſſe vitam comedendo quoſlibet panes & cibos etiam Deo conſecratos, ideoq; S. Paulinus, S. Laurentius, & alij calices & vaſa Deo cōſecrata vendiderunt; vt per eorum pretium ſuccurrerent graui neceſſitati famique pauperum. Ergo pariter, imò multò magis licet mihi, meiſque diſcipulis vellere ſpicas in Sabbato, vt elicitis inde granis fami noſtræ ſuccurramus: ſanctitas enim Sabbati prohibens opus ſeruile, vti eſt vellere ſpicas, eſt iuris diuini poſitiui, quod cedere debet iuri naturæ dictanti, in fame vitę eſſe conſulendum quolibet cibo etiam ſacro. Eſt hęc prima ratio. Sequitur ſecunda.

VERS. 5. AVT NON LEGISTIS IN LEGE, QVIA SABBATIS SACERDOTES IN TEMPLO SABBATVM VIOLANT, ET SINE CRIMINE SVNT?] Arabicus: *Et non eſt eis peccatum. Violant*. Syrus *profanant*, victimas iugulando, excoriando, diſſecando, lauādo, componendo ligna, accendendo ignem, quo victimæ in honorem Dei comburantur, quæ opera in ſe nudè ſpectata ſeruilia ſunt, & violāt Sabbatum, ni pietas & ſanctitas excuſet, ac ex ſeruilibus & profanis ſacra & diuina efficiat, vt in hoc caſu fit. Senſus eſt. q. d. Vti Dauidem neceſſitas, & ſacerdotis pietas, ita vtrumq; diſcipulos meos excuſat à violatione Sabbati per hanc ſpicarum vellicationem: ipſi enim me quaſi Prophetam & Meſſiam ſequuntur, meęque ſacræ doctrinæ adeò intenti ſunt, vt panum & ciborum parandorū obliti fuerint. Cur ergo famem ex opere tam pio contractam non leuent vellicatione ſpicarum in Sabbato?

Nota *Tò legiſtis*: hęc enim ad verbum nuſquam leguntur in S. Scriptura, ſed quoad rem & ſenſum habentur Numer. 28. & alibi, vbi ſancitur ritus ſacrificando in Sabbato. Hinc Iudæorum axioma eſt: *In templo non eſſe Sabbatum*, id eſt, vacationem ab operibus, quia in templo continuò ſacrificatur, hoc eſt, iugulatur, excoriatur, diſſecatur, lauatur, cōburitur victima. Sacerdotes enim tunc erant laniones.

VERS. 6. DICO AVTEM VOBIS QVIA TEMPLO MAIOR EST HIC] qui vellere ſpicas permittit ſuis diſcipulis, putà ego: loquitur enim Chriſtus de ſe in tertia perſona modeſtiæ cauſa. Senſus eſt. q. d. Si templi ſanctitas excuſat ſacerdotes ſacrificantes à violatione Sabbati: ergo eadē me meoſq; vellicantes ſpicas in Sabbato excuſat ab eius violatione: quia ego maior & ſanctior ſum templo imò Dominus ſum templi, cui ſcilicet victimę omnes in templo immolantur & ſacrificantur. Quare ego intrinſecè ſanctus, adeoque ipſa increata & immenſa ſanctitas ſum, temploque omnem externam iſtam ſanctitatem impertior.

VERS. 7. SI AVTEM SCIRETIS QVID EST: MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIVM; NVMQVAM CONDEMNASSETIS INNOCENTES] Syrus, *non condemnaſſetis eos* (diſcipulos meos) *cum inſontes ſint*. Citat Oſee cap. 9. verſ. 13. Vide ibi dicta. Vis argumenti eſt, q. d. Miſericordia potior eſt, præſtatque ſacrificio & Sabbato: ergo ob eam licet violare quietem Sabbati. Perperam ergo, ô Scribæ, accuſatis & condemnatis hac in re meos diſcipulos, cum ipſi in ea ſint innocentes vacentque omni culpa ob miſericordiam hîc exercitam. Miſericordia hæc eſt, quâ ego miſeris & famelicis meis diſcipulis permiſi vellicare ſpicas in Sabbato: item ea, quam ipſis inſtillo & inculco tam verbo, quàm exemplo: itaque eos præparo, vt miſereantur tot miſerarum animarum pereuntium, earumque ſalutem docendo, monendo, orando omni curâ & ſtudio procurent. Huc pertinet aurea Simeonis Iuſti (quem Hebræi cenſent illum eſſe, qui Chriſtum in vlnas ſuſcepit, cygnæum canens: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine*, &c.) gnome in *Pirke Auoth* hoc eſt, in *ſententijs Patrum*: *Mundus tribus rebus incumbit & ſuſtentatur; primò, lege; ſecundò, cultu diuino; tertiò, miſericordia*. Porrò Arabicus poſteriorem partem legit in ſingulari, *Non iudicaretis ſuper eum, cui non eſt peccatum*, id eſt, non iudicaretis me innocentem, qui hæc Apoſtolis permiſi. Eſt hæc tertia apologiæ Chriſti pro diſcipulis ratio. Sequitur quarta.

*Tribus mundus fulcitur.*

VERS. 8. Luc. 6. v. 5. Mar. 2. 28. DOMINVS EST ENIM FILIVS HOMINIS, ETIAM SABBATI] q. d. Ego qui per naturam ſum filius Dei, & per dignationem factus ſum filius hominis, id eſt, homo; hoc ipſo ſum Dominus, id eſt, auctor & legiſlator totius legis Moſaicæ, ac conſequenter & Sabbati: ergo in ea diſpenſare poſſum cum meis diſcipulis. Quintam rationem addit Marcus cap. 2. v. 27. *Sabbatum*, inquit, *propter hominem factum, & non homo propter Sabbatum*; de quo ibi.

VERS. 9. ET CVM INDE TRANSISSET, VENIT IN SYNAGOGAM EORVM] Addit Lucas cap. 6. verſ. 6. hoc factum altero Sabbato. Diem enim Sabbati ſtudio ad nouum miraculum captauit Chriſtus, vt hunc errorem Scribarum, ſcilicet Sabbato non licere ægros ſanare, iterùm iterumque confutaret. Tam chara fuit illi veritas, liberaque veritatis prædicatio, vt eam vbique captarit, etiamſi ſciret propterea Scribas, ſibi machinaturos mortem, ideoque ſibi in cruce, eſſe moriendum.



VERS. 10. Luc. 6. 6. 7. Mar. 3. 1. 2. ET ECCE HOMO HABENS MANVM (*dextram* vt habet Lucas) ARIDAM (Syrus, *cuius manus aruerat*) ET INTERROGABANT EVM, DICENTES: SI LICET SABBATIS CVRARE? VT ACCVSARENT EVM] Addit S. Hieronymus: *Euangelio, quo vtuntur Nazareni & Ebionitæ (quod nuper in Græcum de Hebræo ſermone tranſtulimus, & quod vocatur à pleriſq; Matthæi authenticum) homo ille, qui aridam habet manum, cœmentarius ſcribitur, iſtiuſmodi vocibus auxilium precans: Cœmentarius eram, manibus victum quæritans: precor te Ieſu, vt mihi reſtituas ſanitatem, ne turpiter mendicem cibos*. Sub manu intellige brachium: χεὶρ, enim id eſt manus, Hippocrati à ſcapulis ad digitos protenditur; brachium ergo hoc laborat duplici morbo; primò, conuulſione neruorum; ſecundò, atrophiâ, ob defectum enim alimenti exaruerat; ideoque naturaliter erat incurabile, vti oſtendit Gulielmus Ader medicus libr. de Ægrotis Euangelij cap. 11.

Porrò manus eſt organum tam nobile, vt Deus ſoli homini manus, dederit exporrectas, belluis denegatas, quibus facilè proſequatur quæcumque mens iuſſerit. Ita Galenus libr. 1. de Vſu partium.

ET INTERROGABANT EVM] ſcilicet Chriſtum Scribæ & Phariſæi, an liceret ægrum in Sabbato curare? Deinde, vt narrat Marcus ca. 3. verſ. 4. & Lucas cap. 6. v. 9. Chriſtus viciſſim interrogauit Scribas aliam quęſtionem, quę interrogationem eorum ſolueret, ſcilicet an liceret Sabbato *benefacere*, & manum aridam curare; *an malefacere*, id eſt, non curare, & nocere: tacitè ſignificans, miſero non benefacere, cùm poſſis, eſſe illi malefacere; & animam ſiue vitam non ſeruare cùm poſſis, eſſe illam perdere: ac proinde, cùm hoc lege naturę permiſſum, imò iuſſum ſit, non eſſe vetitum lege poſitiua Sabbati: hoc enim eſſet irrationale; ſi lex poſitiua vetaret beneficentiam in Sabbato iure naturæ permiſſam, aut præciperet maleficentiam & noxam, iure naturæ vetitam.

VT ACCVSARENT EVM] apud vulgus quaſi impotentem vel immiſericordem, ſi ægram non curaret; ſin curaret, quaſi Sabbati violatorem & ſacrilegum, apud Pontificem & Principes ſacerdotum.

VERS. 11. IPSE AVTEM DIXIT ILLIS: QVIS ERIT EX VOBIS HOMO, QVI HABEAT OVEM VNAM; ET SI CECIDERIT HÆC SABBATIS IN FOVEAM, NONNE TENEBIT ET LEVABIT EAM] q. d. Vos Scribæ docetis non violari Sabbatum, ſi quis ouem lapſam in foſſam Sabbato apprehendat & extrahat, ne ouicula totâ die Sabbati cogatur in foſſa manere, eſurire, & incōmodè habere. Ergo multò magis licet Sabbato hominem ægrum & afflictum ægritudine ſua leuare & ſanare. Ita ſentiebant Scribæ tempore Chriſti, & iam nonnulli Iudęi ita ſuperſtitioſè quietem in Sabbato obſeruant, vt eo die nec hominem in cloacam aut latrinā lapſum extrahere velint, nec lapſi ipſi extrahi ſe permittant. Lepidū eſt quod narrat Volaterranus lib. 3. Geograph. ſub finem. Tempore Henrici III. Regis Angliæ, inquit, qui regnare cœpit anno Domini 1208. Iudęus quidā Terksbuti in Anglia in cloacam lapſus Sabbato, ob diei religionem extrahi noluit. Id videns comes loci chriſtianus, nec in ſequenti die eum extrahi permiſit ob Dominicæ reuerentiam: quare ille, antequam extraheretur, extinctus & ſuffocatus eſt. Dicebat enim:

*Superſtitioſa Sabbati Iudaici obſeruatio.*

*Lepidum Iudæi in cloacam, lapſi exemplum.*

*Sabbatha ſancta colo, de ſtercore ſurgere nolo.*

Cui viciſſim comes:

*Sabbatha noſtra* (Chriſtiana, putà Dominicam)
*quidem Salomon celebrabis ibidem.*

VERS. 12. Luc. 9. 10. Mar. 3. 5. QVANTO MAGIS (Græcè *quanto igitur*) MELIOR (præſtantior, dignior, nobilior) EST HOMO OVE? ITAQVE LICET SABBATIS BENEFACERE] Arabicus: *Itaq; licet operatio boni in Sabbatis*. Si licet ouem ærumna ſua leuare Sabbato, cur non hominem? præſertim cùm in ouis leuatione magno multorum molimine, labore, tempore, funibus, vel ſcalis opus ſit, Chriſtus verò in inſtanti ſolo verbo vel iuſſu, ſine pharmacis hominem ægrum curaturus eſſet? Quodnam hîc eſt opus ſeruile? Quare id vetare ſtolidum, ferum, barbarum eſt. Vnde addit Marcus: *Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam.*

VERS. 13. Luc. 6. 10. Mar. 3. 5. TVNC AIT HOMINI: EXTENDE MANVM TVAM; ET EXTENDIT (Chriſto imperante & dante ei virtutem) ET RESTITVTA EST SANITATI SICVT ALTERA] Syrus *ſicut ſocia eius*. Chriſtus prius ratione, nunc facto, ſcilicet miraculo confutat Scribarum inſcitiam & inuidiam, ſuamque ſapientiam & beneficentiam toti populo teſtatam facit, & illuſtrem reddit. Audi S. Athanaſium homil. de Semente, quæ extat ſub finem tom. 1. *Tum dixit illi Ieſus: Extende manū tuam; nam ego te non tango, ne habeant Iudæi quod calūnientur, ne attingere, illis, idem ſit quod operari; verbo tantummodò ago. Non enim prohibitum eſt à Deo, ne quis in Sabbato loquatur. Quod ſi autem verbum opus efficiat, admirationi ſit ille, qui hoc verbum dixit: Extende manum tuam. Vide iam mihi diſcrimen facti. Petrus in ſpecioſa porta paralyticū ſanans, apprehenſa eius dextra, illum erexit: Dominus contra tantùm iubet: Extende manū tuam; tibi do vim & efficaciam ſanitatis; & verbis iubendo, hanc poteſtatem tibi inſero. Extende manum tuam. Sic ille dixit, ſic iſte fecit, & reſtituta eſt ipſa manus.*

*Allegor.* Allegoricè Primò Beda: Adam, inquit, carpens pomum vetitum, manum humani generis arefecit, id eſt, potentiam operationemque hominis fœcunditate boni operis priuauit; at Chriſtus eam reſtituit, extendens manus ſuas in cruce.

Secundò S. Hieronymus: *Vſque ad aduentum Saluatoris*, inquit, *arida manus in ſynagoga fuit Iudæorum, & Dei opera non fiebant in ea: poſtquam ille venit in terras, reddita eſt in Apoſtolis credentibus dextera, & operi priſtino reſtituta.*

*Tropolog.* Tropologicè in Synagoga & congregatione doctorum, vbi maior eſt ſcientia, manum dexteram habet aridam, qui eam ad Deum per orationem, ad proximum per miſericordiam, ad ſeipſum per bona opera, quibus ſibi merita & præmia in cælis accumulet, non extendit. Ita S. Athanaſius homil. iam citatâ, Beda, Euthymius, Theophyl. Manum ergo, quam torpefacit acedia, contraxit auaritia, arefecit inertia, Chriſtus ſuâ gratiâ facit, vt extendat alacritas, dilatet libe-

liberalitas, vegetet zelus & feruor ad omne bonum opus exequendum. Audi S. Anſelmum: *Sananda manus arida iubetur extendi, quia infructuoſæ animæ debilitas nullo meliùs ordine, quam eleemoſynæ largitate curatur. Vnde Ioannes Baptiſta turbis ſciſcitãtibus, quid facerent, vt non velut arbores aridæ mitterentur in ignem, hoc ſolùm præcipit. Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Luc. 3. v. 11. *Et in Eccleſiaſt. dicitur: Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.* Eccleſ. 4, v. 36. *Fruſtra enim manus ad Deum pro peccatis rogaturus expandit, qui non has ad inopem rogantem beneficium laturus extendit.*

VERS. 14. Luc. 6. 11 Mar. 3. 6. EXEVNTES (è Synagoga, relictâ turbâ apud quam mutire non audebant confuſi, ait Franc. Lucas) AVTEM PHARISÆI CONSILIVM FACIEBANT ADVERSVS EVM, QVOMODO PER-
B
DERENT id eſt, occiderent) EVM] Magna fuit hæc Phariſæorum inuidia, ingratitudo & malitia, auctori vitę machinari necem: vt quia ipſe tot ægris ſanitatem reſtituebat, mortem illi rependerent.

VERS. 15. Mar. 3. v. 7. 8. 10. IESVS AVTEM SCIENS (virtute diuinâ cognoſcens arcana eorum contra ſe conſilia) RECESSIT INDE, ET SECVTI SVNT EVM MVLTI, ET CVRAVIT EOS OMNES] qui ſcilicet ægri erant, & ſanatione egebant, quos multos fuiſſe, ait Marcus ca. 3. 10. Vbique ſuam potentiam & beneficentiam commendat Chriſtus. Sicut enim ſolis eſt illuminare omnes, qui obicem non ponunt; ſic Chriſti & Chriſtiani eſt benefacere omnibus, qui beneficium poſcunt.

VERS. 16. Mar. 3. 12. ET PRÆCEPIT EIS, NE MANIFESTVM EVM FACERENT] Græcè ἐπετίμησε, id eſt, increpauit, comminatus eſt, cum minis pręcepit, ne diuulga-
C
rent miracula ab eo patrata, tum ne Scribas offenderent, & ad maiorem inuidiam iramque concitaret; tum vt oſtenderet, quàm remotus eſſet à captandâ hominum gloria.

VERS. 17. VT ADIMPLERETVR, QVOD DICTVM EST PER ISAIAM PROPHETAM DICENTEM] c. 42. v. 1.

VERS. 18. ECCE PVER MEVS (*Meſſias*, ait Chaldæus) QVEM ELEGI, DILECTVS MEVS, IN QVO COMPLACVIT ANIMÆ MEÆ. PONAM SPIRITVM MEVM SVPER EVM] Dona Spiritus ſancti illi indam in eius conceptione, *Puer meus.* Hebr. עַבְדִּי *abdi*, id eſt, ſeruus meus: vnde patet Iſaiam loqui de Chriſto, non quà Deus eſt, ſed quà homo: ſic enim eſt ſeruus Dei.

Probat, Chriſtum reipsâ docendo & ſanando ægros impleſſe Iſaiæ de ſe, ſuaque modeſtia, mi-
D
ſericordia, & æquitate vaticinium; ac proinde ipſum eſſe Meſſiam ab Iſaia prædictum, & hiſce dotibus ceu notis & indicijs inſignitum. Pro *quē elegi*, Hebr. eſt: *Suſcipiam eum*, Sept. *aſſumam eum.* Chald. *admonebo eum.*

ET IVDICIVM GENTIBVS PROFERET] *Iudicium*, id eſt id quod iuſtum & ęquū eſt: hoc enim rectorum iudicum eſt iudicium, q. d. Chriſtus quaſi legiſlator legem Euangelicam iuſtiſſimam rectiſſimam & ſanctiſſimam non ſolis Iudæis, vt Moſes, ſed omnibus omnino gentibus per Apoſtolos euangelizabit.

VERS. 19. NON CONTENDET, NEQVE CLAMABIT, NEQVE AVDIET ALIQVIS IN PLATEIS VOCEM EIVS] Notatur Chriſti manſuetudo & manſuetus placiduſque & lenis docendi modus. Et hac de
A
cauſa hoc Iſaiæ teſtimonium profert Matthęus.

ARVNDINEM QVASSATAM NON CONFRINGET, ET LINVM FVMIGANS NON EXTINGVET] VERS. 20. Syrus & Arabicus: *Et lucernam ad extinctionem tendentem non extinguet.* Eſt geminum prouerbium, idem ſignificans, ſcilicet Chriſtum infirmos & debiles in fide, ſpe, & charitate non contentioſè cum clamoribus increpiturum & oppreſſurum, ſed ſua manſuetudine, lenitate & patientiâ magis roboraturum & accenſurum. Ita S. Hilarius & S. Hieronymus: omnia enim hæc commendant admirabilem & diuinam Chriſti manſuetudinem. Audi Patres, S. Hieronymus: *Qui peccatori non porrigit manum, nec portat onus fratris, quaſſatum calamum confringit: qui ſcintillam fidei contemnit in paruulis, lignum extinguit fumigans.*
B
*S.* Auguſtinus 20. de Ciuitat. cap. 30. *Perſecutores Chriſti perditâ integritate, quaſſato calamo, & amiſſo lumine, lino fumanti comparantur, quibus pepercit, quia non venit iudicare:* S. Hilarius: *Oſtendit ſe poſſe eos facilè frangere, vt arundinem contritam, & eorum furorem extinguere.* Rabanus: *Quaſſatæ gentes non ſunt contritæ, ſed in ſalute reſeruatæ, nec Iudæi à vento agitati condẽnati ſtatim, ſed ſupportati patienter. Gẽtes quę extincto naturalis legis ardore fumi amariſſimi, & oculis noxij, tenebroſæq; caligini, inuoluebantur erroribus, à Chriſto ſunt in maxima incendia ſuſcitati.*

DONEC EIICIAT AD IVDICIVM VICTORIAM] id eſt, donec perducat *iudicium*, id eſt, iuſtitiam, ſiue fidem & ſanctitatem Euangelicam *ad victoriam*, vt illa ſcilicet toto orbe dominetur. Vnde Noſter in Iſaia vertit; *Ponet* ipſe, quaſi Dominus & victor, *in terra iudicium*, ſcilicet quaſi reginam & dominam omnibus imperantem. Hebr.
C
eſt: *Proferet iudicium ad veritatem*, id eſt proferet iudicium verum.

ET IN NOMINE EIVS GENTES SPERABVNT] VERS. 21. Pro *Gentes*; Hebr. eſt *Inſulæ*, q. d. Gentes remotiſſimæ in Inſulis habitantes, omnes ſpes ſuas collocabunt in Chriſto Saluatore. Fuſiùs hęc omnia explicui Iſaiæ 42. 1. Vide ibi dicta.

TVNC OBLATVS EST EI DÆMONIVM HABENS, CÆCVS ET MVTVS, ET CVRAVIT EVM, VERS. 22. Luc. 11. 14. ITA VT LOQVERETVR ET VIDERET] Lucas cap. 11. v. 14. tantùm dicit fuiſſe mutum (vnde S. Aug. lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 37. opinatur Lucam de alio dæmoniaco loqui) ſed non negat fuiſſe & cæcum, quod aſſerit hîc Matthæus. Fuit autem non à natiuitate, aut ex morbo cæcus & mutus, vt vult Abulenſis hîc qu. 50.
D
& Barradius, ſed à dæmone eum poſſidente oculorum & aurium vſu priuatus. Dæmon ergo non eum excæcauerat, nec facultatem loquendi ei ademerat, ſed tantùm oculorum & linguæ exercitium vſumque impediebat; vnde dæmone eiecto, ſine alia operatione vel miraculo, ſtatim cœpit loqui & videre. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, Lyranus, Ianſenius, Maldonatus. Audi S. Chryſoſtomum: *O peſtiferam dæmonis aſtutiam! vtramque viam occupauit atque obſtruxit, quibus ille erat crediturus: viſum atque auditum.* Hinc S. Lucas ait: *Illud* (dæmonium) *erat mutum*, ſcilicet effectiuè, quia hominem à ſe poſſeſſum efficiebat mutum: vnde & ipſe dæmon licet interrogatus vel adiuratus, per os eius non loquebatur, nec reſpondebat, quaſi fuiſſet elinguis & mutus, qui aliàs ſolet eſſe loquax, & lo- quaces



quaces facere, quia in loquacitate multa committuntur peccata. Fuit ergo propriè & per ſe vnū tantùm miraculum, ſcilicet eiectio dæmonis; conſequenter tamen & in effectu fuit triplex. Nam, vt ait S. Hieronymus: *Tria ſigna ſimul in vno homine perpetrata ſunt; cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur.*

Tropolog. Tropologicè S. Hieron. *Quod tunc*, inquit, *carnaliter factum eſt, quotidiè completur in conuerſione credentium, vt expulſo dæmone primum fidei lumẽ aſpiciant, deinde in laudes Dei tacentia priùs ora laxentur.* Et S. Hilarius: *Non autem ſine ratione, cùm turbas omnes curatas in communi dixiſſet, nunc ſeorſim dæmonium habens, cæcus, & mutus offertur. Oportebat enim vt poſtquã manus aridæ homo oblatus eſt, qui in ſynagoga curabatur, in vnius huiuſmodi hominis forma gen-*
B
*tium ſalus fieret: vt qui erat habitatio dæmonij, & cęcus, & mutus, Deo capax pararetur, & Deum contineret in Chriſto, & Chriſti opera Dei confeſſione laudaret.* S. Auguſt. *Dęmonium enim habens, cæcus & mutus eſt, qui non credit, & ſubditus eſt diabolo, qui non intelligit, & non confitetur ipſam fidẽ, vel qui non dat laudem Deo.* Hęc Aug. lib. 1. quæſt. Euang. quæſt. 3. Dæmon ergo facit homines mutos, ne peccata confiteantur, ſicque venenum expuant; ne laudent Deum; ne proximos doceant vel corripiant: ſed Chriſtus ſuâ gratiâ laxat ora ad confitendum, laudandum, docendum & monendum, quando oportet. Sapienter S. Bernardus in Sententijs: *Cur, ait, te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? aut cur erubeſcis Deo confiteri, cuius oculis non potes abſcondi? quod ſi fortè pudor eſt tibi, vni homini, & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus expoſita tua conſcientia patebit?*
C
Porrò contigit hęc hiſtoria, vt & ea, quæ narrat Matthæus cap. 13. ante miſſionem Apoſtolorum: nam quæ c. 14. narrat, ſtatim à reditu Apoſtolorum ad Chriſtum contigiſſe, liquet ex Marco & Luca. Ita Ianſenius, Franc. Lucas, & alij. Maldonatus tamen & Barradius aiunt non eſſe neceſſe facilem hîc hiſtoriæ ordinem inuertere & turbare, præſertim cùm Patres eum ſeruent, vt patebit v. 27. ſed Patres rei & hiſtoriæ intenti, de ordine parum ſunt ſolliciti.

VERS. 23. Luc. 11. 14. ET STVPEBANT OMNES TVRBÆ, ET DICEBANT: NVMQVID HIC EST FILIVS DAVID?] Græcè ἐξίσταντο, id eſt, admirabantur attoniti, ita vt extra ſe in extaſin quaſi raperentur, viſis tot tantiſque Chriſti miraculis; vnde dicebant: Nullus Propheta tot tantaque fecit prodigia,
D
quanta fecit Ieſus. Ergo ijs omnibus eſt maior, ac conſequenter ipſe filius Dauid, id eſt, Meſſias Dauidi promiſſus, quaſi filius ex eius ſemine naſciturus, quem omnes auidè expectamus, ſit oportet.

VERS. 24. Luc. 11. 15. Mar. 3. 22. PHARISÆI AVDIENTES DIXERVNT: HIC NON EIICIT DÆMONIA, NISI IN BEELZEBVB PRINCIPE DÆMONIORVM] Phariſæi inuidiâ & odio Chriſti excęcati, quia miracula eius tã clara & teſtata negare non poterant, calumniantur illa magica eſſe, nec à Deo, ſed à Beelzebub patrari. Faciunt ergo Chriſtum magum, qui dęmonem habeat familiarem, cuius vi mira efficiat. Quis fuerit Beelzebub, dixi ca. 10. 25.

VERS. 25. Luc. 11. 17. Mar. 3. 24. 25. IESVS AVTEM SCIENS COGITATIONES (multò magis blaſphema verba, quæ contra Chriſtum abſentem in circulis dixerunt v. 24.)
A
EORVM, DIXIT EIS: OMNE REGNVM DIVISVM CONTRA SE, DESOLABITVR; ET OMNIS CIVITAS VEL DOMVS DIVISA CONTRA SE, NON STABIT] q. d, Omne regnum, imò omnis vrbs & domus, cuius incolæ mutuis diſſidijs contra ſe inuicem pugnant, ſtare nequit, ſed citò inteſtina ſeditione & bello euertetur: *Vti concordiâ res paruæ creſcunt, ita diſcordiâ maximæ dilabũtur*, ait S. Hieronymus. Concordia enim eſt quaſi calx, quæ partes domus vnit & conglutinat: tolle calcem, lapides dilabentur, & corruet tota domus: tolle concordiam, diffluent ciues, & diſcordes ſe inuicem perimont. Centrum vnit in ſe omnes lineas circuli diametrales: tolle centrum, omnes illę diffluent. Centrum vrbis, domus, & collegij eſt vnio & concordia. Ita Romanum imperium per- *Concordia eſt calx vrbis.*
B
didit diſcordia, cùm populus in magiſtratū, milites contra ſenatum, ſenatus in ſe diuiſus contra ſeipſum pugnauit. Lege Liuium, Lucanum, & alios de Ciuilibus bellis, pręſertim Iulij Cęſaris & Pompeij.

ET SI SATANAS SATANAM EIICIT, ADVERSVS SE DIVISVS EST: QVOMODO ERGO STABIT REGNVM EIVS?] VERS. 26. Luc. 11. 18. Mar. 3. 26. q. d. Stare nequiret regnum ſatanæ in terra, ſi ſatanas, id eſt, dæmon vnus aſſiduè contra alterum hoſtiliter inſurgeret, & aduerſo Marte depugnaret, vt ſuperior inferiorem, vel inferior ſuperiorem ex hominibus (in quibus dæmones, adeò regnare, regnumque ſuum ſtabilire appetunt) continuò eijceret, vti vos, ô Scribę, videtis me continuò & aſſiduè, hoſtiliter, & aduerſa fronte perſequi dæmones, eoſq; ex mentibus & corporibus hominum expellere; Ergo non ope Beelzebub, vt vos dicitis,
C
ſed virtute Dei illos eijcio. Neque enim Beelzebub tam ſtolidus eſt, vt dæmones ſibi ſubditos inter ſe committat, vt vnus alium expellat? ſic enim ipſe regnum eorum, ſuumque deſtrueret; vnde & milites ſeditioſi, cùm ſuo rebellant principi, ſummè inter ſe vniuntur & conſentiũt, quia ſciunt, ſi diſſentiant, ſe à principe facilè occupandos & euertendos fore. Dixi *hoſtiliter*: nam Apollonius Thyanæus teſte Philoſtrato in eius vita, & magi ſubinde dæmones eijciunt, ſed ex compoſita colluſione, vt homines ad magos, & magiam, id eſt ſocietatem cum dæmone, pertrahãt: nullam autem ſocietatem ſe cum dæmone habere probat Chriſtus in ſeq. Dixi *aſſiduè*: nam ſubinde lis & pugna inter ipſos dęmones de homine poſſidendo oritur. Narrauit mihi Romæ *Apollonius eiecit dæmones per magiam.*
D
ſacerdos ſenex fide dignus, qui per plures annos officio exorciſtæ functus fuerat, dæmoneſq; expulerat, ſe ſuis oculis vidiſſe, & ſuis auribus audiuiſſe, duos à dæmonibus poſſeſſos, in templo S. Matthęi inter ſe contendentes & decertantes. Dæmon enim poſſidens vnum erat altioris ordinis, & ſuperior altero; hic alterum, quaſi ſe inferiorem, ex homine, quem poſſidebat, eijcere volebat. Sed aduerſa fronte reſtitit inferior, variaque in ſuperiorem probra coniecit, & inter alia dixit. Tu es dæmon infernalis, ac iuſto Dei iudicio in inferno relegatus, longè grauiùs puniris, quàm ego, qui non ſum dæmon infernalis, ſed in hoc aëre verſari permittor, quia nõ rebellaui Deo vt tu, ſed Lucifero, quaſi ſubditus ſuperiori meo nudè dumtaxat adhæſi, & conſenſi. Sed hæc perrara ſunt, & tandem in pacem deſinunt, vti hi duo inter ſe contendentes, paulò pòſt *Dæmon ſuperior eijcit inferiorem ſed raro.*

pòſt poſuêre lites, quieuerunt, & tacuerunt. Licèt enim damnati & dęmones ardeant ſuperbiâ, ira & odio contra ſe inuicem, & ringantur rixẽturque in inferno vt canes; tamen in terra, vt regnum ſuum dominatumq; in homines ſtabiliãt, inter ſe conſentiant oportet.

Vers. 27. Luc. 11. 19. Et si ego in Beelzebvb eiicio dæmones, filii vestri in qvo eiicivnt? Ideo ipsi ivdices vestri ervnt] Eſt hoc ſecundũ Chriſti argumentum quo probat ſe ope Dei, nõ ſatanæ eijcere dęmones. Per filios veſtros primò. S. Hilarius, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius accipiunt veſtros Apoſtolos, qui erãt filij Iudæorum. Cenſent enim ipſi hæc contigiſſe poſt miſſionem Apoſtolorum factam à Chriſto, in qua Apoſtoli ope Chriſti dęmonia expulerunt, & miracula plura patrarunt. Verùm quia verius eſt, vt dixi v. 22. hæc contigiſſe ante miſſionem Apoſtolorum, hinc meliùs per filios accipias exorciſtas Iudæorum, qui arte à Salomone tradita, teſte Ioſepho lib. 8. ca. 2. expellebant dæmones, quales fuêre ſeptem filij Scenæ principis ſacerdotum. Actor. 19. 14. Ita Ianſenius, Toletus, Franc. Lucas, & alij.

Ideo ipsi ivdices vestri ervnt] q.d. Ideo in die iudicij ipſi vos ſuo facto & exemplo condemnabunt; quòd tam peruerſum de ipſis & me iudicium tuleritis, ſcilicet quòd iudicaueritis ipſos ope Dei expuliſſe dæmones, me autem ope diaboli, cùm tamen longè maiora præſentiæ & operationis Dei in me indicia videritis, quàm in veſtris exorciſtis. Quis enim eorum tot ægros ſanauit, tot mortuos ſuſcitauit, quot ego ſanaui & ſuſcitaui? Quis eorum tam ſublimem & diuinã doctrinam prædicauit, ſicut ego prædico? quis eorum tam puram & ſanctam vitam egit ſicut ego ago? Sic regina Saba & Niniuitæ ipſo facto id eſt, ſua fide & pœnitentia in die iudicij condemnabunt Iudæos Chriſto incredulos & impœnitentes v. 41. & 42.

Vers. 28. Luc. 11. 20. Si avtem ego in spiritv Dei eiicio dæmones, igitvr pervenit in vos regnvm Dei] q.d. Si ego virtute Dei & Spiritus ſancti, non Beelzebub, expello dæmones, vti iam probaui; ergo verum eſt, & ipſe Spiritus ſanctus miraculoſo ſuo ad mea miracula & expulſionẽ dæmonũ concurſu apertè teſtatur verum eſſe, quòd ego & Ioannes Baptiſta caput & ſummam prædicationis noſtræ poſuimus, ſcilicet: *Appropinquauit regnum cælorum.* Videtis enim dęmonis regnũ paſſim per me, & verbis, & factis in corporibus & animabus hominum deſtrui, ſicque inchoari regnum Dei per gratiam, quod in cælo perficietur, vbi Deus in Sãctis regnat per gloriam. Hoc eſt, quod ait Ioannes epiſt. 1. cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.* Nã vt ait S. Leo ſer. 10. de Paſſione: *Claui illi qui manus Domini: pedeſq; transfoderunt perpetuis diabolum fixêre vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio poteſtatum.*

Vers. 29. Luc. 11. v. 21. 22. Mar. 3. 27. Avt qvomodo potest qvisqvam intrare in domvm fortis (Syrus, *ſtrenui*) et vasa eivs diripere: nisi privs alligaverit fortem. Et tvnc domvm illivs diripiet] Pro *aut*, Græcè eſt, ἢ, quod Pagninus vertit *Alioqui*; Arabicus *&*; alij *nam*; alij *an*. vt ſuperiùs dixi. Proponitur hîc noua ratio, putà tertia quâ probat Chriſtus ſe ope Dei, non Beelzebub, eijcere dæmonia, petiturque à comparatis. q.d. Sicut qui inuadit arcem vel domum alicuius fortis, vel potẽtis viri, vel tyranni. v.g. Samſonis, aut Herculis, vt eam expoliet, id facere nequit, niſi ipſum herum fortem prius domet & alliget; alioqui enim ipſe ſua defendet, & ſpoliũ armatâ manu prohibebit: ſic pariter ego Chriſtus, qui ſatanæ regnũ expolio, dum peccatores illi ſubditos ad pœnitentiam & ſalutem traduco, neceſſe eſt, vt ſatanã ipſum domuerim & alligarim; alioqui enim ipſe non ferret hoc ſpolium à me fieri: hoſtis ergo mihi, & à me domitus eſt ſatanas, nõ amicus, non ſocius in eiectione dęmonum, vt vos calumniamini. Fortis ergo hîc eſt diabolus: domus eſt mundus; vaſa ſunt arma; inſtrumenta ſuppellex: arma diaboli ſunt artes, fraudes, illecebræ, quibus homines allicit ad vitia vti ſunt opes, honores, voluptates: item dęmones inferiores, & impij homines, ait S. Chryſoſtomus, quibus diabolus vtitur contra nos, vt nos tentet & vexet. Suppellex ſunt peccatorum animæ, & corpora à dæmone poſſeſſa; item Patrum animę in limbo ante Chriſtum detentæ: hæc omnia diripuit & eripuit illi Chriſtus, alligato in gehenna diabolo; vnde Lucas c. 11. 21, *vaſa* exponit *arma & ſpolia.*

Porrò diabolus hîc vocatur *fortis*, quia inſtar leonis rugientis circuit quærens quẽ deuoret, ait S. Petrus; vnde eius robur & fortitudinẽ depingit Iob c. 40. & 41. ſub ſpecie Behemoth & Leuiathan. Diabolus hîc & alibi vocatur caput, & princeps malignorum ſpirituum, qui eos in mũdum immittit, vt eum ſibi ſubijciat. *Fortem* ergo accipe Luciferum, qui eſt princeps dæmonum, ideoq; antagoniſta Chriſti, & S. Michaelis. Lucifer enim à Chriſto in cruce victus detruſus eſt in tartara, vt ibi perſonaliter degat ligatus vſque ad diem iudicij; tum enim ad modicum tempus ſoluetur, vti ait Ioan. Apocal. 20. 2. & ſequen. itaque docet S. Gregorius, Ambroſius, Lactantius, Andreas Cretenſis, Viegas & Ribera, quos ibidẽ citaui, ac Franc. Suarez. lib. 8. de Angelis cap. 17. num. 8. Lucifer enim in Scriptura vocatur draco, ſerpens antiquus, diabolus, ſatanas per antonomaſiam. Porrò ita ligatus eſt Lucifer in inferno, vt nõ tantùm per ſe exire non poſſit, ſed etiam per ſuos dæmones, quos in terram emittit, non tantum hominibus nocere poſſit, quantum anteà, Chriſtus enim eorum vires & facultates valdè reſtrinxit, minuit & arctauit, vti ipſe hîc & Apocal. 20. 2. alibique ſignificat. Vide dicta Apoc. 20. 2. Idipſum edoctus per longam experientiam S. Antonius, teſte Athanaſio, in eius vita cap. 6. & ſeq. prolixè edocet: *Diabolus*, inquit, *hamo crucis, vt draco aduncatus à Domino eſt, & capiſtro ligatus, & quaſi mancipium fugitiuum vinctus, circulo & labia armillâ perforatus nullum omnino fidelium deuorare permittitur. Nunc miſerabilis vt paſſer ad ludum irretitus à Chriſto eſt; nunc comites ſuos quaſi ſcorpiones & ſerpentes calcaneo Chriſtianorum ſubſtratos gemit. Ille qui vniuerſa maria à ſe deleta plaudebat; ille qui orbem terrarum manu ſuâ teneri pollicebatur, ecce à vobis vincitur, ecce me aduerſum ſe prohibere non poteſt diſputantem.* Et cap.

*Lucifer ligatus à Chriſto.*

*Exemplum S. Antonij.*



cap. 20. idipſum ex confeſſione diaboli confirmat: *Vidi*, inquit, *hominem enormi ſublimitate, porrectum caput vſque ad cælum. Cùm ab hoc, quiſnam eſſet, inquirerem, ait: Ego ſum ſatanas. Et ego: Quid, inquam, hîc quæris? Reſpondit: Cur mihi fruſtrà imputant monachi? Cur mihi omnes Chriſtianorum populi maledicũt? At ego: iuſtè faciunt; tuis enim frequenter moleſtãtur inſidijs. At ille ait: Nihil ego facio, ſed ipſi ſe inuicẽ turbãt. Nam ego miſerabilis factus ſum. Rogo, nõnne legiſti: Quia defecerunt inimici frameæ in finẽ, & ciuitates eorum deſtruxiſti? Ex nullum iam habeo locum, nullam poſſideo ciuitatem, iam mihi nulla ſunt arma: per omnes nationes cunctaſq; prouincias Chriſti perſonat nomen, ſolitudineſq; monachorum ſtipantur choris. Ipſi ſe, quæſo, tueantur, & me ſine cauſa non lacerent.* Subdit diabolum inertibus tantùm pręualere: *Nam quales*, inquit, *nos & noſtras repererint cogitationes, tales ſe nobis præſtare cõſueuerunt. Et ſi quid in pectoribus malæ mẽtis & pauoris ſemẽ inuenerint, quaſi latrones, qui deſerta obtinent loca cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam.* Vnde concludit: *Vna eſt ergo ratio vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis & animæ ſemper dominum cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quaſi fumum expellens, perſequetur aduerſarios potiùs, quàm timebit.*

Vers. 30. Luc. 11. 23. Qvi non est mecvm, contra me est: et qvi non congregat mecvm, spargit] Primò, S. Hilarius, S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius & Toletus in Lucę cap. 12. v. 23. de forti, id eſt diabolo, exponunt. q.d. Diabolus adeò mecum non eſt, vt cõtra me ſit: & ea, quæ ego congrego, diſpergere conetur. Eſt ergo hîc nouum, quartumq; Chriſti contra Scribas argumentum, eſtq; tale: Quorum opera ſunt contraria, illi ſunt contrarij: at mea & diaboli opera ſunt contraria; ergo ego & ipſe ſumus contrarij: nam, vt ait S. Hieronymus: *Ille* (diabolus) *cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare; ille prædicat idola, hic vnius Dei notitiam: ille trahit ad vitia; hic ad virtutes reuocat. Quomodo ergo poſſunt inter ſe habere concordiam, quorum opera diuerſa ſunt?*

Secundò, ſimpliciùs cum S. Chryſoſtomo & Theophylacto hęc generatim accipias, propriéque applices Phariſæis. q.d. Sicut cùm in regno vel vrbe oritur ſeditio, & vna pars in aliam inſurgit, vt maligni homines rempublicam occupare & ſpoliare conentur, vti fecit Romæ Catilina cũ ſuis coniuratis; tunc neceſſe eſt, vt probi ciues rempublicam defendant, adeoque qui id non facit, ſed neutralis eſſe vult, cenſetur eſſe hoſtis & ſocius ſeditioſorum illam impugnantium: quia illo caſu ciues omnes ciuitatem & rempublicam omni ſtudio & vi propugnare tenentur: ſic pariter ego, qui vniuerſale bellum ſatanæ indixi, vt eum mundi imperio, quod ipſe tyrannicè occupauit, depellam; omnes homines, velut mundi ciues, vtpote mihi quaſi legitimo principi ſubditos & obſtrictos, qui mecũ in hoc bello nõ ſunt, nec ſub me militant, mihi contrarios & hoſtes meos deputo & decerno, atque vt tales perſequar, puniam & plectam. Tales autem eſtis vos, ò Phariſæi, qui cùm primi, vtpote mei ſubditi, & quidem ceteris doctiores, me tamquam Meſſiam & Chriſtum in veſtra lege & Prophetis præſignatum, deberetis recipere, meque apud populum, vt talem, commendare, clanculùm tamen mihi aduerſamini, palàm autem diſſimulatis, quaſi iudices inquiſituri de meâ doctrina & vita. Quare vos habeo vt hoſtes mihi contrarios, & cum ſatana in mei exitium conſpirantes, quia homines quos ego colligo ad vnitatem fidei, ad charitatẽ, ad vnius Dei religionem, vos ad multiplices veſtras ceremonias, traditiones, ſuperſtitiones, errores trahitis & diſpergitis ac à me, à ſalute, à Deo auertitis, vti faciunt hæretici & ſchiſmatici, quibus appoſitè hanc gnomen adaptat S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum n. 86. & S. Ambroſius li. 2. de Pœnitentia c. 4.

Quare hæc Chriſti ſententia non eſt cõtraria illi eiuſdem Chriſti apud Lucam cap. 9. 50. *qui non eſt aduerſum vos pro vobis eſt*; ibi enim loquitur de eo, qui reipſa in doctrina cum Apoſtolis conſentit, ideoque cum ijs & pro ijs eſt, licèt id explicitè ob iuſtam cauſam nõ profiteatur, vt ibi patet.

Porrò Franc. Lucas cenſet poſteriori mẽbro huius ſententiæ idem prorſus ſignificari, quod priori, vti ſæpè fit in Pſalmis & Prouerbijs. Sic enim ipſe explicat: Chriſtus neminem pro ſuo agnoſcit, qui non integro ſinceroque animo ipſi adhęreat; diabolus omnes abſque delectu ad ſua caſtra admittit, quantumuis diuerſos atque aduerſos, modo Chriſto non faueant. Vide ſuprà cap. 6. v. 10. *Qui ergò non congregat mecum*, id eſt, non ſe aggregat mihi, non adhæret mihi; *ſpargit*; ſiue, vt habet Syrus, *ſpargendo ſpargit*, hoc eſt, omnino ſpargit, elongat ſe à me, abit in diſperſionẽ cum ſatana, aduerſarium ſe mihi conſtituit. Hæc Franc. Lucas.

Verùm aliud eſt congregare cum aliquo, aliud aggregare ſe alicui: quare prior ſenſus, quem dedi, eſt germanior.

Vers. 31. Luc 12. 10. Mar 3. 28. 29 Ideo dico vobis: Omne peccatvm et blasphemia remittetvr homini: spiritvs avtem blasphemia non remittetvr] τοῦ *ſpiritus* eſt genitiui caſus, vt patet ex Græco πνεύματος. Blaſphemia ergo ſpiritus, eſt blaſphemia contra Spiritum ſanctum, vnde Arabicus vertit: *Blaſphemia in Spiritum ſanctum*, Syrus: *Blaſphemia in Spiritum ſanctitatis.*

*Blaſphemia in Spiritum ſanctũ quæ. Prima ſententia.*

Quęres, quęnam eſt hæc? Primò, Philaſtrius in hæreſi Rhetorij cenſet eſſe hæreſim, præſertim Eunomij, qui negabat Spiritum ſanctum eſſe Deum. Sic & S. Ambroſius li. 1. de Spiritu ſancto c. 3. & Epiphan. hæreſi 50.

*Secunda.* Secundò, S. Hilarius cenſet blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe eam, quâ quis negat Chriſtum eſſe Deum: *Peccatum*, inquit, *in Spiritum ſanctum eſt, Deo virtutis poteſtatem negare, & Chriſto ſubſtantiam adimere æternitatis: per quem quia Deus in hominẽ venit, homo rurſus fiet in Deum, cùm ceteris Deus veniam largitur, hoc ſolùm extra veniam eſt.*

*Tertia.* Tertiò, S. Ambroſius libr. 2. de Pœnitentia ca. 4. cenſet eſſe ſchiſma; item ſimoniam, quâ v.g. Simon Magus pecunia volebat emere Spiritum ſanctum à S. Petro. Actor. 8.

*Quarta.* Quartò, Origenes ait eſſe omne peccatum mortale poſt baptiſmum, putà poſt gratiam Spiritus ſancti in baptiſmo acceptã, commiſſum. Porrò Gelaſius Papa de Anathematis vinculo, peccatores, qui nec in hoc, nec in futuro ſæculo abſoluuntur, eos dumtaxat intelligit, qui peccatores

*Quinã peccatores nec in hoc, nec in futuro ſæculo abſoluuntur.*

catores permanent, neque reſipiſcere volunt: Ipſe enim, inquit, in ſe inſolubilem fecit eſſe ſententiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non poteſt abſolui.

*Quintò.* Quintò, S. Cyprianus li. 3. ad Quirinum n. 28. blaſphemiã in Spiritum ſanctum, ait eſſe omne peccatum in Deum commiſſum: blaſphemiam verò in filium hominis, eſſe omne peccatum in hominem perpetratum.

*Sexto.* Sextò, idem S. Cyprianus lib. 3. epiſt. 14. blaſphemiam in Spiritum ſanctum cenſet eſſe negationem fidei in perſecutione.

*Septimo.* Septimò, Richardus de S. Victore tractat. de Blaſphemia in Spiritum ſanctum, ait eſſe odium, & conuitium Dei. Octodecim Patrum expoſitiones, ſcilicet vndecim Patrum Latinorum; & ſeptem Græcorum ſigillatim cenſet Toletus in Lucæ cap. 12. annotat. 17. quas vniuerſas ego ſeptem iam recenſitis; ſummatim complexus ſum.

*Octauò. Sex peccata in Spiritum ſanctum.* Denique Theologi (& ex ijs catechiſtę) ex varijs S. Auguſtini expoſitionibus, colligũt ſex peccata in Spiritum ſanctum, ſcilicet pręſumptionẽ, deſperationem, agnitæ veritatis impugnationem fraternæ charitatis inuidiam, impœnitentiam, & obſtinationem; hæcque dici aiunt peccata in Spiritũ ſanctum, quia fiunt ex certa malitia contra bonitatẽ Dei, quę appropriatur Spiritui ſancto: ſicut peccata, quę fiunt ex infirmitate, dicũtur fieri contra Deũ Patrem, quia illi appropriatur potentia; & quæ fiunt ex ignorantia, dicuntur fieri contra Filium, quia illi appropriatur ſapientia. Hæc vera ſunt, ſed huic loco non congruunt, ſuntque impertinentia.

*Nonò. Genuinè.* Nota ergo, Chriſtum hîc non loqui de omni peccato in Spiritum ſanctum, ſed ſolùm de blaſphemia in Spiritum ſanctum, quę verbis fit (eadẽ tamen cogitationis & operum eſt ratio) cùm ſcilicet quis calumniatur opera manifeſtè diuina & miraculoſa, ac pia & ſancta Dei, ad ſalutem hominum ab eo facta, quibus ipſe fidem & veritatẽ confirmat, vti eſt eiectio dęmonum, quæ cum ſint opera bonitatis & ſanctitatis Dei, attribuuntur Spiritui ſancto, qui ex vi proceſſionis & ſpirationis ſuæ à Patre & Filio procedit, vt amor, bonitas & ſanctitas: Cùm, inquam, quis hæc calumniatur, eaq; ſcienter ex malitia adſcribit Spiritui immũdo, putà diabolo, vt faciebant hi Phariſæi; tunc dicitur committere blaſphemiam in Spiritum ſanctum; talis enim directè iniuriatur Deo, illique adimit ſuam ſanctitatem & munditiem, quę appropriatur Spiritui ſancto, adeoque ex Deo facit diabolum. Id enim rectè hac ratiocinatione concluditur.

*Syllogiſmus Chriſti in Scribas.*

Auctor miraculorum, quæ patrat Chriſtus, iuxta vos, ô Scribæ, eſt Beelzebub:
Atqui Deus & Spiritus ſanctus reuerâ eſt auctor horum miraculorum:
Ergo ſecundùm vos, Deus & Spiritus ſanctus eſt Beelzebub.

Quo quid atrocius dici poteſt? quæ blaſphemia maior, & iniuria in Deum excogitari? Ita S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, S. Ambroſius locis citatis, S. Athanaſius tract. de Blaſphemia in Spiritum ſanctum, S. Pacianus epiſt. 1. S. Baſilius in Regul. breuior. interrog. 273. Ianſenius, Maldonatus, Toletus, Franc. Lucas, & alij paſſim. Addit S. Baſilius, tales etiamnum ſunt, qui fructus & actiones Spiritus ſancti adſcribunt contrario, ſpiritui immundo: Id quod pleriq; facimus, inquit, dum ſtrenuum appellamus ambitioſum, & ei qui iuſtâ indignatione & zelo mouetur; iracũdię calumniam impingimus; & ad eumdem modum alia iniquis adducti ſuſpicionibus; ementitis nominibus de aliquo dicimus.

Porrò opponit Chriſtus hanc blaſphemiam in Deum & Spiritum ſanctum blaſphemiæ in filiũ hominis; quâ nõnulli humanâ conuerſatione & conuictu Chriſti offenſi, facta eius humana calumniabantur, vocantes eum vini potatorem, amicum peccatorum & publicanorum, eò quòd viderent Ioannem Baptiſtã abſtemium, rigidum, auſteram & ſolitariam agere vitam: quę proinde excuſabilior erat, & minùs veniâ indigna; quia hominem tangebat, non Deum.

Non remittetur] Arabicus: *Non relaxabitur*, id eſt, difficulter & rarò remittetur & relaxabitur. Eſt enim hæc blaſphemia in Spiritum ſanctũ atrociſſima, inexcuſabilis, & plenè veniâ indigna, ac quantum eſt in ſeipſa, omnem medicinam & modum perueniendi ad remiſſionem aufert, & excludit: Opponit enim ſe directè & ex diametro Spiritui ſancto, eumque à ſe abigit; imo blaſphemat. Spiritum ſanctum, inquam, à quo ſolo abſolui, curari & ſanctificari poterat & debebat. Simili phraſi vocamus morbum incurabilem illum, qui medicinam non admittit, & cibum omnẽ reſpuit. Blaſphemus tamẽ non claudit manus Deo, quin eius ſubinde, licèt indigni, miſereatur, eumque conuertat, vti conuertit S. Paulum, qui ſe blaſphemum in Deum fuiſſe confitetur 1. Timoth. 1. 13.

*Vers. 32. Luc. 12. 10. Mar. 3. 28. 29.* Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro] idem dicit & inculcat clarioribus & grauioribus verbis. *Verbum* (aliquod iniurioſum, probroſum, blaſphemum) *remittetur ei*, remiſſibile eſt, & pœnitenti facilè remittitur. Hinc patet contra Nouatianos, lapſos quoſlibet in peccata enormia, admittendos eſſe ad pœnitentiam.

Qui autem dixerit (verbum iniurium & blaſphemum) contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro] Syrus: *Quiſquis autem in ſpiritum ſanctitatis obloquetur, non remittetur ei, nec in hoc ſæculo, nec in ſæculo futuro.*

*Error Origenis.* Hic primò damnatur Origenes, lapſis omnibus pœnitentiam, veniam, & ſalutem concedens poſt hanc vitam. Dicebat enim poſt magnum Platonis annum omnia reſtituenda fore in integrum, vt & Iudas ſaluetur, & Lucifer cum dæmonibus & damnatis cælo reſtituatur.

*Hinc purgatorium euincitur.* Secundò, S. Auguſtinus 21. Ciuit. 24. S. Gregorius 4. dialog. 39. Iſidorus, Beda, S. Bernardus, & alij apud Bellarminum libr. 2. de Purgat. cap. 4. ex hoc loco euincunt eſſe purgatorium poſt hanc vitam. Vanum enim & otioſum eſſet dicere: *Non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, ſi in futuro nullum peccatum remittitur, ſicut vanè & ineptè quis diceret, omnino non ducam vxorem, nec in hoc ſæculo, nec in futuro, cùm in futuro nulla duci poſſit vxor. Licèt enim Marcus cap. 3. 29. nudè dicat: *Non habebit remiſſionem in æternum*; tamen Matthæus diſertè & expreſsè explicat, diuiditque æternum in duas partes, ſcilicet in præſens ſæculum, & futurum. Addit Marcus, dictúmque aggrauat: *Sed reus erit æterni delicti.* Porrò mortalia peccata in purgatorio expiantur quoad pœnam dumtaxat, venialia verò quoad culpam & pœnam ſimul.



*Vers. 33. Luc. 6. 44.* Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum; aut facite arborem malam, et fructum eius malum; ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur] Arabicus: *Aut ponitis arborem bonam, & fructum eius bonum; aut arborem malam, & fructum eius malum*, &c.

*Argumentum Chriſti cornutum in Scribas.* Eſt argumentum quintum Chriſti, idque cornutum, &, vt ait S. Hieronymus ἄφυκτον, id eſt, ineuitabile. Primò & planè arbor hæc eſt Chriſtus: *facite*, id eſt ſtatuite, decernite, aſſerite, q. d. Aut me ſimul cũ operibus meis, quæ vobis laudabilia videntur, probate, & laudate; aut me tamquam arborem malam cum operibus damnate, q. d. Vos, ô Phariſæi, mea opera laudatis, & tamẽ me eorum auctorem damnatis. At ſi opera laudatis, & auctorem laudare debetis. Aut ſi hunc damnatis, & opera damnare debetis, alioqui dicitis ἀσύστατα & contraria: quare cùm opera mea non poſſitis culpare, ſed cogamini ea probare fateamini me bono ſpiritu agi. Ita S. Hilarius Chriſoſt. Theophyl. & Euthymius.

Secundò, S. Hieronymus per arborem accipit diabolum cui Scribæ tribuebant opera & miracula Chriſti. q. d. Si opera mea laudatis, ergo & diabolum, cui ea aſſcribitis, laudare debetis, quod eſt abſurdiſſimum.

Tertiò, S. Auguſt. ſerm. 12. de Verbis Domini, & Maldonatus per arborem accipiunt ipſos Phariſæos, q. d. Si vultis eſſe & haberi boni, bona opera facite, ſcilicet bonos & bona laudate: ſi enim mala facitis, vti reuerà facitis, cùm me meáque diuina opera damnatis, malos & improbos calumniatores vos eſſe fateamini oportet. Ex calumnijs enim cognoſcitur calumniator, ſicut ex fructu arbor. Vnde ſequitur: *Progenies viperarum*, &c. Omnes hi ſenſus ſunt probabiles, & eodem redeunt. Hinc morale documentum colligit S. Augu. *Prius*, ait, *mutandus eſt homo, vt opera mutentur. Si enim manet homo in eo, quod malum eſt, bona opera habere non poteſt; ſi manet in eo, quod bonum eſt, mala opera habere non poteſt.*

*Vers. 34. Luc. 6. 45.* Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur] Vocat Phariſæos viperas, æque ac Ioannes Baptiſta cap. 3. v. 7. ob cauſas ibi dictas; ſed hîc propriè, eò quòd quaſi viperæ vipereos proferrent ſermones & calumnias, quibus Chriſtum infamare, & è medio tollere conabantur. Habebant enim cor viperinum, id eſt, plenum veneno inuidiæ, ſuperbiæ, malitiæ, & odij in Chriſtum quòd viperinas & lethiferas has calumnias eructabat.

*Ex abundãtia cordis os loquitur.* Ex abundantia enim cordis (id eſt, ex eo quod in corde abundat, quod ſæpè cor voluit, cogitat, amat) hoc os loquitur] Si cor, id eſt mens & voluntas abundet bonitate & charitate, loquitur bona & amoroſa; ſi felle malitiæ & inuidiæ, loquitur fellea, liuida, & mendacia, vti vos contra me facitis, ô Phariſæi. Sicut enim ſtomachus eructat id, quod comẽdit, adeoque ex halitu & ructu cognoſcis, quid quiſque comederit; qui enim comedit allia, olet allia: qui vinum bibit, olet vinum, &c. Sic pariter ex ore cognoſcitur cor, putà ex loquela mentis affectus. Vnde S. Chryſoſt. *Si dicta ab iſtis*, inquit, *ita ſunt mala, quantum putamus, habebant in corde malitiæ, vbi ſolus Deus eſt teſtis? Quare cùm audieris hominem malè loquentem, multò impiorem æſtimes nequitiam, quàm verba demonſtrant. Quod enim exterius dicitur, eſt ſuperfluentia eius, quod intus eſt; in quo vos vehementer tetigit. Si enim quod dictum eſt ab eis ita eſt malum, excogitata radix verborum quàm magna eſt?* Vis ergo ſcire quid quiſque habeat in corde, & quis affectus in eo abundet, vide quid loquatur, quid crebrò in ore habeat, hoc enim abundat in corde, & ex corde in os eructat.

*Vers. 35. Luc. 6. 45.* Bonus homo de bono theſauro profert bona, et malus homo de malo theſauro profert mala] Explicat abundantiam cordis per theſaurum, id eſt aceruum & cumulum. Bonus ergo homo de bono aceruo bonarum cogitationũ & affectionum, quas in mente coaceruat & accumulat, profert bona verba & opera: malus verò de malo theſauro & cumulo malarum affectionum, profert mala verba & opera. Audi S. Chryſoſt. *Vel ipſos Iudæos Deum blaſphemantes oſtendit, de quali theſauro blaſphemiam proferant. Vel cum ſuperiore quæſtione hæret ſẽtẽtia, quòd quomodo non poſsit bonus homo proferre mala, nec malus bona: ſic non poſsit Chriſtus mala; nec diabolus bona opera facere.*

*Vers. 36.* Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem (Arabicus, *reſponſum*) de eo in die iudicii] *Reddent rationem* Chriſto iudici, id eſt, Chriſtus ab eis exiget rationem verbi otioſi, quam quia reddere non poterunt (otioſum enim eſt, quod ſine cauſa dicitur) hinc ab eo punientur. Eſt catachreſis & metalepſis, patet ex verſ. ſequ. Ita S. Hilarius, Chryſoſtomus, Hieronymus, & alij. Eſt Hebræa ſyntaxis. Hebræi enim ponunt relatiuum cum ſuo antecedente in nominatiuo: *Omne verbum otioſum*, id eſt, de omni verbo otioſo reddent rationem. Senſus eſt, q. d. ait S. Hieronymus. *Si otioſum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non eſt abſque periculo eius, qui loquitur, & in die iudicij reddet vnuſquiſque rationem ſermonum ſuorum: quantò magis vos, qui opera Spiritus ſancti calumniamini, & dicitis me in Beelzebub eijcere dæmonia, reddituri eſtis rationem calumniæ veſtræ?* Rurſum ſicut otioſum verbum, ſic & otioſa cogitatio, volitio, actio quælibet eſt peccatum, ſaltem veniale.

*Verbum otioſum quod?* Quęres, quodnam eſt verbum otioſum? Gręcè ἀργόν, quaſi ἀεργόν, id eſt iners, ſine arte & opere, carens fructu & vtilitate. *Prima ſententia.* Primò, Theophylactus & Euthymius otioſum vertunt calumniatorium. Hauſerunt hoc ex S. Chryſoſtomo, qui ait: *Otioſum verbum eſt, quia mendax eſt, quia calumniam habet.* Addit tamen: *Quidam dicunt: Quoniam & vanum, quale eſt quod riſum mouet inordinatum, vel turpe, vel verecundum.*

*Secunda. germana.*

Secundò & genuinè verbum otioſum eſt] vanum, friuolum, ludicrum, quod nec loquenti, nec audienti vtilitatem affert, etiamſi nulli ſit noxium, nec in ſe reprehenſibile. Ita S. Hilarius verbum otioſum interpretatur ineptum & inutile. S. Hieron. *Otioſum verbum eſt*, inquit, *quod ſine vtilitate & loquentis dicitur, & audientis, ſi omiſſis ſerijs de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Ceterùm qui ſcurrilia replicat, & cachinnis ora diſſoluit, & aliquid profert turpitudinis: hic non otioſi verbi, ſed criminoſi tenebitur reus.* S. Gregorius hom. 6. in Euang. ſub finem: *Otioſum*, inquit, *verbũ eſt, quod aut vtilitate rectitudinis, aut ratione iuſtæ neceſſitatis caret. Otioſa ergo colloquia ad ædificationis ſtudium vertite: quàm celerrimè huius vitæ tempora fugiant, conſiderate: quàm diſtrictus veniat iudex, attendite.* Idem 3. parte Paſtor. admon. 15. *Otioſum*, ait, *verbum eſt quod aut ratione iuſtæ neceſſitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret.* S. Bern. ſerm. de Triplici cuſtodia manus, linguæ & cordis: *Otioſum*, ait, *verbum eſt, quod nullam rationabilem cauſam habet; quam rationem de eo reddere poterimus, quod eſt præter rationem? Nemo noſtrûm, fratres, paruį æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Si quidem tẽpus acceptabile eſt, & dies ſalutis. Volat verbum irreuocabile. Volat tempus irremeabile, nec aduertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! ô donec pertranſeat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam; ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miſeratio conditoris indulget, donec trãſeat tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem? aſpirare ad promiſſam felicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.* Verbum ergo otioſum, teſte S. Bernardo eſt, quod caret rationabili cauſa. Tale igitur non eſt, quod feſtiuè dicitur, vt afflictos ſoletur, vel ægros mœſtoſque exhilaret: aut quod prudentiam humanam decet, vt cùm narrantur dicta vel facta aliorum eo fine, vt ex ijs prudenter agere & loqui diſcamus. Vlteriùs S. Baſilius, (vt verbum non ſit otioſum) requirit piam intentionem. Verùm loquitur religioſis, quorum profeſſio eſt pia tractare & loqui: *Otioſum verbum eſt*, inquit, *quod ad propoſitum in Domino vſum, hoc eſt, ad ædificationem fidei nõ facit: tale enim contriſtat Spiritum ſanctum.* Sicut enim hominis eſt iuxta normam rectæ rationis, & Chriſtiani iuxta legem Chriſti; ſic religioſi eſt iuxta dictamen religionis & pietatis agere & loqui. Vnde S. Bern. de Conſider. *Conſecraſti*, ait, *os tuum Euangelio, iam talibus* (ludicris) *aperire illicitum eſt, aſſueſcere ſacrilegium.*

*Non requiritur abſolute pia intentio, ne verbum ſit otioſum.*

Primò ergo abſolutè non requiritur pia intẽtio, ne ſit otioſum, ſufficit vt quomodolibet conducat ad vſum & prudentiam humanam. Sic:

*Nauita de ventis, de bobus narrat arator:*

alioqui enim ferè omnia opificum, mercatorum & ſæcularium verba eſſent otioſa. Hoc dictum ſit de actu in ſpecie, nunc dicamus de ſermone & actu in indiuiduo.

*Actus, ne ſit otioſus, debet referri ad finem honeſtum.*

Secundò ergo Gabriel Vaſquez 1. 2. diſp. 52. in fine, docet verbũ otioſum non eſſe illud, quod profertur hoc fine duntaxat, vt infirmitati alicui vel indigentiæ naturæ conſulatur, v. g. ſi in frigore tantùm ob naturæ indigẽtiam quis dicat: Ego frigeo, cupio ignem, vt frigoris ſenſum à me depellam. Cenſet enim ipſe dari actum in indiuiduo indifferentem, qui ſcilicet nec bonus ſit, nec malus, putà, cùm eo appetitur aliquid ad commodum & exigentiam naturæ. Idem docet Bonauentura & Scotus in 2. diſtinct. 41. Occam in 3. quæſt. 13. Gabriel & Almainus tra. 2. Moral. cap. 14.

Verùm id negat D. Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 9. eiuſque ſequaces, item durandus in 2. diſtinct. 40. quæſt. 1. Ariminenſis in 2. diſtinct. 38. & alij paſſim. Cùm quibus dicendum eſt, otioſum in particulari actum (ſiue cordis, ſiue oris, ſiue membrorum ceterorum: eadem enim volitionis & actionis eſt ratio, quæ verbi & locutionis) eſſe omnem illum, qui non refertur ad bonum rationis, putà ad bonum aliquod honeſtum. Ergo cùm dicis: Ego fameo, ego frigeo, detur mihi cibus, paretur ignis; vt hic actus & ſermo non ſit otioſis, ſed honeſtus, debes illum explicitè vel implicitè referre ad aliquem finem honeſtum, ſcilicet ad hoc, vt meliùs ſtudere, orare, aliaque tua officia obire, & Deo ſeruire valeas. Multò magis actus & ſermo otioſus eſt, ſi dicas: Ego hoc ago, vel loquor ſolùm ideò, quia mihi placet, vel quia iſta actio vel ſermo me delectat. Hæc enim actio & ſermo caret debito ſuo fine, æquè ac menſura, ideoque eſt otioſa: delectatio enim non eſt regula noſtrarum actionum; vnde eam adhibere tamquam regulam, eſt contra rectam rationem, ac proinde malum, ſaltem veniale. Quare malum eſt velle quid ob ſolam delectationem, præſertim quia contra inſtitutionem delectationis eſt, appetere illam propter ſe: nam inſtituta eſt ipſa ob aliud, nimirum ob operationem, cui coniungitur: ordinatur ergo ad maius bonum.

*Ratio à priori. Prima.*

Ratio à priori horum omnium eſt, quòd homo, quà homo, ſit animal rationale, quod proinde in omnibus iuxta rationem viuere, agere, & loqui debet. Regula enim & menſura actionis & vitæ illi data à natura & Deo, eſt recta ratio, quam in omnibus ſequi debet. Ergo inordinatum eſt, vt homo adhibeat ad operationes ſuas aliam menſuram & regulam, quàm iudicium rectæ rationis, v. g. delectationem, ſanitatem, commodum naturæ, aut quid ſimile.

*Recta ratio regula actionum humanarum.*

Confirmatur primò, quia licèt bonum naturale multum conferat naturæ, tamen ab homine non eſt expetendum per ſe, ſed referendum eſt ad bonum rationis, quod propriè eſt bonum hominis, vt homo eſt, quodque ad finem hominis eſt vtile: nam bonum naturæ conueniens vel delectabile non eſt per ſe honeſtum, ſed ex accidenti. Confirmatur ſecundò, quia homo, quà rationalis eſt, tenetur operari ſecundùm dictamen rectę rationis; hoc autem dictat homini non niſi bonum honeſtum eſſe amandum & proſequendum. Ratio enim eſt quaſi lucerna totius hominis, & omnium operationum eius, vt ait Chriſtus Matth. 6. 22. Sicut ergo qui in tenebris ambulat ſine præuia lucerna, ſe periculo offendendi exponit; ſic & qui operatur ſine præuio dictamine rationis, ideoq; peccat. Confirmatur tertiò, quia qui ſic vult, & operatur, exponit ſe periculo errandi; nam non vtitur recta regula rationis: vnde ex vi talis voluntatis poſſet velle, quod inhoneſtum eſt, vt ſeruare vitam, quando pro fide eſt profundenda; oblectare ſe illa re, vel illo modo, loco, & tempore, qui lege eſt vetitus. Denique talis appetitio eſt otioſa, quia nihil confert ad finem vltimum vitæ humanæ comparandum.



*Secunda.*

Secundò, hæc otioſitas verborum, cogitationum & operationum eſt quædam prodigalitas temporis, & actionum humanarum, quæ ceteris paribus maior eſt, quàm opum & fortunarum. Modicum enim vitæ tempus nobis datum eſt à Deo, ad comparandam beatam æternitatem, & ſingulis eius momentis benè cogitando, loquendo, operando, poſſumus maximos beatitudinis & gloriæ gradus & theſauros nobis comparare, quos omnes prodigimus per otioſitatem verborum & operum, vti rectè annotauit S. Bern. verbis ſuprà citatis; tempus enim ſemel otioſè elapſum eſt irreuocabile & irreparabile, vt mirum ſit tẽpus tam pretioſum adeò otioſè à multis tranſigi, & rebus vilibus, nugiſque impendi.

*Tertia*

Tertiò, quia quiſq; tenetur omnia ſua facere & dicere taliter, vt apta ſint ad Deum referri, nimirum vt apta ſint, quibus illi placeamus & obediamus, iuxta illud Apoſtoli. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10. 31. alioqui ſunt otioſa, id eſt inutilia ad finẽ hominis. Ad hoc autem requiritur, vt recta ratione dirgantur, vt ſint honeſta. Omne enim & ſolum honeſtum Deo placet.

*Quarta.*

Quartò, quia Deus nobis os dedit, vt eum oremus & laudemus; vtque ea, quæ nobis, vel proximis ſunt vtilia & ſalutaria loquamur: qui ergo otioſa & inutilia loquitur, ore ſuo abutitur, præter mentem & inſtitutionem Dei: *Neque enim*, vt ait S. Ambr. in Pſal. 118. ſer. 22. *parui periculi eſt de rebus ſæcularibus & otioſis loqui, cùm tã mirabilia Dei opera habeamus, de quibus loquamur. Ac proinde ſtatuat iuſtus apud ſe cum S. Dauide: Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas;* ſicque otioſa omnia à ſe excludat.

*Remedia verbi otioſi.*

Ex dictis liquet, à pleriſque hominibus plurima dici & agi otioſa, de quibus Deo reddenda eis erit ratio: Quare vt huic malo remedium opponant, diſcant & aſſueſcant nil agere & loqui, niſi præmeditatum, & priùs à ratione expenſum. Secundò, aſſuefaciant ſe loqui parcè, nec niſi de rebus bonis & ſalutaribus. Tertiò, ad aliquas dies mentem colligant, ac vitæ ſuæ actiones, rationes, fines & intentiones conſiderent ſeriò, vt ſi prauæ vel otioſæ ſint, eas corrigant, & toti vitæ ſuę, omnibuſque ſuis actionibus debitum finem præſcribant, vt in omnibus intendant Dei gloriam ac ſuam ſalutem & perfectionem, atque ad vtrumque ordinent omnes ſuos ſermones & actiones. Porrò hanc intentionem quotidie manè concipiant, Deoque offerant, illamque per diem ſæpiùs renouent, vt ita habitum induant omnes illas ad hunc finem referendi, ex quo deinceps ſemper virtualiter ſaltem ad illum referantur, etiamſi actu de eo non cogitent. Intentio ergo bona mutat ſermones & actiones, vt ex indifferentibus & otioſis fiant honeſtæ, ſanctæ, & meritoriæ cæleſtis gloriæ. Vide dicta cap. 6. verſ. 22.

*Otioſorum verborum auctor diabolus.*

Caſſianus lib. 5. de Inſtitut. renuntiant, c. 29. & 31. refert Machetem Abbatem, qui cùm otioſa narrarentur, incidebat in ſomnum, cùm ſpiritualia euigilabat, dictitaſſe auctorem otioſorum ſermonum eſſe diabolum, idque hac experientia comprobaſſe. Differens enim de rebus ſpiritualibus, vidit pleroſque omnes indormiſcere; mox otioſam narrans fabulam, vidit omnes euigilare: vnde ingemiſcens: Quis, ait, huius rei eſt auctor, niſi ille, cui otioſa placent, ſpiritualia diſplicent; qui illis adgaudet, hæc impugnat, nimirum diabolus?



Ex verbis enim tvis ivstificaberis, et ex verbis tvis condemnaberis] Arabicus: *Iudicium dabitur contra te.* q. d. Non ſolùm operum, ſed & verborum magna habenda eſt cura, & tam horum, quàm illorum Deo reddenda erit ratio: quia vtraque ſunt fructus eiuſdem arboris, id eſt voluntatis bonæ vel malæ: quare verba tua non minùs, quàm opera te vel iuſtificabunt, ſi ſint iuſta & ſancta; vel condemnabunt, ſi ſint praua & peruerſa: iuſtificabunt, inquam, id eſt, non tantùm iuſtum te declarabunt, ſed & iuſtum vel iuſtiorem efficient, ſi ex Dei amore vel compunctione proficiſcantur: condemnabunt verò, & reũ pœnæ efficient, ſi ſint otioſa, luxurioſa, calũniatoria, rixoſa, &c. Vnde quæ de commodis & noxis dixi Eccleſ. 28. 29. Prouerb. 21. 23. Iacobi 2. 3. & ſeq. Damnati enim à Chriſto in die iudicij non ſolùm ob peccata mortalia, ſed etiam venialia punientur; ſed pro grauitate & merito cuiuſque grauiùs vel leuiùs. Vers. 37.

Tvnc responderunt ei qvidam de Scribis et Pharisæis, dicentes: Magister, volvmvs a te signvm (*de cælo*, vt addit Lucas cap. 11. 16.) videre] Fuerunt hi ex illis, qui calumniati fuerant Chriſtum ope Beelzebub eijcere dæmones, vt patet ex Luca cap. 11. v. 16. hi enim refutati à Chriſto, cùm nollent videri victi & conuicti, inſtant, vt idipſum ſigno, id eſt, miraculo aliquo cæleſti confirmet, q. d. Tu dicis te ope Dei, non dæmonis, patrare miracula. Si ita eſt, fac, vt Deus è cælo teſtetur, id verum eſſe, ſigno aliquo cæleſti, quo ſignificet te ab eo miſſum, ideoque eius virtute eijcere dæmones. Verùm eis ſufficere debebant tot morborum ſanationes, tot mortuorũ ſuſcitationes factæ à Chriſto, hoc fine, vt oſtenderet eſſe Meſſiam à Deo Patre miſſum; ſed incredulis & calumnioſis nil ſufficit, ac dato vno, per effugium aliud, & aliud ſine fine poſtulant. Senſus ergo eſt, q. d. Tua, ô Chriſte, miracula in terra terrena ſunt: at nos volumus videre in cælo cæleſtia; in cælo enim habitat Deus, quem tu auctorem tuorum miraculorum eſſe aſſeueras. Fac ergo, vt ignis de cælo deſcendat, vt fecit Elias 3. Reg. 18. vel vt cælum nouis miriſque tonitruis & fulminibus coruſcet, vti fecit Samuël 1. Reg. 7. 10. aut vt ſol ſuo loco conſiſtat, vti fecit Ioſue cap. 10. v. 13: Ita S. Hieronymus: Tacitè ergo Chriſti miracula in terra facta, quaſi dæmonis præſtigias perſtringunt, tentantque Chriſtum, vt calumnientur. Etſi enim ſimile in cælo ſignum edidiſſet, illicò aliud effugium quæſiſſent, aliudque rurſus ſignum requiſiſſent. Hoc enim eſt curioſorum & cauillatorum ingenium, ſed maximè infidelium & hæreticorum. Vers. 38. Inf. 61. v. 1. Luc. 11. 16.

Qvi respondens, ait illis: Generatio mala et adultera signvm qværit et (id eſt *ſed*) signvm non dabitvr ei, nisi signvm Ionæ Prophetæ] *Generatio* (Græcè γενεὰ, id eſt, natio, gens) *adultera*, id eſt, infida & infidelis, quia relicto Deo ſponſo, cui olim in circumciſione ſe deſpondit, adhæret dæmoni, eiuſque ſuggeſtioni: hinc infidelitas & idolo- Vers. 39. Inf. 9. v. 4. Luc. 11. 29.

*Infidelitas & idololatria vocantur adulterium in Scriptura.*

idololatria ab Ezechiele capit. 16. & alijs, ſæpè vocatur adulterium. Ita S. Hieron. Chryſoſtom. Euthymius, & Theophylactus, qui ait: *Adulteram generationem vocat, quia deſciſcebant à Deo, & adhærebant dæmoni.* Secundò, *adultera*, id eſt, adulterina & degener à fide & moribus Abrahæ, Iſaac, & ceterorum Patriarcharum: illi enim crediderunt in Meſſiam, hi præſentem, & tot miraculis probantem ſe eſſe Meſſiam agnoſcere nolunt. Meſſias enim erat ſponſus ſynagogæ Iudęorum, & nunc eſt ſponſus Eccleſiæ Chriſtianorum, vt patet Epheſ. 5. 32. Ita Barradius, Maldonatus Franciſ. Lucas, & alij. Sic enim Hebræi בְּנֵי נֵכָר *bene nechar*, id eſt, *filios alienos*, vel potiùs, *alieni*, ſcilicet patris, putà adulteri, vocant ſpurios, id eſt degeneres.

ET SIGNVM NON DABITVR EI, NISI SIGNVM IONÆ PROPHETÆ.] q.d. Praua hæc Iudæorum natio poſcit à me ſignum de cælo, ſed ego non dabo ei niſi ſignum de terra, hoc eſt, de profundo: non de ſublimi, ait Gloſſa Interlin. paſſionis & ſepulturæ per tres dies, non gloriæ, quod tamen non terminabitur in ſignum cæleſte, ſcilicet in reſurrectionem, quæ facta eſt virtute cæleſti, & poſtquam Chriſtus glorioſè in cælum conſcendit, q.d. Non aſſignabo Iudæis aliud ſignum, quam quod olim aſſignaui Ioannis 2. 19. dicens: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud; Ille autem dicebat de templo corporis ſui*, ſcilicet ſignum reſurrectionis, quod eſt ſignũ Ionæ Prophetæ, quia in Iona fuit præfiguratum, & reipsâ prophetatum. Hoc enim clarè oſtendit, quis ego ſim, cur mortuus, cur crucifixus, in quo ipſi ſcandalizantur; nimirum, quòd ego ſim Meſſias mortis & peccati domitor, mundi ſaluator, ac cæli terræque Dominus. Cuſtodes enim ſepulchri nuntiarunt Iudæis Chriſtum è ſepulchro reſurrexiſſe, ac ipſi Iudæi viderunt ſepulchrum vacuum, & Apoſtoli Chriſti reſurrectionem multis miraculis comprobarunt. Quocirca multi Iudæi tunc, & poſtea omnes gentes in Chriſtum iam rediuiuum crediderunt. Iudæi enim expectabant Meſſiã non humilem & pauperem, ſed diuitem & glorioſum: talem autem viderunt Chriſtum in reſurrectione, aſcẽſione & miſſione Spiritus ſancti: vnde tunc eum agnouerunt, & quaſi Meſſiam receperunt, iuxta illud Chriſti Ioan. 8. *cùm exaltaueritis filium hominis* (in cruce,) *tunc cognoſcetis quia ego ſum*; nam è crucè & morte glorioſus reſurgam. Iudæi verò increduli ipſum eſſe Meſſiam, tunc pariter coacti cognouerunt, quia Chriſtus poſt reſurrectionem è cælo miſit Titũ & Veſpaſianum, qui Ieruſalem & Iudæam exſcinderẽt ob necem iniuſtè ſibi à Iudæis illatam. Ita S. Chryſoſt. Tunc enim plenum fuit gentis excidium; quod vſque nunc durat, & durabit vſque ad finem mundi; quod vtique non niſi ob ſummum ſcelus, ſcilicet ob Chriſticidiũ & Deicidium Deus iuſtus & vindex eis irrogauit. Hoc ergo excidium ſignum eſt clariſſimum, Ieſum ab eis occiſum fuiſſe Meſſiam ſiue Chriſtum. Vnde Chriſtus verſ. 41. hoc ſignum Ionæ affert, quaſi ſignum condemnationis Iudæorum per Niniuitas, qui crediderunt Ionæ, & pœnitentiam egerunt, cùm Iudæi Chriſto credere noluerint, ideoque exciſi & damnati ſunt. Quocirca Maldonatus cenſet Chriſtum Iudæis petentibus ſignum de cælo ad oſtentationem, dare ſignum de terra ad eorum condemnationem: ſic enim doloſè petentes ſignum decebat ab eo retundi, & confundi.

*Signum Ionæ eſt reſurrectio. Cur?*

SICVT ENIM FVIT IONAS IN VENTRE CETI TRIBVS DIEBVS, ET TRIBVS NOCTIBVS: SIC ERIT FILIVS HOMINIS IN CORDE TERRÆ TRIBVS DIEBVS, ET TRIBVS NOCTIBVS] *In corde*, id eſt, *in imo terræ*, hoc eſt intra terram, ſicut cor eſt intra corpus hominis: quia Chriſtus in cruce mortuus quoad corpus poſitus fuit in ſepulchro, quoad animam deſcendit in limbum Patrum, qui eſt iuxta centrum terræ. Ita S. Hieron. Chryſoſt. Theoph. Euthymius, S. Irenæus lib. 5. c. 31. Tertul. lib. de Anima c. 55. & alij. VERS. 41. Luc. 11. 40

Quæres, quomodo Chriſtus tribus diebus & noctibus fuerit in ſepulchro & limbo; nam ſola nocte Sabbati & Dominicæ in eo fuit, & illicò in aurora reſurrexit? Primò, Alcuinus lib. de Diuinis officijs in cap. de Cœna Domini, & Paulus Foroſempronienſis, teſte Marcello, lib. de Horis canonicis cap. 50. ex hoc loco colligunt Chriſtũ iacuiſſe in ſepulchro tres integros dies & noctes, hoc eſt 72. horas, ac conſequenter reſurrexiſſe in fine feriæ ſecundæ. Verùm hic certus eſt error. Communis enim Eccleſiæ traditio & ſenſus eſt, Chriſtũ reſurrexiſſe in die Dominica, idque patebit Matth. vlt. v. 1.

*Chriſtus in ſepulchro fuit tribus diebus, & tribus noctibus quo ſenſu? Primò.*

Secundò, Gregor. Nyſſen. orat. 1. & 2. de Reſurrectione, hos tres dies computat à feria quinta, ſiue à die Iouis: putat enim ipſe, quòd, dum illo die veſpere Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, ſeipſum ſub ſpeciebus panis & vini Deo immolauit per ſacrificium incruentum, animam Chriſti ſeparatam fuiſſe à corpore, ſicut fiebat in immolationibus boum, quando Deo ſacrificabantur & mactabantur, ſed id factum eſſe arcana & inuiſibili ratione, tumque animam Chriſti iuiſſe ad inferos: ſicq; præueniſſe mortem ſuam, quàm poſtridie, ſcilicet die veneris ſancto Iudæi in cruce ipſi viſibiliter erant illaturi. Sed & hic eſt error. Nam anima Chriſti viuentis realiter eſt in Euchariſtia, putà in ſuo corpore & ſanguine ſub ſpeciebus panis & vini contento; eſt inquã, ibi non quidem ex vi verborum conſecrationis, ſed per naturalem concomitantiam: Chriſtus enim in Euchariſtia eſt animatus & viuus, ſicut eſt extra eam, vt definit Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 2. Secus fuiſſet, ſi S. Petrus, vel quis alius Apoſtolus celebraſſet, & conſecraſſet Euchariſtiam in triduo paſſionis & mortis Chriſti: tunc enim Chriſti corpus & ſanguis fuiſſent in ea ſeparata ab anima, quia ſic reuerà erant in ipſo Chriſto iam ſepulto. Erat enim tunc Chriſtus mortuus, non viuus

*Secundò.*

Dico ergo τὸ *tribus diebus, & tribus noctibus*, hîc tantùm eſſe periphraſin & deſcriptionem diei naturalis, ſiue vſualis. Huius enim duæ partes integrantes ſunt dies & nox, ſiue lux & tenebræ: vtitur verò illa periphraſi Chriſtus, quia eâdem vſus erat Ionas eius antitypus cap. 2. verſ. 1. & ne quis tres hoſce dies intelligeret artificiales, qui opponuntur noctibus, quaſi per tres dies, quibus lux eſt, & ſol eſt ſupra horizontem, Chriſtus fuerat in ſepulchro: hoc enim falſum eſt. Iam verò tres hoſce dies naturales accipe non integros: ſed partiales per ſynecdochen, ſcilicet partem vltimam diei Veneris, qua Chriſtus de cruce depoſitus ſepultus eſt; totum Sabbatum, ac partem

*Tertiò. Verè.*



diei Dominicæ; nam illius aurora eluceſcente reſurrexit. Hebræi enim licèt dies ciuiles ab vno ſolis ortu ad alterum numerarent, vti & faciunt Chaldęi & Perſæ, teſte Beda de Ratione temporum, idque colligitur ex Geneſ. cap. 1. v. 5. tamen dies ſacros (qualis hîc erat Paſcha, & dies azymorum, quibus Chriſtus paſſus eſt & reſurrexit) cõputabant à veſpera in veſperam. Ita hoſce tres dies explicant & adaptant S. Hieron. Theophyl. Euthym. & S. Aug. epiſt. 49. q. 6. & paſſim interpretes. Hinc Alibi paſſim ſimpliciter dicitur Chriſtus reſurrexiſſe tertia die, vel poſt tres dies, nulla facta noctis mentione.

*Quartò. Plenè.*

Verùm quia iuxta hunc computum duæ tantùm noctes reperiuntur, quibus Chriſtus fuit in ſepulchro, ſcilicet nox Sabbati, & nox Dominicæ; hic autem diſertè dicitur, *tribus noctibus*; planiùs & pleniùs alij reſpondent, hos tres dies & noctes computari more Romanorum, qui tempore Chriſti Iudææ imperabant, & in ciuilibus ſuum calendarium ibidem induxerant. Romani enim à media nocte in aliam diem computabant vti & faciunt Chriſtiani in feſtis & ieiunijs: Teſtis eſt Macrobius lib. 1. Saturn. c. 3. Gellius lib. 3. c. 2. Plinius l. 2. c. 77. & alij. Hoc computu clarum eſt Chriſtum fuiſſe in ſepulchro tribus diebus & noctibus partialibus: ſepultus eſt enim die Veneris ante ſolis occaſum, manſitque in ſepulchro vſq; ad mediam noctem, quæ pertinebat ad diem Veneris, inde à media nocte incipiebat Sabbatum, quo toto permanſit in ſepulchro per integrũ diem & integram noctem: ſucceſſit dies Dominica pariter à media nocte, qua reliqua per ſex ferè horas permanſit in ſepulchro vſque ad aurorã, cùm incepit lux & dies, in qua reſurrexit, ita vt tota media nocte Dominicæ, & parte aliqua auroræ, ſiue diei & diluculi, Chriſtus fuerit in ſepulchro, donec aurora creſcente, magiſq; illuceſcente reſurrexit. Erat enim tunc Paſcha circa ęquinoctium, in quo dies æquales ſunt noctibus, ac proinde noctes æquè ac dies ſunt duodecim horarum. Anima verò Chriſti illicò, vt ipſe in cruce expirauit hora nona, id eſt, tertia pomeridiana, deſcendit ad Limbum, manſitque ibi cum Patribus vſque ad auroram Dominicæ. Porrò Iudæos vſos fuiſſe hoc computu Romanorum colligitur tum ex alijs, tum ex eo quòd ipſi à Caſtrenſibus Romanorum horis & vigilijs acceperint quatuor vigilias noctis, vt patet Matt. 14. 25. & alibi. Varia enim fuerũt diei apud varias gentes initia. Perſæ & Babylonij diem numerabant ab ortu ſolis ad aliũ eius ortum. Athenienſes & Itali à ſolis occaſu ad occaſum. Aſtronomi à meridie in meridiem. Ægyptij tamen & Romani ſacerdotes à media nocte in alteram mediam noctem, quæ conſuetudo in Eccleſia Romana permanſit. Ita Chriſtoph. Clauius in c. 2. Sphærę, & Alexander ab Alexandro lib. 4. Genial. cap. 20. Hebræi ergo tempore Chriſti Ægyptiorum, & Romanorum, quibus ſubiecti erant, calculum ſunt ſecuti. Quare Franc. Lucas docet Iudæos dies non feſtos à media nocte in mediam noctem computaſſe, vti faciunt Chriſtiani. Ita à media nocte in mediam noctem hos tres dies cõputat S. Anſelmus hîc, Iſidorus Peluſiota libr. 1. epiſt. 114. & 212. D. Tho. 3. p. q. 46. art. 9. ad 1. Franc. Suarez 3. p. qu. 53. diſp. 46. ſect. 3. in fine. Et Baron. anno Chriſti 34.

*Quomodo diem ſuum cõputabant Romani.*

*Varia apud varias nationes diei initia.*

Denique voluit Chriſtus tres dies manere in ſepulchro, vt oſtenderet ſe verè mortuum, ac cõſequenter ſe tertio die verè à morte reſurrexiſſe. Ita Beda & Anſelmus hîc, & S. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. c. 3. & ſerm. 181. de Temp. Plures alias huius rei cauſas aſſignaui. Oſee 6. v. 3. ad illa: *Viuificabit nos poſt duos dies.*

VIRI NINIVITÆ SVRGENT IN IVDICIO CVM GENERATIONE ISTA, ET CONDEMNABVNT EAM: QVIA POENITENTIAM EGERVNT IN PRÆDICATIONE IONÆ: ET ECCE PLVSQVAM IONAS HIC] q.d. Niniuitæ, qui cum ſuo rege Sardanapalo proiecerant ſe in ſcelera, totoſque ſe dederant Veneri & ventri, cùm audirent Ionam in illa detonantem, & excidium minitantem, illi crediderunt, & pœnitentiam egerunt: hi ergo in die iudicij accuſabunt & condemnabunt Scribas & Iudæos, qui Chriſto Deo & Domino per tot miracula credere, & pœnitentiam agere noluerũt: condemnabunt, inquam, non tam verbis, quàm factis, ſcilicet ſuo fidei & pœnitentiæ exemplo. Hinc tamen non ſequitur Niniuitas fuiſſe ſaluatos, quia paulò poſt pœnitentiã redierunt ad vomitum: vnde cum ſuo rege Sardanapalo ab Arbace Medo ſubacti & ſubiugati ſunt. Ionas enim prophetauit ſub Ieroboam rege Iſraël, & Ozia rege Iuda, qui fuere coęui Sardanapalo, & regnarunt paulò ante initia Romæ, cùm Procas Syluius auus Romuli regnaret in Latio, teſte Euſebio in Chronico. Adde: poſt Ionam ad Niniuitas miſſus eſt Nahum, qui eos relapſos caſtigaret, eiſq; excidium per Chaldęos intentaret: vnde & reipſa exciſi ſunt à Nabuchodonoſore rege Chaldęorũ. Vide dicta in prooemio Ionę & Nahum. VERS. 41. Luc. 11. 31.

*Quo tempore Niniuitis prædicauit Ionas.*

ET ECCE PLVSQVAM IONAS HIC] Ionas enim erat Propheta & ſeruus: Chriſtus verò Meſſias & Dominus. Ionas in ceto viuens, viuus egreſſus eſt: Chriſtus ex morte & inferno reſurrexit, & rediuiuus prodijt. Ionas reluctans, & inuitus: Chriſtus ſpõtè prædicauit. Ionas apud Niniuitas fuit peregrinus: Chriſtus fuit cognatus Iudæorum. Ionas ſubuerſionem Niniuæ comminatus eſt: Chriſtus regnum cælorum promiſit. Ionas nullum fecit miraculum: Chriſtus plurima. De Iona nullus, de Chriſto omnes Prophetæ vaticinati ſunt. Ionas vociferatus eſt: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur*; Chriſtus per Apoſtolos clamauit: *Adhuc quadraginta anni, & Ieruſalem euertetur à Tito.* Plures analogias Ionæ & Chriſti collegit Euſebius Emiſſenus hom. 2. de Paſcha, & S. Auguſtinus epiſt. 49. q. 6. quas recenſui Ionæ 2. v. 20.

*Antitheſis Ionæ & Chriſti.*

REGINA AVSTRI SVRGET IN IVDICIO CVM GENERATIONE ISTA, ET CONDEMNABIT EAM: QVIA VENIT A FINIBVS TERRÆ AVDIRE SAPIENTIAM SALOMONIS, ET ECCE PLVSQVAM SALOMON HIC] Ægyptius, *Regina Auſtralis.* Perſicus, *Regina Themanitica: Theman* enim Hebræis, indeque alijs Orientalibus Auſtrum ſignificat. Æthiopicus, *Regina, Aſeb.* Videtur ergo nomen huius reginæ fuiſſe Aſeb, ſumptum à loco regni, putà à Saba, q.d. Sabæa. Ita aliqui ſuſpicantur. Verùm dico *Aſeb* Æthiopicè idem eſt quòd Latinè *Auſtri*, vti Romæ mihi Æthiopes aſſeruerunt. Hæc eſt regina Saba, quæ eſt Auſtralis Iudæę. 3. Reg. 10. Saba autem eſt regio, eſtque duplex; vna in vicina Arabia: altera in remota Æthiopia, eiuſque Metropolis, quæ poſtea VERS. 42. Luc. 11. 31.

*Saba duplex.*

à Cambyſe nomine ſororis ſuæ dicta eſt Meroë, teſte Ioſepho lib. 2. Antiq. c. 10. & Strabone lib. 16. Hęc regina multis videtur potiùs ex Æthiopicâ Saba veniſſe, quàm ex Arabica, quia Æthiopica eſt remotiſſima, & quia Ioſephus libr. 8. Antiq. cap. 2. vocat eam reginam Æthiopiæ & Ægypti. Vnde poſtmodum fama Scripturæ, & Dei veri Hebræorum apud Æthiopes permanſit. Ex ijs enim venit Hieroſolymam adorare Deum Hebræorum Eunuchus Candacis reginę Æthiopum. Actor. 8. Reginas enim Æthiopibus imperaſſe & *Candaces* fuiſſe dictas, ſicut Romani ſuos principes vocabant Cæſares, teſtis eſt Plinius libr. 6. cap. 29. Imò Æthiopum ſiue Abyſſinorum Imperator ſcribit ſe filium Salomonis. Tradunt enim Æthiopes reginam Saba ex Salomone quaſi marito concepiſſe, indéque natos reges Abyſſinorum, qui nunc Prete-Iannes dicuntur, licèt hanc traditionem confutet Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis cap. 14. nu. 8. Addunt Abyſſini, reginam hanc Azeb regnaſſe in Tigre, quod regnum eſt Abyſſiæ ampliſſimum, ac filiũ eius vocatum Menile, id eſt ſimilis, eò quòd patri Salomoni eſſet ſimillimus. Ita hanc reginam ex Æthiopia veniſſe cenſent Euthymius, Ianſen. Maldon. Toletus, Barradius, Franc. Lucas hic, & S. Auguſt. ſerm. 252. de Temp. Nazianzenus orat. 40. Nyſſenus hom. 7. in Cant. Orig. hom. 1. in Cant. & alij. Verùm alij probabiliter cenſent illam veniſſe ex Saba, quæ eſt in Arabia Felici, vbi ſunt Homeritæ: in ea enim abundant aromata, & aurum, æquè ac cameli. Rurſum dicitur hæc *veniſſe à finibus terræ*; tum quia Arabia Sabęa diſtat à Ieruſalem 606. leucis Gallicis teſte Adrichomio, in deſcript. terræ ſanctæ, in Manaſſe; tum quia ipſa eſt extrema regio terræ ad mare Indicum, ſiue Arabicum, ibi enim finitur terra, & incipit mare; hinc ſæpè in Script. vocatur terra longinqua, vt Ierem. 6. Iſaiæ 43. & alibi. Vnde Niceph. lib. 8. c. 55. ait Felicem Arabiam eſſe Sabæam eiuſque fines ad extremum oceanum pertingere. Ita S. Hiero. Cyrillus, Theodor. Eucherius, Cæſarius, Salmeron, Pererius, Eugubin. Caiet. & alij, quos citat. & ſequitur, fuſéque probat Pineda l. 5. de Rebus Salom. c. 14. n. 5. & ſeq.

*Regina Auſtri quænã, & vnde venerit.*

*Quantum Arabia Sabæa diſtet à Hieroſolymis.*

Avdire sapientiam Salomonis, et ecce plvsqvam Salomon hic ] *Hic*, id eſt ego: loquitur enim Chriſtus de ſe in tertia perſona modeſtiæ cauſa, q. d. Regina Saba credidit Salomoni; ac Iudæi mihi credere nolunt, qui ſum longe maior & ſapientior Salomone, quia ſum Meſſias eorum, Deíque filius. Ergo regina iſta ſuo facto in die iudicij condemnabit duritiem & incredulitatem Iudæorum. Porrò comparatio hæc reginæ Saba cum Iudæis magnas habet emphaſes, quas neruosè exprimit Franc. Lucas. Mulier, inquit, Gentilis in ſchola Dei minimè educata, regni verò ampliſſimi negotijs diſtricta, fama ſapientiæ, quæ de Salomone ferebatur, excitata, difficillimum arripuit iter ex remotiſſimis terræ partibus Hieroſolymam, vt eius ſapientiæ periculum faceret; quam admirata ſupra modum, licèt non niſi de terrenis atq; humilibus rebus diſſereret Salomon, conſilia excepit illius: Iudæi verò legis diuinæ alumni, ſacris literis addicti, Chriſtum Dei virtutem ac ſapientiam, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi, ſummum ſuum vnicumq; doctorem regni cælorum, æternæq; ſalutis myſteria à ſæculis abſcondita, ac veram Dei ſapientiam depromentem, vltrò ſe offerentem, rogantem, atque inuitantem non recipiunt, imò reijciunt planè, etiam dato illo reſurrectionis grauiſſimo ſigno, quando ſapientiam illam ſuã credentibus atque obedientibus ſibi cõmunicauit & impertiuit: quare ſolus ipſe admirandus eſt. Quantũ ergo regina Saba antecelluit Iudæis, ac quanto iure & pondere eis in die iudicij ſuam obſtinationem, ingratitudinem, incredulitatem, & inobedientiam Chriſtus in faciem exprobare poterit? Hoc exemplum reginæ Sabę, æquè ac priùs Niniuitarum diſertè oſtendit in die iudicij quemq; pro menſura beneficiorum, & gratiarum à Deo acceptarum, quæ ipſe neglexit vel contempſit, acriùs caſtigandum à Chriſto iudice. Videant ergo ſacerdotes, religioſi, & ceteri, qui gratijs Dei abundant, vt ijs rectè & ſedulò vtantur; alioqui enim eò grauiùs punientur, quò maiores perceperunt: imò laici in die iudicij inſultabunt ijs, ſicut & Gentiles Turcęque Chriſtianis, quòd ſi illas habuiſſent, longè ijs religioſiùs ſanctiuſque vixiſſent. Audiant S. Gregorium hom. 9. in Euang. *Lectio S. Euangelij* (de talentis cuique à Deo diſtributis) *fratres, ſollicitè conſiderare nos admonet; ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur ab auctore mundi, grauiùs inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tantò ergo eſſe humilior, atque ad ſeruiendum promptior quiſque debet ex munere, quantò ſe obligatiorem eſſe cõſpicit in reddenda ratione.*

Cvm avtem immvndvs spiritvs exierit ab homine, ambvlat per loca arida, qværit reqviem, et non invenit. Tvnc dicit: Revertar in domvm meam, vnde exivi, et veniens invenit eam vacantem scopis mvndatam et ornatam: tvnc vadit, et assvmit septem alios spiritvs neqviores se, et intrantes habitant ibi, et fivnt novissima hominis illivs peiora prioribvs. Sic erit et generationi hvic pessimæ] Hic explicatur tota parabola, & ſententia, quæ tota ſimul recenſenda, & paucis explicanda eſt. Vers. 43. Luc. 11. 24.

Nota, Chriſtum perſiſtere in materia expulſionis dæmonum: energumeni enim quos ipſe ſanabat, poſſidebantur à dæmone corporaliter: ſed Scribæ & Iudæi calumniantes miracula Chriſti, ſpiritualiter in anima. Porrò hic, vti & aliàs ſæpè non propriè, Sed parabolicè more Syrorum loquitur. Senſus ergo eſt, q. d. Sicut homo exul & profugus per arida & inculta loca vagatur; ita diabolus per legem Dei pulſus ab homine, putà à vobis, ô Iudæi, qui fuiſtis populus Dei (in quo ſcilicet habitabat & colebatur, ſéque per oracula & miracula oſtendebat) vagatur per loca deſerta, & requiem quærit, ſed cùm eam non habeat, niſi in homine, videatque iam vos Dei gratiam per me oblatam contemnere, itaque ſibi in vobis, quaſi in domo vacua, & ſcopis mundata, locum parari & ornari, auidus ad vos recurrit, ſeptem, id eſt, multis alijs ſocijs ſe nequioribus aſſumptis, tum vt ſimul hac domo, id eſt, animabus veſtris iucundè perfruantur, tum ne facilè rurſum expellantur, tum deniq; vt vos nequiores efficiant; vti reuerà efficiunt, dum vos blaſphemare faciunt me, meam doctrinam, & miracula, vt dicatis me in Beelzebub eijcere dæmonia, vtque aſſiduè me ad mortem perſequamini, & tandem crucifigatis, quod ſcelerum omnium eſt ſummum & maximum. Quocirca Deus vos puniet extremo excidio per Titum, facietque vt ſitis abſque Deo, abſq; Meſſia, abſque lege, abſque templo, abſque ſacrificio, abſque regno, abſque fide, imò vt perfidiã & cæcitatem veſtram obſtinatè puteris veram eſſe fidẽ & lucem. Ita S. Hilar. S. Hier. Beda, & alij, & patet ex applicatione parabolæ, cùm ait: *Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ.*



Porrò vacua eſt domus, id eſt anima, quia caret Deo, Deíque gratia; ac proinde capax eſt & apta, vt fiat domus diaboli. Scopis mundata eſt, quia euerſa eſt ex ea omnis virtus, pietas, bonitas ac ſparſa aconita impuritatis & aculæa ſuperbiæ. Hæc enim eſt mũdities, id eſt immundities, quæ munda eſt: placetque diabolo, cui nil niſi fœtidũ olet, nil niſi immundum & putidum ſapit.

*Dæmon agit in deſertis. Cur?*

Rurſum dæmones à Deo & Sanctis pellũtur in loca deſerta ne hominibus noceant, vel pulſi & mœſti ſpontè eò concedunt. Sic Raphaël ligauit Aſmodæum in deſerto ſuperioris Ægypti Tobiæ 8. ſic Iſaias c. 13. 21. & c. 34. 14. ait Babylonem vaſtandam à Perſis, & redigendam in deſertum, vt ibi habitent piloſi, id eſt, Satyri & Onocentauri, id eſt, dæmones in hircorum & mõſtrorum forma. Sed ibi quietem non inuenit, quia, vt ait Abulenſis, *Dæmon non poteſt quieſcere, quia in æternum cruciabitur, ſed quærit quietem ſuæ malæ voluntatis; eſt enim inuidus, & deſiderat nocere homini: & quando nocere poteſt, quieſcit aliquo modo.* Et Chryſoſt. ſer. 92. *Diabolus*, ait, *hominum damnum ſuum computabat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc ſe æſtimat acquiſiſſe*; idque facit tum ex inuidia, qua homini inuidet cælum & felicitatem, ex qua ipſe decidit; tum ex odio Dei, quo ardet, quia enim ipſi Deo nocere nequit, hinc nocet homini, qui eſt Dei creatura & imago, vt vel ſic Deo noceat, quoad poteſt, vti pulchrè exemplo pardi, qui, cùm hominẽ lædere nequit, eius imaginem dilacerat, oſtendit S. Baſilius hom. 21. in aliquot Scripturæ locos.

*Myſticè.*

Myſticè loca arida ſunt animæ Gentilium, in quibus per Chriſti gratiam ſiccatus eſt humor concupiſcentiæ. Audi S. Hiero. *Immundus ſpiritus exiuit à Iudæis, quando acceperunt legem, & pulſus à Iudæis ambulauit per Gentiũ ſolitudines, quæ, cùm poſteà Domino credidiſſent, ille non inuento loco in nationibus dixit; Abibo ad Iudæos.* Et S. Greg. 33. Moral. c. 3. *Loca*, inquit, *arentia & inaquoſa ſunt corda iuſtorũ, quæ per diſciplinæ fortitudinem ab omnis carnalis concupiſcentiæ humore ſiccantur.* Et Euthymius. *Significat Dominus Sanctorũ animas nullum affectionis humorem habentes*, &c. Sicut ergo porcus non inuenit requiem in arido, ſed in luto: ſic dæmon non quieſcit in corpore per ieiunia, & caſtitatem arido; ſed cœno gulæ & luxuriæ conſpurcato.

Et fivnt novissima hominis illivs peiora prioribvs ] Arabicus: *Et fiet nouiſſimum illius hominis peius principio eius.* Hic eſt finis & ſcopus parabolæ, vt ſcilicet doceatur, relapſum in peccatum peiorem eſſe lapſu: ſicut *peior eſt morbo recidiua morbi.* Cauſam dat Tertull. libr. de Pœnit. cap. 5. quia *pænitens dum in priſtina peccata relabitur, eaq; quaſi canis vomitum relambit, diabolum Domino præponit. Comparationem enim videtur egiſſe, qui vtrumque cognouerit, & iudicato pronuntiaſſe eum meliorem, cuius ſe rurſus eſſe maluerit. Ita qui per delictorum pænitẽtiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pænitentiæ pænitentiam ſatisfaciet.* Hinc S. Aug. ep. 137. *Simpliciter*, ait, *fateor coram Domino Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt; ita non ſum expertus peiores, quam qui in monaſterijs ceciderunt; ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum: Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.* Apocal. 22. Sic Lucifer, qui erat pulcherrimus Angelus, factus eſt teterrimus dæmon: ſic Iudas ex Apoſtolo factus eſt apoſtata, & proditor Chriſti: ſic olim Neſtorius, Eutyches, Pelagius, Arrius, Iouinianus & hoc æuo Lutherus, Caluinus, Menno, & ceteri eorum ſymmyſtæ, ex monachis & ſacerdotibus facti ſunt apoſtatæ & hæreſiarchæ: vulgò dicitur ex optimo vino fit acerrimum acetum: ex pulchro Angelo fit teterrimus diabolus: ex viro ſanctiſſimo fit homo nequiſſimus, ſi cadat, & in caſu perſeueret.

Sic erit generationi hvic pessimæ ] q. d. Sicut diabolus facit alijs hominibus, vt pulſus ab ijs ad eos redeat nequior cum maiore comitatu, furore, & impetu: ſic prorſus faciet Scribis & Phariſæis, vt eos adigat in extremam inuidiam, odium, & rabiem, vt me, id eſt Meſſiam & Deum ſuum occidant, eò quòd illorum ſcelera taxem & culpem: quare puniet eos Deus extremo excidio, tum corporis per Titum, tum animæ in gehenna per ipſoſmet dæmones, quorum furijs aguntur in tanta ſcelera.

Adhvc eo loqvente ad tvrbas, ecce mater eivs et fratres stabant foris, qværentes loqvi ei ] Quæres, quinam in Euangelijs vocantur fratres Chriſti? Reſpondebat ſpurcus hæreſiarcha Heluidius fuiſſe eos, qui ex eadem matre B. Virgine poſt Chriſtum erant nati. Negabat enim eam perpetuò manſiſſe virginem: ſed eum acriter & doctè refellit S. Hieronymus lib. contra Heluidium. Vers. 46. Luc. 6. 19. Mar. 3. 31.

*Fratres Chriſti qui? Reſp. Primò.*

Secundò, Græci paſſim cum Euſebio l. 2. Hiſtor. c. 1. & è Latinis S. Hilar. & Ambroſius, quos citat Baronius in Apparatu Annal. ca. 46. putant fuiſſe eos, qui nati ſint ex priori matrimonio Ioſeph, antequam B. Mariam duceret in coniugẽ. Verùm Ioſephi non aliã habuiſſe vxorem, quàm B. Virginem, ac cum ea iugiter manſiſſe virginẽ, docent S. Hieron. contra Heluidium, S. Aug. ſer. 14. de Natiu. Theodor. in cap. 1. ad Galat. Beda, Anſelm. Rupert. D. Tho. & paſſim alij Latini hic adeò vt B. Petrus Damiani ep. 11. c. 4. ad Nicolaum Romanum Pontificem, dicat hanc eſſe Eccleſiæ fidem. *Secundò.*

Tertiò, Hugo de S. Victore, & Gloſſa in c. 1. ad Galat. Eckius hom. de S. Anna (& fauet Beda Actor. 1.) cenſent hos fuiſſe progenitos ex S. Anna matre B. Virginis; S. Annam enim præter Ioachimum, ex quo genuit B. Virginem, duos alios habuiſſe maritos, ex quibus geniti ſint hi, qui fratres Domini vocantur. Verùm S. Annam vnicum tantùm habuiſſe maritum Ioachimum, & ex eo vnicam prolem B. Virginem, docet S. Hipolytus apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. idque multis probat noſter Chriſtophorus à Caſtro libr. de Deipara cap. 1. & Baronius *Tertiò.*

ronius in Apparatu, cap. 46. & ſeq.& Suarez 3. A
parte q.28.art.1.diſp.5. ſect.4.

Dico ergo hos propriè nō fuiſſe fratres Chriſti, nec ex B.Virgine, vel Ioſepho, aut S.Annā eſſe progenitos,ſed dici fratres, id eſt conſobrinos,patrueles, & cognatos Chriſti, phraſi Hebræis familiari:nimirum erant hi cognati,aut verè fratres S.Ioachim,vel,S.Annæ,aut potiùs erāt filij fratrum, vel ſororum S.Ioachimi, vel S.Annæ, putà filij Cleophæ, qui erat frater Ioſephi ſponſi B.Virginis,teſte Hegeſippo, qui fuit vicinus Apoſtolorum æuo,apud Euſebium l.3. Hiſtor.cap.11. Ioſeph enim & Cleophas fuere filij Iacob,qui erat frater S.Annæ,de quo plura c.13. verſ.55.& Lucæ 3.ſub finem.Audi S.Hier. hîc: *Nos*,ait, *ſicut in libro, quem contra Heluidium ſcripſimus, continetur, fratres Domini,non filios Ioſeph, ſed* B
*conſobrinos Saluatoris,Mariæ liberos intelligimus, materteræ Domini, quæ eſſe dicitur mater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ.* Idem aſſerunt Iſidorus libr.de Vita & morte SS. Patrum, Beda ſuper 1. c. Actor.& Anſelmus 1.Corinth.9. & ad Galat.1.

STABANT FORIS] Miſerunt ergo nuntium ad Chriſtum in domum,qui eum euocaret.

QVÆRENTES LOQVI EI] Non ex ambitione & faſtu,vt viderentur eſſe conſanguinei tanti doctoris & Prophetæ, qualis erat Chriſtus, vt volunt S.Chryſoſt. & Theoph.ſed vt eum comprehenderent, ſecumque abducerent in Nazareth. Dicebant enim eum in furorem verſum eſſe, vt ait Marcus c.3.21. *Neque enim fratres eius credebant in eum.*Ioan.7.5. (licèt poſteà plures ex ijs crediderunt Chriſto) ſiue hoc dixerint, quòd verè furere putarent,ſiue fictè & ſimulatè,vt eum è manibus Phariſæorum, ne ab eis opprimere- C
tur,eriperent:hac enim vel ſimili de cauſa B.Virginem euocaſſe Chriſtum;nemo pius dubitet.Si voluerunt eum comprehendere quaſi furioſum, celarunt hoc ſuum cōſilium B.Virginem, illamque adduxerunt ſecum ſpecie honoris,vt facilius & ſecretius Chriſtum euocarent, ſecumque abducerent. Certum enim eſt B.Virginem optimè ſciuiſſe Chriſtum eſſe ſanæ ſanctæque mentis; quare non niſi eius viſendi ſtudio comitatā fuiſſe hoſce Chriſti fratres, id eſt cognatos.Chriſtū Dominum imitata eſt S. Paula, quæ vt ſcribit S. Hier.in eius Epitaphio:*Cùm pro nimio feruore virtutum quibuſdam videretur inſana, & cerebrum illius dicerent conſouendum, reſpondit: Theatrum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus.Et nos ſtulti propter Chriſtum:ſed ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus. Vnde & Saluator loquitur ad Patrem: Tu ſcis inſipiē-* D
*tiam meam. Et iterùm: Tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis: vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Quem in Euangelio & propinqui quaſi mentis impotem ligare cupiebant, & aduerſarij ſuggillabant,dicentes: Dæmonium habet, & Samaritanus eſt. Et: In Beelzebub principe dæmoniorū eijcit dæmonia.*

VERS.47. Luc.8.20. Mar.3.32.

DIXIT AVTEM EI QVIDAM: ECCE MATER TVA, ET FRATRES TVI FORIS STANT, QVÆRENTES TE] Hoc eſt, *quærentes tibi loqui*, vt habet Græcus & Syrus, *quidam*, hic fuit nuntius à fratribus ad Chriſtum euocandum miſſus.

VERS.48. Mar.3.33.

AT IPSE DICENTI SIBI AIT: QVINAM EST MATER MEA, ET QVI SVNT FRATRES MEI?] Nota Chriſtum ita loqui,non quaſi neget ſe veram habere matrem, quaſi Chriſtus non fuerit verus homo,ſed phantaſticus,ſiue phantaſma ex phantaſmate natus, vti docuit Marcion,& Manichæi; nec etiam quaſi eum ſuæ matris & fratrum pauperum puduerit: ſed vel quia nuntius hic nimis audacter,& importunè eum à prædicatione iam inchoata auocando, interpellabat, vti vult S. Chryſoſt.& Epiphan.vel potiùs, *Vt paternis*,ait S.Ambr. *ſe miniſterijs* (ſic legendum videtur,non myſterijs) *ampliùs, quam maternis affectibus debere oſtenderet*, & ſpiritualem cognationem carnali præferret,in qua non eſt ſexus,non ordo, ſed omnes proximè & omnimodè contingunt Chriſtum quaſi pater,ſoror, & frater. Hoc enim eſt, quod de Chriſto ſubijcit Matthæus.

VERS.49. Mar.3.34.

ET EXTENDENS MANVM IN DISCIPVLOS (manu indicans notanſque diſcipulos. Vnde Arabicus: *Et annuit manu ſua verſus diſcipulos*) SVOS, DIXIT: ECCE MATER MEA, ET FRATRES MEI.]

VERS.50. Luc.8.33. Mar.3.33.

QVICVMQVE ENIM FECERIT VOLVNTATEM PATRIS MEI, QVI IN CÆLIS EST, IPSE MEVS FRATER, ET SOROR, ET MATER EST] Spiritualis vti iam dixi,non carnalis. Dicit *frater & ſoror*, propter vtrumque ſexum: fideles enim viri ſunt fratres Chriſti, feminæ verò fideles ſunt ſorores Chriſti, vti docet S.Gregorius. Fidelis ergo Deo obediens, eſt Chriſti frater adoptiuus: quia per gratiam eſt filius eiuſdem Dei Patris. Idem eſt mater Chriſti, quia Chriſtum in ſe & alijs docendo, hortando, conſulendo parit. Ita S.Gre-

*Frater Chriſti eſt fidelis.*
*Mater Chriſti eſt prædicator.*

C gorius Beda, Euthymius. Audi S. Gregorium hom.3. in Euang. *Sed ſciendum nobis eſt,quia qui Chriſti frater & ſoror credendo, mater efficitur prædicando. Quaſi enim parit Dominum,quem cordi audientis infuderit. Et mater eius efficitur, ſi per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.* Subijcit exemplum S. Felicitatis, quæ ſeptem filios, quos carne pepererat mundo, Spiritu parturiuit Deo,dum eos in perſecutione roborauit, & ad martyrium animauit. Et S.Auguſtinus de S.Virginit.c.3. *Mater eius* (Chriſti) *eſt omnis anima pia*, inquit, *faciens voluntatem Patris eius,fœcundiſſima charitate, in ijs quos parturit, donec in eis ipſe formetur, Maria ergo faciens voluntatem Dei corporaliter Chriſti tantummodò mater eſt, ſpiritualiter autem, & ſoror, & mater. Ac per hoc illa vna femina non ſolùm ſpiritu, verùm etiam corpore & mater eſt, & virgo.*
D Cauſam ſubdit: *Sed planè mater membrorum eius, quod nos ſumus, quia cooperata eſt charitate,vt fideles in Eccleſia naſcerentur, quæ illius capitis membra ſunt: corpore verò mater ipſius capitis.* Hoc Chriſti oraculum ſecuta S. Victoria virgo & martyr ſub Diocletiano Imper. cùm proconſul eam interrogaret: *Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo?* qui Gentilis erat; reſpondit: *Nolo,quia Chriſtiana ſum: & illi ſunt fratres mei, qui Dei præcepta cuſtodiunt.* Quocirca carceri cum alijs martyribus incluſa, ibique fame enecta martyrij lauream obtinuit, Ita habent Acta eius apud Surium die 11. Februarij.

*S.Victoria.*

CAPVT



# CAPVT DECIMVMTERTIVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus Euangelium,eiuſque vim,fructum & impedimenta explicat per varias parabolas: Primò,ſeminis & ſeminantis v.3. Secundò, zizaniorum v.24. Tertiò, grani ſinapis v.31. Quartò, fermenti v.33. Quintò, theſauri abſconditi,margaritæ pretioſæ, & ſagenæ miſſæ in mare v. 43.*

1. IN illo die exiens Ieſus de domo, ſedebat ſecus mare. 2. Et congregatæ ſunt
ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſta-
bat in littore: 3. & locutus eſt eis multa in parabolis,dicens: Ecce exijt qui ſemi-
nat,ſeminare. 4. Et dum ſeminat,quædam ceciderunt ſecus viam,& venerunt vo-
lucres cæli,& comederunt ea: 5. Alia autem ceciderunt in petroſa,vbi non habe-
bant terram multam: & continuò exorta ſunt,quia non habebant altitudinem ter-
ræ. 6. Sole autem orto æſtuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.
7. Alia autem ceciderunt in ſpinas:& creuerunt ſpinæ,& ſuffocauerunt ea. 8. Alia
autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud
ſexageſimum,aliud trigeſimum, 9. Qui habet aures audiendi,audiat. 10. Et
accedentes diſcipuli,dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? 11. Qui re-
ſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem
non eſt datum. 12. Qui enim habet,dabitur ei,& abundabit, qui autem non ha-
bet,& quod habet,auferetur ab eo. 13. Ideò in parabolis loquor eis:quia videntes
non vident,& audientes non audiunt,neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis
prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis,& non intelligetis: & videntes videbitis,
& non videbitis. 15. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter
audierunt,& oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant,
& corde intelligant, & conuertantur,& ſanem eos. 16. Veſtri autem beati oculi,
quia vident: & aures veſtræ,quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis,quia mul-
ti Prophetæ,& iuſti cupierunt videre quæ videtis,& non viderunt: & audire quæ au-
ditis,& non audierunt. 18. Vos ergo audite parabolam ſeminantis. 19. Omnis
qui audit verbum regni,& non intelligit, venit malus,& rapit quod ſeminatum eſt
in corde eius: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt. 20. Qui autem ſuper petro-
ſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud:
21. non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis: facta autem tribulatione
& perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizatur. 22. Qui autem ſemi-
natus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbum audit,& ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia
diuitiarum ſuffocat verbum,& ſine fructu efficitur. 23. Qui verò in terram bo-
nam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum,& intelligit, & fructum affert, & facit
aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.
24. Aliam parabolam propoſuit illis, dicens: Simile factum eſt regnum cælorum
homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. 25. Cùm autem dormirent ho-
mines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt.
26. Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.
27. Accedentes autem ſerui patris familias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum
ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus
homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? 29. Et
ait:Non: ne fortè colligentes zizania,eradicetis ſimul cum eis & triticum. 30. Si-
nite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus:
Colligite primùm zizania,& alligate ea in faſciculos ad comburēdum; triticum au-
tem congregate in horreum meum. 31. Aliam parabolam propoſuit eis, dicens:
Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis: quod accipiens homo ſeminauit in a-
gro ſuo: 32. quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cùm autem creue-
rit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habi-
tent in ramis eius. 33. Aliam parabolam locutus eſt eis: Simile eſt regnum cæ-
lorum fermento,quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fer-
mentatum eſt totum. 34. Hæc omnia locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas,&
ſine

ſine parabolis non loquebatur eis: 35. vt impleretur quod dictum erat per Prophe-
tam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione
mundi. 36. Tunc dimiſſis turbis, venit in domum; & acceſſerunt ad eum diſcipu-
li eius, dicentes: Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui reſpondens ait
illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis. 38. Ager autem, eſt mundus.
Bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni; Zizania autem, filij ſunt nequam. 39. Inimi-
cus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Meſſis verò conſummatio ſæculi eſt. Meſſo-
res autem, Angeli ſunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur:
ſic erit in conſummatione ſæculi. 41. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & col-
ligent de regno eius omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: 42. & mit-
tent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. 43. Tunc iuſti ful-
gebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. 44. Si-
mile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, ab-
ſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum il-
lum. 45. Iterum ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas
margaritas. 46. Inuenta autem vna pretioſa margarita, abijt, & vendidit omnia
quæ habuit, & emit eam. 47. Iterùm ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in
mare, & ex omni genere piſcium congreganti. 48. Quam, cùm impleta eſſet, edu-
centes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſe-
runt. 49. Sic erit in conſummatione ſæculi: exibunt Angeli, & ſeparabunt ma-
los de medio iuſtorum. 50. & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtri-
dor dentium. 51. Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. 52. Ait illis: Ideò
omnis Scriba doctus in regno cælorum, ſimilis eſt homini patriſamilias, qui profert
de theſauro ſuo noua & vetera. 53. Et factum eſt cùm conſummaſſet Ieſus para-
bolas iſtas, tranſijt inde. 54. Et veniens in patriam ſuam, docebat eos in ſyna-
gogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes?
55. Nónne hic eſt fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria; & fratres eius, Iaco-
bus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas? 56. & ſorores eius, nónne omnes apud nos ſunt?
Vnde ergo huic omnia iſta? 57. Et ſcandalizabantur in eo. Ieſus autem dixit eis:
Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria, & in domo ſua. 58. Et non fecit ibi
virtutes multas propter incredulitatem illorum.

Vers. 1. Mar. 4. 1. IN ILLO DIE EXIENS IESVS DE DOMO, SEDEBAT SECVS MARE] Syrus: *Super littus maris.* Chriſtus cùm de more in domo, id eſt, in hoſpitio, quod pro habitatione & prædicatione Capharnai conduxerat, vt dixi cap. 4. verſ. 13. prædicaſſet, dimiſit turbas, vt ſe ſtaque curarent, vtque ſe & diſcipulos quiete & cibo reficeret; mox cùm ſciret turbas, quæ ab ore eius pendebant, vtpote cæleſti eius doctrina & ſpiritu inefcatas, maiore numero affluxuras, vt domus eas non caperet, domo egreſſus eſt ad littus capaciſſimum vicini maris Galilææ, ibique per parabolas ſequentes prædicauit.

Vers. 2. Luc. 8. 4. Mar. 4. 2. 1. ET CONGREGATÆ SVNT AD EVM TVRBÆ MVLTÆ, ITA VT IN NAVICVLAM ASCENDENS SEDERET, ET OMNIS TVRBA STABAT IN LITTORE] Ob copiam turbę Chriſtus è littore aſcẽdit in nauim, ex eaque quaſi è ſuggeſtu concionatus eſt ad turbam innumeram circumfluentẽ, & littus maris occupantem.

Vers. 3. Luc. 8. 5. Mar. 4. 2. 3. ET LOCVTVS EST EIS MVLTA IN PARABOLIS] id eſt, per parabolas more illius Gentis & æui, vt dixi c. 26. & ſeq. q. d. Locutus eſt eis parabolicè, id eſt, figuratè & obſcurè.

DICENS: ECCE EXIIT QVI SEMINAT, SEMINARE] ad ſeminandum Arabicus, *vt ſeminaret* Græcè ὁ σπείρων, id eſt, *ſeminans*, ſiue ſeminator. Nota; Appoſitè doctrina & prædicatio Euangelica comparatur ſemini, & ex eo prodeunti meſſi: quia ſicut ad meſſem corporalem opus eſt ſemine, terra, ſole, pluuijs, & ventis; ſic et-

A iam ſimilibus opus eſt ad meſſem Euangelicam & ſpiritualem: ſemen enim eſt verbum Dei, ſiue Euangelium, eiuſque prædicatio: terra eſt liberum cuiuſque audientis arbitrium: ſol eſt gratia præueniens, illuminans, & inflammans liberum arbitrium, vt verbum Dei excipiat, digerat, indeque fructus charitatis, & virtutum omnium producat: pluuia eſt gratia rigans, conſeruans, & promouens hoſce bonos arbitrij actus & motus: venti ſunt tentationes, qui illos agitando magis radicant & roborant: denique opus eſt *patientiâ*. Græcè ὑπομονῇ, id eſt, ſuſtinentia in laboribus & afflictionibus arandi, ſeminandi, occandi, ſarriendi, &c. ac longanimi meſſis, id eſt, fructus & præmij expectatione. *Seminis analogia cum Euangelio.*

B Aduerte: Finis & ſcopus, adeoque ſumma huius parabolæ eſt, vt doceat Chriſtus ſe eſſe ſeminatorem, id eſt, prædicatorem Euangelij in terra, id eſt, apud homines, ſed diſpari apud diſpares fructu. Primò enim non omnes, qui audiunt Euangelium, illud acceptant, illique credunt; ſicut ſemen, licèt in terra ſeminatum, non tamen vbique, v. g. in via, vel iuxta viam, à terra calcata & dura excipitur, nec vllas in ea radices agit. *Diſpar ſeminis fructus. Vnde?* Secundò, non omnes, qui credunt, in fide perſeuerant, ſed aliqui ſuadente tentatione recedunt; ſicut ſemen in terra petroſa germinans, illicò ad ſolis ardorem areſcit. Tertiò, non omnes, qui in fide perſeuerant, fructum bonorum operum proferunt; ſicut ſpinæ ſemen in terra aliàs bona bellè progerminans ſuffocant, ne fructum



ctum producat. Quartò, hæc fiunt non vitio ſeminis, id eſt doctrinæ, ſed terræ, id eſt auditorum culpa, illaque variâ, ſcilicet quædam ob petras, quædam ob ſpinas: petra eſt caro, ſpina eſt mundus, via eſt trita ſæcularis & licentioris vitæ conſuetudo, vbi volucres cæli, id eſt dæmones inſtar auium velociſſimi, diligentiſſimi, & animarum voraciſſimi ſemen auditum; id eſt doctrinam prædicatam è memoria & mente abripiunt, dum eos, qui ſecus viam verſantur, id eſt, homines naturæ, & naturali prudentiæ, communique conſuetudini, & modo viuendi intentos, vagos, item otioſos & curioſos auertunt à conſideratione & penetratione doctrinæ auditæ, & ad vanitates ſolitas diſtrahunt. Quintò, ſemen, id eſt doctrinam in terra bona, hoc eſt in corde bono ſuſcipiunt, qui illud ruminare incipiunt, in eoque proficiunt: in optimo, qui totis viribus eius executioni, & virtutum perfectioni incumbunt. Sextò, illud ſemen fert fructum minorem, aliud maiorem, aliud maximum; putà aliud trigeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum, idque ob maiorem vel ſeminationem, id eſt prædicationem & illuminationem rerum ſpiritualium, ac gratiæ affluxum, vel ob maius liberi arbitrij cum gratia ſtudium, cooperationem, & conatum. Hæc eſt ſumma totius parabolæ, ex qua facile eſt illam, omneſque eius partes intelligere: quare ſingulas breuiter pertractemus. *Applicatio partium parabolæ.*

*Moraliter.* Moraliter prædicator cum Chriſto, qui è domo, imò è cælo & ſinu Patris impulſus vi amoris exijt in terram, exeat è domo contemplationis in agrum prædicationis, vt quod in oratione à Deo hauſit, magno ſpiritu in populum effundat, obeundo vrbes & pagos, magiſque prædicet ſanctæ vitæ exemplo, quàm verbo: *Præbeat alijs exemplum, & ſit eius quaſi copia dicendi, forma viuendi*, ait S. Auguſtin. libr. 4. Doctr. Chriſtian. cap. 29. Rurſum inuocat Deum, vt quod ipſe loquitur in aure, Deus loquatur in mente. Nam, vt ait S. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 5. *Plerumque fit, vt cùm audientis cor, exigentibus culpis, Dei gratia non repletur, incaſſum exteriùs à prædicatore moneatur. Quia mutum eſt os omne, quod loquitur, ſi ille interiùs in corde non clamet, qui aſpirat verba, quæ audiuntur.*

Vers. 4. Luc. 8. 5. Mar. 4. 4. ET DVM SEMINAT QVÆDAM (ſemina, vel ſeminis grana) CECIDERVNT SECVS VIAM, ET VENERVNT VOLVCRES CÆLI, ET COMEDERVNT EA] *Secus viam*, ſcilicet in oram ſiue limitem agri viæ conterminam, quæ aſſiduè à viatoribus pedibus teritur & calcatur, ac proinde ſemini concipiendo non eſt idonea, ſed illud nudum ſeruans auibus rapiendum exponit. Eſt gradatio, ab ineptiore enim terra, in qua ſeminatur, gradatim aſcendit ad minùs ineptam, aptiorem, & aptiſſimam. Ineptiſſima enim ad ſemen terra eſt, quæ in via, vel iuxta viam omnium pedibus calcatur; minùs inepta eſt terra petroſa; aptior eſt terra bona, ſed ſpinis admiſta; aptiſſima eſt, quæ tota terrea eſt, pinguis, & ſuccoſa. Porrò via eſt mens malis cogitationibus trita & arefacta, ait Rabanus: hæc enim doctrinam Euangelij ſuis conſuetis cupiditatibus contrariam non capit, non ſentit, non intelligit, quia tota ſuis carnis illecebris intendit. Vnde Gloſſa Interlinearis: Tales, ait, ſunt, qui nec

A prædicatione compunguntur, nec benè agere incipiunt.

Vers. 5. Luc. 8. 6. Mar. 4. 5. ALIA AVTEM CECIDERVNT IN PETROSA, VBI NON HABEBANT TERRAM MVLTAM, ET CONTINVO EXORTA SVNT, QVIA NON HABEBANT ALTITVDINEM (Græcè βάθος, id eſt profunditatem) TERRÆ] q. d. Alia ceciderunt in terram petroſam, quæ quia in ea parum habebant terræ & multum petræ, non potuerunt profundas agere radices; quare illicò ebullire & germinare cœperunt, ac ante tẽpus exorta ſunt. Hinc velut præcocia mox defecerunt: *Quod enim citò fit, citò perit.* Cauſam ſubdit. *Quod citò fit, citò perit.*

Vers. 6. Luc. 8. 6. Mar. 4. 6. SOLE AVTEM ORTO ÆSTVAVERVNT (Græcè ἐκαυματίσθη, id eſt, caumate, ſiue æſtu ſolis exuſta ſunt, æſtu perierunt, tam ſemina, quã germina ex eis præcociter erumpentia) ET QVIA
B NON HABEBANT RADICEM, ARVERVNT] Quia enim tenuem habebant terram, cui mox ſuccedebat petra, hinc partim defectu humoris, partim vi ſolis ad petram radios ſuos reflectentis, itaque æſtum augentis & intendentis, arefacta & exuſta ſunt. Porrò petra eſt durities proteruæ mentis, ait Rabanus, in qua non eſt altitudo, id eſt, profunditas terræ, id eſt profunda lenitas animæ obedientis, & diſciplinis cæleſtibus inſtitutæ. Vnde tales dulcedine tantùm auditi verbi, & promiſſionis cæleſtis ad horam delectantur; ſed radicem deſiderij ſalutaris non figunt, ideoque ardore ſolis, id eſt, feruore perſecutionis vruntur per impatientiam, quia verbum Dei firmiter non hæſerat menti, ideoque exareſcunt, id eſt, virorem fidei perdunt, ait Interlinearis. Rurſum S. Chryſoſt. *In animabus*, ait, *quæ petra eſt, po-*
C *teſt fieri terra pinguis; & quæ via, non conculcari; & ſpina, deſtrui. Omnibus Chriſtus loquebatur, & ſi præuideret futura, vt poſſet dicere, quid me oportuit facere, & non feci? in quo docet diſcipulos, ne deſides ſint, etiamſi plures audientium pereant.*

Vers. 7. Luc. 8. 7. Mar. 4. 7. ALIA AVTEM CECIDERVNT IN SPINAS: ET CREVERVNT SPINÆ, ET SVFFOCAVERVNT EA] *In ſpinas*, id eſt, in terram germinantem ſpinas: inter ſpineta: *Et creuerunt*, Græcè ἀνέβησαν, id eſt, *aſcenderunt*, id eſt citiùs excreuerunt, ſeſeque dilatarunt, quàm bona ſemina, quæ ſenſim & tarde exurgunt (lolium enim facilè creſcit, triticum difficilè, ideoque à lolio ſuffocatur) itaque ea iam in culmos germinantia ſuffocauerunt; tum quia humorem & alimentum eis per radices ſuas præripuerunt; tum quia auram liberam, locumque creſcendi, ſeſeque dilatandi eis ademe-
D runt: ſpinas has Chriſtus verſ. 22. interpretatur diuitias.

Vers. 8. Luc. 8. 8. Mar. 4. 8. ALIA VERO CECIDERVNT IN TERRAM BONAM, ET DABANT FRVCTVM, ALIVD CENTESIMVM, ALIVD SEXAGESIMVM, ALIVD TRIGESIMVM] Arabicus: *Pro vno centum, & pro alio ſexaginta, & pro alio triginta.* Hæc diſparitas fructus oritur ex diſparitate tum terræ, tum culturæ. Terra enim pinguis, ſi benè colatur, ex vno grano profert centum grana: alia minùs pinguis, ſexaginta: alia ſterilior, triginta. Porrò terra bona eſt fidelis & deuota conſcientia, ait Interlinearis.

Nota: Sola quarta pars, ſiue ſors ſeminis, ſcilicet quæ cecidit in terram bonam, fecit fructum: reliquæ enim tres ſeminis ſortes, ſcilicet quæ cecidere in viam: in terram petroſam, & in

in ſpinas, periere, nec fructum fecere; ita ex auditione concionis pauci proficiunt, ſed longè plures nullum faciunt fructum

Vers. 9. Luc. 8. 8. Mar. 4. 9. Qvi habet avres avdiendi, avdiat] Vtitur hac phraſi Chriſtus, cùm res eſt obſcura & ſymbolica, aut ardua & difficilis, vt attentionem & ſtudium auditorum excitet. *Aures audiendi*, id eſt, ad audiendum habet, qui ſedulò audit, & attendit verbis Chriſti ea mente, vt illa capiat & ruminet, illiſque obediat, & opere exequatur. Multi enim audiebant Chriſtum ex curioſitate, vt audirent aliquid noui, docti, ſublimis, elegantis non autem vt illa, quæ audiebant, menti imprimerent, & opere perficerent. Hi non habebant aures ad audiendum. Tales etiamnum ſunt multi, qui audiunt conciones ob elegantiam vel doctrinam, non vt vitam mutent, de quibus Deus Ezechielis c. 33. *Es eis*, ait, *quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq; ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.*

Vers. 10. Et accedentes discipvli dixervnt ei: Qvare in parabolis loqveris eis?] q. d. Turbæ rudes non capiunt ſermones parabolicos & ſymbolicos, vt quid ergo eos illis ingeminas? Cur non clarè eis ſenſa tua pandis, vt ea intelligant?

Vers. 11. Luc. 8. 10. Mar. 4. 11. Qvi respondens, ait illis: Qvia vobis datvm est nosse mysteria regni cælorvm, illis avtem non est datvm] Arabicus: *Vos donati eſtis cognitione myſteriorum regni cælorum, & illi donati non ſunt.* Cauſa, cur Chriſtus loquebatur turbis in parabolis, erat, quia plerique ex illis vel adhuc erant incapaces doctrinæ cæleſtis & Euangelicæ, vel illi non credebant, imò nonnulli irridebant: Scribæ etiam cum ſuis calumniabantur, Chriſtumque habebant pro impoſtore falſoque Propheta: quare non habebant *aures audiendi*, quas, verſ. 9. exegit Chriſtus. Vbi autem non eſt auditus, ne effundas ſermonem, ait Sapiens. Tacitè ergo ſtimulat eos Chriſtus, vt aures audiendi induant, ac ſermones ſuos parabolicè dictos ſcrutentur, eorumque explicationem humiliter ſtudio obſequendi ab eo efflagitent, itaque ſe capaces Euangelicæ prædicationis efficiant. Quod vbi fecerint, ſpondet ſe clarè explicaturum ea, quæ parabolicè hîc enuntiat.

Porrò indicat Chriſtus capacitatem hanc non poſſe obtineri viribus proprijs, ſed à Deo ſuppliciter poſtulandum, Dei enim eſſe donum, quod ipſe diſcipulis Chriſti dederit, alijs negarit, eoſque in ſua cæcitate & perfidia reliquerit, q. d. Veſtra, ô Apoſtoli, eſt hæc gratia & felicitas, quòd Deus vobis dederit fidem in me, quodque ea de cauſa ego eius myſteria clarè vobis enuntiem, cùm ceteris loquar dumtaxat in parabolis. Fides enim eſt donum Dei. Vos ergo de eo iugiter Deo gratias agite, ac pro ceteris Deum orate, vt eis pariter det aures audiendi, ſicut dedit vobis; tunc enim parabolas meas clarè ediſſeram, vti ediſſero vobis. Vnde Marcus cap. 4. 11. habet. *Illis, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt*, id eſt, incredulis, qui ſunt extra fidem & Eccleſiam, omnia à me dicuntur & aguntur parabolicè, id eſt, obſcurè per ſymbola & ænigmata, ne ea contemnant, rideant, cauillentur. Nam, vt

*Facta Chriſti fuere parabola.* Beda: *Non ſolum ea, quæ loquebatur Dominus, verùm etiam quæ faciebat parabolæ fuerunt, id eſt, rerum myſticarum ſigna*, ab incredulis Scribis & Iudæis abſcondita, iuxta illud: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Matth. 7. 8. Quocirca addit Marcus: *Vt videntes videant, & non videant* (non intelligant) *& audientes audiant, & non intelligant: nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata*, q. d. Excæcati ſunt & obſtinati, ideoque in ſua cæcitate & perfidia perſeuerant, nec lumen veritatis, quod offero, admittunt. Cæcitas autem hæc eſt pœna præcedentium peccatorum, quæ commiſerunt. Hæc omnia magis patebunt ex ſequentibus.

Nota: *Tò vt*, cùm ait Marcus: *Vt videntes videant, & non videant*, ſignificat non cauſam & intentionem, ſed conſecutionem & effectum. Non enim Chriſtus parabolicè loquens intendebat poſitiuè eos excæcare, ſed permittere dumtaxat id, quod ex parabolis Chriſti ſequebatur, ſcilicet vt Scribæ & Iudæi inuidia & concupiſcentia occæcati, videntes tot Chriſti miracula, & audientes cæleſtem eius ſapientiam, illi tamen non crederent, nec viſa & audita intelligerent; ſed ſimiliter ſe haberent, perinde ac ſi ea non vidiſſent, nec audiſſent.

Vers. 12. Inf. 25. 29. Qvi enim habet, dabitvr ei, et abvndabit: qvi avtem non habet, et qvod habet, avferetvr ab eo] Arabicus: *Et qui habet aliquid, dabitur, & addetur: & qui non habet*, &c. Gnome eſt habens ſpeciem prouerbij, ait Salmeron, Franc. Lucas, Maldonatus & Iaſenius, eſtque veriſſima; ditioribus enim datur, pauperibus ſemper aufertur. Simili enim modo Deus fideles & electos ſuos, quales erant Apoſtoli, in dies cumulat nouis gratijs & beneficijs, vt in virtute & ſanctitate abundent: ab infidelibus autẽ, ingratis, & indignis, quos negligit & deſpicit, quales erant Iudæi, ſenſim ſua dona tam gratiæ, quàm naturæ aufert.

*Senſus primus.* Senſus eſt primò, q. d. Qui habet fidem, dabitur ei myſteriorum regni Dei cognitio; hæc enim ſine fide cognoſci nequeunt; qui verò non habet fidem, ab eo auferetur bonum, quod habet, q. d. Vobis, ô Apoſtoli, quia in me quaſi Meſſiam creditis, datum eſt aſſiduè & clarè à me audire myſteria Dei & cæli, quibus in eius ſpem & amorem in dies magis rapiamini. At Iudæis & Scribis, qui in me quaſi in Meſſiam ſuum credere nolunt, Deus auferet tenuem, quam de Deo & cælo habent cognitionem & ſenſum; imo priuabit eos Eccleſia, regno, pontificatu, templo, ſacrificio, patria, omnique re ſacrâ & ciuili, vt profani & perfidi, vagabundi & miſeri toto orbe oberrent. Ita S. Hieronymus, Euthymius, & Hilarius, qui ſic exponit, q. d. Habens fidem, myſteria fidei percipiet. At Iudæi fidem non habentes, legem quoque, quam habuerant, perdiderunt.

*Secundus.* Secundò, q. d. Qui habent aures audiendi, hoc eſt ad audiendum, nimirum qui ad me afferunt ſincerum affectum, ſcilicet purum fidei & veritatis deſiderium & ſtudium, vti vos ex Dei dono affertis, ô Apoſtoli, his ego clarè veritatem cæleſtem aperiam, eoſque in via virtutis, ſpiritusque, qua ad regnum Dei perueniant, aſſiduè promouebo: at qui hoc purum veritatis deſiderium non habent, ſed ſuis cupiditatibus, ſuperſtitionibus, & erroribus indulgent, vti facitis vos, ô Iudæi & Scribæ, ab his parua illa, quam habent de Deo rebuſque diuinis, cognitio ſenſim auferetur, fientque cæci omnino, ideoque vobis, ô Iudæi, ego Chriſtus loquor non clarè, ſed obſcurè in parabolis, vti ſequitur: *Qui enim paruam boni ſcintillam habet, & eam non excitat, accenditq; per ſpiritum & ſpiritualia, neceſſe eſt eam extingui*, ait Theophylactus: ſtudiũ enim eſt, quod promouet ſtudioſos vti in literis, ſic & in virtutibus: quòd ſi ſtudiũ auferas, deficiet ſenſim ſcientia & virtus, etiam iam acquiſita. Ita S. Chryſoſtomus, Beda, Remigius, D. Thomas & alij.

*Tertiò.* Tertiò, S. Auguſtinus lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 1. *τὸ habet* exponit per *vtitur*, applicatque prædicatoribus. q. d. Prædicator, qui doctrinam habet, id eſt, doctrina ſibi à Deo data vtitur, ſtrenuèque eam prædicat, alijſque cõmunicat, hunc numquam doctrina, verbaque, quæ dicat & prędicet, Deo ſuggerẽte, deficient: at ſi quis doctrina non vtatur, ſenſim ipſe eius obliuiſcetur, illamque amittet. Sic enim *habere* pro *vti* ſumitur c. 25. v. 29. Ita experimur ſtrenuos concionatores, quò plus concionantur; eò plus verbis ſpirituque abundare, inſtar fontium, è quibus quantũ aquæ effluit, tantumdem aliunde rurſum affluit.

Vers. 13. Luc. 8. 10. Mar. 4. v. 12. Ideo in parabolis loqvor eis, qvia videntes non vident, et avdientes non avdivnt; neqve intelligvnt] Ecce hîc clarè Chriſtus aperit cauſam, quam verſ. 11. attuli, cur ipſe Iudæis & Phariſæis loqueretur in parabolis, quia ſcilicet ipſi Chriſtum antea clarè de pœnitentia, & via ad regnum cælorum docentem & prædicantem audire, id eſt, intelligere obedire & credere noluerunt, ac videntes eius ſanctitatem & miracula, ex ijs ipſum pro Meſſia agnoſcere & colere detrectarunt. Merebantur ergo, vt obſcurè & per parabolas eis loqueretur Chriſtus. Ipſe enim docebat Capharnai, vbi erant mercatores opulenti, ſuis opibus, luxui, & pompæ incubantes: alij erant Scribæ & Phariſæi, vel eorum aſſeclæ: hi doctrinam Chriſti de cælo, de opum contemptu, de humilitate, paupertate, pœnitentia, &c. aſpernabantur, imò ridebant & calumniabantur: quare Chriſtus ſtudio confugit ad parabolas, quas cùm non intelligerent, ridere & calumniari non poterant: locutus eſt ergo eis in parabolis, non idcirco quòd abſolutè eſſent reprobi, ſed quia erant indigni, ingrati & incapaces; nam eum ſimpliciter & clariſſimè docentem & prædicantem, magis curioſitatis & calumniæ cauſa, quàm credendi ſtudio audierant, vt patet ex cap. præcedenti v. 2. 10. 14. 24. 38. & c. 11. verſ. 23. vbi Chriſtus *væ* æternæ damnationis in ciues Capharnai detonat: *Vſque in infernum*, inquit, *deſcendes: quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſq; in hanc diem.* Ita S. Hilarius, Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus & Beda. Fateor tamen inter hanc infidelium Iudæorum turbam admiſtos fuiſſe plures, qui boni, vel miſti erant deſiderij audiendi Chriſtum ſalutis ſuæ cauſa; ſed quia hi immixti erant turbæ infidelium Chriſto aduerſantium, hinc cum ea non niſi parabolas audire ipſis datum eſt, vt ex ijs, licèt non intellectis, ſaltem admirationem & reuerentiã in Chriſtum conciperent, quæ deinde vlteriùs eos promoueret & inſtigaret; imò, vt ait S. Chryſoſtom. Phariſæis & Scribis omnibus, quantumuis malignis & obſtinatis, Chriſtus loquebatur in parabolis hac mẽte & hoc fine, vt ipſis eas ſcrutandĩ ac Chriſto credendi, ſeque ſaluandi deſiderium ſincerum inijceret, iniectumque acueret, atque vt cæcitatem temporaneam paſſi in parabolis, quas non capiebant, auidiùs verum lumẽ Chriſtum requirerent, & parabolarum explicationẽ ab eo flagitarent. Et hoc innuit Marcus c. 4. 33. dicens: *Multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire*; vt ſcilicet, qui poſſent eas intelligere & capere, caperent; qui verò non poſſent, ſtimularentur ad explicationem earum veſtigandam, & à Chriſto flagitandam.

Vers. 14. Et adimpletvr in eis prophetia Isaiæ dicentis avditv avdietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis] Id eſt nõ intelligetis id, quod in Chriſto videtis & auditis.

Vers. 15. Mar. 4. v. 12. Incrassatvm est enim cor popvli hvivs, et avribvs graviter avdiervnt (Arabicus: *Et grauatæ ſunt aures eorum*) et ocvlos svos clavservnt: neqvando videant ocvlis et avribvs avdiant, et corde intelligant et convertantvr, et sanem eos] Citat Iſaiam c. 6. v. 9. & 10. vbi pro *incraſſatũ* Noſter vertit *excæca*, id eſt, excęcabis (Chald. *infatua*) *cor populi huius.* Hebr. eſt, הַשְׁמֵן *haſmen*, id eſt, impingua, incraſſa cor populi huius, & aures eius aggraua. Vnde nota excæcationem, incraſſationem, obdurationem tribui tum Deo hominem excæcatum, incraſſatum & obduratum deſerenti, & in ſua excæcatione relinquenti, eiuſque occaſiones ingerenti: tum homini, quia propriè ac ſponte ſua ſeipſum excæcat, incraſſat, obdurat, dum ſuis tenebris & vitijs mordicùs adhæreſcens, ad lumen diuinum oculos claudit & ad doctrinam Chriſti mentis aciem obfirmat & occludit. Vnde Septuag. Iſaiæ 6. quos ſequitur Noſter, legentes alijs punctis הֻשְׁמַן *huſcheman*, vertunt clariore & penitiore ſenſu: *Incraſſatum eſt cor populi huius*, ſcilicet, directè à ſeipſo, indirectè à Deo; præſertim, quia præcedentia ſignificant eos non tam à Deo, quàm à propria ſua cupiditate, ſuperbia, malitia, odio & inuidia in Chriſtum excæcatos fuiſſe. Vide dicta Iſaiæ 6. verſ. 9. & 10. vbi fusè hæc explicui.

Vers. 16. Luc. 10. v. 23. Vestri avtem beati ocvli, qvia vident (Arabicus: *quia ipſi perſpiciunt*) et avres, qvia avdivnt] *Oculi & aures* tum corporis, tum potiùs mentis accipe. q. d. Beati eſtis, ô Apoſtoli, quia myſteria regni cæleſtis à me hauritis oculis & auribus tum externis corporis, tum internis animi: oculis enim corporis videtis meos ſanctos mores, geſtus, myſteria, miracula: auribus auditis cæleſtia mea dogmata: ſed, quod longè potiùs eſt, oculis & auribus mentis, Deo illam illuminante, eadem capitis, creditis, & intelligitis, quod non faciunt Iudæi: animus enim, æquè ac corpus, ſuos habet oculos & aures, imò ipſe totus eſt oculus, totus eſt auris, vt quælibet viſa & audita percipere & intelligere valeat.

Vers. 17. Luc. 10. v. 24. Amen qvippe dico vobis, qvia mvlti Prophetæ et ivsti cvpiervnt videre, qvod videtis, et non vidervnt, et avdire qvæ avditis, et non avdiervnt] Nam vt ait Chriſtus Ioan. 8. 56. *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* Iacobi vox & votum eſt *Salutare tuum expectabo Domine* Gen. 49. 18. & Iſaiæ c. 45. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes*

*bes pluant iuſtum. Aperiatur terra & germinet ſaluatorem.* Idem fuit ſenſus, idem deſiderium omniũ Patriarcharum; omnium Prophetarum, omnium Sanctorum veteris Teſtamenti, ſcilicet, cernere & audire Meſſiam mundi redemptorem, doctorem & ſaluatorem.

*Tria S. Auguſtini vota.* Fertur S. Auguſtinum tria in votis habuiſſe; Primum, videre Chriſtum in carne conuerſantem: Secundum, cernere Romam in ſplendore Imperij triumphantem: Tertium, audire Paulum in cathedra fulminantem. Idem multorum fuit, & etiamnum eſt votum.

*Vers. 18. Luc 8. v. 11. & 12. Mar. 4 v. 14. 15. Vers. 19.* VOS ERGO AVDITE PARABOLAM (explicationem parabolæ) SEMINANTIS. OMNIS QVI AVDIT VERBVM REGNI (cælorum, ſcilicet, quantum & quale illud ſit, quibuſque vijs & medijs occupandum) ET NON INTELLIGIT, VENIT MALVS (ὁ πονηρὸς, id eſt, ille malus per excellentiam, putà diabolus) ET RAPIT QVOD SEMINATVM EST IN CORDE EIVS: HIC EST QVI SECVS VIAM SEMINATVS EST] Clariùs Lucas cap. 8. verſ. 12. *Semen*, inquit, *eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant.*

*Analogia verbi Dei & ſeminis. Prima.* Appoſitè verbum Dei ſiue Euangelium, eiuſque prædicatio comparatur ſemini & ſeminationi. Primò, quia ſicut verbum ore prædicantis; ſic ſemen manu ſeminantis ſpargitur & ſeminatur. *Secunda.* Secundò, ſicut verbum aure & corde audientis; ſic ſemen viſceribus terræ ſuſcipitur & concipitur, vt pariat germina. *Tertia.* Tertiò, ſicut ſemen omnium frugum & fructuum, ſic & Verbum Dei omnium bonorum operum parens eſt & cauſa. *Quarta.* Quartò, ſicut terra ſine ſemine non niſi vrticas, lolia & ſpinas progerminat; ſic & mens hominis ſine verbo Dei non niſi vana, vitioſa & noxia profert. *Quinta.* Quintò, ſicut ſemen, vt fructificet, debet ſeminari, & recipi in terra non dura nec ſaxoſa, arida aut ſpinoſa, ſed molli, humida, pura & ſuccoſa; ſic & verbũ Dei, vt fructus ſpirituales proferat, debet ſuſcipi corde molli, flexili, puro & ad virtutem pietatemque propenſo. Hoc eſt, quod ait Iacobus cap. 1. v. 21. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* Vide ibi dicta.

Rurſum Palladius lib. 1. de Re ruſtica tit. 35. ne ſemina à talpis, muribus, formicis, campis, locuſtis rodantur: remedium ſuggerit, vt ſemina *Semen & verbum auſteritate ſeruanda.* priùs rebus auſteris & amaris macerentur. *Serpentes*, ait, *propè omni auſteritate fugantur & nocentes ſpiritus innocentia fumi graueolentis exagitat. Vramus galbanum, vel cerui cornua, radices lilij, capræ vngulas. Hoc genere monſtra omnia prohibentur.* Sic & Plinius lib. 19. cap. 10. docet cicer arcere erucas ab oleribus, additque: *Semen olerum ſi ſucco eius* (abſinthij) *madefactum ſeratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt.* Vide eumdem de ſeminum vitijs & remedijs lib. 18. cap. 17. vbi inter alia ait: *Vino ante perfuſa ſemina minùs ægrotare exiſtimant.* Pari modo, vt ſemen verbi & gratiæ Dei, in corde à voluptatum corroſione intactum ſeruemus macerandum eſt ſobrietate, ieiunio, pœnitentijs, ceteraque vitæ auſteritate: hæc enim à mente omnem putredinem & corruptionem deliciarum arcet. *Sexta.* Sextò, ſicut terra debet arari, ſtercorari, occari, ſarriri, runcari, &c. vt ſemen in ea germinet & fructum edat; ſic & cor hominum debet ſubigi, purgari, excoli laborioſis actibus pœnitentiæ, mortificationis, obedientiæ, aliarumque virtutum, vt verbum Dei in eo fructum proferat. Hoc eſt, quod ait Iſaias cap. 30. 20. *Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedes bouis & aſini.* Vide ibi dicta. *Septima.* Septimò, ſicut ſemen, vt pulluler, eget pluuia, ſole & cælo; ſic & vt verbum Dei in mente radicetur, & germina bonorum deſideriorum & operationum producat, debet irrigari gratia, & calefieri charitate cæleſti. Hoc eſt, quod ait Iſaias cap. 61. 11. *Sicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat; ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam* (per verbum Euangelij à Chriſto & Apoſtolis ſparſum) *& laudem coram vniuerſis Gentibus.* *Octaua.* Octauò, ſicut ſemen in terra ſuſceptum, vt fructificet, debet reſolui, frangi, aperiri & mori; ſic & verbum in corde hominis, vt fructificet, oportet, vt meditando reſoluatur, comminuatur, conteratur & quaſi moriatur, vtque cor ipſum pariter comminuat & mortificet, iuxta illud Chriſti: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ioan. 12. 24. Rurſum, terra vt ex ſemine fructum ferat, debet pati aratrum, occationem, pluuias, grandines, ventos, &c ſic fidelis, vt ex verbo Dei fructum edat, debet multa aduerſa ſuſtinere. *Nona.* Nonò, ſemen priùs debet radices agere in terra, deinde in germina, & ramos progerminat, mox in flores effloreſcit, & ex ijs denique fructus producit; ſic & verbum Dei priùs radicari debet in mente, deinde germina bonarum cogitationum & flores bonorum deſideriorum proferre, vt tandem fructus bonorum operum producat. *Decima.* Decimò, vis tota arboris, fruticis & plantæ eſt in ſemine: ex illo enim tota arbor & planta omneſque eius partes & membra (quæ proportionaliter ſimilia habet membris animalis & hominis) prodeunt: quocirca multi cenſent ſemen animatum eſſe, idque innuit Ariſtoteles l. 2. de Generat. anim. cap. 1. Semen enim in terra iactum, mox quaſi viuens viua producit germina. Pari modo tota vis virtutis, perfectionis & ſanitatis, qua homo fit ſpiritalis, ſanctus, & perfectus continetur in verbo Dei quaſi in ſemine: hoc enim in mente ſe explicans & germinans omnes omnium virtutũ actiones producit. *Vndecima.* Vndecimò, diuerſa ſemina diuerſos fructus producunt, vt ſemen pyri pyrum, pruni prunum, ceraſi ceraſum, tritici triticum, hordei hordeum, &c. Sic diuerſæ ſententiæ Euangelij diuerſos in mẽte affectus pariunt, vt gnomæ humilitatis pariunt humilitatem, patientiæ patientiam, pœnitentiæ pœnitentiam. *Duodecima.* Duodecimò, ſicut ad generandum prolem concurrit pater & mater; ſic ad fructum producendum concurrit ſemen & terra, ſed ita, vt terra totam vim hunc, illumue fructum producendi, hauriat à ſemine. Simili modo ad bonum opus concurrit verbum Dei, tum externum, tum magis internum, ac liberum hominis arbitrium, quod verbo Dei cooperari debet, ſed ita, vt totam vim producendi opus ſpirituale, ſupernaturale & diuinum, quod ſit Deo gratum & meritorum vitæ æternæ, hauriat à Dei verbo & gratia, vti docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. ſicut à libero arbitrio haurit libertatem, ſiue quòd ſit opus liberum, non coactum, nec neceſſarium: verbum enim internum, quod Deus loquitur in anima, eam excitans & corro-



corroborans ad actus pœnitentiæ, patientiæ charitatis, religionis, &c. non eſt aliud, quàm ipſa gratia Dei intellectum illuminans, & affectum ſiue voluntatem roborans, & accendens ad opera diuina virtutum. Hoc autem verbum internum, putà, hanc gratiam, Deus ſolet addere verbo prædicationis externo, itaque illud quaſi animare, quod alioqui ſine gratia eſſet, quaſi inanime, inefficax & inualidũ ad tanta opera. Quod ergo prædicator loquitur exteriùs in aure, hoc Deus interiùs in corde loquatur oportet, vt fiat fructus

Denique ſicut ex potentiori & efficaciore ſemine, atque ex meliore terra melior producitur fructus, v.g. meliùs triticum, meliùs hordeum; ſic pariter ex potentiori prædicatione, Deique gratia, ac feruentiori cooperatione liberi arbitrij producitur præſtantior virtutis actus, opuſque magis excellens & heroicum. Audi Plinium lib. 18. cap. 24. *Semen optimũ quod?* *Semen optimum anniculum* (vnius anni) *bimum deterius, trimum peſſimum, vltrà ſterile: quod in ima area ſubſedit, ad ſemen reſeruandũ eſt. Id enim optimum quoniam grauiſſimum: optimum granum, quod rubet, & dentibus fractum eumdem habet colorem: Dèterius, cui plus albi ineſt.* *Serendi leges.* Deinde ſerendi leges haſce præſcribit. Primò: *ſationem locis humidis celeriùs fieri; ratio eſt ne ſemen imbre putreſcat: ſiccis ſeriùs, vt pluuiæ ſequantur, ne diu iacens, atq; non concipiens vaneſcat.* Secũdò: *artis eſt æqualiter ſpargere. Manus vtique debet congruere cum gradu, ſemperq́; cum dextro pede.* Tertiò: *non transferendũ eſt ſemen ex locis frigidis in calida, neque ex præcocibus in ſerotina.* Quartò: *pingui ſolo plus ſerito, gracili minùs.* Quintò: *oraculum illud cuſtodiendum, ſegetem non defruges*, id eſt, ne nimia fœtura fructum omnem exhaurias; nam, vt ait Columella, *conſtat ſegetem nimia defrugatione exinaniri.* Sextò addit Plinius: Serendum eſt, *cùm luna eſt in ariete, geminis, leone, libra, aquario. Virgilius triticum & far à vergiliarum occaſu ſeri iubet, hordeum inter æquinoctium & brumam: viciam verò, faſeolos & lentem Boote occidente.* Hæc omnia myſticè adapta Prædicatoribus ſationi Euangelij.

ET NON INTELLIGIT] non aduertit, non capit, non penetrat vim & ſenſa verbi Dei, eò quòd alia occupatio, deſideriũ vel cura, aut ipſe dæmõ animum ad alia cogitanda diuertat & diſtrahat.

HIC EST, QVI SECVS VIAM SEMINATVS EST] Id eſt, ſemẽ verbi Dei excepit. q. d. Hic, & huius cor ſignificatur per illam terræ partem, quæ in via vel iuxta viam exiſtens ſemen ſeminãtis ſuſcepit: vnde Vatablus per hypallagen ſic vertit: *Hoc* (ſemẽ) *eſt, quod iuxta viam ſeminatum eſt.* Sicut enim ſemen in via, vel iuxta viam cadens, à terra calcata & dura reſpuitur, ideoque in terra patulum ab auibus rapitur: ſic pariter ſemẽ verbi Dei in corde conſuetudine peccandi obdurato non ſuſcipitur, ſed illicò à dæmone cor ad conſueta peccata impellẽte, rapitur. Talis ergo reipſa, non agri, ſed viæ; non auditoris, ſed cõtemptoris nomen ſpeciemque & formam obtinet: quare irritus prorſus & caſſus eſt in eo, vt; ote tam duro & inepto, omnis ſeminis verbi Dei iactus.

Porrò terræ in via calcatæ ad ſemen ineptitudo tollitur, ſi ipſa aratro, deinde ligone benè ſubigatur, fiatque mollis & tenera, vt ſemen concipiat: aratio enim viam exteret, & ſepes trãſitũ calcãtium occludet; deinde ſtercoretur, ſed moderatè & congruè. Nam, vt ait Plinius lib. 18. c. 23. *ager, ſi non ſtercoretur, alget: ſi nimiùm ſtercoratus eſt, aduritur: ſatiuſq́; eſt id ſæpe, quàm ſupra modum facere. Quò calidius ſolũ eſt, eò minùs addi ſtercoris, ratio eſt.* Simili modo cordis vitioſa cõſuetudine, quaſi callo obdurati ineptitudo ad verbum Dei tollenda eſt cõpunctione, quę duritiẽ cordis ſcindat & molliat, ac ligone cõtinẽtiæ, quę vitioſas cupiditates frangat, & rectę rationi legiq; Dei ſubijciat.

*Vers. 20. Luc. 8. v. 13. Mar. 4. v. 16.* QVI AVTEM SVPER PETROSA SEMINATVS EST (ſemẽ excepit: ſicut enim dicitur ſeminari ſemẽ, ſic & terra; ſed ſemen obiectiuè, terra paſſiuè) HIC EST QVI VERBVM AVDIT, ET CONTINVO CVM GAVDIO ACCIPIT ILLVD] Vatabl. *Quod antẽ in petroſa ſeminatum eſt, hoc ſignificat eum, qui, &c.*

*Vers. 21. Luc. 8. v. 13. Marc. 4. v. 16. 17.* NON HABET AVTEM IN SE RADICEM, SED EST TEMPORALIS; FACTA AVTEM TRIBVLATIONE ET PERSECVTIONE PROPTER VERBVM CONTINVO SCANDALIZATVR] Hæc eſt ſecunda terræ ſemen recipientis conditio, priore, quæ præceſſit, melior. Prior enim in via planè dura ſemen reſpuebat, hæc verò habens aliquid terræ mollis ſemen recipit & concipit, ſed ad modicum tempus. Senſus eſt ergo. q. d. Terræ petroſæ ſeminatæ ſimile eſt cor auditoris illius, qui verbum Dei audit, & cum gaudio illud mẽte accipit, concipit, ruminat, probat; quia delectatur illius pulchritudine, rectitudine, æquitate ſanctitate & ſpe conſequendæ felicitatis, iuxta illud: *Iuſtitiæ* (leges & præcepta) *Domini rectæ, lætificantes corda.* Pſ. 18. 9. hic citò erumpit in herbam, id eſt, in pium erga fidem affectum & reliqua pietatis opera. Verùm hic qui in corde parum habet terræ & plus petræ, hoc eſt, quia plus habet prauæ conſuetudinis in voluptatibus ſuis obduratæ & lapideſcentis, quàm terreę propenſionis ad res pias, hinc verbũ Deo in eo profundam radicem agere nequit: ſed eſt *temporalis*, id eſt, non eſt conſtans in fide, ſed ad modicum tempus, vt vertit Arabicus, credit; qui dum ſentit verbum Dei ſuis cupiditatibus & vitijs, quibus aſſueuit, aduerſari, illud inſtar terrę duræ & petroſæ elidit & reijcit. Vnde Lucas ait cap. 8. 14. Hi ſunt *qui ad tempus credunt, & in tẽpore tentationis recedunt*, à Dei verbo & fide, aut certè à lege, quam fides ſequendam dictat: quare facta tribulatione à priuatis, vel perſecutione à publicis magiſtratibus, quæ ei vitam, opes, voluptates aut honores, quibus aſſueuit & amore affixus eſt, ob Dei verbum & fidem adimere minantur, continuò ſcandalizatur, id eſt, vt Syrus, *offenditur*, offenſuſque à fide vel fidei profeſſione & exercitio reſilit, &, vt Lucas ait, *recedit*, deficit, apoſtatat. Exemplum dat S. Gregorius hom. 15. in Euang. *Petroſa terra*, inquit, *humorẽ non habuit: quia hoc, quod germinauerat, ad fructum perſeuerantiæ non perduxit. Multi namq́; cùm verbum contra auaritiam audiunt, eamdem auaritiam deteſtantur, rerum omnium cõtemptum, laudant: ſed mox, vt viderit animus, quod cõcupiſcat, obliuiſcitur, quod laudabat. Multi cùm verbum contra luxuriam audiunt, pollutiones carnis non ſolùm perpetrare non appetunt, ſed etiã perpetratas erubeſcunt: ſed mox vt carnis ſpecies eorũ oculis apparet, ſic mens ad deſideria rapitur, ac ſi adhuc ab ea nihil ſit contra hæc eadem deſideria deliberatũ: & damnanda agit, quæ quidquid egiſſe ſe meminit iam & ipſa damnauit. Sæpe etiam contra culpas compũgimur, & tamen poſt fletum ad eaſdem culpas redimus.*

*Vers. 22. Luc. 8. v. 14. Marc 4. v. 18. 19.* QVI AVTEM SEMINATVS EST (ſemen verbi Dei excepit) IN SPINIS, HIC EST, QVI VERBVM AVDIT (Vatablus: *ſemen, quòd ſeminatum*

*tum eſt inter ſpinas ſignificat eum, qui,* &c.) ET SOLICITVDO SÆCVLI ISTIVS, ET FALLACIA DIVITIARVM SVFFOCAT VERBVM, ET SINE FRVCTV EFFICITVR] Tertia eſt hæc terræ ſemen recipientis ſors & conditio, ſecunda tantò melior quantò minùs impedimenti ad germinandum afferunt ſpinæ, quàm petræ. Terra ergo hæc notat cor auditoris, quod diuitijs & curis ſæculi quaſi ſpinis obſitum eſt; hæ enim ſemen verbi Dei progerminans elidunt & ſuffocant, antequam maturos virtutum fructus producat. Nota: diuitiæ aptè comparantur ſpinis, quia inſtar ſpinarum mentem diſtrahunt, pungunt, cruciant, vt de rebus diuinis diuiti ſæpè cogitare non libeat. Audi Rabanum: *Rectè ſpinæ vocantur, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & quaſi ſtrangulando, ſpirituales virtutum fructus gignere non permittunt.*

*Opes ſunt ſpinæ. Cur?*

B Audi & S. Hieronymum: *Mihi videtur & illud, quod iuxta literam ad Adam dicitur: Inter ſpinas & tribulos panem tuum manducabis, hîc ſignificare myſticè, quòd quicumquè ſæculo ſe dederit voluptatibus, curiſq; iſtius mundi, panem cæleſtem & cibum verum inter ſpinas comedit.*

Et S. Gregorium hom. 15. in Euang. *Quis mihi vmquam crederet, ſi ſpinas diuitias interpretari voluiſſem, maximè, cùm illæ pungant, iſtæ delectent? Et tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant, & cùm vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.*

SOLICITVDO SÆCVLI] Id eſt, rerum ſæcularium & temporalium, v.g. cura vxoris, prolium, familiæ, ſtatus, officij, dignitatis, quæ habet, vel quæ ſibi aut ſuis ambit; hæc quaſi ſpina aculeis ſuis mentem lacerat, id eſt, diſtrahit, turbat, mor- C det, vulnerat, exedit, iuxta illud:

*Res eſt ſollicita plena timoris amor:*

Cùm ex diuerſo ſolicitudo ſalutis & rerum diuinarum mentem colligat, ſerenet, ſanet, vegetet. Audi S. Gregorium hom. 15. *Suffocat, quia importunis cogitationibus guttur mentis ſtrangulant: & dum bonum deſiderium intrare ad cor non ſinunt, quaſi aditum flatus vitalis necant. Notandum etiam quòd duo ſunt, quæ diuitijs iungit, ſolicitudines videlicet, & voluptates: quia profectò & per curam mentem opprimunt & per affluentiam reſoluunt.*

*Sunt fallaces. Cur?*

FALLACIA] Id eſt, ſeductio *diuitiarum*, ſunt ipſæ fallaces diuitiæ, quæ mentem à Deo & ſalute ſeducunt ad vanas & noxias opes, quę multorum peccatorum & ſæpè damnationis ſunt cauſa, per fas & nefas conquirendas: fallaces ergo ſunt, quia, quod promittunt, non præſtant, vo- D luptatem ſcilicet & iucunditatem, vt Interlinearis: imò pro ea æternas gehennæ pœnas ſæpe homini accerſunt. Audi S. Hieronymum: *Blandæ ſunt diuitiæ, aliud agentes, aliud pollicentes. Lubrica eſt illarum poſſeſſio, dum huc illucq; circumferuntur, & inſtabili gradu vel habentes deſerunt, vel non habentes reſeriunt. Vnde & Dominus diuites aſſerit difficulter intrare in regnum cælorum, ſuffocantibus diuitijs verbum Dei & rigorem virtutum emollientibus.*

Et S. Gregorius hom. 15. in Euãg. *Fallaces ſunt,* inquit, *quæ nobiſcum diu permanere nõ poſſunt: fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. Solæ autem diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Si ergo fratres chariſſimi diuites eſſe cupitis, ad regnum cæleſte tendite. Si gloriam dignitatis diligitis, in illa ſuperna Angelorum curia adſcribi feſtinate.*

A QVI VERO IN TERRAM BONAM SEMINATVS EST (ſemen verbi Dei excepit) HIC EST, QVI AVDIT VERBVM, ET INTELLIGIT, ET FRVCTVM AFFERT: ET FACIT ALIVD QVIDEM CENTESIMVM, ALIVD AVTEM SEXAGESIMVM, ALIVD VERO TRIGESIMVM] *Terra bona,* ait ex Remigio, S. Thomas in Catena, *eſt fidelis conſcientia electorũ, ſiue mens ſanctorum: qui verbum Dei cum gaudio & deſiderio & cordis deuotione ſuſcipit & inter proſpera & aduerſa viriliter conſeruat, & ad futura perducit, vnde ſequitur: Et facit fructum aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud vero triceſimum.*

VERS. 23. Luc. 8. 15. Mar. 4. v. 20.

INTELLIGIT (mente conſiderat, ruminat, penetrat, probat, guſtat, retinet) ET FRVCTVM AFFERT] Tum bonorum operum, quæ verbum & lex Dei facienda præcipit aut conſulit, tum ijs reſpondentis mercedis & gloriæ in cælo. Vnde B addit Lucas, *in patientia,* Græcè ἐν ὑπομονῇ, id eſt, *in longanimitate,* ſcilicet more agricolæ, longanimiter poſt ſementem bonorum operum & laborum patientiæ, ex ea ſperans & ſpectans fructum & meſſem cæleſtis præmij. *Terra bona,* ait, S. Gregorius hom. 15. *fructus per patientiam reddit. Vua calcibus tunditur; & in vini ſaporem liquatur; oliua contuſionibus expreſſa, amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit: per trituram areæ à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata perueniunt,* &c. Hinc S. Bonauentura in cap. 8. Lucæ ait, bonum auditorem verbi Dei ſe totum illi mancipare, omneſque animæ ſuæ potentias, ſcilicet, intellectum, voluntatem ſiue affectum, memoriam, operandi facultatem & patiendi. Intellectum mancipat & voluntatem, quia verbum recipit in corde bono & optimo. Memoriam, C quia verbum retinet; operandi facultatem & patiendi, quia fructum affert in patientia. Ex aduerſo mali auditores cuſtodiunt verbum Dei ſicut frumentum in area, ait Hugo, hoc eſt, in quaternionibus & libris, numquam ſeminantes & numquam inde comedentes; & ideo numquam metent, &c.

*Auditor totum ſe verbo Dei mancipet.*

ET FACIT (fructum) ALIVD (SEMEN) QVIDEM CENTESIMVM, ALIVD AVTEM SEXAGESIMVM, ALIVD VERÒ TRICESIMVM] Syrus: *Profertque alius* (homo ſeminatus, id eſt, qui ſemen verbi Dei excepit, producit vi iſtius ſeminis, fructus) *centenos, alius ſexagenos, alius denique tricenos. Notandum,* ait S. Hieronymus: *quòd ſicut in terra mala tres fuere diuerſitates, ſcilicet, ſecus viam, petroſa & ſpinoſa loca: ſic in terra bona trina diuerſitas eſt centeſimi, ſexageſimi & fructus triceſimi. Et in illa, aut* D *etiam in iſta non mutatur ſubſtantia, ſed voluntas: & tam incredulorum quàm credentium corda ſunt, quæ ſemen recipiunt.*

Porrò, fructus verbi Dei centeſimus vocatur maximus, ſicut maximus fructus ſeminis eſt, ſi ex vno grano aut vno modio colligatur meſſis centum granorum aut modiorum, vti collegit Iſaac Geneſ. 26. 12. fructus ſexageſimus vocatur mediocris & medius, triceſimus magnus ſed infimus, hoc enim dumtaxat præciſè ad literam intendit hîc Chriſtus. Ponitur enim numerus definitus pro indefinito: alioqui potuiſſet addere. *aliud facit fructum quadrageſimum, aliud viceſimum, aliud quinquageſimum,* &c. Vnde contra Iouinianum & Caluinũ ex hoc loco rectè probatur inæqualitas meriti, & conſequenter præmij bonorum operum in cælo. Ita S. Chryſoſt. hom. 45.

S. Au-



S. Auguſtinus de Virgin. cap. 46. Nazianzen. orat. 28. quæ eſt in Maximum, & alij. Verùm Patres, quidquid rideat & occlamet Caluinus, hæc ſpeciatim verè applicant diuerſis ſtatibus. Primò S. Hieronymus hîc & lib. 1. contra Iouin. ac S. Athanaſius epiſt. ad Ammon. Monachum, & alij fructum centeſimum aſſignant Virginibus, ſexageſimum viduis, triceſimum honeſtis ſanctiſque coniugibus.

*Fructus cẽteſimus, ſexageſimus, trigeſimus quis? Reſp. Primo.*

*Secundò.)* Secundò, S. Cyprianus lib. de Habitu virginum, & S. Auguſtinus lib. 1. quæſt. Euang. quæſt. 9. tom. 4. fructum centeſimum tribuunt martyribus, ſexageſimum virginibus, triceſimum coniugibus. Audi S. Auguſtinum: *Centeſimum* aſſero eſſe, *martyrum propter ſanctitatem vitæ vel contemptum mortis; ſexageſimum virginum propter otium interitus, quia non pugnant contra conſuetudinem carnis: ſolet enim otium concedi ſexagenarijs poſt militiam, vel poſt actiones publicas, triceſimum coniugatorum, quia hæc eſt ætas præliantium: ipſi enim habent acriorem conflictum, ne libidinibus ſuperentur.*

*Tertiò.* Tertiò, Auctor Imperfecti hîc hom. 31. centeſimum dat martyribus; ſexageſimum paupertatem & conſilia Euangelica ſectantibus; triceſimum ijs, qui ſola præceptorum obſeruatione contenti ſunt.

*Quartò.* Quartò, Euthymius & Theophylactus triceſimum dant incipientibus, ſexageſimum proficientibus, centeſimum perfectis. Sic & Nazianzenus orat. 28. A trigeſimo, inquit, ad ſexageſimum progreſſus in centeſimum deſijt, vt nouos ſubinde progreſſus faciens velut Iſaac Gen. 26. magnus tandem fiat de virtute in virtutem ambulans, Pſal. 83. & Cantica graduum canens, atque aſcenſiones in corde ſuo ponens.

*Quintò.* Quintò, Remigius: Semen, ait, fructum facit triceſimum, quando bonam cogitationem gignit: ſexageſimum, quando bonam locutionem; centeſimum, quando ad fructum boni operis perducit.

VERS. 24. ALIAM PARABOLAM (Syrus addit *ænigmaticè*) PROPOSVIT ILLIS, DICENS; SIMILE EST REGNVM CÆLORVM HOMINI, QVI SEMINAVIT BONVM SEMEN IN AGRO SVO] Hoc eſt, ſimiliter agitur in regno cælorum atque in agro, cũ quis eum ſeminat, & inimicus eius ſuperſeminat zizania. Vnde Marcus 4. 26. ita habet: *Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat,* &c. comparatur enim tota parabola toti rei ſignificatæ, non pars parti: alioqui enim homo ſeminans propriè non eſt ſimilis regno, ſed regi cælorum. Simile eſt cap. 11. v. 16. Vide Canonem 28.

VERS. 25 CVM AVTEM DORMIRENT HOMINES, VENIT INIMICVS EIVS, ET SVPERSEMINAVIT ZIZANIA IN MEDIO TRITICI, ET ABIIT] q. d. Noctu, cùm homines dormiunt, clam omnibus venit inimicus eius, qui inuidens felicitati & felici ſegeti ſui æmuli, tam proſperè ſucreſcenti, vt illam perderet, ſuperſeminauit zizania. *τὸ cùm dormirent,* additur ad elegantiam parabolæ; dormientibus enim has fraudes & hæc damna machinari ſolent inuidi. q. d. Cùm æmulo opportunum tempus viſum fuit ſegetem vitiare, quod ſolet eſſe cùm agricola dormit, tunc clanculum venit, & inſperſit zizania.

*Sõnus Prælatorum.* Symbolicè S. Hieronymus, & S. Auguſtinus quæſt. 11. in Matth. per hanc dormitionem ac- A cipiunt negligentiam, & incuriam Epiſcoporum & paſtorum Eccleſiæ, aut mortem Apoſtolorum, hac enim occaſione vſi hæretici & impij, ſeminarũt ſua hæreſeum & ſcelerum zizania. Hinc moraliter diſcant fideles, præſertim paſtores, vigilare & inuigilare tam gregi ſuo, quàm lupis, ne inſerant zizania. His in primis conuenit illud. *Vita mortalium vigilia.* Nam, vt ille ait, *plus dormire quàm vigilare vita eſt glirium, non hominum.*



ZIZANIA] In Euãg. Hebræo habetur חֲרוּלִים *charulim,* id eſt vrticæ, cardui. Porrò *zizania* eſt vox Euangelica, Ciceroni & Demoſtheni incognita, ſignificans lolium, & omne impurum ſegetem vitians & adulterans, quales ſunt auenæ, iuxta illud Virgil. Georg. 1.

*Zizania quæ vox?*

*Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ.*

B *Auenæ* enim dictæ *quaſi auidæ,* ab auiditate occupandi omnia, ſicut *habenæ,* quæ ſunt retinacula equorum, *ab habendi* poteſtate, ait Agratius. Omnis immunditia in ſemine zizania dicitur, ait S. Auguſtinus quæſt. Euãg. in Matth. Tertullianus lib. de Præſcript. aduerſus Hæret. cap. 31. zizania interpretatur auenas: *Parabola,* inquit, *quæ bonum ſemen frumenti, à Domino ſeminatũ primò conſtituit, auenarum* (zizaniorum) *autem ſterilis fœni adulterium ab inimico diabolo poſtea ſuperducit:* vnde colligit: *poſteritatem* hæreſis *mendacitati deputandam.* Hinc lib. de Anima cap. 16. zizaniorum ſeminatorem vocat *auenarum ſuperſeminatorẽ, & frumentariæ ſegetis nocturnũ interpolatorem.* Audi S. Iſidorum lib. 17. Etymol. cap. 9. in fine: *Zizania, quod poëtæ ſemper infelix lolium dicunt, quòd ſit inutile & infœcundum. Fœnum dictũ, quòd eo flamma nutritur;* C *φῶς enim flamma eſt. Manipulum dicimus faſcem fœni: Et dictus manipulus, quòd manum impleat.*

*Auenæ Etymon.*

Zizania ergo ſunt lolium ſegetibus inimicum & quidquid tritico aduerſatur. Audi Plinium lib. 18. cap. 17. *Nam lolium, & tribulos, & carduos lappaſq; non minus quàm rubos, inter frugum morbos prius, quàm inter ipſius terræ peſtem numerauerim.* Etymologus vult ζιζάνιον, dici quaſi σιτιζάνιον, quòd frugibus aſſideat, & cum ijs ſuccreſcat, σῖτος enim eſt frumentum; ἱζάνω eſt aſſideo. Alij malunt eſſe vocem Syram; nam & Syrus hîc habet זִיזָנָא *zizane.* Arab. זואן *zauen.* Chald. זן eſt nutrire, זַן eſt *ſpecies, figura.* Habet enim ſpeciem alimentariæ frugis, ſed non eſt. Verùm Syrus, & Arabicus ex Græco Euangelio traducti ſunt; vnde græcizant, & ſubinde voces Græcas vſurpãt. vti hîc vſurpant *zizane,* quòd planè à Græco ζι- D ζάνια deductum videtur: quare hæc vox potiùs Græca videtur quàm Syra. Galli *yuroie* vocant, Saxones *dolck,* Germani *droncaert,* quia inebriat: parit enim eſitantibus vertigines, ſtupiditatem & velut temulentiam quandam. Hinc zizania myſticè ſignificant Hæreticos & peccatores, præſertim qui alios verbo vel exemplo vitiãt & corrumpunt, vti docet S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus, S. Gregorius & alij: zizania enim tritico nocent, illudq; ſuffocant & enecant, tũ quia alimentum, putà ſuccum terræ exugunt triticoque præripiunt; tum quia ſua amaritie & malignitate terram, & conſequenter triticum ex ea germinans inficiunt, corrumpunt, & ſtrangulant. Hæc eſt ſecunda Chriſti parabola zizaniorum, per quã tacitè perſtringit Scribas & Phariſæos ſuos æmulos, qui ſuo verbi Dei ſemini, id eſt, prædicationi Euangelicæ ſuperſeminabant zizania calũniarum.

*Zizania, quid? Zizaniorũ Etymon.*

*Zizania inebriant.*

*Myſticè ſũt hæretici & peccatores.*

niarum, dicendo Ieſum aduerſari Moyſi, non ſeruare Sabbatum, verſari cum peccatoribus & meretricibus, habere familiaritatem cum dæmone, & in Beelzebub eijcere dæmonia, &c. per quæ inferebant, Ieſum non eſſe Meſſiam, ſed magum & impoſtorem, itaque populum ab eo, eiuſque Euangelio, quod auidè audiebat, auertebant, ac bona fidei & pietatis ſemina, & deſideria in eorum cordibus à Chriſto iacta elidebant, & ſuffocabant. Quocirca ipſi erant zizania, id eſt, ſemina praua diaboli.

VERS. 26. CVM AVTEM CREVISSET HERBA ET FRVCTVM FECISSET, TVNC APPARVERVNT ET ZIZANIA] Nam prima germina zizaniorum & tritici ſimilia ſunt, vt vnum ab alio diſcerni nequeat; cùm autem creuerint, tunc ſua diſſimilitudine ſe produnt, vt facilè zizania à tritico ſecernas.

VERS. 27. ACCEDENTES AVTEM SERVI PATRIS FAMILIAS DIXERVNT EI: DOMINE NONNE BONVM SEMEN SEMINASTI IN AGRO TVO? VNDE ERGO HABET ZIZANIA?

VERS. 28. ET AIT ILLIS: INIMICVS HOMO HOC FECIT. SERVI AVTEM DIXERVNT EI: VIS IMVS ET COLLIGIMVS EA?

VERS. 29. ET AIT: NON, NE FORTE COLLIGENTES ZIZANIA, ERADICETIS SIMVL CVM EIS ET TRITICVM] Zizania enim radicibus tritici ſe innectunt & implectunt, vt ſi illa velis euellere, debeas & triticum euellere.

VERS. 30. SINITE VTRAQVE CRESCERE VSQVE AD MESSEM, ET IN TEMPORE MESSIS DICAM MESSORIBVS: COLLIGITE PRIMVM ZIZANIA, ET ALLIGATE EA IN FASCICVLOS AD COMBVRENDVM: TRITICVM AVTEM CONGREGATE IN HORREVM MEVM] *Creſcere* Græcè συναυξάνεσθαι, id eſt, ſimul creſcere, pariter augere. *Colligite*, poſt demeſſam ſegetem ſeparate ab ea zizania, vt comburantur; nam nimis longum & operoſum eſſet ante meſſem, immixta ſegeti hinc inde zizania ſigillatim demetere vel euellere. Hæc eſt parabola, quam explicabit Chriſtus v. 37.

VERS. 31. Luc. 13. 19. Marc. 4. 31. ALIAM PARABOLAM PROPOSVIT EIS DICENS: SIMILE EST REGNVM CÆLORVM GRANO SINAPIS, QVOD ACCIPIENS HOMO SEMINAVIT IN AGRO SVO.

VERS. 32. Luc. 13. 19. Mar. 4. 31. 32. QVOD MINIMVM QVIDEM EST OMNIBVS SEMINIBVS: CVM AVTEM CREVERIT, MAIVS EST OMNIBVS OLERIBVS, ET FIT ARBOR, ITA VT VOLVCRES CÆLI VENIANT, ET HABITENT IN RAMIS EIVS] Arabicus: *adeò vt volucres cæli obumbrentur ſub ramis eius*. Hæc eſt tertia Chriſti parabola grani ſinapis, cuius occaſionem & cauſam aſſignat ſanctus Chryſoſtomus: *Quia Dominus dixerat*, inquit, *quòd de ſemine tres partes pereunt & ſaluatur vna, & in ipſa rurſus, quæ ſaluatur, multa efficitur iactura propter zizania, quæ ſuperſeminantur, ne dicerent: Qui ergo erunt & quanti fideles? conſequenter hunc timorem auferт per parabolam grani ſinapis, & ideo dicitur: Aliam parabolam propoſuit eis dicens: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo*, &c.

*Regnũ cælorũ quod. Reſponſ. Primo.* Quęres primò, quodnam hic vocatur regnum cælorum quod ſimile eſt grano ſinapis? Primò, ſanctus Hilarius hic Canone 13. accipit ipſum Chriſtum: *Grano ſinapis*, ait, *ſe Dominus comparauit acri maximè & omnium ſeminum minimo, cuius virtus ac poteſtas tribulationibus & preſſuris accenditur. Granum hoc igitur poſtquam in agro ſatum fuerat, id eſt, vbi à populo comprehenſus & traditus morti, tamquam in agro ſatione quadam fuit corporis conſepultus, vltra menſuram omnium olerum excreſcit, & vniuerſam Prophetarum gloriam excedit; Oleris enim vice, tamquam ægroto Iſraëli data eſt prædicatio Prophetarum: Sed iam in ramis arboris ex ſolo in ſublime prolatæ, cæli volucres inhabitant; Apoſtolos ſcilicet, ex Chriſti virtute protenſos, & mundum inumbrantes in ramis intelligimus: in quos Gentes in ſpem vitæ aduolabant, & aurarum turbine, id eſt, diaboli ſpiritu flatuq; vexatæ, tamquam in ramis arboris requieſcent.* Sic & ſanctus Gregorius lib. 19. Moral. cap. 11. quem audi, totam hanc parabolam per ſingulas partes de Chriſto explicantem: *Ipſe quippe eſt granum ſinapis, qui in horti ſepultura plantatus; arbor magna reſurrexit. Granum namq; fuit, cùm moreretur; arbor cùm reſurgeret. Granum per humilitatem carnis: arbor per potentiam maieſtatis. Granum, quia vidimus eum, & non erat aſpectus: arbor autem, quia ſpecioſus forma præ filijs hominum. Huius arboris rami, ſancti prædicatores ſunt. Et videamus quàm latè tendantur. Quid enim de eis dicitur? In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In iſtis ramis volucres requieſcunt, quia ſanctæ animæ, quæ quibuſdam virtutum pennis à terrena cogitatione ſe ſubleuant, in eorum dictis atque conſolationibus ab huius vitæ fatigatione reſpirant.* Similia habet ſanctus Auguſtinus ſerm. 33. de Sanctis.

Dices, quomodo Chriſtus vocari poteſt regnum cælorum, cùm ipſe non ſit regnum, ſed rex cælorum? Reſpondetur? Sicut rex eſt quaſi caput in regno, ſic regnum viciſſim vt corpus eſt in rege, vt ſuo capite. Quare rex repræſentat totam rempubl. & regnum. Hinc iuxta regulam Ticonij ſæpè in Script. quæ ſunt Eccleſiæ (quæ eſt regnum Chriſti) tribuuntur Chriſto & vice verſa. Reſpond. Secundò: Senſus planus eſt. q.d. Similiter agitur in regno cælorum, atque ſi quis in eo velut in agro Dei ſeminet granum ſinapis, id eſt, Chriſtum, qui altiſſimè excreſcat & quaquauerſum ſe propaget. Similem phraſim audiuimus. verſ. 24.

*Secundo, Granum ſinapis eſt Eccleſia.* Secundò planiùs & aptiùs, regnum cælorum & granum ſinapis eſt Eccleſia, præſertim primitiua. Ita ſanctus Chryſoſtomus, ait fides, vt vult ſanctus Auguſtinus, aut potius Euangelium & doctrina Euangelica (quamquam hæc omnia eodem ferè redeant) vt volunt ſanctus Hieronymus, ſanctus Ambroſius, Beda, & alij: hanc enim primò comparauit ſemini, verſ. 3. & 24. Secundò grano ſinapis, hoc verſ. Tertiò fermento, verſ. 33. Quartò theſauro abſcondito in agro, verſ. 44. Quintò, margaritæ pretioſæ, verſ. 46. Sextò ſagenæ miſſæ in mare verſ. 47. Hæc dicitur regnum cælorum, quia per illam Deus regnat in nobis, & nos ad ſuum regnum in cælis perducit.

*Analogia grani ſinapis & Euangelij. Prima.* Quæres Secundò, cur Euangelium comparetur grano ſinapis, & quę vtriuſque ſint analogię? Reſpond. Prima eſt, quòd Chriſtus per hanc parabolam intendat ſignificare ingentem vim, fructum, & propaginem Euangelicæ prædicationis, vtpote quæ à tenui initio cum Chriſto cœpit, & per paucos Apoſtolos in totum orbem ſe dilatauit. Granum enim ſinapis eſt, *minimum omnibus ſeminibus*, id eſt, omnium ſeminum, vt habet Syrus & Arabicus. Græcè μικρότερον πάντων σπερμάτων, id eſt, *minus omnibus ſeminibus: minus*. id eſt, minimum; intellige hoc iuxta morem loquendi vulgarem hominum, quo minimum vocamus id, quod valde paruum eſt & vnum è minimis; nam alioqui præcisè ſemen papaueris, rutæ, ſaluiæ, baſilici, & aliarum herbarum minùs eſt grano ſinapis, ſic Euangelica prædicatio primò ſterit in Chriſto & paucis Apoſtolis, fuitque minima.

*Secundo.* Secundò, Granum ſinapis præſertim in Syria creſcit in arborem, ita vt in ramis eius *habitent*, Syrus *nidificent, volucres cæli*; ſic Euangelium creuit & totum orbem occupauit, ita vt in ramis eius habitent volucres cæli, id eſt, homines ſcientia & ſenſu ſublimes; item reges & principes, vti patet Daniel. cap. 4. verſ. 9. & 19. nonnulli Angelos accipiũt, hi enim ſunt alati & celerrimi, Audi ſanctum Auguſtinum ſerm. 33. de Sanctis: *Ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, ramus eſt beatus Laurentius, cuius hodie natalitia celebramus. Rami ſunt omnes Apoſtoli vel martyres Saluatoris, ad quos ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſæculi minimè mergitur; quin potiùs ſub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, ſecuruſq; de diabolicæ tempeſtatis procella erit, & de die iudicij exurentis incendio.*

*Tertio.* Tertiò & maximè, in ſinapi notatur ignea vis & efficacia Euangelij: *Pythagoras enim*, ait Plinius l. 20. c. 22. *ſinapi principatum habere ex his, quorum in ſublime vis feratur, iudicauit; quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetrat.* Granũ ſinapis ad feruorem fidei pertinet; ait ſanctus Auguſtinus, *Phariſæorum enim dogmata*, ait ſanctus Hieronymus, *cum creuerint, nihil mordax, nihil vitale demonſtrant, totũ flaccidum marcidumq; ebullit in olera & in herbas: quæ citò areſcunt & corruunt. Prædicatio autem Euangelica, quæ parua videbatur in principio, cum vel in animam vel in totum mũdum ſata fuerit, non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem.*

*Quarto.* Quartò, Sinapi conteri debet; cõtritum enim igneam vim & halitum expirat: ſic mille preſſuris & perſecutionibus contrita fuit in Apoſtolis Euangelica prædicatio, tuncque igneam ſuam vim & fortitudinem exhalauit.

*Quinto. Sinapis qualitates.* Quintò, Sinapi, teſte Plinio lib. 20. verſ. 22. acre & mordax lachrymas ciet, purgat pituitam, & cerebri ſuperfluitates, excretiones faciles facit, ad dentium dolorem manditur, tritum cum aceto ad ictus ſcorpionum & ſerpentum illinitur, fungorum venena diſcutit, ſtomacho vtiliſſimum contra animæ vitia, ac pectori pulmonibuſque, valet cõtra epilepſiam, hydropem, aſthma, lethargum, alopecias, pſoras, calculos, pluresque alios morbos: ſic Euangelium venena id eſt, peccata expellit vomitu confeſſionis: acre eſt & mordax, quia pœnitentiam docet & crucem; lachrymas compunctionis ciet; omnibus animę potentijs medetur & opitulatur, ac præſertim concupiſcentias deſiccat, vitia expellit, virtutes acuit: *Amaritudo* enim *ſermonum medicina eſt animarum*, ait ſanctus Auguſtinus ſermon. 33. de Sanctis

*Sexto.* Sextò, Sinapi ſua acredine cibos condit, ſapidoſque efficit: ſic & Euãgelium omne, quod durum & arduum eſt, ſapidũ efficit exemplo Chriſti, & ſpe futuræ gloriæ, quã promittit. Hæc ferè omnia docet ſanctus Auguſtinus ſerm. 31. & 33. de Sanctis, qui ſunt de ſancto Laurentio ſecundus & quartus: ijdem ſermones extant apud ſanctum Ambroſium tom. 5. ſerm. 19. & 20. in Dominica 6. poſt Epiphaniam, ſed ſtylus magis redolet phraſim ſancti Auguſtini. Ibi ergo ſic ait: *Granum ſinapis magnũ eſt; non ſpetie, ſed virtute: Prima fronte ſpeciei ſuæ paruum eſt; vile, deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuauitatem; at vbi teri cœperit, ſtatim odorem ſuũ fundit acrimoniam exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto caloris feruore ſuccenditur, vt mirũ ſit in tam friuolis tantùm ignem fuiſſe concluſum, cum etiam ſemen in cibum homines, hyemis præcipuè tempore, magna pro ſuauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viſcerum interna calefaciant. Sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinã, vt ſi quid inualidum, ſi quid ægrotum fuerit, ſinapis igne curetur.* Deinde has ſinapis dotes applicans Euãgelio & fidei Chriſtianæ, ſubiungit: *Ita ergo & fides Chriſtiana prima fronte videtur eſſe parua, vilis & tenuis; non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam præferens, non gratiam ſubminiſtrans. At vbi diuerſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ crudelitatis aſpirat; & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipſa ferueat, & participantes ſibi ardere cõpellat. Sicut in ſancto Euangelio duo ex diſcipulis dixerunt, dùm cum ipſis poſt paſſionem ſuam Dominus loqueretur: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis in via, dum aperiret nobis Scripturas Dominus Ieſus? Ergo granum ſinapis membrorum viſcera calefacit, fidei autẽ vigor cordium peccata comburit; Et illud quidem aſperum algorem frigoris remouet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis, inquam, granum humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluenta conſumit. Et per illud medicina capitis procuratur: Per fidem autem ſpiritale caput noſtrum, quod eſt Chriſtus Dominus ſæpiùs reſouetur, ſed & fidei, iuxta comparationem ſinapis, ſancto odore perfruitur, ſicut ait Apoſtolus, beatus; Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo.*

*Tropolog.* Tropologicè hæc omnia adaptes animæ fideli, ac præſertim Apoſtolo, vel patienti, ac martyri verbum Dei velut granum ſinapis audienti, ruminanti, prædicanti, & in cor tam ſuum, quàm aliorum tranſmittenti. Vnde ſancto Laurentio, cui hoc Euangelium adaptat Eccleſia in eius feſto, ita hæc attribuit ſanctus Auguſtinus loco iã citato: *Igitur ſanctum martyrem Laurentium grano ſinapis poſſumus cõparare, qui diuerſis atteritus paſſionibus, per totum orbem gratia meruit fragrare martyrij.* *Sinapi fuit S. Laurentius.* *Qui ante cõſtitutus in corpore erat humilis, ignotus & vilis, poſteaquam vexatus, laceratus, exuſtus eſt; vniuerſis per totum mundum Eccleſiis odorẽ ſuæ nobilitatis infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur: Siquidẽ granum ſinapis, cùm teritur, accenditur: Laurentius, cum patitur, inflammatur. Illud feruor attritionis ſuæ mouet, hic ignem plurima vexatione ſuſpirat. Sinapis, inquam, in vaſculo calido decoquitur: Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinſecus beatus Laurentius martyr tyranni ſæuientis incendijs, ſed maior illum intrinſecus Chriſti amoris flamma torrebat.* Arabum eſt prouerbium: *Granum piperis præualet multis magniſq; cucurbitis*, quia ſi conteratur, vim igneam exerit, omniumque naribus ingerit. Idem dicas de grano ſinapis. Fidelis ergo ſit granum piperis vel ſinapis vt vbique ſpiret ignem diuinum, eumque omnibus aſpiret, itaque omnes piperet, ſuique ſimiles efficaces ſcilicet & ardentes in Dei amore efficiat.

Vers. 33. Luc. 13. 21.

Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum est totum] Hæc eſt quarta Chriſti parabola fermenti, qua, ſicut & per parabolam ſinapis oſtendit vim & efficaciam Euangelicæ prædicationis & doctrinæ. q.d. ait ſanctus Chryſoſtomus: *Sicut fermentum multam farinam tranſmutat in ſuam virtutem, ita & vos* (ô Apoſtoli) *totum mundum tranſmutabitis.* Notat ſanctus Chryſoſtomus τὸ *abſcondit.* q.d. *Ita & vos cum ſubiecti fueritis impugnatoribus veſtris, tunc eos ſuperabitis: Et ſicut fermentum ſuffoditur quidem, non autem deſtruitur, ſed paulatim ad ſuum habitum omnia tranſmutat; ſic & in prædicatione veſtra continget. Non itaque quia multas dixi ſuperuenturas vobis vexationes, timeatis; ita enim fulgebitis, & omnes ſuperabitis.*

*Fermentum à feruendo.* Quæres, cur Chriſtus Euangelium comparat fermento? Reſpond. Fermentum eſt portio farinæ ſubactæ acidæ, ita dictum, quòd feruendo creſcat. Audi Plinium lib. 18. cap. 11. modum, quo fit fermentum, deſcribentem: *Nunc* (nam olim alio modo fiebat, vti idem paulò antè narrauit) *fermentum fit ex ipſa farina, quæ ſubigitur priùs quàm addatur ſal, ad pultis modum, & relicta, donec aceſcat: Vulgo verò nec ſufferuefaciunt, ſed tantùm pridie aſſeruata materia vtuntur. Palamque natura eſt acore fermentari, ſicut & validiora eſſe corpora quæ fermentato pane alantur; quippe cum apud veteres ponderoſiſſimo cuique tritico præcipua ſalubritas perhibita ſit.*

*Fermenti & Euangelij analogia.* Rurſum fermentum, ait Albertus Magnus, licèt modicum, calore ſuo humidum totius maſſæ farinæ maturat; ſubactum quaſi totum in ſe conuertit & fermentat, acore ſuo eleuat, & quaſi ſpiritale aëreumque efficit, ſapidum reddit, digeſtumque præparat, vt fiat panis ſalubris hominem alens, ſuſtentans, & corroborans. Simili modo Euangelium, per paucos Apoſtolos multa tribulatione & morte ſubactos, totum mundum ad ſe conuertit, & cor cuiuſque facit amore Dei feruens, Deo ſapidum, gratum, maturum, perfectum, illudque à terrenis eleuat ad cæleſtia. Mulier fermentans eſt Eccleſia, vel Dei potentia & ſapientia, ait ſanctus Auguſtinus l. 1. Quæſt. Euangel. quæſt. 12. & Cæſarius dialogo 4.

Tropologicè ſanctus Auguſtinus lib. 1. qq. Euang. quæſt. 12. *Fermentum*, inquit, *dicit dilectionem, eò quòd ferueſcere facit & excitat. Mulierem, ſapientiam dicit. In farinæ autem ſatis tribus, intelliguntur vel tria illa in homine, ex toto corde, ex tota anima & ex tota mente: vel tria illa fructifera; centeſimum, ſexageſimum, & triceſimum; vel tria illa genera hominum, Noë, Daniel & Iob.* Addit Rabanus: *Dicit autem donec fermentatum eſt totum: quia charitas in mente noſtra recondita eò vſque creſcere debet, vt totam mentem in ſui perfectionem commutet: quòd hîc quidem inchoatur, in futuro verò perficitur.*

*Fermentum ſunt Apoſtoli.* Porrò quomodo Chriſtus, Apoſtoli & ſimiles ſint fermentum Eccleſiæ, imò totius mundi, audi docentem ſanctum Ambroſium ſerm. 21. in Dominica 6. poſt Epiphan. *Fermentum cùm ſit magnitudine paruum, ſpecie ſimplex, natura commune tantam fortitudinem intrinſecus gerit, vt cum reconditum fuerit in farina, ſuccus hic totam maſſam faciat eſſe quod ipſe eſt, & ita ſemper vniuerſum cumulum aſperſionis ſuæ vigore diffundit, vt omnem ipſam magnitudinem pollinis faciat fermentum, at ſi res ipſa fortitudine ſua molem ſibi proprij vigoris acquirit. Hoc autem faciunt mulieres, vt viris ſuis ſalubriorem panem, & cibum vtilem diligenter exhibeant.* Deinde hæc applicans Chriſto: *Ergo ſi triticum Dominus* (vt ipſe ait Ioan. 12. 24.) *& Dominus eſt fermentum, quia fermentum non niſi de tritico fieri ſolet: rectè ergo fermento Dominus comparatur, qui cum eſſet ſpecie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinſecus ſapientiæ virtute pollebat, vt doctrinam ipſius mundus ipſe vix caperet; qui cum ſe cœpit per totum orbem diuinitatis vigore diffundere, ſtatim omne hominum genus in ſubſtantiam ſuam ſui poteſtate protraxit, vt & iugum Spiritus ſui ſancti infunderet omnibus, hoc eſt, Chriſtianos cunctos faceret eſſe, quod Chriſtus eſt.* (*Et Chriſtus.*) Addit quod ſicut fermentum confringitur, & per totam farinæ maſſam diſpergitur, vt illam fermentet, ſic Chriſtus *diuerſis paſſionibus confractus, laceratus & diſſolutus eſt, & ſuccus eius pro ſalute noſtra, qui eſt pretioſus ſanguis, effuſus eſt, vt admixtione ſui omne genus humanum ſolidaret quod per diuerſa antra reſolutum iacebat.* Vide & ſanctum Chryſoſtomum hîc hom. 47. vbi inter alia ait: *Si duodecim homines* (Apoſtoli) *totam penè farinam orbis fermentarunt, diligenter animo verſa, quanta ſit noſtra malignitas atque ignauia, qui cùm iam innumeri ſimus, has Gentium reliquias conuertere non poſſumus, qui vel mille mundis ſatisfacere deberemus.* Idem deflebat S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, cuius hoc erat dictum: *Olim ſacerdotes aurei celebrabant in vaſis ligneis: nunc ſacerdotes lignei celebrant in vaſis aureis.*

*Satum quid?* In farinæ satis tribus] *Satum*, vel vt Hebraicè eſt *ſea*, genus eſt menſuræ aridorum, æquale bato, quæ eſt menſura liquidorum continens modium Italicum, vel vt ſanctus Hieronymus & Ioſephus 15. Antiq. cap. 11. modium cum dimidio. Sanctus Hieronymus ſatum alibi vertit modium: Cùm ergo tres modij facerent vnum ephi, vt patet Ruth 2. v. 17. ſicut decem gomor faciebant vnum ephi, vt patet Ezechiel 45. v. 11. hinc ſequitur ſatum fuiſſe tertiam partem ephi, & trigeſimam cori. Denique ſatum continebat tres modios Atticos, ait Ioſephus. Iam farina tota ſignificat omnes homines fide Chriſti, quaſi fermento ſpirituali conditos & fermentatos.

*Tria ſata quid?* Tria ſata ſunt tres mundi partes, ſcilicet, Aſia, Africa, Europa. Has deſignant tres filij, Noë: poſteri enim Sem inhabitarunt Aſiam, Cham Africam, Iaphet Europam. Ita Cæſarius frater ſancti Gregorij Nazianzeni Dialogo 4. & S. Auguſtinus ſerm. 32. de Verbis Domini ſecundùm Lucam.

*Myſticè.* Myſticè S. Ambroſius Theophyl. & ſanctus Hieronymus: Euangelium, inquiunt, fermentat, ſibique vnit tria ſata, id eſt, tres hominis partes ſcilicet, ſpiritum, animam, & corpus, item tres appetitus, putà rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem, *vt in ratione*, ait S. Hieronymus, *poſſideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in deſiderio cupiditatem virtutum.*

*Symbol.* Symbolicè S. Hilarius: Gratia Euangelij, inquit, abſcondita fuit in lege, Pſalmis & Prophetis, nunc apparuit in S. Trinitatis fide, ſpe, charitate, *vt quod lex conſtituit, Prophetæ nuntiauerunt, idipſum Euangeliorum profectibus expleatur*; vel vt alij, in triplici Dei ope, ſcilicet, creationis, redemptionis, & glorificationis conſummetur. Aut vt alij, quia Euangelium triplices facit fideles, ſcilicet, incipientes, proficientes, & perfectos, affertque fructum trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum.



*Allegor.* Allegoricè S. Bernardus lib. 5. de Conſider. S. Virgo, ait, in vtero ſuo tria ſata, id eſt, tres Chriſti naturas, ſcilicet animam, corpus, & diuinitatem vni hypoſtaſi verbi iunxit & vniuit.

*Anagog.* Anagogicè Cæſarius dialogo 4. Mulier fermentans, inquit, eſt Dei potentia & ſapientia, putà Deitas Chriſti; farinæ ſata tria ſunt: *Primùm vniuerſa mortalium natura; ſecundum mors, tertium orcus*, id eſt, infernus & ſepulchrum, in quo abſconditum Chriſti corpus fermentauit omnia in reſurrectionem & vitam.

Vers. 34. Mar. 4. 33 34. Vers. 35.

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis (q. d. nil loquebatur eis niſi per parabolas, hoc eſt, parabolicè) vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum: eructabo abſcondita (Hebr. חִידוֹת *chidot*, id eſt, ænigmata, vt vertit Chaldæus, & ſanctus Hieronymus Pſalm. 77. 2.) a constitutione mundi] Arabicus: *Et loquar abſcondita ante conſtitutionem mundi.* Citat Chriſtus Dauidem Pſalm. 77. v. 2. qui toto illo Pſalmo ad literam commemorat & celebrat beneficia à Deo præſtita Synagogæ, id eſt, populo Iſraëlitico, *ab initio*, id eſt, ab egreſſu ex Ægypto duce Moyſe, tranſituro per mare rubrum in terram promiſſam, vſque ad Dauidem. vt per ea excitet populum ad gratitudinem, Deique amorem & cultum: Myſticè verò, ait ſanctus Hieronymus, Dauid ibidem fuit typus Chriſti hîc, qui beneficia à Deo Eccleſiæ per ſe præſtita, & abſcondita olim, de promiſſa eidem in cælis terra, myſteria per parabolas eructat & celebrat; vbi nota pro parabolis, hebr. eſt מָשָׁל *maſcal*, quod ſignificat quamuis ſententiam grauem, illuſtrem & alijs quaſi prædominantem מָשָׁל (*maſcal* enim ſignificat dominari) ideoque obſcuram & reconditam; ſiue ea ſit ænigma, ſiue allegoria, ſiue parabola, ſiue ſententia propriè dicta, vt patet hîc cap. 15. v. 15. Vide dicta Prouerb. 1. verſ. 1. Itaque illo Pſalmo 77. non ſunt parabolæ propriè dictæ, ſed graues dumtaxat ſententiæ: hîc verò ſimiles ſunt graues ſententiæ, ſunt & parabolæ propriè dictæ: & ſic vtrouis modò hic verſus Pſalmi competit Chriſto cum vno tantùm modo competat Dauidi: In ſcriptura enim multa dicuntur, quæ magis & pleniùs conueniunt rei per allegoriam ſignificatæ quàm ipſi allegoriæ eiuſque ſenſui literali: patet hoc in magnificis promiſſionibus à Deo factis Dauidi de regno Salomonis, quaſi filij ſibi in regno ſucceſſuri. Multa enim tam ampla in eis dicuntur, vt plenè & perfectè competant ſoli Chriſto, typicè verò & exiliter Salomoni, qui typus erat Chriſti. Vide illa 2. Regum 7. 13. Idem fit hoc loco.

Vers. 36. Tunc dimissis turbis venit in domum (id eſt, rediit in hoſpitium Capharnai à ſe conductum, vnde manè egreſſus fuerat verſ. 1. et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Ediſsere nobis parabolam zizaniorum agri] Hæc enim ceteris videbatur obſcurior, & duriores continere minas.

Vers. 37. *Explicatio parabolæ zizaniorum.* Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est filius hominis] q.d. Ego ſum ſeminator boni ſeminis, putà, Euangelij & verbi Dei; hoc enim ſemino, id eſt, prædico non ſolùm per me, ſed & per meos Apoſtolos, ſed ita, vt illi dumtaxat ſint mea organa, meæ voces, meique præcones; ego verò ſim ſolus prædicationis auctor, qui quod illi ex mea doctrina prædicant exteriùs, prædico interiùs in mentibus audientium, facioque vt ipſi eadem intelligant, ament, amplectantur, & opere exequantur per gratiam meam, quâ intellectum illorum illumino, & voluntatem eorum inflammo.

Vers. 38. Ager autem est mundus: bonum vero semen, hi sunt filii regni, zizania autem filii sunt nequam] *Mundus*: nam *in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Pſal. 18. Ager ergo eſt mundus, non Eccleſia; nam per zizania huius agri multi intelligunt hæreticos, qui non ſunt in Eccleſia, præſertim cùm ſunt manifeſti & publici.

*Filij regni qui?* Filii regni] Hi ſunt fideles, iuſti, & in iuſtitia perſeuerantes, ideoque à Deo electi, vt ſint hæredes regni cælorum. Vnde verſ. 43. eos vocat iuſtos dicens: *Tunc fulgebunt iuſti.* Hi ſunt *filij* patris cæleſtis, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Ioan. 1. v. 13.

Nota: *Iuſti* hîc vocantur *ſemen*, quia licèt ſemen, quod propriè ſeminat Chriſtus, ſit ipſum verbum Dei, tum exteriùs ore per loquelam, tum interiùs in corde per gratiam ab eo ſatum, iuxta illud Lucæ 8. v. 12. *Semen eſt verbum Dei*, tamen quia ſeminis huius fructus eſt conuerſio, & iuſtificatio fidelium, hinc fideles iuſti vocantur quoque ſemen, id eſt, ſeminis fructus, & meſſis per metonymiam, quia per cauſam ſignificatur effectus. Vnde ſemen hoc per meſſem & meſſores, in quos deſinit, explicat Chriſtus v. 39.

*Zizania qui?* Zizania autem filii sunt nequam] Græcè ὑοὶ τȣ̃ πονηρȣ̃, id eſt, *filij illius mali*, vel maligni, ſcilicet, diaboli, ita Syrus, & Arabicus, ideoque & ipſi mali, & nequam; nam patrem ſequitur ſua proles: quare ſicut filij Dei ſunt boni & diuini, ſic filij diaboli ſunt mali, nequam, & diabolici, quia imitatores diabolicæ falſitatis, ait S. Auguſtinus.

*Nequam etymon.* Nota: Per zizania, & filios nequam nonnulli accipiunt hæreticos, quia hi maxima ſunt, maximeque nociua zizania, vtpote qui fideles, fidemque à fundamentis ſuffocent, & euertant. Ita S. Chryſoſtomus Euthymius, & ſanctus Auguſtinus, lib. Quæſt. in Matth. quæſt. 11. qui tamen idipſum retractat lib. 2. Retract. c. 28. ac docet ex ſancto Cypriano, zizania notare omnes malos, qui ſunt in Eccleſia. Idem docent S. Gregorius, S. Ambroſius, Theophylactus & S. Auguſtinus ſerm. 39. de Sanctis: Omnes enim mali ſuâ mala vita nocent fidelibus & Eccleſiæ, ſicut zizania nocent tritico, illudque ſuffocant, ideoque vocantur *nequam; nequam* enim eſt homo nullius pretij, *quòd ne tanti quidem ſit, quàm quod habetur minimi*, ait Feſtus; vel, vt Varro, *nequam dicitur quaſi nequidquam*; vel, vt alij, à *nequeo*, quòd nihil queat, nullique rei ſit aptus. Vide Gellium lib. 7. c. 11.

Quare

Quare perperam ex hoc loco v.29. vbi Chriſtus vetat euelli hæc zizania ſubditque verſ.30. *Sinite vtraque creſcere*, Nouantes inferunt, hæreticos nō eſſe plectendos & extirpandos, quia pari modo ex eodem concluderent homicidas & fures non eſſe plectendos: hi enim quoque ſunt zizania. Dico ergo Chriſtum hîc non prohibere abſolutè, ne hæc zizania euellantur, ſed ne quis euellere conetur omnia omnino; neque tunc, cùm à tritico dignoſci nequeunt, ſiue cum periculum eſt, ne cum ijs ſimul euellatur & triticum, vti explicat ipſe Chriſtus v.29. quod locum nō habet, cùm quis manifeſtus eſt hæreticus, & maximè ſi dogmatizet, alioſque ſua hæreſi inficiat: talis enim grauius lædit fideles & Eccleſiam, quàm homicida; hic enim corpus, ille animam occidit. Vide 1. Corinth. 5.13. Galat. 5.12. vbi Apoſtolus impios, præſertim falſos doctores auferri & extirpari iubet. Ita Origenes, & S. Auguſtinus, qui licèt initiò ſenſerit, hæreticos non eſſe occidendos, imò nec cogēdos ad fidem, quam in baptiſmo profeſſi ſunt, reſumendam; poſtea tamen experientia edoctus, quàm hæretici ſint obſtinati & peruerſi, contrarium docuit vt patet lib. 2. contra Parmen. cap. 2. & 2. Retract. cap. 5. *Quia nondum*, ait, *expertus eram, vel quantum mali auderet eorum impunitas, vel quantum eis in meliùs mutandis conferre poſſet diligentia diſciplinæ.*

*Tropolog.* Tropologicè Auctor imperfecti hom. 13. zizania, ait, ſunt concupiſcentiæ, v.g. cupiditas vanæ gloriæ furtim adrepens bono operi, quæ inuitò toleranda eſt, nec ob eam bonum opus relinquendum.

VERS. 39. INIMICVS AVTEM, QVI SEMINAT EA, EST DIABOLVS] Cuius eſt ſemper veritati inſerere errorem, ait S. Chryſoſtomus.

MESSIS VERO CONSVMMATIO SÆCVLI EST] Tunc enim demetet Deus per Angelos omnes homines, tam malos, quàm bonos, eoſque in die iudicij diſcriminabit, ac bonos in horreum cæleſte congregabit, malos tradet vrendos igni gehennæ: vnde ſequitur.

MESSORES AVTEM ANGELI SVNT] Meſſis enim, ait Remigius, eſt dies iudicij, in quo ſeparandi ſunt boni à malis, quod fiet miniſterio Angelorum; vnde infra dicitur, quod veniet filius hominis cum Angelis iudicare.

VERS. 40. SICVT ERGO COLLIGVNTVR ZIZANIA, ET IGNI COMBVRVNTVR, SIC ERIT IN CONSVMMATIONE SÆCVLI; MITTET FILIVS HOMINIS ANGELOS SVOS.

VERS. 41. ET COLLIGENT DE REGNO EIVS OMNIA SCANDALA] Mali, quos Chriſtus priùs vocauit zizania & filios diaboli, eoſdem hîc vocat ſcandala, quia mali ſuis ſceleribus, tam ſibi quàm alijs fuerunt ſcandalo & ruinæ: fuerunt enim cauſa, vt ruerent in gehennam, vnde explicans ſubdit, *& eos, qui operantur iniquitatem*; nam τὸ *&* eſt exegeticum, idemque valet, quod *id eſt*. Notat ſanctus Chryſoſtomus hîc duplicem impiorum pœnam denotari, ſcilicet, damni, cùm dicitur: *colligent de regno*, ne ſcilicet in regnum eius intrent, ſed cælo excludantur: & ſenſus, cum dicitur, *& mittent eos in caminum ignis*, S. Chryſoſtomus: *Vide*, ait, *ineffabilem Dei amorem ad homines: Eſt enim ad beneficia promptus, & ad pœnam tardus. Cùm enim ſeminat, per ſeipſum ſeminat, cum autem punit, per alios: mittit enim ad hoc Angelos ſuos.* Addit Chriſtus verſ.30. *Alligate ea in faſciculos ad comburendum*, quod explicans S. Gregorius 4. Dialog. cap. 35. *Meſſores Angeli*, inquit, *zizania ad comburendum in faſciculos ligant, cùm pares paribus in tormentis ſimilibus ſociant, vt ſuperbi cum ſuperbis, luxurioſi cum luxurioſis, auari cum auaris, fallaces cum fallacibus, inuidi cum inuidis, infideles cum infidelibus ardeant. Cùm ergo ſimiles in culpa ad tormenta ſimilia deducuntur, quia eos in locis pœnalibus Angeli deputant, quaſi zizaniorum faſciculos ad comburendum ligant.*

VERS. 42. *Caminus gehennæ notat duo.* ET MITTENT EOS IN CAMINVM IGNIS] Caminus notat damnatos, vtpote plurimos, in gehenna quaſi in camino arctari, ſicut ligna & fauillæ arctantur in camino. Secundò, eoſdem igne conuolui, & ſurſum deorſumque iactari, ſicut fumus & ſcintillæ in camino & fornace. Vnde Iſaias cap. 33.14. *Quis*, ait, *poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?*

IBI ERIT FLETVS ET STRIDOR DENTIVM] Significatur, ait Remigius, duplex pœna inferni, ſcilicet, nimij caloris, & nimij frigoris. Vide dicta cap. 8. verſ. 12. Quàm diſpar, & mœſta hæc commutatio! Impij enim regnum cæli cum igne inferni commutabunt.

VERS. 43. TVNC IVSTI FVLGEBVNT SICVT SOL IN REGNO PATRIS EORVM] *Tunc*, quia nunc, ait Remig. iuſti fulgent in exemplum aliorum, ſed tunc fulgebunt ſicut ſol ad laudandum Deum. Alludit ad Daniel. 12.3. *Qui autem docti fuerint*, Hebr. מַשְׂכִּילִים *maskilim*, id eſt, ſapientes & prudentes, qui, ſcilicet, prudenter, ſapienterque vixerint, *fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Vide ibi dicta. Hinc olim nonnulli hæretici putarunt, in reſurrectione corpus noſtrum transformandum in globum, vt eſſet ſimile corpori ſolari. *An beati in globum transformandi?* Hāc hæreſim aſcribit Origeni, eamque damnat Iuſtinianus Imp. in ſua Cōſtit. quam recitat Baronius tomo 7. anno Chriſti 538. pag. 289. & 293. nam figura rotunda non eſt figura corporis humani, nec corporis Chriſti glorioſi, cui nos conformandos in reſurrectione docet Paulus, Philip. 3.21.

QVI HABET AVRES AVDIENDI (Arabicus, *aures audientes*) AVDIAT] Hoc eſt, ait Rabanus, *Qui habet intellectum intelligat, quia myſticè hæc omnia intelligenda ſunt.*

VERS. 44. *Parabola theſauri abſconditi in agro.* SIMILE EST REGNVM CÆLORVM THESAVRO ABSCONDITO IN AGRO, QVEM QVI INVENIT HOMO, ABSCONDIT, ET PRÆ GAVDIO ILLIVS VADIT, ET VENDIT VNIVERSA, QVÆ HABET, ET EMIT AGRVM ILLVM] Qui enim ſcit alicubi latere theſaurum, & emit locum, antequam eruat, efficitur dominus theſauri: quia eruit illum iam ex loco proprio, vtpote à ſe empto; nec tenebatur domino priori indicare, ſed poterat vti ſcientia ſua ad ſuum commodum, emendo agrum tanti, quanti valet ſecundùm communem æſtimationem, ad quam nihil facit theſaurus abſconditus, latens & incognitus, vti ex D. Thoma, Nauarro, & Soto docet noſter Leſſius lib. 2. de Iuſtitia cap. 5. dub. 15. in fine.

QVEM QVI INVENIT HOMO] Græcè eſt præteritum: Eſt enim Aoriſtus εὑρὼν, quod alij vertunt, *quem inuentum*, imò Noſter verſ. 45. *inuenta*



*inuenta autem vna pretioſa*, &c. ibi enim eſt εὑρὼν, τὸ *abſcondit* eſt emblema, ſpectans ad elegantiam parabolæ, ac proinde non neceſſariò accommodandum rei ſignificatæ.

Nota: Chriſtus præcedentibus quatuor parabolis, ſcilicet, ſeminantis, ſeminis, grani ſinapis, & fermenti declaraui naturam, vim & efficaciam Euangelij, id eſt, prædicationis & doctrinæ Euangelicæ, nunc duabus ſequentibus, ſcilicet, theſauri, & margaritæ declarat eiuſdem pretium quod tantum eſt, vt omnium rerum iactura meritò ſit comparandum. Ita S. Chryſoſtomus, Hilarius, Ianſenius, Maldonatus & alij. Simili modo Sapientia apud Salomonem Prou. 8. v. 11. de ſe ait: *Melior eſt ſapientia cunctis opibus pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.* Et verſ. 19. *Melior eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo.*

Ad literam: Per theſaurum hunc S. Hieronymus accipit ipſum Chriſtum, & S. Scripturam, quam quoque hîc intelligit S. Auguſtinus lib. Quæſt. Euang. in Matth. quæſt. 13. *Quem cùm quis* inquit, *ex parte intellectus attigerit, ſentit ille magna latere myſteria, & vadit, & vendit omnia ſua, & emit illum, id eſt, contemptu temporalium comparat ſibi otium, vt ſit diues cognitione Dei.* Verùm, vt dixi, propriè theſaurus hîc eſt Euangelium, eiuſque doctrina & fides.

Tropologicè S. Gregorius hom. 11. in Euangel. per theſaurum accipit cæleſte deſiderium: *Inuentus theſaurus*, inquit, *abſconditur, vt ſeruetur. quia ſtudium cæleſtis deſiderij à malignis ſpiritibus cuſtodire non ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abſcondit. In præſenti etenim vita quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus: Maligni autem ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident. Deprædari ergo deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via.*

VERS. 45. ITERVM: SIMILE EST REGNVM CÆLORVM HOMINI NEGOTIATORI, QVÆRENTI BONAS (Syrus *optimas*) MARGARITAS] Arabicus: *quærenti bonam gemmam.* q.d. Tanto ſtudiò fideles debent ſibi comparare doctrinam vitamque Euangelicam, quæ via eſt, & pretium regni cælorum, quanto mercator quærit margaritas, emitque vnam ex eis pretioſiſſimam; nam alioqui regnum cælorum ſiue Euangelium propriè comparatur ipſi margaritæ, non autem negotiatori illius. Similem phraſin audiuimus verſ. 14. *Margarita eſt Euangelium.*

VERS. 46. INVENTA AVTEM VNA PRETIOSA (Syrus *pretioſiſſimi pretij*) ABIIT, ET VENDIDIT OMNIA QVÆ HABVIT, ET EMIT EAM] Sicut enim hæc margarita omne pretium ſuperat, ſic & Euangelium. Vide Plinium de pretio margaritarum lib. 9. cap. 35. vbi inter alia ait, *margaritis cæli ſocietas maior quàm maris.* Additque Cleopatram Antonij amicam, vnam margaritam aceto liquefactam coram Antonio potando hauſiſſe, quæ valebat pluſquam centum millibus aureorum. Vide dicta Apocal. 21. verſ. 21. vbi tredecim margaritarum dotes recenſui, quas omnes longè ſuperat Euangelium, eiuſque doctrina, virtus & gratia, quæ maximè in viris Apoſtolicis & religioſis reſplendet.

*Item Chriſtus, Virgo Maria, religio, charitas.* Symbolicè, margarita pretioſa eſt Chriſtus, item B. Virgo, item religionis ſtatus, item charitas: *Charitas enim eſt margarita pretioſa, ſine qua nihil tibi prodeſt quodcumque habueris: quam ſi ſolam habeas, ſufficit tibi*, ait ſanctus Auguſtinus tract. 5. in Ioannem: charitas enim eſt monile Chriſti: item margarita pretioſa eſt vita contemplatiua, de qua Magdalenæ ait Chriſtus: *Maria optimam partem elegit*, Lucæ 11. Margarita quoque eſt anima cuiuſque hominis; item felicitas æterna; vti appoſitè oſtendit noſter Salmeron tom. 7. tract. 11. hæc enim omnia ſunt partes illuſtriores regni cælorum, id eſt, doctrinæ Euangelicæ. Talis quoque eſt humilitas, nimirum vt docet noſter Thomas θεοδίδακτος de Imitat. Chriſti lib. 1. cap. 2. *Si vis vtiliter aliquid ſcire, & diſcere, ama neſciri, & pro nihilo reputari. Hæc eſt altiſſima & vtiliſſima ſcientia, ſuiipſius vera cognitio, & deſpectio.* Hæc eſt margarita Euangelica pretioſiſſima, ſed eius pretium paſſim à ſuperbis Adæ filijs ignoratur. Talis quoque eſt Chriſti crux, & pati pro Chriſto, cuius pretium callebat ſanctus Ignatius, dicens: *Amor meus crucifixus eſt*, & S. Paulus: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Galat. 6. Et Habacuc cap. 3. *Cornua*, ait, *in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.*

*Verbum in carne eſt margarita in concha.* Porrò prima & pretioſiſſima margarita, à qua omnes virtutes, omneſque ſancti quaſi margaritæ progignuntur, ſuumque habent decorem & pretium, eſt ipſe Chriſtus. Eius enim deitas in humanitate, eſt quaſi margarita in concha abſcondita, quæ ex materia virginea, & rore Spiritus ſancti concepta, prodijt candidiſſima, per vitæ innocentiam; lucidiſſima, per ſapientiam; rotundiſſima, per omnis perfectionis poſſeſſionem; habens pondus conſcientiæ, læuorem mititatis, pretium beatitudinis: *margaritarum* enim *omnis dos conſiſtit in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere*, ait Plinius lib. 9. cap. 35. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, & S. Auguſtinus in lib. Quæſt. Euang. ex Matthæo quæſt. 13. quem audi: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum: Eſt enim verbum Domini lucidum candore veritatis, & ſolidum firmitate æternitatis, & vndique ſui ſimile pulchritudine diuinitatis: qui Deus penetratâ carnis teſtudine intelligendus eſt.* Hanc ergo Chriſti margaritam, ait noſter Salmeron, humilitate paruam, valore pretioſam, portatu facilem geſtemus in capite mentis noſtræ, ad ornamentum in fronte per confeſſionem fidei; in auribus per obedientiam legis, Deo in ſe, & in ſuperioribus præſtandam; in collo & pectore per amorem, & guſtum; in brachio per bonorum operum exercitium; in annulis digito impoſitis per donum diſcretionis ſpirituum; in cingulo per caſtitatem; in veſtimentis per modeſtiam & ſanctam æternæ vitæ rationem, vt & ipſi efficiamur margaritum pretioſum, quo alios ad honeſtatem & virtutem inducamus, & ad imitationem arripiendam ſanctiſſimæ vitæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

*Chriſtus eſt omnis gemma. Cur?* Denique Chriſtus non tantùm eſt margarita pretioſiſſima, ſed & gemma gemmarum: Ipſe enim eſt carbunculus, quia lux & flamma mundi: ipſe eſt ſmaragdus, quia ſuo virore gratiæ viſum delectat Angelorum: ipſe fortis & inuictus vt Adamus: gaudium parit, vt ſardius; lepram peccati ſanat, vt chryſopraſſus: ipſe iuuat ad partum bonorum operum, quaſi ſpiritalis iaſpis;

ſpis; acuit ingenium, vt beryllus; ipſe cæleſtis eſt coloris, & vitæ, vt ſapphirus; reſiſtit ſomno & ebrietati, vt amethyſtus; ac cuilibet animi infirmitati, vt hyacinthus: ipſe limas paſſionum ſuſtinuit, vt topazius: ipſe candore & nitore eſt ſardonyx; aurea charitate eſt chryſolithus. Vnde hiſce duodecim gemmis ſtrata ſunt fundamenta cæleſtis Ieruſalem, quorum ſingula ſingulos notant Chriſti Apoſtolos. Apoc. 21. verſ. 19. & 20. Vide ibi dicta.

VERS. 47. *Similitudo ſagenæ miſſæ in mare.* ITERVM SIMILE EST REGNVM CÆLORVM SAGENÆ (Arabicus *reti*) MISSÆ IN MARE, ET EX OMNI GENERE PISCIVM CONGREGANTI] Duæ præcedentes parabolæ, ſcilicet theſauri, & margaritæ pretioſæ oſtenderunt pretium, & dignitatem Euangelij, hæc oſtendit eiuſdem capacitatem & amplitudinem, ſcilicet, quod quaſlibet orbis gentes & homines, eaſque tam malas quàm bonas complectatur. Proponit autem Chriſtus eam hoc fine, vt non mirentur Apoſtoli, & ſancti, ſi inter fideles videant nonnullos malè viuere, ſicut in regno amplo nemo miratur inueniri homicidas, fures, adulteros. Rurſum, ne quis ſibi blandiatur; quòd ſit Chriſtianus, fidelis, & filius Eccleſiæ, cùm in ea multi ſint improbi, ſed ſatagat in ea eſſe probus, & ſanctus. *Regnum cælorum* eſt Euangelium, hoc eſt, Euangelij prædicatio & doctrina; item Eccleſia, hæc enim illam continet: in Eccleſia enim verum Dei Euangelium prædicatur, & per illud in ea regnat Deus, eamque ad regnum cæleſte perducit.

*Sagenæ etymon.* SAGENÆ] Sagena eſt vox Græca ſignificans genus retis, quod vulgò dicitur verriculum, vel euerriculum à verrenda aqua, vel mari, vt piſces capiat. Propriè tamen ſagena eſt ſinus retis, in quem capti piſces deueniunt. Hinc σαγήνη, ait Etymologus vocatur γωγγαμὸν, id eſt, cauum illud in medio ventre vel vmbilico, ſic dictum, quòd illic more ſagenæ nerui implicentur: Pari modo Euangelij & Eccleſiæ quaſi materno ſinu piſces, id eſt, fideles omnes excipiuntur, fouentur, aluntur, conſeruantur.

ET EX OMNI GENERE PISCIVM CONGREGANTI] Sic enim Euangelium omnibus gentibus prædicatur, & ex ijs coaleſcit Eccleſia. Piſces ergo ſunt fideles, piſcatores ſunt Apoſtoli, ſagena eſt Euangelium & Eccleſia. Porrò piſces aptè repræſentant homines, ob viginti analogias, quas recenſui Habacuc 1. 14. ad illa: *Et facies homines quaſi piſces.*

VERS. 48. QVAM, CVM IMPLETA ESSET EDVCENTES ET SECVS LITTVS SEDENTES, ELEGERVNT (Græcè συνέλεξαν, id eſt, *collegerunt*) BONOS IN VASA, MALOS AVTEM FORAS MISERVNT] Abiecerunt in mare, vel in littus. Arabicus: *Collegerunt ſelecta in vaſis ſuis, & mala proiecerunt foras.* Vaſa notant diuerſas in domo patris manſiones, vt ait Chriſtus Ioan. 14. ſiue varias cæli cellas. quæ alibi æterna tabernacula nuncupantur. *Malos*, Græcè σαπρὰ, id eſt, putrida, marcida, ſpurca, putà piſces putidos, fœtentes, mortuos. Ex hoc loco rectè S. Auguſtinus contra Donatiſtas probat, in Eccleſia non tantùm eſſe bonos (& prædeſtinatos, vt vult Caluinus) ſed etiam malos & reprobos.

VERS. 49. SIC ERIT IN CONSVMMATIONE SÆCVLI (Arabicus, *in fine huius temporis*, putà in die iudicij) EXIBVNT ANGELI, ET SEPARABVNT MALOS DE MEDIO IVSTORVM] Id eſt, à iuſtis: eſt Hebraiſmus.

ET MITTENT EOS IN CAMINVM (Arabicus, *in fornacem*) IGNIS: IBI ERIT FLETVS, ET STRIDOR DENTIVM] Vide dicta v. 42. VERS. 50.

INTELLEXISTIS HÆC OMNIA?] Has omnes parabolas & ſermones meos? Syrus & Græcus præponunt: *Dicit ei Ieſus.* Sed in ſuo exemplari id non legit noſter interpres; id enim ex dictis intelligitur. Continuantur enim hîc verba Ieſu. VERS. 51.

DICVNT EI: ETIAM] Iam enim parabolas ſeminis & zizaniorum, quæ ceteris erant difficiliores, eis explicuerat Chriſtus.

AIT ILLIS: IDEO OMNIS SCRIBA DOCTVS IN REGNO CÆLORVM, SIMILIS EST HOMINI PATRIFAMILIAS, QVI PROFERT DE THESAVRO SVO NOVA, ET VETERA] *Ideo*, q. d. Quia vos, ô Apoſtoli, meis hiſce parabolis intellexiſtis Euangelium, quod ducit ad regnum cælorum, tantùm eſſe theſaurum; ideo ex hoc theſauro omnia depromere debetis, vt eum alijs, imò toti mundo communicetis. Ita S. Auguſtinus quæſt. 16. in Matth. Rurſum: quia intellexiſtis meum modum docendi ea, quæ ſunt cæli, ſuntque hominibus noua & inaudita, per parabolas à rebus veteribus, & vſu tritis petitas; vos eodem modo eadem docete & prædicate, vt ex veteribus, quæ intelligunt, capiant & intelligant noua, quæ prędicatis. VERS. 52.

SCRIBA (Id eſt, doctor, prædicator) DOCTVS (Græcè μαθητευθεὶς, id eſt, inſtructus, eruditus, edoctus) IN REGNO (id eſt ad regnum) CÆLORVM] vt habet Syrus, ſcilicet, prædicandum: Arab. *Scriba, qui docet pro regno cælorum.* q. d. Doctor Euangelicus probè inſtructus ad annunciandũ Euangelium, ducens fideles ad regnum cælorum, quales eſtis, vel eritis, vos ô Apoſtoli, à me & Spiritu ſancto plenè inſtructi. Opponit enim ſuos Scribas, id eſt, doctores & prædicatores, putà Apoſtolos Scribis Iudæorum: hi enim legem Moyſi, & ex ea bona terrena prædicabant; Apoſtoli verò annuntiabant Euangelium, & regnum cælorum in eo promiſſum.

PROFERT DE THESAVRO SVO NOVA, ET VETERA] Eſt adagium, ſignificans omnes cibos, omnem ſubſtantiam, omnem ſupellectilem familiæ alendæ neceſſariam vel vtilem; quædam enim vetera ſunt meliora, quædam noua. Vnde Adagium: *Noua Hymetta* (mella) *vetera falerna*, id eſt, vina, mel enim optimum, quod recentiſſimum; vinum verò optimum, quod vetuſtiſſimum, ait Macrobius lib. 7. Saturn. Hinc & illud Pindari Olymp. hymno 9. *Lauda vinum vetus, ſed nouorum hymnorum flores.* Senſus eſt. q. d. Sicut paterfamilias familiam inſtruit nouis & veteribus, id eſt, omni re neceſſaria & vtili; ſic doctor Euangelicus promere debet congruo tempore pro captu auditorum varium ſermonem, varij & omnis generis ſcientiam, ac præſertim curare, vt myſteria Euangelij noua & inaudita doceat per vetera exempla, parabolas & ſimilitudines, quas auditores capiunt, & norunt. Sic enim per vetera & noua cognoſcent noua & incognita. Porrò veteres, vt S. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius & Beda, *vetera & noua* accommodant veteri Teſtamento & nouo. Optimè

*Mel nouũ eſt optimũ, vinum vero, quod vetus eſt.*



timè enim prædicatur, cùm nouum Teſtamentum confirmatur, & illuſtratur ex veteri illique per omnia typicè conforme demonſtratur. Vetus enim fuit typus noui, nouum veteris eſt Antitypus.

Obijcit Abulenſis, quòd cùm hæc diceret Chriſtus, nondum ſcriptum erat nouum Teſtamentum. Reſp. illud iam dictum & doctum erat à Chriſto, ac paulò pòſt à Matthæo, Ioanne, Luca, Marco ſcribendum; idque ſciebat Chriſtus; vnde iubet Apoſtolis; vt ipſi à ſe dicta & audita, poſteri verò eadem ab Euangeliſtis ſcribenda, prædicent.

VERS. 53. ET FACTVM EST, CVM CONSVMMASSET IESVS PARABOLAS ISTAS, TRANSIIT INDE] Scilicet, ex domo ſua, quam habebat Capharnai, vt dixi verſ. 16. tranſijt ad alias vrbes, & caſtella, vt latiùs Euangelium diſſeminaret.

VERS. 54. Luc. 4. v. 12 22. Mar. 2. v. 12 ET VENIENS IN PATRIAM SVAM DOCEBAT EOS (ciues patriæ ſuæ) IN SYNAGOGIS EORVM] Patriã vocat non Bethlehem, in qua natus erat, hæc enim longè aberat à Capharnao, ſed Nazareth vicinam, in qua conceptus & educatus erat Chriſtus, vt explicat Lucas cap. 4. 16. Ita S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius.

IN SYNAGOGIS] In concione, aut cœtu, qui ſingulis Sabbathis fiebat in Synagoga, vt apud nos fit in Eccleſia vel templo. In Nazareth enim, vtpote parua vrbe, videtur vna tãtum fuiſſe Synagoga. Fuſiùs hæc narrat Lucas c. 4. 16.

ITA VT MIRARENTVR (Arabicus, *obſtupeſcerent* Nazareni; conciues Chriſti) ET DICERENT: VNDE HVIC SAPIENTIA HÆC: ET VIRTVTES?] Id eſt, miracula. Arabicus; *Vnde ei hæc ſapientia & virtus*, patrandi tanta miracula?

VERS. 55. Luc. 4. 22. Mar. 6. v. 3. NONNE HIC EST FABRI (Arab. addit *lignarij*) FILIVS] Marcus c. 6. 3. *Nónne hic eſt faber. Nec mirandum eſt*, ait S. Auguſtinus libr. 2. de Conſ. Euang. cap. 42. *cùm vtrumque dici potuerit. Eò enim & fabrum credebant, quò fabri filium.* Adde quia & videbant eum cum Ioſeph fabricantem. Videtur ergo Chriſtus cum patre Ioſeph artem fabrilem exercuiſſe vſque ad annum trigeſimum, quo cœpit docere & prædicare. S. Hilarius & Ambroſius cenſent. Chriſtum fuiſſe fabrum ferrarium; Hugo, murarium, vel aurificem: Cõmunis ſententia eſt Chriſtum fuiſſe fabrum lignarium, vti ex ſancto Chryſoſtomo docet ſanctus Thomas & S. Iuſtinus dialog. contra Triphon. *Erat*, inquit, *aratra & iuga boum conficiens.* Hinc prædicans Chriſtus ſæpè ab eis petit ſimilitudines, vt cap. 11. *Tollite iugum meum ſuper vos. Et nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei*: Lucę 9 4. v. 62. Hinc & Chriſtianus ille à Gentili irriſore rogatus, *quid faceret fabri filius*) putà Chriſtus, argutè reſpondit: *Iuliano* (Apoſtatæ) *fabricat feretrum*: nam paulò poſt occiſus eſt Iulianus. Ita Sozomenus libr 6. cap. 2. Nonnulli tamen negant Chriſtum fabrilem exercuiſſe, cenſentes eum inſtar religioſi abſtractum vixiſſe, ac vacaſſe orationi & ieiunijs vſque ad annum 30. Ita Paulus Burgenſis, Simon de Caſſia, & noſter Barradius: de quo plura Lucæ 2. verſ. 51. ad illa: *& erat ſubditus illis.*

*Chriſtus faber lignarius.*

*Bellè reſponſum.*

Myſticè S. Auguſtinus ſerm. de Nat. *Eſt*, ait, *pater Chriſti faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus eſt, arcam Noë diſpoſuit, Moyſi tabernaculum ordinauit, arcam Teſtamẽti inſtituit, Fabrum dixerit, qui mentem rigidam explanat, ac cogitationes ſuperbas excidit*, S. Hilarius: *Fabri*, ait, *etiam hic erat filius, ferrum igneâ vincentis ratione, ſæculi virtutem iudicio decoquentis, maſſamq́; formantis in omne opus vtilitatis humanæ, formam ſcilicet corporum noſtrorum in diuerſa membrorum miniſteria, & ad omnia æternæ vitæ opera fingentis.* Porrò *Chriſtus erat fabri filius*, ait S. Chryſologus ſerm. 48. *ſed illius qui mundi fabricam fecit non malleo, ſed præcepto: qui elementorum membra non ingenio, ſed iuſſione compegit: qui maſsã ſæculi auctoritate, non carbone conflauit: qui ſolem non terreno igne, ſed ſupremo calore ſuccendit: qui lunam, tenebras, noctem formauit & tempora: qui ſtellas variatâ luce diſtinxit: qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit, ô homo, tibi, vt opificem operis æſtimatione penſares.*

NONNE MATER EIVS DICITVR MARIA: ET FRATRES EIVS IACOBVS, ET IOSEPH, ET SIMON ET IVDAS?] *Fratres*, id eſt, patrueles & conſobrini, vt dixi capit. 12. 46. At cur S. Mariam pauperem, in matrem elegit Chriſtus, & non Liuiam Auguſti, aut Mariamnum Herodis vxorem? Reſpondet Theodotus tom 6. in Conc. Epheſ. in Appendici 5. cap. 2. de Natiuit. Chriſti: *ſi filius eſſet imperantis, poteſtati vtilitatem adſcriberent: Si Legiſlatoris factus fuiſſet filius, præceptis vtilitatem adſcriberent: ſed quid fecit? Omnia paupera & vilia elegit, omnia mediocria & plurimum obſcura, vt diuinitas ſola cognoſceretur orbem transformaſſe terrarum.*

*Fratres Chriſti: Iacobus.* IACOBVS] Hic eſt Minor, cognomento Alphæi, Apoſtolus & primus Epiſcopus Hieroſolymorum, auctor Epiſtolæ Canonicæ, vbi plura de eodem dixi in prooemio. Alter ergo & diuerſus hic eſt à Iacobo Maiore filio Zebedæi, & fratre Ioannis, cuius corpus colitur Compoſtellæ, cùm Minoris colatur Romæ in Eccleſia SS. Apoſtolorum.

*Ioſeph.* ET IOSEPH] Græca habent Ἰωσῆς, id eſt, Ioſes, ſic & Syrus; vnde eum Ioſetem vocat S. Hieronymus libr. contra Heluidium. Hic fuit vnus ex 72. Chriſti diſcipulis, quem combinarunt cùm S. Matthia ad Apoſtolatum, cùm ſors cecidit ſuper Matthiam. Hic poſtea factus eſt Epiſcopus Eleutheropolis, ac inter Sanctos relatus, colitur die 22. Iulij, de quo plura Actor. 1. 23.

*Simon.* ET SIMON] Multi ex Abdia Sophronio, Iſidoro & Beda putant, hunc eſſe Simonem Cananæum Apoſtolum, quaſi ille fuerit frater Iacobi Minoris & Iudę: ſed hic Simon ortus fuit ex Cana Galilææ: iſti autem fratres, id eſt cognati Chriſti, orti fuêre ex Nazareth, æquè ac ipſe Chriſtus: vnde ciues Nazarethani hîc mirantur, vnde tanta ſcientia ſit in Ieſu ciue ſuo, cùm norint eius fratres & cognatos quaſi ſimplices & idiotas, vt patet Marci 6. 1. & ſequent. Verius ergo videtur, hunc Simonem eſſe S. Simonem, qui S. Iacobo in Epiſcopatu Ieroſolymæ ſucceſſit. Hic enim fuit filius Cleophæ eiuſque vxoris Mariæ, teſte Hegeſippo apud Euſebium lib 3. Hiſtor. capit. 11. quem proinde fratrem fuiſſe Iacobi Minoris docet S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Beda, & ex ijs Chriſtophor. à Caſtro libr. de Deipara cap. 1. licet Hegeſippus & Epiphanius hæreſ. 66. cenſeant eum non fuiſſe fratrem, ſed patruelem ſiue conſobrinum

num Iacobi. Hic eſt ille Simeon, qui anno 10. Traiani, hoc eſt anno 109. Chriſti crucifixus, cùm eſſet 120. annorum, omnes ſuâ conſtantiâ & fortitudiue ſtupefecit. Vnde ſequitur, eum vndicim annis natũ fuiſſe ante Chriſtum, Chriſtoque fuiſſe ſeniorem. Ex dictis conſtat errare Abdiam libr. 6. Hiſt. Apoſt. Sophronium apud S. Hieronymum, de Script. Eccleſ. Iſidorum de Vita & morte Sanctorũ, & Bedam in caput primum Actor. qui cenſent Simonẽ Chananæum eundem eſſe cum Simeone Epiſcopo Hieroſolymitano & crucifixo. Vnde Beda ibidem id retractat.

Et Ivdas] Hic eſt frater Iacobi Minoris, & auctor Epiſtolæ Canonicæ, de quo plura ibidem in prooemio.

*An Simon & Iudas fuerint fratres Iacobi. Reſp. Primò.*

Quæres, an hi quatuor fuerint propriè dicti fratres, ex eodem patre & matre geniti? in primis conſtat Iacobum & Ioſeph fuiſſe fratres, vt patet ex Matth. cap. 27. 56. De reliquis duobus, ſcilicet Simone & Iuda, cẽſent nonnulli eos fratres fuiſſe Iacobi & Ioſeph, ſed vterinos dumtaxat. Matrem enim eorum fuiſſe Mariam, quæ primò nupta Alphæo, ex eo genuerit Iacobum & Ioſeph, ideoque Iacobum vocari Alphæi, ſcilicet filium, deinde mortuo Alphæo nuptam Cleophæ genuiſſe ex eo Simonem & Iudam. Ita S. Thomas in c. 1. ad Galat. lect. 5.

*Secundò.*

Secundò, Baronius in apparatu Annal. caput. 46. & ſequent. tres ponit Marias ſorores, id eſt, conſobrinã B. Virginis: Primã Mariam Alphæi. ſcilicet matrem Iacobi & Iudæ Apoſtolorũ, ac Ioſeph: Secundam Mariam Cleophæ, quæ ex Cleopha marito genuit S. Simeonẽ, qui S. Iacobo ſucceſſit in Epiſcopatu Ieruſalem, & crucifixus eſt anno 120. ætatis, vti iã dixi: Tertiam Mariam Salome vxorem Zebedæi, ex qua nati ſunt Ioannes & Iacobus Apoſtoli.

*Tertiò. Genuinè, fuiſſe fratres.*

Verùm vnam eamdemque eſſe Mariam Alphæi cum Maria Cleophæ liquet, ſi quis conferat S. Ioannis cap. 19. 25. cum Matthæi cap. 27. 56. & Marci 16. 40. nam Ioannes ait: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu, mater eius, & ſoror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ*: Matthæus verò ait: *Inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi*: Marcus autem: *inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi Minoris & Ioſeph, & Salome.* Vides hìc clarè, quòd illa, quæ à Ioanne vocatur *Maria Cleophæ*, à Matthæo & Marco vocetur, *Maria Iacobi & Ioſeph mater*; Iacobi, inquam, qui non Zebedæi, ſed Alphæi, ſcilicet filius, vocatur Actor. 1. Matth. 10. Eadem ergo eſt Maria Cleophæ & Maria Alphæi; Cleophas enim alio nomine dictus eſt Alphæus more Hebræorum, niſi malis cum nonnullis vnum horum duorum fuiſſe maritum, alterum patrem huius Mariæ. Eadem dicta eſt Maria Iacobi, ſcilicet Minoris mater. Ita S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Theodoretus, Beda, quos citat & ſequitur Chriſtoph. à Caſtro lib. de Deipara c. 1.

*Eadem Maria Cleophæ & Alphæi.*

*Eadem Salome & mater filiorum Zebedæi.*

Rurſum, vides hìc, vt illa quæ à Marco vocatur Salome, à Matthæo vocatur *mater filiorum Zebedæi*: hæc ergo vocata fuit Salome. Ita ſanctus Gregorius, Theophylactus, Euthymius & S. Epiphanius hæreſi 59. & 78. Videtur ergo eadem Maria Cleophæ, ſiue Alphæi, genuiſſe hos quatuor, ſcilicet Iacobum, Ioſeph, Simonem & Iudam: nam eam matrem Iacobi & Ioſeph vocat Matthæus, & Marcus loco iam citato: Iudas autem fuit frater Iacobi, vt ait ipſe initio ſuæ Epiſtolæ Simon etiam ſiue Simeon, qui ſucceſſit Iacobo fratri in Epiſcopatu Hieroſolymitano, eiuſdem fuit frater; nam fuit filius Cleophæ eiuſque vxoris Mariæ, vt diſertè ait Hegeſippus apud Euſebium l. 3. Hiſtor. cap. 11. Porrò Mariam hanc non fuiſſe filiam, ſed vxorem Cleophæ, diſertè aſſerit idem Hegeſippus, S. Chryſoſtomus, Euſebius, Theodoretus, Euthymius, & ex ijs à Caſtro loco citato, ac Suarez par. 3. qu. 28. art. 1. diſp. 5. ſect. 4. Cleophas autem fuit frater Ioſephi ſponſi B. Virginis, ait idem Hegeſippus. Hic eſt ille Cleophas, cui cum ſocio in Emmaus Chriſtus in fractione panis ſe reuelauit, ac in eadem domo ob Chriſti confeſſionem à Iudæis occiſus, martyr occubuit die 25. Septembris, vt habet Martyrologium Romanum.

*Cleophas martyr.*

Dices, cur ergo Matthæus & Marcus hanc *Mariam* vocant matrem Iacobi & Ioſeph: non autem Simonis & Iudæ? Reſp. breuitatis causâ id faciunt, & quia duo primi, ſcilicet Iacobus & Ioſeph, primi & inſigniores tunc habebantur præ duobus cæteris. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, S. Gregorius, S. Epiphanius hæreſi 59. & 78. & Nyſſenus orat. 2. de Reſurrect. Porrò Maria hæc, tot ſanctorum filiorum & filiarum mater, ſanctè mortua eſt in Iudæa die 9. Aprilis, inde tranſlata eſt Verulas in Italia, ibique magno honore colitur, vt habet Martyrologium Romanũ ad diem 25. Maij, & ibidem Baronius in notis.

*Vers. 56. Mar. 6. v. 3. Sorores Chriſti quænam hìc.*

Et sorores eivs nonne omnes apvd nos svnt] In Nazareth. Sorores Iacobi, Ioſeph. Simonis & Iudæ ab Hippolyto apud Nicephorum libr. 2. capit. 3. vocantur Eſther, & Tamar; ſed à S. Epiphanio hæreſi 78. & Theophylacto vocantur Maria Salome, quæ fuit vxor Zebedæi, & mater S. Ioannis & Iacobi Maioris Apoſtolorum, qui proinde fuêre nepotes ex ſorore Iacobi Minoris, Ioſeph, Simonis & Iudæ, vti oſtendam ad oculum in tabula genealogiæ Chriſti, quam affigam ad c. 3. Lucæ. Vide Chriſtophorum à Caſtro de Deipara c. 1. vbi docet Salomen ſeniorem fuiſſe Iacobo & Iuda fratribus ſuis: nam ipſa genuit Ioannem & Iacobum, qui à Chriſto cum Iacobo & Iuda auunculis eorum, electi fuêre in Apoſtolos; Ioannes enim videtur tribus dumtaxat annis fuiſſe iunior Chriſto, natuſque anno tertio Chriſti. Hinc etiam ſoli Iacobus, Ioſeph, Simon & Iudas filij Cleophæ vocãtur fratres, id eſt, patrueles Chriſti. Ioannes verò & Iacobus filij Zebedæi, non vocantur fratres Chriſti, quia non fuerunt eius patrueles, ſiue cõſobrini propriè & in primo gradu, ſed conſobrina Chriſti fuit dumtaxat eorum mater Salome. Rurſum hinc idem Chriſtophor. à Caſtro colligit Iacobum Minorem, qui frater fuit Salome, ſeniorem fuiſſe Iacobo Maiore, filio Salome & Zebedæi, nouem vel decem annis, vt minimum; Minor enim Maioris erat auunculus: Minorem ergo eum dici, reſpectu non ætatis, ſed vocationis Chriſti. Plures alios cognatos vel affines habuiſſe Chriſtum non eſt dubium, ſed hi præ cæteris nominatur, quia & ſanguine proximiores, & quia in eum tandem crediderunt, factique ſunt eius Apoſtoli.

*Iacobus Minor fuit auunculus Maioris.*

Vnde



Vnde ergo hvic omnia ista? et scandalizabantvr in eo] Hoc eſt, offendebantur & indignabantur, quòd Chriſtus, cùm eſſet faber, faceret ſe doctorem & prophetam, ſicut iam offenderentur & indignarentur homines, ſi quem è fabrili officina & malleo viderent proſilire in cathedram, agereque doctorem; inſimularent enim eum ſummæ arrogantiæ vel ſtultitiæ, ſed neſciebant Nazarethani Chriſtum eſſe Dei filium, qui inter fabros naſci, & cum eis fabrum agere ex immenſa charitate non eſt dedignatus, vt nos redimeret, & exemplo ſuo doceret humilitatem. Quare charitas hæc Chriſti & humilitas, quæ debebat eſſe admirationi & venerationi, eis fuit ſcandalo, quia eam non capiebãt, nec credebant Deum ſe tantoperè velle humiliare & exinanire.

*Vers. 57. Luc. 4. 24. Mar. 6. v. 4. 44. Ioan. 4. v. 44.*

Iesvs avtem dixit eis: Non est propheta (doctor, prædicator) sine honore, nisi in patria sva, et in domo sva] *Sine honore*, Græcè ἄτιμος, id eſt, *inhonorus*, vel *inhonorabilis*, vt vertit Hilarius. Syrus *vilis*, vel *deſpectus*. Arabicus, *habetur vilipendio*. Vatabl. *contemptus*. Alij, *expers honoris*. *Et in domo*, id eſt, in familia & cognatione *ſua*, quia, *nec fratres*, id eſt cognati & affines *credebant in eum*. Ioan. 7. 5. Eſt hoc Prouerbium vulgo vſitatum & communiter verum, at non ſemper: Ioannes enim Baptiſta æquè ac Iſaias, Elias, Eliſæus. Daniel, Oſee, &c. apud ſuos Iudæos in magno fuêre honore.

*Propheta ſine honore in patria.*

*Cur? Cauſa. Prima.*

Porrò cauſa, cur Propheta, id eſt, doctor, ſæpe apud ſuos non honoretur, ſed vilipendatur, prima eſt, quam dat S. Hieronymus: *quod propemodum*, ait, *naturale ſit ciues ſemper ciuibus inuidere: non enim conſiderant præſentia viri opera, ſed fragilis recordantur infantiæ, quaſi non & ipſi per eoſdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint.* Rurſum ciues non ferunt ciuem ſibi præferri, præſertim iuniorem ſeniori, pauperem diuiti, plebeium ſenatori: *Quia ſuam confuſionem exiſtimãt gloriam contribulis*, ait Theophylactus in Ioannem. Audi S. Ambroſium in cap. 4. Lucæ: *Non mediocris inuidia proditur, quæ ciuicæ charitatis oblita in acerba odia cauſas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter & oraculo declaratur quid fruſtrà opem miſericordiæ cæleſtis exſpecties, ſi alienæ fructibus virtutis inuideas. Aſpernator enim Dominus inuidorum eſt, & ab ijs, qui diuina beneficia in alijs perſequuntur, miracula ſuæ poteſtatis auertit.*

*Secunda.*

Secunda, quia nimia familiaritas parit contemptum, inquit S. Chryſoſtomus homil. 34. Et S. Cyrillus: *Quia ſolemus*, ait, *quod tritum eſt, ac quotidianum: etiamſi magnũ ſit, parui pendere*, &c. Theophylactus etiam: *Conſueuimus*, ait, *ea contemnere, quæ valde familiaria ſunt, ſemper magis attendentes alienis & inſolitis*, &c. iuxta illud Alexis apud Athenæum lib. 3. *Alienum amamus, proximum contẽnimus.* Miramur enim peregrina & exotica, aſpernamur domeſtica & familiaria, cùm ſubinde domi habeamus meliora. Sic Medicos noſtros faſtidimus, licet eruditos, peregrinos & barbaros ſuſpicimus: Flores & herbas ex India aduectos carò emimus, cùm meliores, imò ijdem ſubinde in ſyluis noſtris naſcantur nimirum *grata eſt nouitas.*

*Tertia.*

Tertia, quòd ex quotidiana conuerſatione cũ hominibus facilè vitia morum, vel infirmitates naturæ cuiuſque detegantur, quæ reuerentiam minuunt & vilipendium pariunt: ſecus eſt in cõuerſatione cum Deo, quæ quo maior eſt, eò maiorem Dei reuerẽtiam gignit: quia, *quantò plus homo in cognitione Dei proficit, tantò magis perfectionis eius excellentiam admiratur, & magis eum reueretur*, ait D. Thomas hìc. Sic Nazarethani videntes Chriſtum comedere, bibere, dormire, fabricare more aliorum, eum contempſerunt, præſertim, quia videbant eius cognatos eſſe pauperes & abiectos, ac præſertim S. Ioſephum, quem putabãt verum eſſe eius patrem; nec enim cogitare aut credere poterant eum natum ex virgine, ſolumq; Deum habere patrem. Doctor ergò & prædicator familiaritatem hominũ fugiat, ne ſpernatur; nam vt ait S. Cyrillus: *Prædicatio ibi fructum facere non poteſt, vbi prædicator contemnitur.* Romæ quidã è noſtris, vir ſapiens, concionatori cuidam Tranſalpino ad ſuos redeunti hoc monitum dedit: *Domi te contine, abſtractus viue, cum Deo verſare, non cum hominibus, ita vt Dei oraculum audieris.* Et videmus eos, qui id faciunt, ob opinionem ſanctitatis ab omnibus coli, amari, audiri.

*Nota.*

*Vers. 58. Mar. 6. v. 5. 6.*

Et non fecit ibi virtvtes (miracula) mvltas propter incredvlitatem eorvm] Arabicus, *propter paruitatem fidei eorum.* Hæc enim faciebat eos indignos miraculis, vtpote quæ Chriſtus non niſi ad fidem ſibi conciliandam & augendam patrare ſolebat: Aliam cauſam dat S. Hieronymus: *Ne multas*, inquit, *faciẽ virtutes, ciues incredulos condemnaret*, itaque *pœnam eis augeret*, ait S. Chryſoſtomus. Grauiùs enim peccat, qui plura miracula videt, & tamen non credit, quàm qui pauca, ideoque grauiùs damnatur & punitur in gehenna. Hac de cauſa Chriſtus *pauca ſigna fecit apud Iudæos*, ait S. Hieronym. *Maiora ſigna quotidie in Gẽtibus per Apoſtolos facit, non tã in ſanatione corporũ, quàm in animarum ſalute.* Ianſenius cum ſuis poſt hoc caput ponit miſſionem Apoſtolorum factam à Chriſto, quam Matthæus narrauit cap. 10. deinde decollationem Ioannis Baptiſtæ, quam narrat Matthæus ca. 14. proximè ſequenti, ac reuerſionem Apoſtolorum ad Chriſtum, Chriſtiq; receſſum in deſertũ, ſecutus Lucam & Marcum, qui hunc ordinem inſinuant; licèt aliter ſentiat Maldonatus & alij. Vide Chronotaxin.

# CAPVT DECIMVMQVARTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò decollatur ab Herode S. Ioannes Baptiſta. Secūdò, v. 13. Chriſtus id audiēs, fugiēs Herodem ſecedit in deſertum, ibiq́; quinque panibus & duobus piſcibus paſcit quinque hominum millia. Tertiò, v. 22. dimiſſâ turbâ aſcendit in montem, vt oret, mox ambulans ſuper mare venit ad diſcipulos fluctibus iactatos; Petrumq́, ad ſe euocatum & venientē, cùm ipſe fluctus metuens mergeretur, erigit, dicens:* Modicæ fidei quare dubitaſti? *illicoq́; ventum fluctuſq́, ſedat. Vnde exclamant, qui erant in naui:* Vere Filius Dei es: *quare ex locis circumquaque vicinis ad eum confluunt ægri, quos ipſe attactu ſuo ſanat.*

1. IN illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu: 2. & ait pueris ſuis:
Hic eſt Ioannes Baptiſta: ipſe ſurrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in
eo. 3. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum: & poſuit in carcerē pro-
pter Herodiadem vxorem fratris ſui. 4. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet
tibi habere eam. 5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia ſicut Pro-
phetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis
in medio, & placuit Herodi. 7. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quod-
cumque poſtulaſſet ab eo. 8. At illa præmonita à matre ſua: Da mihi, inquit, hîc
in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. 9. Et contriſtatus eſt Rex: propter iuramentum
autem, & eos, qui pariter recumbebant, iuſſit dari. 10. Miſitque, & decollauit
Ioannem in carcere. 11. Et allatum eſt caput eius in diſco, & datum eſt puellæ,
& attulit matri ſuæ. 12. Et accedentes diſcipuli eius, tulerunt corpus eius, &
ſepelierunt illud: & venientes nuntiauerunt Ieſu. 13. Quod cùm audiſſet Ieſus,
ſeceſſit inde in nauicula, in locum deſertum ſeorſum: & cùm audiſſent turbæ, ſe-
cuti ſunt eum pedeſtres de ciuitatibus. 14. Et exiens vidit turbam multam, &
miſertus eſt eis, & curauit languidos eorum. 15. Veſpere autem facto, acceſſe-
runt ad eum diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus, & hora iam præterijt: di-
mitte turbas, vt euntes in caſtella, emant ſibi eſcas. 16. Ieſus autem dixit eis: Non
habent neceſſe ire: date illis vos manducare. 17. Reſponderunt ei: Non habemus
hîc niſi quinque panes, & duos piſces. 18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.
19. Et cùm iuſſiſſet turbam diſcumbere ſuper fœnum, acceptis quinque panibus,
& duobus piſcibus, aſpiciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis pa-
nes, diſcipuli autem turbis. 20. Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tu-
lerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21. Manducantium
autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis.
22. Et ſtatim compulit Ieſus diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere
eum trans fretum, donec dimitteret turbas. 23. Et dimiſſâ turbâ, aſcendit in mon-
tem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi. 24. Nauicula autem in me-
dio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus. 25. Quarta autem
vigilia noctis, venit ad eos ambulans ſuper mare. 26. Et videntes eum ſuper mare
ambulantem, turbati ſunt dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamaue-
runt, 27. Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam: ego ſum, no-
lite timere. 28. Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, ſi tu es, iube me ad te
venire ſuper aquas, 29. At ipſe ait: Veni. Et deſcendēs Petrus de nauicula, ambu-
labat ſuper aquam vt veniret ad Ieſum. 30. Videns verò ventum validum, timuit:
& cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine, ſaluum me fac. 31. Et continuo
Ieſus extendens manum apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti?
32. Et cùm aſcendiſſent in nauiculam, ceſſauit ventus. 33. Qui autem in naui-
cula erant venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es. 34. Et
cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſar. 35. Et cum cognouiſſent eum
viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes ma-
lè habentes: 36. & rogabant eum vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent.
Et quicumque tetigerunt, ſalui facti ſunt.

IN



VERS. I. Luc. 9.7. Mar 6. v. 14. *Hiſtoriam decollationis Baptiſtæ vide apud S. Marcum.*

IN ILLO TEMPORE AVDIVIT HERODES TETRARCHA FAMAM IESV ] Hæc omnia quæ ſpectant decollationem S. Ioannis, fuſiùs & pleniùs præ omnibus Euangeliſtis narrat S. Marcus c. 6. v. 14. quare ibi cōmodiùs illa explicabo. Herodes hic fuit Antipas, filius Herodis magni infanticidæ. Matth. 2. 16. A

VERS. 12. Mar. 6. 29.

ET ACCEDENTES DISCIPVLI EIVS TVLERVNT CORPVS EIVS ET SEPELIERVNT ILLVD] *Corpus* Syrus *ſelado*, id eſt, truncum corporis ſine capite, quia vt ait Nicep. lib. 1. c. 19. *Herodias Ioannis reprehenſionem etiam poſt capitis reſectionem verita, coniungereq́; id reliquo corpori timens, apud ſe remotis arbitris in abſtruſiore regiæ loco ſepeliendum duxit*, idem aſſerit Beda, Ruffinus lib. 11. Hiſtor. c. 28. & Hiſtor. Tripart. l. 9. c. 43. Vide hîc panicos timores malæ conſcientiæ: Herodias enim verebatur, ſi caput Ioannes corpori iungeretur, quòd B reſurgeret, rurſuſque animaretur, & contra inceſtas ſuas cum Herode nuptias prædicando detonaret; ſicut Herodes putabat Ioannem reſurrexiſſe in Chriſto, in eumque tranſiſſe. Adeo caput illud inuictum Baptiſtę, licet reſectū, Herodiadi terrori fuit & horrori.

ET VENIENTES NVNTIAVERVNT IESV] Ioannes enim ante mortem iuſſerat diſcipulis, vt ſe mortuo tranſirent ad Ieſum, imò iam adhuc Ioanne viuo nonnulli ad Ieſum trāſierant, vt patet de Andrea Ioannis 1. 40. adeoq́; ipſe Ioannes diſcipulos ſuos ad Ieſum miſerat ſciſcitatum, an ipſe eſſet Meſſias? Matth. 11. 3.

VERS. 13. Luc. 9. 10. 11. Mar. 6. 31. 32. 33. Ioan. 6 12. *Herodes ab Aretà Socero ſuo victus.*

QVOD CVM AVDISSET IESVS, SECESSIT INDE IN NAVICVLA IN LOCVM DESERTVM SEORSVM] *Quod cùm audiſſet Ieſus*, ſcilicet Ioannē C ab Herode decollatum, ac Herodem, qui hucvſque partim deſidiâ, partim bello contra Aretam regem Arabiæ (hic enim filiam ſuam teſte Ioſepho li. 18. Antiq. c. 7. Herodi deſponderat, ideoq́; eius repudium ob Herodiadem factum, bello, quo Herodis exercitum cecîdit, vindicauit) occupatus, neglexerat dicta factaque Ieſu: Herodē inquam, iam famâ tot tantorumque miraculorū Ieſu increbreſcente de ijs inaudiſſe, ſerioque ad ea animaduertere cœpiſſe, vt narrauit Matthæus initio huius capitis & hiſtoriæ, indeque ſuſpicari Ieſum eſſe Ioannem reſuſcitatum: idcirco Ieſus ſeceſſit in deſertum, idque

*Cur poſt mortem Baptiſtæ in deſertum ſeceſſit Chriſtus? Primò.*

Primò. vt Herodis furorem declinaret, qui ſicut Ioannem decollauerat, ita iam putans eum ſuſcitatum in Ieſu, eūdem rurſus decollaſſet, prǽſertim cum facilè ei obrepſiſſet, vel ſuggeſta fuiſſet à Phariſæis ſuſpicio, ipſum vel eſſe, vel venditare ſe Meſſiam regē Iudæis promiſſum, & per tot ſæcula expectatum: D quare metuens ab eo regno priuari, eum peremiſſet, vti pater ipſius Herodes Aſcalonita Chriſtum cum infantibus in Bethlehem occidere ſategerat. Matth. cap. 2. v. 16. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius.

*Secundo.*

Secundò, vt Apoſtolos à ſua miſſione & prædicatione redeuntes, ac multo labore feſſos quiete aliqua recrearet, vti docet Marcus cap. 6. 31.

*Tertio.*

Tertiò, vt exemplo ſuo doceret, prædicatoribus & thaumaturgis fugiendum eſſe plauſum populi, & vanam gloriam.

IN NAVICVLA] vt per eam proficiſceretur trans mare Galilǽæ ſiue Tiberiadis, vt patet Ioānis 6. 1. Marci 6. 45. Eadem enim eſt hæc hiſtoria cum illa, quam fusè narrat Ioannes cap. 6. ex quo liquet, hæc circa Paſcha contigiſſe. Volebat ergo Chriſtus nauiculà effugere turbarum ad ſe confluxum, qui ipſi carceris & vitę periculum apud Herodem creaſſet.

*Bethſaida deſertum vbi.*

IN LOCVM DESERTVM ] Addit Lucas cap. 9. 10. *qui erat Bethſaidæ.* Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ, Ianſenius & alij nonnulli cenſent hoc deſertum, in quo Chriſtus quinque panibus pauit quinque millia hominum, dici Bethſaïdæ, non quòd fuerit iuxta Bethſaidam ad latus & littus vrbis, ſed in oppoſito littore trans mare Galilǽæ ſitum inter Iuliadem & Dalmanutha. Probant, quia Ioannes capit. 6. 1. ait Chriſtum abijſſe trans mare Galilǽæ, ac Matthæus cap. 14. 34. eum transfretaſſe. Bethſaïdæ enim ditio extendebat ſe vltra mare in deſertum hoc tranſmarinum. Ita ipſi.

Verùm dico hoc deſertum fuiſſe iuxta Bethſaïdam in eadem ripa, adeoque fuiſſe inter Bethſaïdam & Tiberiadem. Probatur primò, quia id diſertè ait Lucas cap. 9. 10. *Seceſſit*, inquit, *ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ.* Arabicus: *in locū deſertum prope ciuitatem quæ vocatur Saida* decurtatè, id eſt, *Bethſaida.*

Secundò, idipſum clarè teſtatur Burchardus & alij in deſcript. terrę ſanctę, ſcilicet locū hunc fuiſſe vicinum Tiberiadi, dictumq́; *Menſa.*

*Templum duodecim thronorum à S. Helena conſtructū.*

Tertiò, quia Nicephor. lib. 8. cap. 3. ſcribit S. Helenam Conſtantini Magni matrem. Tiberiade δωδεκάθρονον, id eſt, duodecim thronorum templum erexiſſe eo loco, quo Chriſtus quinq; hominum millia pauit.

Quartò, quia Chriſtus facta hac panum in deſerto multiplicatione fugiens turbam, quæ eum volebat creare regem, iuſſit diſcipulos nauigare Bethſaïdam, tamquam vicinam. Ruſus Ioannes c. 6. 23. ait: *Aliæ ſuperuenerūt naues à Tiberiade, iuxta locum vbi manducauerant panem gratias agēte Domino:* ergo locus hic erat iuxta Tiberiadē, putà inter Tiberiadem & Bethſaïdam: Cumque eum ibi non inuenirent, recto itinere per mare nauigarunt, vbi eum inuenerunt, vti ſubdit Ioannes.

Ad argumentum reſpondeo, Chriſtum dici transfretaſſe & abijſſe trans mare, id eſt, mare naui tranſmiſiſſe, ſiue iuiſſe per mare, nō in aduerſum littus; ſed ex vna terra per mare intermediū in aliam, ex vno ſinu anfractus in alium: nam per terram flexuoſum erat iter, quare recto itinere eò pergentibus tranſeundum erat mare, non in aduerſum littus, ſed in aduerſum ſinus flexū. Ita Franc. Lucas, Maldon. & alij. Vide dicta Matth. 4. 15. Sinum hunc videtur feciſſe mons in quem ſeceſſit Ieſus, ac deinde ex eo ad turbas eum ſequentes deſcendit, vti narrat Ioannes c. 6. v. 3. & ſeq. Denique *trans* idem eſt quod *vltra*, & amplè ſumitur, diciturque cum de vno loco in alium, de vno maris ſinu vel portu in alium tranſitionem facimus.

*Quomodo turba pedeſtres potuere ſequi Chriſtum nauigantem?*

ET CVM AVDISSENT TVRBÆ, SECVTÆ SVNT EVM PEDESTRES DE CIVITATIBVS ] Quæres, quomodo pedeſtres poterant ſequi Chriſtum naui euntem trans mare? Reſpond. turbas ſecedente Chriſto in nauiculam, eius famam paſſim per vicina loca ſparſiſſe: qua exciti multi vndequaque confluxerunt, Chriſtumque naui recta trans mare euntem pedibus inſecuti ſunt, circūeundo mare Tiberiadis, ſiue ſtagnum Geneſareth, vſque ad Bethſaïdam, & inde vſque





ad

ad Capharnaum, vbi Chriſtum inuenerunt, vti narrat Ioannes c.6.v.24.& 25.

Tantæ enim turbæ licet longior, commodior tamen erat hic pedeſtris circuitus, eò quòd naues ad tantam turbam vehendam deeſſent. Seceſſus Chriſti deſiderium turbarum non retudit, ſed acuit ad eum per inuia & auia ſequendũ; quia videbant eum virum ſanctum, beneficum, diuinum, fugientem plauſum, cum Deo conuerſantem. Ita honor ſequitur fugientes, ſicut vmbra ſequitur corpus: ſic & ſecedant prædicatores & vacent orationi, ita plus eos colet & requiret mundus.

VERS. 24. Luc. 9. 11. Mar. 6. 34. ET EXIENS (ex ſecreto deſerti Bethſaïdæ, in quod ſeceſſerat) VIDIT TVRBAM MVLTAM ET MISERTVS EST EIS (*quia erant, ſicut oues non habentes paſtorem*, ait Marcus capit. 6. verſ. 34. Scribæ enim non erant paſtores, ſed mercenarij quærentes ſua lucra, non ouium ſalutem) ET CVRAVIT LANGVIDOS (Græcè ἀῤῥώστους, id eſt infirmos, ægrotos) EORVM] Inter eos, qui ſcilicet ſe Chriſto offerebant, vel ab alijs offerebantur poſtulantes ſanitatem. Diſce hìc à Chriſto, aliorum curam & commoda præferre tuæ quieti & orationi.

VERS. 15. Luc. 9. 12. Mar. 6. 35. 36. VESPERE AVTEM FACTO, ACCESSERVNT AD EVM DISCIPVLI DICENTES: DESERTVS EST LOCVS, ET HORA (prandij, tempus cibi ſumendi) IAM PRÆTERIIT, DIMITTE TVRBAS, VT EVNTES IN CASTELLA Græcè εἰς κώμας, id eſt in vicos, in villas) EMAMT SIBI ESCAS] Vt ſuæ fami ſuccurrant: manè enim ieiuni domo egreſſi, vt à te docerentur & curarentur, vſque ad veſperam ieiuni permanſerunt.

VERS. 16. Luc. 9. 13. Mar. 6. 37. IESVS AVTEM DIXIT EIS: NON HABENT NECESSE IRE (Græcè ἀπελθεῖν, id eſt, abire in villas vt emant eſcas) DATE ILLIS VOS MANDVCARE] Sternit Chriſtus viam ad miraculum multiplicationis panum, ideoque turbas detinuit vſque in veſperam, vt diſcipuli dimiſſionem illarum peterent, quibus ipſe iubet dare illis cibum, vt eò teſtatius ſit miraculum, eoque Chriſti beneficium gratius accidat, quò magis vident ſe eſſe in arctis, ciboque omni ad tantam turbam in deſerto alendam deſtitui. Addit S. Ioãnes c. 6. quòd Ieſus *dixit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus, Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat.*

*Denarius erat id quod Regalis.* Philippum præ alijs rogauit Chriſtus, quia Philippus prę ceteris docilis erat & candidus, ſed non ita acutus & ſubtilis, ideoq; multa aliàs manifeſta rogare ſolitus, vti Ioannis 14. 8. rogauit Chriſtum dicens: *Domine oſtende nobis patrem & ſufficit nobis.* Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & S. Cyrillus, in capit. 6. Ioannis. Porrò denarius idem eſt quod Iulius Romanus, vel regalis Hiſpanicus, qui ponderat drachmam argenti: quare ducenti denarij faciunt 50. florenos Brabãticos, ſiue 20. aureos Romanos. Denarius enim dictus eſt, quod decem aſſes contineret. As erat Baiochus Romanus, ſiue medius ſtuferus. Vide ea quæ de priſcis monetis & ponderibus annotaui in fine Pentateuchi. Viginti aureis multi panes emi poterant. Nam Romæ iam vnus panis albus octo, & ſubinde decem vnciarum emitur vno baiocho, qui ferè vni ſufficit ad vnam refectionem: quare vno Iulio ſiue denario, qui continet decẽ baiochos, poterant emi tales decem panes, & conſequenter ducentis denarijs empta fuiſſent duo millia panum, quæ ferè ſuffeciſſent ad duo millia hominum reficienda: hìc autem erant quinq; hominum millia præter mulieres & paruulos; quare tria millia omni pane caruiſſent. Adde multos in fame & ieiunio eſſe edaces, vt eis vnus panis non ſufficiat, ſed duos & ſubinde tres requirant. Verè ergo dixit Philippus, ducentorũ denariorum panes non ſufficere ad tantam turbam alendam.

VERS. 17. Luc. 8. 13. Mar. 6. 38. Ioan. 6. 9. RESPONDERVNT EI: NON HABEMVS HIC NISI QVINQVE PANES ET DVOS PISCES] Piſces hi iam cocti erãt & parati in cibum: ſtatim enim ab Apoſtolis diſtributi fuerunt iubente Chriſto, ſine alia coctione. Explicat id Ioannes c. 6. 8. aitque. *Dicit ei vnus ex diſcipulis, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hìc qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſces; ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Panes hos Apoſtolorum fuiſſe cenſet ſanctus Chryſoſtomus: meliùs Euthymius putat fuiſſe venales.

VERS. 18. QVI AIT: AFFERTE MIHI ILLOS HVC] Vt illos benedicendo multiplicem. Paruêre Apoſtoli & attulêre illos, atque hæc prompta eorũ obedientia & fiducia, æquè ac charitas & ſtudiũ ſuccurrendi fami tot millium hominum, elicuit hoc à Chriſto miraculum.

VERS. 19. Luc. 9. 14. 16. Mar. 6. 39. 41. Ioan. 6. 10. 11. ET CVM IVSSISSET TVRBAM DISCVMBERE SVPER FOENVM (Arabicus, *vt ſederet ſuper herbam*) ACCEPTIS QVINQVE PANIBVS ET DVOBVS PISCIBVS ASPICIENS IN CÆLVM BENEDIXIT, ET FREGIT, ET DEDIT DISCIPVLIS PANES, DISCIPVLI AVTEM TVRBIS]

*Miraculum quinque panum & duorum piſciũ.* Priùs membrum pleniùs enarrat S. Marcus cap. 6. verſ. 39. dicens: *Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum.* Contubernia hæc erant diuerſi hominum cœtus, in vnum collecti ad prandendum. Vnde Lucas c. 9. 14 ea vocat conuiuia, id eſt, conuiuarum cœtus, in quibus honeſtatis cauſa viri cum viris, ac mulieres ſeorſim cum ſuis paruulis diſcumbebant, vt innuit hìc Matthæus: olim enim non aſſidebant menſæ in ſcamno, ſed diſcumbebant, id eſt, iacebant in lectulis menſalibus, qui iuxta menſam ſternebantur; vnde lectiſternia dicta, quorum loco hìc erat fœnum. Iuſſit verò Chriſtus per contubernia eos diſcumbere, tum vt magis appareret diſcumbentium multitudo, tum vt ordinatè omnia fierent, tum vt nemo præteriretur, qui non ſuam panis & piſcis partem acciperet.

ASPICIENS IN CÆLVM BENEDIXIT] S. Ioannes c. 6. 11. ſic habet: *Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet diſtribuit diſcumbentibus.* Vnde hæretici *Tò benedixit* exponunt per *gratias egit*: ſed perperam; Chriſtus enim more ſuo prius gratias egit patri, deinde panes benedixit: Marcus enim cap. 6. 41. ait: *Intuens in cælum benedixit, & fregit panes.* Et Lucas cap. 9. 36. *Reſpexit in cælum & benedixit illis*, ſcilicet panibus, *& fregit & diſtribuit.* Chriſtus ergo hìc *benedixit*, tum Deum, illum laudando & gratias agendo, vt habet Ioãnes capit. 6. quæ prima debet eſſe orationis pars, vt Dei laude nobis beneuolentiam conciliemus, ad impetrandum id quod deinde ſumus poſtulaturi; tum ipſos panes *benedixit*, hoc eſt diuinam gratiam



gratiam eis imprecatus eſt, per quam multiplicarentur, & vim roburque conciperent ad tantã turbam copioſè validèque alendam, roborandã & exhilarandam, perinde ac ſi opiparo carnium & vinorum epulo paſti fuiſſent.

*An Deus ad hanc panum multiplicationem aliquid crearit?* Chriſtus ergo hac benedictione virtutem aliquam, non phyſicam, ſed moralem panibus indidit, ſcilicet deputationem ſuam & ordinationem ad miraculoſam multiplicationem, per quam manum, id eſt, virtutem ſuam diuinam quaſi panibus appoſuit, vt illico reipſa multiplicarentur, nimirum aërem vicinum, vel aliam materiam ſenſim inter diſtribuendum, ſed inſenſibiliter, & continuè in panes conuertendo: Deus enim nihil de nouo creat ex nihilo, ſed ex materia initio mundi creata omnia producit & transformat. Simili modo multiplicauit farinam & oleum viduę Sareptanæ ob merita Elię 4. Reg. 17. 14. & alterius ob merita Eliſęi 4. Regum 4. 5.

*Panes Chriſti ſapidiſſimi.* Panes hos optimos & ſapidiſſimos fuiſſe, magnaque vi nutriendi, roborandi & exhilarandi præditos liquet ex eo, quòd erant panes diuini à Chriſto per miraculum producti: Dei enim perfecta ſunt opera. Sic vinũ ex aqua in Cana Galilææ conuerſum, fuit optimum, vt patet Ioannis c. 2. 10. Sic Deus dum ſingulis rerũ ſpeciebus à ſe initio mundi creatis benedixit, hoc ipſo vim generandi, ac ſe propagandi multiplicandique eis indidit, dicens: *Creſcite & multiplicamini.* Geneſ. 1. Sic Chriſtus in vltima cœna inſtituens Euchariſtiam, benedicens panem, eum in corpus ſuum tranſmutauit. Matth. 26. 26. Atque huius in Euchariſtia tranſmutationis typus, & præambula quaſi diſpoſitio fuit hæc panum per Chriſti benedictionem multiplicatio; nam paulò poſt eam Chriſtus de Euchariſtia ſermonẽ prolixum inſtituit, quem narrat Ioannes cap. 6. ac Euchariſtiam cum manna contulit & prætulit, dicens: *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioan. c. 6. v. 59. Cauſam dat S. Auguſtinus tra. 24. in Ioannem: *Vnde*, inquit, *multiplicat* (Deus) *de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicauit panes: Poteſtas enim erat in manibus Chriſti. Panes enim illi quinque quaſi ſemina erant, non quidem terræ mandata, ſed ab eo qui terrã fecit multiplicata.* Vnde S. Chryſoſtomus: *Multiplicabantur*, inquit, *in diſcipulorum manibus quinque illi panes, ac fontis in morem ſcaturiebant*, dum vt ait S. Hilarius, *Fragmentis fragmenta ſuccedunt, & fallunt ſemper perfracta frangentes. Frangente enim Domino, ſeminarium fit ciborum*, ait S. Hieronymus: *Vidiſſes*, inquit S. Ambroſius, *incomprehenſibili quodam rigatu inter diuidentiũ manus, quas non fregerant, fructificare particulas, & intacta frangentium digitis ſponte ſua fragmenta ſubrepere: quemadmodum videmus liquidis fontibus concinnos fluere ſucceſſus, & quidquid de illis auferas, vſurario quodam reparari meatu.*

*Panes dati pauperibus non minuuntur, ſed augentur. Exempla. S. Ioannis Eleemoſynarij.* Tropologicè, Chriſtus hìc ſuo facto docet panes & opes, tam corporales quàm ſpirituales, in eleemoſynã egentibus datos non minui, ſed multiplicari, imò centuplicari & millecuplari. Sic S. Ioãnes ob liberalitatem cognominatus Eleemoſynarius, Patriarcha Alexãdrinus, dicebat ſe quotidiana experientia diſcere, quòd quò plus daret pauperibus, eò plus à Deo reciperet: vnde aiebat: *Videbo Domine quis citius deficiat, an tu mihi dando, an ego egenis diſtribuendo.* Ita Leontius in eius vita:

*Sanctuli Presbyteri. Adriani II. Pontificis.* ſimili modo Sanctulus Presbyter multiplicauit panẽ operarijs, vti narrat ſanctus Gregorius 3. Dialog. c. 37. Hadrianus II. Pontifex, qui Nicolao primo ſucceſſit anno Domini 914. ac octauam Synodem Generalem Conſtantinopoli indixit, in eaq; Photium inuaſorem ſedis eiecit ac S. Ignatium legitimũ Patriarcham reſtituit. Hic, inquam, Hadrianus, ait Platina, Sergio Pontifici familiaris fuit, à quo cũ aliquando denarios quadraginta dono accepiſſet, domum rediens, diſpẽſatori mandauit, vt eos peregrinis & pauperibus, qui in veſtibulo domus ſuę ſtabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cùm videret ne minimæ quidem parti tantulâ re ſatisfieri poſſe, ad Hadrianum rediens rem ipſam exponit. Tum Hadrianus accepta pecunia ad pauperes veniẽs, & ternos denarios ſingulis præſtitit, & totidem ſibi rei familiari ſatisfacturus reſeruauit admirãte diſpenſatore miraculum rei. Cui Hadrianus: Vides, inquit, quàm benignus & largus ſit Dominus, his præſertim, qui liberales & munifici in pauperes ſunt? Hac, & alijs virtutibus tanto in pretio apud omnes fuit, vt cum de Pontifice creando ſermo haberetur, certatim omnes vnicum Hadrianum deligerent.

*S. Lydwina.* S. Lydwina Hollanda, ſingulare patientiæ & charitatis ſpeculum, cùm eſſet pauper, ſtudioſè tamen egenis ſuccurrebat: quocirca pauca habens in burſa nummos, dum eos liberaliter erogaret, aſſiduè alij cælitus ſurrogabantur, ita vt nũquam deficerent, ſed creſcerent iugiter, ideoque hæc eius burſa Ieſu cognominata eſt. Lege eius vitam apud Surium in Aprili. Vide 2. Corinth. capit. 9. verſ. 6. & ſequent. *Qui parcè ſeminat*, inquit, *parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus* (id eſt benedictiones, id eſt, beneficentias multas) *de benedictionibus* (beneficentias multas) *metet.* Eſt Hebraica ſyntaxis. Hebræi enim verba contactus, quale eſt ſeminare, conſtruunt cum ablatiuo præuia præpoſitione: vnde dicunt tangere in manu; id eſt, tangere manum. Quare dum pauperi das panem vel Iulium, non eum perdis, ſed ſeminas; quia ſicut ex vno ſeminis grano multa ſuccreſcunt, ſic ex vno pane vel Iulio multi.

VERS. 20. Luc. 9. 17. Mar. 6. v. 42. 43. Ioan. 6. 12. 13. ET MANDVCAVERVNT OMNES] Quinque millia virorum cum mulieribus & paruulis, quorum ingens erat numerus; mulieres enim deuotæ magis ſunt æquè ac magis curioſæ, vt videant nouum Prophetam, qualis erat Chriſtus, quàm viri.

*Cur nulla hìc vini mentio.* ET SATVRATI SVNT] Dices, nulla hìc vini fit mentio: quomodo ergo ſaturati ſunt, qui nil biberant: ſine potu enim ſitibundum & caninum eſt prandium. Reſpondeo, Chriſtum non dediſſe eis vinum, quia vicini erant aquarum fontes, ad quos pro potu accedere poterant.

*Potus aquæ naturalis & ſanus.* Potus enim aquæ eſt naturalis & ſanus, ac naturæ ſufficit. Vlterius verò gulam irritare vino Chriſtus nolebat. Dat enim cibum Deus ad neceſſitatem & ſatietatem, non ad voluptatem & laſciuiam. Sic Angelus Eliæ detulit panem & vas aquę, nõ vini, in deſerto. 3. Reg. 19. 6. Sic coruus iuſſu Dei quotidie deferebat dimidium panem ad S. Paulum primum Eremitam, ſitim verò ex vicino aquæ fonte eum leuare volebat, teſte S. Hieronymo in eius vita. Idem fecit Deus alijs

ſanctis. Imò ab Adamo vſque ad diluuium per A 1600. annos vſque ad Noë qui primus vitem plantauit, homines religioſiores non comederunt carnes, nec biberunt vinum, ſed fructus edebant & bibebant aquam, & tamen viuebant per 900. annos. Abſtinentia ergo mater eſt ſanitatis, æquè ac ſapientiæ & ſanctitatis. Vide dicta Geneſ. 9.

*Ante diluuium nullus vini, nec carnium vſus.*

*De his panibus plus ſuperfuit, quã initio allatũ fuerat.*

ET TVLERVNT RELIQVIAS DVODECIM COPHINOS FRAGMENTORVM PLENOS ] Ergo retulerunt plus panis, quàm initio ad Chriſtum attulerant, nimirum quinque: duodecim enim cophini ſiue corbes, non quinque, ſed triginta & plures panes continebant. Veriſimile eſt Chriſtum primò quinque panes manibus ſuis fregiſſe, & frangendo multiplicaſſe, ac eos in hos cophinos diſtribuiſſe, qui deinde eius iuſſu dum ab A- B poſtolis per contubernia in turbas diſtribuerentur, ſenſim magis & magis multiplicabantur: quare tot cophinos fragmentorum ad Chriſtum retulerunt, quot cophinos panum primò ab eo acceperunt. Ita Maldonatus, Cedrenus in Compend. Hiſtor. narrat duodecim hos cophinos religiosè repoſitos fuiſſe in templo duodecim Apoſtolorum, quod Conſtantinopoli exædificauit Conſtantinus Magnus.

Porro Iudæis ab olim familiares fuere cophini: Vnde Iuuenalis:

*Iudæi*, inquit, *quorum cophinus fœnumq́ ſuppellex.*

Vnde liquet cophinum tantæ capacitatis eſſe, vt capiat tantum, quantum manus vel brachium viri, v.g. Iudæi portare poteſt.

VERS. 21. Luc 9.14. Mar. 6.44. Ioan. 6.10.

MANDVCANTIVM AVTEM FVIT NVMERVS QVINQVE (Græcè ὡσεὶ πέντε, id eſt, *quaſi quinque*) MILLIA VIRORVM, EXCEPTIS MVLIERIBVS ET PARVVLIS] Putant nonnulli mulieres & paruulos exæquaſſe numerum virorum; ſed hoc difficile eſt creditu, quia deſertum hoc Chriſti longè aberat ab vrbibus & villis frequentioribus, iter autem tam longum facere, multis minoribus fuiſſet difficile. Hanc quinque milliũ virorum, per quinque panes à Chriſto benedictos & multiplicatos refectionem, ad verbum prædixit Sibylla, cuius verſus recitat Lactantius lib. 4. c. 15.

VERS. 22. Mar. 6.45. Ioan. 6.16.

ET STATIM COMPVLIT IESVS DISCIPVLOS ASCENDERE IN NAVICVLAM, ET PRÆCEDERE EVM TRANS FRETVM (trans mare Galilææ, iterum enim iterumq́ue illud traijciebat Chriſtus ad fugiendum turbas) DONEC DIMITTERET TVRBAS ] Id facit Chriſtus primò, quia volebat ſecedere, vt ſolus quietiùs & inſtantiùs oraret, vt patet ex verſ. ſeq. Secundò, vt hac ratione faciliùs effugeret turbam, quam ſciebat ipſum velle facere regem, ob multiplicationem & diſtributionem panum ab eo factam, vti docet Ioan. 6.15. Tertiò, vt ſequentis miraculi in ſedanda maris tempeſtate daret occaſionem.

VERS. 23. Mar. 6.46. Ioan. 6.15.

ET DIMISSA TVRBA (ei valedicens & bene precatus, iubenſque ad ſua redire) ASCENDIT IN MONTEM SOLVS ORARE: VESPERE AVTEM SOLVS ERAT IBI ] Repetit hoc Matthæus, vt ſternat viam ad ſequens miraculum, quod ſcilicet Chriſtus ex monte venerit & ambularit ſuper mare, vt diſcipulis in naui vento iactatis ſuccurreret. Solus orat Chriſtus, vt moneat fideles in oratione fugere turbas & ſtrepitus, ac in ſecreto & ſilentio mẽte collectâ Deum A precari. Secundò, vt doceat prædicatores ſubinde ſecedere, vt animum colligant, ac cum Deo agant, petantq́ue vt ea quæ prædicarunt Deus confirmet, ac verbi ſui ſemina, quæ ipſi in mentibus auditorum ſparſerũt irriget, foueat, promoueat & perficiat; vtq́ue nouũ eis ſpiritum indat, quo inſtructi nouo & maiori feruore redeant ad prædicandum.

VERS. 24. Mar. 6.47. 48. Ioan. 6.8.

NAVICVLA AVTEM IN MEDIO MARI IACTABATVR (Græcè βασανιζόμενον, id eſt vexabatur) FLVCTIBVS: ERAT ENIM CONTRARIVS VENTVS] Syrus: *Iam receſſerat à terra ſtadijs multis cùm agitaretur plurimùm.* Arabicus: *Agitabant eam fluctus.* Sicut contra fluctus conſtãter ibat nauis, & validiùs remigabant nautæ: Sic contra tentationes fortius eundum eſt, iuxta illud:

*Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito.*

B *Ambulabant*, ait S. Aug. tra. 25. in Ioannem, *promouebant Apoſtoli, nec venti illi & tempeſtates & fluctus & tenebræ id agebant, vt vel nauis non promoueretur vel ſoluta mergeretur, ſed inter omnia illa mala ibat.*

Porrò tempeſtas cuique eſt non tantùm aduerſitas, ſed nimia proſperitas. Audi S. Auguſtinũ ſerm. 13. de Verbis Domini ſecundùm Matth. *Vnicuique ſua cupiditas, tempeſtas eſt. Amas Deum, ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis eſt timor ſæculi. Amas ſæculum, abſorbebit te; Amatores ſuos vorare nouit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, vt vincas tuam cupiditatem, inuoca Chriſti diuinitatem.* Et inferiùs: *Magnæ virtutis eſt, cum felicitate luctari; magnæ felicitatis eſt, à felicitate vinci.*

VERS. 25. Mar. 6.48.

*Vigilia noctis quæ?*

QVARTA AVTEM VIGILIA (Græcè φυλακῇ, id eſt, *cuſtodia*) NOCTIS VENIT AD EOS AM- C BVLANS SVPER MARE] Romani noctu ſingulis ternis horis mutabant excubias, id eſt, vigiles & cuſtodes vrbis vel exercitus, tum ne illi ex nimis longa vigilia in ſomnum inciderẽt, tum ne fraudi alicui & proditioni eſſet locus; & hæ vocabantur vigiliæ vel cuſtodiæ. Quare noctem ſi breuis erat, in ternas, ſi longa in quaternas vigilias ſiue cuſtodias diuidebant. Quarta ergo vigilia incipiebat decimâ noctis hora, & durabat vſque ad duodecimam. Porrò hæc contigerãt paulò poſt multiplicationem panum & paſtum turbæ, quæ facta eſt circa paſcha, vt patet Ioan. 6.4. Vnde colligas, hanc tempeſtatem, & hanc eius ſedationem factam à Chriſto, contigiſſe circa æquinoctium paſchale, ſiue vernum, quando nox æqualis diei eſt duodecim horarum. Durauit ergo hæc maris tempeſtas per nouem horas, D ſcilicet per tres vigilias noctis vſque ad quartam, qua Chriſtus venit ad diſcipulos mari iactatos: *Quartâ vigiliâ noctis ad eos veniſſe Dominum, oſtendit totâ nocte periclitatos*, ait S. Chryſoſtomus, illi ergo continuè nauigantes tres vigilias, id eſt, per nouem horas vix confecerunt 25. vel 30. ſtadia (vt ait Ioannes cap. 6. verſ. 19.) id eſt milliaria Italica circiter tria: nam octo ſtadia faciunt vnum milliare; ſtadium enim continẽt 125. paſſus, milliare verò mille paſſus. Igitur Apoſtoli nouem horis nauigantes vix dimidium maris Galilææ traiecerant: Eius enim latitudo eſt ſex milliarium, longitudo verò ſedecim, teſte Plinio lib. 5. cap. 15. imò Ioſephus libr. 3. Belli capit. 18. ait illud latum eſſe quadraginta ſtadijs, id eſt, quinque milliaribus, longum verò centum ſtadijs, id eſt, milliaribus duodecim cum dimidio. Hoc verum eſt, ſi cum Adrichomio, Ianſenio & alijs dicas,



dicas Apoſtolos totam maris latitudinem tranſiſſe. Nam alij veriùs cenſent, eos illud in longũ ſulcaſſe: deſertum enim hoc ſitũ erat inter Bethſaïdam & Tiberiadem, ex quo verſus Bethſaïdam & Capharnaum in longum maris huius nauigarunt, vti oſtendi verſ. 13. huius capitis. Permiſit Chriſtus diſcipulos tot horis tempeſtate iactari: Primò, vt aſſueſcerent pati aduerſa & dura. Secundò, vt opem Dei ardentius flagitarent. Tertiò, vt ſuauior & gratior eis accideret procellæ tam difficilis & longæ ſedatio, mox facienda à Chriſto. ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & alij.

Audi Lactantium libr 4. de Vera ſapientia c. 15. *At illi* (diſcipuli Chriſti) *vrgente iam veſpere profecti contrario vento laborare cœperunt, cumq́; iam medium fretum tenerent; tum pedibus mare ingreſſus conſecutus eſt eos, tanquam in ſolido gradiens: non vt poëtæ* B *Orionem mentiũtur in pelago incedentem, qui demerſâ corporis parte humero ſuſtinet vndas.* Profert deinde Sibyllæ carmina, quibus illa prædixit Chriſtum ventos & mare furens pacaturum, morbos curaturum, & mortuos ſuſcitaturum. Audi S. Hieronymum: *Stationes & vigiliæ militares in terna horarum ſpatia diuidũtur. Quando ergo dicit quartâ vigiliâ noctis veniſſe ad eos Dominum, oſtendit totâ nocte periclitatos, & extremo noctis, atq; in conſummatione mũdi eis auxilium præbiturum.* Audi & S. Auguſtinum ſer. 14. de Verbis Domini ſecundùm Matthæũ: *Quarta vigilia noctis, extrema pars noctis. Vigilia vna tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per ſingulas vigilias diſtributis. Quartâ ergo vigiliâ noctis, hoc eſt, penè iam nocte finitâ: ſic veniet in fine ſæculi, iniquitatis nocte tranſactâ, ad iudicãdos viuos & mortuos.* C

*Chriſtus aſſumpſit dotes corporis glorioſi ad tempus.*

AMBVLANS SVPER MARE ] Per virtutem diuinam, quam habebat vt Deus, & per dotem agilitatis, quam ad tempus aſſumpſit vt homo, inquit Ioannes Maior hîc: ſicut idem Chriſtus in tempore natiuitatis aſſumpſit dotem ſubtilitatis, penetrando clauſum virginis matris vterum: ac dotẽ claritatis in tempore transfigurationis: deniq; dotem impaſſibilitatis in ieiunio 40. dierum, qua factum eſt, vt nullam famem pateretur aut ſentiret.

VERS. 26. Mar 6.49 Ioan. 6.19.

ET VIDENTES EVM SVPER MARE AMBVLANTEM TVRBATI SVNT DICENTES: QVIA PHANTASMA EST] Syrus, *quia viſio mendax*, id eſt ſpectrum eſt: tum quia talia noctu & in tenebris obambulare, apparere & homines territare vexareq́ue ſolent, vti multis exemplis docet Del- D rio in Magicis: tum quia præ tenebris non agnoſcebant ambulantem hunc eſſe Ieſum, præſertim quia vt ait Marcus cap. 6.48. *volebat præterire eos*; quaſi eos non curans, nec ad eos pertinens, ſed aliò pergens, vt in eis metum & clamorem excitaret, quo excitus ſe eis cognoſcendum daret. Vnde ſequitur.

ET PRÆ TIMORE CLAMAVERVNT] Confuſus fuit hic clamor elicitus à pauore, qualis eſſe ſolet nauigantium cùm in naufragij periculum incidunt, vt de vita, quaſi deſperent. Duplex erat hic diſcipulorum timor. Ad metum enim fluctuum maris minantium nauiculam obruere, accedebat metus phantaſmatis, ne illud nauim iiſdem planè ſubmergeret.

Permiſit hoc Chriſtus, vt diſcipuli diſcerent A metus & tentationes ſuſtinere, etiam dum illi augentur & duplicantur, vtq́ue eo ſuauior eis accederet liberatio & conſolatio mox ab eo afferẽda, quò maior præceſſerat deſolatio & quaſi ſalutis deſperatio. In arctis enim cum res eſt in acie nouaculæ, Deus illico ex alto ſuccurrit. Vnde ſequitur.

VERS. 27. Mar. 6.50. Ioan. 6.20.

STATIMQVE IESVS LOCVTVS EST EIS DICENS: HABETE FIDVCIAM (Græcè θαρσεῖτε, id eſt, animum lapſum reſumite, reſpirate, confidite, animoſi & fidentes eſtote: Syrus, *bono eſtote animo.* Arabicus, *eſtote fortes*) EGO SVM (magiſter veſter, quem noſtis, cuiuſque beneficentiam & omnipotentiam in tot miraculis à me patratis experti eſtis: qui proinde non vos illudo vt phãtaſma, ſed tempeſtate & metu liberare deſtino) NOLITE TIMERE] Græcè *Ne timeatis*, vel à ſpe- B ctro, vel à fluctibus. Hac voce Chriſti tum externâ auribus inſonante, tum potiùs internâ animis diſcipulorum ingeſtâ, Chriſtus eis ademit pauorem, ac ſerenitatem, ſecuritatem & lætitiam indidit vt planè confiderent ſe a Chriſto omni periculo liberandos.

*Indicium an ſpiritus bonus ſit an malus.*

Ex hoc loco diſce hoc eſſe diſcrimen boni & mali Spiritus, quòd bonus initio terreat, mox cõſoletur, ſerenet & lætificet, vti facit hîc Chriſtus: malus verò initio gaudium ſenſuale ingerat, ſed mox mœrorem, angorem & deſperationem immittat.

VERS. 28.

*S. Petrus defenditur contra Caluinum.*

RESPONDENS AVTEM PETRVS DIXIT: DOMINE SI TV ES (Ieſus, magiſter & Dominus noſter) IVBE ME AD TE VENIRE SVPER AQVAS] Caluinus Petrum temeritatis & ſtultitiæ accuſat: C Dubitabat enim Petrus, inquit, an qui apparebat eſſet Chriſtus, an verò ſpectrum dæmonis. Potuiſſet enim dæmon, ſimulans ſe eſſe Chriſtũ, iubere Petro, vt veniret ad ſe, itaque eum mergere in mari, vti plura ſpectra feciſſe narrat Delrio in Magicis. Reſpõdent Patres & interpretes in hũc locum dupliciter. Primò, Petrum ex voce, geſtu, habitu, & multò magis ex interiore Chriſti inſtinctu agnouiſſe hoc non eſſe phantaſma, ſed ipſummet Chriſtum, vt dixi v. 27. quod ergo ait, *ſi tu es*, non eſt vox dubitantis, ſed lætitiâ geſtientis vlteriuſque optantis ad Chriſtum citò venire, vt illi, quem ſummè amabat, per mare miraculosè accedenti quàm proximè iungatur. Ita S. Hilarius: *In Petro*, ait, *conſidera fide eum ceteros anteiſſe.* Et S. Chryſoſtomus: *Vides*, inquit, *quod vehementer Petrus arderet? vides quanta fides ipſius etiam* D *nunc eſſet? Nemo ita vt ipſe Ieſum amabat. Non ſolùm charitatẽ, ſed fidem etiam oſtendit. Quia enim credebat non tantummodò Chriſtũ ſuper mare ambulare, verùm etiã in alijs poſſe concedere, auſus eſt hoc petere, vt cum eo citiùs eſſe poſſet.* Et S. Hieronymus: *Eodem*, ait, *fidei ardore quo ſemper, nunc quoque ceteris, tacentibus credit ſe poſſe facere per voluntatem magiſtri, quod ille poterat per naturam. Iube me venire ad te ſuper aquas. Tu præcipe, & illicò ſolidabuntur vndæ: leue fiet corpus, quod per ſe graue eſt.* Vide Abulenſem hîc quæſtione 166. vbi aſſerit Petrum certò ſciuiſſe, eum qui ambulabat ſuper mare, eſſe Chriſtum; ideoque eo vocante & iubente audacter mare ingreſſum, ac cum mergeretur eum fidenter inuocaſſe, dicendo: *Domine ſaluum me fac.*

Secundò, ſi omnino velis τὸ *ſi tu es* eſſe dubitantis, dicendum per τὸ *iube me venire ad te ſuper aquas*,

*aquas.* Petrum poſtulaſſe id ſibi iuberi non ſimpliciter, ſed cum efficacia, ita ſcilicet: vt Chriſtus non tantùm exteriùs, ſed & interius ſibi iuberet, ac hac ſua iuſſione inderet animo ſuo tantam audaciam, fiduciam & ſecuritatem: vt non dubitaret, quin Chriſto iubente ſecurus ambularet ſuper aquas: vnde mox eo iubente, iuxta nauim tentās aquam pedibus, illico ſentit eam non cedere, ſed ſe ſuper illam ambulare; quare fidens & ſecurus ſuper aquas perrexit ad Chriſtum. Ita Ianſenius. Solus enim Deus poteſt menti illabi, illique ſuæ præſentiæ certa ſigna dare, licet nobis incognita, nec niſi experienti cognita, quibus animam certam facit ſe illi interiùs loqui, non Angelum, vel dæmonem; qualia habuerunt Prophetæ, cùm à Deo audirent futura: alioqui enim tam Deum, quàm ſeipſos ludibrio expoſuiſſent, cùm enuntiabant aliquid futurum quaſi ſibi reuelatum à Deo, niſi de eo certi fuiſſent: illud ſcilicet ſibi verè à Deo, non autem à diabolo ſpeciem Dei aſſumēte eſſe reuelatum. Ita hic factum Petro: petit enim ipſe à Chriſto ſigna ſecuritati interna æquè ac externa, quæ omne dubium ab anima excludant, illaque ei præſtitit Chriſtus, dicens: *Veni.* Ex illis ergo certus erat Petrus hanc eſſe vocem Chriſti, non alicuius phantaſmatis vel dæmonis. Id magis patebit ex v. 30.

Si tv es, ivbe me ad te venire svper aqvas] Feſtiuè S. Auguſtinus ſer. 14. de Verbis Domini ſecundum Matth. Petrum ita loquentē inducit: *Si tu es, non miror, quod ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis. Quid enim mirum ſi conditori ſua creatura famulatur? Hoc ego non miror: fac quod mirer; ambulet Petrus. Fac quod mirer; Iube me venire ad te ſuper aquas,* &c. Et inferiùs: *Tu Deus es, ego homo ſum. Voluiſti de meo habere infirmitatem in carne, quam portas; habeam & ego de tuo poteſtatem, vt vnda me portet, Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Quomodo enim mihi in mari non erit via ſi tu iuſſeris, qui propter nos factus es via?*

Vers. 29. At ipse ait: veni] Hac voce Chriſtus certitudinem & ſecuritatem indidit menti Petri vti iam dixi. Vnde ſequitur.

*Ambulat Petrus ſuper aquas.*

Et descendens Petrvs de navicvla ambvlabat svper aqvam, vt veniret ad Iesvm] Factum eſt hoc, modo vno è tribus, ſcilicet quòd Chriſtus vi diuina detineret Petrum, ne mergeretur, ſicut Angelus capillis detinuit Habacuc, rapuitq; in Babylonem. Daniel 14. 35. aut non cōcurrerit cum grauitate corporis Petri, vt eum grauidaret & ſub aquis deprimeret: aut quod non concurrerit cum aqua vt loco cederet, ſed vt ſolida firmaque ſub pedibus Petri inſtar glaciei, vel cryſtalli conſiſteret. Ita Ioannes Maior hîc.

Vers. 30. Videns vero ventvm validvm timvit, et cvm coepisset mergi clamavit dicens: Domine salvvm me fac] Arabicus: *Vidit autem validitatem venti & timuit, & prope erat vt mergeretur, & exclamauit.* Validitas ergo venti iniecit Petro metum, metus diffidentiam, diffidentia periculum. Quem enim fides vehebat ſuper aquas, diffidentia merſit. Cauſa fuit modica fides in Petro, vti ei obijcit Chriſtus: timebat enim ne tanto vento & fluctibus, Chriſto permittente mergeretur: needum enim receperat fidei & charitatis robur à Spiritu S. quod poſtea recepit in Pentecoſte. Hinc & in paſſione Chriſti valido pulſatus tentationis Iudæorum vento, cecidit, negauitque Chriſtum, cuius hęc tentatio fuit typus, & quaſi præambula ſignificatio. Ita Theophyl.

Permiſit hoc Chriſtus, vt Petrus ſuam ſuæque fidei infirmitatem agnoſceret, ſeque humiliaret, eiuſque argumentum à Chriſto poſceret, fieretq; petra fidei iuxta illud: *Tu es Petrus, & ſuper hāc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. Et: *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus cōfirma fratres tuos.* Lucæ 22. 32. Ita S. Hieronymus, Theophylactus & alij. Petrus, ait S. Chryſoſtomus, hom. 51. *Quod maius erat, ſuper maria ſcilicet de nauigio deſcendere, magno animo fecit. Vi autem ventorum & impetu fluctuum, quod erat minus, ſuperatus, timuit. Naturæ quippe humanæ hæc conditio eſt, vt difficilioribus nonnumquam ſuperatis, ſuccumbat in minoribus,* Denique S. Auguſtinus ſerm. 14. de Verbis Domini; *In Petro,* ait, *ambulante ſuper aquas figurantur in fide firmi, in dubitante infirmi.*

Domine salvvm me fac] Hinc liquet id quod dixi v. 28. Petrum non dubitaſſe, quin is, qui apparebat, eſſet Chriſtus; alioqui enim eum in tanto periculo non inuocaſſet, ſed Deum, qui eſt in cælis, vti ſolent facere naufragi, ſed dubitaſſe tantùm, an Chriſtus permitteret ventū ſuæ naturæ ſuiſque viribus, vt ſe in fluctibus ambulantem ijſdem obrueret: cùm tamen & Chriſtus fidem dediſſet dicendo, *veni*, qua voce eum aſſecurabat quòd nō mergeretur: ſed validitas venti quatiens latera Petri, hanc ei fidem excuſſit & difflauit. Pulchrè S. Auguſtinus ſerm. 14. iam citato. *Titubatio iſta fratres, quaſi mors fidei fuit. Sed vbi exclamauit, fides iterùm reſurrexit. Non ambularet niſi crederet, ſed nec mergeretur niſi dubitaret. In Petro itaq; communis omnium noſtrum conſideranda conditio eſt, vt ſi nos in aliquo tentationum ventus conatur ſubuertere, vel vnda ſubmergere, clamemus ad Chriſtum.*

Et continvo Iesvs extendens manvm apprehendit evm, et ait illi: Modicæ fidei (Syrus: *o exigua fide prædite*) qvare dvbitasti] Græcè, εἰς τί ἐδίστασας, id eſt, *in quid animum in duo diuiſiſti?* duplicia conſideraſti, ambiguus inter duo hęſiſti & hęſitaſti, duo enim Petro hic obijciebantur, ſcilicet validitas venti incutiens illi timorem ſubmerſionis, & Chriſti vox ingerens illi fiduciam & ſecuritatem à ſubmerſione; ſed validitas venti magis ſenſibilis, ideoq; magis vehemens fuit voce Chriſti: rapuit enim Petri animum ad ſe, vt illi vni intentus, nec de promiſſione Chriſti cogitans, titubaret metueretq; mergi, cùm potiùs debuiſſet totus auſcultare, & intendere voci Chriſti eū aſſecuranti, itaque reſiſtere tentationi & pauori, quem validitas venti incutiebat; propriè ergo in Petro hîc erat defectus fiduciæ, ſed hic ex defectu fidei oriebatur. Idem contingit cuilibet tentato in quauis tentatione. Vers. 31.

*Tentationis omnis origo & remediū.*

Ferè enim omnis tentatio oritur ex diffidētia Dei, quòd homo fidens ſibi, vel humanis auxilijs Deo diffidat; nec ad eum ſtatim per orationem recurrat. Hinc ergo diſcat tentatus, vt animum à re, quàm tentatio ingerit, auertat, eumque totum cōuertat ad Deum, in eoq; defigat, & eius opem ſupplex imploret. Pulchrè verèque S. Chryſoſtomus:



ſtomus: *Sicut ſi pullus,* inquit, *cùm antequam volare queat, nido exiens in terram decidat, mater velociter raptum in nidum reſtituit: ſic tunc Chriſtus Petro peregit.* Tentatus ergo Chriſtum inuocet, ſic tentationi reſiſtet, eamque ſuperabit. Hinc fides Græcè dicitur πίστις, quia ipſa eſt περὶ τὸ ὂν στάσις, id eſt, circa id eſt, quòd eſt ſtatio & quies; quoniam ipſa mentem noſtram in dubijs ſiſtit, quæ priùs iactabatur & fluctuabat. Ita Clemens Alex. libr. 5. Stromat. *Fides enim eſt ſubſtantia rerum ſperandarum.* Heb. 11. 1. vide ibi dicta. Quin & fides Latinè ſic appellata eſt, *quòd fiat id, quod dictum eſt,* ait Cicero 1. Offic. Si enim crediſſet dicto Chriſti Petrus, non dubitaſſet, nec cœpiſſet mergi.

Vers. 32. Mar. 6. v. 31. Et cvm ascendissent (Chriſtus & Petrus ambulantes ſuper mare) in navicvlam, cessavit ventvs] Ioannes capit. 6. verſ. 21. ait: *Voluerunt* (diſcipuli nauigantes) *accipere eum, in nauim.* Vnde S. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus opinantur Chriſtum id noluiſſe, ſed vnà cum Petro, vt eius fidem confirmaret, magno ſpatio ſuper aquas ambulaſſe: cùm verò propè terram eſſent, in nauim aſcendiſſe. Veriùs Ianſenius & alij: *voluerunt*, inquiunt; quia ex voce Chriſtum agnoſcentes, & certi non eſſe phantaſma (hoc enim in nauim recipere noluiſſent) *voluerunt*, id eſt, inuitarunt Chriſtum in nauim; ac Chriſtus voluntati & inuitationi eorum obſecundans, cum Petro ingreſſus eſt nauim. Sicut ergo *voluerunt*, ſic & reipſa acceperunt Chriſtum *in nauim*, putantes ſe eo præſente feliciter, ſed more ſolito pedetentim nauigaturos. Verùm Chriſtus in naui præſens effecit id, quod ſubdit immediatè Ioannes: *Et ſtatim* (Chriſto in nauim recepto) *nauis fuit ad terram*) in quā ibant, putà Bethſaidam, vt ait Marcus cap. 6. 45. quæ erat patria Petri. Nouum fuit hoc Chriſti miraculum, quòd ex medio mari Galilææ, iter trium milliarium ſubitò, & quaſi in momento confecerint, applicuerintque ad litus Bethſaïdæ. Quatuor ergo hîc fuêre Chriſti miracula. Primum, quòd ipſe ambularit ſuper aquas. Secundùm, quòd Petrum pauidum & incipientem mergi erexerit, feceritque ſecum ambulare. Tertium, quòd ingreſſus nauim illicò ventum & tempeſtatem ſedarit. Quartum, quòd ſubitò nauim ex medio mari ad littus tranſtulerit. Sic myſticè Chriſtus ſuâ gratiâ facit nos calcare altitudinem ſæculi, ſedat tentationes, dat portum felicitatis æternæ.

*Quatuor Chriſti miracula.*

Tropologicè Theophylactus: Si Chriſtum in nauicula noſtra, id eſt, in corde ſuſceperimus, inquit, ſtatim inueniemur in terra, ad quam ire volumus, id eſt, in cælo.

Vers. 33. Qvi avtem in navicvla erant (diſcipuli cum nautis obſtupefacti tot Chriſti miraculis) venervnt et adoravervnt evm, dicentes: vere Filivs Dei es] Arabicus: *Tu es in veritate Filius Dei.* Opinantur Caietanus, & Ianſenius turbam nautarum rudem non agnouiſſe myſterium Trinitatis, ac proinde ipſos Ieſum vocare Filium Dei, non per naturam, ſed per virtutis & dignitatis excellentiam, q. d. Credimus te eſſe Meſſiam, quem ſcimus vocari Dei Filium, ob ſingularem eius dignitatem & charitatem, quâ præ alijs eximiè Deum amabit vt Patrem, & viciſſim ab eo amabitur vt Filius. Verùm vt demus nautas ſic intellexiſſe, certè Apoſtoli, qui erant vectores in naui, quique cum Chriſto iam diu vixerant, ex tot eius ſermonibus & miraculis ſciebāt, ipſum eſſe Filium Dei naturalem & vnigenitum, ait Abulenſis, in eoque ac in illa fide confirmati per nouum hoc ſedatæ tempeſtatis miraculum, exclamauerunt: *Verè filius Dei es*, ſcilicet per naturam.

Allegoricè & Tropologicè S. Auguſtinus ſerm. 14. de Verbis Domini ſecundùm Matth. *Nauiculam*, ait, *Eccleſiam* (& animam fidelem) *cogitate; mare hoc ſæculum: ventum & fluctus perſecutiones; quia inſurgunt fluctus, poteſt ipſa nauicula turbari; ſed quia Chriſtus erat, non poteſt mergi, ſed in his tentationibus erigatur antenna, vt ſuſpenſa arbori crucem figuret: huic antennæ, id eſt, cruci Chriſti ſimplex conuerſatio & pura confeſſio quaſi candentia vela religentur, & vela noſtra fluctibus abluantur, veſtiſq; tendatur, vt ſine macula & ruga inueniatur.* Vnde tandē concludit: *Denique poſteaquam nauis hæc ædificata eſt in Ieruſalem, atque in medio pelagi huius frementis emiſſa eſt, æſtuantium volumina vndarum & furentiū flabra ventorum, dum eam huc illuc circumferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, peregrinas merces quaſcumque inuenit, aduexit.* Hucuſque S. Auguſtinus ad verbum, ſed verbis nonnullis breuitatis ſtudio omiſſis.

*Eccleſia fluctibus promouetur.*

Et cvm transfretassent, venervnt in terram Genesar] Marcus, *in terram Geneſaret.* S. Chryſoſtomus & Lyranus opinantur hanc eſſe terram Geraſenorum cuius incolæ Chriſtum, ob ſubmerſos ab eo in lacu porcos, à ſe ablegarunt. Matth. 8. in fine, quaſi illi iam famâ miraculorum Chriſti percrebreſcente reſipuerint, Chriſtumque auidè exceperint, ideoque Chriſtus id ſciens ad eos, quaſi ad meſſem iam Euangelio maturam redierit. Verum aliud eſt Geraſa, de quo Matth. 8. aliud Geneſar, de quo hîc; Geraſa enim, ſiue Gergeſa erat trans mare Galilææ verſus Arabiam: Geneſaret autem erat cis mare iuxta Capharnaum & Bethſaidā; Chriſtus enim cùm in deſerto Bethſaidæ quinque panibus pauiſſet quinque hominum millia, qui idcirco ipſum regem creare volebant, Chriſtus, inquam, eos fugiens iuſſit diſcipulos transfretare & in citeriorem ſinus, ſiue montis Bethſaidæ, vt dixi verſ. 13. ripam, vbi erat terra Geneſaret, putà Bethſaidam & Capharnaum redire. Hinc Marcus ait cap. 6. *Coëgit diſcipulos aſcendere nauim, vt præcederēt eum trans fretum ad Bethſaidam.* Cùm enim Bethſaida in regione Geneſar eſſet; qui verſus Bethſaidam nauigabant, in terram Geneſar nauigabant. Ioannes c. 6. ait diſcipulos etiam veniſſe Capharnaum, quæ ciuitas in eadem erat ripa. Itaque omnia rectè conſentiunt. Nomen Geneſareth ſignificat vallem floridam. Priùs dicebatur vrbs hæc, indeque tota vicina regio, Ceneret vel Ceneroth: inde molli inflexione dicta eſt Geneſar & Geneſaret, à qua lacus, ſiue mare Galilææ illi adiacens, dictum eſt mare Ceneret, ſiue ſtagnum Geneſaret. Nam Chaldęus pro *Ceneret* vertit *Geneſar.* Ita Andreas Maſius in Ioſue cap. 19. v. 35. Audi Ioſeph. lib. 3. de Bello c. 18. *Ad lacum Geneſar eiuſdē nominis terra protēditur, natura ſimul & pulchritudine admirabilis. Præter aëris lenitatē fonte irrigatur vberrimo, qui Capharnaū ab indigenis appellatur. Longitudo autem regionis ſecundùm littora cognominis lacus, 30. ſtadijs extenditur, & latitudo 20.* Vers. 34. Mar. 6. v. 53.

*An Geneſar idem quod Geraſa?*

*Geneſareth id eſt, vrbs florida.*

Adricho-

Adrichomius cenſet, & S. Hieronymus in locis Hebr. innuit, *Ceneret*, ſiue *Geneſareth* eſſe vrbem Tiberiadem, ſed repugnat Chaldæus, Franc. Lucas & alij. Adde Tiberiadem longè abeſſe à Capharnao & Bethſaida. Denique Ceneret erat in tribu Nephtali, vt patet Ioſue 19. 35. Tiberias autē in tribu Zabulon. Denique Cenereth ſita erat iuxta Capharnaum, vti dixi v. 13.

Vers. 35. Mar. 6. v. 55. 56.

ET CVM COGNOVISSENT EVM VIRI LOCI ILLIVS, MISERVNT IN VNIVERSAM REGIONEM ILLAM, ET OBTVLERVNT EI OMNES MALE HABENTES, ET ROGABANT EVM, VT VEL FIMBRIAM VESTIMENTI EIVS TANGERENT. ET QVICVMQVE TETIGERVNT SALVI FACTI SVNT] Græcè διεσώθησαν, id eſt, *ſeruati ſunt*. Syrus: *ſanati ſunt*. Significat amplitudinem fidei infirmorum æquè, ac beneficij & miraculi Chriſti: facilè enim erat cuilibet, Chriſtum ſe offerentem tangere: eius autem tactus ſanabat omnes tangentes. Pro *fimbriam* Syrus vertit *alam*, id eſt, vt Arabicus, *extremitatem veſtimenti*. Caro enim Chriſti adeò eſt efficax & ſalutifera, vt & veſti quâ tegitur, ſuam virtutem communicet. Hinc colligit S. Chryſoſtomus, ſi illi, qui fimbriam Chriſti tetigerunt, ſanati ſunt, quantò magis qui totū Chriſtum tangunt, imò manducant in Euchariſtia? quę enim theriaca efficacior carne & deitate Chriſti? Narrat ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. 11. Gorgonium ſororem ſuam tactu Euchariſtiæ à grauiſſimo & incurabili morbo fuiſſe curatam.

Denique Chriſtus occaſione miraculi multiplicationis panum, quibus aluit quinque hominum millia, ſubtexuit ſermonem illum ſublimem de pane ſpiritali & Euchariſtico, quem fusè narrat S. Ioannes. c. 6.

*Finiuntur hîc acta ſecundi anni prædicationis Chriſti.*

Atque hîc finiunter acta Chriſti à ſecundo paſchate vſque ad tertium, id eſt, acta ſecundi anni prædicationis Chriſti, vt colligitur ex Ioannis 6. verſ. 1. vbi ait, hæc contigiſſe circa paſcha. Erat enim hoc tertium paſcha Chriſti iam prædicantis. Primum enim eius paſcha recenſuit Ioan. cap. 2. v. 13. ſecundum autem cap. 5. verſ. 1. tertium denique cap. 6. v. 1. iam citato. Supereſt ergo annus tertius & vltimus prædicationis Chriſti, ſcilicet acta eiuſdem à tertio paſchate vſque ad quartum, quo paſſus & crucifixus eſt, vt patet Ioan. 13. 1. Matth. 26. 1. Lucæ 22. 1. quæ enarrat Matth. à cap. 15. vſq; ad finem ſui Euangelij.

# CAPVT DECIMVMQVINTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò Chriſtus reprobat lotiones, & alias traditiones friuolas Phariſæorū, quas ipſi legi Dei anteponebant, ac contra eos ſtatuit hoc axioma:* Non quod intrat in os, ſed quod procedit de *corde &* ore, hoc coinquinat hominem. *Secundò v. 22. obſecrante Chananæâ eius filiam ſanat, ob matris fidem & obſecrandi conſtantiam. Tertiò, v. 10. ſanat multos mutos, cæcos & claudos ac v. 32. ſeptem panibus cibat quatuor hominum millia.*

1. TVnc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ, & Phariſæi, dicentes: 2.
Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionē ſeniorum? non enim lauant
manus ſuas, cùm panem manducant. 3. Ipſe autem reſpondēs, ait illis: Quare & vos
tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit:
4. Honora patrem & matrem. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moria-
tur: 5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcum-
que eſt ex me, tibi proderit. 6. & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem
ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. 7. Hypo-
critæ, benè prophetauit de vobis Iſaias, dicens: 8. Populus hic labijs me honorat:
cor autem eorum longè eſt à me. 9. Sine cauſa autem colunt me, docentes do-
ctrinas & mandata hominum. 10. Et conuocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite, &
intelligite. 11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod procedit
ex ore, hoc coinquinat hominem. 12. Tunc accedentes diſcipuli eius, dixerunt
ei: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? 13. At ille reſpondens
ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. 14. Si-
nite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum, cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet,
ambo in foueam cadunt. 15. Reſpondens autem Petrus dixi ei: Ediſſere no-
bis parabolam iſtam. 16. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? 17. Non
intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emit-
titur? 18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinqui-
nant hominem: 19. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia,
adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. 20. hæc
ſunt, quæ coinquinant hominem: Non lotis autem manibus manducare,
non coinquinat hominem. 21. Et egreſſus inde Ieſus, ſeceſſit in partes Ty-
ri. & Sidonis. 22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit,
dicens ei: Miſerere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.





23. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum, di-
centes: Dimitte eam; quia clamat poſt nos. 24. Ipſe autem reſpondens ait: Non
ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. 25. At illa venit, & ado-
rauit eum, dicens: Domine adiuua me. 26. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum
ſumere panem filiorum, & mittere canibus. 27. At illa dixit: Etiam Domine:
nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. 28. Tunc
reſpondens Ieſus, ait illi: O mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſana-
ta eſt filia eius ex illa hora. 29. Et cum tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare
Galilææ: & aſcendens in montem, ſedebat ibi. 30. Et acceſſerunt ad eum turbæ
multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiece-
runt eos ad pedes eius, & curauit eos: 31. ita vt turbæ mirarentur; videntes mu-
tos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſraël.
32. Ieſus autem, conuocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia triduo
iam perſeuerant mecum, & non habent, quod manducent: & dimittere eos ieiunos
nolo, ne deficiant in via. 33. Et dicunt ei diſcipuli: vnde ergo nobis in deſerto
panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam? 34. Et ait illis Ieſus: Quot habetis
panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos. 35. Et præcepit turbæ, vt
diſcumberent ſuper terram. 36. Et accipiens ſeptem panes & piſces, & gratias
agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo. 37. Et come-
derunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem
ſportas plenas. 38. Erant autem qui manducauerunt quatuor millia hominum,
extra paruulos & mulieres. 39. Et, dimiſsâ turbâ, aſcendit in nauiculam, & venit
in fines Magedan.

Vers. 1.

TVNC ACCESSERVNT AD EVM AB HIEROSOLYMIS SCRIBÆ ET PHARISÆI, DICENTES] Scribæ enim Hieroſolymis, quaſi in matrice fidei & religionis reſidentes, arrogabant ſibi cenſuram nouorum doctorum, nouæque doctrinæ, qualis erat Chriſtus. Miſerūt ergo crebrò exploratores, qui indagarent, quis, & qualis doctor eſſet Chriſtus, quidue doceret, vt eum carperent, ſibique ſubijcerent. Scribæ enim venditabant legis ſcientiam, Phariſæi ſanctitatem, rigidamque legis extremæ obſeruationem: vtrique ergo inuidebant Chriſto iam doctrinâ & miraculis inclareſcenti, eumque deprimere, & ſibi ſubijcere ſatagebant. Vide dicta c. 3. v. 7.

Vers. 2. Mar. 7. 5.

*Multarum rerum contactus Iudæis olim prohibitus.*

QVARE DISCIPVLI TVI TRANSGREDIVNTVR TRADITIONEM SENIORVM? NON ENIM LAVANT MANVS SVAS CVM PANEM (panis per ſynecdochen Hebræis omnem cibum ſignificat) MANDVCANT?] Nota Moſen in lege veteri iuſſu Dei ſanxiſſe, vt Iudæi abſtinerent à contactu morticini (cadaueris mortui) auium rapacium, & immundarum; item leproſi, menſtruatæ, ac multarum rerum ſimilum; ac ſi quis ea caſu tetigiſſet, cenſeretur immundus & irregularis, ita vt non liceret illi ingredi templum, niſi priùs lotione lege præſcriptâ, hanc legalem immunditiem & irregularitatem purgando expiaſſet, vt per lotiones haſce corporales adumbraret, & excitaret craſſos Iudæos ad lotiones ſpirituales animæ faciendas per contritionem & pœnitentiam. Vide dicta Leuit. 11. v. 31.

*Crebræ Phariſæorum lotiones.*

Iudæi ergo, & præſertim Phariſæi, qui volebant ceteris haberi religioſiores, totam ſuam ſanctitatem in extrema hac lotione conſtituentes crebrò ante cibū, imò in ipſa menſa, vt hîc & alibi innuit Scriptura, ſe lauabant, ideoque in nuptijs Canæ Galilææ poſitæ erant ſex hydriæ ad hanc purificationem, Ioan. 2. 6. (ſic Heliogabalus Imperator ad ſingula fercula lauabat manus, teſte Lampridio) vt ſi fortè inſcij, vel incogitantes aliquo fortuito cōtactu immunditiam hanc & irregularitatem corporalem contraxiſſent, eam abluerent: hac de cauſa crebrò quoq; lauabant calices & paropſides, è quibus bibebant & comedebant, quin & lectulos menſales, vt patet Marci 7. verſ. 4. ſolliciti nimirum & anxij, ne ſi immunda eſſent hæc vaſa, cibos ipſos, & conſequenter comedentes ex eis (vt patet hîc v. 11.) contaminarent & polluerent: hæc autem conſuetudo, vt conſuetudo, non verò vt lex fuit habita (lex enim nil tale præſcribit,) ſed à religioſis, imò ſuperſtitioſis Phariſæis inſtar legis fuit inducta & more recepta. Vnde

Nota ſecundò hanc Phariſæorum & Iudæorum conſuetudinem nimis ſcrupuloſam, fuiſſe paruæ, aut potiùs nullius pietatis vel vtilitatis; totos enim eos occupabat in lotione externa: quare eos auocabat ab interiore cura, & luſtratione animi à peccatis. Neque Deus tam anxiam luſtrationem externam ab eis exigebat, quin potiùs eam vetuiſſe videtur Deuter. 4. 2. Chriſtus ergo legi veteri & maximè vanis & friuolis, noxijſque hiſce traditionibus finem impoſiturus, volenſque ad animi luſtrationem curam omnem dirigi, noluit hæc ſeruare, nec diſcipulis lotiones præſcribere, licèt id expreſsè Phariſæis non reſpondeat, ad vitandam eorum inuidiam, accuſationem, & calumniam. Fruſtrà igitur hunc locum hæretici obijciunt Catholicis contra traditiones Apoſtolicas & Eccleſiaſticas. Hæ enim vtiliſſimæ ſunt, ſpirituales, & ad perfectiùs ſeruandam Dei legem ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus inſtitutæ & traditæ, cùm iſtæ eſſent Phariſaicæ, id eſt futiles, erroneæ, & legi Dei contrariæ, imò eas Scribæ præponebant legi Dei, ac præ illa obſeruabant, vt patet verſ. 11. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, & alij. Id planè liquet ex Thalmudicis, qui in libro, cui titulus *Centum benedictiones*, tradunt manus primùm abluendas eſſe & tergendas:

*Lotionum ritus.*

alioquin, inquiunt, panis, qui comeditur, immundus iudicatur: & mox fundenda eſt aqua tribus vicibus ſuper manus: in prima fuſione digiti ſurſum ſunt lauandi: in poſterioribus manus ſimul lauandæ. Denique, oportet vt in ablutione manuum, ſiniſtra quaſi famula ſubſeruiat dextræ. Hæc & plura nugarum plena iſti nugiuenduli. Quocirca Phariſæi, teſte S. Iuſtino, contra Triphon. vocati ſunt Baptiſtæ. Vide S. Epiphanium lib. 1. hæreſi 17. vbi docet fuiſſe quoddam genus Scribarum & Phariſæorum, qui ſingulis anni diebus baptizabantur: eaque de cauſa appellatos eſſe *Hemerobaptiſtas*, eò quòd cenſerent hominem non poſſe viuere, niſi ſingulis diebus in aqua mergeretur, ac ita ablueretur & ſanctificaretur ab omni culpa. Similes etiamnum ſunt apud Iudæos inter Rabbanos. Verùm hæc eſt anatum potiùs, & piſcium vita, quàm hominum.

*Phariſæi Baptiſtæ dicti.*

*Hemerobaptiſtæ.*

Vers. 3. Mar. 7. 9. Iesvs avtem respondens, ait illis: Qvare et vos trangredimini mandata Dei propter traditionem vestram] Arabicus: *Propter ſtatuta veſtra.* Pro *propter* nõnulli vertunt *per*, ſed eodem redit ſenſus. q.d. Veſtræ traditiones ſpernunt violantq; legem Dei: ergo erroneæ ſunt, impiæ, Deo contrariæ, nec obſeruandæ. Fruſtra ergo accuſatis meos diſcipulos, quòd eas non ſeruent.

Nota τὸ *veſtram*, q.d. Traditiones veſtræ non ſunt inſtitutæ à Deo, nec à Sanctis, priſciſque Patriarchis & Prophetis, ſed nuper à craſſis Scribis & Phariſæis anteceſſoribus veſtris adinuētæ, quas vos tueri vultis, non illorum amore & reuerentia, ſed quia in illorum locum ſucceditis, vt ſimiles traditiones nouas ſanciēdi poteſtatem, & auctoritatem vobis arrogetis. Diuinæ verò & Patriarchales traditiones ſunt, ideoque omninò obſeruandæ; libros Moſis, Iſaiæ, Ieremiæ, Danielis, ceterorumque Prophetarum eſſe canonicos; Deum eſſe vnum in eſſentia, ſed trinum in perſonis, verâ plenaque contritione ex amore Dei expianda eſſe peccata; paruulos contrahere peccatum originale, ideoque Sacramento à Deo inſtito eſſe expiandos, &c. quas vos, ô Scribæ, occupati veſtris baptiſmatibus, vel ignoratis, vel parui facitis.

Vers. 4. Mar. 7. 10. Nam Devs dixit (Græcè ἐνετείλατο, id eſt *mandauit*. Exodi 20. verſ. 12.) Honora patrem et matrem] *Honora*, id eſt reuerere, obedi, & ſuſtenta patrem & matrem, ſi indigent. Honor enim hîc, & alibi in Scriptura, non tantùm reuerentiam, ſed & opem, eleëmoſynam, & ſuſtentationem complectitur, vt patet ex ſeq. & ex Marci c. 7. v. 12. Honor ergo tria continet, & tria iubet parentibus à filijs exhiberi reuerentiam, obediētiam, & beneficentiam. Vide dicta Deuter. 5. 16. & 1. Timoth. 5. v. 3.

*Honor tria continet.*

Et qvi maledixerit patri vel matri (Arabicus. *Qui dicit verbum malum in patrem ſuum, vel matrem ſuam*) morte moriatvr] Id eſt, omnino moriatur, certa plenaque morte abſque vlla ſpe veniæ plectatur. Citat. Leuit. 20. v. 9. Senſus eſt. q. d. Si is, qui verbis tantùm maledicit patri vel matri, ex lege reus eſt mortis, quantò magis reus mortis eſt is, qui eiſdem malefacit, ſurripitq; iure naturæ debitam ſuſtentationem, nec tantùm ipſe ſurripit, ſed & alios ex cathedra quaſi doctor ſurripere docet, vti facitis vos, ô Scribæ, docentes *Corban*, de quo v. ſequenti. S. Chryſoſtomus.

Vers. 5. Mar. 7. 11. Vos avtem dicitis: Qvicvmqve dixerit patri vel matri: Mvnvs qvodcvmqve est ex me tibi proderit] Subaudi benefacit, & legem Dei de honorandis parentibus implebit. Eſt apoſiopeſis: *Munus quodcumque eſt ex me*, id eſt, munus quodcumque ego Deo obtulero vel vouero; hoc tam mihi, quàm *tibi* (ô pater, vel ô mater) in animo & corpore *proderit*. Deus enim hoc munere illectus, viciſſim ſua munera mihi tibique liberaliter elargietur, ac de alimentis prouidebit. Hac enim multiplici religionis aut voti ſpecie & fuco docebāt Scribæ parētibus alimoniam, etiam neceſſariam eſſe denegandam, ſi illa, vel illius pretium Deo offerretur, idque faciebānt hoc fine, vt ſuo quæſtui & lucro ſtuderent. Plerique enim Scribarum & Phariſæorum erant ſacerdotes, qui oblationes Deo factas quaſi miniſtri Dei recipiebant, ijſque ſe & ſuos alebant. Quâ in re manifeſtè errabant; quia vinculum & ius pietatis, quó filij obligantur alere parentes pauperes, eſt legis naturæ, cui proinde omne votum, omnis oblatio, omniaque vincula iure diuino vel humano inducta cedere & poſtponi debent. Sic ſi quis vouiſſet Deo ſua bona, & pater eius incideret in egeſtatem, bona eius patri danda forent, non templo; imò filius religionem ingredi nequit in graui neceſſitate parentum, adeoque ingreſſus illam egredi tenetur in extrema eorum inopia, vt illis ſuccurrat, vt docet D. Thomas, Sylueſter, Nauarrus, Toletus, & alij doctores caſuum in explicat. quarti præcepti. Quocirca S. Auguſtinus, teſte Poſſidonio in eius vita cap. 14. hereditates à nonnullis ſuæ Eccleſiæ oblatas recuſauit, quoniam iuſtum & equum eſſe videbat, vt mortuorum vel filijs, vel parentibus, vel affinibus magis poſſiderentur, quibus ab eis deficientes, dimittere noluerant: nonnullas quoque à parentibus oblatas, ſed poſteà per filios repetitas reddidit. Addebatque: *Legata magis offerenda eſſe, quam exigenda.* Huculque Poſſidonius.

*Filius religionem ingredi non poteſt in graui parentum neceſſitate.*

Nota: *Munus* hoc Hebr. dicitur קָרְבָּן, *Corban*, vt habet Marcus cap. 11. cuius crebra eſt mentio in Leuitico cap. 1. 2. 3. & ſeq. vbi agni, hirci, vituli Deo oblati in holocauſtum, aut victimam pacificam, vel pro peccato vocantur *corban*, id eſt oblatio. Hinc gazophylacium, in quod inferebantur oblationes à populo, metonymicè dicitur *corban* vel *corbana*, Matth. 27. 6. Auari ergo & impij Scribæ docebant populum, vt ſua offerrent Deo & templo, ac parentibus inopia laborantibus dicerent *corban*, quòd tantummodò erat dicere, quantum apud Belgas pauperibus eleëmoſynam petentibus eſt dicere: *Godt helpe v*; & apud Gallos: *Dieu vous aide*; & apud Italos: *Dio t' aiuti*, hoc eſt, Deus te adiuuet: nam ego te adiuuare, & eleëmoſynam dare nequeo vel nolo. Dicere *corban* igitur erat petitionem refutare, negare ſubſidium. Porrò dicendo *corban*, parentibus cibum poſtulantibus occludebant os, inijciendo eis ſcrupulum conſcientiæ, & metum religionis, ne Deo ſuum *corban*, ſuumq; holocauſtum eriperent. q.d. Res hæc eſt ſancta, vtpote vota vel dicata Deo: vide ergo ne tu, ô pater, eam ad vſus tuos flagitando profanes, & ſacrilegium committas. Quo audito perculſi, & quaſi

*Dicere corbā quid?*



fulmine icti obmuteſcebant parentes; malentes fame emori, quàm eſſe in Deum ſacrilegi. Vide quò impietas Scribarum adigebat pios parentes.

Vers. 6. Mar. 7. 12. 13. Et non honorificabit patrem svvm, avt matrem svam] q.d. Itaque hac ratione filius licitè poterit non honorare, id eſt, non alere patrem vel matrem egentem, ſi videlicet Deum illi præponit, ac honoret illo munere, quod parentibus dandum erit. Planius enim eſt, vt hæc verba adhuc ſint Scribarum, quàm Chriſti. Ita Maldonatus, licèt Ianſenius cenſeat eſſe Chriſti, nec improbabiliter. Vnde Marcus habet: *Et vltrà non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo aut matri.*

Et irritvm fecistis (Græcè ἠκυρώσατε, id eſt exauctoraſtis, antiquaſtis, abrogaſtis) mandatvm Dei (*Honora patrem & matrem*) propter traditionem vestram] Quâ docetis filios dicere parentibus indigis *corban*. Nota τὸ *veſtram*: triplices enim ſunt traditiones. Primæ ſunt diuinæ, quas ſcilicet Deus præcepto ſuo ſanxit, eſto id nuſquam in Scriptura conſcriptum ſit: talis eſt, baptizādos eſſe paruulos, hoc enim nuſquam ſcriptum extat; ſed traditione Eccleſiæ conſtat. Secūdæ ſunt Eccleſiaſticæ, quas ſcilicet Eccleſia, id eſt Pontifices & Prælati Eccleſiæ ſuo mandato ſtatuerunt, vti ſunt ceremoniæ Sacramentorum, & ſacrificij Euchariſtiæ: item ieiunia, feſta, ſimileſque ſanctiones: hæ enim non tam humanæ ſunt, quàm diuinæ, quia Eccleſia regitur à Spiritu ſancto. Tertiæ ſunt ciuiles, aut certorum hominum, eæque duplices, bonæ ſcilicet, aut malæ, Deique legi contrariæ, quales erant hæ Scribarum, & de his tantùm loquitur hîc Chriſtus, ideoque ait τὸ *veſtram*, quâ ſcilicet vos docetis filios dicere *corban* parentibus, eiſque debitum ex decalogo honorem & alimoniam negare.

*Triplices traditiones.*

Vers. 7. Mar. 7. 6. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens:] Scribas vocat hypocritas, quia exteriùs præ ſe ferebant ſanctitatem, videbanturque religioſiores ceteris, cùm interiùs eſſent irreligioſi, auari, & impij; nam ſuæ auaritiæ prætexebant *corban*, id eſt, Dei oblationem, & cultum.

Vers. 8. Mar. 7. 6. Popvlvs hic labiis me honorat, cor avtem eorvm longe est a me] Arabicus: *Hic populus propinquus eſt mihi ore ſuo, & honorat me labijs ſuis, & cor eius eſt diſtans à me.*

Vers. 9. Mar. 7. 7. Sine cavsa avtem colvnt me, docentes doctrinas, et mandata hominvm] Arabicus: *Et colunt me fruſtra, & docent doctrinam mandatorum hominum.* Citat Iſaiæ c. 29. v. 13. vbi illa explicui.

Vers. 10. Mar. 7. 14. Et convocatis ad se tvrbis, dixit eis: avdite, et intelligite] ego vos docebo, de vera animæ munditie vel immunditie, vt dediſcatis quod Scribæ vos docuêre, ſcilicet animam fieri immundam ex manibus vel cibis immundis.

Vers. 11. Mar. 7. 15. Non qvod intrat in os coinqvinat (Græcè κοινοῖ, id eſt *communicat*; communem facit, id eſt coinquinat: cibi enim immundi & coinquinati communes erant omnibus, etiam immundis, mundi verò proprij erant ſolis mundis; hi ſoli enim ijs veſci poterant. Hinc commune idem eſt quod immundum, vt patet Act. 10. 15.) hominem, sed qvod procedit ex ore, hoc coinqvinat hominem] q. d. Scribæ vos, ô populi, docent, non licere illotis manibus comedere, eô quòd illotæ manus & immundæ immundum faciunt cibum: cibus autem immundus faciat animam immundam, id eſt, Deo ingratam, & inuiſam. Verùm errant; quia non quod extrinſecùs intrat in os, ſed quod intrinſecùs exit de ore, & conſequenter de corde, ſi immundum ſit, hoc coinquinat hominem, vti explicat Chriſtus v. 19. Peccatum enim adeò debet eſſe voluntarium, vt, niſi ſit voluntarium non ſit peccatum, ait S. Auguſtinus; ſic & virtus, niſi ſit voluntaria, non eſt virtus.

*Error Scribarum.*

Error hic Scribarum oriebatur ex eo, quòd Leuit. 11. caro porcina, ceterique cibi ibidem vetiti, ideoque immundi, vocantur execrabiles & abominandi, dicunturque polluere animam. Vnde verſ. 42. ſancitur: *Nolite contaminare animas veſtras* eſu immundorum. Et verſ. 40. *ſancti*, id eſt mundi *eſtote* in comedendo, *ſicut ego ſanctus*, id eſt mundus, *ſum*. Ex mox: *Ne polluatis animas veſtras in omni reptili* comedendo, quæ omnia craſsè accipiebant Scribæ, quaſi ipſi cibi immunditiem afflarent animæ, eò quòd anima illos tangat in ſtomacho, dum eos digerit; ſicut immunda animalia lege veteri, immundum legaliter & irregularem faciebant eum, qui illa tangebat. Verùm errabant, tum quia illa immunditia erat legalis & corporea, nec animam peccato inquinabat: tum quia cibus non eſt capax peccati, ſed ſola voluntas. Cùm ergo cibus nullum in ſe habeat peccatum, quomodo illud afflabit animæ & voluntati?

*Vnde?*

Sic Pythagoras & Plutarchus tract. de Eſu carnium & lib. 8. Sympoſ. cap. 10. docent abſtinendum eſſe à carnibus & fabis, quòd hæc animam contaminent. Idem dicunt Turcæ de vino ſibi à Mohomete in Alcorano vetito. Refert Buisbequius Legatus Imperatoris apud Turcarum Imperatorem, ſe vidiſſe Turcam, qui, cùm ei propinaretur vinum, cuius ille erat auidus, ingentem clamorem edidit. Rogatus cur? inclamo, inquit, animæ meæ, vt à ſtomacho in pedes ſecedat, ne vino lege noſtrâ vetito, quod bibiturus ſum polluatur. Sic tempore Chriſti & Apoſtolorum primi hæreſiarchæ, ex Iudæis oriundi, & iudaizantes, vt Simon Magus, Saturninus, Ebion, ac poſteà Manichæus, Marcion & Eucratitæ docuêre vinum & carnes non eſſe creatas à Deo, ſed à diabolo, ideoque naturâ ſuâ eſſe malas & cauendas, eorumque eſu & vſu animam maculari: & contaminari: præſertim quòd nonnulli ex eis dicerent, cum carnibus animalis animam ipſam comedi, illamque eſſe rationalem, ideoque piam, vel impiam. Audi S. Epiphanium hæreſi 64. *Edentem carnes Manichæus animā edere dicit, & eſſe ipſum reum, vt & ipſi tale quid fiat: ſi taurum edat, vt taurus fiat: ſi porcum edat, porcus fiat; & ſic de reliquis. Quapropter ab animatis abſtinent iſti.* Contra hos ait Apoſtolus venturos impoſtores, qui doceant *aſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione,* &c. *Quia omnis creatura Dei bona eſt, nihil reijciendum, quod cum gratiarū actione percipitur.* 1. Timoth. 4. 4. Vide ibi dicta. Quare perperam hoc loco abutuntur hæretici contra ieiunia ab Eccleſia indicta; Eccleſia enim non prohibet carnes die ieiunij, eò quòd ipſæ in ſe malæ ſint, ſed ad refrænandam gulam & luxuriam, & ad exercen-

*Lepida Turcæ vinum bibituri exclamatio.*

dam pœnitentiam ſimul cum obedientia. Si quis ergo in die ieiunij comedebat carnes, peccat, non quòd carnes, ſed quòd ipſa inobedientia & intemperãtia comedentis coinquinent animam. Simili enim modo olim Iudæi comedentes carnem porcinam, vel alium cibum lege vetitum, peccabant & polluebant animam, non per carnem, ſed per inobedientiam, iuxta illud paulò antè citatum: *Nolite contaminare animas veſtras*, Leuit. 11.

Vers. 12. TVNC ACCEDENTES DISCIPVLI EIVS, DIXERVNT EI: SCIS QVIA (quòd) PHARISÆI AVDITO VERBO HOC SCANDALIZATI SVNT] *Tunc*, quando ſcilicet dimiſſis turbis Chriſtus cum ſuis in domum venerat, vt patet Marci 7. v. 17. *ſcandalizati*, id eſt, offenſi ſunt, quia Phariſæi omnem ſuam ſanctitatem ponebant in externis lotionibus manuum, &c. quare audientes illas à Chriſto deſpici & confutari indignati ſunt, quòd illis nomen ſanctitatis adeò ab ipſis expetitum adimeret. Non tamen auſi ſunt hiſcere, & Chriſto contradicere, quia nimis ſolidâ ratione ab illo fuerant conuicti, tum hîc, tum paulò antè in *corban*, nec ſatis intelligebant ſententiam Chriſti, vtpote qui more ſuo eis parabolicè, hoc eſt, obſcurè loquebatur, dicens: *Non quod intrat in os, ſed quod procedit de ore coinquinat hominem.*

Vers. 13. AT ILLE RESPONDENS AIT: OMNIS PLANTATIO, QVAM NON PLANTAVIT PATER MEVS CÆLESTIS, ERADICABITVR] *Plantatio*, id eſt planta, ſemen, frutex, arbor, per quam S. Hilarius, Chryſoſt. & Theophyl. accipiunt doctrinam, q. d. Doctrina Phariſæorum de cibis immundis animam polluentibus, à me confutabitur & eradicabitur. Meliùs alij per plantam accipiunt homines: hi enim ſunt plantæ plantatæ à Deo in paradiſo, ſed vitiatæ à ſerpente replantantur ab eo cum Chriſto, qui eſt arbor vitæ, per fidem & gratiam inſeruntur, tuncque proferunt fructus bonorum operum vitæ æternæ meritorios, ſecùs autem manent arbores ſteriles, vitiatæ & corruptæ, ideoque eradicandæ, & in ignem æternum mittendæ, vti eiſdem Phariſęis comminatus eſt Ioannes Baptiſta Matth. 3. verſ. 10. Ipſi enim Chriſto, ac conſequenter Deo Patri, quaſi hoſtes iurati ſemper ſe oppoſuêre. Ianſenius per plantas has à Deo non plantatas accipit reprobos. Verùm non eſt veriſimile Chriſtum eos, cùm nobis incogniti & incerti ſint, voluiſſe hoc ſermone demonſtrare, aut huius Phariſæorum malitiæ cauſam in Dei reprobationem reijcere, itaque illam quaſi excuſare. Homines ergo peruerſos, ſcilicet, Scribas & Phariſæos, qui ſe malas plantas propria voluntate fecerunt, ideoque exſcindendæ, & in ignem gehennæ mittendæ ſunt, ni conuertantur, intelligit. Ita S. Hieronymus & Origenes hom. 1. in Ieremiam, Maldonatus, & alij.

Vers. 14. SINITE ILLOS, CÆCI SVNT, ET (Græca, Syrus, Arabicus, & Latini aliqui omittunt τὸ &, vt ſermo ſit ſtrictior & neruoſior) DVCES CÆCORVM, CÆCVS AVTEM, SI CÆCO DVCATVM PRÆSTET, AMBO IN FOVEAM CADVNT] q. d. Sinite Scribas ſcandalizari, nolite curare quòd offendantur mea doctrina & correctione, quia ipſi ſunt cæci; non enim vident lumen veritatis, legis & fidei à me exhibitum, ſed in ſua cæcitate & errore, quo ſanctitatem in lotionibus, cèteriſque rebus externis collocãt, ſunt obſtinati & incorrigibiles, ſuntque *duces cæcorum*, ſcilicet populorum & turbarum, quos hunc errorem docent, & in foueam gehennæ ſecum trahunt. Quare ego apud turbas, quæ adhuc illuminari & corrigi poſſunt, hunc eorum errorem palam oſtendi & redargui, vt eum caueant. Docet hîc Chriſtus contemnendum eſſe ſcandalum Phariſæorum, ſcilicet cùm quis ſuâ malitiâ & peruerſâ obſtinatione ſcandalizatur & offenditur. Nam, vt ait S. Gregorius hom. 7. in Ezech. *Si de veritate ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur.*

Vers. 15. Mar. 7. 17. RESPONDENS AVTEM PETRVS (quaſi anteſignanus Apoſtolorum) DIXIT EI: EDISSERE NOBIS PARABOLAM ISTAM] id eſt, iſtum obſcuriorem ſermonem (vide dicta ca. 13. 35. & Prouerb. 1. 1.) quo dixiſti: *Non quod intrat in os, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Quid eſt enim ex ore procedens, quod coinquinat hominem? & ſi foras emittitur, quomodo interna animæ coinquinat.

Vers. 16. Mar. 7. 18. AT ILLE DIXIT: ADHVC ET VOS SINE INTELLECTV ESTIS?] Græcè ἀσύνετοι, id eſt, expertes intelligentiæ, inſipientes, non intelligentes, q. d. Cap. 5. & 6. fusè vos docui, quibus in rebus mentis puritas vel impuritas conſiſtat, ac ſpeciatim verba iracunda, maledica, contumelioſa, periura, quæ ex ore procedunt, contaminare hominem: quomodo ergo id obliti eſtis, nunc intelligitis?

Vers. 17. Mar. 7. 19. NON INTELLIGITIS, QVIA (quòd) OMNE QVOD IN OS INTRAT, IN VENTREM (ſtomachum) VADIT ET IN SECESSVM EMITTITVR] Ex hoc Chriſti dicto, Porphyrius & Iulianus apoſtata calumniabantur Chriſtum, tamquam Phyſicæ ignarum, teſte S. Hieronymo, eò quòd non omnis cibus, qui os intrat in ſeceſſum emittatur, ſed pars eius melior vertatur in ſubſtantiam comedentis, eumque alat & augeat. Quibus reſpondet S. Hieronymus, aitque: *Hi dum volunt alterius imperitiam reprehendere, oſtendunt ſuam. Quamuis enim tenuis humor & liquens eſca in corpus fundatur, tamen cùm in venis & artubus concocta fuerit, & digeſta per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora dilabitur, & in ſeceſſum vadit*,

Verùm hoc cautè & cum grano ſalis accipiendum, ſcilicet quòd pars aliqua per poros euaneſcat, vel in ſeceſſum emittatur. Omnis enim cibus non totus, ſed ſecundùm aliquem ſui partem in puriorem & fæculentiorem in ſeceſſum emittitur. Prima enim cibi digeſtio & conuerſio in chilum fit in ſtomacho, vbi partes craſſæ & ineptæ nutritioni corporis egeruntur per fæces in ſeceſſum. Secunda digeſtio fit in hepate, vbi chilus vertitur in ſanguinem, partium verò inutilium ſecretio & egeſtio fit per vrinam. Tertia digeſtio fit in ſingulis membris, quæ ſanguinem ex hepate per venas acceptum ſibi aſſimilant, conuertuntque in carnem, vbi egeſtio partium inutilium fit per poros per quos partes ſanguinis ad carnem ineptæ expelluntur per ſudores, vapores, & exhalationes. Vnde Marcus cap. 7. verſ. 19. addit: *Exit in ſeceſſum, purgans omnes eſcas.* Senſus ergo Chriſti eſt, q. d. Adeò cibus illotus vel immundus non

*Triplex cibi digeſtio & egeſtio.*





inquinat animam, vti docent Scribæ, vt omne id, quod in cibo immundum & impurum eſt, homo per fæces eijciat, & in ſeceſſum emittat: quod ergo reſtat, purum eſt, & in purum chilum, ſanguinem, carnemque vertitur. Ergo illum, & per illum animam inquinare nequit.

*Signum ſanitatis.*

Porrò docent medici, ipſaque experientia cõſtat, in ſtata ætate, putà in viris ſignum ſanitatis eſſe, cùm quis tantum ferè per fæces, vrinam & ſudores egerit, quantum per cibum ingeſſit; quia tunc corpus eſt in ſtatu, ita vt non augeatur, nec creſcat, ſed prioribus carnis partibus calore naturali reſolutis & diffluentibus, ſuccedunt aliæ meliores & nouæ ex alimento & cibo: quare hic totus non egeritur ſaltem tunc; nam in carnem verſus ſuo tempore conſumetur, diffluet, & egeretur, vti ceteræ priores carnis partes. Addit S. Chryſoſtomus & Salmeron, Chriſtum alludere & argumentari ad hominem, ſcilicet ad errorem Iudæorum, qui cenſebant cibum immundum ex ſe exhalare tetrum odorem ad cor, in quo ſolo putabant Iudæi animam reſidere, itaq; per cor animam ipſam polluere: quare hominem non eſſe mundum, niſi plenè facta cibi digeſtione & egeſtione; omnem enim cibum, vti ingeſtus eſt, ita viciſſim egeri, q. d. Chriſtus: Omnis cibus ſecundùm vos, ô Iudæi, tandem egeritur in ſeceſſum: ergo ſecundùm vos nequit inquinare animam, vtpote quæ eum à ſe repellat, & reijciat.

*Error Magiſtri ſententiarum.*

Ex hac Chriſti ſententia ortus eſt error Magiſtri ſententiarum, qui lib. 2. diſt. vlt. in fine docet ſingulos homines ex adamo trahere exiguam carnis particulam, ac per eam contrahere ex eodem peccatum originale, *in quo omnes peccauerunt*, Rom. 5. hanc autem particulam multiplicari in ſe, & per ſeipſam augeri (vtpote quæ ſola cuique homini ſit ſubſtantialis) non verò ex cibo, cibum enim tantùm eſſe fomentum huius particulæ, non verò alimentum vel augmentum, ſed totum in ſeceſſum emitti, vt ait hîc Chriſtus; ideoque hanc particulam ſolam reſurrecturam in die iudicij. Hinc rurſum colligit Chriſtum, licèt natum ex Adamo, non tamen ex eo contraxiſſe peccatum originale, quia particula, quam ipſe traxit ex illo, pura fuit & immunis ab omni vitio & peccato. Hæc omnia probare nititur ex hiſce Chriſti verbis. Verùm hæc fusè confutat D. Thomas 1. par. qu. vlt. art. 1. & Scholaſtici ibidem. Etiamſi enim Adam habuiſſet corpus inſtar montis, non tamen illud ſuffeciſſet ad continendum tot particulas, quod tot millenis millionibus hominum, qui ex eo aſſiduè naſcuntur, ſigillatim ſuggerenda forent. Rurſum particulæ illæ deberent eſſe incorruptibiles, cùm tamen caro omnis citò corrumpatur. Quare plerique hominum nil prorſus materiæ trahunt ex Adamo, contrahunt tamen ex eo peccatum originale; quia in eo fuerunt cauſaliter ſecundùm ſeminalem rationem, quia ſcilicet ex eo per continuam generationem propagantur vt filij.

Denique impurè & ineptè hæc Chriſti verba torquet Oecolampadius contra realem præſentiam carnis Chriſti in Euchariſtia, dicens: Si caro Chriſti eſt cibus noſter; ergo vt cibus in ſeceſſum emittitur, quod abſit. Sed reſpondet Roffenſis lib. 5. contra eum cap. 29. Chriſti corpus, cùm in Euchariſtia ſit modo indiuiſibili & impatibili à nobis comedentibus in ſe non diuidi, non alterari, non concoqui, vt caro communis concoquitur, ac conſequenter non habere fæces, quæ emittantur, omnis enim concoctio & mutatio fit in ſpeciebus panis & vini, non in corpore Chriſti.

*Tropologicè.*

Tropologicè diſce hîc, quàm contemnenda ſunt oris & guſtus nitores, lautitiæ & deliciæ, vtpote quæ illicò in ſpurcum ventrem vadant, qui illas corrumpit, & in fæces ſordeſque conuertit adeò abominandas, vt nemo eas videre, tangere, vel odorari ſuſtineat, ſed in latrinas proijciat. Quare ne ſit tibi curæ, de quàm pretioſis cibis ſtercus conficias, ait S. Hieron. nam quò pretioſiores & delicatiores ſunt cibi, eò poſt digeſtionem & egeſtionem magis ſunt fœtidi & abominabiles. Exemplum illuſtre recenſet B. Petrus Damiani lib. 7. epiſt. ad Blancam comitiſſam de vxore ducis Venetorum, quæ in ſummis delicijs nutrita, adhuc viuens computruit adeò vt nemo intolerabilem eius fœtorem ferre poſſet. Vnde concludit: *Quid ergo ſit caro, doceat ipſa caro; quodq; perhibet mortua, teſtetur & viua.*

*Vxor ducis cuiuſdam Venetorum præ delicijs viuens computruit.*

Vers. 18. Mar. 7. 20. QVÆ AVTEM PROCEDVNT DE ORE, DE CORDE EXEVNT, ET EA COINQVINANT HOMINEM] *De corde*, id eſt ex ratione & voluntate, cuius ſymbolum, imò ſedes & officina eſt cor. Cor enim ſubminiſtrat ſpiritus vitales & animales intellectui neceſſarios ad intelligendum, & voluntati ad amandum: imò Galenus docet ſenſum communem, qui intellectui proximè ſubſeruit, eſſe in corde, licèt Ariſtoteles veriùs cenſeat eum eſſe in cerebro; ſed cor cerebro ſubſeruit, & ſpiritus ſubmittit.

*Senſus communis an in corde.*

Vers. 19. Mar. 7. 21. 22. DE CORDE ENIM EXEVNT COGITATIONES MALÆ, HOMICIDIA, ADVLTERIA, FORNICATIONES, FVRTA, FALSA TESTIMONIA, BLASPHEMIÆ] Sicut enim ex fonte ebulliunt aquæ, ſic ex corde, id eſt ex voluntate, prauo affectu luxuriæ, vel iræ imbutâ, ſcaturiunt malæ cogitationes libidinis vel vindictæ, quæ ex corde in os ebulliunt, dum eaſdem eloquimur; & ex ore in opus erumpunt, dum eaſdem reipsâ perpetramus.

HÆC SVNT QVÆ COINQVINANT HOMINEM, NON LOTIS AVTEM MANIBVS MANDVCARE NON COINQVINAT HOMINEM] Hæc eſt concluſio, & quaſi ἐπιμύθιον, id eſt poſtfabulatio, ſiue poſtparabola pandens finem & ſcopum parabolæ, qui hîc eſt oſtendere, quòd manus illotæ, & cibi illoti vel immundi non contaminant hominem, ſed ſola impura & praua voluntas. Hinc liquet Scribas exiſtimaſſe, quòd ipſe cibus illotus vel immundus pollueret comedentis animam, vti dixi verſ. 2. & 3. Nam alioqui Chriſtus hîc non vituperat lotionem manuum ante menſam in ſe, cùm illa ab olim omnium Gentium vſu ſit recepta, tum ad munditiem, tum ad ſanitatem, tum vt internæ puritatis cõuiuas admoneat. Vnde Virgil. Æneid. 1.

*Dant manibus famuli lymphas, Cereremq; caniſtris*
*Expediunt, tonſiſq; ferunt mantilia villis.*

Hinc illotis manibus accumbere, ſordidum, illiberale & agreſte putatur, ac conuiuis nauſeam creat. Quocirca olim non ſolùm ſacerdotes, ſed & fideles omnes ante orationem lauabant manus. Vnde illud: *Lauantes puras manus.* 1. Tim. 2. 8.

*Lauabant manus oraturi.*

nam olim fideles Euchariſtiam non ore, ſed manu excipiebant,& ori admouebant. Vide ibi dicta.

*Cur?*

Moraliter diſce hîc quàm cuilibet formandũ, ornandum, & cuſtodiẽdum ſit cor, vtpote quod ſit officina omnis mali & boni, omnis vitij & virtutis. Quocirca ſenex ille apud Moſchum in Prato ſpirit. c. 110. hoc ſingulare ſuis dabat monitum: *Eſto ianitor cordis tui*, vt nil niſi te conſcio, tuaque ratione probante, in illud ingrediatur, vel egrediatur. Et Salomon: *Omni*, ait, *cuſtodiâ ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*, Prouerb. 4. v. 23. Vide ibi dicta.

VERS. 21. Mar. 7. 24.

ET EGRESSVS INDE IESVS SECESSIT IN PARTES TYRI ET SIDONIS] Vt declinaret iras & odia Scribarum, vtque Gentilibus, quales erant Tyrij, ſuam doctrinam & miracula, quæ Iudæi & Scribæ aſpernabantur, impertire inciperet; ſicque reprobatis Iudæis, vtpote incredulis & perfidis, prædicationem & Eccleſiam ſuam transferret ad Gentes, reipsà docens Apoſtolos, vt id facerent, vti & fecerunt Actorum c. 13. verſ. 46. Voluit tamen hoc latere, vt ait Marcus, tum quietis causâ, vt ait Euthymius, tum vt honorem & gloriam fugeret, tum ne grauiùs contra ſe Iudæos concitaret, eiſque anſam cauillandi daret, quòd ipſe non eſſet Meſſias Iudæis promiſſus, vtpote qui ijs relictis ad Gẽtes diuerteret. *In partes.* Syrus, *in fines*. Phœnicia enim cuius caput erat Tyrus, confinis erat Iudææ. Tyrus vergebat ad Auſtrum, Sidon verò ad Aquilonem. Vnde vtrimq; multi ex Tyro & Sidone exciti famâ doctrinæ, & miraculorum Chriſti, ad eum turmatim confluebant.

VERS. 22. Mar. 7. 25. 26.

ET ECCE MVLIER CHANANÆA A FINIBVS ILLIS EGRESSA CLAMAVIT, DICENS EI: MISERERE MEI DOMINE FILI DAVID: FILIA MEA MALE A DÆMONIO VEXATVR] *Chananæa*, non ex Cana Galilææ, ſed ex Chananæis poſteris Chanaan filij Cham, filij Noë oriunda; Chananæi enim fuêre populus vnus è ſeptem, qui Palæſtinam iuxta mare, vt patet Numer. 13. v. 30. olim incoluere, & ab Hebræis duce Ioſue fuêre expulſi, ſed non ex tota; nam manſere in Phœnicia, putà in Tyro & Sidone, quam numquam expugnare potuêre Hebræi. Vnde Chanaan filij Cham primogenitus filius vocatus eſt Sidon, Sidonis vrbis conditor, Geneſ. 10. v. 15. Chananæi ergo idem ſunt quod Phœnices. Sic enim Septuag. Ioſue 5. v. 1. pro *reges Chanaan* vertunt *reges Phœnicia*. Hinc Marcus cap. 7. v. 26. *Chananæam* hanc vocat *Syrophœniſſam* (Syrus, ex *Punicia Syriæ*, id eſt ex *Phœnicia*. vt habet Arabicus) vel vt quædam Græca habent *Syram Phœniſſam*, quia ſcilicet erat ex illa Phœniciæ parte, quæ Syriæ eſt contermina; aut potiùs quia Syria complectebatur Phœniciam, vicinaſque regiones omnes, quæ à mari mediterraneo vſque ad Euphraten interiacent. Erant enim & alij Phœnices extra Syriam, vt Libyophœnices & Pœni, ſiue Afri, qui Punica lingua, quæ Hebraicæ eſt vicina, teſte S. Hieronymo & Auguſtino vtebantur, quos ex Phœnicibus oriundos nomen pariter ab eiſdem traxiſſe, non eſt dubium. Rurſum Marcus Chananæam hanc vocat ἑλληνίδα, id eſt *Græcam*: Arabicus, *Græcam Syram*, licèt enim Phœniciſſa eſſet & Syra; dicitur tamen Græca, quia in nouo Teſtamento, maximè apud Paulum, vt patet ad Rom. 1. v. 17. Galat. 3. v. 28. omnes Gentiles vocantur Græci, quia Græci olim dominabantur Phœniciæ & Syriæ; ideoque lingua eorum Græca latiſſimè, & ad Syriam vſque porrigebatur. Ita S. Auguſtinus epiſt. 200. Nam Alexander Magnus difficili, & longa ſeptem menſium obſidione, cepit Tyrum in mari ſitam, ideoque duo millia Tyriorum crucifixit, teſte Q. Curtio lib. 4.

*Chananæa, id eſt, ex Chananæis orta.*

*Syrophœniſſa quæ.*

CLAMAVIT (magna vox magni affectus & deſiderij eſt index) MISERERE MEI] id eſt meæ filiæ: ipſam enim amo vt me: quare ipſius cruciatus eſt meus cruciatus, imò mallem ipſa cruciari, quàm videre illam torqueri. Quare miſericordiam liberationis à dæmone, quam ipſi cõtuleris, mihi contuleris. Parentes enim magis amant filios, quàm ab ijs amentur; cuius rei cauſam dat Ariſtotel. in Oeconom. quòd amor deſcendat, quodque parentes optent filios ſibi ſupereſſe, vt poſt mortem in ijs quaſi viuant, & quaſi immortales ſint, ac æternitatem quamdam, quam in ſeipſis habere nequeunt, in filijs & nepotibus aſſequantur. Hic eſt maternus pietatis affectus, qui filiæ ſanitatem à Chriſto meruit, & impetrauit.

*Parentum amor maior quàm filiorum: cur?*

FILI DAVID] id eſt, ô Meſſia, cuius proprium eſt opus miſerorum miſereri, ac ex ijs dæmones eijcere, & homines ſibi Deoque reſtituere, vti prædixerunt Prophetæ, & communi voce prædicant Iudæi. Chananæa cognouit Chriſtum eſſe Meſſiam, partim ex fama communi, partim ex inſtinctu Dei.

FILIA MEA MALE A DÆMONIO VEXATVR] Arabicus: *Malum habebat dæmonium*. Græcè δαιμονίζεται, id eſt, eſt dæmoniaca, à dæmone agitatur. Dæmon enim membra eorum, quos poſſidet, diſtorquet, laniat, cruciat cum ingenti poſſeſſorum dolore, & intuentium horrore: animam verò horrendis phantaſmatibus & ſpectris, ac timoribus, mœroribus, & angoribus affligit: dæmon enim in Deum, ac conſequenter in hominem, qui eſt imago Dei, immenſum habet odiũ: vnde eum lædit & cruciat quantum poteſt. Chananæa non addit, veni, & libera eam: ſed tantùm malum filiæ Chriſto repræſentat, reliquum eius prudentiæ & charitati committit, confidens illũ opem filiæ modo conuenienti allaturum: quâ in re magnam tum animi reſignationem, tum fiduciam in Chriſtum oſtendit.

QVI NON RESPONDIT EI VERBVM] Vt eius fidem, ſpem, humilitatem, & conſtantiam probaret, augeret: &, vt ait Chryſoſtomus, alijs patefaceret, imitandamque proponeret. VERS. 23.

ET ACCEDENTES DISCIPVLI EIVS ROGABANT EVM, DICENTES: DIMITTE EAM (concedendo ei quod petit, ſcilicet filiæ à dæmone liberationem) QVIA CLAMAT POST NOS] Arabicus: *In veſtigijs noſtris*; ijs enim inſiſtit, aſſiduèque ſequitur nos clamando & obteſtando pro ſalute filiæ: libera ergo & illam à dolore & labore clamandi, ac te & nos à moleſtia audiendi, ne nobis aures obtundat. Verùm *ex corde deſiderante ac feruente gemitus inenarrabiles emittuntur, quibus velut ſuaui muſicâ Chriſtus demulcetur*, ait S. Auguſtinus epiſt. 121. c. 15.

Dices: Marcus cap. 7. v. 2. dicit eam intraſſe in domum, ibique ad pedes Chriſti procidiſſe. Reſpondet S. Auguſt. l. 2. de Conſ. Euang. c. 49. Chana-



Chananæam priùs in domo Chriſtum obſecraſſe, vt ait Marcus, deinde Chriſto exeunte è domo illum ſecutam idem à Chriſto flagitaſſe. Veriùs tamen videtur illam priùs in via, vt hîc dicitur, deinde in domo, vt indicat Marcus, ſupplicaſſe Chriſto. Ita Ianſenius, Salmeron, & alij.

VERS. 24.

IPSE AVTEM AIT: NON SVM MISSVS, NISI AD OVES, QVÆ PERIERVNT (Arabicus, *errantes*) DOMVS ISRAEL] Syrus, *quæ aberrarunt à domo Iſraël*, vt ſcilicet ſolis Iſraëlitis, quibus quaſi ouibus paſcendis à Deo promiſſus eſt Meſſias, quaſi paſtor corporalem mei præſentiam, ac per conſequens Euangelij & miraculorum meorum gratiam exhibeam. Vnde Chriſtus à Paulo Roman. 15. 8. vocatur miniſter circumciſionis; id eſt circumciſorum, ſiue Iudæorum doctor. Ita S. Hilar. & S. Aug. tract. 31. in Ioannem.

VERS. 25.

AT ILLA VENIT, ET ADORAVIT (ſupplex flexis ante Chriſtum genibus) EVM DICENS: DOMINE, ADIVVA ME] Chananæa à Chriſto repulſam paſſa non deſtitit, nec ſpem abiecit, ſed fortiùs inſtitit, maioremque ſpem concepit, ac validiùs clamauit, imò conſtanter Chriſtum ſecuta eſt vſque in domum, vt habet Marcus cap. 7. v. 24. & 25. atque hac ſua conſtantia, humilitate & perſeuerantia meruit exaudiri. Deus enim inuocatus ſæpè initio non exaudit, vt orans preces & vota continuet & augeat, vtque beneficium, quod petitur, eò gratiùs accidat, quò magis fuit deſideratum, & diutiùs poſtulatum: perſeuera ergo in oratione, & impetrabis: perſeuerantibus enim Deus nil negat, vt patet in Chananæa hac: fuit enim ipſa *pertinax in precibus, ſapiens in reſponſis, fidelis in verbis*, ait S. Ambroſius lib. 5. in Lucam ſub finem.

*Deus cur ſæpè in initio preces non exaudit.*

VERS. 26. Mar. 7. 17.

QVI RESPONDENS AIT: NON EST BONVM (Græcè καλὸν, id eſt honeſtum, decens, congruum) SVMERE PANEM FILIORVM, ET MITTERE (Græcè βαλεῖν, id eſt *proijcere*; Syrus, *obijcere*) CANIBVS] Loquitur Chriſtus more Iudæorum, qui Gentiles (qualis erat Chananæa) quaſi viliſſimos idololatras appellabant canes. Eſt hæc ſecunda Chananææ repulſa à Chriſto facta, illaque priore acrior; pungit enim illam vocando canem, cui proijci ſolet fruſtum panis. *Panem* intelligit non corporalem, ſed ſpiritalem, ſcilicet Euangelij & miraculorum ſuorum gratiam: hæc enim Iudæis ſolis, quaſi fidelibus & filijs à Deo erat promiſſa. Vnde Marcus c. 7. v. 27. addit Chriſtum dixiſſe: *Sine priùs ſaturari filios*, q. d. Sine vt priùs ſanem omnes Iudæos à me opem poſtulantes. Pari modo Chriſtus ſæpè animas ſanctas, dum aliquid deſiderant, pungit, humiliat, & mortificat, vt humiliùs, & ardentiùs idipſum poſtulent, itaque impetrent. Sapienter S. Chryſoſt. hom. 30. in Geneſ. *Siue*, inquit, *conſequamur quod petimus, ſiue non conſequamur, perſeueremus ſemper in oratione. Et non ſolum gratias agamus, ſi conſequamur, ſed etiamſi repulſam paſſi fuerimus. Nam cũ Deus aliquid nobis denegat, non minus eſt, quàm ſi conceſſiſſet. Neſcimus enim nos quæ nobis conducant, ſicut ipſe nouit.*

VERS. 27. Mar. 7. 28.

AT ILLA DIXIT: ETIAM DOMINE: NAM ET CATELLI EDVNT DE MICIS, QVÆ CADVNT DE MENSA DOMINORVM SVORVM] *To etiam* confirmantis eſt. Græcè enim eſt ναὶ, id eſt certè, profectò, q. d. Omnino ita eſt, veriſſimum dicis mi Chriſte. Agnoſco enim me eſſe vilem canem, nec par eſſe, vt panis filiorum, id eſt gratia miraculorum Meſſiæ Iudæis promiſſi, mihi Gentili quaſi cani detur; ſed tamen canes & catelli (Græcè enim eadem eſt vox κυνάρια) ſolent edere de micis panum, quæ cadunt de menſa dominorum, & filiorum ſuorum: nutri ergo me vt catellam tuam, quia non poſſum relinquere menſam Domini mei, cuius catella ſum, quod ſi pede vel fuſtè abigas, ſecedam; ſed per aliam portam vt catella rurſum intrabo, verberibus nõ cedam. Nullum erit verbum aut verber tam aſperum, quod à te me abigat, aut diuellat: non te dimittam, donec mihi des quod poſtulo. Da igitur, ô Domine benigniſſime, tantùm micam, id eſt minimam gratiam ſanitatis filiæ meæ, quæ velut vna mica obiter tibi apud nos Tyrios & Gentiles excidat, & à me colligatur. Mihi, inquam, Gentili detur à te mica gratiæ & miſericordiæ; Iudæis verò filijs ſeruetur integer panis promiſſionis & iuſtitiæ. Stringit enim Chananæa Chriſtum prudenter, modeſtè & neruosè ſuâ ipſius ſententiâ, atque humili fide & ratiocinio ipſum vinci volentem oratione & ratione vincit, ait S. Chryſoſt. imò Chriſtum ſuis verbis irretit, comprehendit, & capit, q. d. *Si canis ſum, non ſum aliena*, inquit Chryſoſtomus, *canem me dicis, ergo nutri me vt canem, non poſſum relinquere menſam Domini mei.* Et S. Hieronymus: *Mira*, ait, *huius mulieris fides, patientia, & humilitas prædicatur: fides quâ credebat ſanari poſſe filiam ſuam: patientia, quâ toties contempta in precibus perſeuerat: humilitas, quòd ſe non canibus, ſed catulis comparat. Scio, inquit, me filiorum panem non mereri, nec integros capere poſſe cibos, nec ſedere ad menſam poſſe cum patre, ſed contenta ſum reliquijs catulorum, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.* Rurſum S. Chryſoſt. hom. 17. ex varijs locis in Matth. *Non reſpuo opprobrium*, inquit, *tantùm accipiam vel eſcam canis. Tu fac quod debetur cani, quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine, factus es aduocatus meæ poſtulationis, abnegando promittis.* Et Victor Antioch. in Marci cap. 7. *Magni*, ait, *beneficij loco duco, vel in canum ordine haberi. Tantæ enim ſunt menſæ Dominicæ opes, vt abundè mihi ſat ſit, ſi iuſtorũ tuorum micis frui liceat.*

*Comparat ſe Chananæa cani.*

Moraliter contemplare hîc ideam perfectæ orationis, illamque imitare: Chananæa enim hæc docet nos orare. Primò cum magna *humilitate*, dum canem ſe agnoſcit. Secundò, *fide*, quòd Chriſtum vocet filium Dauid, id eſt Meſſiam, Deum & Saluatorem Iudæis promiſſum. Tertiò, *modeſtiâ*, quòd ius canum & ſuam miſeriam proponit Chriſto, non tamen ex eo concluſionem inferat, vt Chriſtus ſanet filiam, ſed in Chriſto faciendum relinquat. Quartò, *prudentiâ*, quâ ipſum Chriſtum ſuis verbis comprehendit, ac rationem contra ſe factam in ipſum leniter retorſit, illamque vertit in argumentum impetrandi. Quintò, *reuerentiâ*, religione & deuotione, quâ genibus flexis ſupplicauit. Sextò, *reſignatione*, quâ non dixit: Sana filiam meam, *ſed adiuua me* eo modo, quo tibi meliùs viſum fuerit. Septimò, *fiduciâ*, quâ Gentilis licèt, ſeriò ſperauit ſe à Chriſto exauditum iri. Octauò, *ardore*, quo clamauit ad Chriſtum. Nonò, *charitate*, quâ pro filia, quaſi pro ſeipſa ſolicita interceſſit, dicens: *Miſerere mei.* Decimò, *conſtantiâ* & perſeuerantiâ, quâ licèt ſecundò à Chriſto repulſa perſtitit, &

*Decem virtutes orationi neceſſariæ.*

vehementiùs orando inſtitit. Verè Chryſolog. ſerm.100. *Meritò*, inquit, *quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur. Meritò adoptatur in filiam, leuatur & honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa laudabili humilitate deiecit.* Chananæam hanc imitatus S. Laurentius Iuſtinianus, primus Venetorum Patriarcha, moriturus ſic Deum orabat: *Felicium ſpirituum ſedes affectare non auſim, qui ſpeciem intuentur S. Trinitatis: portio tamen aliqua creaturæ tuæ poſtulat micas ſuauiſſimæ menſæ tuæ. Nimium mihi fuerit, & heu quàm nimium! ſi ſubtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo ſeruo tuo non negaueris.* Ita habet vita eius apud Surium ad diem 8. Ianuarij c.11.

*Votum S. Laurentij Iuſtiniani morituri.*

Vers. 28. Mar. 7. v. 29. 30.

Tvnc respondens Iesvs, ait illi: O mvlier, magna est fides tva: fiat tibi sicvt vis] Marcus cap.7. *Propter hunc ſermonem, vade, exijt dæmonium* (me expellente) *à filia tua.* B Non potuit Chriſtus diſſimulare, ſeque continere, ſed victus ratione & oratione Chananææ, quaſi admirans exclamat: *O mulier, magna eſt fides tua;* ideò, ait S. Chryſoſtomus, *eam repulerat, vt ad hanc vocem rerũ conſequentia conueniret, vt fulgente coronâ mulierem ornaret. Magna*, id eſt, rara & eximia eſt fides tua, tum in ſe, quâ licèt gentilis, credis me eſſe Meſſiam & ſaluatorem mundi; tum in ſuis effectis, putà virtutibus, ſcilicet humilitate, reuerentiâ, charitate, conſtantiâ, & ceteris iam recenſitis, quas ex ſe parit & producit fides magna; quare meruit impetrare quod petebat, & audire: *Fiat tibi ſicut vis*, id eſt petis. Hæc verba, ait Chryſoſtomus, ſunt ſimilia illis: *Fiat firmamẽtum, & factum eſt*, Geneſ.1. Vnde ſequitur: *Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.* Vide hîc efficaciam C feruentis orationis, qua Iacob luctans cum Angelo eum vicit, ab eoque obtinuit benedictionem, quam flagitabat, ideoque pro labore dictus eſt Iſrael, id eſt, dominans Deo Geneſ. 38. v. 28. Oratio ergo facit nos Iſraeles, id eſt dominantes Deo.

*Tropolog.*

Tropologicè filia vexata à dæmonio eſt anima tentata à diabolo, & peccato polluta, ait Rabanus, quæ proinde illicò debet ſuis viribus diffidere & fidere Chriſto, eumque inuocare cum humilitate & compunctione, vt ſe canem, id eſt vilem peccatricem agnoſcat, ſed ita vt non deſperet de venia, imò verò eò magis ſperet de Chriſti miſericordia, quò maior eſt eius miſeria. Magnum enim medicum decet magnos morbos curare, & magnũ Deum magna operari, & magnum Chriſtum magnos peccatores ſanctificare & ſaluare. D

*Allegor.*

Allegoricè filia hæc Gentilis eſt Eccleſia Gẽtium, quæ à ſalute excluſa per Dei iuſtitiam, in eam per feneſtram miſericordiæ irrupit effractis regni cælorum portis. Vbi magna facta eſt conuerſio: nam Iudæi, qui priùs erant filij, ob infidelitatem in Chriſtum facti ſunt canes, iuxta illud: *Circumdederunt me canes multi.* Pſalm. 21. ideoque quaſi canes comederunt oſſa, id eſt litteram S. Scripturæ: Gentes verò, quæ erant canes facti ſunt filij, comeduntque de menſa Chriſti panem Euchariſtiæ, & ſenſum reconditum S. Scripturæ quaſi medullam & adipem frumenti. Ita S. Hieronymus.

Et sanata est filia eivs ex illa hora] Marcus cap.7. *Et cùm abijſſet domum, inuenit puellam* (liberam à dæmone, ſed eius vexatione A fatigatam) *iacentem ſuper lectum*, quaſi iam quieſcentem ſecuram & lætam. Sic Theophylactus: Anima peccatrix per abſolutionem Chriſti liberata à peccato, quieſcit in lecto tranquillæ, ſerenæ & hilaris conſcientiæ. Moralia perplura documenta ex hiſtoria colligit Ianſenius in fine c. 6. Concordiæ Euang. & Salmeron lib.6. c.29. ad calcem, & Barradius lib.10. c.14. & Vincentius Regius dilucidat. Euang. p.3. lib.5. ca.2. Digreſſ. morali 1. & 2.

Vers. 29. Mar. 7. 31.

Et cvm transisset inde Iesvs, venit secvs mare Galilææ: et ascendens in montem sedebat ibi] Tum ſecreti & quietis cauſa, tum vt in monte omnibus conſpicuus expectaret multitudinem ad ſe confluxuram, vel prædicationis, vel ſanationis cauſa: omnibus ego Chriſtus ſe promptum ad benefaciendum B exhibet & offert. Myſticè Gloſſa: *Mare*, inquit, *iuxta quod venit, turbida huius ſæculi volumina ſignificat, quod eſt Galilææ, cùm homines à vitijs ad virtutes tranſmigrant.* Et S. Hieronymus: *Aſcendit*, ait, *in montem, vt quaſi auis teneros fœtus prouocet ad volandum.* Et Rabanus: *Vt ſcilicet auditores ſuos erigat ad ſuperna & cæleſtia meditanda: ſedebatq; ibi, vt demonſtraret non niſi in cæleſtibus requiem eſſe quærendam.*

Vers. 30. Mar. 7. 32.

Et accesservnt ad evm tvrbæ mvltæ habentes secvm mvtos, cæcos, clavdos, debiles, et alios mvltos, et proiecervnt eos ad pedes eivs, et cvravit eos] *Debiles*, Græcè κυλλοὺς, id eſt mancos, membris captos. S. Ioannes cap.5. v.3. vocat ξηροὺς, id eſt aridos, qualis erat ille habens manum aridam, Matth. 12. 13. Vnde Arabicus hîc pro *debiles* habet *aridos.* C *Et alios multos*, alijs morbis & vitijs corporis obnoxios: *& curauit eos* omnes. Ecce hîc implet quod dixit verſ.26. nimirum Iudæos quaſi filios ſaturat pane miraculorum, cum Gentilibus quaſi canibus vt Chananææ, micam tantùm dederit ſanitatis.

Myſticè Gloſſa: *Muti ſunt*, inquit, *qui non laudant Deum: cæci, qui non intelligunt viam vitæ: ſurdi, qui non obtemperant: claudi, per deuia boni operis non rectè euntes: debiles ſunt, qui infirmi ſunt in bonis operibus.* Præclarè S. Petrus Chryſol. ſerm.50. *Chriſtus*, inquit, *venit ſuſcipere infirmitates noſtras & ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere, præſtare diuina: accipere iniurias, reddere dignitatem: ferre tædia, deferre ſanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.*

Vers. 31.

D Ita vt tvrbæ mirarentvr, videntes mvtos loqventes, clavdos ambvlantes, cæcos videntes, et magnificabant Devm Israel] Quod exhibuiſſet eis Meſſiam tot beneficiorum & miraculorum patratorem, Iſraeli, id eſt Iacobo ac Abrahæ, eorumque poſteris Iſraelitis promiſſum Græca & Syra addunt κυλλοὺς ὑγιεῖς id eſt debiles, ſeu mancos ſanos, hoc eſt vſui membrorum reſtitutos.

Vers. 32. Mar. 8. v. 1. 2. 3.

Iesvs avtem convocatis discipvlis dixit: Misereor tvrbæ, qvia iam tridvo perseverant mecvm, et non habent qvod mandvcent: et dimittere eos ieivnos nolo, ne deficiant in via] Chriſtus ægros ſanaret, iam tam ſanatis, quàm ſanis fame laborantibus cibos exhibet. *Vult enim*, ait S. Hieronymus, *paſcere quos curauerat, & ablatis debilitatibus iam ſanis offerre cibos:*



Ita perfecta ſunt A miſericordiæ Chriſti opera, vt nos ſimilia facere doceat. *Miſereor*, Græcè σπλαγχνίζομαι. Hebr. מְרַחֵם אֲנִי *merachem ani*, vel נִכְמְרוּ רַחֲמַי *nichmeru rachamai*, id eſt intimis viſceribus commoueor & miſereor turbam hanc, mei cauſâ famentem: me enim ieiuna ſequitur toto triduo. Vide hic ardens populi ſtudium erga Chriſtum, quæ ita eius doctrinæ intendit, vt cibi ſuique obliuiſcatur, ac viciſſim indefeſſum Chriſti erga eos laborem & ardorem, quòd toto triduo ſine quiete, refectione & ſomno prædicet, & ſanet ægros quoſlibet in turba. Porrò Chriſtus curat primò animas, deinde corpora. Idem faciat Prælatus, & paſtor: Ad Chriſti enim prouidentiam pertinet implere illud à ſe ſancitum: *Quærite primùm regnum cælorum, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* B Matth. 4. 33. Sic S. Carolus Borromæus ſui obliuiſcens, totum ſe ſui populi obſequijs impendebat. Vnde tempore orationis 40 horarum, integras 40. horas in templo prædicando, orando, celebrando, &c. ſine ſomno & cibo perdurabat, vt habet eius vita: nimirum mens Deo & diuinis operibus intenta, famem non ſentit, quia fide & charitate paſcitur, iuxta illud Chriſti Samaritanam inſtruentis: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Ioan. 4. 34.

*S. Caroli Borromæi labor aſſiduus.*

Qvia tridvo iam perseverant mecvm, et non habent qvod mandvcent] *Etſi enim*, ait S. Chryſoſtomus, *quando venerunt, cibos habuerunt; tamen conſumpti iam erant & propter hoc non in prima aut ſecunda die hoc fecit, ſed in tertia; quando iam omnia erant conſumpta, vt priùs ipſi in neceſſitate conſtituti, cum ampliori deſiderio ſuſciperent quod fiebat.* C Verùm in tanta multitudine veriſimile eſt multos nil ciborum tuliſſe ſecum, ideoque per triduum manſiſſe ieiunos, vtpote illectos charitate & dulcedine Chriſti: *Deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt*, ait Marcus c.8. v.3.

Myſticè Remigius: *Peccatores*, ait, *per pœnitentiam conuerſi, in curſu labentis ſæculi pereunt, ſi abſque ſacræ doctrinæ pabulis dimittãtur*, Gloſſa verò: *Priùs*, ait, *Dominus aufert debiliores, & poſteà cibat, quia priùs remouenda ſunt peccata, & poſteà anima verbis Dei nutrienda.*

Vers. 33. Mar. 8. 5.

Et dicvnt ei discipvli: Vnde ergo nobis in deserto (comparemus) panes tantos, vt satvremvs tvrbam tantam?] D Arabicus: *Vnde inueniemus panẽ in deſerto, qui ſatiet hanc turbam?* *Tantos*, id eſt, tam multos; æquè enim multitudo, ſiue numerus eſt quantitas, ac magnitudo: quantitatis enim duæ ſunt ſpecies: diuiditur enim quantitas in continuam, qualis eſt magnitudo; & diſcretam, qualis eſt multitudo, ſiue numerus. Diſcipuli humana ratione rẽ metientes, putabant eſſe impoſſibile tot panes reperire in deſerto, ſed Chriſtus in neceſſitate, cùm deficiunt humana præſidia, ſufficit diuina: interim diſcipulorum æſtimatio impoſſibilitatis, illuſtrauit hoc Chriſti miraculum.

Et ait illis Iesvs: Qvod habetis panes? At illi dixervnt: Septem, et pavcos piscicvlos] Syrus: *Modicum piſcium minutorum.* Panes hi videntur fuiſſe Apoſtolorum, q.d. *Quod habetis panes*, ad familiam noſtrã alendam comportatos? quia enim Chriſtus, crebrò ſecedebat in deſertum, hinc Apoſtoli aliquid A annonæ ſecum deferebant, ſed modicum & exile. Vide c.16. v.7.

Septem] In priore panum multiplicatione cap.14. verſ.17. erant quinque panes dumtaxat, hîc verò ſunt ſeptem; ſed Chriſto tam facile fuit multiplicare hos quàm illos: voluit enim variari numerum tam panum, quàm hominum, ne vnum idemque videretur vtrobique miraculum, ſed duo.

*Panes ſeptẽ ſunt dona Dei ſeptem.*

Myſticè S. Bernardus ſerm. de Septem panibus, per eos accipit ſeptem dona Dei. *Primus panis*, inquit, *verbum Dei, in quo vita hominis eſt, ſicut & ipſe teſtatur. Secundus panis obedientia eſt: Quoniam meus cibus eſt, inquit, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me. Tertius panis meditatio ſancta, de qua ſcriptum eſt: Cogitatio conſeruabit te.* B *Et quæ alio in loco nominari videtur panis vitæ & intellectus. Quartus panis orantium lacrymæ. Quintus verò pœnitẽtiæ labor eſt. Sextus panis eſt iucunda vnanimitas ſocialis: panis, inquam, ex diuerſis granis confectus, fermẽtatus vtique ſapientia Dei. Porrò ſeptimus panis eſt Euchariſtia: Quoniam panis, inquit, quem ego do, caro mea eſt pro mũdi vita.* Idem ſequenti ſermone ſeptem panes de Dei miſericordijs interpretatur. Prima miſericordia Dei, inquit, eſt quòd me à multis peccatis præſeruauit, in quę alioquin incidiſſem: ſecunda, quòd peccantem & peccata diſſimulauit: tertia, quòd ad pœnitentiam excitauit: quarta, quòd pœnitentem receperit in gratiam: quinta, quòd dederit gratiam cõtinendi, ne in priſtina peccata relaberer: ſexta, quòd dederit munus benè conuerſandi: C ſeptima, quòd indigno dederit ex tot beneficijs ad cæleſtia ſperanda præſumere. Idem ſerm. 3. ſimili modo myſticè ſeptem miſericordiarum fragmenta aſſignat.

*Septem panes, ſeptem Dei miſericordiæ.*

Vers. 35. Mar. 8. 6.

Et præcepit tvrbæ, vt discvmberet svper terram] Sedendo eo modo & ſitu, quo ſolent pranſuri, ſed ſine menſa, vaſiſque menſalibus, vti fiebat in ſtatu legis naturæ tempore Adæ. Chriſtus enim ſuos reficit ad ſufficientiam, & ad neceſſitatem, non ad voluptatem & luxum.

Vers. 36. Mar. 8. 6.

Et accipiens septem panes et pisces, et gratias agens fregit, et dedit discipvlis svis, et discipvli popvlo] *Gratias agens*, Græcè εὐχαριστήσας, id eſt, cùm gratias egiſſet, inuocando Dei Patris opem ad nouam gratiam multiplicationis panum. Syrus, *laudauit Deum.* D Qui enim gratus eſt, gratiaſque agit de beneficio accepto, nouum meretur accipere. Per ſynecdochen ergo ſub gratiarum actione, velut vna & prima orationis ſpecie & parte, ceteras omnes intellige, ac præſertim poſtulationem noui concurſus, ad nouum hoc miraculum patrandum. Poterat Chriſtus vt Deus per ſe, ſuoque nutu multiplicare panes, ſed quâ homo more ſuo orat Deum, vt vim ad hoc miraculum ſuggerat. Quare planè videtur Chriſtus poſt gratiarum actionem, ſignando panes cruce eos benedixiſſe, ac benedicendo multiplicaſſe ſenſim & continuè inter frangendum & diſtribuendum, vti fecit cap.14. verſ.19. *Aſpiciens in cælum*, inquit, *benedixit, & fregit, & dedit.* Vnde Arabicus hic pro *gratias agens* vertit *benedixit*, ſcilicet panem & piſces.

Vers. 37. Mar. 8. 8.

Et comedervnt omnes, et satvrati svnt: et qvod svperfvit de fragmentis,

TIS; TVLERVNT SEPTEM SPORTAS PLENAS] Tot ſcilicet, quot fuerunt panes;ac proinde tantum panis ſuperfuit, quantum initio Chriſto oblatum fuit,imò ampliùs: quælibet enim ſporta (quæ onus eſt iuſtum hominis, ſiue manus portantis) pluſquam vnum panem continebat, imò Franc.Lucas opinatur ſportam, Græcè σπυρίδα, fuiſſe duplicem cophini, eſſeque onus, quod à duobus portatur. Arabicus tamen pro *ſeptem ſportas* vertit *ſeptem cophinos.* Voluit Chriſtus colligi fragmenta & micas, tum in memoriam miraculi, tum vt nihil de donis Dei deperiret, tum vt doceret nos eſſe frugi, & frugaliter Dei creaturis cibiſque vti. Ex hoc Chriſti iuſſu in religionibus nonnullis ſtatutum eſt, vt poſt menſam quiſque micas ſuas in lãcem colligat. Audi quid in vita S.Odonis Abbatis Cluniacenſis c.14. narratur(extat apud Surium die 28. Nouembris). *Micas ex panum ſectione decidentes ſinguli diligenter colligebant, & ante lectionis finem cum benedictione ſumebant: finita lectione, nec illas, nec cibum vllum quiſpiam capere auſus erat. Has autem micas alijs cibis ſacratiores exiſtimabant propter miraculum.* Hoc autem miraculũ ſic ſe habuit: Monacho moribundo, qui micas pro cõſuetudine non comedebat, cùm benè valeret, ſed ſinebat à mẽſa cadere, dæmon ſacculum micarum plenum oſtentauit ſæpiùs, terrens hominem, & ſe crucis ſigno munire ac vociferari cogens. Ex eo die magno ſtudio micæ illę colligebantur. Ibidem c.17. narratur aliud miraculum, ſcilicet micas in manu religioſi eas ſtudioſè aſſeruantis, in margaritas fuiſſe conuerſas, quæ poſteà ornamento cuidam Eccleſiæ intextę ſunt. S. Franciſcus in viſu vidit ſe micas panum colligere, ac cælitus iuſſus ex omnibus vnam hoſtiam conficere, eamque in fratres diſtribuere, vidit eos, qui illam reſpuebant, leprâ notari; mox viſioni explicationem hanc à Deo accepit: Micæ

*Micæ colligendæ, cur?*

*Monachus qui micas non collegerat, in morte terretur.*

*Micæ in margaritas conuerſæ.*

*Viſio ſancti Franciſci.*

A ſunt verba Euangelica, hoſtia eſt regula, lepra eſt iniquitas. Ita S.Bonauentura in eius vita cap.3. in fine. Vide noſtrum Iulium Nigronium tract. de Cura Minimorum.

ERANT AVTEM QVI MANDVCAVERANT QVATVOR MILLIA HOMINVM EXTRA (præter) PARVVLOS ET MVLIERES] Vide dicta c.14.v.21. Moralia, quę ibidem verſibus præced. recenſui, etiam huic loco & miraculo adaptanda ſunt.

VERS. 38. Mar. 8. 9.

ET DIMISSA TVRBA ASCENDIT IN NAVICVLAM, ET VENIT IN FINES MAGEDAN] Græcè *Magdala:* Arabicus *Magedal.* Sæpè enim literæ M & N liqueſcunt in L, vti oſtendi Cantic.6.12. in voce *Sunamitis* & *Sulamitis. Magedan* eſt oppidũ vltra mare Galilææ, ſitum iuxta Geraſan; nunc Magedena regio dicitur, ait S.Hieronymus in locis Hebr. Marcus cap.8. v.10. pro *Magedan* habet *Dalmanutha,* ſiue quod vnus idẽque locus fuerit binomius, vt vult S.Auguſtinus, B vnde & nonnulli codices in Marco pro *Dalmanutha* habent *Magedan;* ſiue potiùs quòd hæc erant duo loca, ſiue oppida, ſed vicina, ac Chriſtus venerit in fines vtriuſque, quia appulit ad littus, quod vtriq; oppido vicinum erat. Perperam Brocardus Itiner.2. cenſet *Magedan* eſſe *Medan,* id eſt aquas Dan, nimirum fontem illum, ex quo Iordanis oritur, quem Ioſephus Phialam vocat: nam Medan & origo Iordanis longiſſimè diſtat à mari Galilææ, cui adiacebat Magedan. Perperã quoque nonnulli cenſent *Magedan* eſſe *Mageddo,* vbi cæſus eſt Ioſias rex Iuda; nam Magedan eſt vltra Mageddo cis mare Galilææ, ac longè ab eo diſtat: adiacet enim torrenti Ciſon, ac vicinum eſt Cæſareæ & mari mediterraneo. Vide tabulas Geograph. Adrichomij. Hic verſus ſpectat ad caput ſequens. Vnde multi ab eo inchoant c.16. In Magedan enim contigit Scribarum petitio ſigni de cælo, quæ ſequitur.

VERS. 39. Mar. 8. 10.

*Magedan quid?*

*Magedan non eſt Medan.*

*Nec Mageddo.*

# CAPVT DECIMVMSEXTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

P*Rimò, Phariſæi à Chriſto petunt ſignum è cælo, quibus ipſe dat ſignum Ionæ. Secundò, verſ 6. monet diſcipulos vt caueant à fermento, id eſt mala doctrina Phariſæorum. Tertiò, v.13. eos rogat, quem ſe eſſe cenſeant? Petrus reſpondet:* Tu es Chriſtus filius Dei viui: *quare Chriſtus promittit ei Eccleſiæ Petram, & claues cæli. Quartò, v.21. prædicit ſuam paſſionem & reſurrectionem, ſuoſq́; vocat ad crucem.*

1. ET acceſſerunt ad eum Phariſæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum, vt ſignum de cælo oſtenderet eis. 2. At ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cælum. 3. Et manè: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cælum. 4. Faciem ergo cæli diiudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? Generatio mala & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Et relictis illis abijt. 5. Et cùm veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere. 6. Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum. 7. At illi cogitabant intra ſe dicentes: Quia panes non accepimus. 8. Sciens autem Ieſus, dixit: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis? 9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? 10. neque ſeptem panum in quatuor millia hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis? 11. Quare non intelligitis, quia non de



de pane dixi vobis: Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum? 12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, ſed à doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum. 13. Venit autem Ieſus in partes Cæſareæ Philippi; & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? 14. At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. 15. Dicit illis Ieſus: Vos autem, quem me eſſe dicitis? 16. Reſpondens Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus, filius Dei viui. 17. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. 18. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. 19. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. 20. Tunc præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus. 21. Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oporteret eum ire Hieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertiâ die reſurgere. 22. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te Domine: non erit tibi hoc. 23. Qui conuerſus, dixit Petro: Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum. 24. Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. 25. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. 26. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? 27. Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera eius. 28. Amen dico vobis, ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.

VERS. 1. Mar. 8. 11.

ET ACCESSERVNT AD EVM (in Magedan cap.15. vlt.) PHARISÆI, ET SADDVCÆI (de quibus dixi cap.3.7.) TENTANTES: ET ROGAVERVNT, VT SIGNVM DE CÆLO OSTENDERET EIS] Idem rogarunt cap.12.38. Sed hîc rurſum rogant occaſione miraculi multiplicationis panum, quod paulò antè Chriſtus patrarat. Cùm enim hoc viderent paſſim à turbis, quæ præſentes, & panum participes fuerant, celebrari, vt illud apud populũ eleuarent, dixerunt illud ſignum eſſe terreſtre, poſſeque à dæmone, qui in terra dominatur, fieri: inſinuabant ergo Chriſtum eſſe Magum, & ope dæmonis multiplicaſſe panes, ceteraque ſua mira patraſſe, vt colligitur ex ca.12.v.24. Petunt igitur à Chriſto ſignum de cælo, vt Deus, qui regnat in cælo, per illud atteſtetur Chriſto, eum à ſe miſſum, & cæleſtem eius eſſe doctrinam: quod ſi fecerit, ſe credituros in eum quaſi Meſſiam, & populum in eãdem fidem inducturos. Sed Sadducęi, vtpote Athei, cenſebant, nullum poſſe dari ſignum è cęlo à Deo, qui illorum opinione nullus erat: Phariſæi cenſebant poſſe dari hoc ſignum, ſed non dandum à Chriſto, vtpote qui vel non erat Meſſias, vel ſi erat, nollet eorum petitioni annuere, vti noluerat c.12.verſ.38. quare putabant ſe populo perſuaſuros, Chriſtum non poſſe edere ſignum de cęlo, ac conſequenter non eſſe miſſum à Deo, ſed à dæmone. Cetera vide explicata cap.12.38. Aliter Lyranus, qui cenſet Iudæos aſtrologiæ iudiciariæ deditos, petijſſe à Chriſto ſignum, quo ex aſtris oſtenderet ſe eſſe Meſſiam: in aſtris enim deſignaſſe, & quaſi ſcripſiſſe Deum omnem ſuam prouidentiam circa res humanas, totumq́ue ordinem vniuerſi. Verùm nihil tale hîc innuit Mat-

*Phariſæi ſignum de cælo petunt à Chriſto. Cur?*

A thæus. Propriè videtur Phariſæi alluſiſſe ad manna, vt colligitur ex Ioan.6.v.30.31. q.d. O Ieſu, multiplicaſti quidem panes in terra, ſed da ſignũ è cælo, ſcilicet plue manna de cælo, vti fecit Moſes, ſic oſtendes te Moſi eſſe ſimilem, nouumq́ue Euangelij tui legiſlatorem à Deo miſſum. Ita Remigius, Beda, Abulenſis.

AT ILLE RESPONDENS, AIT ILLIS: FACTO VESPERE DICITIS: SERENVM ERIT (craſtino manè) RVBICVNDVM EST ENIM CÆLVM] Ratio phyſica eſt, quod rubor cæli, id eſt aëris, indicet nubes eſſe raras, ideoq; facilè totâ nocte conſumendas, vel diſſipandas, ac conſequenter manè fore ſerenum, vtpote nube vacuum. Rubor enim eſt medius color inter nigredinem & albedinem. Nigredo nubium ſignificat nubes eſſe ſpiſſas & denſas, vtpote per quas radij ſolis penetrare nequeant, ideoq; opacas, & ſolutu difficiles: albedo indicat eas eſſe rariſſimas, vtpote per quas radij ſolis tranſparent & tralucent: rubedo indicat eas nec eſſe planè denſas, nec rariſſimas, ſed rareſcere, ideoq; partim ſolem per eas tranſparere, partim excludi; rubedo enim habet aliquid nigredinis, & aliquid albedinis; ex vtraque enim cõmiſta eſt: quatenus accedit ad nigredinem, ſolis radios excludit; quatenus accedit ad albedinem, eoſdem admittit, & tranſmittit.

VERS. 2.

*Rubor cæli veſpere ſignũ ſerenitatis. Cur?*

ET MANE: HODIE TEMPESTAS (erit pluuiæ aut venti) RVTILAT ENIM TRISTE CÆLVM] Græcè eſt idem verbum, quod præceſſit verſ. 2. πυῤῥάζει, id eſt, *rubicundum eſt;* ϛυγνάζων, id eſt, *mæſtitiam afferens cælum. Rutilat* ergo, id eſt *rubet,* vt vertit Syrus & Arabicus. Rurſus enim color eſt rubeus, quia rubedo rutilat, id eſt ſplendeſcit. Sic Ouid. 5. Metamorph. *Cruor Rutilus,* inquit,

VERS. 3. Luc. 12. 56.

*Rutilus color eſt rubeus.*

quit,id eſt rubeus : & *capilli rutili,* id eſt rubei. 2.Metam. *Et Mars rutilus*, id eſt rubeus & cruentus, apud Ciceronem in Somnio Scipionis: *Et flamma rutila*,id eſt rubea & ſplendens.2. Faſtor.

*Manè notat tempeſtatem.*

*Cur?*

Ratio phyſica eſt, quòd cælum, ſi veſpere rubeat, indicet raras eſſe nubes,ideoque nocte, vtpote quæ prolixa eſt, conſumendas: ſol enim occidens & abiens nequit eas liquare: ſin manè rubeat, indicat nubes eſſe raras quidem, ſed tamen ita denſas, vt à ſole oriente nequeant conſumi, ſed illi reſiſtant: quare mox à ſole increſcente & incaleſcente reſoluendas in pluuiam aut ventum. Ex eo enim quòd per penetrationem radiorum ſolis rarefactæ ſunt, liquet eas viciniores eſſe, vt in pluuiam aut ventum reſoluantur à ſole, quàm vt ab eo aliò propellantur. Audi de Præſagijs temporum Plinium lib.18. c.35. *Si ſol purus occidit, ſerenitatis ſignũ eſt. Si occubuit pridie nitido cælo, & oritur eodem, tunc certius argumentum ſerenitatis. Si ſol in ortu appareat maior, quã ſolet; ſi quaſi cæruleo colore imbutus prodeat, vel occidat, imbrem, ſi igneo, Euros nuntiat. Cùm ante illius ortum rubeſcũt nubes, venti erunt: cùm expalleſcunt, vel nigræ rubentibus intermiſcentur pluuiam ſpondent.* Ex luna ſimilia hæc accipe præſagia: *Si ſplendens exorta puro nitore fulſit, ſerenitatem; ſi rubicunda, ventos; ſi nigra, pluuias portendere creditur,* aiunt noſtri Conimbricenſes in Meteor.tract.7. cap.3. Aliam cauſam planiorem horum duorum diſſimilium, cur ſcilicet rubor cæli veſpertinus ſit index ſerenitatis, matutinus verò tempeſtatis, dat Abulenſis hîc quæſt.8. Ratio, inquit, primi eſt, quia rubor, qui apparet ad veſperum in aëre, ſignat deſiccationem aëris, & ideò materia groſſa vaporum, quæ in aquam vertibilis erat, eſt iam deſiccata, ita vt inflammetur, quod eſt rubefieri; & ita non eſt proximè diſpoſita, vt pluuia ex illa fiat: & ſic eſt ſignum propinquum ſerenitatis. Ratio ſecundi eſt, quia quando cælum manè rutilat, eſt materia inſpiſſata; & non eſt illa deſiccata, quia non eſt rubea ſicut nubes rubeæ, quæ apparent occidente ſole; ſed eſt materia turbida aliqualiter, & aliqualiter rubea, & ita eſt materia irregularis, quæ calore ſolis ſoluta ſtillat in pluuias, quantum ad partem turbidam & groſſam, vel ſoluitur in ventos, quantum ad partem aliqualiter deſiccatam & rutilantem; vel propter humidam materiam circumſtantem totum ſimul vertitur in pluuias, & ita fit tempeſtas, quia tempeſtas non ſolùm dicit pluuias, ſed etiam ventos impetuoſos cum aqua: atque hoc innuit Noſter, dum ſagaciter vertit *rutilat*.

*Symbolicè.*

Symbolicè idem Abulenſis quæſt.9. In primo, ait, aduentu Chriſti fuit ſerenitas gratiæ; in ſecũdo ad iudicium erit tempeſtas vindictæ & gehẽnæ, quam in reprobos detonabit Chriſtus iudex. Sic & S. Aug. in qu. Euang. hîc.

*Signa temporum quæ?*

Faciem (externam formam & ſpeciem) ergo cæli diiudicare noſtis; ſigna autem temporum non poteſtis ſcire] *Signa temporum* vocat ſigna temporis aduentus Meſſię, ſiue *temporum*, id eſt 70. hebdomadarum Danielis, vaticinij Patriarchæ Iacob, Geneſ.49.v.10. & ceterorum Prophetarum. Hęc enim vaticinia vti & miracula, quę per ſingulos dies patrabat Chriſtus, planè conuincebãt Meſſiam iam veniſſe, ipſumque eſſe Meſſiam. Hic verſus legendus eſt per interrogationem, non ſine ea aſſertiuè, vti legit Lyranus, qui ſic explicat, q.d. Vos Iudęi deditì aſtrologiæ, vultis ex aſtris cognoſcere tempus aduentus Meſſiæ; at erratis. Ex aſtris enim poſſunt ſumi præſagia ſerenitatis, vel tempeſtatis at non aduentus Meſſiæ. Sed hoc parergum eſt: eſt enim hîc argumentũ à minori ad maius. q. d. Si ex ſignis cæli, ô Phariſæi, noſtis diiudicare futuram ſerenitatem, vel tempeſtatem: ergo multò magis ex oraculis Prophetarum, meiſque miraculis poteſtis & debetis agnoſcere me eſſe Meſſiam. Hæc enim illis ſunt clariora & certiora. Ita S. Hilarius, Hieronymus, Euthymius: & ſat patet ex Lucæ 12.v.56. vbi Chriſtus ait: *Hypocritæ faciẽ cæli & terræ noſtis probare; hoc autem tempus* (aduentus mei, qui ſum Meſſias) *quomodo non probatis?* Sic & hodie multi ſunt in rebus terrenis lynces, in diuinis talpæ; prudentes in ſæculo, inſipientes in cælo; oculatiſſimi in congerendis nummis, ignorantiſſimi in colendo numine. Hi ſapiũt in burſa, deſipiunt in conſcientia. Aliter explicat S. Chryſoſtomus hom.54. hæc *ſigna temporum*. q.d. Alia ſunt ſigna temporis præſentis, alia futuri: ſigna curationum, quę ego edo, ſunt temporis pręſentis: ſigna verò temporis futuri, erunt ſigna in cælo, quæ vos poſtulatis, ô Scribæ: tunc enim erunt ſigna in ſole, lunâ, & ſtellis. Lucæ 21. Facitis ergo ſicut Thales, qui cælum contemplans eundo, in foueam incidit: ſic & vos futura ſpectantes, & præſens gratiæ tempus negligentes, ruitis in gehennam.

*Tales cælum contemplans in foueam cadit.*

Vers.4. Mar. 8. 12. 13.

Generatio mala et adultera ſignum quærit, et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ] Hunc verſum iterat Chriſtus, iam enim eum audiuimus cap. 12.v.39. vbi eum explicui.

Et relictis illis abiit] Ex Magedan conſcensâ naui traiecit marè Galilææ, & in citeriorem eius ripam, vnde venerat, redijt, vt patet ex verſ. ſequenti. Vnde Marcus c.8.v.13. ait: *Et dimittens eos, aſcendit iterùm nauim, & abijt trans fretum.* Iterùm enim, iterumq; hoc mare traijciebat Chriſtus, vltro citroque meabat & remeabat, vt Galilæos tam cis mare, quàm vltra mare habitãtes erudiret, iuxta oraculum Iſaiæ c.9.v.1. quod citauit Matthæus c.4.v.14.

Vers.5. Mar.8.14.

Et cum veniſſent diſcipuli eius trans fretum obliti ſunt panes accipere] *Cùm veniſſent*, Græcè ἐλθόντες, id eſt, *cùm iuiſſent*, putà cùm nauim conſcendiſſent ad transfretandum: in naui enim hęc contigiſſe patet ex circumſtantijs: in naui enim & nauigatione longiore egebant pane & cibo; nam in portu eum abundè erant inuenturi. Idem patet ex Marci 8.16. & ſequent. Eſt Hebraiſmus; Hebræa enim verba ſępè actum non perfectum, ſed inchoatum, vel deſtinatum ſignificant, vt dixi in Canonibus: Sic hîc *cùm veniſſent.* id eſt, cùm venire cœpiſſent, cùm proficiſcerentur: *obliti ſunt*, quia eis reficiendi corporis neceſſitas, intentione Dominici comitatus, & dulcedine veri panis, qui cum eis erat, id eſt Chriſti, mente exciderat, ait Anſelmus.

Trans fretum] Trans mare Galilęæ, ſcilicet Bethſaidam, vt ait Marcus c.8.v.22.

Vers.6. Mar.8.15.

Qui dixit illis: Intuemini (Græcè ὁρᾶτε, id eſt *videte*, vt vertit Noſter in Marco) et



et cavete a fermento Phariſæorum et Sadducæorum] *A fermento*, id eſt à doctrina, vt explicat verſ. 12. ab hac caueri iubet, non quatenus Phariſæi legem Moſis docebant & explicabant: ſic enim eos audiri, eiſque obediri iubet cap.23. 2. Sed quatenus illam ſuis vanis, & legi Dei contrarijs traditionibus, quaſi acido fermento, inquinabant, ac per eas inficiebant & vitiabant mentes auditorum, quam Lucas cap.12. verſ.1. vocat hypocriſim: *Attendite*, ait, *à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis*; quia Phariſæi externas tantùm ceremonias, & apparentem ſanctitatem ſpectabant, neglecta interna animi puritate, ait Beda. Audi S. Hieronymum: *Hoc eſt fermentum, de quo Apoſtolus loquitur: Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Iſtiuſmodi fermentum (quod omni ratione vitandum eſt) habuit Marcion & Valentinus, & omnes hæretici. Fermentum hanc vim habet, vt ſi farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur, creſcat in maius, & ad ſaporem ſuum vniuerſam conuerſionem trahat: ita & doctrina hæretica, ſi vel modicam ſcintillam in tuum pectus iecerit, in breui ingens flamma creſcit, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe trahit.*

Vers.7. Mar.8.16.

At illi cogitabant inter ſe (Marcus habet c. 8. 16. διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους, id eſt, diſputabant, vel diſceptabant ad inuicem) dicentes: Quia panes non accepimus] Hugo & Dionyſius ſic exponebant. q. d. Ideò Chriſtus dixit: Cauete à fermento Phariſæorum, quia panes non accepimus, nec vult nos panes accipere à Phariſæis. Simpliciùs alij, q. d. Diſcipuli, auditâ mentione fermenti facta à Chriſto, recordati ſunt ſe oblitos eſſe panes in nauim inferre, ac metuentes, ne Chriſtus in deſertum locum more ſuo nauigaret, ſolliciti erant quomodo panes ibidem neceſſarios compararent, ac inter ſe hâc de re diſceptabant, & forte vnus in alterum culpam obliuionis panum conijciebat; vbi dupliciter peccabant. Primò, quòd nimis de panibus eſſent ſolliciti, nec ſatis fiderent Chriſto, cùm tamen paulò antè experti eſſent eius potentiam, & prouidentiam in multiplicandis panibus. Secundò, quòd cenſerent Chriſtum loqui de corporali fermento & pane, cùm ille de ſpirituali loqueretur: vnde de vtroque corripiuntur & corriguntur à Chriſto, vti ſequitur.

Vers. 8. Mar.8.17.

Sciens autem Ieſus, dixit: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia (quod) panes non habetis?] Græcè οὐκ ἐλάβετε, id eſt, *non accepiſtis*: ſic & Syrus. *Sciens*, per vim diuinitatis ſuæ; non enim audierat eos hac de re colloquentes. *Modicæ fidei*, quaſi ego de panibus corporeis locutus ſim, de ijſque velim vos eſſe ſollicitos; aut quaſi ego de ijs vobis nequeam, aut nolim prouidere in mari, vel in deſerto?

Vers.9. Sup.14. 20. Mar.8. 19.

Nondum intelligitis (tum phraſim meam de fermento, tum meam curam de prouidendo vobis panes) neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum (ſcilicet diſtributorum. Græcè: *Neque recordamini quinque panes quinque millium*, quibus ſcilicet quinque millia hominum paui) et quot cophinos (reliquiarum) ſumpſiſtis?] Vtique duodecim, q. d. Ego qui tunc non tantùm multiplicaui, ſed & reſtitui panes in fragmentis, quæ feci, eſſe reſidua, idem nunc, & quouis tempore poſſum facere.



Vers.10. Sup.15.37. Mar.8.20.

Neque ſeptem panum in quatuor millia hominum (Græcè τετρακισχιλίων, id eſt quatuor millium, quibus ſcilicet quatuor millia hominum alui) et quot ſportas ſumpſiſtis] Vtique ſeptem, tot, quot fuerant panes. Conſtanter tam Matthæus quàm Marcus hîc nominant ſportas, in priori verò miraculo cophinos: vnde liquet ſportas aliud vaſis & menſuræ genus fuiſſe à cophinis.

Vers.11. Mar.8.21.

Quare non intelligitis, quia (quòd) non de pane dixi vobis (cùm dixi id quod ſequitur) cavete a fermento Scribarum et Phariſæorum?] Ex fermento enim fit panis communis & vſualis. q.d. Debueratis ex meis ſermonibus & actibus cognoſcere me non loqui de fermento & pane terreno, vtpote vili & exili, ſed ſpirituali, qualis eſt doctrina.

Vers. 12.

Tunc intellexerunt, quia (quòd) non dixerit cavendum a fermento panum, ſed a doctrina Phariſæorum et Sadducæorum] Correptio enim Chriſti acuit diſcipulorum mentem, & vexatio dedit intellectum.

Vers.13. Luc. 9.18. Mar.8.27.

Venit (Græcè ἐλθὼν, id eſt, cùm veniſſet) autem Ieſus in partes (Syrus, *in loca*) Cæſareæ Philippi: et interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?] Cæſarea Philippi vrbs eſt Phœniciæ ſita ad radices Libani, quæ primò dicta eſt *Dan*, eò quòd à Danitis, id eſt, à tribu Dan aſtu ſit capta. Iudic. cap. 18. quodque ibi ſit confluxus duorum riuulorum, ſcilicet *Ieor* & *Dan*, qui iuncti Iordanem efficiunt; ibi ergo origo eſt Iordanis. Verùm quia Gentilibus notior erat *Pan* Deus paſtorum, quam *Dan* Tribus Hebræa, hinc ab eis dicta eſt Paneas; deinde Philippus Herodis Aſcalonitæ filius ac Itureæ & Trachonitidis tetrarcha, eamdem à ſe auctam, ſuæ tetrarchiæ metropolim conſtituit, & in gratiam Cæſaris Tiberij Cæſaream nuncupauit, imitatus patrem ſuum Herodem Aſcalonitam, qui vrbem à ſe conditam in loco priùs dicto *Turris Stratonis*, inter Doram & Ioppem, iuxta mare mediterraneum, in honorem Cæſaris Auguſti Cæſaream nuncupauit, quæ vti antiquior & nobilior erat, ſic & abſolutè Cæſarea Paleſtinæ vocatur in Actis Apoſtolorum, & à Ioſepho: quare ad eius diſtinctionem hæc dicta eſt Cæſarea Philippi, quæ erat terminus terræ Chanaan Iudæis à Deo promiſſæ ad Septentionem, ſicut Berſabee erat eiuſdem terminus ad Meridiem. Vnde toties in Scriptura dicitur *à Dan* (id eſt, Cæſarea Philippi) *vſque ad Berſabee*. Hâc de causâ multi vicini Gentiles, præſertim Phœnices ad hanc vrbem confluebant, vti in limitibus regionum fieri ſolet: ideoque Chriſtus ad illam hîc ſeceſſit, tum vt Gentiles pariter ac Iudæos doceret, tum vt liberiùs de Meſſia, quem Iudęi quaſi regem ſuum expectabant, loqueretur. In Iudæa enim periculoſum fuiſſet hâc de re loqui; ac Scribæ Chriſtum apud præſides Romanos affectati regni accuſaſſent, eumque reum maieſtatis apud Tiberium Cæſarem peregiſſent. Rurſum hæc, Cæſarea olim *Dan* dicta, ſedes fuerat idololatriæ, vt patet Iudic. 18. 29. & ſequent. Chriſtus ergo ab

*Cæſarea Philippi quæ?*

Dd hac

hac labe voluit eam expurgare, & Dei cultricem, imò initium & matricem Gentium Chriſtianarum efficere: vnde huius vrbis ciuis fuit hęmorrhoiſſa, quam Chriſtus, à fluxu ſanguinis ſanauit, cuius miraculi imago quotidianis miraculis illuſtris ab hæmorrhoiſſa ibidem erecta, perſtitit vſque ad Iulianum apoſtatam, qui in odium Chriſti illam deiecit, teſte Euſebio libr. 5. c. 20. poſteà hæc vrbs ab Herode Agrippa aucupante gratiam Neronis, dicta eſt *Neronia* ſiue *Neronias*, nunc à Turcis occupata *Belima* nuncupatur.

QVEM DICVNT HOMINES ESSE FILIVM HOMINIS?] Ita legendum cum Roman. ſine *me*, quod nonnulli ex Græco addunt; hoc enim intelligitur in τῷ *Filium hominis*, id eſt me, qui ſtudio humilitatis ſoleo me Filium hominis nuncupare, vt dixi cap. 8. & maximè hîc ita me voco, vt explorem veſtram, ô Apoſtoli de me fidem. Vnde Lucas cap. 9. 18. habet: *Quem me dicunt eſſe turbæ?* Neque enim vis facienda eſt in articulo Græco τὸν, vt vult Beza, qui vertit *illum Filium hominis*, ſcilicet Meſſiam Iudæis promiſſum. Minùs rectè Syrus hæc diuidit, legitque per interrogationem hoc modo: *Quid dicunt de me homines, quod ſim Filius hominis?* Chriſtus enim hîc non rogat, ſed aſſerit, vocatque ſe Filium hominis; ſed vlteriùs quærit quid de ſe ſentiant homines, id eſt vulgus hominum.

VERS. 14. Luc. 9. 19. Mar. 8. 28.

AT ILLI DIXERVNT: ALII IOANNEM BAPTISTAM, ALII AVTEM ELIAM, ALII VERO IEREMIAM, AVT VNVM EX PROPHETIS] Videbat vulgus Iudæorum iam ab aliquot centenis annis, putà paulò poſt captiuitatem Babylonicam (quando prophetarunt Zacharias & Malachias, qui fuêre vltimi Prophetæ) apud Iudæos defeciſſe prophetiam & Prophetas, æquè ac arcam teſtamenti, & oraculum ex propitiatorio. Quare Chriſtum putabant non eſſe nouum Prophetam, ſed aliquem ex veteribus: horum enim virtutes, miracula, & doctrinam videbant in Chriſto. Pauci verò erant illi, qui certò credebant ipſum eſſe Meſſiam: longè plures enim id non credebant, offenſi Chriſti paupertate & humilitate: putabant enim Meſſiam venturum cum pompâ regià quaſi filium Salomonis, vti etiamnum putant & expectant Iudæi; quare quod ſubinde dixerunt aliqui populo viſis tot Chriſti miraculis: *Numquid hic eſt Filius Dauid?* Matth. 12. Et: *hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.* Ioan. 6. Tranſiens & ſubitanea fuit eorum vox, elicita ex præſenti miraculo, non perſeuerans & conſtans ſententia. Vulgus enim eſt mobile, & ad omnem auram flectitur. Ita Abulenſis. Putabant ergo animam alicuius è Prophetis migraſſe in Chriſtum per μετεμψύχωσιν, id eſt, tranſanimationem Pythagoræ, qua anima defuncti cenſebatur migrare in aliud corpus melius vel vilius ſecundùm merita prioris vitæ. Ita Ianſenius, Caietanus, & Baronius. Vel potiùs putabant aliquem è Prophetis reſurrexiſſe, ipſumque eſſe Ieſum, quaſi Ieſus reipſâ eſſet Ioannes Baptiſta, Elias, vel Ieremias. Credebant enim Iudæi & Phariſæi mortuorum reſurrectionem, vt patet 2. Machab. 7. licèt eam negarent Sadducæi. Actor. 23. 8. Id ita eſſe liquet ex ſententiâ Herodis de Chriſto: *Hic*, inquit, *eſt Ioannes, ipſe ſurrexit à mortuis; & ideò virtutes* (miracula) *operantur in illo.* Exiſtimabant enim animam Prophetæ poſt mortem fieri ſublimiorem, potentiorem & diuiniorem ad patranda miracula. Credebant ergo aliquem è Prophetis in Ieſu reſurrexiſſe, ideoque potentiora quam antè operari: tranſanimationem verò Pythagoricam, vt Gentilium figmentũ horrebant. Porrò alij putarunt Ieſum eſſe Ioannem Baptiſtam, quia ætate, ſanctitate & prædicatione videbatur ipſi perſimilis, ac Ioannes paulò antè iniuſtè occiſus ab Herode, verſabatur in eorum memoria, dignuſq; reſurrectione cenſebatur. Alij putarunt Chriſtum eſſe Eliam ob ſimilem vtriuſque zelum; & quia Elias necdum eſt mortuus, ac rediturus ab omnibus etiam Iudæis expectatur ex oraculo Malachię c. 4. 5. *Ecce*, inquit, *ego mittam vobis Eliam Prophetam.* Putabant ergo Eliam rediiſſe, ac Eliã eſſe Ieſum. Alij opinati ſunt Chriſtum eſſe Ieremiam, quia Ieremias fuit vir ſanctiſſimus, ac ſpeculum patientiæ & charitatis: & quia nonnulli putarunt Ieremiam cum Eliâ rediturũ ad prædicandum Iudæis, moti illo: *Prophetam in Gentibus dedi te.* Ierem. 1. verſ. 5. ſed alius illius loci eſt ſenſus, vt ibi dixi.

*Cur Ieſum cenſebant Iudæi eſſe Eliam aut Ieremiam, vel vnum ex Prophetis.*

VERS. 15. Luc. 9. 20. Mar. 8. 29.

DICIT ILLIS IESVS: VOS AVTEM, QVEM ME ESSE DICITIS?] S. Hieronym. ex τῷ *vos autem*, per antitheſin ad *homines*, colligit Apoſtolos hîc tacitè deos quoſdam à Chriſto vocari: *Illis*, inquit, *quia homines ſunt humana opinantibus, vos, qui eſtis dij, quem me eſſe exiſtimatis?* Quoad rem verò S. Chryſoſt. *Hac*, inquit, *ſecunda interrogatione monuit Dominus diſcipulos, vt maiora de ipſo cogitarent. Ipſo enim interrogandi modo oſtendit, illas vulgares opiniones multum à ſuâ dignitate abeſſe.* Ait ergo: *Vos, qui mecum ſemper verſantes plura me feciſſe vidiſtis, qui meo nomine complures virtutes ipſi quoque feciſtis, quem me eſſe dicitis?*

VERS. 16. Luc. 9. 20. Mar. 8. 29.

RESPONDENS SIMON PETRVS, DIXIT: TV ES CHRISTVS, FILIVS DEI VIVI] *Simon Petrus*, qui in circumciſione nominatus eſt Simon, à Chriſto vocatus eſt Cephas, id eſt Petrus. Putant nonnulli Petrum quaſi os Apoſtolorum non pro ſe ſolo, ſed pro omnibus reſpondiſſe. Ita S. Hieronymus: *Petrus*, inquit, *ex perſona omnium Apoſtolorum profitetur: Tu es Chriſtus, filius Dei viui.* Sic & S. Anſelmus, S. Thomas, Gloſſa, Dionyſius, Lyranus, Ianſenius, & S. Auguſtinus de Verbis Domini ſerm. 13. & S. Ambroſius lib. de Incarn. cap. 4. Meliùs S. Hilarius, Abulenſis, Maldonatus, Franc. Lucas, Barradius, & alij cenſent Petrum pro ſe & ex ſuo ſenſu locutum. Tacentibus enim Apoſtolis & hæſitantibus quid eſſent reſponſuri, Petrus ceteris ſapientior (vtpote illuſtratus & doctus à Deo) & feruentior, ne quis indignius quippiam de Chriſto reſponderet, prior reſponſum præripuit, ac pro omnibus reſpondit: non quòd ſciret omnium hanc eſſe mentem (nam cum nullo de hâc re erat collocutus) ſed quòd ſuam ſententiam vellet omnibus eſſe communem, vtque omnes ita ſentire debere, vti ipſe ſentiebat, oſtenderet: atque hoc tantùm voluit ſanctus Hieronymus, & ceteri iam citati, ſcilicet quòd Petrus quaſi iam deſignatus, & poſt reſurrectionem reipſa conſtituendus princeps Apoſtolorum & totius Eccleſiæ, altiùs præ alijs edoctus & inſpiratus à Deo cognouerit Chriſti diuinitatem, ac de eâ reſponderit id quod alij omnes reſpondere debuiſſent, quodque ipſe reſponſuros putabat feruentiùs, quàm veriùs,

*Petrus pro ceteris vtpote ſapientior & feruentior reſpondet.*





vt colligitur ex Ioan. 6. v. 69. & ſequent. Id liquet ex eo, quòd ſoli Petro ob meritum huius confeſſionis, Chriſtus promittat ampliſſimum præmium & prærogatiuam; ait enim ipſi nominatim præ ceteris Apoſtolis: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

*Confeſſio Petri.*

TV ES CHRISTVS, FILIVS DEI VIVI] Græcè ὁ χριστὸς, id eſt, *ille Chriſtus*, ſcilicet Meſſias à Deo ante tot ſæcula Adæ, Abrahæ, Moſi, & Dauidi promiſſus, quem omnes Patriarchæ & Prophetę auidiſſimè expectarunt, hodieque omnes expectant. Tu, inquam, es Chriſtus ſiue Meſſias, id eſt, vnctus à Deo vnctione gratiæ vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, ac hoc ipſo conſecratus ſummus orbis Doctor, Pontifex, Propheta, & Rex: *Doctor*, vt doceas homines Dei voluntatem & legem: *Pontifex*, vt te in ſacrificium Deo offerendo, mundum Deo reconcilies: *Propheta*, vt arcana Dei enunties, & futura prædicas, ac præſertim repoſita in cælis pijs præmia, & in gehenna impijs ſupplicia prædices, cunctiſque inculces: *Rex*: vt domineris cælo & terræ, omnibuſq; quæ in eis ſunt.

FILIVS DEI] Non per gratiam & adoptionem, vti ſunt omnes Sancti, ſed per naturam & deitatem tibi à Deo Patre per generationem æternam communicatam. Vnde Græcè eſt articulus habens emphaſin ὁ υἱὸς, id eſt *ille filius* ſcilicet vnicus, naturalis, & ὁμοούσιος patri: alioqui enim etiam Ioannes Baptiſta, Elias, & Prophetæ erant filij Dei adoptiui, quibus tamen opponit & anteponit hîc Chriſtum. *Viui* qui ita formaliter viuit vitam diuinam increatam & beatam, vt cauſaliter omnibus rebus à ſe creatis ſuam vim & vigorem, ac viuentibus animam & vitam inſpiret. Ab ipſo enim velut à fonte & ſole vitali, manat omnis lux & vita omnium Angelorum, hominum, animalium & plantarum. Vide dicta Ioan. 1. 4. ad illa: *In ipſo erat.* Ita S. Leo ſerm. de Transfiguratione: *D. Petrus*, ait, *per reuelationem ſummi Patris, corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit mentis oculis Filium Dei viui, & confeſſus eſt gloriam Deitatis.* Sic & S. Chryſoſtomus, Hilarius, Theophylactus, Euthymius, S. Auguſtinus ſerm. 33. de verbis Apoſtoli, & S. Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos, & alij paſſim, qui ex hoc loco probant diuinitatem Chriſti. Perperam ergo Eraſmus cenſet illam ex hoc loco non poſſe clare probari, nimirum ipſe hîc & alibi iecit ſemina Arrianiſmi, quæ eius ſequaces excluſerunt.

Porrò S. Hilarius, S. Chryſoſtomus & alij cenſent S. Petrum Primò omnium confeſſum eſſe Chriſti diuinitatem. Alij id negant, dicentes Nathanaëlem ante Petrum eamdem eſſe confeſſum, dicendo: *Rabbi, tu es filius Dei rex Iſrael.* Ioan. 1. 49. de quo ibidem dicendum. Sanè Apoſtolos ante hanc Petri confeſſionem agnouiſſe Chriſtum eſſe Deum ex ipſis eius verbis, & tot tantiſque miraculis ad hoc probandum factis, liquet ex verbis Petri, Ioan. 6. 65. *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* Et ex verbis ipſorum Apoſtolorum: *Verè Filius Dei es.* Matth. 14. 33. Et ex continua Chriſti cum Iudæis hâc de re coram Apoſtolis diſputatione, quam recenſet S. Ioannes c. 5. & ſeq. Verùm Apoſtoli, vti erant adhuc rudes, conceptum valdè tenuem & confuſum hâc de re in mente ſibi formabant, credebantque in genere Chriſtum verè eſſe Filium Dei præ alijs Prophetis, imò eſſe Deum; ſed quâ ratione id eſſet, an per generationem æternam, an per alium modum vel denominationem ignorabant, & diſtinctè concipere explicareque non poterant. Petrus autem id diſtinctè, clarè, & ſublimiter à Deo illuminatus agnouit, & primus hâc de re interrogatus palam, conſtanter idipſum confeſſus, & profeſſus eſt hoc loco, quòd ſcilicet Chriſtus propriè eſſet Filius Dei, id eſt, per generationem æternam genitus à Deo Patre, ideoque illi conſubſtantialis, ac verus æternuſque Deus. Exegit hanc de ſe fidem Chriſtus à Petro & Apoſtolis (Apoſtoli enim tacendo approbauerunt confeſſionem Petri, taciteq; idem profeſſi ſunt) tum quia ipſa eſt fundamentum iuſtificationis noſtræ, tum quia inſtabat Chriſto paſſio & mors, in qua neceſſe erat Apoſtolos hâc fide diuinitatis Chriſti ſuſtentari, ne ipſo mortuo putarent fidem & cetera omnia cum ipſo eſſe mortua, vt patet verſ. 21. & ſequent.

*An Petrus primus confeſſus ſit Chriſtum eſſe Deum.*



VERS. 17.

RESPONDENS AVTEM IESVS, DIXIT EI: BEATVS ES SIMON BAR-IONA, QVIA CARO ET SANGVIS NON REVELAVIT TIBI, SED PATER MEVS, QVI IN CÆLIS EST] q. d. Beatus & felix es, ô petre, ob hanc nouam de me fidem; hæc enim ingens eſt bonum & donum, non carnis & ſanguinis, id eſt naturæ, ſed gratiæ Dei tibi id ipſum inſpirantis & reuelantis: fides enim hæc eſt initium & baſis omnis gratiæ & gloriæ, ideoque hæc te & multos per te tuumque exemplum & prædicationem ducet ad beatitudinem æternam. Beatitudo enim viæ conſiſtit in fide & amore Chriſti; beatitudo verò patriæ in eiuſdem viſione & fruitione, iuxta illud Ioan. 17. 2. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Hinc Synodus Epheſina actione 3. *Ter beatiſſimus*, inquit, *& omni laude dignus Petrus Apoſtolus, qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum.* Hinc & inoleuit conſuetudo fidelium, vt Pontifici loquentes dicant: *Beatiſſime Pater.* Vnde S. Hieronymus ad Damaſum Pontificem: *Ego*, inquit, *beatitudini tuæ, hoc eſt, cathedræ Petri conſocior.*

*Beatitudo in quo ſita?*

*Inde Papa dicitur, Beatiſſimus Pater.*

SIMON BAR-IONA] id eſt, filius Iona. Pater enim Simonis Petri vocabatur *Iohanna*, id eſt *Iohannes*, vt patet Ioannis 21. verſ. 15. id eſt, *Deus donauit*, vel *Deus miſertus eſt*, aut *Dei donum*, gratia, & miſericordia, à יה *ia*, quod eſt contractum *Iehoua*, id eſt Deus: & חנן *chanan*, id eſt, miſertus eſt, donauit. Fuit ergo Petrus filius *Iohanna*, vel *Iohannis*, id eſt gratiæ Dei, quia Deo gratiſſimus, & gratia eius pleniſſimus; ſicut Gentiles eum, qui donis omnibus erat cumulatus, vocabant filium gratiarum. Porrò per craſin pro *Iohanna* dicitur *Iona*, quod propriè columbam ſignificat. Sic *Emmanuel* contrahitur in *Manuel* & *Noël*. Sic *Ieſaiahu, Iirmjahu, Eliahu*, ſimiliaque Hebraica nomina contrahuntur in *Iſaias, Ieremias, Elias.* Sic pro *Iohannes* Germani contractè dicunt *Hans*, Belgæ *Ian*, Hiſpani *Iuan*, Franci *Iean*. Niſi malis *Iohanan* & *Iona* eſſe duo nomina inter ſe diuerſa: differunt enim tam voce, quàm ſignificatione;

*Petri Pater vocabatur Ioannes, craſi Ionas.*

*Noël nomẽ contractum ex Emmanuel.*

ſed ita vt Iona alludat ad Iohanan, & occaſione Iohanan inditum ſit Petro: ſic vt pater Petri fuerit binomius, priuſque dictus ſit Iohanan, deinde breuioris pronuntiationis cauſa, quaſi alio vel alienato nomine dictus ſit Iona. Sic enim plura nomina deflexa & decurtata ſunt, vt alia planè eſſe videantur. Notat S. Chryſoſtomus Chriſtum Simoni addere *τὸ Bariona*, non ſolùm more Hebræorum, qui filijs ſemper addunt nomen patris; ſed ob peculiarem reſpectum ad reſponſionem Petri, quaſi eam confirmet Chriſtus, dicatque: Verè dixiſti, ô Petre, me eſſe Filium Dei, quia ſicut tu es *Bariona*, id eſt filius Iona, vtpotè ab eo naturaliter quoad ſubſtantiam genitus quaſi homo ab homine, ſic ego ſum Filius Dei Patris, vtpotè ab æterno naturaliter ab eo generatus quaſi Deus de Deo, eiuſdem cum illo ſubſtantiæ & deitatis.

*Symbolicè.* Symbolicè *Iona*, id eſt *columba*, ſymbolum eſt Spiritus ſancti, qui in ſpecie columbæ in Chriſtum deuolauit. Matth. 3. 16. hìc enim in Petrum quoque deſcendit, eique reuelauit Chriſtum eſſe verè & propriè Filium Dei. Ita S. Hieronymus: *Ex confeſſione*, ait, *Petrus ſortitur vocabulum, quòd reuelationem ex Spiritu ſancto habeat, cuius & filius appellandus ſit. Si quidem Bariona in lingua noſtra ſonat filium columbæ. Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi*, id eſt carnales parentes, amici, & quiuis homines, qui carne & ſanguine conſtant, non reuelarunt tibi me eſſe Filium Dei, vtpotè quòd omnem naturam & naturalem cognitionem omnium hominum & Angelorum longè tranſcendit, ſed Pater meus cæleſtis ſuæ gratiæ illuſtratione id tibi patefecit: *Quod caro & ſanguis reuelare non potuit, Spiritus ſancti gratiâ reuelatum eſt*, ait S. Hieronymus. Sic caro ſumitur pro homine carneo ſynecdochicè Galat. 1. 16. Ioannis 1. 13. & 1. Corinth. 15. 50. S. Hilarius verò per carnem accipit carneos Petri oculos: hi enim nuntiabant Petro Chriſtum eſſe hominem, cum verò eſſe Deum, non niſi reuelatio Patris illi intimauit. Licèt enim Petrus exteriùs audiret verba Chriſti, dicentis ſe eſſe Filium Dei, idque per miracula confirmantis, tamen ad credendum opus fuit interna Spiritus ſancti illuminatione & gratia.

VERS. 18. ET EGO DICO TIBI: QVIA (quod) TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM] *Et ego* Græcè *κἀγὼ*, id eſt, *ſed & ego*, vel *ego autem* loco mercedis tibi rependo, & viciſſim dico, promittoque: Nam, vt ait S. Hieronymus, *Teſtimonio de ſe Apoſtoli reddit vicem. Petrus dixerat: Tu es Chriſtus, Filius Dei viui: mercedem recepit vera confeſſio*, ſcilicet hanc: *Tu es Petrus*. Ego ergo, qui ſum verus Dei Filius, vti profeſſus es, tamquam Dei Filius tibi dico, & certò aſſeuero; ac dicendo facio & conſtituo te Petrum, vt ſcilicet poſt me ſis petra Eccleſiæ. Chriſtus promiſerat hoc nomen Simoni Ioan. 1. 42. dicens: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, hìc verò promiſſum præſtat, ac reipsâ ei nomen *Petrus* indit. Rurſum S. Leo ſerm. 3. in Anniuerſ. aſſumptionis ſuæ ſic explicat: *Et Ego dico tibi, hoc eſt, ſicut meus Pater tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego notam facio tibi excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id eſt, cùm ego ſim inuiolabilis petra, &c. tamen tu quoque petra es, quia meâ virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.*

TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM] Senſus eſt, q. d. Tu es Petrus, id eſt petra Eccleſiæ: ſuper te enim quaſi ſuper petram firmiſſimam ædificabo Eccleſiam meam: *τὸ* enim & dat cauſam cur ſit *Petrus*, q. d. Tu es Petrus, quia ſuper te quaſi petram ædificabo Eccleſiam meam. *Petrus eſt petra & baſis Eccleſiæ.* S. Auguſt. tract. 27. in Ioannem, & libr. 1. Retract. cap. 1. *Super hanc petram*, hoc eſt, inquit, ſuper meipſum, quia *petra erat Chriſtus*. 1. Corinth. 10. 4. quod auidè ſequitur Caluinus libr. 4. Inſtitut. cap. 6. §. 6. & hæretici, vt Petri & Papæ auctoritatem & primatum euertant. Verùm ipſum Petrum hìc dici petram, reliqui omnes Patres quaſi vniuerſim conſpirant, quos fusè citat hìc Caluinomaſtix Maldonatus & Bellarminus lib. 1. de Romano Pontif. cap. 10. Senſus ergo eſt, q. d. Tu es Kepha ſiue Cephas, id eſt petra, ſiue ſaxum duriſſimum, & firmiſſima cautes (hanc enim ſignificat Hebr. כֵּף *keph*, & Chaldæum, Syrumque כֵּפָא *kepha*) à me deſignata & deſtinata, vt poſt mortem meam, recepto in Pentecoſte Spiritu ſancto, planè ſolidata & roborata ſis fundamentum Eccleſiæ, quam ſuper te ædificabo: nam ante aduentum Spiritus ſancti Petrus necdum petra erat Eccleſiæ, imò Chriſtum in paſſione ex timore negauit. Vox ergo Petri & petræ notat S. Petri quaſi principis Eccleſię; & ſucceſſorum eius Pontificum ſoliditatem & conſtantiam in fide & religione Chriſti, vti inter alios docet Angelus Caninius in nomin. Hebr. noui Teſtamenti cap. 13. 1.

*Prob. Primò.* Porrò Petrum hìc vocari petram probatur Primò ex pronomine *hanc*, cùm ait: *Super hanc petram*; hoc enim, cùm ſit demonſtratiuum, ſic intelligi debet *hanc*, ſcilicet quam iam dixi, & cui loquor. q. d. Tu es Petrus, id eſt petra Eccleſiæ, & ſuper te quaſi ſuper petram ædificabo Eccleſiam meam. Nullius enim alterius petræ facta eſt mentio, quam demonſtrare poſſit pronomen *hanc*, niſi Petri; ſecùs eſt 1. Corinth. 10. ibi enim dicitur: *Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus*, præceſſit enim vox *petra*, quam explicans ait eam fuiſſe, typicè ſcilicet, id eſt repræſentaſſe Chriſtum; ſicut ſi Gallicè locutus fuiſſet Chriſtus, dixiſſet: *Tu es Pierre, & ſur ceſte pierre ie baſtiray mon Egliſe.*

Dices: Chriſtus non dicit: *Tu es petra*, ſed *tu es Petrus*. Ergo pronomen *hanc* nequit referre Petrum. Reſp. Chriſtum Syriacè locutum dixiſſe: Tu es *kepha*, & ſuper hanc *kepha* ædificabo, &c. *Kepha* enim dicitur petra, & inde Petrus Syriacè dictus eſt *Kepha*. Verùm Græcus interpres, eumque ſecutus Latinus, nomen ei quaſi viri dederunt maſculinum, ſcilicet Petrus, potiùs quàm petra, quod eſt femininum: ſed Πέτρος Græcè æquè ac *πέτρα* petram ſiue lapidem ſignificat. Petrus ergo idem eſt, quod petra, ſed interpres elegantiæ causâ variauit, vertitque: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram*, non ſuper hunc Petrum (vti vero & proprio ſenſu dicere potuiſſet) tum quia petra vſitatiùs lapidem vel ſaxum, quàm Petrus ſignificat Græcis: tum quia domus propriè ædificantur ſuper ſaxa, non ſuper homines. Fatetur id Beza hìc: *Dominus*, ait, *Syriacè loquens, nulla vſus eſt agnominatione, ſed vtrobique dixit* Cepha: *quemadmodum & vernaculum nomen* Pierre, *tam de proprio, quàm de appellatiuo dicitur. In Græco quoque ſermone πέτρος & πέτρα non re, ſed terminatione tantùm differunt.* Hucuſque rectè, ſed perperam quod ſubdit: *Sed videtur Matthæus (aut ſi quis eius fuit interpres) hoc terminationis diſcrimine voluiſſe Petrum (qui pars eſt ædificij) ab ipſa petra, cui innititur ædificium, id eſt à Chriſto ipſo diſtinguere, ipſumq́; adeo Petrum à fidei promiſſione, quæ toti Eccleſiæ eſt communis, quod veteres etiam apertè teſtantur, vt planè ſit ridiculus Antichriſtus* (ita vocat hęreticus Romanum Pontificem) *cùm ex hoc loco tyrannidem ſuam ſtabilire conantur*. Quàm hoc petulanter & falsò dicat, vide & diſce ex locis ipſis originalibus Patrum, quos citat Bellarminus, & Maldonatus, vt dixi. Rurſum interpreti præferendus eſt ipſe Scripturę textus, nec aliud voluit interpres Græcus, quàm quod ipſe Syriacus textus, vti paulò antè dixi. Mitto alia plura, quæ iam ex dictis vel mox dicendis falſa eſſe conſtabit.

*Secundò.* Secundò, idipſum patet ex eo, quòd nulla ſit connexio dicere: *Tu es Petrus, & ſuper me petram ædificabo Eccleſiam meam.* Imò eſt imminutio ſermonis, & beneficij dati euerſio. Diceret enim Chriſto Petrus: Ego ſum Petrus, id eſt petra Eccleſiæ: quomodo ergo non ſuper me, ſed ſuper te ædificas Eccleſiam tuam?

*Tertiò.* Tertiò, quia omnia antecedentia & ſequentia non niſi Petrum ſpectant, & reſpiciunt: *Et ego*, inquit, *dico tibi*, ô Petre, hoc eſt, tantæ fidei & confeſſionis præmium, & prærogatiuum tibi do & aſſigno, vt poſt me meamque mortem & reſurrectionem te facturus ſim petram & fundamentum Eccleſiæ, hoc enim ſignificat *τὸ ædificabo Eccleſiam meam.*

*Quartò.* Quartò, quia verſiones originales & orientales in hoc conſpirant, vt *Petrus* ſit idem quod *petra*, & *petra* idem quod *Petrus*: vnde idem nomen *Kepha* dant *Petro* & *Petræ*: Chriſtus ergo, inquit Angelus Caninius in nomin. Hebraïcis noui Teſtamenti capite 13. Syriacè ſic dixit: אַנְתְּ כֵּפָא וְעַל בְּכֵאפָא הָדֵין אֶבְנֵי יָת צִבּוּרִי *Ant kepha, Veal kepha hadden ebne iat tſibburi*; vel vt iam habet Euangelium Syriacum: *Ant hu kipha, Veal hada kipha ebne leidti*, id eſt, *Tu es Cepha*, id eſt petra, *& ſuper hanc Cepha*, id eſt petram (hoc eſt ſuper te, qui es Petrus ſiue petra) *ædificabo Eccleſiam meam.* Quin & Euangelium Hebraïcum, quod quaſi authenticum & autographum Matthæi edidit Sebaſtianus Munſterus, ſimili modo habet: אַתָּה כֵּיפָא וְעַל כֵּיפָא הַזֹּאת אֶבְנֶה אֶת מַקְהֵלִי *Atta kepha, Veal kepha hazzot ebne eth macheli*. Sic & Euangelium Armenorum: *Is bim*, inquit, *e vera ais bim*, id eſt, es rupes, & ſuper hanc rupem ædificabo, &c. Et Euangelium Arabicum: *Ant alſachra, va ala hada alſachra abni baiati*: Tu es ſaxum, & ſuper illo ſaxo ædificabo Eccleſiam meam. Æthiopicum Euangelium habet: *Anta quoqueh va dibazati, quoqh anneſa lebeita Chriſtianei*, id eſt, *Tu es rupes, & ſuper hanc rupem ſabricabo domum Chriſtianam*, id eſt Eccleſiam. Ægyptium verò Copticum: *Ego verò dico tibi, quia tu es hic Petrus, fundabo Eccleſiam meam ſuper hanc petram*, quæ non alia eſt, quàm hic Petrus, alioqui non eſt connexio: dat enim cauſam *τὸ quia*, cur ſuper petram fundabit Eccleſiam, quia ſcilicet Petrus erit petra ſolida, cui ſecurè tota Eccleſia quaſi fundamento firmo fundata incumbat. Perſicum autem: *Ego dico tibi, quia tu es ſanac, id eſt petra; & ſuper hanc ſanac*, id eſt petram, *ædificabo Eccleſiam meam.* Porrò paraphraſtes Perſicus *ſanac*, id eſt petram explicat, addens: *Tu es petra, id eſt fundamentum & index.* Vide Petrum Victorem in Annotat. ad nouum Teſtamentum pag. 105. & 102. vbi omnes haſce verſiones fusè enarrat.





Ad S. Auguſtinum reſpondetur ipſum deceptum fuiſſe ignoratione linguæ Hebraicæ & Syriacæ, ideoque putaſſe Petrum aliud eſſe à petra, & ab eâ denominatiuè dici quaſi Petreium, cùm ex Syro conſtet idem eſſe Petrus quòd petra. Rurſum S. Auguſtinus admittit vt probabilem eorum expoſitionem, qui dicunt Petrum eſſe petram Eccleſiæ, quo iugulat Caluinum, qui cenſet id dicere eſſe blaſphemiam in Chriſtum. Audi S. Auguſtinum in ſerm. de Cathedra Petri: *Denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur; ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, Petra enim dicitur, eò quòd primus nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemq́; contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur; ſicut ait Apoſtolus: Bibebant de ſpiritali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus, rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat; Dominus incrementum dat, Dominus irriguum ſubminiſtrat.* Idem Auguſt. ſerm. 16. de Sanctis: *Dignus*, inquit, *qui ædificandis Dei populis Petrus eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum.*

Denique etiamſi admitteretur illa expoſitio S. Auguſtini, quæ tamen non eſt genuina, nimirum petram denotare Chriſtum, tamen inde conuincetur Petrum poſt Chriſtum, qui eſt petra & lapis angularis Eccleſiæ, proximam eſſe petram fundamentalem Eccleſiæ. Senſus enim eſſet: Ego ſum Petra ſuper quam ędificabo Eccleſiam: tu verò, ô Petre, mihi es proximus & proxima Petra Eccleſiæ, ſuper quam proximè poſt me ædificabo Eccleſiam meam, ideoque te ſolum voco Petrum, cùm antea vocareris Simon. Iiſdem argumentis refelluntur centuriatores Magdeburg. libr. 1. Cent. 1. cap. 4. & Geneuenſes miniſtri, qui in ſuis Biblijs ſic exponunt: *Super hanc petram*, id eſt ſuper hanc confeſſionem vel fidem, ſcilicet quòd ego ſim filius Dei. Nuſquam enim anteà hæc confeſſio vocata eſt petra, ſicut Petrus immediatè antè vocatus eſt Cephas, id eſt petra.

*An fides ſit petra Eccleſiæ.* Dices: Nonnulli Patres per petram accipiunt fidem, quam confeſſus & profeſſus eſt Petrus. Ita S. Chryſoſtomus, S. Hilarius lib. 6. de Trinit. S. Cyrillus libr. 4. de Trinit. S. Ambroſius libr. 6. in Lucam cap. 9. Reſp. Hi Patres fidem non abſtractè accipiunt, ſed fidem prout erat in Petro, ac conſequenter ipſum Petrum faciunt petram Eccleſiæ, vti ipſi mox diſertè explicant. Volunt enim dicere Petrum ob meritum fidei accepiſſe dignitatem petræ in Eccleſia, vti expreſsè ait S. Hilarius & Chryſoſtomus, ob illam enim meruiſſe, vt ipſe ſit fundamentum Eccleſiæ, eiuſque fides deficere nequeat, vt ipſe alios in fide confirmet & ſuſtentet. Lucæ 22. 32. Eccleſia enim non ex fide, ſed ex ipſis hominibus fidelibus quaſi partibus conflatur & integratur (Eccleſia

cleſia enim non eſt aliud, quàm cœtus fidelium) quare & ipſum Eccleſiæ caput, vt ſit corpori homogeneum, homo fidelis, putà Petrus & Pontifex ſit oportet. Fides ergo eſt ratio fundandi, fundamentum verò eſt ipſe Petrus. Ita S. Chryſoſt. Cyrill. lib. 4. de Trinit. & S. Ambroſ. libr. 6. in Lucam cap. 9. Bellarm. libr. 1. de Pontif. c. 10. vbi pariter refellit Eraſmum & Chytræum, qui ex Origene more ſuo allegorizante, per petram accipiunt omnes fideles. Sic enim tota Eccleſia eſſet petra: tota enim Eccleſia non alijs conſtat, quàm fidelibus; vbi ergo erunt parietes, tabulata, & tectum Eccleſiæ? Ex quibus illa ædificabuntur? Vide & Gretſerum in defenſione Bellarmini l. 3. c. 5.

Denique Chriſtus hoc tribuit Petro, vt Pontifici futuro Eccleſiæ: quare idem tribuit ceteris Pontificibus eius ſucceſſoribus; idque in bonum Eccleſiæ, vt ſcilicet illa ab eis quaſi à Petra, in fide & religione Chriſtianâ ſolidetur. Quocirca S. Bernardus l. 2. de Conſider. ad Eugenium Pontificem: *Quis es?* inquit, *Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorũ, tu primatu Abel; gubernatu, Noë; patriarchatu, Abraham; ordine, Melchiſedech; dignitate, Aaron; auctoritate, Moyſes; iudicatu Samuel; poteſtate, Petrus; vnctione, Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt.*

*Tituli Pontificis.*

Et ſuper hanc petram] Hinc patet, quòd ſicut *Cephas* dicitur à *Cepha*, ſic Petrum dici à petra, imò idem eſſe quod petra, vti iam oſtendi. Quare quod Optatus Mileuit. lib. 2. contra Parmen. & alij *Cephas* deriuant à Græco κεφαλή, id eſt *caput*, per alluſionem congruam, non per veram nominis etymologiam eſt factum. Simili alluſione S. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Paſcha, Phaſe ſiue Paſcha, quæ Hebræa eſt vox, vt omnes norunt ex Exodi c. 12. deriuat à Græco πάσχειν, id eſt pati. In Paſchate enim contigit paſſio Chriſti, eiuſque quaſi agni Paſchalis immolatio. Porrò Chriſtus hoc nomen petræ, præ alijs nominibus columnæ, turris, anchoræ, baſis, &c. Petro indidit, quia ipſius Chriſti nomẽ in Scriptura decantatum eſt petra, Iſai. 28. 16. Pſ. 117. 22. Matth. 21. 42. & alibi: nomen ergo ſuum cum dignitate & officio Petro communicauit. Ita S. Hieronymus. Et S. Gregorius in Pſalm. 7. pœnit. *Chriſtus*, ait, *eſt petra, à qua Petrus nomen accepit, & ſuper quam ſe ædificaturum dixit.* Audi S. Leonem ſerm. 3. in Anniuerſ. aſſumpt. ſuæ, qui Chriſtum ita ad Petrum loquentem inducit: *Cùm ego ſim petra, ego lapis angularis, qui facio vtraq; vnum, ego fundamentum præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, tua ſint mecum participatione communia: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, &c.*

Ædificabo Eccleſiam meam] q. d. Ideò voco te Petrum & petram, quia ſicut ſuper petram ædificatur domus, vt illi innixa ſit firma & immobilis contra omnes ventorum flatus; ſic ego ſuper te, Petre, quaſi ſuper petram firmiſſimam ædificabo Eccleſiam meam, vt tibi innixa firma conſiſtat contra omnes hæreticorum & impiorum inſultus, vtque tu eam in vera fide & cultu Dei contineas & ſuſtentes, ſicut petra quaſi fundamentum ſuſtinet, & continet totam domum in ea ædificatam. Ita S. Ambr. ſerm. 4. *Petra*, ait, *dicitur Petrus, eò quod tamquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque ſuſtineat.*

Dices: Fundamentum Eccleſiæ ſunt omnes Apoſtoli, vt patet Epheſ. 2. 20. & Apocal. 21. 19. Ergo non ſolus Petrus eſt petra Eccleſiæ. Reſpondeo Petrum eſſe petram & fundamentum totius Eccleſiæ, omniumque omnino fidelium, adeoq; ipſorum Apoſtolorum: Petri enim quaſi primatis & principis erat, Apoſtolos in fide, religione & officio continere, dirigere, firmare, & ſicubi errarent, corrigere. Vnde S. Hieronymus l. 1. contra Iouin. *Propterea*, ait, *inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Et S. Cyprianus tract. de Vnitate Eccleſiæ: *Primatus*, ait, *Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & cathedra vna monſtretur.*

*S. Petrus fundamentum totius Eccleſia.*

Nota: Chriſtus hîc duabus metaphoris promittit, vt ait S. Hieronymus, Petro Eccleſię principatum dandum illi poſt ſuam mortem ac reſurrectionem. Ioannis 21. v. 16. cùm illi dixit: *Paſce oues meas.* Prima metaphora eſt fundamenti, ſiue petræ fundamentalis. Quod enim in ædificio eſt petra & fundamentum, hoc in corpore eſt caput, in ciuitate rector, in regno rex, in Eccleſia Pontifex. Secunda eſt clauium: claues enim non niſi regibus vel gubernatoribus dantur.

Nota ſecundò: Ædificare Eccleſiam ſuper hanc petram, duo ſignificat. Primò, huic lapidi rationali, ſcilicet Petro quaſi capiti omnium Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ curam & regimen proximè poſt Chriſtum incumbere. Ita S. Chryſoſtomus hom. 55. S. Ambroſius ſerm. 37. S. Gregorius lib. 4. ep. 32. Secundò Eccleſiam Petro, vt vicarius eſt Chriſti, velut fundamento inniti & ſolidari, vt in fide errare non poſſit. Vnde Petrus propter tam ſublimem fidei confeſſionem meruit à Chriſto fieri & inſtitui hæc petra fundamentalis. Et hoc tantum volunt S. Hilar. Chryſoſtomus, Cyrillus, & Nyſſenus in fine libri contra Iudæos, cùm dicunt Eccleſiam à Chriſto ædificatam eſſe ſuper fidem & confeſſionem Petri, vt ſuperiùs expoſui. Porrò S. Chryſoſtomus hîc vrget τὸ *ædificabo*, aitque ſimile eſſe illi, *dixit Deus*, Geneſ. 1. quo omnia creata ſunt, & ſubſiſtunt. Similiter enim ait τὸ *ædificabo*, omnia operatus eſt, etiam tyrannis oppugnantibus, militibus arma mouentibus, populis inſanientibus, obluctante conſuetudine. Sermo enim Dei velut ignis validus adueniens ſpinas conſumpſit, agros repurgauit, ſolum præparauit, ædificium in altum eduxit, &c. Quocirca S. Hieronym. ep. 57. dum conſulit Damaſum Pontificem, an in S. Trinitate dicendæ ſint tres hypoſtaſes, an vna dumtaxat? ſic ei loquitur: *Cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, hoc eſt cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.*

*Ædificare Eccleſiam ſuper hanc petrã, quid?*

Et portæ inferi non præualebunt adverſus eam] Eccleſiam ſcilicet, quia hæc fundata eſt in Petro, eiuſque ſucceſſoribus, quaſi in petra firmiſſima.

Portæ inferi] Id eſt, ciuitas inferorum, putà totus infernus cum omni ſuo dæmonum exercitu, cumque omni potentia regis ſui Luciferi: hanc enim opponit ciuitati ſuæ & Dei, ſcilicet Eccleſiæ. Vnde S. Auguſtinus ſcripſit libros de Ciuitate Dei, in quorum initio duas conſtituit ciuitates ſibi oppoſitas; vnam Dei, quæ eſt Eccleſia; alteram diaboli; id eſt dæmonum & impiorum: maximè tamen per portas inferi intelligit hæreſes & hæreſiarchas: hi enim fidem Petri & Eccleſiæ ex profeſſo oppugnant, prodeuntque ex inferno, & ſuſcitantur à diabolo. Ita S. Epiphanius in Ancorato non longè poſt initium. Eſt ſynecdoche & metonymia; per portas enim intelligit totam vrbem, tum quia per portam eſt ingreſſus in vrbem: tum quia munimenta & robur præcipuum ciuitatis ſolet eſſe in portis: vnde ijs muriſque vicinis ſaluis ſalua eſt vrbs, ijs captis capta eſt vrbs.

*Porta inferi quid?*

Non præualebunt] Hebr. לֹא יוּכְלוּ לָהּ *lo iuchelu la*, id eſt, non poterunt ei (Eccleſiæ) ſcilicet reſiſtere. Ita S. Hilarius, & Maldonatus. Simpliciùs, *non præualebunt*, id eſt non vincent, non ſuperabunt, non euertent Eccleſiam. Hoc enim eſt Græcum οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Eſt mioſis; parum enim dicitur, ſed plus ſignificatur, nimirũ quòd Eccleſia adeò non vincetur, vt ipſa vincat, ſibique ſubiuget omnes hæreticos, tyrannos, ceteroſque hoſtes, vti debellauit Arrianos, Neſtorianos, Pelagianos, Neronem, Decium, Diocletianum, &c. Igitur hâc voce Chriſtus primò Eccleſiam animat, ne ſit puſillanimis, cùm videt ſe omnibus viribus à ſatana & impijs oppugnari. Secundò, illi claſſicum canit, vt ſemper excubet armata contra tot hoſtes, internecionis odijs illã proſequentes. Tertiò, illi æquè ac capiti eius Petro, id eſt, Pontifici promittit de omnibus victoriam & triumphum. Ratio eſt, quia Chriſtus ei aſſiſtit, & pro ea pugnat. Rurſum Chriſtus & Spiritus ſanctus peculiari cura aſſiſtunt capiti eius Romano Pontifici, vt in fide non erret, ſed firmus ſit, vt adamas, ait S. Chryſoſtomus, vtque Eccleſiam rectè adminiſtret & regat, dirigatque in viam ſalutis, ſicut direxit Noë & arcam, ne mergeretur diluuio. Quocirca S. Chryſoſtom. hom. 4. de Verbis Iſaiæ: *Facilius*, inquit, *eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari.* Et tom. 5. in orat. de non contemnenda Eccleſia: *Quid Eccleſia Dei potentius eſſe poteſt: Mœnia Barbari deſtruunt: Eccleſiam verò ne dæmones quidem ſuperant. Cùm oppugnatur, vincit: cùm appetitur inſidijs, ſuperat.* S. Auguſtin. in Pſal. contra partem Donati: *Numerare*, inquit, *ſacerdotes vel ab ipſa ſede Petri. Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Id maximè patuit in conuerſione omnium gentium, & præſertim Romæ, & Romanorum. Roma enim caput orbis æquè ac idololatriæ, vbi omnium gentium colebantur idola, ab ijs conuerſa eſt à S. Petro, eiuſque ſucceſſoribus, ac ſuperbum caput ſubiecit cruci Chriſti, quod miraculum fuit miraculorum maximum.

*Eccleſia ſemper inuicta.*

Vers. 19. Et tibi dabo claves regni cælorum] *Tibi*, quatenus es vna perſona, ſcilicet Bar-Iona, ſiue filius Ionæ vt patet ex omnibus antecedentibus & ſequentibus. Non ergo hîc Petro in perſona Eccleſiæ, hoc eſt ipſi Eccleſiæ primariò à Chriſto promiſſæ ſunt claues cæli, vt volunt hæretici, ſed ipſimet Petro, tamquam capiti Eccleſiæ: & per eum Eccleſiæ, eiuſque miniſtris, vti & eidem ſpeciatim illæ datæ & conſignatæ ſunt à Chriſto poſt reſurrectionem, cùm dixit: *Paſce oues meas.* Ioan. vlt. Ita paſſim Patres Græci & Latini, quorum verba recitat Bellarminus lib. 1. de Pontifice cap. 12. vbi pariter fusè oſtendit, non aliud voluiſſe S. Auguſtinum, cùm ait Petrum geſſiſſe figuram Eccleſiæ, quia ſcilicet Petrus repræſentabat Eccleſiam, ſicut rex regnum; ſic enim ſe explicat ipſe S. Auguſtinus tract. vlt. in Ioannem, dum ait: *Cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figuratà generalitate perſonam.* Et in Pſalm. 108. *Cuius* (Eccleſiæ) *ille agnoſcitur geſſiſſe perſonam propter primatum, quem in diſcipulis habuit*; quia propter bonum Eccleſiæ Petrus velut eius caput claues à Chriſto accepit, ex quibus etiam patet Chriſtum promittere claues Petro, vt futuro Pontifici; ac conſequenter eaſdem promittere reliquis Romanis Pontificibus Petri ſucceſſoribus. Chriſtus enim hoc loco proſpexit Eccleſiæ ſuæ perpetuò duraturæ de re maximè neceſſaria, & ſummi momenti, ſcilicet de capite perpetuò, ac optimum & perpetuum in ea regimen inſtituit, ſcilicet monarchicum, vt ab vno Romano Pontifice vna Chriſti regatur Eccleſia, vti docet S. Cyprianus de Vnitate Eccleſiæ, S. Hieronymus libr. 1. contra Iouin. & alij paſſim. Cauillationes nouatorum Caluini poſterorum circa hunc locum rectè diluit, & confutat noſter Gretſerus, & poſt eum Adamus Contſen, inſignes hæreſomaſtiges.

*Petro datæ claues, non Eccleſiæ.*

Claves] Quæres, quidnam hîc ſignificent claues? Reſpondet Caluinus libr. 4. Inſtit. cap. 6. §. 3. eiuſque ſequaces, ſignificare poteſtatem annuntiandi tum Euangelium, tum remiſſionem peccatorum ei, qui dumtaxat credit Euangelio illam promittenti. Verùm hoc inſulſum eſt & ridiculum. Clauibus enim aperiuntur oſtia, non ora prædicantium. Vnde claues inſigne ſunt regum & regentium, non doctorum & docentium, vel prædicantium. Quare claues ſignificant propriè ius regendi, ad quod pertinet non ſola poteſtas prædicandi Euangelij, ſed & abſoluendi à peccatis, præcipiendi, ordinandi ſacerdotes, interpretandi S. Scripturam, excommunicandi, ceteraque omnia, quæ ad bonum regimen Eccleſiæ ſpectant, peragendi.

*Claues datæ Petro.*

Dico ergo: Per *claues* hîc ſignificatur ſumma poteſtas tum ordinis, tum iuriſdictionis in totam Eccleſiam, Petro hîc à Chriſto promiſſa & tradita. Ioan. vlt. v. 16. hoc enim fine traduntur claues vrbium regibus & principibus. Et ita claues explicat Chriſtus in ſequentibus, dicens: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis*, &c. Qui enim claues habet domus vel ciuitatis, illius eſt & dominus, vt ad libitum eam aperiat vel claudat, & quos velit, in illam admittat, quos nolit, excludat. Alludit ad Iſaiæ cap. 22. vbi Deus Eliakim Pontifici veteris Teſtamenti principatum ſynagogæ promittens, ait: *Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.* Vide ibi dicta. Porrò Eliakim typus fuit Chriſti Pontificis, de quo dicitur Apoc. 21. 2. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Senſus ergo eſt, q. d. Chriſtus: Ego, ô Petre, dabo tibi quaſi Pontifici, ac conſequenter Pontificibus ceteris tibi ſuccedentibus, claues regni

*Notant ſummam eius poteſtatem.*

regni cælorum, id eſt, ſummam poteſtatem regendi vniuerſam Eccleſiam toto orbe diſperſam, vt clauibus, id eſt poteſtate tuâ aperiendo, vel claudendo hominibus Eccleſiam, eiſdem pariter aperias, vel claudas cælum. Vbi nota non dixiſſe Chriſtum. Dabo tibi claues regni terrarum, ne terrena & temporalis putaretur hæc poteſtas, ſed *regni cælorum*, vt ſignificaretur hæc poteſtas propriè & directè extendi ad ſpiritualia, quæ ſpectant ad regnum cælorum: ad temporalia verò non niſi indirectè, quatenus ſcilicet ad ſpiritualia, vt neceſſaria, vel valdè vtilia referuntur. Ita S. Chryſoſt. hìc homil. 55. docet, per haſce claues Petro à Chriſto traditas, Petri curæ & regimini commiſſum eſſe vniuerſum mundum, ipſumque creatum eſſe paſtorem & caput totius Eccleſiæ. Sic & S. Gregor. lib. 4. epiſt. 32. *Cunctis*, ait, *Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica ſancto & omnium Apoſtolorum principi Petro, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.* Ac rationem ſtatim ſubijcit: *Ipſi quippe dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum.* Sic & S. Hilarius hìc, & S. Leo ſerm. 2. in Anniuerſ. aſſumpt. & alij paſſim. Audi S. Auguſtinum ſer. 28. de Sanctis: *Solus Petrus inter Apoſtolos meruit audire: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum.* Hinc S. Ambroſius libr. 2. epiſt. 13. ad Marcellinam ſororem, narrans luctam, quam habuit cum Arrianis, qui poſtulabant tradi ſibi claues Baſilicę Mediolani, cui præerat Ambroſius, idque iuſſu Imper. Valentiniani iunioris, quem regebat Iuſtina mater Arriana: *Mandatur*, inquit, *Trade baſilicam. Reſpondeo, nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare; domum Dei exiſtimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo: Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt: Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari: ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.* Sic Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, præſes Concilij Nicæni Conſtantio Imperatori Arriano, idem poſtulanti conſtanter reſpondit, ipſi deberi claues vrbium, claues verò Eccleſiæ ſoli Pontifici; *Tibi*, inquit, *Deus imperium commiſit; nobis, quæ Eccleſiæ ſunt, credidit.*

*Narrat S. Ambroſius ſuam cum Arrianis luctam.*

*Hoſij Epiſcopi conſtantia.*

Tropologicè: Claues notant induſtriam, dexteritatem, & ſapientiam regendi, quæ debet eſſe in Pontifice: nam clauis dexterè ſeræ imponi, aptari, & circumagi debet, vt oſtium aperiatur; ſic *ars artium eſt regimen animarum*, ait S. Gregorius in Paſtorali.

*Tropol.*

ET QVODCVMQVE LIGAVERIS SVPER TERRAM, ERIT LIGATVM, ET IN CÆLIS: ET QVODCVMQVE SOLVERIS SVPER TERRAM, ERIT SOLVTVM ET IN CÆLIS] *Quodcumque*, id eſt quemcumque; ſed dicit *quodcumque*, quia genus neutrum amplius & vniuerſalius eſt genere maſculino. Nam Pontifex non tantùm homines ligat & ſoluit, ſed & peccata, vota, iuramenta, &c. Tranſit à metaphora clauium ad metaphoram vicinam ligandi & ſoluendi: vicina enim ſunt aperire & claudere, ligare & ſoluere. Vnde per eam idem ſignificat, quòd per claues, & per petram, nimirum ſummam poteſtatem Petri & Pontificum in regenda Eccleſia. Poteſtas ergo ligandi ampliſſima eſt, & variè exercetur à Petro & Pontifice. Primò, culpam & peccatum non abſoluendo, ſed retinendo, ac abſolutionem ſacramentalem in Pœnitentiæ Sacramento, ei, qui indignus & indiſpoſitus eſt, negando, æquè ac Euchariſtiam, aliaque Sacramenta. Ioan. 20. 21. Secundò, pœnitentiam lapſis iniungendo. Tertiò, excommunicatione, alijſque cenſuris Eccleſiaſticis reum innodando. Quartò, legibus & præceptis, v.g. feſtorum, ieiuniorum, decimarum, &c. fideles conſtringendo. Quintò, obligando Chriſtianos definitionibus fidei, dum Pontifex ex cathedra definit & declarat quid credendum ſit, quid vt erroneum & hæreticum reſpuendum: quæ religio bona ſit, quæ non: quis ſtatus vitæ honeſtus ſit & licitus, quis non, &c. Hinc à contrario liquet, quid ſit ſoluere, ſcilicet ab obligationibus hiſce iam dictis abſoluere & liberare.

*Poteſtas ligandi quintuplex.*

Explicat ergo Chriſtus hìc poteſtatem clauium per metaphoram non aperiendi & claudendi (quæ duo ſunt propria clauium officia) ſed per aliam efficaciorem, ſcilicet vinculorum, ijs homines ligando, vel ligatos abſoluendo; quam in omnes omnino homines totius orbis à Chriſto accepit S. Petrus, & ei ſuccedens Romanus Pontifex, qui tamen illam deriuat, prout ei libuerit in Epiſcopos, paſtores, alioſque miniſtros Eccleſiæ ſibi ſubditos; ideoque Chriſtus ceteris quoque Apoſtolis dixit Matth. 18. verſ. 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*; quibus verbis eadem poteſtas datur Apoſtolis à Chriſto in totum orbem, quæ datur hìc Petro; ſed peculiariter eadem hìc datur ſoli Petro, vt ſignificetur ipſum in hâc poteſtate eſſe primum & principem, vt ceteros Apoſtolos quaſi ſibi ſubditos, ſuæque curæ commiſſos, in ea dirigere, arctare, corrigere poſſit, & ſubinde debeat, imò eamdem, ſi opus foret eis adimere & auferre. Vnde Synodus Alexandrina, cui præſedit S. Athanaſius, ex ſententiâ Concilij Nicæni ſcribit Felici Papæ: *Romano ſedi ab ipſo Domino poteſtatem ligandi, & ſoluendi ſpeciali priuilegio ſuper alios eſſe conceſſam.*

SVPER TERRAM] Nota: Poteſtas Petri & Pontificis etiam ſe extendit ad eos, qui ſunt ſub terra in inferno vel purgatorio; vt cùm quem, ob ſcelus in vita admiſſum, poſt mortem iam vita functum excommunicat, priuatque Eccleſiæ ſuffragijs, vti excommunicat hæreticos: aut cùm quem in vita excommunicatum, poſt mortem excommunicatione abſoluit, vti ab eâ abſoluit S. Gregorius monachum cum pecunia defunctum, teſte Ioanne diacono in eius vita libr. 2. cap. 45. item cùm dat indulgentias pro defunctis, ſiue eas det per modum ſolutionis dumtaxat, quâ pœnas, quas illi debent, ex theſauro Eccleſię, putà ex pœnis Chriſti & Sanctorum Deo exſoluat; ſiue etiam eas det per modum iuridicæ abſolutionis, abſoluendo eos à pœnis quas debent, vti volunt nonnulli cum Michaële Medina.

*Poteſtas Pontificis in defunctos.*

*S. Gregorius mortuum ab excommunicatione ſoluit.*

Dices: Quomodo ergo hìc dicitur *ſuper terram*? nam qui ſunt in purgatorio, ſunt ſub terra, non ſuper terram. Reſp. Primò τὸ *ſuper terram* referendum eſſe ad τὸ *ligaueris & ſolueris*, putà ad Petrum ligantem & ſoluentem; non verò ad res vel homines ligandos & ſoluendos. q. d. Quidquid tu, ô Petre, exiſtens ſuper terram ligaueris vel ſolueris, hoc Deus ratum habebit, cenſebitq; ligatum vel ſolutum in cælo. Opponit enim iudicium Petri in terra iudicio Dei in cælo: nam alioqui in cælo nulla eſt res liganda vel ſoluenda, ſicut ergo τὸ *in cælo* referendum eſt ad Deum ligantem vel ſoluentem, non ad rem ligatam vel ſolutam; ſic & τὸ *ſuper terram*, quod illi opponitur, referendum eſt ad Petrum ligantem vel ſoluentem, non ad rem ligatam vel ſolutam. Ne quis enim Petri iudicium velut terreſtre contemneret, Chriſtus aſſeuerat idem eſſe iudicium cæleſte Dei, quodque vt ait S. Chryſoſtomus: *Quamuis Petrus homo ſit mortalis, cæleſti tamen polleat poteſtate*; vt quod ipſe iudicarit in terris, Deus idem iudicaturus ſit in cælis. Iudicium enim Dei ſequitur præiudicium Petri: eius enim præiudicatam ſententiam Deus non reuocat, ſed vt ſuam approbat & confirmat. Vnde exclamat S. Hilarius: *O beatus cæli Ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cælo.*

Secundò, poteſt tamen τὸ *ſuper terram* referri quoque ad res, putà ad homines ligandos vel ſoluendos, vt verba Chriſti completum habeant ſenſum: ſed tunc τὸ *ſuper terram* comprehendit quoque eos, qui ſunt in terra, vel ſub terra: opponitur enim τὸ *in cælo*, quia Græcum ἐπὶ, & Latinum *ſuper*, ac Hebræum על *hal* amplè accipitur; vnde hìc poteſt accipi pro *in*, hinc Syrus vertit, *in terra*. Sic enim directè opponitur ſolutio in terra Petri ſolutioni Dei in cælo. Simili modo Græci dicunt, ἐπὶ ξένης εἶ) id eſt, *in peregrinâ terra eſſe*. Aliter Salmeron: Mortui, inquit, quoad aliquid ſui, ſcilicet quoad famam & corpus, ſunt ſuper terram: vnde in his à Pontifice plecti poſſunt ſuper terram. Verùm non tantùm corpus, ſed & anima eorum, quæ eſt ſub terra, à Pontifice ligari vel ſolui poteſt, vti paulò ante oſtendi. Porrò Gelaſius Pontif. 24. q. 2. cap. 2. *Igitur*; ex hiſce Chriſti verbis probat eum, qui in excommunicatione eſt defunctus, non poſſe ab Eccleſiâ, id eſt à Pontifice abſolui. Vnde videtur propriè τὸ *ſuper terram* accipere: ſed loquitur de peruicaci, qui in contumacia ſua obijt; hic enim, vtpotè impœnitens, abſolui nequit, quia incapax eſt abſolutionis. Talis ergo abſolui nequit, niſi viuens ſuper terram pœnituerit, ſeſeque conuerterit. Quare in tali propriè accipiendum eſt τὸ *ſuper*, cùm ait *ſuper terram*. Et ſic vniuerſim verum eſt, Pontificem non poſſe, quem ſub terra ligare vel abſoluere, niſi eum, qui dum viueret ſuper terram, meruerit ligari vel abſolui, ac ligatione dignum, vel abſolutionis capacem ſe fecerit.

*Quâ ratione?*

Denique verius eſt Pontificem iuridicè dumtaxat viuentes in terra ligare & ſoluere, non verò mortuos. Dat ergo ipſe indulgentias defunctis, non per modum iuridicæ abſolutionis, quia defuncti illi ampliùs non ſunt ſubditi, ſed *per modum ſuffragij*, vti ipſe diſertè in bullis ſolet exprimere, ſoluendo ſcilicet pro illis tantum ex theſauro Eccleſiæ, cuius ipſe eſt diſpenſator, quantum pœnarum defuncti Deo debent. Hic enim theſaurus eſt ſuper terram, eſtque in manu & poteſtate Pontificis. Ita ſentiunt S. Thomas, Bonauentura, Alenſis, Gabriel, Maior, Richardus, Caietanus, D. Soto, Nauarrus, & Bellarminus tract. de Indulgentijs, quos citat & ſequitur Suarez de Pœnitentia diſputat. 53. ſect. 2. num. 4. & ſeqq. qui & addit Pontificem propriè & directè non excommunicare defunctos, nec eos ab excommunicatione abſoluere, ſed tantùm indirectè, quia ſcilicet directè vetat viuentibus, ne pro defuncto orent, aut ijs permittit, vt pro eo orent; hoc ipſo enim defunctos indirectè priuat ſuffragijs Eccleſiæ, perinde ac ſi forent excommunicati; vel illa ijs indulget, perinde ac ſi ab excommunicatione eos abſolueret. Cùm ergo Chriſtus ait hìc Petro: *Quæcumque ſolueris*, &c. per ſolutionem intelligitur non tantùm iuridica abſolutio, ſed etiam omnis diſpenſatio, fauor & gratia, ex vi poteſtatis illius à Chriſto ipſi collatæ: at talis eſt hæc diſpenſatio theſauri Eccleſiæ, quem per modum ſuffragij Pontifex expendit & applicat defunctis. Hæc ergo, quæ dixi, ſignificat τὸ *ſuper terram*.

*Pontificum in mortuos poteſtas qualis?*

TVNC PRÆCEPIT DISCIPVLIS SVIS, VT NEMINI DICERENT, QVIA IPSE ESSET IESVS CHRISTVS] Nonnulli Græci & Syrus omittunt τὸ *Ieſus*, tuncque planiùs fluit oratio. Sciebant enim omnes ipſum vocari Ieſum, ſed neſciebant ipſum eſſe Meſſiam, ſiue Chriſtum, verum Dei filium. Noluit Chriſtus Apoſtolos hoc alijs dicere & prædicare, tum quia ipſi hâc de re necdum ſatis erant inſtructi, & in ea confirmati: nam alioqui ipſe Chriſtus palàm prædicauit ſe eſſe Chriſtum filium Dei, vt patet Ioan. 5. & ſeq. ac pro huius veritatis confeſſione occiſus eſt, martyrque occubuit. Ioan. 18. 37. tum quia Chriſtus mox paſſurus erat, crucifigendus, & occidendus à Iudæis: quare Iudæi ſcandalizati fuiſſent, ſi Apoſtoli prædicaſſent ipſum eſſe Meſſiam & Deum, eiſque dixiſſent: Abite cum Chriſto veſtro in malam crucem, qui nos facitis Chriſticidas & Deicidas, vti iam Chriſtianis dicunt Iudæi; quare ſemel abiectâ fide Chriſti, eam, licèt poſteà miraculis teſtatam, ampliùs audire noluiſſent. Ergo expectanda fuit Chriſti mors, reſurrectio & gloria, vt tunc prædicarent ipſum eſſe Meſſiam & Filium Dei, idque per miracula confirmarent, ac ſic rem tantam populo perſuaderent, vti fecerunt in Pentecoſte. Actor. 2. iuxta illud: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Philip. 2. 9. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius. Sic & S. Hieronymus: *Tunc*, ait, *me prædicate, cùm iſta paſſus fuero, quia non prodeſt Chriſtum publicè prædicari, & eius vulgare in populis maieſtatem, quem poſt populum flagellatum viſuri ſunt, & crucifixum.* Addit S. Chryſoſtomus: *Quod enim ſemel radicatum eſt, & poſteà euulſum, ſi iterum plantetur, difficilè retinebitur apud multos; quòd autem infixum ſemel eſt & manſit, poſteà immobile facilè procedet ad augmentum.* Hæc magis patebunt ex ſequentibus.

*Vers. 20.*

EXINDE COEPIT IESVS OSTENDERE DISCIPVLIS, QVIA (quòd) OPORTERET EVM IRE HIEROSOLYMAM, ET MVLTA PATI A SENIORIBVS, ET SCRIBIS, ET PRINCIPIBVS SACERDOTVM, ET OCCIDI, ET TERTIA DIE RESVRGERE] *Exinde*, Græcè ἀπὸ τότε, id eſt ab illo tempore,

*Vers. 21. Luc 9. 22. Mar. 8. 31.*

tempore, quo ſcilicet illis diuinitatem ſuam patefecerat, cœpit eos docere de ſuâ paſſione & morte; tum vt perfectè eos in fide inſtrueret: duo enim ſunt fidei principia, ſcilicet Chriſti diuinitas, & Chriſti humanitas, eiuſque paſſio & crux, per quam redemit orbem: tum ne Apoſtoli audientes vel videntes Chriſtum occidi & mori, de eius diuinitate dubitarent, ait Theophylactus: tum vt oſtenderet hoc eſſe congruum; primò, Deo Patri, vt eius voluntati & iuſtitiæ per peccatum Adæ, & poſterorum læſæ & offenſæ, per Chriſti mortem ex æquo ſatisfaceret: ſecundò, Chriſto, quem decebat per paſſionem intrare in gloriam ſuam. Lucæ 24. verſ. 26. tertiò, hominibus, quos Chriſti morte decebat redimi, & inſtrui ad imitandam ferendamque eius crucem.

Vers. 22. Mar. 8. 31. ET ASSVMENS EVM PETRVS, COEPIT INCREPARE EVM] *Aſſumens*, ſeorſim ſcilicet (quaſi familiariùs & ſecretiùs eum increpiturus ex vehementi amore, quod coram alijs non audebat) Chriſtum retrahens. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, & S. Hieronymus, quem audi: *Qui* (Petrus) *non vult deſtrui confeſſionem ſuam* (qua dixerat: *Tu es Chriſtus, filius Dei viui*) *nec putat poſſe fieri, vt Dei Filius occidatur, aſſumit eum in affectum ſuum, vel ſeparatim ducit, ne præſentibus ceteris condiſcipulis videatur magiſtrum arguere: & cœpit illum increpare amantis affectu, & optantis dicere: Abſit à te Domine; vel vt meliùs habetur in Græco: Propitius ſis tibi Domine, non erit hoc, quaſi neceſſariam*, ait S. Thomas, *haberet propitiationem: cuius affectum ſuſcipiens quidem Chriſtus, ignorantiam exprobrat.*

ABSIT A TE DOMINE, NON ERIT TIBI HOC] Non accidet tibi mors tam indigna. Quis enim ferat Filium Dei crucifigi & mori? Græcè eſt ἵλεώς σοι, id eſt *propitius tibi*, ſcilicet ſis, aut ſit Deus. Ita ſolent Septuaginta vertere Hebr. חָלִילָה לְּךָ *halilalach*, id eſt *prohibitio tibi* ſit, quod vulgò olim dicebant: Dij prohibeant, dij meliora. Syrus: *Parce tibi.* Loquitur Petrus ex humanâ prudentiâ & affectu, non ex diuinâ, ex quâ paulò antè dixerat: *Tu es Chriſtus, filius Dei viui.* Hic ergo ſibi relictus deficit, ideóque à Chriſto redarguitur.

Vers. 23. Mar. 8. 33. QVI CONVERSVS DIXIT PETRO: VADE POST ME SATANA, SCANDALVM ES MIHI (Syrus, *offendiculo es mihi*) QVIA NON SAPIS EA, QVÆ DEI SVNT; SED EA, QVÆ HOMINVM] S. Hilarius τὸ *vade poſt me*, refert ad Petrum: τὸ verò *ſatana ſcandalum es mihi*, refert non ad Petrum, ſed ad diabolum, qui ſuggeſſerat Petro, vt diceret: *Abſit à te Domine.* Audi eum: *Sciens enim Dominus diabolicæ artis inſtinctum, Petro ait: Vade retrò poſt me, id eſt vt exemplum ſuæ paſſionis ſequatur. In eum verò, per quem opinio hæc ſuggerebatur conuerſus, adiecit: Satana ſcandalum es mihi: non enim conuenit exiſtimare Petro, ſatanæ nomen & offenſionem ſcandali deputari, poſt indulta illa beatitudinis & poteſtatis tanta præconia.* Verùm ceteri omnes τὸ *ſatana* iungunt cum *vade poſt me*, totumq; Petro dictum arbitrantur. Ait ergo Chriſtus Petro: *Vade poſt me*, id eſt, recede à me, faceſſe hinc, abi à conſpectu meo; quia hâc in re non mihi es amicus, ſed ſatan, id eſt aduerſarius (hoc enim ſignificat Hebr. שָׂטָן *ſatan*, & ſic vertit Noſter 2. Reg. 19. 22. & 3. Reg. 5. 4.) & *ſcandalum*, id eſt, offendiculum & impedimentum es mihi. Vis enim impedire paſſionem meam, & conſequenter redemptionem & ſalutem hominum, quam per paſſionem meriturus & procuraturus ſum. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, & S. Hieronymus, quem audi: *Meæ voluptatis eſt & Patris, vt pro hominum ſalute moriar: tu tuam tantùm conſiderans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram, vt multos afferat fructus: Et ideò*, ait D. Thomas, *quia contrarius voluntati meæ, debes aduerſarius appellari: ſatanas enim interpretatur aduerſarius, ſiue contrarius; non tamen, vt plerique putant, eadem ſatanas & Petrus ſententia condemnantur; Petro enim dicitur: Vade retro me ſatana, id eſt, ſequere me, qui contrarius es voluntati meæ. Ille audit: Vade ſatana, & non ei dicitur retrò, vt ſubaudiatur, vade in ignem æternum.*

*Quo ſenſu S. Petrus vocatus eſt ſatanas à Chriſto.*

Obijcit Caluinus eiuſque ſequaces: Chriſtus hîc Petrum vocat ſatanam: ergo paulò antè non vocauit eum petram, nec conſtituit eum caput Eccleſiæ. Reſpondet S. Hieronymus Petrum vocari ſatanam, id eſt aduerſarium pro præſenti tempore, quo aduerſabatur Chriſto volenti pati & crucifigi: petram verò conſtitui pro tempore non præſenti, ſed futuro, ſcilicet vt poſt mortem & reſurrectionem Chriſti fiat petra & caput Eccleſiæ. Secundò, S. Auguſt. ſerm. 13. de Verbis Domini ſecundùm Matthæum & Theophyl. reſpondent Petrum dici beatum, & petram Eccleſiæ conſtitui, quatenus à Deo reuelante illuminatus, confeſſus erat Chriſtum, filium Dei viui; ideoque ab eo petra Eccleſiæ conſtitutus: ſatanam verò hîc dici, quatenus à Deo Deique decreto (quod ipſe ignorabat) recedens, humanum ſequebatur affectum, quo nolebat Chriſtum à ſe ita amatum mori. Porrò Concilium Conſtant. Oecum. V. in Conſtitutione Vigilij Papæ, anathema dicit ijs, qui illud Chriſti: *Vade poſt me ſatana* dictum fuiſſe volunt ad Petrum, ne diſſuaſione eius animus Chriſti perturbatus fugeret paſſionem, eò quòd paſſione ſua ſibi proficeret, ideoq; mortem ipſius nobis æternæ vitæ præmia contuliſſe non credunt. Simili modo B. Petrus Damiani lib. 1. epiſt. 16. ad Alexand. II. Pontificem Hildebrandum Cardin. qui poſteà creatus fuit Pontifex Gregorius Septimus; vocat *ſuum ſanctum ſatanam. Satanam*, quia ſibi aduerſabatur, ne renunciaret Cardinalatui, vt ad ſuam eremum Camaldulenſem rediret. *Sanctum*, quia id faciebat ſancto fine, quia ſcilicet videbat Petri operam perutilem fore Eccleſiæ.

*Petrus Damian. vocat Hildebrandum Card. ſuum ſanctum ſatanam: & quare?*

QVIA NON SAPIS (Arabicus, *non cogitas*) EA, QVÆ DEI SVNT, SED EA, QVÆ HOMINVM] Hic eſt fons & cauſa erroris Petri, & ceterorum hominum; *quia non ſapis.* Græcè οὐ φρονεῖς, id eſt, non capis, non ſapis, non probas tam intellectu, quàm affectu tuo ea, quę placita ſunt Deo, ſed quæ hominibus humana ſuggerit prudentia, hoc eſt caro & ſanguis. Vis enim conſulere carni & vitę meę, ac exinde tuæ humanæ conſolationi contra Dei decretum, quo ſapientiſſimè decreuit mihi moriendum eſſe pro hominum ſalute. Ita homines peccant, dum exile carnis iudicium præponunt ſublimi & ſapientiſſimo Dei iudicio. Nam: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* 1. Corinth. 2. 14.

Vers. 24. Luc. 9. 23. Mar. 8. 34. TVNC IESVS DIXIT DISCIPVLIS SVIS: SI QVIS VVLT VENIRE POST ME, ABNEGET SEMETIPSVM, ET TOLLAT CRVCEM SVAM, ET SEQVA-



SEQVATVR ME] Hoc pharmacum abnegationis & crucis opponit Chriſtus amori proprio & naturali, quem Petrus erga Chriſtum oſtenderat verſ. 22. volens impedire eius paſſionem; ideóque non ſoli Petro, ſed conuocatis ceteris Apoſtolis, imò & turbis, ait Marcus cap. 8. 24. hoc edixit, & quaſi axioma Chriſtianæ ſcholæ ſtatuit, dicens: *Si quis vult venire*, &c. q. d. ait Chryſoſtomus: *Tu, ô Petre, dicis mihi: Propitius eſto tibi* (parce vitæ tuæ) *ego autem dico tibi, quoniam non ſolùm prohibere me à paſſione nociuum tibi eſt, ſed neque ſaluari poteris, niſi patiaris & moriaris, & vitæ abrenunties ſemper.* Vult enim Chriſtus ſtabilire quod dixerat; moriendam ſibi eſſe ex Dei decreto pro hominum ſalute, & inſuper hanc mortem & crucem cuique fideli imitandam eſſe, ſi eius aſſecla & diſcipulus haberi velit. Tria autem præcipit, ait Chryſoſtomus; primum eſt, *abneget ſemetipſum*; ſecundum, *tollat crucem*; tertium, *ſequatur me.*

SI QVIS VVLT POST ME VENIRE] Non cogit Chriſtus, nec vim infert, ait Chryſoſtomus, ſed volentes inuitat, eoq; blandiùs & vehementiùs allicit, trahitque. Quis enim non aueat, ardeatque ſequi Chriſtum Dei filium? Sed ſicut Deus iubet omnibus hominibus, vt ſequantur Chriſtum: ſic pariter iubet vt abnegationem, quam hîc ſancit, liberè eligant & complectantur. Rurſum allicit omnes Chriſtus, dicendo: *Venite poſt me.* q. d. Non eritis primi in cruce, morte, & martyrio. Ego dux vobis præibo; quare me præeuntem ſequimini dumtaxat, quia ego vobis non tantùm exemplo, ſed & adiutorio antecedam, ac certos vos faciam de triumpho & corona, ſi me dumtaxat ſequi, & gratiæ meæ ſtrenuè cooperari velitis. Sic Cato præiens militibus per arenas Lybicas aiebat: *Pericula veſtra prætentate meo*; nihil enim iubebo, niſi quod priùs ipſe fecero; nil præcipiam, niſi eius vobis ipſe dux & ductor fuero; magnus militi eſt ſtimulus præuium ducis exemplum.

*Abnegare ſe, quid?*

ABNEGET SEMETIPSVM] id eſt, abdicet à ſe ſuum iudicium, & affectum humanum: hoc enim in homine viuit, quod homini chariſſimum eſt, in quò homo oblectatur & paſcitur, vt illud cenſeatur eſſe ipſe homo. Homo eſt enim id quod in homine viget & viuit. Iubet ergo, vt quiſque ſuos affectus & amores naturales & ſenſuales, Dei legi & voluntati repugnantes, deponat, mortificet & reſecet, ac Dei legem & voluntatem aſſumat, induat, & per omnia ſequatur. Vide dicta cap. 10. 38. & 39. Dicit enim hoc Chriſtus occaſione Petri, qui per affectum naturalem erga Chriſtum volebat eius mortem impedire, vt eum in ipſo & ceteris hominibus caſtiget, q. d. Si vis poſt me venire, meque ſequi, ô Petre, abnega, & abdica à te humanum hoc tuum de me iudicium & affectum, vt Dei, qui me pati & mori vult, decretum & voluntatem ſequaris & amplectaris. Idem fac in ceteris omnibus tuis iudicijs, deſiderijs, affectibus, ac nominatim in morte crucis, quam tibi Deus decreuit, vt eam amplectaris, licèt natura & naturalis affectus illam fugiat & exhorreat, iuxta illud: *Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas* (in cruce) *& alius cinget te, & ducet quo tu non vis.* Ioan. 21. 18. Vnde Origenes, *abneget ſemetipſum*, exponit, q. d. Abneget vitam ſuam, capeſſendo mortem pro me meaque fide, vti ego capeſſam mortem crucis pro Deo. Pari modo quiuis fidelis *abneget ſemetipſum* id eſt ſua deſideria, ſuas imaginationes, ſuos concupiſcentiæ pruritus, ſuas rationes humanas, ſuam voluntatem, eamque per omnia inuertat & conformet voluntati Dei, v. g. ſuggerit tibi viſus, auditus, guſtus, vt videas, audias, guſtes curioſa, detractoria, delicata, vt ijs te oppleas & inebries; nega eis has ſuas cupidines à Deo vetitas, eiſque dicito: Nolo iſta videre, audire, ſapere, quia volo Dei legem ſequi, Deoque placere, non autem meis ſenſibus & appetitibus carnalibus ſatisfacere. Sic mater ſapiens puero (concupiſcentia enim eſt inſtar pueri, qui ſenſu, non ratione ducitur, ait Ariſtot. in Ethicis) negat petenti noxia, v. g. cultrum, quem, quia manu debili regere nequit, eo ſe lædet.

Notat S. Gregorius hom. 32. in Euang. non dicere Chriſtum, abneget ſuas opes, ſed *abneget ſemetipſum*, vt homo abeat à ſe, & fiat alienus à ſe, imò deſinat eſſe quod erat, & incipiat eſſe quod non erat, fiatque quaſi nouus & alter homo: *Minus quippe*, ait S. Gregorius, *eſt abnegare quod habet: valdè autem multum eſt abnegare quod eſt, id eſt, non ſufficit noſtra relinquere, niſi relinquamus & nos.* Obijcit ſibi deinde Gregorius: *Quò ibimus extra nos?* ac reſpondet: *Aliud ſumus per peccatum lapſi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus, aliud quod facti ſumus. Relinquamus noſmetipſos, quales peccando nos fecimus: & maneamus noſmetipſi, quales per gratiam facti ſumus. Ecce etenim, qui ſuperbus fuit, ſi conuerſus ad Chriſtum humilis factus eſt, ſemetipſum relinquit. Si luxurioſus quiſque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit. Si auarus quiſque ambire iam deſijt, & largiri didicit propria, qui priùs aliena rapiebat, procul dubio ſemetipſum reliquit. Ipſe quidem eſt per naturam, ſed non eſt ipſe per malitiam.* Declarat idipſum exemplo Pauli: *Penſemus*, inquit, *quomodo ſe Paulus abnegauerat, qui dicebat: Viuo autem iam non ego; extinctus quippe fuerat ſæuus ille perſecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Viuit verò in me Chriſtus. Ac ſi apertè dicat: Ego quidem à memetipſo extinctus ſum, quia carnaliter non viuo: ſed tamen eſſentialiter mortuus non ſum, quia in Chriſto ſpiritaliter viuo. Dicat ergo veritas, dicat: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum: quia, niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eum, qui ſuper ipſum eſt, non appropinquat: nec valet apprehendere quod vltra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare quod eſt.*

*Sanctus fit alius à ſe ipſo qui fuit.*

*A ſimili.*

Similitudine idipſum illuſtrat S. Chryſoſtomus hom. 56. *Si intelligis*, ait, *quid ſit alium abnegare, tunc rectè percipies, quid ſit abnegare ſemetipſum. Qui alium abnegauit, ſi cædi eum virgis videat, ſi coerceri vinculis, quidquid aliud mali pati eum conſpexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorſus vllo modo mouetur, ceu ille, qui penitùs ab eo alienatus eſt. Sic igitur nullo nos pacto corpori noſtro parcere vult, vt neque ſi cæditur, neque ſi pellitur, neque ſi vritur, neque ſi quid aliud huiuſmodi patitur, ei parcamus.* Addit Victor Antioch. in Marci cap. 8. *Non dixit ille, ne nimiùm ſibi indulgeat; aut ne nimium carni ſuæ parcat: ſed vehementiùs inſurgens, abneget vel abiuret ſemetipſum, hoc eſt, nihil cum ſeipſo vel ſua carne commercij habeat, verùm ita ſe gerat, ac ſi non ipſe, ſed alius quiſpiam crucem tolleret.* Vbi nota τὸ *abiuret*: ſicut enim in baptiſmo abrenuntiamus ſatanæ, & quaſi eum abiuramus; ſic abnegare planè, & quaſi

quaſi abiurare debemus noſmetipſos; id eſt noſtras cupiditates: hæ enim magis nobis, noſtręque ſaluti ſunt hoſtes, quàm ſint ipſi dæmones: dæmonem enim per ſe horremus, ſed cupiditates blanditie ſua nos decipiunt, noſque ijs quaſi noſtris amicis gratulamur & adulamur. Maius enim periculum eſt ab inſidiatore occulto, quàm aperto. Porrò non ſolis Apoſtolis, religioſis, clericis, ſacerdotibus, ſed cuiuis fideli dicit Chriſtus, iubetque, vt abneget ſemetipſum, id eſt, ſuum ſenſualem nimiumque amorem erga ſuam carnem, ſuum honorem, ſuam vxorem, ſuos filios, ſuos cognatos, &c. eumque ſubijciat Dei amori, legi, & voluntati. Religioſi verò vlteriùs abnegare debent omnia ſecularia negotia, propriam voluntatem, dominium & proprietatem, ceteraque votis, & profeſſioni religioſæ, & perfectioni vitæ aduerſantia, vt non ſolùm Chriſti legi, ſed & conſilijs eius Euangelicis ſeſe conforment. Hæc abnegatio debet ſe extendere ad ipſam vitam, & mortem etiam ignominioſiſſimam crucis, ait S. Chryſoſtomus, vt illam potiùs ſubeamus, quàm à Dei voluntate vel ad punctum recedamus; vnde ſubdit: *Et tollat crucem ſuam*: Quocirca S. Baſilius in Regulis fuſiùs explicatis ad interrog. 6. abnegationem ſic definit:

*Abnegationis definitio.*

*Abnegatio ſui nihil eſt aliud, niſi ſumma rerum omniũ vitæ ſuperioris* (in vitijs exactæ) *obliuio, atque à ſuimet ipſius voluntatibus receſsio*, & ad Dei voluntatem acceſſio. Idem ad interrogat. 8. *Perfecta*, ait, *renuntiatio in eo ſita eſt, ſi quis id aſſecutus fuerit, vt de vitâ ſuâ, ne minimùm quidem affectus ſit, quamuis habeat mortis reſponſum.* Et inferiùs: *Renuntiatio nihil aliud eſt, quàm vinculorum terrenæ huius ac temporalis conuerſationis ſolutio, quæ dum nos anxijs, & humanã vitam comitantibus negotijs ſubducit, promptiores & magis idoneos reddit ineundæ vitæ ad Dei contemplationem.* In Vitis Patrum lib. 5. libello 1. de Profectu Patrum num. 7. Abbas Ioannes hæc dat abnegationis & vitæ ſanctæ documenta:

*Officia.*

*Eſto iniuriam patiens, & non iraſcens: pacificus, & non reddens malum pro malo: non attendens ad vitia aliorum, neque teipſum exaltans, ſed eſto ſubditus & humilior omni creaturæ: renuntiando omni materiæ corporali, & his, quæ ſecundùm carnem ſunt, in cruciatu in certamine, in humilitate ſpiritus, in ieiunio, in patientia, in fletu, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus, includens ſe ſepulchro tamquam iam mortuus, vt videatur tibi eſſe proxima mors omni die.* S. Ægidius, ſocius S. Franciſci, vir valdè ſanctus, & à Deo illuminatus, hæc abnegationis ſenſuum dabat paradoxa:

*Paradoxa S. Ægidij, ſocij ſancti Franciſci.*

*Si vis benè videre, erue oculos tuos, & eſto cæcus.*
*Si vis benè audire, eſto ſurdus.*
*Si benè loqui, eſto mutus.*
*Si benè ambulare, abſcinde tibi pedes.*
*Si benè operari, mutila tibi manus.*
*Si benè amare, habeas te odio.*
*Si vis benè viuere, te mortifica.*
*Si benè lucrari, diſce perdere.*
*Si vis eſſe diues, eſto pauper.*
*Si vis eſſe in delicijs, affige te.*
*Si vis eſſe ſecurus, ſemper eſto in timore.*
*Si vis exaltari, humilia te.*
*Si vis honorari, deſpice te, & honora te deſpicientes.*
*Si vis habere bonum, ſuſtine malum.*
*Si vis eſſe in quiete, labora.*
*Si vis benedici, deſidera maledici.*

*O quàm magna hæc ſapientia, ſcire hæc facere! & quia magna ſunt, non omnibus data ſunt. Nemo debet aliquid audire vel loqui, niſi ad vtilitatem, nec vltra vllo modo procedere.* Idem hanc dabat viam ſalutis & perfectionis per abnegationem:

*Si vis ſaluari, ne petas rationem ab humana creatura de his, quæ tibi accidunt:*

*Si vis ſaluari, ſatage te ſuperare ab omni conſolatione & honore, quæ poteſt tibi dare aliqua creatura.*

*Væ illis, qui volunt honorari de ſua malitia.*

*Si quis tecum contendit, ſi vis vincere, perde; alioquin quando credideris te viciſſe, perdidiſti.* Et mox hæc ſubdit antiſtropha:

*Si amas, amaberis.*
*Si times, timeberis.*
*Si ſeruies, ſeruietur tibi.*
*Si benè te geſſeris erga alios, alij ſe benè gerent erga te.*
*Beatus qui amat, & non deſiderat inde amari.*
*Beatus qui ſeruit, & non deſiderat ſeruiri. Et quia hæc magna ſunt: ſtulti ad hæc non pertingunt.*

*Tria potiſſimum animo tuo hærere debent: Primum eſt, ſi omnem tribulationem, quæ accidit, libenter ſuſtineas. Secundum, ſi de omnibus quæ facis & recipis, magis humilieris. Tertium eſt, ſi fideliter diligas illa bona, quæ videri non poſſunt corporeis oculis.* Ita habet Hiſtoria Seraphicæ relig. l. 1. p. 65. Plura vide apud Climacum Dorotheum & Caſſianum, qui inter alia l. 5. de Inſtit. renunt. cap. 28. narrat Ioannem Abbatem iam moriturum, hoc ſuis perfectæ abnegationis exemplum & documentum dediſſe: *Numquam*, ait, *meam feci voluntatem, nec quemquam docui, quod priùs ipſe non feci.*

ET TOLLAT CRVCEM SVAM] Sicut ego tuli meam, vt me Chriſtum quaſi primum cruciferum, & crucigerorum anteſignanum ac ducem, qui crucem meam, in quâ crucifigendus eram dolens & gemens meis humeris tuli in montem Caluariæ, ipſe cruciger Chriſtianus animosè & alacriter ſequatur aſſiduè, vſque ad mortem crucis, & inde ad gloriam paradiſi: vnde Lucas addit, *quotidie*, vt ſignificet omni die, & ſæpè omni horâ aliquid moleſti cuilibet occurſurum, quod patienter & fortiter tolerare oporteat, idque continuè per totam vitam, ac proinde cuilibet viuendum eſſe in cruce, & moriendum in cruce cum Chriſto: *Tollit crucem ſuam*, ait S. Hieronymus, *qui mũdo crucifigitur; cui autem mundus crucifixus eſt, ſequitur Dominum crucifixum.* Crux hæc primò, eſt perſecutio & martyrium; ſecundò, afflictio & tribulatio quæuis à Deo inflicta; tertiò, tentatio à dæmone immiſſa, & à Deo ad noſtram probationem, humilitatem, virtutem, & coronam augendam permiſſa; quartò, ſui abnegatio, & cupiditatum mortificatio. Ita S. Hieronymus.

*Sua cuique crux. Primò.*

SVAM] id eſt, primò ſibi propriam: cuique enim ſua propria eſt crux; vni ab vxore, filijs, cognatis; alteri à moribus; tertio ab æmulis; quarto ab infortunijs; quinto à paupertate, ſexto ab exilio, carcere, vinculis, & ita deinceps.

*Secundò.*

Secundò, *ſuam*, id eſt, ſuis viribus, æquè ac concupiſcentijs commenſam. Deus enim, *Non patitur vos tentari ſuper id, quod poteſtis*, ait Paulus 1. Corinth. 10. 13. ſed cuique pro vitio, quo laborat, crucem quaſi medicinam immittit vel permittit: ſic prono in ſuperbiam, vel aliqua in re excellenti, permittit aliquod vilipendium, vel tentationem carnis, quæ eum humiliet, vti permiſit in S. Paulo 2. Corinth. 12. 7. auaro immittit mercium & opum iacturam; pulchro & vegeto immittit morbum; docto permittit lapſum in aliquem errorem vel in infamiam, ne inflетur, & de ſe præſumat.

*Tertiò.*

Tertiò, *ſuam*, id eſt, ſibi ad ſuum bonum à Deo ab æterno decretam. Cùm ergo ſentis crucem, ac ſæpè nouam, cogita de Deo, illique eam reſigna, ac dicito: Domine hanc crucem de paterna manu tua libens accepto: hæc enim ab æterno crux mihi fixa eſt, & à te decreta ad rubiginem vitiorum meorum defricandam: quare pro ea immenſas tibi gratias ago. Scio enim, & credo eam mihi à te ex amore paterno conſtitutam, vt me filio tuo dilecto Chriſto crucifixo aſſimiles hîc in patientia, & poſteà in gloria. Nam: *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, &c. Rom. 8 29.

*Quartò.*

Quartò, *ſuam*, id eſt, quam quiſque in ſe habet per paſſionẽ, vel ſibi irrogat per abnegationem, aut quam ſuam fecit per compaſſionem. Nam vt ait S. Gregorius hom. 32. in Euãg. *Duobus modis crux tollitur, cùm aut per abſtinentiam afficitur corpus, aut per compaſſionem proximi affligitur animus. Penſemus qualiter vtroque modo Paulus crucem ſuam tulerit, qui dicebat: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè alijs prædicans ipſe reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis: audiamus nunc in compaſſione proximi crucem mentis; ait enim: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Perfectus quippe prædicator vt exemplũ daret abſtinentiæ, crucem portabat in corpore. Et quia in ſe trahebat dãna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.*

ET SEQVATVR ME] Per crucem ad mortem, & per mortem ad beatam immortalitatem. Perſeuerandum enim nobis eſt in cruce cum Chriſto per totam vitam, vſque ad mortem & coronam: *Qui enim perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit.* Audi S. Chryſoſt. hom. 56 *Latrones*, inquit, *multa talia patiuntur. Ne igitur credas ipſius paſſionis naturam per ſe ſufficere, cauſam eius ſubiecit. Quam ipſam? quæ dicta ſunt vniuerſa faciens atque patiens ipſum ſequaris, vt ſcilicet propter ipſum omnia ſuſtineas, atque omnem virtutum numerum habeas. Is enim Chriſtum ſequitur, qui non in periculo modò fortitudinem adhibet ſed modeſtiam, ſed humilitatem, & omne ſublimioris Philoſophiæ genus complectitur. Id enim eſt rectè Dominum ſequi vt & propter ipſum cuncta ſuffera̋s, & alias virtutes non negligas. Multi diabolum ſequẽtes, multa patiuntur, & vitam propter ipſum perdunt, quam nos propter Chriſtum, imo verò propter noſipſos perdimus.*

Vers. 25. Luc 9 4 Mar. 8 35.

QVI ENIM VOLVERIT ANIMAM SVAM SALVAM FACERE, PERDET EAM: QVI AVTEM PERDIDERIT ANIMAM SVAM PROPTER ME, INVENIET EAM] Quia crux acerba eſt & cruciat, hinc ad eam tollendam fideles animat Chriſtus, ait Chryſoſtomus, per ingens eius præmium & coronam gloriæ; ac ſi agricolæ dicatur, ait S. Gregorius homil. 32. *Frumentum ſi ſeruas, perdis: ſi ſeminas, renouas. Quis enim neſciat, quòd frumentum, cùm in ſemine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? ſed vnde putreſcit in puluere, inde vireſcit in renouatione.* Origenes dupliciter exponit hanc ſententiam; primò ſic. q. d. Si quis, inquit, amator vitæ præſentis parcit animæ ſuæ timens mori, & putans animam ſuam per hanc mortem perire; ille volens hoc modo ſaluare animam ſuam perdet eam; alienam illam faciens à vita æterna. Si quis verò contemnens vitam præſentem, vſque ad mortem pro veritate certauerit, perdet quidem animam ſuam quantum ad vitam præſentem; ſed quoniam propter Chriſtum perdet eam, magis eam ſaluam faciet in vitam æternam.

*Seruãs animã perdet dupliciter.*

Alio modo ſic: Si quis intelligit, quæ eſt vera ſalus, & acquirere vult eam ad ſalutem animæ ſuæ, iſte, abnegans ſemetipſum, perdit, quantum ad voluptates carnales, animam ſuam propter Chriſtum; & perdens animam ſuam hoc modo, ſaluat eam per opera pietatis: dicendo enim, *Qui voluerit*, præcedentem & ſequentem vnum ſenſum eſſe oſtendit; ſi ergo quod ſuperiùs dixit, *Abneget ſemetipſum*, de morte corporali dixit; conſequenter hoc de ſola morte intelligere debemus dictum eſſe; ſi autem abnegare ſeipſum eſt carnalem conuerſationem reijcere; & perdere animam eſt deponere voluptates carnales. Huc uſque Origenes. Prior expoſitio videtur magis genuina, ſed amplianda hoc modo, q. d. Qui in hac vita fugiens crucem & abnegationem ſui, vult ſeruare animam ſuam, id eſt, vitam ſuam, ideoque negat me, meamque fidem in perſecutione; aut vult ſaluare animam ſuam, id eſt, deſideria animæ ſuæ, q. d. Qui ſuis concupiſcentijs vult ſatisfacere hic in futura vita perdet animam ſuam in gehenna; qui autem perdiderit animam ſuam in hac vita propter Chriſtum, vel moriendo in perſecutione pro eo, vel eius amore abnegando ſuas concupiſcentias, hic in futura vita animam, quam perdidit moriendo vel mortificando, ſaluam inueniet in æterna gloria, & in ſinu Chriſti, qui eam pro ſe morti expoſitam reſuſcitabit, & glorificabit. Hunc ſenſum exigit antitheſis inter perdere, & ſaluam facere; ſiue inuenire, ſcilicet integram & ſaluam; item id quod ſequitur: *Quid enim prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*, id eſt, animam ſuam perdat in gehennæ?

Vers. 26.

QVID ENIM PRODEST HOMINI, SI VNIVERSVM MVNDVM LVCRETVR; ANIMÆ VERO SVÆ (id eſt, *ſui ipſius*, vt explicat Lucas cap. 5. verſ. 25.) DETRIMENTVM PATIATVR] Græcè ζημιωθῇ, id eſt, iacturam faciat, mulctetur, q. d. Quid te iuuabit (hoc enim eſt Græcum ὠφελεῖ) acquiſiuiſſe omnes opes, honores, delicias totius mundi, ſi propter hoc teipſum perdas, & animâ tuâ, quam vnicam & intimam habes, mulcteris ad æterna gehennæ tormenta; iuxta illud:

*Omnia ſi perdas, animam ſeruare memento.*

Opes enim, honores, & delicias perditas recuperare potes: animam ſemel perditam in æternum recuperare nõ poteris. Illa extrinſeca ſunt, & exteriùs tantùm ſenſus titillant; hæc intrinſeca tibi eſt, & intima: vnde eius dolor vel gaudium tibi pariter intrinſecus eſt, ſummus, & intimus: illa temporalia ſunt & caduca, hæc immortalis & æterna. O ſtulti ergo filij Adæ, cur hæc caduca ita adamatis, vt propter ea animam perdatis, & ęternis gehennę incendijs tradatis?

A tis? O inſenſati, qui guttâ voluptatis vel honoris emitis ſempiternos dolores, & perenne inferorum opprobrium; vtique vili & exili nimis pretio eas emitis; cuius vos ſerò pœnitebit in æternum. Ego tanti pœnitere non emo.

Avt qvam dabit homo commvtationem pro anima sva?] Græcè ἀντάλλαγμα, id eſt, compenſationem, permutationem, pretium, lytrum. Vnde Syrus vertit, *permutationē animæ ſuæ*, q.d. Anima tua omne pretium, omnem compenſationem ſuperat; empta enim & redempta eſt pretioſo ſanguine Chriſti Domini Dei noſtri; quare pro vnius hominis anima vniuerſus mundus ſufficiens pretium non eſt, ait Euthym. in Pſ. 48. Quocirca ſi ſemel eam perdideris, & gehennę tradideris, nullo pretio eam redimere poteris, nec valebis animam tuam aliâ animâ redimere, quia non habes niſi vnam, & licet plures B haberes; propter eas tamen gehenna animam tuam, quam in ſua manu iam habet, non dimitteret: hic poteſt anima ſuos lapſus redimere pœnitentiâ, lachrymis, & bonis operibus; at in die iudicij nullus ampliùs pœnitentiæ & redemptioni erit locus. Vide ergo fraudem ſatanæ, & ſtultitiam hominis, qui animam peccatoris ab eo emit viliſſima, breuiſſima voluptate gulæ, luxuriæ, &c. *Porrigit pomum, & ſurripit paradiſum*, ait S. Bernardus tract. de Gradu humilit. cap. de Curioſitate. Lucas c. 9. 26. addit. *Nā qui me erubuerit* (vti Chriſtum eiuſque legem velut vilem & pauperem erubeſcunt Iudæi, & Gentilium multi) *& meos ſermones, hūc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorū ſuorum: pro quo Matthæus habet, id quod ſequitur.*

Vers. 27. Luc. 9. v. 26. Mar. 8. 38.

Filivs enim hominis ventvrvs est in gloria Patris svi cvm Angelis svis, et tvnc C reddet vnicviqve secvndvm opera eivs] Arabicus, *ſecundùm operationem ſuam*, id eſt, iuxta id quod operatus eſt, non iuxta id, quod ſciuit, intellexit, credidit.

Ventvrvs est (in die iudicij, vt homines ex operibus diiudicet) in gloria (id eſt, cum gloria & maieſtate, vt habet Lucas) Patris] Tum creata, quam ſcilicet vt homo ſibi à Patre infuſam in corpore & anima accepit, vel exteriùs in comitatu omnium Angelorum effuſam in die iudicij accipiet; tum illa, quam vt Deus cum Patre eiuſque eſſentia & deitate communem habet, tumque toti mundo ſe habere oſtendet. Ita S. Chryſoſtomus & Euthymius.

*Stimulus ad heroicā virtutem.*

Eſt hic acer ſtimulus ad opera heroica abnegationis, crucis, & virtutis, ad quæ omnes excitauit Chriſtus, v. 24. q.d. Agite, ô Apoſtoli, ô fideles mei, abnegate voſipſos, tollite crucem veſtram, meque ſequimini, quia ob hæc opera veſtra ardua, & heroica in die iudicij coram toto mundo vos laudabo, vobiſque meam felicitatem & gloriam regni cæleſtis communicabo; eos verò, qui fugerint abnegationem, crucem, meique ſequelam, ſecuti autem fuerint ſuas voluptates & concupiſcentias, increpabo, & adiudicabo gehennæ, idque in perpetuum. Eligenda vobis eſt vna ex hiſce duabus ſors: alterutra enim vos infallibiliter manet. Quocirca S. Hieronymus epiſtol. 1. ad Heliodorum, eum ad vitam ſolitariam, eiuſque crucem ſic inuitat: *Paupertatem times? ſed beatos Chriſti pauperes appel*A*lat. Labore terreris? at nemo athleta ſine ſudore coronatur. De cibo cogitas? ſed fides famē non timet. Super nudam metuis humum exeſa ieiunijs membra collidere? ſed Dominus tecum iacet. Squalidi corporis horrēt inculta cæſaries? ſed caput tuum Chriſtus eſt. Infinita eremi vaſtitas te terret? ſed tu paradiſum mente deambula.* Et nonnullis interiectis: *Delicatus es frater, ſi & hîc vis gaudere cum ſeculo, & poſteà regnare cum Chriſto. Veniet, veniet illa dies, quâ corruptiuum hoc & mortale incorruptionem induat & immortalitatem. Beatus ſeruus, quem Dominus inuenerit vigilantem. Tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, & tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient: potentiſſimi quondam reges nudo latere pal itabunt: exhibebitur cum prole ſua verè tunc ignitus Iupiter: adducetur & cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis: Ariſtotelis argu*B*menta non proderunt: tunc tu ruſticanus & pauper exultabis, & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus: ecce iudex, qui obuolutus pannis in præſepio vagijt, &c. vt his tum intereſſe contingat, pro quibus nunc labor durus eſt.* Hucuſque S. Hieronymus patheticè, ſed verè.

Vers. 28. Luc. 9. v. 27. Mar. 9.

Amen dico vobis: svnt qvidam de hic stantibvs: Qvi non gvstabvnt mortem, donec videant Filivm hominis venientem in regno svo] Syrus, *in regnum ſuum*. Sæpè enim hæc duo in Script. confunduntur, idemque ſignificant. Promiſit Chriſtus mercedem in regno cæleſti dandam pro operibus bonis abnegationis & crucis, nunc ne quis illud longè abeſſe & in multa ſæcula differendum cauſetur, occurrit, illudque vicinum eſſe reipsâ demonſtrat, dum nonnullis adhuc viuentibus poſt paucos dies, illud ipſum in transfiguratione oſten- C dit.

Non gvstabvnt mortem] id eſt, non morientur. Eſt metaphora à calice mortifero, qui damnato ad mortem datur, vt veneno moriatur: hic enim non hauritur iucundè, ſed ægrè guſtatur, vt amarus & felleus.

*Regnum Chriſti quod.*

In regno svo] Quæres quodnam hoc Chriſti regnum, & quando illud viderint nonnulli Apoſtolorum aſtantium Chriſto? Reſpondet S. Gregorius homil. 32. in Euangel. & Beda, regnum hoc Chriſti eſſe Eccleſiam, eiuſque per omnes gentes propagationem, quam vtique viderunt, imò effecerunt Apoſtol. Id dicit Chriſtus, ait S. Gregorius vt ex propagatione regni Eccleſiæ quam viſuri erant, diſcerent quanta futura eſſet eorum gloria in regno cæleſti, D quod in hac vita eſt inuiſibile: alioqui enim homines ſola viſibilia æſtimant, inuiſibilia non appetunt, quia nec eſſe ſuſpicantur. Deus ergo per viſibilia, quæ exhibet, firmat ſpem promiſſorum inuiſibilium. Secundò, alij id fore cenſent in reſurrectione, & die iudicij, de quo verſiculo præcedenti locutus eſt Chriſtus. Verùm dico id factum eſſe in transfiguratione Chriſti: in illa enim regnum Chriſti glorioſum quaſi per tranſennam viderunt, & prægustarunt tres Apoſtoli, ſcilicet Petrus, Iacobus & Ioannes, & ita eſſe patet ex ſequentibus: nam omnes Euangeliſtæ, qui huius rei meminerunt, ſcilicet Matthæus, Marcus & Lucas poſt hoc Chriſti promiſſum, ſubiungunt ſtatim illud fuiſſe impletum, ſcilicet ſexto pòſt die. Ita

*Secundò.*

*Tertiò. Genuinū.*



Ita S. Hilarius S. Chryſoſtomus, S. Hieronymus S. Ambroſius, Theophylactus, Euthymius, & alij paſſim. Vnde S. Leo ſerm. de Transfigur. *In regno*, inquit, *hoc eſt, in regia claritate*. In transfiguratione enim Chriſtus Apoſtolis dedit ſpecimen gloriæ, claritatis, magnificentiæ, gaudij, & felicitatis, quam obtinebunt Sancti in regno cæleſti, vt per illam animarentur ad labores & dolores Euangelicos ad crucem & martyrium, alioſque ad eoſdem animarent. Ita per illam S. Hieronymus ad eoſdem animat Euſtochum epiſt. 18. de Cuſtodia virg. in fine: *Egredere, ait, paulisper de carcere, & præſentis laboris ante oculos tuos tibi pinge mercedem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Qualis erit illa dies, cùm tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis, cùm poſt rubrum mare ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tympanū tenens præcinet reſponſuris? Cantemus Domino, glorioſè enim honoratus eſt; equum & aſcenſorem proiecit in mare. Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus, tunc & ipſe ſponſus occurret, & dicet: Surge, veni proxima mea, ſpecioſa mea, quia ecce hiems tranſiuit, pluuia abijt tibi. Tunc Angeli mirabuntur, & dicent: Quæ eſt iſta proſpiciens quaſi diluculū, ſpecioſa vt luna, electa vt ſol.* Et poſt nonnulla: *Tunc paruuli, &c. palmas victoriæ ſubleuantes, conſono ore cātabūt: Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domine. Oſanna in excelſis. Tunc centū quadraginta quatuor millia in conſpectu throni & conſpectu ſeniorum tenebunt citharas, & cantabunt canticum nouum.*

# CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò Chriſtus transfiguratur in monte, & Eliam partim veniſſe, partim venturum docet. Secundò v. 14. ſanat lunaticum, aitq; ad hoc opus eſſe oratione & ieiunio. Tertiò, v. 21. prædicat inſtare ſibi paſſionem & mortem. Quartò v. 24 ſoluit didrachma pro ſe & Petro etſi ad id ſe non teneri oſtendat.*

1. ET poſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius,
& ducit illos in montem excelſum ſeorſum: 2. & transfiguratus eſt ante
eos. Et reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut
nix. 3. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes. 4. Re-
ſpondens autem Petrus, dixit ad Ieſum: Domine, bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis facia-
mus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. 5. Adhuc eo lo-
quente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Fi-
lius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipſum audite: 6. Et audientes
diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valdè. 7. Et acceſſit Ieſus, &
tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere. 8. Leuantes autem oculos ſuos,
neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum. 9. Et deſcendentibus illis de monte, præ-
cepit eis Ieſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis
reſurgat. 10. Et interrogauerunt eum diſcipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ di-
cunt, quòd Eliam oporteat primùm venire? 11. At ille reſpondens, ait eis: Elias
quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. 12. Dico autem vobis, quia Elias iam
venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic &
Filius hominis paſſurus eſt ab eis, 13. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioan-
ne Baptiſta dixiſſet eis. 14. Et cùm veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo
genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus
eſt, & malè patitur: nam ſæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam: 15. & obtuli
eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum, 16. Reſpondens autem Ie-
ſus ait: O generatio incredula & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? vſquequò pa-
tiar vos? Afferte huc illum ad me. 17. Et increpauit illum Ieſus, & exiit ab eo
dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora. 18. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad
Ieſum ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illum? 19. Dixit il-
lis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen dico vobis, ſi habueritis fidem
ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil im-
poſſibile erit vobis. 20. Hoc autem genus non eijcitur, niſi per orationem & ie-
iunium. 21. Conuerſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Ieſus: Filius hominis
tradendus eſt in manus hominum: 22. & occident eum, & tertiâ die reſurget. Et
contriſtati ſunt vehementer. 23. Et cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt, qui
didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit di-
drachma? 24. Ait: Etiam. Et cùm intraſſet in domum, præuenit eum Ieſus, di-
cens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum vel cen-
ſum: à filijs ſuis, an ab alienis? 25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Ieſus: Ergo

liberi ſunt filij. 26. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me & te.

*Vers. 1. Luc. 9. 28. Marc. 8. 2.*

A ET POST DIES SEX ASSVMIT IESVS PETRVM, IACOBVM ET IOANNEM FRATREM EIVS, ET DVXIT ILLOS IN MONTEM EXCELSVM SEORSVM] Videtur hîc eſſe analogia cum Luca, qui cap. 9. 28. ait: *Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo.* Reſpondet S. Hieronymus: *Facilis eſt ſolutio, quia hîc medij ponuntur dies, ibi primus additur & extremus.* Matthæus ergo & Marcus non numerant primum diem, quo Chriſtus hæc, quæ audiuimus, dixit, & promiſit ſuam transfigurationem, quia imperfectus erat, nec vltimum & octauum, quia illo manè ſummo transfiguratus eſt Chriſtus, ſed tantùm ſex intermedios; Lucas verò omnes numerat tam plenos, quàm nō plenos & imperfectos, idcircò ait *ferè*. Ita S. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & S. Aug. l. 1. de Cōſenſu Euang. c. 56. Diſtulit Chriſtus promiſſam transfigurationem per ſex dies: *Vt reliqui diſcipuli*, ait Chryſoſtomus, *nihil patiantur humanum, id eſt, aliquem inuidiæ motum, vel vt horum dierum ſpatio vehementiori concupiſcentiâ repleti, qui aſſumendi erant, ſollicitâ mente accederent.*

*Poſt ſex dies transfiguratur Chriſtus. Cur? Prima. cauſa.*

B Secunda cauſa dilationis fuit, quòd Chriſtus volebat transfigurari in monte Tabor, qui à Cæſarea Philippi diſtat 20. leucis ſiue horis. Chriſtus ergo hoc ſpatium ſenſim progrediendo, & more ſuo per villas, pagos & caſtella prædicando confecit ſex diebus. *Secunda.* Tertiam cauſam analogicam dat Rabanus, vt ſignificaretur, quòd poſt ſex mūdi ætates futura ſit reſurrectio, cuius typus & ſpecimen futura erat transfiguratio. *Tertia.* Quartam ſymbolicam dat Origenes, vt ſignificetur, quòd ſolus ille, qui tranſcendit omnes res mundi (hic enim per ſex dies factus eſt Geneſ. 1.) poteſt aſcendere ſuper montem excelſum, & gloriam aſpicere Verbi Dei. *Quarta.* Quintam chronologicam dat S. Hilarius: Poſt ſex dies, ait, gloriæ Dominicæ, ſex millium annorum temporibus euolutis, regni cæleſtis honor præfiguratur. *Quinta.* Multorum enim Patrum & Doctorum ſententia eſt, mundum duraturum per ſex millia annorum, & tum fore iudicium vti dixi in Apocalypſi.

*Cur Petrū Iacobū & Ioannem ſecum aſſūpſit Chriſtus, vt corā eis trāsfiguretur?*

PETRVM, IACOBVM ET IOANNEM] *Ideò hos tres*, ait Chryſoſtomus, *aſſumpſit, quoniam alijs potiores erant*; non enim congruebat tantum myſterium ſtatim initio propalare, & omnibus Apoſtolis oſtendere, ſed ſelectioribus dumtaxat. Selegit ergo hos tres quaſi Apoſtolorum primores, iiſque oſtendit ſuam gloriam, quia iiſdem oſtendere volebat ſuam infirmitatem, & agoniam paſſionis in horto, ne illâ offenderentur, ſed per illam ſcirent Chriſtum gradum facere ad gloriam ſibi oſtenſam. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Remigius, & alij in caput 26. Matthæi. Ex hac enim gloria, & ex voce Patris: *Hic eſt filius meus*, certò ſcire poterant, Chriſtum verè eſſe Deum, ſed deitatem ſuam velo carnis tegere, ac proinde licèt in cruce pateretur & moreretur, deitatem tamen eius non pati, nec mori. Quare eum mortem & crucem ſuſcipere, non ex infirmitate & neceſſitate coactum, ſed ſpontè ex dignatione & charitate ad redimendos homines. Qui enim tantam hîc gloriam corpori communicabat poterat vtique & illud à morte eximere, ſi voluiſſet. Audi Damaſcenum orat. de Transfig. *Petrum aſſumit, volens teſtimonium, quod teſtatus fuerat, ei oſtendere per Patris teſtimonium confirmari, & quaſi præſidem futurum totius Eccleſiæ, ſed Iacobum aſſumpſit tamquam moriturum pro Chriſto; Ioannem verò tamquam Theologiæ puriſſimum organum, vt viſâ gloriâ Filij Dei, quæ non ſubiacet tempori, inſonet illud. In principio erat Verbum.*

*Symbol.*

Symbolicè Hilarius: In tribus aſſumptis, ait, de trium origine, Sem, Cham, & Iaphet, futura electio populi Dei oſtenditur, Anagog. Rabanus: *Tres, ait, ſolummodò diſcipulos ſecum ducit, quia multi ſunt vocati, pauci verò electi. Vel quia qui nunc fidem ſanctæ Trinitatis incorruptâ mente ſeruant, tunc æternâ eius viſione lætantur.*

*Quis hic Iacobus?*

B IACOBVM ET IOANNEM FRATREM EIVS] Fuit ergo hic Iacobus Maior, qui primus Apoſtolorum martyr occubuit. Actor. 12. Lapſus ergo memoriâ videtur S. Auguſt. in c. 2. ad Galat. qui cenſet hunc Iacobum eſſe fratrem Domini: hic enim fuit Minor, & primus Hieroſolymorum Epiſcopus, auctorque Epiſtolæ Canonicæ.

*Myſticè.*

Myſticè hi tres notant triplicis ordinis eſſe eos, quos Deus præ ceteris ſuâ viſione & gloriâ dignatur. Petrus notat charitate feruentes: illâ enim ipſe feruebat. Ioānes virgo notat virgines. Iacobus primus ex Apoſtolis martyr notat patientes & martyres. Rurſum Petrus notat eos, C qui ſunt petræ, id eſt, fortes & conſtantes in fide & virtute. Ioannes notat caſtos. Iacobus, id eſt, ſupplantator notat eos, qui vitia calcant & ſupplantant. Hi enim digni ſunt viſione Dei. Ita S. Anſelmus. Vis ergo videre Deum? eſto Petrus id eſt, firmus in virtute; eſto Ioannes per caſtitatem; eſto Iacobus per vitiorum mortificationē. Hinc rurſum nonnulli cenſent in Petro notari firmā fidem, in Iacobo ſublimem ſpem, in Ioanne ardentem charitatem; hiſce enim quaſi terrenis alis ad Deum ſubuehimur.

IN MONTEM EXCELSVM SEORSVM] Syrus, *ſolos*, vt ſcilicet mons hic ſuâ celſitudine repræſentaret celſitudinem cæli empyrei, & gloriæ cæleſtis; vtque tropologicè doceret, ait Remigius: *Quia neceſſe eſt omnibus, qui Deum contemplari deſi-* D *derant, vt non in infimis voluptatibus iaceant, ſed amore ſupernorum ſemper ad cæleſtia erigantur; & vt oſtendat diſcipulis ſuis, quatenus gloriam diuinæ claritatis non in huius ſæculi profundo quærant, ſed in cæleſtis beatitudinis regno. Ducuntur autem ſeorſum, quia ſancti viri toto animo & fidei intentione ſeparati ſunt à malis funditusque ſeparabuntur in futuro; vel quia multi vocati, pauci verò electi*: Nam, vt ait Beda, qui reſurrectionis fructum expectant, mente in excelſis inhabitare, & continuis precibus debent incumbere.

*Chriſtus transfiguratus. Non in Libano.*

Quæres, quis fuit mons? Communiter cenſent fuiſſe montem Tabor. Refellit hoc Franc. Lucas: Quia, inquit, Tabor eſt in Galilæa: Chriſtus autem non videtur transfiguratus in Galilæa,



A eò quòd Marcus cap. 9. 30. dicat, poſt transfigurationem Chriſtum cum Apoſtolis prætergreſſum eſſe Galilæam: quare videri Chriſtum transfiguratum in Libano monte amœniſſimo, quia Cæſarea Philippi, vbi eam promiſit Chriſtus cap. præcedenti verſ. 13. adiacet Libano. *Sed in Tabor.* Verùm hæc ratio non vrget, nec cogit, vt à ſententia adeò communi recedamus, imò potiùs illi fauet, illamque confirmat: vult enim dicere Marcus, Chriſtum transfiguratum fuiſſe in monte Tabor, qui eſt in Galilæa, indeque deſcēdentem adiacentes Galilææ vrbes, & villas prædicando & ſanando, more ſuo obijſſe & pertranſijſſe, vt ad vrbem ſuam, id eſt Capharnaum, vbi ſedem ad prædicandū fixerat, perueniret, vti mox eum perueniſſe narrat Matthæus verſ. 23. vnde Marcum explicans Matthæus hîc v. 21. ait: *Conuerſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Ieſus.* B Ergo iam verſabantur in Galilæa: ergo in Galilæa transfiguratus eſt Chriſtus, Galilæa enim fuit locus prædicationis, miraculorum & myſteriorum Chriſti. Et Galilæa ſignificat Hebraicè tranſmigrationem, ſcilicet à peccato in gratiam, à terra in cælum, ab ærumna in gloriam. Hæc eſt ſententia Patrum & fidelium, vt videatur Eccleſiæ traditio; ideoque mons Tabor Chriſtianis ſanctus, & peregrinatione celebris effectus eſt, teſte S. Hieronymo ep. 27. omnes enim qui peregrinantur in terram ſanctam, viſitant Tabor, æquè ac Bethleem, montem Caluariæ & Oliueti. Ita ante 1200. annos S. Paula viſitās loca ſancta, viſitauit Tabor: nam vt diſertè ait S. Hieronymus in eius epitaphio: *Scandebat montē Tabor, in quo transfiguratus eſt Chriſtus.* C Sic in Tabor transfiguratum eſſe Chriſtum expreſsè docet S. Cyrillus Hieroſolytanus Catecheſi 12. & Damaſcenus ſerm. de Transfiguratione, Beda & Euthymius, Abulenſis, Maldonatus, Ianſenius, Barradius, Toletus, Brochardus, Adrichomius in deſcript. terræ ſanctæ, & alij paſſim. Confirmat id Damaſcenus ex illo Pſal. 88. *Tabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Hermon enim exultauit, cùm in Baptiſmo Chriſti vocem Patris de cælo audiuit: Tabor verò, cùm eum in ſe transfiguratum vidit, tuncque ait Damaſcenus: Tabor certauit cum cælo empyreo: illius ſimulacrum, & quaſi gloriæ cæleſtis theatrum. Sicut enim Beati vident in cælo gloriam Dei, ſic Apoſtoli viderunt in Thabor gloriam Chriſti. Addit Beda tract. de Locis ſanctis c. 17. in trāſ- D figurationis Chriſti coram Elia & Moſe memoriam, in monte Tabor ædificatas eſſe tres Eccleſias iuxta votum Petri dicentis: *Faciamus hîc tria tabernacula; tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Addit Nicephorus l. 8. c. 30. & ex eo Adrichomius S. Helenam in Tabor ob memoriam transfigurationis pulcherrimum extruxiſſe templum illudque amplis reditibus ad miniſtros alendos dotaſſe. Huic templo duo poſtea acceſſere monaſteria, vnum Græcorum Eliæ conſecratum, alterum Moſi dedicatum.

*Cur? Prima. cauſa.*

Porrò Tabor elegit Chriſtus, vt in eo gloriam ſuam oſtenderet. Primò, quia Tabor vicinus eſt Nazareth, in qua ipſe conceptus eſt, & Verbum caro factum: vicinus quoque eſt Capharnao, vbi habitabat & prædicabat Chriſtus; prædicationem enim ſuam confirmauit in gloria transfigurationis. *Secunda.* Secundò quia mons Tabor vicinus eſt Saron, de quo cecinit Iſaias cap. 35. 2. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron: ibi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* *Tertia.* Tertiò, quia Tabor eſt mons valdè excelſus: Nam, vt ait Ioſeph. lib. 4. de Bello c. 2. altitudo eius eſt triginta ſtadiorum, hoc eſt quatuor ferè milliarium Italicorum; ſtadium enim eſt octaua pars milliaris; continet enim 125. paſſus, cùm milliare contineat mille. *Quarta.* Quartò, quia, vt ait Beda loco citato, mons Tabor in medio Galilææ campo à Geneſareth tribus millibus paſſuum ad Boream diſtat, ex omni parte rotundus & æqualiter aſſurgens, herboſus, floridus, & valdè amœnus; vnde ſpeciem habet paradiſi & cæli. Addit Adrichomius ex Brochardo & Bredenbachio: *Amœnitas Tabor.* Tabor cæli temperie eſt ſaluberrimus; vineis, o- B liuis, varijſque arbuſtis, & fructiferis arboribus totus vndique conſitus: rore perpetuo viuidus, arborum frondibus, verſicoloribuſque herbis ſemper viridis, atque ſuam omnigenum florum odore fragrantiſſimus. Hinc magna ferarum, maximeque auium hîc eſt frequentia, quarum & grato concentu amœniſſimus eſt, & venatu celebris. Denique Tabor eſt mons extruendis ad terram ſanctam defendendam munitionibus aptiſſimus: vnde Iudic. 4. ex Tabor deſcendit Barac, cum ſuis, ac profligauit Siſaram. Porrò in ipſo Dominicæ transfigurationis loco iam hortus eſt arboribus conſitus & fontibus irriguus, qui muro ambitur: quò, qui pedem montis accolunt propter religionem, atque obſeruantiam loci, neminem accedere permittunt. Hucuſque Adrichom. Vnde & à S. Petro epiſt. C 2. verſ. 18. Tabor vocatur mons ſanctus, quia Chriſti transfiguratione, Eliæ & Moſis cum eo colloquio, ac patris de eo teſtimonio conſecratus.

*Etymon. Tabor.*

Symbolicè Tabor Hebr. idem eſt, quod thalamus puritatis & lucis תא *ta* enim eſt thalamus, אור *or* lux, ב *beth* medium ſignificat *in*. q. d. thalamus in luce, id eſt lucis, vel vt S. Hieronymus in c. 5. Oſeę: *Tabor* idem eſt, quod *veniens lumen*, quia in *Tabor* Chriſtus thalamum ſuæ gloriæ & ſplendoris conſtituit. Rurſum Tabor verti poteſt תא *ta*, id eſt thalamus, בור *bor*, id eſt ciſternæ & ſepulchri, ait Pagninus in nomin. Hebraicis quia in Tabor Moſes & Elias locuti ſunt de exceſſu, id eſt morte & ſepultura Chriſti, Luc. 9. 31. Hac enim viâ Chriſto eundum fuit ad gloriam & cælum, eâdemque nobis eundum D eſt. Addit Lucas cap 9. 28. Chriſtum in montem conſcendiſſe, vt oraret, & inter orandum fuiſſe transfiguratum: *Aſcendit*, inquit, *in montem, vt oraret, & facta eſt dum oraret, ſpecies vultus eius altera*; vt nos doceret fructum orationis, ſcilicet in oratione, nos luce cæleſti perfundi, & quaſi trāsfigurari, vt ex terrenis fiamus cæleſtes & diuini; atque ex hominibus Angeli. Huius rei typo, cùm Moſes accepturus tabulas legis, cum Deo colloqueretur in mōte Sina, apparuit ei gloria Domini, eique cornua, id eſt radios ſuæ lucis affixit. Exodi 33. & 34. Ita Hilar. Sed Moſi ab externo putà ab alloquio Dei: Chriſto verò ab interno, hoc eſt à deitate & gloria animæ interna hic ſplendor proceſſit. Sic S. Antonius, S. Ignatius alijque Sancti ex aſſiduo cum Deo in oratione colloquio faciem accepêre ſplendentem, & radios lucis euibrantem.

VERS. 2. Luc. 9. v. 29. Mar. 9. 3.

ET TRANSFIGVRATVS EST ANTE EOS, ET RESPLENDVIT FACIES EIVS SICVT SOL: VESTIMENTA AVTEM EIVS FACTA SVNT ALBA SICVT NIX] Græcè μετεμορφώθη, id eſt, *transformatus eſt*; ita Syrus. Vnde Ouidius & Poëtæ hominum in animalia trãsformationes vocant metamorphoſes. Arabicus; *Oſtendit gloriam ſuam coram eis.*

*Modus transfigurationis Chriſti.*

Quæres quâ ratione & modo tranſfiguratus ſit Chriſtus? Suppono vt certum, non fuiſſe hîc phantaſma, aut phantaſticum quid, ſiue illuſionem imaginariam, quali dæmon ſagas & magos in lupos, porcos, aues, feles transfigurat; ſicque apparet ſubinde ſagis, vt ipſæ putent dicantque ſe cum Angelis colloqui, canere, iubilare. Nil tale potuit eſſe in Chriſto.

Dico primò: Chriſtus non ita transfigurauit ſe coram tribus Apoſtolis, vt eis oſtenderet ſuã diuinitatem, ſicut oſtendit Sanctis in cęlo, itaque eos beat. Hęc enim oculis corporeis per omnem potentiam videri nequit: ita paſſim Patres: quare Tertull. S. Chryſoſt. S. Leo, & Damaſcenus, qui aliter loquuntur, tantùm volunt dicere, Chriſtũ Apoſtolis oſtendiſſe gloriam externam corporis, quæ diuinitatis erat index, vt per eam quaſi per rimam, ſed corpore velatam, aliquo modo gloriam & maieſtatem Deitatis aſpicerent.

Dico ſecundò: Chriſtus in transfiguratione non mutauit vultus ſui eſſentiam aut formam, imò nec figuram, colorem, vel alias qualitates, ſed, vt rectè ait Euthymius, aſſumpſit ingentem ſplendorem quaſi diuinum, vt fulgeret inſtar ſolis, imò vt ſole eſſet auguſtior & fulgidior. Vnde Matthæus explicans *τὸ transfiguratus eſt*, mox ſubijcit: *Et reſplenduit facies eius ſicut ſol*; *&* enim ſignificat *id eſt*. Et Lucas: *Facta eſt*, inquit, *ſpecies vultus eius altera*, ſcilicet luminoſa & fulgida. Ita Patres & Interpretes. Vide S. Thomam 3. p. q. 45. Tranfiguratio ergo dicitur eò quòd Chriſtus in ea figuram, id eſt formam & ſpeciem externam faciei, aſſumpto ſplendore, in clariorem & auguſtiorem transformarit. Nam enim hîc Chriſtus aſſumpſit dotes alias corporis glorioſi, ſcilicet impaſſibilitatis, agilitatis & ſubtilitatis, ſed claritatis dumtaxat; hęc enim ſola Apoſtolis erat viſibilis.

*Totũ Chriſti corpus reſplenduit.*

Vbi nota primò, ſplendorem hunc non aëri, non etiam oculis Apoſtolorum, ſed faciei Chriſti, imò manibus & toti corpori realiter inhæſiſſe, vti diſertè docet S. Hieronymus, epiſt. 61. ad Pammachium contra errores Ioannis Hieroſol. & alij paſſim. Licet enim Abulenſis hîc 47. Salmeron, & Toletus in Lucæ 9. v. 29. putent ſolam faciem Chriſti reſplenduiſſe: hanc enim ſolam nominant Matthæus & Marcus. Meliùs tamen alij paſſim opinantur totum corpus Chriſti reſplenduiſſe; quia plena & perfecta fuit Chriſti transfiguratio: vnde ex corpore in veſtes emanauit: ſub facie ergo, vtpote magis ſpectabili, cetera membra intelligunt Matthæus & Marcus. Ita S. Ephrem orat. de Transfigurat. *Facta ſunt*, inquit, *veſtimenta eius alba. Etenim oſtendit Euangeliſta, quòd ex toto eius corpore eius gloria ſcaturijt: & ex totâ eius carne reſplenduit eius facies, & ex totis eius membris reſplenduerunt radij*, &c. Item: *Chriſtus toto ſuo corpore tamquam ſol ſuis radijs reſplenduit gloria ſua diuinitatis.* S. Auguſtinus (vel quiſquis eſt auctor) l. 3. de Mirab. S. Script. c. 10. *Vt per carnem*, ait, *diuinitas foris illuxit, ſic & caro illuminata de diuinitate per veſtimenta radiauit.* Idem ſentiunt S. Ambroſius in Symb. c. 22. S. Hieronymus iam citatus, S. Auguſtinus 22. de Ciuit. c. 9. Origines in c. 9. Leuit. (qui & addit eo tempore Moſen quoque non in vultu ſolùm, ſed in toto corpore clarificatum fuiſſe) D. Thomas, Barradius, Suarez, & alij, quorum aliqui cenſent ſplendorem hunc totum corpus Chriſti penetraſſe, illudque feciſſe perſpicuum & pellucens; alij meliùs cum Suarez tom. 2. diſp. 42. ſect. 2. putant ſplendorem hæſiſſe in ſuperficie corporis exteriori, idque ſignificat vox *transfiguratio*, id eſt figuræ, quæ in ſuperficie exteriori eſt, immutatio. Porrò ſplendor hic erat cæleſtis, imò pluſquam cæleſtis, ſcilicet diuinus & beatificus, qualis eſt corporum glorioſorum: vnde inſtar ſolis erat aureus, magnificus, elegans, oculoſque ſummè recreans; ac cùm eſſet ſummus, natiuæ effigiei Chriſti conſpectum Apoſtolis non eripiebat: ſecùs eſt de luce noſtra, v. g. ſolari, quæ viſum tam recreat, quàm hebetat.

*Dotes glorioſæ repreſſæ à Chriſto.*

Nota ſecundò, nouum hunc ſplendorem fuiſſe dotem claritatis, quæ vti & ceteræ dotes corporis beati (putà agilitas, ſubtilitas, impaſſibilitas) debitæ erant corpori Chriſti & animæ eius, vtpote beatæ & Deo vnitæ, idque toto tempore vitæ à primo inſtanti conceptionis eiuſdem in vtero Virginis; ſed tamen, vt pati poſſet Chriſtus, & cum hominibus conuerſari: hæc claritas, ceteræque dotes iam dictæ, toto reliquo vitæ eius tempore repreſſæ fuerunt in beata Chriſti anima, ne ex ea per phyſicam, vel potiùs moralem (nam lux animæ eſt ſpiritalis, lux vero corporis eſt longè diuerſa & corporalis) emanationem in corpus ſeſe diffunderet: alioqui enim per corpus, vti lux per laternam emicaſſet. Illa ergo repreſſio miraculũ fuit, hic verò ceſſatio ab hac repreſſione, ac ſplendoris interni in corpus de more emanatio, fuit ceſſatio miraculi: hominibus tamen viſa eſt miraculum, quia noua, & quia eius cauſam ignorabant. Quocirca Chriſtus hãc corporis ſui gloriam, licèt duplici titulo, ſcilicet vnionis hypoſtaticæ, & beatitudinis animæ ſibi debitam, tertio titulo meriti adeptus eſt: per tot enim paſſiones & labores meruit hanc corporis gloriam, eamque in reſurrectione accepit perpetuam, vt paſſim docent Theologi. Nec aliud vult Damaſcenus ſerm. de Transfiguratione, vbi ait Chriſti corpus ſemper habuiſſe gloriam, licèt Apoſtolis abſconditam, in transfiguratione vero eam oſtendiſſe; nam per gloriam intelligit vnionem hypoſtaticam, quæ erat fons & origo omnis gloriæ & claritatis. Idem dico de S. Epiphan. hæreſi 69. & de S. Nazianz. orat. 49. & S. Anſelmo in Elucidario. Quare quòd nonnulli opinati ſunt Chriſtum ſemper has dotes, & hunc ſplendorem in corpore habuiſſe, ſed illum non fuiſſe viſum ab hominibus ob debilitatem viſus humani, ſicut nonnulli dicunt claritatem in corpore beatorum glorioſo fore inuiſibilem oculis mortalium, niſi noua eis vis videndi addatur: hoc inquam, improbabile eſt, cùm illa lux corporis glorioſi ſit corporea & ſumma, ideoque ſummè oculo cuilibet viſibilis.

Denique transfiguratio Chriſti contigit die ſextâ



*Quo die & anno Chriſtus transfiguratus.*

ſextâ Auguſti, quo Eccleſia quotannis illam celebrat. Ita Wandebertus, qui vixit anno Chriſti 850. in ſuo Martyrologio, licèt Petrus Caniſius in ſuo Martyrolog. illam factam dicat die 27. Iulij. Porrò Ammonius, Baronius, Ianſenius, Adrichomius, Suarez, & alij conſentiunt illam accidiſſe anno 33. ętatis Chriſti, qui fuit tertius & vltimus prædicationis eiuſdem: ſequenti enim anno vertente in Paſchate ſub die 25. Martij crucifixus eſt. Vide chronotaxim, quam commentario præpoſui.

*Cur transfiguratus Chriſtus? Reſp. Primo.* *Secundò.* *Tertio.*

Quæres ſecundò, cur transfiguratus ſit Chriſtus? Reſpond. primò vt per hanc claritatem & gloriam, ac per teſtimonium Eliæ & Moſis Apoſtolis diuinitatem ſuam probaret, illamque ſub humanitate occultatam atque velatam oſtẽderet. Secundò, vt præmuniret diſcipulos, ne caderent animo, cùm ipſum viſuri eſſent in monte Caluariæ cruci affixum. Tertiò, vt ſe hac formâ iudicem venturum cum poteſtate magna, & maieſtate indicaret, & quaſi repræſentaret. Ita S. Ephrem, Cyrillus, & Damaſcenus de Transfigur. S. Baſilius in Pſ. 44. & alij. Vnde & Elias apparuit, qui erit præcurſor Chriſti veniẽtis ad iudicium; idem cenſent nonnulli de Moſe.

*Quartò.*

Quartò, vt fidem & ſpem, animumque & zelum Apoſtolorum, ceterorumq; fidelium, ad certamen & cruces quaſlibet pro Euangelio fortiter ſubeundas, ſpe ſimilis gloriæ in reſurrectione obtinendæ excitaret & acueret. Ita S. Leo ſerm. de Transfig. *Transfiguratus eſt*, inquit, *Dominus, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcandalum tolleret, & ne conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentiæ dignitatis.* Et S. Chryſoſtomus hîc, qui addit minimum beatum in cælo maiorem habere claritatẽ & gloriam, quàm Chriſtus hîc; quia Chriſtus illam hîc debilibus oculis, & captu Apoſtolorũ adhuc mortalium attemperauit. Quare quibus hæc gloriæ cæleſtis irradiat veritas, his omnis mundi & pompæ mũdanæ vileſcit vanitas. Quocirca S. Franciſcus dictitabat: *Tanta eſt gloria quam expecto, vt omnis me pœna delectet.*

*Quater fuit Chriſtus transfiguratus.*

Symbolicè: Hæc transfiguratio repræſentauit miras & varias Verbi incarnati, quaſi diuini Protei transformationes. Chriſtus enim quater transfiguratus eſt: Primò in incarnatione, cum Verbum caro factum, in ea quaſi lux in laterna reſplenduit. Secundò in cruce, in qua ita flagris, clauis, ſputis, &c. deformatus fuit, vt de eo dibat Iſaias cap. 53. *Non eſt ſpecies ei neque decor & vidimus eum, & non erat aſpectus.* Tertiò, in reſurrectione, cùm gloria & honore coronatus eſt. Quartò, in Euchariſtia, vbi latens ſub ſpeciebus panis & vini, in eos quaſi transfigurari videtur, tranſſubſtantiatio enim eſt quaſi accidentium transfiguratio.

*Anagog.*

Anagogicè: Voluit hîc Chriſtus dare ideam noſtræ reſurrectionis & gloriæ, in qua ipſe corpus noſtrum reformabit configuratum corpori claritatis ſuæ.

*Tropol.*

Tropologicè: Voluit Chriſtus primò hîc typũ dare transfigurationis animæ peccatis nigræ in lucem gratiæ, per quam Chriſto configuramur. Transfiguratio enim noſtra conſiſtit in configuratione cum Chriſto, vt Chriſto in omni humilitate, charitate, obedientiâ, religione, &c. conformemur, vt ſimus viuæ imagines vitæ & ſanctitatis Chriſti, quaſi noſtri exemplaris: vt cogitemus, loquamur, operemur eâ pietate, grauitate, zelo, quâ Chriſtus; vt quicumque nos viderit, putet ſe in nobis Chriſtũ cernere. Rurſum Chriſtus hîc dat ideam transfigurationis, quâ anima à minori ſanctitate tranſit ad maiorem: Chriſtus enim iam ſanctus transfiguratus eſt, atque hæc transfiguratio ſæpè priore eſt difficilior & rarior: Sancti enim ſæpè ſibi de ſanctitate blandiuntur, & in ea quaſi ſecuri conquieſcunt, nec ad maiorem aſpirant, vti peccatores & pœnitentes aſpirant ad iuſtitiam. Rarius eſt, ait ille Pater, vt à ſanctitate minori ad maiorem, quàm vt à peccato quis ad ſanctitatem transfiguretur. Idem aſſerit S. Bernardus, S. Bonauentura, & alij: hoc tamen ſubinde fit in monte & receſſu cum Chriſto, putà in crebra & feruenti oratione ac meditatione. In ea enim mens illuſtratur à Deo, ac per eã quaſi fiſtulam haurit lumen cæleſte, quo illuſtrata concipit nouos ardores ad reformandos mores, imò vt transformet ſe in Chriſtum, vt cum Paulo dicat: *Mihi mundus crucifixus eſt. Viuo ego iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* Et cum S. Ignatio epiſt. ad Romanos: *Amor meus crucifixus eſt.* Et cum S. Franciſco quinque corporis Chriſti ſtigmata, ſi non corpori, certè animæ ſuę infigat & imprimat medullitùs.

*Oratio animæ transfiguratio. Primo.*

Oratio ergo eſt animæ transfiguratio: Primò, quia in ea anima lumen à Deo accipit, vt clariùs eum, æquè ac ſeipſam, ſuaque omnia cognoſcat & luſtret.

*Secundò.*

Secundò, in ea à Deo petit, impetratque gratiam ad maculas & vitia, quibus deformata eſt, eluenda & reformanda, atque ad tentationes quaſlibet ſuperandas. In ea pro deſolatione accipit conſolationem, ex debili fit fortis, ex pigra feruens, ex perplexa intelligens, ex triſti læta, ex puſillanimi animoſa.

*Tertiò.*

Tertiò, in ea ſupra ſe leuatur, & ad Deum in cælum attollitur, vbi diſcit imo videt res omnes terræ eſſe viles, exiles & fragiles, itaque eas, vt pueriles quaſi ex alto deſpicit & cõtemnit. Cernit enim non niſi in cælo eſſe veros honores, veras opes, veras delicias.

*Quartò.*

Quartò, ibi audit, videtque pariter paruas & exiles eſſe omnes mundi cruces, omnem paupertatem, omnem morbum, omnem famem, omnem perſecutionem. Quare ea omnia fortiter ſuſtinere, & parui æſtimare decernit, dicitque cum Paulo: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, &c. Ergo:

*Etiamſi fractus illabatur orbis,*
*Impauidum ferient ruinæ.*

*Quintò.*

Quintò, in ea vnit ſe Deo: *Quia autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt.* 1. Corinth. 6. 17. Hinc S. Franciſcus orans rapiebatur in altum, ac ſubinde vſque ad altitudinem fagorum, imò vſque ad nubes quaſi ad Deum aſcenſurus, nec aliud dicebat, cogitabat, & amabat, quàm: *Deus meus, & omnia. Da mihi Domine amore amoris tui mori, qui pro amore amoris mei dignatus es mori.* Hoc eſt, quod ait Paulus: *Nos verò omnes reuelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.* 2. Corinth. 3. 18.

*S. Franciſcus orans eleuabatur in altum.*

Deniquè Chriſtum non ſedentem, nec genu flexum, ſed ſtantem fuiſſe transfiguratum innuit Marcus dicens: *Euigilantes viderunt maieſtatem eius & duos viros ſtantes cum eo*, ſcilicet pariter ſtante. Vnde ſequitur Chriſtum non ſublatum in aëra, vti nonnulli pictores pingunt, ſed in terra, illi pedibus inſiſtentem fuiſſe transfiguratum. Ita Thyræus c.9. de Transfig. in fine.

*Fulgor veſtimenti Chriſti in transfiguratione.*

VESTIMENTA AVTEM EIVS FACTA SVNT ALBA SICVT NIX] Aliqui legendum putant *ſicut lux*; nam Græca iam habent ὡς τὸ φῶς, id eſt, *ſicut lux*; ſic & Syrus & Arabicus, accedit Ægyptius, qui vertit: *Et rutilauit facies eius ſicut ſol, veſtimenta quoque ſplenduerũt ſicut forma ſolis.* Æthiopicus: *Veſtimenta eius ſicut cryſtallus.* Verùm noſter cum Perſico ὡς χιών, id eſt, *ſicut nix*, & ſic legunt hîc nonnulli codices, imò omnes Marci 9.2. nix enim propriè dicitur alba, lux verò fulgida; quã quam nix non ſolùm candet, ſed & fulget. Candor enim eius tantus eſt, vt fulgeat, fiatque fulgor. Porrò hic habitus, & color ſymbolum eſt lætitiæ & gloriæ Beatorum. Apoc. 4.4. & paſſim alibi. Abulenſis quæſt. 42. & ſeq. ac noſter Salmeron opinantur veſtibus Chriſti candorem hunc verè & realiter fuiſſe inditum; quare colorem veſtium fuiſſe immutatum, vt, ſi illæ priùs erant nigræ in ſe, factæ ſint albæ; ſin verò priùs erant albæ, vt Abulenſis putat, factas fuiſſe albiores; peractâ verò transfiguratione, eas ad priſtinum colorem & ſtatum rediiſſe. Fauet S. Marcus, dum ait: *Veſtimenta eius facta ſunt ſplendẽtia, & candida nimis, velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram facere candida.* Veſtes ergo Chriſti duo habebant, ſcilicet candorem niueum, quaſi fullonis, & ſplendorem à Deo immiſſum, vtrumque ſupernaturalem: ſplendor enim hic non poterat à carne Chriſti per veſtes, vtpote opacas eminere. Ita ipſi. Alij paſſim cenſent candorem idem fuiſſe cum ſplendore: ſplendor enim eſt candidus, ſed candori addit fulgorem, cumque Deo agente ex carne Chriſti emanaſſe in veſtes, vti fit in corporibus glorioſis, ideoque ſplendorem hunc obruiſſe, & quaſi abſorpſiſſe natiuum veſtium colorem, ſi alius erat, ne tantiſper appareret: quare ſplendor hic in facie & corpore Chriſti erat aureus & fuluus, vti eſt in ſole; transfuſus verò in veſtes factus eſt albus, vti alba apparet luna, cùm radijs ſolis illuminatur, & ipſe ſol per nubes tranſparens apparet albus: magnus enim ſplendor, ſi per obſcurum corpus, quale ſunt veſtes percipiatur, non tam rutilans fulgor, quàm albicans candor apparet; eò quòd obiectu intermedij corporis, radij eius frangantur, & quaſi debilitentur. Ita Tertullianus lib.4. contra Marcion. cap.22. S. Ephrem, & Auctor de Mirabil. Script. iam citati, Euthymius hîc. Alenſis 3.p. q.21. Albertus in Marci & Lucæ c.9. Lyranus, Gloſſa, Caietanus, Frãc. Lucas, Suarez, Lorinus in 2. Petr. 1. v. 16. ſic & Petrus Thyræus de Apparit. Chriſt. lib. 1. de Transfigur. nu. 42. per *candida* intelligit ſplendida: vti & Euangeliſtæ alibi ſplendida vocant candida. Fauet Marcus, cùm ait: *Splendentia & candida nimis velut nix.* Intelligit ergo per ſplendorem candorem inſtar niuis ſplendentem: nam alioqui dixiſſet *candida & ſplendentia.* Plenus erit ſenſus & omnia adęquans, ſi vtramque ſententiam iungas, & vtrumque factum dicas, ſcilicet veſtes Chriſti & factas eſſe candidas vt nix, per candorem niueum quaſi fulloneum illis à Deo de nouo inditum, & pariter ſplendidas per ſplendorem ex facie & carne Chriſti radiante in eas diffuſum. Hoc enim ſignificat Lucas, dicens: *Et veſtitus eius albus & refulgens*, Græcè ἐξαστράπτων, id eſt *effulgurans*, hoc eſt, radios inſtar fulguris euibrans. Vnde liquet non ſolùm candorem niueum in eis fuiſſe, ſed & ſplendorem fulgureum. Candor enim eſt color perfectiſſimus, & lux ſiue ſplendor omnium qualitatum ſenſibilium nobiliſſima, ac fulgur eſt igneum, & rerum omnium efficaciſſimum. Ita Barradius & Toletus.

*Candor eſt color perfectiſſimus.*

*Tropolog.*

Tropologicè: Veſtes Chriſti ſunt ſancti: hi enim eum ornant vt veſtes, ſuntque candidi & frigidi vt nix, quia caſti, & puritate fulgidi. Ita S. Gregorius 32. Moral. cap. 7.

VERS. 3. Luc. 9.30. Mar. 9.4.

ET ECCE APPARVERVNT EIS MOYSES ET ELIAS CVM EO LOQVENTES] Quæres, cur hi duo præ alijs Prophetis apparuerunt? Reſpond. Maldonatus, quia hi duo præcedent ſecundum Chriſti aduentum ad iudicium, qui erit cum magna maieſtate, cuius proinde typum & figuram dedit Chriſtus in hac ſua transfiguratione: de Elia id verum eſt, ſed falſum de Moſe, vti oſtendi Apoc. 11. verſ. 3. & 4. vbi probaui Enoch venturum cum Elia contra Antichriſtum, non Moſen.

*Moſes & Elias apparuerunt. Cur?*

Dico ergo cauſam fuiſſe, quod Moſes fuerit legiſtator legis veteris; Elias verò princeps prophetiæ & prophetarum: quare ipſe repræſentauit totum Prophetarum chorum. Hi ergo duo apparuerunt, vt oſtenderent Chriſtum verè eſſe Meſſiam, Saluatorem mundi à ſe in lege & Prophetis promiſſum. Per Moſen igitur oſtenditur lex, per Eliam prophetia in Chriſtum conſpirare, ac vtramque iam officio ſuo perfunctam terminari, & dare locum Chriſto nouo legiſlatori, & Prophetæ à Deo miſſo; atque per omnes Prophetas, ac nominatim per Moſen promiſſo Deuter. 18. 18. *Prophetam*, inquit, *ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem ſibi, & ponam verba mea in ore eius*, &c. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Ambroſius, & Euthymius. Addit S. Hieronymus l.2. contra Iouin. Moſen & Eliam hanc viſionem meruiſſe, quia æquè vt Chriſtus 40. diebus ieiunarunt in monte. Hinc Tertullianus, Origenes, Nazianzenus, & alij cenſent hanc viſionem humanitatis Chriſti in transfiguratione repræſentatam (æquè ac repræſentata fuit Eliæ in ritu auræ tenuis, quo ſe illi oſtẽdit Deut. 3. Reg. 19. ait Abulenſis) & promiſſã fuiſſe Moſi à Deo cùm ei cupienti petentique faciem Dei videre, Deus reſpondit, dixitque: *Poſteriora mea videbis, faciem autem meã videre non poteris.* Exodi 33. 23. Quod in ſenſu litterali verum eſſe nequit, ſed tantùm in ſymbolico, vti ibidem oſtendi. Nam in ſenſu literali Moſes vidit ibidem dorſum Dei in corpore luminoſo & glorioſo, ab Angelo Dei vicario aſſumpto: quæ viſio, teſte S. Hilario, fuit typus transfigurationis Chriſti, in qua Moſes vidit gloriam humanitatis Chriſti.

*Cauſa potiſſima.*

*Sex aliæ cauſæ.*

Sex alias cauſas dat S. Thom. 3.p. quæſt. 45. art. 3. ad 2. quas audi: Prima eſt hæc, quia enim turbæ dicebant eum eſſe Eliam, vel Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarum



ſecum ducit, vt ſaltem hinc appareat differentia ſeruorũ & Domini.

*Secunda.* Secunda ratio eſt, quia Moyſes legem dedit, Elias pro gloria Domini ęmulator fuit: vnde per hoc, quod ſimul cum Chriſto appareat, excluditur calumnia Iudæorum accuſantium Chriſtum, tamquam tranſgreſſorem legis & blaſphemũ, Dei ſibi gloriam vſurpantem.

*Tertia.* Tertia ratio eſt, vt oſtendat ſe habere poteſtatẽ mortis & vitæ, & eſſe iudicem mortuorum & viuorum, per hoc quod Moyſen iam mortuum, & Eliam adhuc viuentem ſecum ducit.

*Quarta.* Quarta ratio eſt, quia ſicut Lucas dicit: *Loquebãtur cum eo de exceſſu, quem completurus erat in Ieruſalem*, id eſt, de paſſione & morte ſua; & ideò, vt ſuper hoc diſcipulorum animos cõfirmaret, inducit eos in medium, qui ſe morti expoſuerunt pro Deo. Nã Moyſes cum periculo mortis ſe obtulit Pharaoni: Elias verò regi Achab.

*Quinta.* Quinta ratio eſt, quia volebat, vt diſcipuli ſui æmularentur Moyſi mãſuetudinem, & zelum Eliæ.

*Sexta.* Sextã rationem addit Hilarius, vt oſtenderet ſcilicet ſe per legem, quã dedit Moyſes, & per Prophetas; inter quos fuit Elias præcipuus, eſſe prædicatum. Denique Elias æquatur Moſi affectu, nõ effectu: plura enim geſſit Moſes, quàm Elias. Audi S. Ambroſium lib. 1. de Iacob & vita beata c. 8. *Operationes*, inquit, *bono commendantur affectu. Neq; enim minùs beatus Elias, quàm Moyſes; cùm alter cibi indigus, melotide vili ſine filijs, ſine ſumptu, ſine comite: alter populi ductor, lætus ſobole, ſuccinctus potentiã, diuerſo genere meritum æquale fundauerint, quando cum Domino in reſurrectionis gloria refulſerunt. Videtur enim parẽ his quaſi paribus gloriæ ſuæ teſtibus dediſſe mercedẽ*

*An in propria perſona Moyſes & Elias apparuerint.*

Quæres, quâ ratione & modo hîc apparuerit Moſes & Elias? De Elia omnes conueniũt, ipſum in proprio corpore apparuiſſe; Elias enim raptus eſt curru igneo in cælũ, & adhuc viuit vt veniat, certetque pro Chriſto contra Antichriſtum. Ex paradiſo ergo vel loco, in quem à Deo trãſlatus eſt, Elias ſubitò per Angelum tranſlatus fuit in montem Tabor, ibiq; in transfiguratione Chriſti extitit collocutor & teſtis. De Moſe variæ ſunt ſententiæ, quas recenſui Deuter. vlt. verſ. 5.

*Moſes etiã in propria perſona apparuit.*

Certum eſt, vt ibi oſtendi, Moſen eſſe mortuum, nec hucuſque reſurrexiſſe. Quare nonnulli putabant hîc non Moſen verum apparuiſſe, ſed Angelum in ſpecie & forma Moſis. Verùm hoc falſum eſt, imò erroneum, ait Suarez, quia Moſes inducitur hîc vt teſtis Chriſti: teſtis autem in propria perſona debet ferre teſtimonium. Vnde nemo interpretum eſt, qui dicat non fuiſſe Moſen, ſed Angelum, niſi Gloſſa in Lucæ c. 9. v. 30. quam S. Thomas deſumptam putat ex auctore de Mirabil. S. Script. lib. 3. c. 10. & 13. ſed hic auctor nil tale habet, imò aſſerit omnium ſententiam eſſe, quòd fuerit verus Moſes. Probabiliùs ergo Ianſenius opinatur hanc Gloſſam petitam eſſe ex S. Auguſt. lib. de Curã pro mortuis, vbi dubitat Auguſt. an mortuorum apparitiones verè fiant per ipſos, an per Angelos, an potiùs, inquit, per vtroſque, non tamen dubitat de Moſe noſtro hîc; imò Caluinus licèt dicat probabile eſſe, fuiſſe ſpectrum Moſis; tamen addit probabilius eſſe, fuiſſe veram animam Moſis. Moſis igitur anima è limbo per Angelum tranſlata eſt in terram, ibique egreſſa, venit in Tabor ad Chriſtum; aſſumpſit corpus, vel aëreum formãte illud Angelo, vt volunt Lyranus, Salmeron, Abulenſis, & Thomas 3. part. quæſt. 45. art. 3. ad 2. vel certè proprium corpus reſumpſit, & reſurrexit, ita vt anima Moſis à limbo per Angelum deducta ſit ad eius ſepulchrum, ibique collectis ab Angelo Moſis cineribus Deus illis animam Moſis inſeruerit & vniuerit, vt verus viuuſque fuerit Moſes, quem idem Angelus ex ſepulchro tranſtulit in Tabor. Decebat enim vt in hoc Chriſti teſtimonio omnia eſſent vera & ſolida; & ſic Chriſtus hîc reſuſcitando Moſen, oſtendit ſe iudicem & dominum viuorum eſſe & mortuorum. Sic opinantur Tertullianus, Origenes, Iren. & alij, quos citat & ſequitur Suarez 3. p. quæſt. 45. diſp. 22. ſect. 2. ac Petrus Thyræus de Apparit. Chriſti, lib. de Transfigur. c. 3. Paragraph. 36. quorum vterque multis rationibus probabilibus idipſum confirmat. Si hoc ſequaris, cenſeaſque Moſen reſurrexiſſe, neceſſe eſt vt dicas eum rurſum eſſe mortuum, ac rurſus cum alijs poſt Chriſti reſurrectionem reſurrexiſſe: nam primus reſurgentium ad vitam immortalem fuit Chriſtus.

Nota: Chriſtus Moſi & Eliæ ſuum ſplendorem & gloriam afflauit & communicauit, æquè ac veſtibus ſuis. Vnde Lucas ait. cap. 9. 31. *Erant autem Moſes & Elias viſi in maieſtate*, Græcè ἐν δόξῃ, id eſt, *in gloria.* Ita Tertullianus, Origenes, Damaſcenus, D. Thomas, Abulenſis, & alij paſſim. Oportebat enim, vt viderent Apoſtoli conſeruorum gloriam, vt fortificarentur in laboribus. Denique hac de cauſa, ait Beda de locis Sanctis, in Tabor ædificata fuère duo monaſteria, vnum in honorem Moſis, alterum in honorem Eliæ.

*Duo monaſteria in monte Tabor.*

*Quemnam exceſſum dicebant?*

CVM EO LOQVENTES] Lucas addit: *Et dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Pro exceſſum Græcè non eſt ἔκστασις, quaſi ſignificetur hic extaticus amor Chriſti, qui eum adegit ad paſſionem & crucem, vt aliqui pij hîc imaginantur; ſed eſt ἔξοδος, id eſt exitus, ſcilicet ex Ieruſalem, & ex hac vita per mortem crucis in monte Caluariæ, quem Moſes & Elias hîc audientibus Apoſtolis prædixerunt Chriſto, vt ſcandalum & horrorem crucis Chriſti, tam ijs, quàm nobis eximerent. Vnde nonnulli cum Chryſoſtom. pro ἔξοδον, legunt δόξαν, id eſt gloriam: nam in cruce maximè Chriſtus ſuam poteſtatem & gloriam oſtendit: vnde tunc ſol obſcuratus eſt, petræ ſciſſæ ſunt, terra contremuit, &c. Porrò ſermo ipſorum cum Chriſto familiaris fuit de rebus notis, non diſciplinalis, non doctrinalis; ſed tamen didiciſſe aliquid teſtes potuerunt; & Chriſtus aliquid cognouiſſe ab ipſis ſingulare. Quid verò? Illi tempus paſſionis: hic grati animi ſignificationem, & præterea deſiderium, quo petierunt perfici opus redemptionis humanę. Eſt & hoc probabile, quòd gratias egerunt Domino, tamquam inſigni humani generis redemptori: & propoſitis eximijs fructibus, Dominum ad ſumendum paſſionis calicem animarint; quemadmodum in horto animauit Angelus. Ita Thyræus.

VERS. 4. Luc. 9. 35. Mar. 9. 5.

RESPONDENS AVTEM PETRVS, DIXIT AD IESVM DOMINE, BONVM (iucundum, ſuaue, & beatum) EST NOS HIC ESSE. SI VIS, FACIAMVS HIC TRIA TABERNACVLA; TIBI VNVM

MOYSI

Moysi vnvm et Eliæ vnvm] Petrus hîc gloriâ exultans, & quaſi ebrius volebat in ea hærere & permanere, vt iugiter illâ frueretur; vnde Arabicus vertit: *Bonum eſt vt maneamus hîc.* Votum hoc Petri impleuêre poſteri, ædificantes in Tabor tres Eccleſias, teſte Bedâ. Sapienter Damaſcenus: *Non eſt*, inquit, *tibi bonum, ô Petre, quòd Chriſtus ibi moretur: non enim obtineres claues regni, nec mors abolita eſſet tyranni, ne quæras ante tempus felicia, vt Adam deificationem.*

Tropologicè ludens in hiſce verbis more ſuo S. Bernardus ſerm. 6. de Aſcenſ. *Quomodo*, inquit, *iam bonum eſt nos hîc eſſe? Imò verò moleſtum eſt, graue eſt, periculoſum eſt. Nimirum, vbi malitiæ plurimũ ſapientiæ modicum; ſi tamen vel modicum inuenitur, vbi viſcoſa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obſeſſa laqueis peccatorum, vbi periclitantur animæ, vbi ſpiritus affliguntur ſub ſole, vbi tantùm vanitas & afflictio ſpiritus eſt*: Rurſum Theohylactus: Ne dixeris, inquit, cum Petro: Bonum eſt nos hîc eſſe: nam oportet ſemper proficere, & non permanere in vno gradu virtutis & contemplationis, ſed ad alia tranſire.

*Vnde agniti Moſes & Elias. Prob. Primo.*

Quæres, vnde Petrus agnouit hos duos loquentes cùm Ieſu eſſe Moſen & Eliã? Reſpond. primò potuiſſe eũ ipſos agnoſcere ex colloquio cum Chriſto. Videtur enim Moſes dixiſſe Chriſto: Salue Meſſia ſaluator noſter. Tu es ille, cuius paſſionem ego tot ſacrificijs, ac pręſertim occiſo agno, & perfecto Paſcha pręfiguraui. Elias verò: Tu es cuius reſurrectionem ego in filio viduæ, quem ad vitam reuocaui; ac cuius aſcenſionem ego curru igneo raptus in cælum repræſentaui, &c. Fortè etiam Chriſtus eos, aut ipſi ſe inuicem ſuis nominibus appellabant & nominabant.

*Secundo.*

Secundò, potuit eos agnoſcere Petrus ex ſpecie & habitu quâ eorum imagines pingebantur, vel (ſi hæc pictura imaginum ob metum idololatriæ, non erat apud Iudæos in vſu) certè deſcribebantur in S. Scriptura & Traditione Maiorũ: v.g. Elias agnoſci potuit ex zona pellicea & melote, quâ veſtiri ſolebat 4. Reg. 1. Moſes ex facie cornuta, imò ſi Drutmaro hic & Origeni id aſſerenti credimus apparuit Moſes cum tabulis legis, Elias cum curru igneo.

*Tertio.*

Tertiò, & maximè eos agnouit Petrus ex inſpiratione diuina. Ita Tertullianus, & alij ſuperiùs citati.

Quæres, cur Petrus petijt fieri tria hæc tabernacula, cùm Beati non egeant tabernaculis? Reſpond. Petrum hoc dixiſſe ſub finem transfigurationis, cùm iam Moſes & Elias pararent abitum, vt eos retineret, ne abirent. Nam Lucas ait: *Et factum eſt, cùm diſcederent ab illo*, ſcilicet Moſes & Elias à Ieſu, *ait Petrus ad Ieſum: Bonũ eſt nos hîc eſſe, faciamus*, &c. q.d. O quàm ſuaue & delectabile eſt in hac viſione commorari! quare, ô Chriſte, ne patiaris Moſen & Eliam diſcedere, ac, vt eos retineamus, faciamus eis habitaculum & tabernaculum cuique ſuum, in quo commorentur. Non meminit tabernaculi ſui, Iacobi & Ioannis, quia, vt dixi, Moſen & Eliam abeuntes volebat retinere: vnde de ijs, non de ſe & ſocijs erat ſollicitus. Addit Abulenſis quęſt. 64. Petrum cogitaſſe, quod eodem tabernaculo, quo Chriſtus, vtpote eius diſcipuli exciperentur; aut certè, vt Lyranus, Petrus ſibi deſtinabat tabernaculum Chriſti, Iacobo tabernaculum Moſis, Ioanni tabernaculum Eliæ. Addit Marcus: *Nõ enim ſciebat quid diceret*; & Lucas: *Neſciens quid diceret.* q.d. Petrus dulcedine huius viſionis ebrius, vt eam continuaret, quaſi rationis impos dicebat incongrua, mente aberrabat, & quaſi delirabat.

*Petrus neſcit præ gaudio quid petat. Primo.*

Idque primò, quia putabat Chriſtum glorioſum, item Moſen & Eliam egere tabernaculis, ijſque tribus, quaſi vnum tribus non ſufficeret, Rurſum Moſen & Eliam æquabat Chriſto.

*Secundo.*

Secũdò, quia oportebat Chriſtum in Tabor manere, nec redire ad diſcipulos; quare Chriſtum, qui eſt bonum vniuerſi, concludere volebat in hoc monte. Rurſum felicitatem quærebat in terra, quæ eſt locus exilij & ærumnarum, cùm illa quærenda ſit in cælo; hoc enim nobis eſt patria & paradiſus.

*Tertio.*

Tertiò quia Chriſtum à prædicatione, paſſione, & cruce; ac conſequenter à redemptione mundi auocabat, ſuam voluptatem præponens ſaluti omnium hominum, & voluntati Dei.

*Quarto.*

Quartò, quia adhuc mortalis & paſſibilis, ſolus cum Iacobo & Ioanne beatitudine perfrui volebat, ad quam tamẽ Deus per Chriſtum innumeros poſt hanc vitam perducere deſtinarat.

*Quintò.*

Quintò, quia volebat gloriam ante laborem, coronam ante certamen, brauium ante meritum, gaudium ante paſſionem & crucem; cùm priùs oporteret Chriſtum & Chriſtianos pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Lucæ 24. Crux enim eſt via & ſcala ad felicitatem; &

*Dulcia non meruit, qui non guſtauit amara.*

*Gloria laboris filia.*

Hinc Chriſtus per ſummum crucis opprobrium ſummam adeptus eſt gloriam. Hinc & Poëta gloriam laboris filiam nuncupat, ac viciſſim S. Gregorius in Iob cap. 7. verſ. 2. labores vocat pignora gloriæ.

*Sextò.*

Sextò, quia felicitatem in viſione gloriæ humanitatis Chriſti, non vero in viſione deitatis collocabat. Si ergo Petrus conſpexiſſet diuinitatis gloriam, & gaudiorum bonorumque omniũ abyſſum, quid dixiſſet? Hæc enim Petri viſio & voluptas erat ſenſibilis & corporea, eratque dumtaxat vna mica, ſtilla & gutta reſpectu voluptatis & gaudij, quod percipiunt Beati in videndo & fruendo Deo, cùm in eo quaſi in mari deliciarum ſe immergunt, eoque abſorbentur; iuxta illud Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Porrò viſio hæc gloriæ Chriſti, Moſis & Eliæ in diſcipulis magnam ciebat non ſolùm voluptatem, ſed & admirationem & reuerentiam, ac ſacrum quemdam horrorem. Vnde Marcus ait: *Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.*

Vers. 5. Luc. 9. v. 34.35. Marc 9.7.

Adhvc eo loqvente, ecce nvbes lvcida obvmbravit eos] *Obumbrauit*, id eſt circumdedit, & complexu ſuo cinxit eos, ſcilicet Chriſtum, Moſen, Eliam, & tres Apoſtolos, inquit Abulenſis, ita vt cerni non poſſent: quia nubes ampla erat, & valdè denſa, æquè ac fulgida & coruſcans.

*Nubes obumbrans: quos? & cur? Prima ſententia.*

Nota: Lucas c. 9. 34. ſic habet: *Hæc autem illo* (Petro) *loquente facta eſt nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem*, quod Toletus ſic ex Damaſceno explicat, q.d. Dum Petrus dicit: *Faciamus hîc tria tabernacula*, nubes ei contradicens ſe mediam interpoſuit inter Chriſtum, Moſen & Eliam ex vna parte, & diſcipulos



los ex altera, itaque *obumbrauit eos*, ſcilicet diſcipulos, vt fulgor Chriſti oculos diſcipulorũ perſtringens, hac nubis vmbrâ intermediâ temperaretur, itaque faciliùs à diſcipulis conſpiceretur: *Et timuerunt intrantibus illis in nubem*, id eſt timuerunt diſcipuli, cum viderent nubem complecti Chriſtum Moſen & Eliam, ſe verò ab illis per nubem excludi: *Timuerunt*, inquam, quia videbant ſe extra nubem illâ obumbratos, ac ſolos deſeri, ne ſi quid mali eis eueniret, nullum haberent, qui eis ſuccurreret. Vel *timuerunt*, ne Chriſtus cum Moſe & Elia abiret aliò, vel raperetur in cælum, vti olim raptus erat Elias curru igneo. Cum Toleto conſentit Petrus Thyræus libr. de Apparit. Chriſti, tract. de Transfigurat. can. 4. n. 16. Eſtque hæc ſententia probabilis.

*Secunda.*

Secundò, Barradius cenſet, nubem veniſſe poſt diſceſſum Moſis & Eliæ; nam ante v. 33. dixerat de ijs Lucas: *Et factum eſt, cùm diſcederent ab illo.* Tunc ergo *nubes obumbrauit eos*, ſcilicet Chriſtum cum diſcipulis, qui ſoli manſerunt reliqui; ideoque *timuerunt*, quia viderunt ſe in nubem ingredi, illáque ſe vndique cingi, neſcientes quid inde eis euenturum eſſet.

*Tertia. & optima.*

Tertiò, optimè Franc. Lucas cenſet hanc nubem obumbraſſe, id eſt, vmbrâ ſuâ circumdediſſe, & cinxiſſe tam Chriſtum, Moſen & Eliam, quàm tres diſcipulos vtpote Chriſto vicinos; ſed ita vt circa Moſen & Eliam ſe condenſans, eos in ſe intrantes complectens, ex oculis diſcipulorũ ſubduxerit, & abduxerit, vti cẽſet Euthymius, & Syrus, qui pro *intrantibus illis in nubem*, vertit: *Cùm viderent Moſen & Eliam, qui ingrediebantur nubem*; ideoque *timuerunt*, vti explicabo v. 6. ſic & nubes ſuſcipiens Chriſtum aſcendentem in cęlum, ſubduxit eum ab oculis Apoſtolorum. Actor. 1. quod ergo paulò antè dixit Lucas: *Et factum eſt, cùm diſcederent ab illo*; ſic intellige *cùm diſcederent*, id eſt, cum diſceſſum pararent, cùm ſignum darent abitus, cùm Ieſu valedicerent, quaſi mox abituri. Mox enim ſuperuenit nubes, quæ eos complexa ſeorſim duxit & abſtulit. Vnde Arab. vertit: *Et cùm vellent diſcedere ab eo.*

*Nubis officium quale hîc? Primo.*

Quæres, vnde, & cur hæc nubes? Reſpondetur: Facta eſt à Deo per Angelum ex condenſatione aëris & vaporũ, vt per eam corrigeret Petri votum de tribus tabernaculis fabricandis, oſtendendo Chriſtum ijs non indigere, vtpote cuius thronus ſit nubes lucida & glorioſa. Quocirca veriſimile eſt Petrũ, Iacobum & Ioannẽ fuiſſe intra hanc nubẽ, non extra; tum quia vicini erant Chriſto, vt dixi, erantque de eius domo & familia: tum quia nubes hęc, ſi ſolum Chriſtum complexa fuiſſet, debuiſſet eſſe valdè parua & demiſſa; iam autem magna fuit & alta, vt eſſet ſymbolum magnitudinis, celſitudinis, & magnificentiæ Dei: tũ quia ideò à Chriſto hi tres Apoſtoli erant adducti in Tabor, vt eſſent teſtes certi apud ceteros Apoſtolos & fideles eorum, quæ in nube circa Chriſtum gerebantur, ac pręſertim vocis Dei Patris: *Hic eſt Filius meus.* Ergo hęc corã & clarè, ſine velo & nube ſpectare, & audire debebant, vt eſſent oculati & auriti teſtes omni exceptione maiores.

*Nubes eſt velum Dei.*

Porrò nubes eſt ſymbolũ, æquè ac velũ gloriæ Dei. Hinc olim in nube, quia ipſa cæleſtis eſt, & imperuia viſu, ſolebat Deus incomprehenſibilem ſuam maieſtatẽ, quaſi obtectam eminùs, & velut per vmbram Hebræis demonſtrare, vt patet Exodi c. 19. v. 9. cap. 24. v. 15. & cap. 34. v. 5. Vnde nubes vocatur aſcenſus, ſiue vehiculum Dei. Pſ. 103. 3. item tabernaculum, thronus, & ſedes non tantùm maieſtatis, ſed & omnipotentiæ, ſummęque efficaciæ Dei, nam ex nubibus in hoſtes iaculatur grandines, turbines, tonitrua, fulmina. Pſal. 17. verſ. 12. & ſeqq. Pſal. 67. verſ. 35. Pſal. 88. verſ. 7. hinc & Chriſtus cum maieſtate iudicaturus orbem veniet in nubibus cæli Matth. cap. 24. verſ. 30. Nubes hæc ergo voci Dei Patris fuit quaſi inſtrumentum: Chriſto, decus & ornamentum: Moſi & Eliæ, vehiculum: Apoſtolis, vmbraculum.

*Secundò.*

Addit Abulenſis quęſt. 75. & ex eo Thyræus, nube hac tegi voluiſſe Chriſtum, vt ea tegeretur, dum deponeret ſplendorem transfigurationis ſuæ, ne id viderent Apoſtoli, ſicut non viderunt eius initium, cùm primò illum aſſumpſit; quia dormiebant.

*Tertiò.*

Addit tertiò S. Ambroſius in cap. 9. Lucæ, quòd nubes hæc ſplendorem corporis Chriſti, quem alioqui fragiles Apoſtolorum oculi ferre nõ potuiſſent, moderata eſt, & temperauit.

*Chriſtus an noctè, an manè trãsfiguratus?*

Porrò ex nube hac opinatur Toletus in Lucæ cap. 9. v. 34. Chriſtum transfiguratum fuiſſe nocte, tempore ſomni: vnde Apoſtolorum oculos grauatos fuiſſe, ait Lucas, ideoque mirabiliorem apparuiſſe Apoſtolis Chriſti transfigurationem. Splendor enim tantus mirabilior eſt noctu, quàm diu. Veriſimiliter quoque alij putant manè in aurora Chriſtum eſſe transfiguratum; tum ne viderentur eſſe hæ præſtigiæ, & ſpectra nocturna; tum quia Chriſtus venit ad opera lucis; Apoſtolorũ autem oculi grauati erant ex fatigatione, vt inferiùs dicam verſ. 8. Denique aurora eſt confinium lucis & tenebrarum, eſtque amœna, ideoque gloriæ ſymbolum.

*Nubes fuit lucida. Cur? Reſp. Primo.*

Lucida fuit primò; quia gloriæ Chriſti erat index: vnde Caietanus cenſet lucem nubi huic afflatam à luce & ſplẽdore corporis Chriſti; aut potiùs, quia per eam maieſtas & gloria Patris loquentis repræſentabatur. Vnde Petrus epiſt. 2. cap. 7. verſ. 17. nubem hanc vocat magnificam gloriam Patris ex ea loquentis, qui tamen per eamdem ornabat, & augebat gloriam transfigurationis Chriſti: fuit ergo nubes hæc plena maieſtatis & gloriæ.

*Secundò.*

Secundò, vt ſignificaretur differentia legis veteris & nouæ. In veteri enim Deus apparebat Hebræis in nube caligínoſa, quia illa lex plena erat vmbris & terroribus: in noua verò apparet in nube lucida, quia lex noua veritatem affert, claritatem & amorem. Ita S. Chryſoſtomus Theophylactus, & Damaſcenus de Transfiguratione.

Et ecce vox (Dei Patris ad Chriſtum) de nvbe, dicens: Hic est Filivs mevs dilectvs, in qvo mihi complacvi, ipsvm avdite] Nota primò cum S. Chryſoſtomo, Ambroſio, Toleto, Ianſenio, & alijs, patêre ex Luca cap. 9. verſ. 33. & ſequ. hanc vocem ex nube altiùs à terra eleuata (vnde S. Petrus epiſt. 2. cap. 1. ait *de cælo*) inſonuiſſe poſt diſceſſum Eliæ & Moſis idque hoc fine, vt Apoſtolis clariſſimum eſſet & certiſſimum, hanc vocem ad ſolum Chriſtum dirigi, non ad Moſen, vel Eliam, vtpote iam abſentes. Vox hæc,

cùm

cùm fuerit opus *ad extra*, vt loquuntur Theologi, formata eſt à tota S. Trinitate per Angelum (his enim quaſi miniſtris ad exteriora opera vtitur Deus. Hebr. 1. vlt.) vt repræſentaret Deum Patrem: in huius enim perſona Angelus formauit hanc vocem, vti & illam: *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Exodi 20.

*In transfiguratione ſymbolum S. Trinitatis.* Nota ſecundò hîc, ęquè ac in baptiſmo Chriſti, ſymbolicè repræſentatam fuiſſe S. Trinitatē. Nam Spiritus ſanctus apparuit in nube, Pater in voce, Filius in diuino ſplendore & gloria, in quo pariter apparebat Verbi incarnatio. Videbatur enim Chriſtus homo; & per ſplendorem vocemque Patris ſignificabatur idem eſſe Deus, Deique Filius. Spiritus ſanctus per nubē adumbratus eſt; quia ipſe vt nubes fulgida hominem illuminat, tegit, obumbrat, fœcundat ad omne opus bonum. Ita S. Ambroſius, Origenes, Beda, & S. Thomas. Adde quod idem beat, & glorificat. Hinc in baptiſmo Chriſti Spiritus ſanctus apparuit in ſpecie columbæ, quia in baptiſmo dat innocentiam: in transfiguratione verò, quæ eſt typus reſurrectionis, apparuit in ſpecie nubis, quia tunc dedit, dabitque ab omnibus malis ſecuritatem. Paulò aliter Beda: illic, ait, Spiritus ſanctus in columba, hîc in nube, quia qui fidem ſimplici corde ſeruat, clarè poſteà, quod credidit, videbit.

Hic est Filivs mevs] *Duo grata vocabula*, inquit B. Cyprianus ſerm. de Baptiſmo, *filius & dilectus*, ipſo Deo dictante, *noſtris ſenſibus imprimuntur; vt communio nominum nos aſſociet collegio munerum, & tanta dulcedinis nomina noſtrum emolliant animum, accendantq; deuotionis affectum*. Porrò *non dixit* (*Deus Pater*) *in hoc eſt filius meus, ne alter ab altero ſeorſum per ſe poſitus, hoc eſt, diuiſus intelligatur, ſed quò ſecundùm diſpenſatoriam vnionem vnus idemq; ſimpliciter accipiatur: hic ait, eſt filius meus*, ait Concil. Epheſ. ex proſphonet. Cyril. ad Imperat.

Dilectvs (Syrus, *dilectiſſimus*. Alludit ad illud Pſal. 28. 4. *Vox Domini in magnificentia*, &c. *& dilectus, quemadmodum filius vnicornium*, quod de Chriſto per multas vnicornis & Chriſti analogias expoſui 2. Petri 1. verſ. 17.) in qvo mihi complacvi] In quo omnem & ſummam habeo complacentiam, qui ſolus mihi infinitè placet, propter quem mihi placent quicumque placent. Vide dicta Matth. 3. 17.

Ipsvm avdite] Non Moſen, qui iam abijt, ſed ipſum Chriſtum, quaſi nouum legis nouæ legiſlatorem. *Audite*, ipſique & eius mandatis per omnia credite, & obedite. Alludit ad Deuter. 18. 15. vbi Moſes de Chriſto ait: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*. In baptiſmo Chriſti non fuit dictum: *Ipſum audite*, quia tunc primùm mundo demonſtratus fuit Chriſtus, hîc verò propoſitus fuit vt doctor & legiſtator. Igitur teſte Tertulliano, S. Leone Damaſceno, & alijs ſuperiùs citatis, ſignificatur hîc abrogatio legis veteris & nouæ inſtitutio. Item Chriſti paſſio in exceſſu, quam de Chriſto loquebantur Moſes, & Elias, eiuſque reſurrectio, aſcenſio, & gloria repræſentatur in ipſa transfiguratione, infernus verò & limbus in Moſe, qui è limbo prodit in Tabor.

Vers. 6. Et avdientes discipvli, cecidervnt in faciem svam, et timvervnt valde] *Timent Apoſtoli. Primò.* Primò, quia nubes hæc videbatur eis nouum quid, magnum, & diuinum parturire. *Secundo* Secundò quia, vt habet Syrus, videbant Moſen & Eliam abeuntes intrare in nubem, ac per eam ex oculis eorum euaneſcere. Timebant enim, ne Moſes è nube fulmina & tonitrua iacularetur, vti olim fecerat accipiens à Deo, & dans populo legem in Sina. Exodi 19. 16. ac ne Elias è nube iacularetur ignes, vti olim fecerat 4. Reg. 1. 10. *Tertiò.* Tertiò, *audientes timuerunt*, quia vox è nube, ait Abulenſis, inſtar tonitrui fortiter, ſed ſuauiter reſonans, & reboans eos terrefecit & perculit. Ita S. Ephrē orat. de Transfigur. *Ad hanc*, ait, *vocem proni ceciderunt Apoſtoli in terram erat enim tonitru terribile. Quamobrem voce eius tremuit terra, & ij ceciderunt in terram*. Sic ille. *Humana fragilitas*, ait S. Hieronymus, *conſpectum maioris gloriæ ferre non ſuſtinet, ac toto animo ac corpore contremiſcens, ad terram cadit*. Addit Origenes, S. Chryſoſtomus, & Euthymius eos timore percullſos cecidiſſe in faciem, vt Deum adorarent, illique ſupplicarent, ne ſcilicet fulmen aut tonitru eos afflaret, vel aliud quodpiam malum in eos ingrueret.

Vers. 7. Et accessit Iesvs, et tetigit eos, dixitqve eis: Svrgite, et nolite timere] Apoſtolos tres, quos Dei intonantis vox & maieſtas proſtrauerat, Chriſti humanitas erigit, vt erectos rurſum ſiſtat Deo. Ad hoc enim venerat ipſe, qui eſt mediator Dei & hominum.

Vers. 8. Luc. 9. v. 36. Marc. 9. 8. Levantes avtem ocvlos svos, neminem viderVnt nisi solvm Iesvm] Diſparuerat ergo nubes cum Elia & Enoch. Ieſus quoque tranſactâ iam transfiguratione, in priſtinam faciei formam & figuram redierat.

Symbolicè: Significabatur diſparuiſſe legem & Prophetas, vmbraſque legis veteris præſente Chriſto, ipſique locum ceſſiſſe, ac ipſum ſolum ſupereſſe qui veram Euangelicæ legis lucem hominibus afferat. Vnde Origenes: *Facti*, inquit, *fuerunt vnum Moſes, id eſt lex, & Elias, id eſt Prophetæ, conuerſi ambo in Euangelium Chriſti, & non ſicut priùs fuerant tres, ſic & manſerunt, ſed tres vnum ſunt facti*; qui tranſierunt in Chriſtum, ſicut lex & Prophetæ in Euangelium. Rurſum citò tranſit hæc gloria, & delectatio transfigurationis, vt oſtenderet Chriſtus omnia in hoc mundo, etiam excelſa & diuina eſſe breuia, ſed in cælo fore æterna, vt ad illud anhelemus; in terra enim omnia menſurantur tempore (quod fluxum eſt & breue) in cælo verò ſtabili æternitate.

*Ordo totius transfigurationis.* Nota: Hiſtoriam transfigurationis variè narrant S. Matthæus, Marcus, & Lucas; ſed hęc fuit rei geſtæ ſeries & ordo, qui Euangeliſtas omnes inter ſe conciliat. Primò, Chriſtus orauit: interim diſcipulis ex labore conſcenſi montis, & ex prolixitate orationis Chriſti ſomno grauatis, ac dormientibus transfiguratus eſt Chriſtus. Secundò, acceſſerunt Moſes & Elias, loquentes cum Chriſto de exceſſu (morte crucis) quem completurus erat in Ieruſalem. Tertiò, Apoſtoli è ſomno, hoc fulgore & colloquio excitati, viderunt gloriam Chriſti, cum eoque colloquentes Moſen & Eliam. Quartò, finito hoc colloquio, cùm ſignum darent abitus, S. Petrus hac voluptate quaſi ebrius, dolēs eos parare abitum, petijt fieri tria tabernacula, vnum Chriſto, ſecundùm Moyſi, tertium Eliæ. Quintò ſuperuenit nubes ſubducens Moyſen & Eliam, cum voce ad Chriſtum: *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. quibus territi S. Petrus, Iacobus & Ioannes ceciderunt in terram, ſed mox à Chriſto confortati & erecti, leuantes oculos ſuos, ſolum viderunt Ieſum. Interim Moyſes ad limbum, Elias ad locum ſuum per Angelum, vti adductus, ita & reductus eſt.



Vers. 9. Luc. 9. 36. Mar. 9. 9. Et descendentibvs illis de monte, præcepit eis Iesvs dicens: Nemini dixeritis visionem, doneg Filivs hominis a mortvis resvrgat] *Nemini*, non tantùm plebeio, vt vult S. Hieronymus, ſed & Apoſtolo, ne cui ex eis triſtitiæ, & inuidiæ cauſam daret, dolenti ſcilicet, quòd cum Petro, Iacobo & Ioanne transfigurationi non interfuiſſet. Ita Damaſcenus, qui ait: *Ne proditorem inuidiæ rabies in furorem ageret*. Vnde Marcus capit. 9. ait ipſos ita feciſſe: *Et verbum continuerunt*, inquit, *apud ſe*. Idē aſſerit Lucas. *Cur Chriſtus ſilentiū de ſua transfiguratione indicit.* Cauſa cur Chriſtus eis ſilētium indixerit vſque ad reſurrectionem fuit, quia tunc erat futurum tēpus opportunum hoc myſterium reuelandi, tuncque illud intellecturi & credituri erant Apoſtoli, quando poſt paſſionem & mortem, in qua ſcandalizādi erant & turbandi, iam peractam, viſuri erant ipſum reſurgentem in gloria, cuius hæc transfiguratio erat typus. Vnde S. Hieronymus: *Non vult*, inquit, *hoc*, ſcilicet transfigurationem, *in populis prædicari, ne & incredibile eſſet pro rei magnitudine, & poſt tantam gloriam, apud rudes animos ſequens crux ſcandalum faceret*. Sic & S. Chryſoſtomus, Beda & alij. Ex reſurrectione enim Chriſti certò cogniturі erant, Chriſtum non coactum, ſed ſponte ex nimio amore pro nobis crucem & mortem ſubijſſe, ac iam gloria donatum, cum eadem iudicem venturum in fine mundi, eademq; gloria coronaturum eos, qui ipſius exemplo & præcepto ſeſe abnegauerint, crucem tulerint, ipſumque ſecuti animas ſuas eius amore perdiderint.

Tropologicè Chriſtus crucis ſuę opprobrium propalans, gloriam verò transfigurationis abſcōdens, docet nos celare dotes & dona Dei nobis collata vſque ad mortem, vti Paulus celauit ſuas reuelationes 2. Corinth. 12. 6. ne ob ea laudati intumeſcamus, & ob ſuperbiam illis priuemur. Vnde Eccleſ. cap. 11. 30. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*. Cauſas ibi dixi.

Vers. 9. Mar. 9. 11. *Cur de Elia venturo Chriſtum interrogant hic diſcipuli?* Et interrogavervnt evm discipvli dicentes: Qvid ergo Scribæ dicvnt, qvod Eliam oporteat primvm venire?] Occaſio huius interrogationis fuit, quòd tres hi Apoſtoli in transfiguratione viderint Eliam, eumque abeuntem conſpexerint. Mirantur enim, cur diſceſſerit, cùm manere debuiſſet vt Chriſtum Chriſtique regnum & gloriam pręcurreret, iuxta vaticinium Malachię cap. 4. 6. quod citabant docebantque Scribæ; ſed errabāt in confuſione temporum: Non enim diſtinguebant primum Chriſti in carne aduētum à ſecundo eius aduētu glorioſo ad iudicium. Hūc enim ſecundum aduentum pręcurret Elias, ſicut Ioannes Baptiſta pręcucurrit primū. Verùm Apoſtoli, etſi primum Chriſti aduentum à ſecundo diſtinguerent, viderant enim primum, at necdum viderant ſecundum, tamen & hunc propediem fore ſperabant: quia enim audierant à Chriſto fieri mentionem reſurrectionis ſuæ imminentis, eiuſque typum viderant in transfiguratione, putabant (ſed falsò) poſt eam ſtatim Chriſtum glorioſè regnaturum, ac regnum gloriæ ſuæ, quod fiet in ſecundo aduentu, illicò initurum, ideoque mirantur & rogant, cur Elias abierit & non māſerit, vt illum præeat & præcurrat. Ita S. Hieronymus, Maldonatus, Ianſenius.

At ille respondens ait eis: Elias qvidem veniet, et restitvet omnia] Vers. 11. Mar. 9. 12. Id eſt, Iudæos ad Chriſtum quaſi Meſſiam, ipſis & patribus promiſſum conuertet, quod Malachias c. 4. 6. ait: *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*, Vide ibi dicta. Nam ibi Septuag. quos more ſuo ſequitur hîc Matthęus, pro *conuertet* vertunt ἀποκαταστήσει, id eſt, *reſtituet*, Vnde Arabicus vertit: *Docebit vos omnia*.

Dico avtem vobis qvia Elias iam venit, et non cognovervnt evm, sed fecervnt in eo qvæcvmqve volvervnt. Sic et Filivs hominis passvrvs est ab eis] Vers. 12. Mar. 9. 13. Salit Chriſtus à literali Elia ad myſticum, id eſt, Ioannem Baptiſtā, iuxta Canonem 23. de Baptiſta enim Angelus Gabriel prędixerat patri eius Zachariæ Lucæ 7. 17. *Ipſe præcedet ante illum* (Chriſtum) *in ſpiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam*.

Perperam ergo Caluiniſtæ hæc omnia referunt ad primum Chriſti aduentum, & Eliā eumdem vtrobique (verſ. 11. & 12.) accipiunt ſcilicet Ioannem Baptiſtam. Cenſent enim Eliam, quem Malachias c. 4. v. 5. prędixit venturum eſſe Ioannem Baptiſtam Pręcurſorem Chriſti, nec alium venturum, qui cum Enoch præcurrat ſecundùm Chriſti ad iudicium aduentum, quos multis refutaui Malach. 45.

Voluit enim Chriſtus hîc dumtaxat explicare illud Scribarum Axioma ex Malachia deſumptum; *Elias veniet, & vobis oſtendet Chriſtum*, quod Malachias dixerat de ſecundo Chriſti aduentu, etiam myſticè poſſe applicari primo ſuo aduentui. Scribæ enim non diſtinguebant primum aduentum à ſecundo, vti etiamnum non diſtinguunt Iudæi, ideoque Chriſtum veniſſe negant, & venturum expectant, quia nondum apparuit Elias eum oſtendens: vt ergo Chriſtus Scribis plenè & planè condeſcendat, & ſatisfaciat, concedit Eliam aliquem præcurſurum vtrumque Chriſti aduentum, ſed in primo fore typicum, in ſecundo literalem & verum Eliam. Vult enim dicere, non per hoc, quod necdum venerit Elias, ſtare quò minùs Iudæi in ſe quaſi Meſſiam credant, ſed per hoc, quòd peruerſi ſint & obſtinati in ſua malitia; Elias enim ille, qui ante primum Meſſiæ aduentum promiſſus fuerat, id eſt, Ioannes Baptiſta iam venerat, & Meſſiam Scribis digito oſtenderat: ſed illi Ioāni credere noluerant: Vnde ſubdit Chriſtus: *Et non cognouerunt eum*, id eſt noluerunt agnoſcere, ipſum eſſe percurſorem & indicem Chriſti à Deo miſſum, *ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt*, id eſt, eum ſua vitia taxantem, ex ira & odio perſecuti ſunt, & tradiderunt Herodi, qui eum quærebat ad necem, ac tandem occidit ipſis applaudentibus. Matth. 4. verſ. 12. & cap. 14. verſ. 5. 9. 10. *Sic & Filius hominis paſſurus* (Syrus, *vim paſſurus*) *eſt*

*ab eis*, id eſt pari modo me ipſorum ſcelera caſtigantem, perſequuntur, & perſequentur, crucifigent, & occident.

VERS. 13. TVNC INTELLEXERVNT DISCIPVLI, QVIA DE IOANNE BAPTISTA DIXISSET EIS] Quòd ipſe eſſet Elias myſticus, & præcurſor Chriſti.

VERS. 14. ET CVM VENISSET AD TVRBAM, ACCESSIT AD EVM HOMO GENIBVS ANTE EVM PROVOLVTVS (Græcè γονυπετῶν αὐτῷ, id eſt, *accidens ei ad genua*, velut ſupplex, & ſupplicans pro ſalute filij) DICENS] Lucas cap. 9. 17. addit: *Factum eſt autem in ſequenti die deſcentibus illis de monte* (Tabor) *occurrit illi turba multa.* Vnde patet poſtridie transfigurationis, hunc lunaticum à Chriſto eſſe ſanatum.

*Miraculum lunatici ſanati.*

VERS. 15. Luc. 9. v. 38. 39. Mar. 9. v. 17. 18. 22. DOMINE MISERERE FILIO MEO, QVIA LVNATICVS EST, ET MALE PATITVR] Miſerè affligitur. Græcè σεληνιάζεται, id eſt, lunationibus afficitur, iuxta lunæ mutationes, epilepſiâ corripitur, in plenilunijs, & nouilunijs morbo comitiali agitatur, non à natura, ſed à dæmone, qui eum obſidet. Arabicus: *Vexatur valdè in principijs lunationum.* Vnde Marcus cap. 9. 17. ait: *Magiſter attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum mutum* (cauſaliter, quia filium faciebat mutum) *qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit*, vti faciunt epileptici. Et Lucas cap. 9. 40. *Reſpice*, ait, *in filium meum, quia vnicus eſt mihi: & ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubitò clamat, & diſſipat eum cum ſpuma & vix diſcedit dilanians eum.* Hinc Origenes S. Chryſoſtomus, & Hieronymus hîc docent, Epilepſiam communem non tam lunæ & humorum commotioni, quàm dæmoni eſſe tribuendam, qui ad eam lunæ mutationibus, & incrementis vel decrementis vtitur. Vnde Mahomet auctor Mahometiſmi, epilepſiâ laborans, fingebat ſe corripi, docerique à Spiritu ſancto, cùm ageretur à dæmone. Hinc etiamnum Turcæ epilepticos, quaſi actos Spiritu ſancto, & fatidicos venerantur, cùm ab humoribus à luna commotis id contingat. Luna enim in nouilunio & plenilunio auget & commouet humores, præſertim melãcholicos, & phlehmaticos cerebri, quibus ipſa dominatur; itaque facit vt illi cerebrum turbent, ac clamores, ſpumas, & totius corporis agitationes & colliſiones excitent. Qui enim maniâ & epilepſiâ laborant, ex atrabile, id eſt, ex melancholia, maximè illa exagitantur in plenilunio, quia luna tunc plus luminis & caloris affert, ſed debilioris quàm ſit ſolis: hic autem atram bilem reſoluit, & commouet, nec tamen conſumit: atra verò bilis commota ciet has ſpumas, clamores, & ſtridores. Epileptici vero ex pituita, ac crudis, & incoctis humoribus magis exagitantur decreſcente lunâ, & maximè in nouilunio, quia tunc luna minimum habet luminis & caloris; pituita autem & pituitoſi humores maximè creſcunt per frigus, præſertim immoderatum. Vide Franc. Valeſium ſacræ Philoſoph. capit. 71. Vide etiam quæ dixi cap. 4. 24. Tropologiam lunatici afferam in fine verſ. 21.

*Lunatici qui, & vnde?*

*Epilepſia dæmoni adſcribenda.*

*Mahomet epilepticus, inde epilepticos venerantur Turcæ.*

*Mania ex melancholia in plenilunio.*

*Ex pituita in nouilunio.*

NAM SÆPE CADIT IN IGNEM ET CREBRO IN AQVAM] Dæmon enim eum agit *in ignem*, vt comburat; *in aquam*, vt mergat & ſuffocet.

VERS. 16. Luc. 9. 40. Mar. 9. 18. ET OBTVLI EVM DISCIPVLIS TVIS, ET NON POTVERVNT CVRARE EVM] Culpam ſuam; putà fidei defectum, tranſcribit in Apoſtolos more hominum. Cauſam, cur non potuerunt, affert Chriſtus v. 20. & 21.

VERS. 17. Luc. 9. 41. Mar. 9. 19. RESPONDENS AVTEM IESVS AIT: O GENERATIO INCREDVLA (Arabicus, *infidelis*) ET PERVERSA, QVOVSQVE ERO VOBISCVM? VSQVEQVO PATIAR VOS? AFFERTE ILLVM AD ME] Origenes cenſet hæc dici ad nouem Apoſtolos, qui, tribus cum Chriſto in Tabor aſcendentibus, in valle cum turba, remanſerant: nam hi ſoli lunaticum hunc curare tentauerant eo tempore, quo tres reliqui cum Chriſto transfigurando in montem ſeceſſerant. In hiſce enim nouem videtur fides Chriſti ſatis fuiſſe imminuta, tum quia in eius præſentia nulla ſigna & miracula edebant, ſed tantùm cùm abſentes ab eo in miſſione verſabantur; tum quia Chriſto in monte cum tribus commorante, reliquis nouem quaſi cum plebe derelictis, torpor quidam fidei obrepſerat, ait S. Hilarius, tum quia à patre lunatici audiebant, imò oculis cernebant mali magnitudinem, & dæmonis in lunatico furentis vim & rabiem. Verùm meliùs S. Hieronymus, Hilarius, Chryſoſtomus, Theophylactus cenſent hæc dicta patri lunatici, ac Iudæis & Scribis: in hos enim magis incredulitas, & conſequenter culpa non eiecti dæmonis conferenda, quàm in diſcipulos, vt ſat colligitur ex Marco cap. 9. verſ. 22. & 23. vbi pater rogatus à Chriſto, an in ſe crederet, ait: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Licet & Apoſtolos minoris, quam in re tanta opus erat, fidei priuatim Chriſtus arguat verſ. 20. Iudæis ergo & Scribis ait Chriſtus. *O generatio incredula & peruerſa*, id eſt, diſtorta, neſciens rectis incedere greſſibus, ait S. Cyrillus, q.d. O duri & rebelles Iudæi, durorum & rebellium ab olim patrum filij, quaſi duritiem innatam, & à patribus inſitam accepiſtis, qui cum videritis me tot, tantaque miracula patrare, tamen in me non creditis, imò illa ſugillatis, quaſi per Beelzebub facta, vti vobis perſuadẽt Scribæ; quid hîc ago vobiſcum? quouſque improbos veſtros mores, ſannas & calumnias tolerabo? quouſque beneficia & miracula mea in vos incredulos, & ingratos profundam & perdam? Cauſa; cur diſcipuli mei non potuerint curare filium tuum, ô Iudæe, non eſt impotentia mea vel illorum. Dedi enim eis poteſtatem eijciendi dæmones: ſed cauſa eſt incredulitas tua & tuorum Iudæorum, quæ obicem ponit gratiæ Dei; quia non credis, ſed hæſitas, & dubitas, an ego & illi poſſimus illum curare. Ita S. Cyrillus. Sunt verba Chriſti indignantis ad Scribarum & Iudæorum pertuicaciam, duritiem & cæcitatem; ſed mox motum hunc reprimit, & viſcera miſericordiæ ſibi conſueta aſſumit & exerit, ſanatque lunaticum perinde ac medicus, ait S. Hieronymus, ſi *ægrotum videat contra ſua præcepta gerere, dicat: vſquequo ad domum tuam accedam? quouſque artis perdam induſtriam, me aliud iubente, & te aliud perpetrãte? In tantum autem non eſt iratus homini, ſed vitio & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis, vt ſtatim intulerit: afferte eum ad me.*

*Quoſnam hic corrigit Chriſtus?*

AFFERTE HVC ILLVM AD ME] Addit Marcus fuſiùs rem geſtam enarrans cap. 9. 19. *Et attulerunt eum. Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus* (malus, putà dæmon poſſidens lunaticum) *conturbauit*, exagitauit, *illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans.*





*ſpumans.* Dæmon poſtquam ſenſit Dominum, cõcutit puerum, ait Titus Boſtrenſis in Lucæ ca. 9. nam irritatus præſentiâ Ieſu, eumque metuens, ne ab eo expelleretur, cœpit furere, & lunaticum horrendè vexare & torquere. Pergit Marcus. *Et interrogauit* (Chriſtus) *patrem eius: quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? at ille ait, ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquas miſit, vt eum perderet; ſed ſi quid potes* (ecce incredulitatem, quam Chriſtũs taxauit; dubitat enim de potentia Chriſti) *adiuua nos miſertus noſtri. Ieſus autem ait illi: Si potes credere omnia poſſibilia ſunt credenti.* q.d. Credendo in me poteris à me impetrare ſanitatem filij. Congruè Chriſtus exegit fidem in ſe: non enim congruebat, vt non credentes vel dubitantes de ſe curaret, ac beneficia ſua indignis à ſe auerſis obtruderet. Pergit Marcus. *Et continuò exclamans pater pueri cum lachrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* q.d. Credo, ſed in fide ſum infirmus & debilis, tu ergo eam adauge & robora, vt per eam quidquid in me eſt incredulitatis vel hæſitantiæ, auferatur; itaque merear obtinere à te hoc ſanitatis benificium. Non dubium eſt, preces tam humiles & feruentes exaudiſſe Chriſtum, omnemque incredulitatem ei exemiſſe: nam mox filium eius, vtique iam credentis, ſanauit.

VERS. 18. Luc. 9. 42. Mar. 9. 25. 27. ET INCREPAVIT ILLVM IESVS, ET EXIIT AB EO DÆMONIVM, ET CVRATVS EST PVER EX ILLA HORA] Marcus addit: *Et cùm videret Ieſus concurrentem turbam* (vt illam per hoc miraculum induceret ad credendum in ſe, quaſi in Meſſiam) *comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus* (qui hominem hunc feciſti ſurdum & mutum) *ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum: & exclamans, & multùm diſcerpens exijt ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, vt multi dicerent, quia mortuus eſt. Ieſus autẽ tenens manum eius eleuauit eum, & ſurrexit.* Hinc patet valdè potentem & malignum fuiſſe hunc dæmonem. qui auſus fuit Chriſto adeò reſiſtere & obſtrepere vt lunaticum penè ad mortem adegerit. Quocirca veriſimile eſt, eum nõ fuiſſe ex infimo Angelorum ordine, ſed ex aliquo ſuperiori: & hi enim homines inuadũt & poſſident: vnde dæmones in obſeſſis per exorciſmos adiurati, fatentur ex quo ordine ſint & ſubinde altiorẽ nominant. Hac de cauſa diſcipuli Chriſti non potuerunt eũ eijcere, ſed eiectio hæc ſeruabatur Chriſto, qui magna vi, imperio, & molimine eũ expulit. Hoc enim eſt Græcum ἐπετίμησεν, id eſt, increpauit, & increpando ac comminando imperauit dæmoni, dicendo: *Ego præcipio tibi, exi ab eo*, quod ni feceris, ego acriter te puniam, ac inuitum ex homine extrudam. Hinc & Chriſtus Apoſtolis rogantibus, cur eum non potuerint eijcere, ait: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio*, vt habet Lucas.

*Hic dæmon non erat ex minimis.*

VERS. 19. Mar. 9. 28. TVNC ACCESSERVNT DISCIPVLI AD IESVM SECRETO ET DIXERVNT: QVARE NOS NON POTVIMVS EIICERE ILLVM?

VERS. 20. Luc. 17. 16. Inf. 21 v. 21. Mar. 11. 23. DIXIT ILLIS IESVS: PROPTER INCREDVLITATEM VESTRAM] Arabicus: *Propter paruitatem fidei veſtræ.* Habebant Apoſtoli fidem; ſed ad dæmonem tam potentem & ferum eijciendum maior requirebatur fides, quæ Apoſtolis deerat: vnde Syrus verſum ſequentem ſic vertit: *Si fuiſſet in vobis fides inſtar grani ſinapis, diceretis monti huic, decede, & decederet.*

AMEN QVIPPE DICO VOBIS, SI HABVERITIS FIDEM SICVT GRANVM SINAPIS DICETIS MONTI HVIC (Tabor, ex quo deſcendo: ità Abulenſis) TRANSI HINC ILLVC, ET TRANSIBIT ET NIHIL IMPOSSIBILE ERIT VOBIS] Hæc eſt fides miraculorum, quæ non eſt diuerſa à fide iuſtificante, vt volunt hæretici, ſed eadem: vna enim tantùm eſt fides, Epheſ. 4. 50. Eſt tamen hæc fides coniuncta cum certa fiducia diuinæ opis ad miraculum quod tentatur patrandum; quæ fiducia oritur primò ex libertate ſanctæ & familiaris Deo cõſcientiæ, quæ familiariter quaſi Deo vtitur, & ad theſauros gratiæ eius penetrat, vt illis fruatur; iuxta illud 1. Ioan. 3. 21. *Si cor noſtrũ non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Sic S. Dominicus impetrabat à Deo quidquid petebat.

*Fides miraculorum eſt fiducia vnde?*

Secundò, ex interno Dei inſtinctu quaſi animantis, excitantiſque homines ad hoc opus prodigioſũ, ac tacitè promittentis ſuam opem ad illud perficiendum. Vide Franc. Suarez tract. de Fide diſp. 8. ſect. 1. vbi docet fidem miraculorum quoad ſubſtantiam, & eſſentiam eſſe actum Catholicæ fidei, quo credimus Deum eſſe omnipotentem & fidelem in promiſſis, ita elicitũ & applicatum ad hoc particulare factum, vt poſſit generare fiduciam illam neceſſariam ad patrandum miraculum: vnde collige, quòd ſicut hæc fides & fiducia eſt in arbitrio & poteſtate noſtra cũ gratia Dei (quam ipſe dare ſolet) ſic & eſt quodammodo in poteſtate noſtra facultas faciendi miracula, ac quò quis magis creſcit in fide & fiducia, eò magis & creſcit in hac facultate: quò quis enim Deo eſt familiarior, eò plura ab eò impetrat, idque ſignificat hic Chriſtus, & idipſum patet ex vita & praxi Sanctorum. Sic S. Bernardus docet, nos poſſe potiri dono prophetiæ, vt ſciamus ſecreta Dei, ſi videlicet inſinuemus nos in intimam Dei amicitiam, de hac enim Chriſtus ait Ioan. 15. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.* Abſolutè tamen poteſt hæc fides eſſe ſine charitate. Vnde Paulus: *Si habuero*, ait, *omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatẽ autem non habuero nihil ſum.* 1. Corinth. 13. 2. Vide ibi dicta. Quomodo fidei tribuenda ſit operatio miraculorum, docet D. Thomas de Potentia, q. 9. art. 9.

FIDEM SICVT GRANVM SINAPIS] id eſt, fidem exiguam ſpecie, ſed inſignem virtute & efficaciâ, ſcilicet fidem humilem, nec ſe iactantem, ideoque paruam hominum iudicio, ſed in ſe viuam, acrem, vehementem, perfectã, ardentem inſtar grani ſinapis, non enim ſolùm à paruitate, vti feci cap. 13. 31. ſed & ab acredine fidem hanc comparat grano ſinapis: hæc enim humilitati iuncta, tollit omnem incredulitatis vmbram, hæc eſt thaumaturga & trãsfert montes: ex aduerſo miraculorũ patrationem impedit æquè ſuperba præſumptio, atque incredula diffidentia. Ita Origenes & Beda. Hæc fides eluxit in S. Gregorio Neocæſareæ Epiſcopo, qui montem templi fabricam impedientem, hac fide orando aliò tranſtulit, teſte Nyſſeno in eius vita, & Euſeb. lib. 7. Hiſtor. cap. 25. pluraque alia miracula patrauit: vnde *Thaumaturgi*, id eſt, mi-

*Fide transfert montes.*

*Exempla.*

*S. Gregorij Thaumaturgi. Chriſtianorum in Tartaria. S. Hilarione.*

raculorum opificis cognomen accepit. Simili ſide ſimilem montem in Tartaria fuiſſe tranſlatũ, cùm Tyrannus id exigeret à Chriſtianis ex hoc Chriſti promiſſo, narrant Epiſtolæ Afraticæ, & Marcus Paulus Venetus in Tartaria. Simile exemplum narrat S. Hieronymus de S. Hilarione in eius vita. Hic enim, cùm mare per terræmotũ exundans vndarum moles & montes gurgitum littoribus inferret, itaq; minaretur vrbi Epidauro excidium, à ciuibus ſtatutus in littore quaſi obex maris, *cùm tria crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manuſq; contra tenderet incredibile dictu eſt, in quantam altitudinem intumeſcens mare ante eum ſteterit, ac diu fremens & quaſi ad obicem indignans, paulatim in ſemetipſum relapſum eſt. Verè illud quod ad Apoſtolos dictum eſt: Si credideritis, dicetis huic monti: Tranſi in mare, & fiet, etiã iuxta litteram impleri poteſt. Quid enim intereſt, vtrùm mons deſcendat in mare, an immenſi vndarũ montes repente obriguerint, & ante ſenis tanquam pedes ſaxei, ex alia parte molliter fluxerint.* Hucuſque S. Hieronymus.

*Mons eſt tentatio.*

Myſticè: mons eſt grauis tentatio, præſertim ambitionis & ſuperbiæ, vti docet S. Hieronymus, quæ maximè vincitur fide & ſpe, puta orãdo, ſibi diffidẽdo & fidendo Deo: vnde S. Franciſcus magnâ & moleſta tentatione ſpiritus pulſatus, intendens orationi, cum lachrymis audiuit è cælo vocem: *Franciſce ſi habueris fidem vt granum ſinapis, & dixeris monti vt tranſeat, tranſibit.* Ignarus ille ſenſus oraculi, clamans addidit: *Domine qualis hic mons?* Cui reſponſum: *Mons eſt tentatio.* Et Frãciſcus magno lachrymarum impetu ſubiunxit: *Fiat mihi Domine ſicut dixiſti*: ac ſtatim ſublatâ omni tentatione, perfectam obtinuit ſpiritus tranquillitatem. Ita Waddingus in Annalibus Minorum anno Chriſti 1218. nu. 2.

*S. Franciſcus.*

VERS. 12. Mar. 9. 9.

HOC AVTEM GENVS NON EIICITVR NISI PER ORATIONEM ET IEIVNIVM] Eſt ſecunda ratio, cur diſcipuli nõ potuerint eiicere hoc dæmonium: prima enim fuit ob incredulitatem petentium, & paruam fidem Apoſtolorum.

*Dæmones qui difficiliùs expellantur?*

Nota Primò, *hoc genus* non ſignificat omne dæmonum genus, vt vult S. Chryſoſtomus & Euthymius, ſed certum, ſcilicet altioris ordinis, potẽtiſſimum, peruerſiſſimum, obſtinatiſſimum, malitioſiſſimum, quale erat hoc hominem obſidens, eumque faciens lunaticum & epilepticum, ac mirè diſtorquens & exagitans, adeoque nunc in ignem, nunc in aquam eum proiiciens, & perdere volens, idque ab infantia. Ita Salmeron, Iãſenius, Maldonatus & alij. Addit Abulenſis qu. 172. apud Iudæos peſſimum fuiſſe habitum dæmonem ſurdum & mutum, vti hic erat, idq; colligit ex eo, quòd Iudæi mirati ſunt à Chriſto eiici dæmonem ſurdum & mutum; dixeruntque: *Numquam apparuit ſic in Iſrael*, vt patet Matth. 9. 33. Et cap. 12. verſ. 22. & 23. Cauſa eſt, quòd neſcias, quid cum ſurdo & muto agere debeas, quâve ratione eum iuuare: Cùm enim ſit ſurdus, nil eorum, quæ rogas, intelligit: cùm ſit mutus, nihil reſpondet. Ita Thyræus libr. de Dæmoniacis, part. 4. cap. 51. qui & addit difficiliùs expelli eos, quibus à Deo data eſt poteſtas maior in corpus hominis, vti huic lunatico data fuit. Sũt enim alij dæmones minùs validi, minuſq; pertinaces, & rebelles, nec adeò maligni, vti ſunt ioculares illi Lares & Lemures, qui ſpecie paruulorum in domibus habitabant, ac noctu ſuos iocos, vanos ſtrepitus, & tumultus ſimileſque ludicras terrificationes exercẽt. De quibus vide Delrio in Magicis, & Petrum Thyræum lib. de Terrificationibus nocturnis.

*Sunt aliqui dæmones minùs validi & minùs maligni vt Lemures.*

*Ieiunij & orationis vis.*

Nota Secundò, hoc genus dæmonum nõ niſi oratione & ieiunio expelli: tum quia hæc duo hominem à carne eleuant ad Deum, eumque faciunt ſpiritalem, imò quaſi Angelum carne & dæmone ſuperiorem: tum quia oratio poſtulat, & ieiunium meretur hanc fugationem, & ex ſe dæmonem cruciãdo fugat. Ita S. Chryſoſtomus: Ieiunium, ait, maioris philoſophiæ ſingulare eſt opus; & hominem quaſi Angelum conſtituit & incorporeas poteſtates impugnat. Et Euſebius Emiſſenus homil. de initio Quadrageſimæ: Homo, ait, per abſtinentiam Angelicam poteſt expugnare naturam, vti fecêre S. Antonius. S. Hilarion. S. Macharius, & alij.

Denique oratio condita ieiunio & carnis afflictione magna impetrat à Deo. Ita Abulenſis, qu. 173. Legi vitas multorum Sanctorum ac deprehendi nullos ferè claruiſſe miraculis, niſi eos, qui erant abſtinentes, & auſteræ vitæ. Audi S. Chryſoſtomum hîc: *Qui orans ieiunat, binas poſſidet alas, quibus ventos ipſos volando præteruehitur: nõ enim oſcitat, nec extenditur, nec torpet orando, quæ multi patiuntur, ſed igne ardentior & terrâ ſuperior eſt; quare terribilis hoſtis dæmonibus redditur. Nihil enim eſt homine probo orante potentius.*

Nota Tertiò, Chriſtus requirit orationem & ieiunium non in vtroque, ſcilicet in eo, qui patrat miraculum, & in eo, qui illius fructum percipit, vt vult S. Chryſoſtomus & Theophylactus; ſed in eo, qui illud patrat dumtaxat, vti notauit Origenes, licet dubium non ſit, quin fructum percipientis oratio quoque & ieiunium multùm rem adiuuet, vti aduertit idem Origenes, Ianſenius, Maldonatus & alij.

Dices: Chriſtus eijciens hunc dæmonem non legitur oraſſe, & ieiunaſſe. Reſp. eum paulò antè oraſſe & ieiunaſſe, cùm transfiguraretur in Tabor: quia in montis deſcenſu curauit hunc lunaticum: Adde: oratio & ieiunium requiruntur in puris hominibus, non in Chriſto, qui erat Deus, ac vt Deus ſolo verbo poterat dæmones omnes fugare, imò annihilare. Ita Abulenſis hîc q. 170. Porro ieiunij ſemina hîc iacit in diſcipulos Chriſtus, ait S. Chryſoſtomus.

*Lunatici ſunt carnales.*

Tropologicè Gloſſa: Hoc genus ait dæmonij lunaticorum, id eſt, iſta carnalium voluptatum mutabilitas non vincitur, niſi ſpiritus oratione confirmetur, & caro per ieiunium maceretur. Luna enim ob aſſiduas mutationes ſymbolum eſt ſtultitiæ & inconſtantiæ, iuxta illud Eccleſ. 27. 12. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol; nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Vide ibi dicta. Vide & Ambroſium ſerm. 82. Audi Bedam: *Dæmoniacũ hunc Matthæus lunaticum, Marcus ſurdum & mutum deſcribit: ſignificantur ergo hi, qui vt luna mutantur; nec fidei ſermonem audiunt, nec fidem confitentur: eliditur autem puer accedens ad Dominũ, plerumque enim grauiùs à dæmonibus pulſantur ad Dominum conuerſi, vt odium virtutis incutiant, vel ſuæ expulſionis iniuriam vindicent: increpat Dominus dæmoniũ, vitium enim arguendo & odiendo depellere debet, qui peccantem emendare deſiderat, hominem verò amando fouere, donec emendatum Eccleſiæ precibus reddere poſſit. Spumant autem, cum ſtultitia tabeſcunt. Stultorum namque eſt ſpumas ſaliuarum ex ore dimittere. Stridẽt dentibus, cùm iracundiæ furore flammeſcunt. Areſcunt, cùm otio torpente langueſcunt, & nullâ virtutis induſtriâ confortati eneruiter viuunt.*



VERS. 22. Luc. 9. 44. Mar. 9. 31.

*Prædicit Chriſtus ſuã paſſionem.*

CONVERSANTIBVS AVTEM EIS IN GALILÆA DICIT ILLIS IESVS: FILIVS HOMINIS TRADENDVS EST IN MANVS HOMINVM] Iterat Chriſtus ſuam de paſſione & cruce prophetiã primitus à ſe editam in Cæſarea Philippi cap. 16. 22. vt diſcipuli eã præſente non terrerentur, nec ſcandalizarentur, nec à fide in ipſum deſciſcerent, quaſi ipſe non eſſet Meſſias, qui tam infami morte occubuiſſet; crux enim Apoſtolis fuit ſcãdalo, adeò vt omnes eo relicto diffugerent: igitur crux identidem prædicanda & inculcanda fuit eis, vt ſcirent Chriſtum non inuitum nec coactum, ſed ſpõte ſua, vt patris voluntati obediret, & homines redimeret, voluiſſe crucifigi & mori, ideoq; illud toties prædixiſſe. Porrò iterauit hãc prædicationem *in Galilæa*, ſcilicet cùm rediret à ſua transfiguratione facta in monte Tabor, poſtquam ſanaſſet lunaticum, ideoque magnã ei laudem & plauſum dediſſent Galilæi, vt patet ex Marco & Luca, tum vt huic laudantium calori frigidam inijceret, eumque mentione paſſionis & crucis temperaret, ne in vanam diſcipulorum gloriam erumperet; tum quia ex Galilæa pergebat in Iudæam, vt patet Marci 9. 30. vbi paulò poſt crucifigendus erat.

VERS. 23. Mar. 9. 31.

ET OCCIDENT EVM, ET TERTIA DIE RESVRGET. ET CONTRISTATI SVNT VEHEMENTER] Ob mentionem occiſionis & mortis, quia nolebant Chriſtum mori, & per mortẽ ſe ab illo auelli, vt hanc eorum triſtitiã leniat Chriſtus, addit, *& tertia die reſurget*: Sed ipſi hæc Chriſti verba & promiſſa non intellexerunt, nec capere potuerunt. Vnde de eius reſurrectione diu dubitarunt, ideoq; Chriſtus per multas apparitiones & ſigna ſe verè reſurrexiſſe, probare eis debuit, vt dubium hoc ex animis eorum euelleret.

VERS. 24.

ET CVM VENISSENT CAPHARNAVM ACCESSERVNT, QVI DIDRACHMA (Syrus addit, *capitatim*, id eſt, à ſingulis capitibus) ACCIPIEBANT (Arabicus *vectigales*, id eſt, publicani exactores vectigalis) AD PETRVM, ET DIXERVNT EI: MAGISTER VESTER NON SOLVIT DIDRACHMA] Arabicus, *non ſoluit debitum?* Non aſſerunt: ſed interrogant quia hi exactores erant noui, vel certè nouos habebant famulos, qui non ſciebant, vel non recordabantur Chriſtum elapſo anno, quo habitarat Capharnai, ſoluiſſe didrachma more ceterorum.

*Didrachma quoti*

DIDRACHMA] Didrachma erat dimidium ſicli, id eſt, duo regales Hiſpanici, ſiue duo Iulij Italici, Siclus enim ponderabat quatuor didrachmas, id eſt, quatuor Iulios; erat enim argenteus. Vide dicta Exodi 30. 13. Cenſent Baronius, Franc. Lucas, & alij hoc didrachma fuiſſe ſacrũ, quod pendendũm erat templo iuxta legem à Deo latam Exodi 30. 13. Ibi enim ſancit Deus, vt ſinguli à viginti annis & ſuprà, cùm initur cẽſus ſiue numerus populi, ſoluant didrachma templo. Iudæi deinde ſponte ſuâ ex deuotione, vt huic legi pleniùs ſatisfacerẽt, ſtatuerunt, vt ſinguli ſingulis annis didrachma hoc ſoluerent templo ad ſuſtentandos tot Leuitas & ſacerdotes, ad reparanda ſarta tecta, ad victimas aliaque ad vſum & ornatum templi opportuna comparanda. Id patet ex eo, quòd Ioas rex hunc morem iniquitate temporum neglectum, vel intermiſſum reuocarit, vt patet 2. Paral. 24. verſ. 5. 6. 7. 9. & ex Ioſepho, qui id diſertè docet lib. 7. Belli cap. 26. in fine. Idem lib. 18. Antiqu. cap. 12. docet Iudæos extra Iudæam in Babylone habitantes, ſacrum hoc didrachma collegiſſe, & Hieroſolymam ad templum miſiſſe. Verùm hoc didrachma non fuiſſe ſacrum, & pendendum templo, ſed profanum & pendendum Romanis, vel Herodi Antipæ, qui à Romanis conſtitutus erat rex Galilææ, patet ex verbis Chriſti ad Petrum verſ. ſequenti: *Reges terræ à quibus accipiunt cenſum?* Ergo hic cenſus erat regius, & pro rege vel Imperatore exigebatur. Idem patet ex cap. 22. v. 21. vbi Herodiani, id eſt, Herodis aſſeclæ tentantes, quærunt à Chriſto, an liceat cenſum dare Cæſari an non? Cauſa & origo huius tributi & cenſus fuit, quòd paulò ante Chriſtum, cùm Hircanus & Ariſtobulus, nepotes Simonis Machabæi, de Pontificatu & regno cõtenderent, Pompeius ab eis arbiter interpellatus Hircano cauſam adiudicauit, ſed Hieroſolymitæ, qui Ariſtobulo fauebant, ei reſtiterunt. Quare Pompeius Hieroſolymam vi cepit, illamque & conſequenter totam Iudæam Romanis ſubiecit, illique annuum tributum indixit, vti diſertè docet Ioſephus libr. 14. Antiqu. capit. 8. Porrò quia Iudæi templo pendebant didrachma, iuſſi ſunt à Romanis pariter ſibi pendere didrachma; vt ex hoc loco liquet, donec rebellante rurſum Hieroſolymâ, eam obſedit cepitque Veſpaſianus, tẽplumque euertit; tunc enim didrachma ſolitum pendi templo, ipſe iuſſit pendi Romano Capitolio. Audi Ioſephum lib. Belli 7. cap. 26. in fine de Veſpaſiano: *Stipendium Iudæis vbicumque degerent, indixit, binaſq; drachmas ſingulis annis deferre in Capitoliũ iuſſit, ita, vt ante hac Hieroſolymorum templo pẽdebãt.* Hoc tributum ægrè Romanis, vtpote Gẽtilibus pendebant Iudæi, dicentes ſe eſſe populũ Dei (ideoq; liberum) illique debere pendere cenſum, non Cæſari: vnde ſub tempus Chriſti orta eſt ſecta Galilæorum, auctore Iuda Galilæo, qui omne vectigal & dominium Cæſaris abnuebãt, quæ tandem in apertum bellum erupit; quo à Veſpaſiano Iudæa rurſum ſubacta & exciſa eſt. In huius ſectæ ſuſpicionem vocatus eſt Chriſtus & Apoſtoli, vtpote origine Galilæi, ac noui cæleſtis regni præcones, & doctores, ideoque vt ſe ab illa alienum Chriſtus oſtenderet, ſoluit hîc didrachma, illudque Cæſari ſoluendum edixit, ca. 22. 21. Vide dicta Actor. 5. v. 36. Ita S. Hieronymus. Beda, Ianſenius, Maldonatus & alij. Exactores ergo hi tributi non auſi interpellare Chriſtũ ob ſanctitatis, doctrinæ, & miraculorum famam, ſeorſim rogant Petrum, dicuntque: *Magiſter veſter non ſoluit*, id eſt non ſolet ſoluere *didrachma?* An ex aliquo principis priuilegio, ſiue aliquo alio exemptionis titulo nõ obligatur ſoluere tributum, quod quotannis viritim ſinguli ſoluunt Romanis in eo loco, quem quiſque incolit? vti Chriſtus hîc incolebat Capharnaum, ideoque ibidem hoc tributum ab eo exigunt.

*Fuit prophanum pendendum.*

*Eius origo.*

AIT: ETIAM] Petrus annuit, & ex conſuetudine Chriſti, quam viderat præcedentibus annis,

annis,reſpondet omnino Chriſtum ſolere ſoluere hoc tributum.

Et cvm intraſſet in domvm (à Chriſto Capharnai conductam,vt dixi c.4.13.)prævenit evm Iesvs dicens: Qvid tibi videtvr Simon? Reges terræ a qvibvs accipivnt tribvtvm vel censvm, a filiis svis, an ab alienis?] Id eſt, ab alijs ſubditis, qui non ſunt filij:alienos enim opponit filijs, Ita Chryſoſtomus.

Vers.26. Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Iesvs: Ergo liberi svnt filii] Cùm Petrus vellet domi ſeorſim referre Chriſto quęſitum exactorum de tributo,Chriſtus arcani eius cum ipſis colloquij conſcius,vtpote qui in ſpiritu iam illud viderat & audierat, *præuenit*, id eſt, prior eum hac de re interrogauit,oſtenditque ſe non obligari ad hoc tributum,aitque,*reges terræ*, &c.Eſt argumentum à minori ad maius, vti docet S,Chryſoſtomus: q.d. Regum filij cum ſua familia iure cõmuni immunes ſunt à tributo per regem indicto:Ergo multo magis ego cum meis Apoſtolis meaque familia;ego,inquam,qui regis regum, id eſt, Dei ipſius naturalis, & vnigenitus ſum filius,immunis ſum ab omni omnino tributo,quod reges terræ ſuis ſubditis indicunt.Ita S. Hieronymus,ſanctus Chryſoſtomus &alij.Et ſic intellige S.Auguſtinum li.1.quęſt. Euang.c.23.

*Clerici an ſint immunes ab omni tributo?*

Quare ex hac Chriſti ratiocinatione, non rectè colligunt nonnulli Canoniſtæ iure diuino clericos eſſe immunes &liberos ab omni tributo.Pari enim ratione colligeretur,ab eodem immunes eſſe omnes Chriſtianos,vti volunt Anabaptiſtæ. Chriſtiani enim ſunt filij Dei adoptiui, renati in baptiſmo per gratiam, quod tamen falſum eſſe docet Apoſt.Rom.13.7.&tota Eccleſia:nam hęc adoptio altioris eſt hæreditatis & ordinis,ſcilicet cæleſtis, non terreni. Ita S.Hilarius,Chryſoſtomus,Euthymius & alij. Rectè tamen & appoſitè ad hoc Chriſti dictũ, reges & principes à tributo exemerunt Eccleſiaſticos,qui ſunt quaſi de domo & familia Chriſti. Et hoc tantùm vult hîc S.Hieronymus & Canones,dũ dicunt, Clericos non tantùm iure humano, ſed & diuino exemptos eſſe à tributo;quia ſcilicet ius diuinum dictat hanc exemptionem à principibus eſſe concedẽdam. Vide Leſſium de Iuſtitia lib.2.c.33.dubio 4. vbi oſtendit exemptionem Clericorum à tributo, eſſe iuris non diuini, ſed humani.

Vers.27. *Chriſtus pendit tributum.*

Vt avtem non scandalizemvs eos, vade ad mare, et mitte hamvm, et evm piscem, qvi primvs ascenderit tolle, et aperto ore eivs invenies staterem, illvm svmens da eis pro me, et te] q.d. Ne exactores offendantur, putentq; nos Tiberium Cæſarem Romanum,quaſi Gentilem aſpernari, eiuſque imperium ac tributum abnuere, itaque Iudæos ad illi rebellandum concitare, vti fecit Iudas Galilęus, vade, piſcare, & ſtaterem,quẽ in ore primi piſcis inuenies,tolle,cumque pro me & te publicanis perſolue.*Sta-*

A *ter* Græcè idem eſt,quod Hebr.*ſiclus*;ſcilicet *pondus*:olim enim pecunia non conſignata ſtato põdere appendebatur, & ſoluebatur. Porrò ſiclus erat tetradrachmus, id eſt, ponderabat quatuor drachmas,id eſt,quatuor Regales Hiſpanicos ſiue quatuor Iulios Italicos. Siclus ergo argenteus idem erat,quod Florenus Brabanticus.

*Siclus quid?*

Nota, Chriſtus hîc elicuit actum heroïcum iuſtitiæ æquè ac humilitatis & obedientiæ,dum ſoluit principi tributum,à quo iure naturæ &diuino erat exemptus,vt doceret, Chriſtianiſmum à ſe inſtitutum non eſſe contrarium Politiæ & regimini Politico, ſed potiùs illud iuuare eique obſecundare.

Ascenderit] Ad eſcam hami ineſcatus,q.d. quem primum hamo attraxeris.Curauerat enim Chriſtus per Angelos poni hunc ſtaterem in ore B piſcis,vt in eo ipſum Petrus piſcans reperiret.

Illvm svmens da eis pro me et te] Quæres,cur Chriſtus pro ſe ſolo & Petro ſoluit hoc tributum? Reſpond.quia illud,vt dixi, viritim, ſiue vt Syrus habet, *capitatim* ſoluendum erat à ſingulis,non tranſeuntibus,vt vult Titelmanus,ſed incolis & ciuibus. Pro ceteris diſcipulis nõ ſoluit,vel quia,vt vult Lyranus,ad hoc tributum obligabantur ſolum capita familiarum, non autem ſinguli de familia,vel quia diſcipuli Chriſti pauperes erant. Vnde Chriſtus eos apud exactores tacitè voluit titulo inopiæ eſſe excuſatos, vt vult Franciſcus Lucas,vel quia ipſi aliundè erant oriundi,ac iam ante in alias vrbes à Chriſto dimiſſi ad euangelizandum,non cenſebantur incolæ Capharnai, ac proinde ibi pendere tributũ C non tenebantur. Deinde Abulenſis qu.200.cenſet pro ſingulis Apoſtolis,qui habebant vxores, & liberos,ideoque erant capita familiarum,quales erant plerique præter Ioannem & Iacobum, ſolutum fuiſſe didrachma ex communibus loculis,quos portabat Iudas, vel ex eleemoſynis amicorum, idque Matthæum hîc pręſupponere & præterire, vt rem parui momenti & notam; narrare verò ſolum didrachma Chriſti, quia illud per miraculum inuenit in ore piſcis, vt oſtenderet,ſe ad illud non obligari, nec Cæſari eſſe ſubiectum. Pro Petro tamen Chriſtus ſoluit præter debitum,tum quia Petrus exactionis huius,ęquè ac ſolutionis erat adminiſter; tũ quia Petrus domũ & familiam habebat Capharnai,ait Abulenſis vt patet Matthęi c.8.v.5.& 14. & Lucæ cap. 4.v.31.& 38.tum honoris cauſa, vt innueret ipD ſum ſuæ familiæ & Eccleſię vicarium,ac ceterorum Apoſtolorum omnium caput & principem à ſe deſtinari. Ita S.Chryſoſtomus, S.Hieronymus,Origenes & alij.

*An pro ſolo Petro ſolutũ tributum?*

*Cur?*

Moraliter, diſce hîc ſtudium paupertatis in Chriſto,vtpote qui non haberet domi vel vnum ſiclum ad ſoluendum tributum, ſed illum per miraculũ à piſce acceperit, vt doceret Deum per piſces ceteraſq; creaturas pauperibus ſpiritu prouidere de neceſſarijs, ſicut Eliæ prouidit de victu per coruum, quaſi per miraculum.

CAPVT



# CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò docet maiores in cælo eſſe eos, qui apud ſe ſunt paruuli & humiles. Secundò v.7. docet paruulos non eſſe ſcandalizandos, quia Angeli eorum ſemper vident faciẽ Dei Patris. Tertiò, v.12. ad hoc probandum inducit parabolam ouis errantis. Quartò, v.15. aſſignat ordinẽ ſeruandum in correptione fraterna, ac Apoſtolis dat poteſtatem ligandi & ſoluendi. Quintò, v.23. oſtendit iniurias mutuas ex animo eſſe condonandas per parabolam ſerui debitoris, à quo debitum decem millium talentorum iam remiſſum, rurſum exactum eſt; quia ipſe conſeruo ſuo debitum centum denariorum condonare noluerat.*

1. IN illa hora acceſſerunt diſcipuli, ad Ieſum,dicentes: Quis putas,maior eſt in
regno cælorum: 2. Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eo-
rum, 3. Et dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis,& efficiamini ſicut par-
uuli non intrabitis in regnum cælorum. 4. Quicumque ergo humiliauerit ſe ſi-
cut paruulus iſte,hic eſt maior in regno cælorum. 5. Et qui ſuſceperit vnum par-
uulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. 6. qui autem ſcandalizauerit vnum
de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo
eius,& demergatur in profundum maris. 7. Væ mundo à ſcãdalis. Neceſſe eſt enim
vt veniant ſcandala:verumtamen væ homini illi,per quem ſcandalum venit. 8. Si
autem manus tua,vel pes tuus ſcandalizat te; abſcide eum,& proijce abs te:bonum
tibi eſt ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes
habentem mitti in ignem æternum. 9. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum,
& proijce abs te: bonum tibi eſt cum vno oculo in vitam intrare, quam duos ocu-
los habentem mitti in gehennam ignis. 10. Videte ne contemnatis vnum ex
his puſillis: dico enim vobis,quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Pa-
tris mei, qui in cælis eſt. 11. Venit enim Filius hominis ſaluare quod perierat,
12. Quid vobis videtur? ſi fuerint alicui centum oues,& errauerit vna ex eis:nónne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam quæ errauit?
13. & ſi contigerit vt inueniat eam; Amen dico vobis,quia gaudet ſuper eam ma-
gis quàm ſuper nonaginta nouem, quæ non errauerunt. 14. Sic non eſt voluntas
ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt,vt pereat vnus de puſillis iſtis. 15. Si autem
peccauerit in te frater tuus, vade,& corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te au-
dierit, lucratus eris fratrem tuum. 16. Si autem te non audierit, adhibe tecum
adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.
17. Quod ſi non audierit eos,dic Eccleſiæ,ſi autem Eccleſiam non audierit,ſit tibi
ſicut ethnicus & publicanus. 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſu-
per terram,erunt ligata & in cælo:& quæcumq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſolu-
ta & in cælo. 19. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper
terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.
20. Vbi enim ſunt duo,vel tres cõgregati in nomine meo,ibi ſum in medio eorum.
21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater
meus,& dimittam ei, vſque ſepties? 22. Dicit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſep-
ties,ſed vſque ſeptuagies ſepties. 23. Ideò aſſimilatum eſt regnum cælorum ho-
mini regi,qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. 24. Et cùm cœpiſſet ratio-
nem ponere,oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cùm
autem non haberet vnde redderet,iuſſit eum dominus eius venumdari, & vxorem
eius,& filios,& omnia quæ habebat,& reddi. 26. Procidens autem ſeruus ille o-
rabat eum,dicens: Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi. 27. Miſertus au-
tem dominus ſerui illius,dimiſit eum,& debitum dimiſit ei. 28. Egreſſus autem
ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios: & te-
nens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. 29. Et procidens conſeruus
eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi. 30. Ille
autem noluit:ſed abijt,& miſit eum in carcerem,donec redderet debitum. 31. Vi-
dentes autem conſerui eius quæ fiebant,contriſtati ſunt valde: & venerunt, &

 narra-

narrauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. 32. Tunc vocauit illum dominus ſuus: & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me; 33. nónne ergo oportuit & te, miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? 34. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. 35. Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.

VERS. 1. *Diſcipuli Chriſti quærunt: Quis maior ſit in regno cælorum? Cur?*

IN ILLA HORA (in illo tempore) ACCESSERVNT DISCIPVLI AD IESVM DICENTES? QVIS PVTAS MAIOR EST IN REGNO CÆLORVM] *Acceſſerunt.* Videtur repugnare Marcus c. 9. v. 31. vbi ait diſcipulos in via de hac quęſtione diſputaſſe, deinde domi Chriſtū eos præueniſſe ac interrogaſſe, quid in via tractaſſent. Reſpōdet S. Chryſoſtomus, & Euthymius, Apoſtolos ſæpe inter ſe hanc quæſtionem agitaſſe, ac tandē Chriſtum eos interrogatione iā dictâ pręueniſſe: quare cùm ipſi viderēt ſuas cogitationes Chriſto eſſe cognitas & patefactas, vltro rem aperuerunt, & quęſtionem inter ſe agitatam Chriſto reſoluendam propoſuerunt. Occaſio quęſtionis fuit varia, ſed proxima hæc, quòd pro ſolo Petro Chriſtus didrachma ſoluerit: vnde cum ſibi prælatum viderunt & inuiderunt, ac quiſque de ſe inter primos promouendo ſollicitus eſſe cœpit: ſic enim in cœtibus, ſi vnus pręferatur, ceterorum ſtatim oritur æmulatio & ambitio. Ita S. Hieronymus, Origenes, Chryſoſtomus, & Euthymius. Audi ſanctum Hieronymum: *Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate p. etiā arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatū, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant, quis maior ſit in regno cælorum? Videnſq; Ieſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium gloriæ humilitatis contentione ſanare.* Ruſum viderant Petrum, Iacobum, & Ioannem ſeorſum à Chriſto abductos in Tabor: doluere ergo, quòd & ipſi non fuerāt abducti. Deniq; audierant Chriſtum breui moriturum, ac poſt mortem reſurrecturū, regnumque gloriæ ſuæ initurum: maturè ergo præoccupant quæruntque modum, quo ſibi eo primi euadant. Ita Maldonatus.

QVIS PVTAS MAIOR EST (Syrus, *maximus*) IN REGNO CÆLORVM] Puta in Regno Meſſiæ, quod Apoſtoli in terris quidem, ſed celeſte & diuinum à Chriſto inſtituendum expectabāt, hoc eſt in Eccleſia (in hac enim quaſi in regno ſuo regnat rex Chriſtus) ac conſequenter in ipſo regno celorum; ad hos enim aſſurgit Chriſtus v. 3. quia Eccleſia militans in terris tendit ad Eccleſiam triumphantem in cælis, quaſi ad regnum ſibi à Chriſto promiſſum. Maldonatus per *regnum cælorum*, accipit Eccleſiam. q. d. Qui minor, id eſt, humilior eſt in Eccleſia, hic maior eſt in Eccleſia, ideoq; maior erit in cælo. Ludit enim Chriſtus in voce *regni cælorum.*

*Regnum cælorum quid hic?*

Probat id primò, quia occaſio huius quęſtionis fuit, quòd Apoſtoli ex eo quòd Chriſtus pro ſolo Petro ſoluerit didrachma, collegerint Petrum fore caput Eccleſiæ. Secundò quia Chriſtus taxat hanc quæſtionem velut ambitioſam; ambitioſum autem eſt primas expetere in Eccleſia, nō autem in cælo. Charitas enim ſuadet primas optare in cęlo. Hęc ſententia eſt probabilis. Simpliciùs tamen accipias propriè ipſum *cælorum regnum*, vt patet ex eo quod ait: *Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Porrò taxātur à Chriſto Apoſtoli de ambitione, quia putabant regnum cælorū ſimile eſſe regno terreno & pompatico, quod per ſuperbiā ſæpe ambitur, & per ſuperbam ſui exaltationem, imò per vim & arma occupatur: dū ergo primas obtenturum ſuſpicarentur Petrum, illi ex æmulatione & ambitione quadam primas haſce ambiunt, cùm per humilitatem primas in eo aucupari deberent, vti eos corripiens docet hîc Chriſtus.

VERS. 2. Luc. 9. 47. Mar. 9. 36.

ET ADVOCANS IESVS PARVVLVM (Græcè παιδίον, id eſt, *puellum*; Syrus *puerulum*) STATVIT EVM IN MEDIO EORVM] Marcus cap. 9. verſ. 36. addit Chriſtum eum in vlnas accepiſſe. Putatur puellus hic, ait Ianſenius fuiſſe ſanctus Martialis, qui poſtea diſcipulus ſancti Petri exiſtens, ab eo prædicandi Euangelij cauſa in Galliam miſſus, conuertit Lemouicenſes, Burdegalenſes & Toloſanos, de quo vide Gloſſam in caput vnicum *de Sacra vnctione.* Sed quia alij S. Martialem conſtituunt vnum è 72. Chriſti diſcipulis, ideoque iam tum non puerum, ſed natu grandem, non ſatis certa eſt hęc traditio. Alij S. Martialem putant fuiſſe puerum ſiue iuuenem iſtum, de quo Andreas ait ad Chriſtum: *Ecce puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſces.* Ioan. 6. 9.

*An paruulus hic fuerit S. Martialis.*

VERS. 3.

ET DIXIT: AMEN DICO VOBIS: NISI CONVERSI FVERITIS ET EFFICIAMINI SICVT PARVVLI (Syrus *ſicut puerulı*) NON INTRABITIS IN REGNVM CÆLORVM] *Conuerſi,* ſcilicet ab hac æmulatione & ambitione veſtra, quæ ſaltem veniale peccatum eſt, ideoque impediens ingreſſum in regnum cælorum & purgatorio priùs expiandum.

*Pueri communiter ſimplices, innocentes, candidi.*

SICVT PARVVLI] Qui communiter non inuident alijs, nec ambiūt primas, ſed ſimplices ſunt, humiles, innocentes, & candidi. Dico communiter; nam ſanctus Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 7 teſtatur ſe vidiſſe puerum ſugentem vbera matris, ex inuidia expalleſcentem, quòd videret collactaneum ſuum eadem matris vbera ſugere: *vidi ego,* inquit, *& expertus ſum zelantem paruulum: nondū loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collectaneum ſuum.* Verùm nullus eſt paruulus, qui ambiat regnum vel primas in regno, vti hîc ambiebant Apoſtoli.

*Cur Chriſtus iubet nos eſſe ſicut paruulos.*

Iubet ergo Chriſtus nos eſſe ſicut paruulos, ait Origenes hic: *Vt ſicut pueri carent paſſionibus, ſic & nos: ſicut,* inquit, *eſt paruulus puer ad triſtitiam, qui interdum in tempore mortui patris vel matris ridet, & ludit, talis fiat vir, habitudinem puerilem, circa triſtitias repellendas, perfectioris animæ ratione commutans. Similiter dices circa extollentias, quibus irrationabiliter extolluntur homines, qui non ſunt Dei, quas pueri non patiuntur, nec qui conuerſi fuerint ſicut pueri. Et nulla pene paſſio cadit in pueros, antequàm abſolutè incipiant loqui. Si autem nulla, manifeſtum eſt, quia neque timor niſi fortè leuis & tranſitorius: pueri enim malum timorē non patiuntur, vt putà, ſi quis puero comminetur, ne mammam petat, vel ne ploret, terretur quidem, ſed timor eius ſtabilis non eſt. Si quis autem puerum terreat & dicat, niſi hoc feceris occido te, numquid timet puer?*



Breuius puerorum dotes fideli cuiq; imitandas, ita pūctum perſtringit S. Hilarius: *Hi,* inquit, *patrē ſequuntur, matrem amant, proximo velle malum neſciunt, curam opum negligunt: non inſoleſcunt, non oderunt, non mentiūtur, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Reuertendum eſt igitur ad ſimplicitatem puerorum: quia in ea collocati, ſpeciem humilitatis Dominicæ circumferemus.*

*Via & aditus ad cælum eſt Humilitas.*

Via ergo in cælum eſt humilitas, aditus & oſtium cæli eſt humilitas; quia non niſi per eam pater in cælum ingreſſus. Vidit in ſpiritu ſanctus Antonius totum mundum plenum eſſe laqueis, ac animas cupientes in cælum euolare, ijs capi, & illaqueatas à dæmonibus in tartara detrudi. Quare ingemiſcens exclamauit: *Domine quis tot tantoſq; laqueos euitabit?* atque reſponſum audijt. *Humilitas hoſce laqueos omnes ſubterfugiet.* Ita ſanctus Athanaſius in eius vita.

*S. Antonius.*

*Tres ſtimuli Chriſti ad humilitatē.*

Chriſtus, vt zelum ambitionis Apoſtolorum ſanet ſtudio humilitatis, ad eam perſuadendam tribus vtitur rationibus. Prima eſt hoc verſu, quòd ea deſtitutus nequeat cælum ingredi. Secunda eſt verſu ſequenti, quòd humilitas exaltet, vt ſi velis fieri maior in cælo, debeas eſſe minor & humilior in terra. Tertia verſ. 5. quòd humilitas ſit conformitas Chriſti, qui ſe humiliauit infra omnes Angelos, & homines vſque ad mortem; ideoque qui humilem ſuſcipit, Chriſtum ſuſcipit. Prima ergo ratio petitur ex pœna ſuperborum, ſecunda ex pręmio humilium, tertia ex conformitate humilis cum Chriſto.

VERS. 4. Luc. 9. 48. Mar. 9. 35.

QVICVMQVE ERGO SE HVMILIAVERIT SICVT PARVVLVS ISTE, HIC EST MAIOR (Syrus, *ſicut puerulus iſte hic maximus eſt*) IN REGNO CÆLORVM] *Humiliauerit,* vt ſcilicet humilis ſit per virtutem, ſicut iſte eſt per ætatem, ſiue vt ſit paruus animo, ſicut iſte eſt paruus corpore. Iubet ergo Chriſtus, nos paruulis fieri ſimiles nō in inſipientia & imprudentia, ſed in ſimplicitate & innocentia, ac propriè & directè in humilitate. Sic & Apoſtolus 1. Corinth. 14. 20. *Fratres,* inquit, *nolite pueri effici ſenſibus ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote.* Cauſam dat Origenes: *Nec enim magnum aliquid ſapere cadit in puerum, neque iactantia generis vel diuitiarum. Vnde videmus, quod infantes vſque ad tertium vel quartum annum, licèt fuerint generoſi, ſimiles ſe præbent pueris digeneribus, nec ampliùs diligunt diuites pueros quàm pauperes.*

*Si vis in cælum eleuari in ima deſcende.*

Moraliter diſce hîc paradoxon ſapientiæ Chriſtianæ, nimirum viam ad excellentiam eſſe contrariæ viæ mundi, ſcilicet eſſe hanc, tendere non ad excelſa, ſed ad demiſſa & humilia. Si vis ergo magnus eſſe in cælo, ama in terra neſciri & paruus eſſe inter homines ab eiſque contemni, negligi & vilis reputari. Si cupis eleuari ad primos thronos in empyreo, demitte te ad imos inferni, ac te colloca ſub pedibus Iudæ, vti faciebat B. Franciſcus Borgia, quò enim minor & humilior fueris in terra, eò maior & glorioſior eris in cælo, quia ſola humilitas exaltat. Æterna enim Dei lege fixum ſanctumque eſt: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Lucæ cap. 18. verſ. 14. Viſa eſt olim ſedes alta & glorioſa inter Seraphinos, & vox audita: *Hæc ſedes humili ſeruatur Franciſco.* Ita S. Bonauentura in eius vita.

*Ratio à priori.*

Ratio à priori eſt, quòd humilis profundiſſimè ſe demittendo, Deum ſummè reuereatur, honoret, & colat: quare meretur ab eò ſummè exaltari. Vnde Eccleſiaſtici. ca. 3. verſ. 21. *Magna,* ait, *potentia Dei ſolius, & ab hominibus* (Græcè *ab humilibus*) *honoratur.* Vide ibi dicta & Iſaiæ, cap. 66. v. 2. ad illa: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos.*

*Humilitatis Elogia.*

Humilitas ergo grata & honorata eſt Deo, Angelis & hominibus. Quin & ſi politicè agatur, humilitas ambienda eſt, quia illa ab omnibus colitur; ſuperbia verò ab omnibus deprimitur. Hinc Aulici licet ambitioſi, ſe tamen mirè verbis & geſtu humiliant; ſed quia occulta in mente laborant arrogantiâ, difficile eſt animi faſtum non prodere vultu quin per ſigna & geſtus erumpat. Quocirca ſanctus Hieronymus. (vel potiùs ſanctus Paulinus) epiſtol. 14. ad Celantium: *Nihil,* ait, *habeas humilitate præſtantius, nihil amabilius, hæc eſt enim præcipua conſeruatrix, & quaſi cuſtos quædam virtutum omnium: nihilq; eſt quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quàm ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus? propter quod Scriptura dicit: Quantò magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Porrò ſanctus Hieronymus epiſt. 45. ad Antonium: *Dominus noſter,* inquit, *humilitatis magiſter diſceptantibus de dignitate diſcipulis, vnum apprehendit è paruulis dicens: quicumque veſtrum non fuerit conuerſus ſicut infans, non poteſt introire in regnum cælorum. Quod ne tantùm docere, nec facere videretur, impleuit exemplo, dum diſcipulorum pedes lauandum traditorem oſculo excipit, dum loquitur cum Samaritana, dum ad pedes ſibi ſedente Maria de cælorum diſputat regno, dum ab inferis reſurgens primùm mulierculis apparet. Satanas autem ex Archangelico faſtigio non aliam ob cauſam, niſi ob contrariā humilitati ſuperbiam ruit.* Humilitas ergo ex homine facit Angelum, ſicut ſuperbia ex Angelo facit diabolum, imò Luciferum. Primum donum, quod ex diuini luminis aſpectu homini datur, eſt cognitio ſuiipſius, ait ſanctus Dionyſius epiſt. 7. ad Titum, hoc eſt humilitas. Humilitas enim eſt virtus, quâ quis ſibi ex ſui cognitione vileſcit, ac ſe omnibus inferiorem reputat, ſiue quòd ſe omnibus viliorem, fragiliorem & miſeriorem æſtimet; ſiue quòd alios maiori gratiâ, ceteriſque Dei donis præ ſe dotatos piè opinetur.

*Gnomæ de humilitate.*

Aurea eſt gnome B. Nili: *Beatus cuius eſt vita excelſa, ſpiritus autem humilis.* Et illa S. Chryſoſtomi: *Nihil æquè Deo gratum, atque ſe cum infimis numerare.* Et illa Climaci gradu 26. *Omniū ferarum venenatarum ſenſibiliū interemptor eſt ceruus; intellectualium verò humilitas interfectrix eſt.* Et illa Cæſarij hom. 30. *Sicut de fonte terreno & de corporali fluuio non poteſt aliquis bibere, niſi voluerit ſe inclinare ità & de viuo fonte Chriſto & ſancti Spiritus fluuio nemo aquā viuā haurire poterit, niſi ſe humiliter inclinare voluerit, propter illud quod ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit.* Denique humilitatis ſpeculum S. Hier. dat S. Paulam, de qua ita ſcribit in eius Epitaphio: *Hęc ſicut inter multas gemmas pretioſiſſima gēma micat, & iubar ſolis paruos igniculos ſtellarū obruit & obſcu-*

*& obſcurat: ita cunctorum virtutes & potentias ſua humilitate ſuperauit; minimaq; fuit inter omnes, vt omnium maior eſſet; & quantò ſe plus deiiciebat, tātò magis à Chriſto ſubleuabatur: latebat & non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur; quæ virtutem quaſi vmbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens appetit contemptores.*

VERS. 5. Luc. 9. 49. Mar. 9. 37.

ET QVI SVSCEPERIT VNVM PARVVLVM TALEM IN NOMINE MEO, ME SVSCIPIT] *Suſceperit*, hoſpitio, menſâ, patrocinio, vel quolibet auxilio aut fauore: per *ſuſcipere* enim hîc ſignificatur omne genus beneficij, charitatis & beneuolentiæ; *paruulum talem*, id eſt, qui talis eſt moribus, ſcilicet ſimplicitate, innocentiâ, & maximè humilitate, qualis hic paruulus eſt ætate, & ſtaturâ. Vnde Syrus Lucæ 9. 48. vertit, *puerum tamquam iſtum*, id eſt, puero huic ſimilem, ſcilicet humilitate & moribus. Patet ex antitheſi verſus ſequentis; ibi enim puſilli vocantur non tam parui in fide, vt vult S. Hieron. quàm verè ſimplices & humiles, ideoque contempti & abiecti. Ita Ianſen. & alij. Nota, Lucas habet *puerum iſtum*. Vnde liquet, Chriſtũ loqui primò de puero verè paruulo, ſecundò de paruulo myſticè ſcilicet, de humili & abiecto; ab illo enim ad hunc aſſurgit, ludit enim in voce paruulus. Vide Canonem 23. Senſus ergo eſt, q. d. Adeò humilitas, quæ fundamentum eſt & menſura ſpiritualis perfectionis, mihi placet, vt ego etiam pueris paruulis, eo quòd humilitatem præ ſe ferant ſtatura, ætate, & innocentia, delecter, vti iiſdem ob eandem cauſam (æquè ac agnis, repræſentantibus Chriſtum Agnum Dei) delectabatur ſanctus Franciſcus: atque velim omnes meos diſcipulos paruulos effici, paruulos imitari, itaque ab omnibus ſuſcipi merebuntur: cogitabunt enim homines ſe in iis me ſuſcipere, quia propter me eos ſuſcipiunt. De me enim prædixit Iſaias capit. 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*. Similis eſt de paruulis vox Chriſti capite ſequenti verſ. 14. vbi ait: *Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cælorum. Et cùm impoſuiſſet eis manus* (benedicendo ijs) *abijt inde* Notat S. Hieronymus dici paruulum: *Quia*, inquit, *qui ſcandalizatur, paruulus eſt: maiores enim ſcandala non recipiunt*. Addunt Marcus & Lucas: *Qui autem me ſuſcipit, recipit eum qui miſit me*. Denique cauſam adijcit Lucas dicens: Nam *qui minor eſt inter vos omnes*, id eſt, qui omnium veſtrum eſt humillimus, *hic maior eſt*. Græcè hic μέγας, id eſt, magnus eſt, ſcilicet per excellentiam, hoc eſt maximus eſt, ſcilicet apud me & Patrem meum in regno cælorum. *Humilis eſt*, ait S. Auguſtinus tract. de Pœnitentia, *qui eligit abijci in domo Domini magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum*.

*S. Eliſabethæ regis Hungariæ filiæ pietas in pauperes.*

Hanc Chriſti ſententiam medullitus animo impreſſerat S. Eliſabeth, regis Hungariæ filia, quæ quotidie nongentos alebat pauperes, eiſq; ſeruiebat, atque ægros, horridos, ſcabioſos, vlceroſos, leproſos ſuis manibus abluebat, ſaniem abſtergebat, vlcera oſculabatur, atque in his officijs exultabat diceba que. *Quàm bene & feliciter nobiſcum agitur, quibus Dominum lauare, detergere, reclinare, atque contegere permiſſum eſt*. Ita habet vita eius cap. 6. Addebatque, ſibi fixum eſſe, viliſſima humilitatis & charitatis officia erga pauperes & infirmos exercere, adeoque, ſi quod vilius officium aut vitæ genus ſciret, ſe illicò illud amore Chriſti amplexuram. Par & æqualis ſanctæ Eliſabethæ fuit eius matertera S. Hedwygis Duciſſa Poloniç de cuius ſtudio in pauperes, miſeros & abiectos, mira reperies in vita eius apud Surium die 15. Octobris.

*Et S. Hedwygis Duciſſa Poloniæ.*

Luc. 17. 2. Mar. 9. 42.

QVI AVTEM SCANDALIZAVERIT VNVM (Syrus, *offendiculo fuerit vni*) DE PVSILLIS ISTIS, QVI IN ME CREDVNT, EXPEDIT EI, VT SVSPENDATVR MOLA ASINARIA IN (de) COLLO EIVS, ET DEMERGATVR IN PROFVNDVM MARIS] *Scandalizauerit*, id eſt, vt Theophylactus, *iniuria affecerit*, & vt Chryſoſtomus, *deſpexerit*. Opponitur enim τὸ *ſuſceperit* verſ. 5. Ita Maldonatus. Verùm præſtat cum Ianſenio ſcandalum hîc propriè dictum accipere: nam ita patet accipi in ſequentibus, & ſic ſat adhuc conſtat antitheſis cum τῷ *ſuſceperit*, q. d. qui paruulum in nomine meo ſuſceperit, id eſt, in mea fide, pietate, amore & cultu fouerit, ac promouerit, hic me ſuſcipit; qui verò vnum ex iſtis puſillis ſcandalizauerit, id eſt prauo verbo, vel exemplo à me, meoque amore & cultu auerterit, ſatius ei foret in mare demergi.

EXPEDIT EI] Id eſt, vt habet Lucas 17. 2. *Vtilius eſt ei, ſi lapis molaris imponatur circa collũ eius, & proijciatur in mare, quàm vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis*. q. d. Præſtat mergi in mare, quàm ſcandalizare paruulos in terra, quia merſio eſt mors corporis, ſcandalum verò eſt mors animæ, tam propriæ, quàm aliorum quos ſcandalizat, & in peccatum inducit. Matthæus ergo relinquit antapodoton, ſiue redditionem vel alteram partem comparationis, quam exprimit Lucas dicens: *Quàm vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis*. Aliter S. Hieronymus: *Expedit ei*, inquit, *quia multò meliùs eſt pro culpa breuem recipere pœnam, quàm æternis ſeruari cruciatibus: non enim vindicabit Dominus bis in idipſum*.

Quæres, quomodo hic verſus nectitur præcedenti, & quid ſcandalum hoc pertinet ad Apoſtolos? Reſpondet S. Hieronymus; *Quamquam generalis poſſit eſſe ſententia aduerſus omnes, qui aliquẽ ſcandalizant; tamen iuxta conſequentiam ſermonis, etiam contra Apoſtolos dictum intelligi poteſt, qui interrogando quis maior eſſet in regno cælorum, videbãtur inter ſe de dignitate contẽdere: & ſi in hoc vitio permanſiſſent, poterant eos quos ad fidem vocabant per ſuum ſcandalum perdere, dum Apoſtolos viderent inter ſe de honore pugnare. Quod autem dixit: expedit ei, vt ſuſpẽdatur mola aſinaria in collum eius, ſecundùm ritũ prouinciæ loquitur, quo maiorum criminum iſta apud veteres Iudæos pœna fuerit, vt in profundum ligato ſaxo demergerentur*.

*Mola aſinaria quæ?*

Mola aſinaria eſt, quam in Palæſtina, ait S. Hilarius, & Ambroſius, circa rotam gyrando vertunt voluuntque aſini. Vnde Syrus vertit: *Mola aſini: Mola* vocatur lapis molaris, vti vertit Interpres in Luca: hæc vocatur *aſinaria*, id eſt, grauis & grandis, vtpote quæ non ab homine (vti fit in minori, ideoque truſatili) ſed ab equo, vel aſino circumagi debeat: aut certè intelligitur hîc inferior lapis molaris, qui ſuperiore eſt maior, vtpote circa quem immotum lapis ſuperior rotatur. Hic enim inferior Græcè vocatur ὄνος, id eſt aſinus, eò quòd inſtar aſini omne ſuperioris onus, ponduſque ſuſtineat. Sic Hebræi ſuperiorem lapidem molarem vocant רֶכֶב *retheb*, id eſt equitẽ, quod inferiori lapidi ceu equo inequitet. Hic lapis ſuperior Latinè *catillus*,



inferior verò *meta* vocatur. Notẽt hoc clerici & religioſi illi qui inter ſe de honore, & primo loco ambitioſè condendunt: Hæc enim contentio ſcandalizat ſæculares & laicos, ac clericatus & religionis ingens eſt dedecus & probrum: expediret ergo eis lapide molari mergi in mare, quàm ita contendere cum ſcandalo populi, vt ait hîc Chriſtus.

VERS. 7. Luc. 17. 1.

VÆ MVNDO A SCANDALIS] Arabicus, *per ſcandala*. q. d. *Væ*, id eſt, grandia ſummaque mala, tam præſentia, quàm futura ex Dei ira & vindicta imminẽt hominibus mundi, propter ſcandala actiua, æquè ac paſſiua; qui enim ſcandalizant alios ſua ambitione, & prauo vitæ exẽplo, alioſque ad illud ſequendum tacitè alliciunt, rei ſunt gehennæ; qui verò ſcandalizantur, & aliorum praua exempla ſequuntur, hi quaſi reorum ſequaces & ſocij damnantur, ac ſic vtriq; plectuntur & pereunt. Porrò mundus plenus eſt ſcandalis, quia plenus hominibus improbis, aut libertinis, imprudentibus, & cupidis, qui vt ſuis cupiditatibus ſatisfaciant, omnes ſcandalizant: quare maior & potior pars hominum ob ſcandala dãnatur: vnde ſequitur, *neceſſe eſt*, &c. Porrò ſcandala, de quibus propriè Chriſtus hîc agit, ſunt perſecutiones, irriſiones, & læſiones iuſtorũ: item mala exempla, doctrinæ erroneæ, imprudenter dicta aut facta; multa enim ſunt in ſe bona & licita, ſed quia importuno loco & tẽpore coram rudibus indiſcretè fiunt, pariunt apud eos offenſionem & ſcandalum.

*Multi pereunt in ſcandalum.*

NECESSE EST ENIM, VT VENIANT SCANDALA: VERVMTAMEN VÆ HOMINI ILLI, PER QVEM SCANDALVM VENIT] *Neceſſe eſt*. non abſolutè & ex ſe, ſed ex ſuppoſione. Nam præuiſâ, & ſuppoſitâ tam variâ tot hominũ indole, & corruptione; ac horum curioſâ leuitate, ambitione, cupiditate; illorum prauitate, & liberâ malitiâ fieri non poteſt, quin aliquando à nonnullis, imò crebrò à multis, ſaltem indeterminatè & in confuſo fiant ſcandala, id eſt ſcelera, vel res tales, quæ alios præſertim puſillos ſcandalizent. Sic ait Paulus 1. Corinth. 11. 38. *Oportet hæreſes eſſe*. Sic neceſſe eſt in genere, & in confuſo, vt homo etiam iuſtus aliquando peccet venialiter, licet, ſinguli particulares eius actus ſint liberi, non neceſſarij, ideoque ſigillatim ſingula peccata venialia vitare poſſit, ſed non omnia ſimul; quia eſto in ſingulis poſſit adhibere illam attentionem & curam, vt non peccet, tamen impoſſibile eſt, vt in omnibus ſimul ſumptis illam adhibeat, quin aliquando illam remittat, deficiat, labatur & ceſpitet. Hæc enim eſt infirmitas mentis humanæ poſt lapſum. Sic neceſſe eſt, vt peritiſſimus ſagittarius, qui certò configit ſcopum, quoties ei lubet, aliquando ab eo aberret, ſi ſæpiùs & ſæpiùs in illum ſagittas eiaculetur. Hæc eſt enim fragilitas humana, vt oculi, manus, & mens non poſſint continuare diu rigorem attentionis ſuę, vt centum continuis vicibus ſcopum configat, ſed neceſſe ſit vt aliquando ab eo aberret.

*Neceſſe eſt fieri ſcandala. Cur?*

VERVMTAMEN VÆ HOMINI PER QVEM SCANDALVM VENIT] Quia ipſe determinatè & liberè in hoc illove actu particulari improbo vel indiſcreto dat puſillis ſcandalum, itaque grauiter peccat, reumque ſe facit gehennæ. S. Hieronimus & Beda hæc attribuunt Iudę, qui ſummum orbi dedit ſcandalum, dum prodidit Chriſtum. Verùm generalis eſt hæc Chriſti ſententia, quia omnibus, qui dant ſcandalum, vę æternæ damnationis intentat. Docet hîc Chriſtus de ſcandalis tria, ſcilicet primò quantum illorum ſit momentum, pondus, & grauitas. Secundò, quanta ſit eorumdem copia, & neceſſitas ſaltem in genere. Tertiò, quãtâ diligentiâ ſint cauenda, vnde de tertio hoc ſubdit:

VERS. 8. Suprà 5. 30. Mar. 9. 43. & 45.

SI AVTEM MANVS TVA VEL PES TVVS SCANDALIZAT TE, ABSCIDE EVM, ET PROIICE ABS TE: BONVM TIBI EST AD VITAM INGREDI DEBILEM VEL CLAVDVM, QVAM DVAS MANVS, VEL DVOS PEDES HABENTEM MITTI IN IGNEM ÆTERNVM.

VERS. 9. Suprà 5. 30. Mar. 9. 47.

ET SI OCVLVS TVVS SCANDALIZAT TE, ERVE EVM, ET PROIICE ABS TE: BONVM TIBI EST CVM VNO OCVLO IN VITAM INTRARE, QVAM DVOS OCVLOS HABENTEM MITTI IN GEHENNAM IGNIS] Vtrumque hunc verſum audiuimus cap. 5. verſ. 30. vbi eum explicui.

VERS. 10.

VIDETE NE CONTEMNATIS VNVM EX HIS PVSILLIS] Humilibus & abiectis, quos mundus quaſi viles, inualidos & impotentes, miſeros & inopes cõtemnit: quia licet ipſi ſint inualidi; validos tamen habent Angelos cuſtodes, qui vos apud Deum patrem, quem ſemper vident, quaſi eius familiares & intimi, accuſent, ac eius iuſſu, ſcandala & iniurias ipſis, vtpote ſuæ curæ à Deo commiſſis, irrogata acriter caſtigent & vindicẽt. Prima hęc eſt ratio, quâ probat puſillos, & abiectos non eſſe contemnendos.

DICO ENIM VOBIS, QVIA ANGELI EORVM IN CÆLIS SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS MEI, QVI IN CÆLIS EST] Ex hoc loco & ex Geneſ. 48. verſ. 16. & Actor. 12. 15. ac ex communi Patrum traditione doctores docent, Chriſtianos omnes, imò homines omnes habere Angelum ad ſui cuſtodiam ab ortu vſq; ad mortem à Deo deputatum. Audi S. Hieronymum: *Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis ſuæ in cuſtodiam ſui Angelum delegatum*. Et inferiùs: *ſaluandorum igitur per Chriſtum orationes Angeli quotidie offerunt: ergo periculosè ille contemnitur, cuius deſideria ad æternum, & inuiſibilem Deum Angelorum famulatu, ac miniſterio peruehuntur*. Idem docent ceteri priſci & Neoterici doctores, quos citat Suarez libr. 6. de Angelis cap. 17. num. 8. & ſequent. vbi contra Caluinum, & Magdeburgenſes oſtendit, temerarium & erroneum eſſe, negare, ſingulis hominibus à Deo dari Angelum cuſtodem, non ſolùm fidelibus & iuſtis, vt videtur ſentire Origenes, & auctor Imperfecti hîc, ſed etiam infidelibus, impijs, & reprobis. Vnde & Antichriſtus ſuũ habebit Angelum cuſtodem, vt docet D. Thomas 1. part. queſt. 113. art. 4. ad 3. Idem Suarez cap. 18. num. 7. docet, Angelos ſingulorum hominũ cuſtodes ordinariè eſſe ex nono & infimo ordine, qui communi nomine Angelorum nominatur: nonnullis tamen perſonis eximijs vel dignitate, vel publico officio, vti Apoſtolis, Prophetis, Patriarchis, Pontificibus, Epiſcopis, regibus cuſtodes dari ex octauo ordine, qui Archangelorum dicitur. Hinc B. Virginis cuſtos fuit Gabriel, quẽ multi putant eſſe ex ordine Seraphinorum, vti oſtendi in Daniele cap. 9. verſ. 21. Igitur omnes

*Angeli cuſtodes ex quo ordine?*

omnino

omnino homines (etiam B. Virgo) habuerunt, vel habent Angelum cuſtodum. Excipio Chriſtum, quia is Angelo non eguit, cùm humanitatis ſufficiens cuſtos eſſet ipſa eius diuinitas. Habuit tamen Chriſtus ſemper ad manum plures Angelos quibus quaſi adminiſtris ad vſus quoſlibet vti poterat. Ita Suarez. Cautè hîc legendus eſt Origenes, qui dicit Angelos cuſtodes ſubinde in cuſtodia hac per negligentiam peccare, ideoque priuari quandoque viſione Dei, & ſua beatitudine; Angelos autem paruulorum ſemper eos diligenter cuſtodire, ideoq; ſemper frui Dei viſione, & beatitudine, & hoc velle hîc Chriſtũ. Hic enim eſt error. Angeli enim omnes ſunt beati, ideoqe immutabiles & impeccabiles. Ad beatitudinis enim rationem pertinet eius conſtantia, cõtinuatio, & perennitas. *Beatitudo* enim, vti etiam definit Boetius, *eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*: ingens autem bonũ eſt beatitudinis cõſtantia, certitudo, & ſecuritas; ergo illa in beatitudinis natura includitur.

*Officia Angelorum cuſtodum.*

Porrò munia & actiones Angelorum cuſtodum ſunt: Primò, pericula tam corporis, quàm animæ auertere: Secundò ſuum clientem illuminare, inſtruere, & impellere ad opera bona: Tertiò, coërcere dæmonẽ, ne ei prauas cogitationes ſuggerat, aut peccandi occaſiones offerat: Quartò, eius orationes Deo offerre: Quintò, pro eo orare: Sextò, ſi peccat, eũ corripere: Septimò, morienti aſſiſtere, eumque ad vltimam luctam confortare, & variis modis adiuuare: Octauò, poſt mortem animam in cælum deducere, vel ſi purgatione indigeat, ad purgatorium comitari, ibiq; ſubinde eam cõſolari, donec eâ peractâ illam ad cælum euehat. Vide Saurez loco citato c. 19. Denique officia & beneficia omnia ab Angelis collata hominibus, quæ in ſacra Scriptura continẽtur, collegi & recenſui Exodi 23. 20. & ſequent. Plura vide apud Andream Victorellum lib. 2. de Cuſtodia Angelorum, vbi cenſet ſummum Pontificem ſummos Angelos, ſcilicet Michaëlem. & Gabrielem habere cuſtodes.

Queres quid connotat τὸ *Angeli eorum*, ſcilicet puſillorum, qui in me credunt, vti præceſſit; æquè ac ceterorum hominum omnium? Reſpondet *S.* Chryſoſtomus notare Angelos non quoſuis, ſed ſupereminentes, quaſi paruulorum cura Angelis ſupremis ſit commiſſa, quod *S.* Thomas 1. part. quæſt. 113. artic. 3. ad 1. interpretatur de ſupremis, non in primo & ſummo Seraphinorũ, ſed in nono & infimo ordine Angelorum, ita vt in illo ſupremi ſint cuſtodes hominum, medij ſint cuſtodes animalium, infimi verò ſint cuſtodes arborum, frugum, & plantarum. Huc accedit Maldonatus, qui cenſet maiores eſſe paruulorum quàm aliorum hominum: per paruulos etiam accipit non pueros, ſed humiles & iuſtos, quorum Deum curam maiorem, quam aliorum hominum habere, tota Scriptura teſtatur. Maiores autem & honorabiliores eſſe paruulorum, quàm aliorum hominũ Angelos ex effectu probat, quia ſemper vident faciem Dei: non quòd alij Angeli eam non videant, ſed quòd eâ phraſi Hebræi ſignificent, Deo aliquem eſſe propinquum & familiarem. Sumpta eſt enim ex aulæ conſuetudine metaphora, vbi quò quis honoratior eſt, eò propinquior eſt regi, eoque frequen-

A tius in eius conſpectu verſari ſolet. Ita loquitur Regina Saba de ſeruis Salomonis 3. Reg. 10. 8. *Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.*

*Angeli amant paruulos. Cur?*

Secundò, τὸ *Angeli eorum*, notat Angelos paruulorum, peculiarem eorum habere curam, præ aliis Angelis virorum & ſenum: paruulorum inquam, tum eorũ, qui ætate, tum qui in fide, tum qui in ſorte & cõditione ſunt paruuli, id eſt, debiles, viles, humiles & abiecti. Hi enim cũ minùs valeant iudicio & prudentia, hinc maiori Angelorum indigent cura & cuſtodia. Vulgi eſt axioma: *Infantes, & amentes magis ab Angelis cuſtodiri*: Sanè niſi Angeli infantium haberent curam ſingularem, ſæpius in ignem vel aquam caderent, & a porcis & beſtiis læderentur, ab equis & curribus protererentur.

B Tertiò, *Angeli eorum* vocantur, quaſi paruulorũ proprij, familiares & peculiares amici: paruulos enim & humiles mirè Angeli amant quaſi ſuos, ſibiq; perſimiles: ipſi enim ſunt humillimi, ac ſua humilitate vicerunt ſuperbiam Luciferi, dicentes cum duce ſuo *S.* Michaële מִיכָאֵל *mi ca el*, id eſt, quis vt Deus? Multis id exemplis oſtendit noſter Philippus Berlemont in paradiſo puerorum.

*Michaëlis Etymon.*

Moraliter diſce hîc primò, magnam eſſe dignitatem animarum, vt ait *S.* Hieronymus vtpote quæ Angelos habent cuſtodes: magnam viciſſim eſſe dignationem Dei, qui nobis tam nobiles aſſignat pædagogos. Ipſi enim ſunt de quibus dicitur Pſalm. 103. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem*: magnam denique eſſe humilitatem & charitatem Angelo-

C rum, qui nos pueros ita curãt & dirigunt, nec id dedignantur, ſed amant & ambiunt, quia vident Deum & Dominum ſuum hominem factum, vt ait S. Bernard. Quocirca idem S. Bernard. in Pſal. *Qui habitat*, ſerm. 12. ad illa: *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*: *Quantam*, inquit, *tibi debet hoc verbũ inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam? Reuerentiam pro præſentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro cuſtodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adſunt Angeli (ſicut eis mandatum eſt) in omnibus vijs tuis. In quouis diuerſorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præſente, quod vidente me non auderes.*

*Angelo cuſtodi tria debemus.*

Rurſum cum Angeli ſatagant nos purgare, illuminare, & perficere, par eſt, vt eis obſequentes ad magnam ſanctitatem & perfectionem to-

D tis viribus contendamus; vt angelorum vitam & mores æmulemur, vt in carne viuamus quaſi homines cæleſtes, & Angeli terreſtres, vtpote mox ſocij & ciues eorum futuri in cælo. Nam vt ait Apoſtolus Epheſ. 2. *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues Sanctorum & domeſtici Dei.* Et Hebr. 12. *Acceſſiſtis ad Ciuitatem Dei viuentis, ad multorum millium Angelorum frequentiam.* Quare omnem immunditiam carnis & Spiritus, ac præſertim ſuperbiam & lites procul à nobis ablegemus. Nil ita ad indignationẽ prouocat Angelos, atque diſſenſiones & ſcandala (vti docet hîc Chriſtus:) ſunt enim ipſi Angeli pacis & ædificationis, ait S. Bernardus: *Exhibẽt enim Angeli iuſtitiam Deo, pacem inter ſe, gaudium ſibi*, ait idem ſerm. 2. de Verbis Apoſtoli: *Non eſt regnum Dei eſca.*



*eſca. Velut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: Sin Angelum vitæ noſtræ cuſtodẽ abigit, multa lacrymarum aſpergine dignum, ac graue olens peccatum* ait S. Baſilius in Pſal. 33. Rurſum *Angelica planè vita virginitas eſt: & qui non nubent, neque nubentur, ſimiles erunt Angelis Dei*, ait S. Bernardus ſerm. de Natiuit. B. Mariæ.

Denique cum Angelis noſtris crebrò in ſpiritu conuerſemur, & colloquamur. Vnde S. Bernardus ſerm. 12. in Pſal. *Qui habitat*: *Habetote*, ait, *familiares Angelos, fratres mei, & frequentate eos ſedula cogitatione, & deuota adoratione, qui ſemper vobis adſunt ad cuſtodiam: & conſolationem.*

Semper vident faciem Patris] id eſt, eſſentiam Dei fulgidam. Angeli vident ſemper clarè ſine velo, quaſi faciem ad faciem: *Angeli*, ait S. Auguſt. li. 9. de Ciuit. c. 22. *incommutabili & ineffabili pulchritudine* (Dei) *cuius ſancto amore inardeſcunt, omnia, quæ infrà ſunt, ſeq; ipſos inter illa contemnũt, vt ex toto, quod boni ſunt, eo bono, ex quo boni ſunt, perfruantur.* Facies ergo Dei eſt decor & fulgor ipſius diuinitatis clarè ſe manifeſtans, & videndum exhibens Angelis, itaque eos beatos efficiens: alioqui Deus propriè, vti non habet corpus, ſic nec habet faciem.

*Angeli vbique vident Deum.*

Qui in cælis est] Notant S. Gregorius 2. Moral. c. 2. & S. Bernardus ſerm. 5. de Dedic. Eccleſ. Angelos etiam, dum cælo exeunt, ſemper videre faciem Dei; quia Deus eſt vbique; ſunt enim beati vbicumque ſunt, ideoque vbicumque ſunt, in cælis eſſe dicuntur: vbi enim eſt Dei viſio & gloria, ibi eſt cęlum & paradiſus. Vnde infert S. Gregorius: *Et mittuntur igitur, & aſſiſtunt, quia per hoc, quod circumſcripti ſunt, exeunt; & per hoc, quod intus quoque præſentes ſunt, numquam recedunt. Et faciem ergo Patris ſemper vident, & tamen ad nos veniunt; quia & ad nos ſpiritali præſentia foras exeunt, & tamẽ ibi ſe per internam contemplationem ſeruant.* Et paulò ante: *Quid enim de his, quæ ſcienda ſunt, neſciunt, qui ſcientem omnia ſciunt?* Non ergo reuocantur à cuſtodia humilium ex deſiderio redeundi ad Deum, quia à Deo numquam diſtrahuntur, nec abeunt, ſed vbique eum præſentem habent & vident, ac propter Deum, & in Deo omnia agunt, & paruulos cuſtodiunt. Nam vt vir doctus ait: *Sic exterius implent miniſterium, vt tamen interius numquam deſint per contemplationem: nam quolibet miſſi veniant, intra ipſum currunt, qui vbique eſt.*

Vers. 11. Luc. 19. 10.

Venit enim Filius hominis salvare quod perierat] Græcè τὸ ἀπολωλὸς, id eſt, vt Arabicus, *quod perditum erat*, ſcilicet totum genus humanum Adæ Patris ſui peccato perditum. Eſt hæc ſecunda Chriſti ratio, cur puſilli & humiles non ſint contemnendi, nec ſcandalizandi, prima enim petita fuit ab offenſa Angelorum, qui puſillos cuſtodiunt. Senſus ergo eſt. q. d. Ego, qui ſum Chriſtus & Filius Dei, tanti facio paruulos & humiles, vt pro eorum ſalute me ſummè humiliarim, & à cælo me inclinarim vſque ad terram, ibique carnem eorum aſſumpſerim: quare eorum ſalus mihi, æquè ac Patri meo ſingulare attulit gaudium, vt patebit ex parabola ouium, quam ſubijciam verſ. ſequenti. Cauete ergo ſtudioſè, ne paruulos, quos ego tanto ſudoris & ſanguinis mei impendio redemi & ſaluaui, vos ſcandalo veſtro perdatis, alioqui non tantùm Angelos, ſed & me, ac Patrem meum, hoſtes

A & vindices experiemini, quia iniuriam & damnum, quod paruulis per ſcandalum irrogatis, mihi irrogatis. Ego enim paruulos amo vt meos filios, imò vt meos intimos; & ſingulariter electos & dilectos. Illi ergo ſunt quaſi meum peculium; quod ſi illud mihi per ſcandalum adimitis, & ſatanæ traditis, ego à vobis hoc damnum, vt meum repetam, & perditi grauis vltor exiſtam.

Quid vobis videtur, si fuerint alicui centum oves, et erraverit vna ex eis nonne relinquit nonaginta novem in montibus (vbi de more paſcuntur, iuxta illud Virgilij. Vers. 12. Luc. 15. 4.

*Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ*)

et vadit quærere eam, quæ erravit?

Et si contigerit, vt inveniat eam: Vers. 13.

B amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis] Parabolæ ſunt tres partes, ſcilicet promythium, mythos, & epimythium, hoc eſt, profabulatio, fabula, & poſtfabulatio, ſiue proparabola, parabola, & poſtparabola. Has tres partes eſt hîc videre; proparabola enim, ſiue titulus & argumentum parabolæ eſt illud verſ. 11. *Venit enim Filius hominis ſaluare quod perierat.* Parabola eſt verſ. 12. & 13. poſtparabola eſt verſ. 14. vbi ait: *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis.* Vide Canonem 27.

*Parabola ouis centeſimæ errantis.*

C Tripliciter hęc parabola applicari & explicari poteſt; primò generatim de Angelis & hominibus; ſecundò particulatim de ſolis hominibus; tertiò ſpeciatim de ſolis paruulis. Primò ergo multi generatim, per nonaginta nouem oues paſcentes in montibus, accipiunt ſanctos Angelos in cęlis Deo fruentes, qui numquam peccarunt, per ouem verò centeſimam, quæ errauit, accipiunt totum genus humanum, quod in Adamo peccauit, quod vt redimeret, & in viam ſalutis reduceret Chriſtus, relictis quaſi Angelis, de cælo deſcendit in terram factus homo. Ita S. Hilarius, Theophyl. Anſelmus hîc, & Gregor. hom. 34. in Euang. Cyrillus catech. 15. S. Ambroſius in Apolog. Dauid. c. 5. Irenęus lib. 3. cap. 21. Origenes hom. 2. in Geneſ. & alij plures. Hinc collige quanta ſit multitudo Angelorum, quæ tantum excedit numerum omnium hominum, qui fue-

D runt, ſunt, & erunt, quantum nonaginta nouem excedunt vnitatem.

Dices. Oues hæ ſunt oues filij hominis, Chriſtus autem vt homo non pauit Angelos, ſed homines dumtaxat; imò Chriſtus necdum erat homo, cùm ouem centeſimam, id eſt, hominem quæſiturus in mundum & carnem noſtram deſcendit. Reſpondetur; Angelos eſſe oues Filij hominis: Primò materialiter, quia ſunt oues Filij Dei, qui idem eſt filius hominis. Vnde in poſtparabola non nominatur Filius hominis, ſed Deus Pater, cùm ait: *Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, &c. vt pereat vnus de puſillis iſtis.*

*Chriſtus meruit Angelis gratiã & gloriam.*

Secundò, etiam formaliter: quia Chriſtus quà homo, eſt ſaluator quoque Angelorum; ſed non redemptor, vti eſt hominum: nam Angelis meruit omnem gratiam & gloriam, hoc eſt, electionem,

A ctionem, prædeſtinationem, vocationem, auxilia omnia excitantia, adiuuantia, ſufficientia, & efficacia; ac denique omne meritum & augmentum gratiæ & gloriæ. Quare Chriſtus fuit cauſa meritoria gratiæ & gloriæ Angelorum, ac viciſſim Angeli habuere fidem viuam Chriſti incarnati, atque per eam iuſtificati ſunt. Ita Richardus, Albertus, Catharinus, Galatinus, & alij, quos citat & ſequitur Franc. Suarez 3. p. q. 19. diſp. 42. ſect. 1. licèt Paludanus, Durandus, Bonauentura & Alenſis contrarium ſentiant, ſcilicet Chriſtum hominibus ſolis, non Angelis meruiſſe gratiam & gloriam. Sic ergo Chriſtus quaſi paſtor pauit Angelos.

*Secundo.* Secundò, particulatim per oues accipi poſſunt ſoli homines ſed ita vt ijs applicetur tota parabola ſimul, non autẽ ſingulę eius partes, iuxta ca- B nonem 28. & 29. Scopus enim Chriſti, ſiue id, in quo ipſe cõparationem ponit, & parabolam applicat, dumtaxat ſpectandus eſt, ſcilicet q. d. Sicut paſtor ouium quærit ouem errantem etiam vnicam, eaque reperta gaudet. Sic & Chriſtus quæſiuit genus humanum, eoque reducto gauiſus eſt. Simul tamen propriè & directè intendit, vt patet ex poſtparabola verſ. 14. ſignificare ſuum optimi paſtoris zelum, ſcilicet quòd ſi centum dumtaxat eſſent homines, è quibus vnus ſolus erraſſet, ipſe nonaginta nouem relicturus eſſet, vt illum vnicum errantem quęreret. Qua de re pulchra extat viſio S. Carpi apud Dionyſium Ariopag. epiſt. 8. ad Demophilum. Et ſic hanc parabolam explicat Chriſtus Lucæ 15. 4. Ita Ianſenius, Maldon. & alij.

*Tertio.* Tertiò, ſpeciatim hæc parabola applicanda eſt puſillis, id eſt pauperibus, vilibus, rudibus, ſim- C plicibus, humilibus, qui puſilli ſunt in ſapientia, honore & opibus, virtute & prudentia. His enim applicat Chriſtus verſ. 14. & ad puſillos ſpectant omnia præcedentia; quare puſillos velut ouiculam errantem opponit 99. ouibus non errantibvs, hoc eſt ijs, qui magni ſunt opibus, prudentia, virture, auctoritate, aut magnos ſe æſtimant: hi enim minùs errare & peccare æſtimantur: ſolent enim oues puſillæ, v. g. agni, vtpote ſimplices & inexperti, faciliùs errare quàm oues grandes, quæ paſtorem & ſocias intueri & ſequi ſolent. Senſus ergo eſt. q. d. Sicut paſtor habens nonaginta nouem oues, ſi centeſima puſilla, putà agnus quis, à grege aberrarit, relinquit nonaginta nouem, & agnum errantem quærit: ſic Chriſtus eos, qui per gratiam ſuam iam in fide & virtute D magni ſunt, aut magnos ſe æſtimant, quorum ingens eſt numerus, ſibi, ſuorumque curæ relinquit. At uerò ſi paruulus quis in fide, virtute & prudentia à via ſalutis aberret, eum per ſe, & per ſuos Angelos, doctores & prædicatores quærit, vt in viam reducat: ſingularis enim ipſe de puſillis, vtpote ab aliis deſertis, & ſibi derelictis eſt cura, amor, & prouidentia. Hunc genuinum eſſe ſenſum liquet ex dictis, & ex eo, quòd Chriſtus parabolam hanc iterans Lucæ 15. 4. ita eam explicet. niſi quòd per nonaginta nouem oues accipiat iuſtos, per centeſimam errantem accipiat peccatorem: hîc verò per nonaginta nouem accipiat magnos, per centeſimam errantem verò puſillos, vti dixi, ſed hoc eodem redit; magni enim ſunt iuſti, puſilli verò ſunt peccatores. Ita ferè Franc. Lucas.

A GAVDET SVPER EAM MAGIS, QVAM SVPER NONAGINTA NOVEM, QVÆ NON ERRAVERVNT] Habitu magis gaudet paſtor ſuper 99. ouibus vtpote pluribus, quàm ſuper vna. Vnde ſi rogaretur, mauiſne perdere 99. oues, quàm ſolùm vnam illam errantem, diceret, nequaquam; malo enim vnam perdere, quàm nonaginta nouem: actu tamen hîc & nunc magis gaudet ſuper vna, quæ errauerat reperta, & in viam ſalutis reducta; tum quia hæc noua reductio nouum ingenſque ciet gaudium, tum quia pellit triſtitiam ex vnius perditione conceptam, magis enim ſentitur gaudium, quod repentè ſuccedit triſtitiæ, cùm ipſa triſtitia in gaudium vertitur. Id patet quotidiana experientia. *Mater Romana ad filij conſpectum præ gaudio moritur.* Referunt hiſtoriæ Romanæ matrem, quæ mœrebat ob necem filij, B qui in Cannenſi pugna dicebatur cæſus, cùm repentè eum rediuiuum conſpexiſſet, præ gaudio fuiſſe exanimatam. Sic ſi vrbs aliqua, vel prouincia ab hæreſi vel paganiſmo conuertatur ad fidem, magis ob id exultamus, quàm de ceteris vrbibus, aut prouincijs iam pridem conuerſis. Nouitas enim rei magnæ & difficilis, pręſertim inopinatæ, ingens ciet in mente pathos. Ab aſſuetis enim non fit paſſio, vt ait Philoſophus. Hæc eſt quaſi tertia ratio, qua Chriſtus per parabolam probat paruulos non eſſe ſpernendos.

SIC NON EST VOLVNTAS ANTE PATREM VESTRVM] id eſt, ſic non eſt beneplacitum coram Deo, ſic Deus nõ vult, nec placet ei. Eſt redditio comparationis ſiue parabolę. q. d. Sicut paſtor nõ vult, nec ſinit perire vnam è ſuis ouiculis, licèt minimam, v. g. vnum agnellum, eumque plus C quærat & quærit, quàm 99. magnas & validas; ſic & Deus non vult perire vnum ex puſillis, ſed magis eum curat, quàm multos magnos.

SI AVTEM PECCAVERIT (Syrus, *errauerit*, vt alludat ad ouem errantem, de qua ſermo præceſſit) IN TE FRATER TVVS, VADE, ET CORRIPE EVM INTER TE ET IPSVM SOLVM; SI TE AVDIERIT, LVCRATVS ERIS FRATREM TVVM] Tranſit Chriſtus appoſitè à puſillis ad peccatores, quia hi puſilli ſunt, id eſt viles & abiecti: quid enim viliùs peccato & peccatore? ſicut ergo docuit non contemnendos eſſe puſillos, qui ſcandalizantur: ſic nunc docet pariter non contemnendos eſſe peccatores, qui alios ſcandalizant & lædunt, nec vlciſcendos eſſe ob illatam iniuriam, ſed ex charitate corripiendos, vt Dei gratiæ, & D ſuæ ſaluti reſtituantur. Ita Chryſoſtomus & Theophylactus. Dat ergo Chriſtus hoc remedium, quo tollatur ſcandalum, ſcilicet correptionem eius, qui ſcandalum dedit, eoque alios læſit.

SI AVTEM PECCAVERIT IN TE] Nouatores quidam τὸ *in te* exponunt *te ſolo ſciente*. q. d. Si quis peccauit ſecretò & priuatim, ſecretò eum corripe; nam publicè peccans, publicè corripiendus eſt ad aliorum exemplum. Verùm nuſquam τὸ *in te* accipitur pro *te ſolo conſcio*. Et Lucas τὸ *in te* exponit *contra te*. Ait enim cap. 17. 3. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: ſi autem pœnitentiam egerit, dimitte illi*, ſcilicet id quod in te, id eſt, contra te peccauit. Sic & intellexit S. Petrus, qui verſ. 21. ex hoc Chriſti dicto ſubinfert & quærit; *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Alludit Chriſtus ad illud Leuit. 19.

VERS. 15. Luc. 17. 3.

*Correctio fraterna à Chriſto præcipitur.*

v. 17.



A v. 7. *Non oderis fratrem in corde tuo, ſed publicè argue eum*, q. d. Noli occultum fouere odium & vindictam contra proximum, qui te læſit, ſed apertè & palàm ſignifica illi, te ab illo læſum, vt ſe emendet, læſionem tollat, tibique & Deo pœnitendo ſatisfaciat. Vnde Tertullianus li. 4. contra Marcionem cap. 35. hunc locũ Leuitici accipit de correptione fraterna, quaſi illa Iudæis fuerit præcepta.

*Lex correptionis fraternæ.* Dices: Ergo ſolùm in iniuriis nobis illatis corripiendus eſt proximus, non autem in aliis peccatis contra Deum admiſſis. Reſpond. neg. conſequentiam, quia per ſynecdochen Chriſtus ſub iniuriis nobis illatis, cetera omnia peccata intelligit; nam eadem, imò maior aliorum peccatorum eſt ratio. Si enim corripiendus eſt proximus in iniuriis nobis illatis, ergo multò magis in ceteris offenſis, quibus Deum, quan- B tum in ſe eſt, læſit. Magis enim Deum, quàm nos amare debemus; ac conſequentur magis eius, quàm noſtras iniurias auertere. Chriſtus tamen meminit ſolius peccati contra nos admiſſi, vt vindictæ frænum iniiceret, illique ſurrogaret charitatem, ex eaque fraternam correptionem. q. d. Si frater, id eſt, proximus tuus quippiam contra te commiſit, te offendit & læſit, noli id ex ſpiritu iræ publicare & vindicare, ſed priùs amanter & ſecretò eum corripe, ſubintellige, ſi ſpes eſt emendationis, ſcilicet quòd ipſe priuatim à te monitus, ſe emendabit & corriget: alioqui ſi hæc ſpes non ſubeſt, omiſſa priuata correptione eundum eſt ad correptionem coram teſtibus: quòd ſi nec in hac ſit ſpes, denuntiandus eſt Eccleſiæ, id eſt, paſtori, vel prælato: ſi nec in eo ſit ſpes emenda- C tionis, correptio hæc omnino omittenda eſt, & Deo relinquenda. Ratio à priori eſt quòd ſicut charitas me obligat, vt ſucurram proximo in graui neceſſitate corporali conſtituto; ſic magis me obligat, vt ſuccurram ei in ſpirituali neceſſitate, qualis eſt ſtatus peccati & damnationis: hic enim longè peior eſt ſtatu famis, carceris, vel mortis. Porrò rectè Suarez 2. 2. q. 33. Præter ſpem fructus, inquit, vt obliget hoc præceptum, neceſſe eſt, vt proximus indigeat mea correctione; quia videlicet probabiliter timeo, niſi corrigam proximum, ſimilia peccata commiſſurum, vel certè longo tempore, & cum graui damno ſuo in eo peccato permanſurum. Probatur, quia hoc eſt preceptum affirmatiuum miſericordiæ; ergo non obligat, niſi iuxta regulas ſimilium præceptorum: ergo tantùm D in articulo neceſſitatis. Quare S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Hieronimus, Baſilius, Theophylactus, quos citat & ſequitur hîc Salmeron tom. 4. tract. 11. pag. 3. qui pręceptum hoc correptionis tantùm accipiunt de corripiẽdo eo, qui nos offendit, intelligendi ſunt. q. d. Id expreſsè dumtaxat hîc à Chriſto nominari & pręcipi, ſed non negant implicitè ſub vna peccati ſpecie, totum reliquum peccati genus ſubintelligi. Cauſam dat S. Chryſoſtomus: *Faciliùs*, ait, *ſuſtinet correptionem, qui fecit iniuriam, ab eo, qui paſſus eſt, cùm videt eum ſuam ſalutem quærere, & non vindictam; maximè ſi ſolus corripiat.* Vt hoc pleniùs intelligatur.

*An ſit conſilij, an præcepti?* Quæritur, an hæc correptio ſit præcepti, an conſilij dumtaxat. Rurſum an omnes fideles



A obliget, an ſacerdotes tantùm & ſuperiores? *Et quos obliget? Reſp. Primò.* Primò, S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Hilarius, Baſilius, Theophylactus, Michaël Medina, Bonauentura, & ex ijs Salmeron, iam citati cenſent correptionem, de qua Chriſtus hîc agit; tantùm ſpectare eos, qui in nos peccarunt. q. d. Eum, qui te læſit, noli vlciſci, ſed amanter corripe, & ſic correptionem hanc eſſe conſilij potiùs, quàm præcepti. Multis rationibus id probat hîc Salmeron, qui cautè & acri oculo hîc eſt legendus, imò totus perlegendus. Videtur enim tract. 11. hunc correptionis modum à Chriſto ſancitum conuellere, & reprobare quaſi inutilem, obſcurum, & ſæpè pernicioſum. Verùm loquitur ipſe ex ſententia non ſua, ſed aliorum citatorum, vti ipſe expreſsè profitetur initio cap. 11. Rurſum non conuellit ſententiam Chriſti, ſed Interpretum & Scholaſtico- B rum, qui ſententiam Chriſti extendunt ad omnes omnino caſus, vt velint hunc ordinem corripiendi ſeruari in omnibus omnino peccatis, & peccatoribus; cùm Chriſtus expreſsè tantùm eum ſanciat in correptione eorum, qui in nos peccarunt. Oſtendit enim ipſe hunc ordinem ſæpè non poſſe ſeruari, niſi cum pernicie reipublicæ, vt clarè patet in hæreſi, quæ vt cancer ſerpit. Idem oſtendit Gregorius de Valentia 2. 2. quæſtion. 33. vbi ſex caſus recenſet, in quibus ordo hîc à Chriſto in correptione ſancitus, ſeruari nequit. Et Suarez tom. 4. de Religione lib. 10. cap. 7. vbi ferè argumentis Salmeronis vtitur, ex ijſque docet, probabilem eſſe iſtorum ſententiam, qui dicunt Chriſtum hîc tantùm ſancire, vt illos, qui nos læſerunt, non vlciſcamur, ſed fraternè corripiamus. Denique Sal- C meron tractat. 10. communem interpretum de corripiendis peccatoribus quibuſlibet explicationem & doctrinam ſequitur, multiſque confirmat.

*Secundo.* Secundò, Ioannes Andreæ apud Panormit. in capit. *Nouit* de Iudicijs, & Armacanus in quæſtion. Armenorum cenſent correptionem præcipi ſacerdotibus, & prælatis dumtaxat: laicis verò & ſubditis conſuli, non præcipi. Fauet cap. *Sed illud*, diſtinct. 45. & Gloſſa in cap. *Si quis peccauerit*. 2. quæſtion. 1. vbi durum eſſe dicitur, omnes ad hoc præceptum teneri: quia omnes tranſgreſſores eius conſtitueret, cùm vix aliquis illud ſeruet, exceptis prælatis. Fauet, quòd Chriſtus mox ſolis Apoſtolis dicat: *Quæcumque alligaueritis ſuper terram*, &c. Huc accedit Franciſcus Maioris (videtur legendum Mayronis, qui à D Pariſienſibus doctor illuminatus nuncupatur) citatus à Salmerone, qui commentans in lib. 1. S. Auguſtini de Ciuit. Dei cap. 9. ait: *Numquam eſt peccatum mortale correptionis emiſſio, niſi cùm eam omittens peccato alterius conſentit, aut cooperatur. Si autem malum alterius diſſimulet, vel in ipſo citra conſenſum delectetur, eſt veniale.* Verùm hoc nimis eſt laxum.

*Tertiò.* Tertiò, alij cenſent correptionem hanc ſolis iuſtis præcipi, quia non congruit, vt peccatorem corripiat is, qui eodem aut ſimili peccato eſt obnoxius. Fauere videtur huic opinioni Abulenſis. Verùm dico correptionem hîc à Chriſto ſancitam non tantùm conſilij eſſe, ſed & præcepti, ac omnes fideles obligare: nam licèt Chriſtus expreſsè, tantùm dicat corripiendos



eos,

eos, qui in nos peccarunt: tamen à pari vult illud extendi ad quoſlibet peccatores. Ita paſſim Interpretes & Scholaſtici omnes cum D. Thoma 2.2. quæſt. 33. ac fusè Suarez tom. 4. de Religione, lib. 10. cap. 7. num. 11. patet ex τὸ *frater*: Frater enim ſignificat quemuis fidelem & Chriſtianum, ac potiùs æqualem, quàm ſuperiorem. Licèt enim infideles quandoque quoque corrigendi ſint: tamen Chriſtus hîc tantùm agit de fidelibus, vt pote ſuis, ſuæque Eccleſiæ ſubditis: nam infideles ab Eccleſia puniri vel excommunicari nequeunt, cùm ei non ſubſint.

*Ratio à priori.*

Ratio à priori eſt, quia hoc correptionis præceptum tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad modum & ordinem, non tam poſitiuum eſt & iuris diuini (vtpote à Chriſto, qui Deus eſt, hîc ſancitum) quàm iuris naturæ, connaturale ſcilicet charitati & gratiæ. Charitas enim exigit, vt proximum peccantem in viam ſalutis corripiendo reducamus, atque vt pudori (*Ne, ſi ſemel pudorem atque verecundiam amiſerit, permaneat in peccato*, ait S. Hieronymus) & famæ eius conſulamus; primò ſecretò; deinde, ſi id non iuuet, coram vno aut altero teſte eum corrigamus. Agitur enim hîc de correctione non publica & iudiciali, quæ ad iuſtam ſcelerum punitionem ac damni, per illa reipub. illati, reparationem & ſatisfactionem refertur; ſed de priuata, quæ ad proximi peccantis emendationem & ſalutem dirigitur & tendit. Hanc rationem dat vrgetque S. Auguſtinus ſer. 16. de Verbis Apoſtoli: *Corripe*, ait, *inter te & ipſum ſolum intendens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum, & quem vis correctiorem, facis peiorem.* Et nonnullis interiectis: *Obliuiſcere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui, nec ſinas eum tuo ſilentio perire. Si ſolus noſti, & vis coram pluribus arguere, non es corrector, ſed proditor.*

*Charitas & diſcretio in correctione valdè requiſita.*

Quare vt hæc correptio, quæ ex ſe eſt odioſa, ſit fructuoſa & efficax, duo maximè requiruntur, ſcilicet charitas & prudentia, ſiue diſcretio. Charitas, vt is, qui peccat, ſentiat correptionem proficiſci non ex odio vel faſtu, ſed ex amore & compaſſione. Prudentia, vt fiat modeſtè, leniter, ac eo loco, tempore & modo, quo putatur is, qui peccauit, eam grato animo accepturus, & ſe emendaturus; iuxta illud Apoſtoli Galat. 6. 1. *Inſtruite in ſpiritu lenitatis*, &c. Sapienter S. Gregorius Nazianzenus orat. de Modeſtia in diſputationis feruore ſeruanda: *Hanc rationem*, inquit, *tene, vt partim illum corrigas, idq; leniter & humanè, non vt hoſtis, neque vt durus & rigidus medicus, neque vt ſectionibus tantùm & cauterijs aduerſus morbum ſciens graſſaris; partim teipſum accuſes, infirmitatiſq; tuæ tibi conſcius ſis.* Et S. Leo epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalon. Epiſcopum cap. 1. *Plus*, inquit, *erga corrigentem agat beneuolentia, quàm ſeueritas; plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quàm poteſtas.*

*Correctionis neceſſitas.*

Porrò tanta eſt mutuò nos corrigendi neceſſitas, vt quidam ſanctus Pater dicere ſolitus ſit mundum nulla alia de cauſa magis perire, quàm ob omiſſionem correptionis fraternæ, & ob violatum vitandæ fornicationis præceptum. Et S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. Dei ca. 9. ob omiſſionem fraternæ huius correptionis teſtatur, in hoc mundo bonos cum malis grauiſſimis calamitatibus affligi. S. Gregorius li. 7. epiſt. 117. & citatur diſtinct. 8. cap. 5. *Conſentire videtur erranti*, inquit, *qui corripienda, vt reſecari debeant, non occurrit.* Vnde Gloſſa: *Ita peccat*, ait, *qui videns fratrem peccare, tacet, ſicut qui pœnitenti non indulget.* Cauſas accuſantes vel excuſantes à correptione dat S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. c. 4. *Plerumque enim*, ait, *à malis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis & corripiendis malè diſſimulatur, vel cùm laboris piget, vel cùm eorum inimicitias deuitamus, ne impediant & noceant in iſtis temporalibus rebus, ſiue quas adipiſci adhuc noſtra cupiditas appetit, ſiue quas adhuc amittere formidat infirmitas. Si autem propterea quiſque obiurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquiritur, vel iiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitã & piam erudiendos impediant alios infirmos, aut premant, atque auertant à fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium charitatis. Longè autem grauiorem habeant cauſam Eccleſiarum Præpoſiti, qui in Eccleſijs conſtituti ſunt, vt non parcant obiurgando peccata.*

*Eam docent elementa.*

Hanc correptionem docet nos ipſa elementorum natura: ſic enim ignis caſtigat, & vrendo purgat aërem: aër per flabra ventorum caſtigat, purgatque aquam; aqua pariter terram. Accedit vocis etymon: *corrigere* enim eſt ſimul *cum alio regere*: qui enim à ſe ſolo regi nequit, neceſſe eſt, vt ab alio ſe adiuuante & corripiente regatur. Singulares in corrigendo extitere Moyſes, populum idololatram capite plectendo; Phinees, Helias, Ioannes Baptiſta, & Chriſtus Dominus, qui de templo, flagello facto ex funiculis, bis eiecit vendentes & ementes: neque charitas Chriſtiana in aliquo eſſe poteſt, niſi fratri peccanti medicamentum correptionis adhibeat.

*Exempla.*

*Obligat in peccato mortali.*

Denique ordinariè correptio fraterna obligat dumtaxat, cùm peccatum eſt graue & mortale: licèt enim Caietanus, Valentia & D. Soto cenſeant nos obligari etiam ad corripiendum, cùm peccatum eſt veniale: tamen id communiter non videtur verum, nec in praxi vſitatum, niſi ex veniali ſequatur graue damnum vel ſcandalum: alioqui enim ad ſingula venialia corripere, & corripi eſſet onus corripienti, æquè ac correpto intolerabile, imò moraliter impoſſibile. Ita Abulenſis, Adrianus, Paludanus, Gabriel, Syluester quos citat & ſequitur Suarez 2. 2. tract. de Charitate, diſput. 8. ſect. 2. de Dom. Bannes 2.2. quæſt. 33. art. 2.

SI TE AVDIERIT, LVCRATVS ERIS FRATREM TVVM] q.d. Pereuntem ſaluaſti, ac lucratus es Deo, & cælo eum, qui erat reus gehennæ & ſatanæ, imò lucratus es eum tibi, quia & tu & ille damnum paſſi eratis ex diſcordia, ait ſanctus Chryſoſtomus: *Per ſalutem enim alterius nobis quoque acquiritur ſalus*, ait ſanctus Hieronymus.

SI AVTEM TE NON AVDIERIT, ADHIBE TECVM ADHVC VNVM VEL DVOS (vel ſeorſim & viciſſim nunc vnum, nunc alterum, vt ait S. Hieronymus, vel potiùs vtrumque ſimul) VT IN ORE DVORVM VEL TRIVM TESTIVM STET (Syrus, *conſtet*) OMNE VERBVM] Iubet Chriſtus, vt ſi correptus ſecretam monitionem reſpuat, corripiatur coram vno aut duobus, duabus de cauſis. Prima eſt, vt qui coram vno non erubuit, erubeſcat coram pluribus, vtque plures teſtes eum de peccato faciliùs & efficaciùs conuincant, **VERS. 16.**



ac emendationem perſuadeant. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & S. Auguſtinus ſerm. 16. de Verbis Domini. Secũda, vt ſi nec coram eis velit audire, ſeſeque corrigere, illi ſint teſtes, qui idipſum Eccleſiæ atteſtentur.

VT IN ORE DVORVM, &c.] Citat. Deuter. ca. 19. verſ. 15. Vide ibi dicta. Requiſiuit duos teſtes; cùm ergo hîc ait *trium*, annumerat ipſum correptorem.

**VERS. 17.** QVOD SI NON AVDIERIT EOS, DIC ECCLESIÆ] Hic eſt tertius gradus in ordine correptionis ſeruandus, vt ſcilicet qui nolunt audire monentem, nec teſtes, deferatur ad Eccleſiam, id eſt, ad paſtorem & ſuperiorem, ſiue Prælatum, tamquam ad patrem ſpiritualem, æquè ac iudicem, vt tamquam paternè, ſed maiori auctoritate & pondere peccatum corripiat & feriat, itaque emendet: ſin ille nolit corrigi, eum à cœtu fidelium vt iudex excludat & abſcindat. Quinque actus, ait Suarez, notandi ſunt in hoc ordine ex Matth. 18. Primus, eſt admonitio ſecreta: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Secundus correptio: *Coram vno vel duobus adhibitis.* Tertius, denuntiatio: *Dic Eccleſiæ*, Quartus, correptio Prælati: *Si Eccleſiam non audierit.* Quintus, coactio per excommunicationem: *Sit tibi tãquam Ethnicus.* Qui omnes actus per ſe ſinguli cadũt ſine dubio in præceptum, quia eodem tenore omnes proponuntur; & omnes fundantur in charitate & miſericordia.

*Ordo correptionis non ſeruandus certis caſibus.*

Porrò varias ob cauſas hic ordo omitti vel inuerti poteſt, ac ſubinde debet, vt is, qui peccauit, ſtatim deferatur ad ſuperiorem, vti oſtendit Salmeron hîc, & Gregorius de Valentia 2.2. q. 33. Prima cauſa & caſus eſt, cùm peccatum eſt publicum, vt famæ eius, qui peccauit, per ſecretam monitionem conſuli nequeat, multò minùs ſcãdalo publico, quod peccans peccando dedit. *Primò.* Secundò, cùm peccatum eſt noxium tertiæ perſonæ, vel reipublicæ, vti eſt hæreſis, quæ vt cancer ſerpit, ideoque ſtatim ſumma vi per paſtorem & Epiſcopum inhibenda & recidenda eſt. *Secundò.* Tertiò, ſi conſtet monitionem ſecretam, vel coram teſtibus non profuturam; nam vt ait Adrianus: *Fruſtrà niti, & nihil aliud laborãdo, quàm odium quærere, extremæ dementiæ eſt.* *Tertiò.* Quartò, ſi correptus cedat iuri ſuo, ſuęque famę, ac contentus ſit vt peccatum ſuum illicò deferatur ad ſuperiorem, vti in Societate Ieſu qui eam ingrediuntur, expreſsè rogantur hac de re in examine, ac rogati reſpondent ſe contentos eſſe, vt id fiat. *Quartò.* In Societate ergo & alijs religionibus ſimilibus, rectè & perfectè per omnia ordinatis, alius corrigendi ordo præſcribitur, ſcilicet vt ſtatim res deferatur ad ſuperiorem, quia religioſis proponitur hæc regula in ingreſſu; vnde ipſi cedunt iuri famæ ſuæ, non ergo illis fit iniuria. Ratio eſt prima, quia ad bonum publicum expedit, ne peccatum inficiat alios, vt à ſuperiore ſtatim ei obuietur: defectus enim noxius religioni vix poteſt efficaciter corrigi ſine ſuperiore, imò vix eſt ſpes emendationis perfectę ſine ſuperiore. *Ratio Prima.* Secundò, quia religio eſt ſchola humilitatis, mortificationis, contemptus honoris, & famæ. *Secunda.* Tertiò, quia religioſi ſunt fratres: qui autem corripit, videtur agere ſuperiorem alterius: eum enim docet, corrigit, inſtruit. Vnde hæ correptiones æqualium in religione ſæpè ſunt odioſæ, & lædunt charitatem. *Tertia.* Hinc regula noſtra iubet, ne quis alium reprehendat. Quartò, quia in Societate noſtra ſinguli tenentur reddere rationem conſciẽtię, ſuoſque exponere defectus ſuperiori: ergo & pati, vt alij, ſi viderint illos, eidem aperiant. *Quarta.* Quintò, quia directio religionis eſt ſpiritualis & paterna: vt ergo ſuperior ſingulos & omnes dirigere poſſit in ſpiritu & pace, expedit, eum omnes ſingulorum defectus noſſe. *Quinta.* Ita docet S. Bonauentura in cap. 17. Lucæ & in Regul. S. Franciſci, qui fuit magiſter generalis ordinis Minorum; imò ſub eo celebratum fuit capitulum generale, in quo iubetur incarcerari, qui aliter docuerit. Et S. Auguſtinus epiſt. 109. in regula monacharũ ſancit, vt ſi monacha alterius petulãtem oculi iactum viderit, ſecretò moneat; ſi iteret petulantiam, imò ex veniali fortè fiat mortalis, deferat ad ſuperiorem. Similia habet S. Baſilius in regulis fuſiùs explic. reg. 46. Temerè ergo hoc ſtatutum religionum carpſerunt nonnulli: Statuta enim hæc probata ſunt à Sede apoſtolica. Idẽ diſertè decernunt ſtatuta ordinis Prædicatorum diſt. 1. c. 18. Ita S. Thomas, Richardus, Angelus, Salmeron, Suarez, & alij. Vide Suarez tom. 4. de Relig. cap. 7. vbi addit in Societate, & ceteris religionibus ſeruari quoque hunc ordinem Chriſti, vt ſi ſpes certa ſit ſecretam monitionem emendaturam proximi defectum, non deferatur ad ſuperiorem. Porrò in viſitationibus Epiſcoporum & Abbatum alius quoque ſeruatur ordo. Ipſi enim ſub cenſuris iubent peccata ſibi denuntiari. Verùm hi procedũt nõ per modum correptionis fraternæ, ſed iudiciariæ inquiſitionis, vel accuſationis, de quo hîc non agit Chriſtus. Vide Leſſium de Iuſtitia & iure.

*Tres canones correptionis.*

Denique hîc notandi ſunt tres canones, qui ſi ſeruentur, nõ peccabitur in ordine correptionis fraternæ. Primus eſt, bonum publicum, v.g. reipub. vel communitatis præponderat, ideoque præponendum eſt bono priuato. Secundus, bonum animæ & ſalutis proximi præponderat, & prępouendum eſt bono famæ eiuſdem. Tertius, famæ proximi ſemper conſulendum eſt, quantũ ſaluo bono communi & animæ proximi fieri poteſt.

*Dic Eccleſiæ Cui? Reſp. Primò.*

DIC ECCLESIÆ] Propriæ, id eſt, paſtori proprio, qui Eccleſiæ tuæ præeſt: vt hoc pleniùs intelligatur. Quæritur, quid hîc ſignificet Eccleſia? S. Hieronymus & S. Anſelmus hîc, ac S. Gregorius lib. 4. epiſt. 38. intelligunt fidelium cœtum & multitudinem; quaſi Chriſtus hîc velit, vt coram ea talis arguatur, vt pudefiat, itaque emendetur. Hoc auidè Zuinglius & Nouantes ſequuntur, vt democraticum & populare Eccleſiæ regimen ſanciant, itaque populo adulentur. Vnde Caſtalion pro *dic Eccleſiæ*, profanè vertit *dic reipub.* Alij, *dic communitati.* Verùm S. Chryſoſtom. Theophyl. Euthymius, & alij paſſim per Eccleſiam accipiunt Eccleſiæ paſtores & Prælatos, qui Eccleſiam ſiue ſeorſim, ſiue in ſynodo & Concilio repræſentant; ſicut magiſtratus repræſentat rempublicam, & rex regnum. *Secundò verè.* Et probatur primò, quia Chriſtus iubet hîc Eccleſiam audiri, id eſt, Eccleſiæ obediri à reo, alioqui hoc ipſo habendum pro excommunicato, imò pro Ethnico. Hęc autem obedientia *Prob. Primò.*

*Secundo. Tertiò. Quarto.*

Prȩlatis tantùm Eccleſiæ defertur, vt patet, imò hæc ratio perſuaſit Caluino, id quod dicimus. Secundò, quia Chriſtus Eccleſiã explicans, ſubdit: *Quæcumque alligaueritis*, vos, ſcilicet ô Apoſtoli Eccleſiæ principes, & qui vobis ſuccedent, Epiſcopi, & paſtores. Tertiò, quia perpetua Eccleſiȩ praxis ita habet, vt ad paſtores, Epiſcopos, Pontificem, aut Concilium generale Epiſcoporum talis deferatur, non autem ad populum. Quartò, quia contrarium facere, eſſet contra ius naturæ, eſſetque grauis iniuria in proximum: eſſet enim eum infamare, ſi eius crimen ſit occultum. Caluiniſtæ ergo illi, qui ſuos adulteros, eorumque adulteria, aliaq; crimina publicè in Eccleſia promulgant & traducunt; quaſi Chriſtus idipſum hîc præceperit, grauiter errant, peccantque contra charitatem, ac ſubinde contra iuſtitiam, cùm ſcelus eſt occultum; quia famam fidelibus adimunt, eoſque publico probro & contumelia afficiunt. Senſus ergo eſt. q.d. Si frater correptus noluerit corripienti ſecretò, vel etiam coram duobus teſtibus auſcultare, deferatur ad Eccleſiæ Præſulem, qui quaſi rector Eccleſiam reprȩſentat, vt qui priuatos deſpexit, Prælatum ſaltem reuereatur, eique corripienti obediat: quod ſi facere nolit, Prȩlatus, qui non tantùm priuati corripiendi, ſed & totius Eccleſiȩ curam gerit, vt illi prouideat, ne correpti contumacia & ſcelus in fideles Eccleſiȩ proſerpat, depoſita perſona patris aſſumat perſonam iudicis, eumq; ab Eccleſia, velut ouem contagioſam à grege ſeparet, excommunicet, & expellat. Hinc patet contra eoſdem Nouantes Eccleſiam eſſe viſibilem, vtpote quæ adiri debeat à corripiente, ac videri & audiri à correpto.

*An Pontifex corripiendus.*

Dices: Ergo ſi ipſi Prȩlati peccent, ac præſertim ipſe Papa, debebit pariter deferri ad Eccleſiam, id eſt, ad Concilium generale: ergo illi Papa eſt ſubiectus, ac conſequenter Eccleſiæ regimen eſt Ariſtocraticum, non monarchicum. Ita Abulenſis hîc queſt. 108. Panormitanus, Gerſon, Almainus, & alij, qui ex hac ſententia, in Concilio Baſileenſi de Papatu depoſuerunt Eugenium IV. Pontificem. Verùm hoc temerarium eorum factum paulò pòſt reprobauit & retractauit Cõcilium Florentinum. Reſp. ergo negando conſequentiam, quoad Papam (Epiſcopi enim, ſi peccent, deferendi ſunt ad Papam, ab eoque corripiendi) Hæc enim non pertinent ad Papam, ſed ad alios omnes, qui habent ſuperiores: nec enim Papa in terra habet ſuperiorem, ne Eccleſiam quidem, aut Concilium generale; cùm ipſe totius Eccleſiæ ſit caput, cum Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11. perpetuus habet Eccleſiæ vſus & ſenſus. Vnde illud olim à Concilio 180. Epiſcoporum Sinueſſæ S. Marcellino Pontifici poſt lapſum pœnitenti acclamatum eſt: *Tuo te ore, non noſtro iudicio iudicas; nam prima ſedes à nemine iudicatur* teſte S. Damaſc. & Platinâ in eius vita, & habetur diſtinct. 21. can. 7. *Nunc autem.* Papa enim in Eccleſia plus eſt, quàm rex in regno: hîc enim à repub. ſuam accipit poteſtatem, Papa verò ſuã poteſtatem non accipit ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto: quare nullo caſu ab Eccleſia deponi poteſt, ſed tantùm declarari excidiſſe Pontificatu, ſi v.g. incideret (quod abſit) in publicam hæreſim, ideoque ipſo facto deſineret eſſe Pontifex, imò fidelis & Chriſtianus.

*S. Marcellinum Pontificem iudicare non præſumit Concil. Sinueſſa.*

QVOD SI ECCLESIAM NON AVDIERIT, SIT TIBI SICVT ETHNICVS ET PVBLICANVS] Qui enim Eccleſiæ Prȩſulem monentem contemnit, totam Eccleſiam, quam ille repræſentat & regit, contemnit: ac proinde hoc ipſo oſtendit ſe nolle Eccleſiȩ eſſe filiũ & ciuem: quare non fidelis & Chriſtianus, ſed Ethnicus & publicanus, id eſt, publicus peccator habendus eſt. Publicani enim apud Iudæos ob rapinas, periuria, ait S. Hieronymus, & pauperum oppreſſiones habebantur infames & ſceleſti, ab Ethnicorum verò, velut idololatrarum, conſortio planè abſtinebant Iudæi.

Rurſum: *Sit tibi ſicut Ethnicus*, id eſt, ab Eccleſia per eius Prȩſulem eijciatur, excommunicetur & ſeparetur, ne ſuum ſcelus & contumaciam fidelibus cõtagione ſua affricet, ſed habeatur tãquam Ethnicus, id eſt infidelis & paganus, Dei fide, cognitione, religione & lege priuatus, ita vt nec cibum cum eo ſumas, vti iubet Paulus 1. Corinth. 5. 11. nec ei dicas aue, id eſt, nec eum ſalutes, vt iubet S. Ioannes epiſt. 2. v. 10. vt ex hac ignominia confundatur, ſcelus agnoſcat, & ad Eccleſiã pœnitens redeat. Excommunicatio enim irrogatur peccanti, non vt pereat, ſed vt emendetur. Nam vt ait S. Auguſtinus: *Et ipſos Ethnicos in numero quidem fratrum non deputamus, ſed tamen eorum ſalutem ſemper inquirimus.* Hunc eſſe ſenſum liquet ex eo, quod Chriſtus ſubdit: *Amen amen dico vobis, quæcumque alligaueritis*, &c. Ita S. Chryſoſtomus, Hilarius, Auguſtinus, Gloſſa, & alij paſſim.

AMEN DICO VOBIS, QVÆCVMQVE ALLIGAVERITIS SVPER TERRAM, ERVNT LIGATA ET IN CÆLIS: ET QVÆCVMQVE SOLVERITIS SVPER TERRAM, ERVNT SOLVTA ET IN CÆLIS] **VERS. 18.** Hîc explicat Chriſtus Eccleſiam eiuſque vim & poteſtatẽ, ſcilicet per Eccleſiam accipi Apoſtolos & Prȩlatos Eccleſiæ, quibus ipſe plenam dedit poteſtatem ligandi & ſoluendi, tum à peccatis, tum ab excommunicatione, adeò vt, quem illi à peccatis abſoluerint in terris, Deus illum abſoluat in cȩlo; quem illi excõmunicando eiecerint è cœtu fidelium, Deus eumdem deleat de libro vitæ, & eijciat de numero Beatorum: *Ad terrorem*, ait S. Hilarius, *metus maximi, quæ in præſens omnes continẽtur, immobile Apoſtolicæ ſeueritatis iudicium præmiſit*, Nam: *quia poterat*, ait S. Hieronymus, *contemptoris fratris hæc eſſe reſponſio vel tacita cogitatio, ſi me deſpicis, & ego te deſpicio, poteſtatem tribuit Apoſtolis* (& Prælatis eorum ſucceſſoribus) *vt ſciant, qui ab ipſis condemnantur, hominum ſententiam diuina ſententia roborari.*

*Poteſtas ligandi & ſoluendi Prælatis conceſſa.*

QVÆCVMQVE ALLIGAVERITIS] Origenes, Theophylactus, & Anaſtaſius Nicȩnus queſt. 74. (extat tom. 6. bibliothecæ SS. Patrum) putant hæc quoque ad correptionis præceptum, ac proinde ad omnes Chriſtianos pertinere, q.d. Quibus pœnitentibus offenſam in vos, ô fideles, commiſſam remiſeritis, remittet eamdem ipſis Deus in cælis: quibus verò non remiſeritis, nec Deus remittet. Verùm hanc explicationem planè abſonam, ineptam, & falſam eſſe liquet ex eo, quòd Chriſtus Eccleſiam opponat priuatis peccatoribus, & eos corripientibus: ergo per Eccleſiam intelligit eius Prælatos, non fideles



communes. Rurſum, quòd Eccleſiæ tribuat iudiciũ & tribunal (hoc enim ſolis competit Prælatis) cui obedire oporteat, alioquin velut Ethnicus habearis; ac deinde ad illud Eccleſiæ iudiciũ referat generalem hanc ligandi & ſoluendi poteſtatem, tum internam in foro conſcientiæ, tũ externam in foro externo per excommunicationem, quæ poſterior maximè hîc Chriſti ſcopo & propoſito conuenit, quamquam & prior conueniat. Ideo enim peccator defertur ad Eccleſiæ paſtorem vt ab eo ad pœnitentiam & confeſſionem inducatur; itaque ab eo à peccato abſoluatur, vt ſic emendetur & iuſtificetur: quod ſi facere nolit, impœnitens, & contumax ab eodẽ excõmunicetur. Ita S. Chryſoſtomus, Hilarius, Auguſtinus, Gloſſa, & alij paſſim. Vnde rectè Theologi ex hoc loco excommunicandi poteſtatem, ac etiam Sacramentum pœnitentiæ per modum iudicij & abſolutionis colligunt & euincunt. Vide Bellarminum, & Suarez tract. de Pœnitentiȩ Sacramento. Hinc hoc intellexit Theodoſius Imperator, qui ob cædem Theſſalonicenſium à S. Ambroſio tẽplo expulſus, ingemuit: *Seruis*, inquit, *& mendicis ad templum patet acceſſus, mihi præcluſus eſt. Scio enim Dominum dixiſſe: Quȩcumque ligaueris ſuper terram, erũt ligata & in cælo.* Quare ſupplex S. Ambroſio factus petiit abſolutionem, quam & obtinuit, ac pœnitentiã ab eo iniunctã expleuit. Ita habet vita S. Ambroſij conſcripta à Cardinale Baronio. Iam Cõcilium Baſileenſe in orat. Henrici aduerſus 3. art. Bohemorum, ad illud Matth. 18. *Quæcumq; alligaueritis*, &c. notat ex S. Thoma tres à Catholicis agnoſci ligandi & ſoluendi poteſtates: prima eſt auctoritatis, quæ ſoli Deo competit: ſecunda excellentiæ, quȩ Chriſto eſt propria: tertia miniſterij, quȩ ſolis ſacerdotibus à Chriſto cõceſſa eſt. Porrò poteſtas ligandi & ſoluendi ampliſſima eſt, multaque complectitur, vti oſtendi cap. 16. 19. Ex generali enim hac poteſtate, quam Apoſtolis confert Chriſtus, colligit ſpecialem, ſcilicet excommunicandi, atque à peccatis æquè ac excommunicatione abſoluendi. Analogicè enim ſimilis eſt vtraque poteſtas, atque vtraque ex vna & eadem radice generica oritur. Peccatum enim ligat animam, æquè ac eam ligat excommunicatio, quæ infertur ob peccatum: vtraque enim priuat hominem vſu Euchariſtiæ & Sacramẽtorum. Quare ligare peccatum, nec abſoluere reipſa eſt idẽ, quod peccatorem quaſi excommunicare, id eſt communione Sacramentorum priuare; ac viciſſim abſoluere à peccatis idem eſt, quod abſoluere quaſi ab excommunicatione, & peccatorem communioni Sacramentorum reſtituere. Interna ergo & ſacramentalis in Sacramento pœnitentiæ peccatorum alligatio, & ſolutio analogicè ſimilis eſt externæ excommunicationi, & ab ea abſolutioni, ideoque vtramque hîc ſub metaphora alligandi & ſoluendi intelligit Chriſtus. Ita Maldon.

*Theodoſius Imperator petit abſolutionem & pœnitentiam à S. Ambroſio.*

*Tres ligandi & ſoluendi poteſtates.*

*Analogia peccati & excommunicationis.*

Nota hîc pulchrum ordinem diſcurſus Chriſti. Ipſe enim Apoſtolis de maioratu & primatu contendentibus initio capitis, quaſi frȩnum obijcit humilitatem paruulorum, eoſque monet, ne ſua ambitione populũ ſimplicem, & in fide Chriſti adhuc paruulum offendant, caueantq; à ſcandalo; inde v. 15. remedium ſcandali dat, correptionem fraternam: atque hæc omnia dixit Apoſtolis, quatenus ipſi repræſentabant perſonam omnium fidelium. Verùm quia in correptione vltimum eius gradum ſtatuit, vt dicatur Eccleſiæ, id eſt Prælato Eccleſiæ, ſubiungit ad conciliandam ei auctoritatem: *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*, &c. Vbi Apoſtolos alloquitur, quatenus ſunt Prȩſules Eccleſiæ; ideoque quatenus Prȩlatos, non verò fideles ſubditos repræſentabant. Prælatorum enim eſt ligare & ſoluere, non verò ceterorum fidelium.

ITERVM DICO VOBIS, QVIA SI DVO EX VOBIS CONSENSERINT SVPER TERRAM, DE OMNI RE QVAMCVMQVE PETIERINT, FIET ILLIS A PATRE MEO, QVI IN CÆLIS EST] Difficilis eſt horum verborum cum præcedentibus nexus; ideoque variè à varijs aſſignatur. Primò aliqui putant hæc pertinere ad duos teſtes, quos v. 16. iuſſit Chriſtus adhibere ad corripiendũ peccantem. Vnde Gloſſa exponit. q.d. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, vel pœnitentem recipiendo, vel ſuperbum abijciendo, vel de alia re, quàm petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Secũdò, Ianſenius ſic nectit. q.d. Si quidquid duo petierint à Deo, id Deus eis cõcederet, quãtò magis idem ipſe Eccleſiæ ligantis vel ſoluẽtis iudicium ratum habebit? Rurſum Maldon. ſic, q.d. Vt in iudicio ligandi & ſoluendi non erretis, præmittite orationem; quia ſi meo nomine iudicetis, quidquid à Patre meo nomine petieritis, impetrabitis; iuxta illud: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 14. 13. & c. 16. 23. Tertiò, Franc. Lucas ſic, q.d. Vobis, ô Apoſtoli, do non tantùm poteſtatem ligandi & ſoluendi, ſed & aliud donum ingens, ſcilicet vt ſi duo ex vobis conſentiant, petantque aliquid à Deo, idipſum ſint impetraturi. Quartò, planè & genuinè S. Hieronymus, Hilarius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius hæc referunt ad bonum concordiæ, cuius meminit v. 15. vbi ob hoc inſtituit præceptum correptionis fraternæ. q.d. Ideò ſanxi, vt ſi quis in te peccauerit, eum non odio proſequaris, ſed beneuolè corripias, & cum eo in gratiam redeas, quia bonum concordiæ tantum eſt, adeoque Deo curæ & cordi, vt ſi duo (præſertim anteà diſſentientes & diſcordes) conſentiant & concordent, ac concorditer aliquid petant à Deo, illud ſint impetraturi. Audi S. Hieronimum: *Omnis ſuperior ſermo ad concordiam nos prouocauerat: igitur & præmiũ pollicetur, vt ſollicitiùs feſtinemus ad pacem, cùm ſe dicat inter duos, vel tres medium fore.* Sic Chriſtus ſtitit ſe in medio duorum diſcipulorum euntium in Emmaus, cùm de ſe loquerentur. Lucæ 24 & in medio diſcipulorum ipſa die reſurrectionis. Ioan. 20. Sic Apoſtoli vnanimiter perſeuerantes in oratione, impetrarunt Spiritum ſanctum in Pentecoſte, Actor. 1. 14.

SI DVO] S. Chryſoſtomus & Euthymius id arctant ad ſolos Apoſtolos, Anaſtaſius Nicȩnus q. 74. ad correptionem & correptum. Origenes ad virum & vxorem. q. d. Si vir & vxor conſenſerint abſtinere vſu coniugij, vt vacent orationi, quidquid orauerint, impetrabunt. Verùm dico hæc ad quoſuis fideles & Chriſtianos pertinere: horum enim perſonam ſuſtinent hîc Apoſtoli, qui ſoli tunc Chriſto aderant.

*Conſenſio duorum, hic quænam?*

CONSENSERINT IN NOMINE MEO (de quo verſ. ſequenti) SVPER TERRAM] q.d. Adeò potens

tens grataq; Deo eſt concordia,& concors concordium oratio, vt ſi quid petant ipſi degentes in terra, vbi longiſſimè diſtant à cælo, Deus tamen in cęlo auditurus ſit eorum poſtulata, eaque completurus; Deus enim licèt ſit in cælo, tamen oculum, auremque ſuam admouet concordibus in terra orantibus.

De omni re] Honeſta, ſiue ea parua ſit vel magna, ſiue facilis vel difficilis: intellige, dummodo illâ fide, ſpe, humilitate, perſeuerantia petant, qua par eſt: & ſi illa res eis expediat: ſi enim eis non expediat, Deus non id quod petunt, ſed quid melius & ſalubrius eis eſt daturus.

Vers.20. Vbi enim svnt dvo vel tres consentientes in nomine meo, ibi svm in medio eorvm] *In nomine meo*, id eſt, propter me, mei reſpectu, mei intuitu, mei cauſa, mei amore, nil niſi me & meam gloriam quærentes. Ita S. Chryſoſtomus, & Euthymius.

Ibi svm in medio eorvn] q.d. Ibi aſſiſto, cooperor, & dirigo eorum deſideria & vota, illaq; adimpleo: ſum ergo in medio eorum, ſicut Spiritus ſanctus eſt in medio Patris & Filij, quaſi vtriuſque amor & nexus. Cauſam dat S. Hilarius: *Ipſe enim*, inquit, *qui pax & charitas eſt, ſedem atque habitationem in bonis atq; pacificis voluntatibus collocabit.* Et Origines dicens nos ſępè non exaudiri à Deo, quia inter nos ſumus diſcordes; cauſam ſubdit: *Sicut enim in muſicis, niſi fuerit harmonia & conuenientia vocum, non delectat audientem: ſic Eccleſia, niſi conſenſum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum*, Alludit Chriſtus ad illud Eccleſ. 25. 1. *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè ſibi conſentientes.* Vide ibi dicta.

*Hinc Conciliorum auctoritas ſtabilita.*

Ex hoc loco nonnulli à maiori ad minus nõ malè probant Conciliorum auctoritatem. Eſt enim hæc ſententia generalis, ac proportionaliter magis in ijs, quàm in aliis locum habet. Si enim eſt Chriſtus in medio duorum; ergo multò magis eſt in medio totius Eccleſię ſuo nomine congregatæ, quam Concilium Prælatorum & Epiſcoporũ reprę́ſentat. Concilia enim propriè congregantur in nomine Chriſti, id eſt auctoritate & virtute Chriſti, vt Chriſti nomen, fidem, & gloriam vbique augeant, propagent, illuſtrent: quare quod in nomine Chriſti petunt, vt in fide non errent, vt mores fidelium reforment, vt Spiritum ſanctum habeant aſſiſtentem, id ſanè impetrant. Hoc maximè verum eſt in Concilijs Oecumenicis; deriuatur tamen idipſum quoque ad concilia prouincialia, cùm legitimè fiunt, & à Pontifice approbantur.

Myſticè S. Hieronymus, *Poſſumus*, ait, *hoc ſpiritualiter intelligere, quòd vbi ſpiritus & anima, corpuſq; conſenſerint, & non intra ſe bellum habuerint voluntatum, de omni re, quam petierint, impetrent à Patre: nulli enim dubium eſt, quin bonarum rerum poſtulatio ſit, vbi corpus vult habere ea, quæ ſpiritus.*

Qvi in cælis est] Gloſſa: Per hoc, inquit, Deum ſuper omnia eſſe oſtendit, & per hoc cõplere eum poſſe, quod petitur. Vel *in cælis eſt*, id eſt, in ſanctis: quod valet ad probandum, quod fiet illis quidquid petierint, quod dignũ ſit, quia illum apud ſe habent, à quo petunt.

Vers.21. *Quoties dimittendum peccanti?*

Tvnc accedens Petrvs ad evm, dixit: Domine, qvoties peccabit in me frater mevs, et dimittam ei vsqve septies?] Quærit hoc Petrus occaſione eius, quòd à Chriſto audiuit v. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum*, vt habet Matthęus, aut potiùs occaſione eius, quod Chriſtum addidiſſe tũc exprimit Lucas c. 17. 4. dicens: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illũ: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die cõuerſus fuerit ad te, dicens? Pœnitet me, dimitte illi*; vbi *ſepties* idẽ eſt, quod pluries & ſemper q.d. Toties dimitte, quoties peccans dicit: *Pœnitet me.* Petrus ergo audiens τὸ *ſepties*, nõ ſatis intellexit, an τὸ *ſepties* definitè & præciſè, an indefinitè pro toties quoties accipiendum foret. Inſtat ergo & rogat Chriſtũ, vt τὸ *ſepties* explicet, dicatque quoties præciſè offenſa fratri ſit remittenda. Aut certè admirans hoc rogat, q.d. Itáne Domine ſepties vno die peccanti, & ſepties pœnitenti, ſepties dimittam? Videtur enim toties peccans tam multiplici venia indignus, adeoque facilis hæc venia videtur nouæ culpæ illecebra, eamque prouocare; nimirùm pectus Petri adhuc anguſtũ, & in carne arctum & carneum, non capiebat immenſam diuinæ in Chriſto naturæ clementiæ abyſſum. Vnde illud dilatans, ſubijcit Chriſtus.

Vers.22. Luc. 17. 34.

Dixit illi Iesvs: Non dico tibi vsqve septies, sed vsqve septvagies septies] Id eſt innumerabiliter, & innumerabilibus vicibus offenſam fratri, qui peccauit, ſi pœniteat, dimitte. Hoc enim intellexi, cũ dixi, Lucę c. 17. 4. *Septies, &c. dimitte illi*, ſcilicet per *ſepties* intellexi *ſeptuagies ſepties*, id eſt ſemper & innumeris vicibus. Cũ enim ſeptenarius ſit, ſymbolum vniuerſitatis, ſeptuagenarius vero numerus ita ſeptenariũ excedat, vt eum contineat decies (nam decies ſeptem faciunt ſeptuaginta) hinc ſignificat multò ampliùs, & quaſi infinitum & innumerabile. Ita S. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus ſer. 15. de Verbis Domini ſecundùm Matthęum, quẽ audi: *Audeo dicere: Etſi ſeptuageſies octies peccauerit, ignoſcas, & ſi centies: & omnino quoties peccauerit ignoſce. Si enim Chriſtus millia peccatorum inuenit, & tamen omnia donauit, noli ſubducere miſericordiam. Ait enim Apoſtolus: Donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut Deus in Chriſto donauit vobis.*

*Myſteria numeri 77.*

Symbolicè S. Auguſtinus ſerm. 15. de Verbis Domini ſecundùm Matthæum, & S. Gregorius libr. 32. Moral. cap. 12. docent *vndecim* eſſe ſymbolum peccati, quia hic numerus vnitate tranſgreditur denarium decalogi, ſiue legis diuinæ. Septenarius verò eſt ſymbolum totius; quia ſeptem primis mundi diebus Deus creauit & ornauit totum hoc vniuerſum: rurſum ſeptem diebus aſſiduè voluitur totum & omne tempus: iam ſepties vndecim faciunt 77. ergo 77. omnia omninò peccata eſſe remittenda ſignificat. Hic ergo numerus ſymbolum eſt plenæ & totalis remiſſionis peccatorum omnium, toties quoties peccatorem pœnitet.

*Alludit Chriſtus ad Lamech.*

Alludit Chriſtus, ait S. Hilarius, ad Lamech, qui homicidium ſuum confitens, ait: *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuageſies ſepties.* Geneſ. 4. 24. Vide ibi dicta: nempe ſicut in 77. generationibus (Lamech enim habuiſſe 77. filios, qui omnes diluuio perierunt, docet Ioſephus) punitus eſt Lamech, ita Chriſtus ſaluator noſter, per quem omne peccatum abolitum eſt, in 77. generatione natus eſt: nam in genęalogia Chriſti, quam



texit Lucas cap. 3. v. 23. à Deo & Adam vſque ad Chriſtum incluſiuè numerantur 77. generationes. Ita S. Auguſtinus ſerm. 15. de Verbis Domini ſecundùm Matthæum, & Iulianus Pomerius lib. 3. contra Iudæos poſt initium.

Moraliter diſce hîc latitudinem cordis, & abyſſum charitatis Chriſti, qua vult nos 77. id eſt innumeris vicibus, adeoque toties quoties fratri peccanti & pœnitenti ignoſcere. Si enim nos homulos tantæ vult eſſe charitatis, & liberalitatis, quantam eiuſdem in ipſo abyſſum contineri exiſtimabimus? Appoſitè S. Auguſtinus ſerm. 15. iam citato: *Peccat ſemel, ignoui; peccat ſecundò & tertiò, ignoui; quartò, vapulet. Corripiamus verbis & ſi opus eſt, & verberibus, ſed delictum dimittamus, culpam de corde abijciamus, vt ſi per charitatem imponatur diſciplina, de corde lenitas non recedat.* Porrò longè maior erit hic numerus, ſi cum Origene præciſè ipſos numeros vrgeamus; non enim ait Chriſtus *ſeptuagies & ſepties*, ſed *ſeptuageſies ſepties*, & Græcè clariùs ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ, id eſt *ſeptuageſies ſeptem*, hoc eſt 490. vicibus: multiplica enim 70. per ſeptem; fient 490. Toties ergo Chriſtus vult pœnitenti offenſam dimitti. Sic erit alluſio ad 70. hebdomades Danielis: nam hæ faciunt annos 490. quot fluxerunt à decreto reędificandæ Ieruſalem vſque ad Chriſtum, per quem fit plena peccatorum omnium remiſſio. Vide dicta Daniel 9. 24.

Vers.23. Ideo assimilatvm est regnvm cælorvm homini regi, qvi volvit rationem ponere cvm servis svis] q.d. Similiter agitur in cęlis, perinde ac ſi rex cõputum iniret cũ ſuis ſeruis ſibi debitoribus. Comparatur enim tota parabola toti rei ſignificatæ; non autem partes partibus: nam alioqui regnum non rectè comparatur regi, ſed rex terræ Regi cæli. Vide dicta cap. 11. v. 16. & canonem 28.

Nota: Scopus & ſignificatio parabolæ huius patet ex poſtparabola verſ. 35. vbi dicitur: *Sic & Pater veſter cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Huc enim refertur tota parabola: & quæ huc ſpectant applicanda ſunt rei ſignificatæ; cetera emblemata ſunt pertinentia ad decorem & ornatum parabolæ; quæ proinde rei ſignificatæ non conueniunt, nec eidem ſunt applicanda iuxta canonem 29. Emblemata ergo hîc ſunt illa, quæ dicuntur verſ. 25. de venditione vxoris & filiorum, & verſ. 31. de conſeruis ſeruum crudelem accuſantibus. Rurſum hic ſcopus innuitur per διὸ *ideò*, quod reſpicit præcedentem verſum, eumque ſtatuit quaſi proparabolam, ſiue titulum parabolæ. Eius ergo hæc eſt vis q.d. Vt ſciatis, quàm Deo gratum, & ab eo ſancitum ſit, vt fratri in nos peccanti toties condonemus, quoties ipſum peccati pœnitet, ideò ſubiungo parabolam, qua aſſimilo regnum cælorum regi rationem ineunti cum ſeruis ſuis.

Vers.24. *Talentum Atticum*

Et cvm coepisset rationem ponere oblatvs est ei vnvs, qvi debebat ei decem millia talenta] Talentum Atticum, teſte Budæo lib. de Aſſe, valebat ſexcentos aureos, ſiue coronatos. Vnde centum talenta valent cẽties ſexcentos aureos, id eſt, ſexaginta millia aureorum: mille talenta valent ſexcenta millia aureorum: denique decem millia talenta faciunt ſummam ſexagies centum millium aureorum, id eſt, ſex milliones aureorum, ait Ianſenius, Maldonatus & alii: quæ ſumma eſt ingens & immanis, ac plebeio & pauperi inſolubilis. Lõgè, imò vigeſies maior erit ſumma, ſi ſequamur ſupputationem & valorem talenti Hebraïci: hoc enim continebat tria millia ſiclorum, id eſt, duodecim millia drachmarum auri, hoc eſt, duodecim millia aureorum, ſiue coronatorum Francicorum, vti ex Septuaginta euici, Exod. c. 38. v. 25. aureus enim Francicus eſt vnius drachmæ, valetque 12. Iulios Romanos, ſiue 12. Regales Hiſpanicos. Ergo decem millia talentorum auri ſunt milliones aureorum Francicorum (ſiue drachmarum) centum viginti.

*Talentum Hebraicum.*

*Aureus Francicus.*

Chriſtus enim non loquitur Græcis, ſed Hebræis: Hebraico ergo vtitur talento, non Græco. Cogita ergo Deum hîc à peccatore, qui vel vnum peccatũ mortale commiſit, plus exigere, quàm ſi à ſeruo paupere vel mendico herus exigeret 120. milliones aureorum, quia vnum peccatum mortale, vtpote contra Deum admiſſum, Deoque iniurium, imò quantum in ſe eſt, Deum ſpolians ſua diuinitate; longè maior eſt Dei iniuria, quàm ſit omnis iniuria in omnes reges commiſſa; ac longè maius debitum, quàm ſint omnia omnium hominum debita, quæ ab iis aliis hominibus debentur. Sicut enim Deus longè ſuperat omnes, imò infinitos homines; ſic iniuria in Deum ſuperat omnes iniurias in homines admiſſas, paritque reatum & debitum pœnæ infinitum. Igitur hæc tanta debiti ſumma magis pertinet ad rem ſignificatam putà ad peccatũ mortale, quàm ad ipſam ſerui parabolam. Quis enim ſeruus cõtrahat debitum 120. millionum, niſi vel ærarium regis furetur aut ſuccendat, vel integrum regnum perdat, vel prodat.

*Peccatum mortale eſt debitum infinitum.*

Porrò ſi vnũ peccatum mortale eſt debitum 120 millionum, quot millionum debitum erit illius, qui centum & mille, imò multa millia peccatorum mortalium commiſit? Iam verò hoc aptè conuenit cum *ſeptuagies ſepties* q.d. Si Deus vobis remittit tantam multitudinem & magnitudinem peccatorum, quæ longè ſuperat decem millia talentorum; ergo multò magis nos, omnes proximorum contra nos offenſas eis remittere debemus, quæ & pauciores ſunt, & minoris longè momenti, præſertim quia Deus hac lege & conditione nobis noſtras culpas maximas, & plurimas dimittit, vt & nos proximis paruas & paucas dimittamus. Matth. 6. 14.

*Ratio à priori.*

Ratio à priori eſt, quòd ſicut Deus eſt ſummum bonum, ita peccatum, quod repugnat diuinę bonitati, eſt ſummum malum. Quare ſicut Deus eſt bonum infinitum, ita quoque peccatum, immenſum quoddam eſt malum. Creſcit enim magnitudo offenſionis ex magnitudine perſonæ offenſę: quò enim perſona offẽſa dignior, eò iniuria eſt grauior. Si ergo perſona ſit infinitæ dignitatis, peccatum quoque malitiam quodammodò infinitam habebit. Hinc fit, vt nulla pura creatura pro peccato mortifero ex æquo ſatisfacere poſſit, imò nec omnia Sanctorum opera, vel vnum peccatum valeant cõpenſare; ideoque ad ſatisfaciendum ex æquo pro peccato, neceſſe fuit Filium Dei incarnari, & pati, vti docent Patres. Denique rectè peccatum comparatur talento, quia inſtar talenti & põderis plumbei hominem degrauat, deprimitque in tartara. Vide dicta Zach. 5. 6.

Vers.25. Cvm avtem non haberet vnde redderet, ivssit evm Dominvs eivs venvm-

dari,

DARI, ET VXOREM EIVS, ET FILIOS, ET OMNIA QVÆ HABEBAT, ET REDDI] Debitum iuris & moris fuit apud nõnullas gentes, vt ſi debitor à ſoluendo non eſſet, creditor eum venderet cum vxore & liberis, vt ex pretio debitum reciperet. Id apud Iudæos in vſu fuiſſe patet 4. Reg. 4. 1. vbi vxor Prophetæ cuiuſdam mortui ait Eliſæo: *Ecce creditor venit, vt tollat filios meos ad ſeruiendum ſibi.*

*Vxor iuſti, ſapientia; vxor peccati, ſtultitia.*

Myſticè S. Hieronymus: Sicut vxor iuſti, inquit, dicitur ſapientia, ſic & vxor iniuſti & peccatoris appellatur ſtultitia, cuius filij ſunt malæ cogitationes. Et Remigius. Vxor ſtulti, ait, eſt ſtultitia & carnis voluptas, ſeu cupiditas.

VERS. 26. PROCIDENS AVTEM (in genua, vel in faciem) SERVVS ILLE ROGABAT (legit. Interpres παρεκάλει vti & nunc nonnulli codices habent: plures tamen iam legunt προσεκύνει αὐτῷ, id eſt, *adorabat eum.* Sic & Syrus) EVM, DICENS: PATIENTIAM HABE IN ME, ET OMNIA REDDAM TIBI] Syrus: *Longanimis eſto erga me, & omnia reſtituam tibi.* Arabicus: *Patiens eſto, & ego dabo tibi, quod tuum eſt.* Seruus hic, vt ſeruitutem & venditionem ſui ſuorúmque euadat, aureos pollicetur mõtes: Omnia, ait, quæ tibi, ô here debeo, reddam tibi. Hoc erat ei impoſſibile: quomodo enim pauper ſeruus, & ad inſtitas redactus ſoluiſſet 120. milliones aureorum? Sed nimirum tempus extrahit, vt moram nactus, ſuis officijs, & amicorum precibus flectat animum regis, quem ſciebat liberalem eſſe, & magnanimum ad debitum ei condonandum. Nec eum fefellit ſententia. Vnde ſequitur.

VERS. 27. MISERTVS AVTEM DOMINVS SERVI ILLIVS DIMISIT EVM, ET DEBITVM DIMISIT EI] Hæc dicuntur parabolicè, vt ſignificetur quàm grata ſit Deo humilitas, humiliſque peccati confeſſio, & veniæ petitio: illicò enim illam ſeruus humilians ſe obtinuit. Rurſum vt ſignificetur quanta, & quàm immenſa ſit Dei miſericordia & clemētia, quæ ſtatim immane hoc peccatorum debitū ſeruo deprecanti dimiſit, vt nos doceat, & ſtimulet ad minores offenſas proximis in nos peccātibus condonandum. Hic enim eſt ſcopus parabolæ. Ratio à priori eſt, quòd Deus per eſſentiam ſit bonus & benignus, adeoq; ſit ipſa increata & immenſa bonitas & benignitas, cui proprium eſt omnibus benefacere, indulgere, parcere; ſicut ignis proprium eſt calefacere: & ſolis illuminare. Vnde Eccl. orat: *Deus, cuius propriū eſt miſereri,* &c.

VERS. 28. EGRESSVS AVTEM SERVVS ILLE INVENIT VNVM DE CONSERVIS SVIS, QVI DEBEBAT EI CENTVM DENARIOS, ET TENENS SVFFOCABAT EVM, DICENS: REDDE QVOD DEBES] Denarius eſt Iulius, vel Regalis Hiſpanicus, ita dictus, quia valebat decem aſſes, id eſt nūmos minores, purà decem baiocos: hi enim faciunt Iulium: centum ergo denarij faciunt decem aureos Romanos; horum enim quiſque continet decem Iulios; decies autē decem faciunt cētum; quare decē aurei Romani faciunt, valentq; centum denarios, id eſt Iulios: ſed quid ſunt decem aurei ad decē millia talentorū, ſiue ad 120. milliones aureorum Francicorum, quos ipſe ſuo debebat hero? Vide hîc anguſtias & auaritiam pectoris humani, ad latitudinem & liberalitatem cordis diuini; illud enim decem aureos ſibi debitos rigidè & crudeliter repoſcit: hoc verò 120. milliones vltrò condonat.

*Denarius eſt Iulius vel Regalis Hiſpanicus.*

VERS. 29. ET PROCIDENS CONSERVVS EIVS ROGABAT EVM DICENS: PATIENTIAM HABE IN ME, ET OMNIA REDDAM TIBI] Humiliat ſe ſeruus coram cõſeruo, ijſdemque verbis poſtulat ab eo ſibi dimitti centum denarios, quibus ipſe à Domino poſtularat, & impetrarat 120. millionū condonationem, vt huius cõdonationis eū ſubmoueat, illiuſq; imitādę tacitè admoneat. Sed fruſtrà tūdit ſeruile & crudele pectus cõſerui, vtpote à quo nec vnius denarij vel teruncij remiſſionē impetrauit.

ILLE AVTEM NOLVIT, SED ABIIT, ET MISIT EVM IN CARCEREM, DONEC REDDERET DEBITVM] Iure ſuo ſeruus hic auarè & rigidè vtitur; ideoque abutitur, immemor miſericordię & clementiæ ſibi à Domino exhibitæ, ideoque eiuſdem iuſtitiæ rigorem & immiſericordiam in ſe prouocauit, & reipſa ſuſtinuit. VERS. 30.

VIDENTES AVTEM CONSERVI EIVS QVÆ FIEBANT, CONTRISTATI SVNT VALDE, ET VENERVNT, ET NARRAVERVNT DOMINO SVO OMNIA, QVÆ FACTA FVERANT] Hoc ſpectat ad emblema & ornatum parabolę. Sic enim faciunt ſerui in domibus herorum & aulis principum, nõ verò conuenit rei per parabolā ſignificatæ: nec enim Sācti & Beati apud Deum deferunt, & accuſant hominum crudelitatem & ſcelera, ſed potiùs ea tegunt & excuſant, pro eiſque ſupplicant. VERS. 31.

TVNC VOCAVIT ILLVM DOMINVS SVVS, ET AIT ILLI: SERVE NEQVAM, OMNE DEBITVM DIMISI TIBI, QVONIAM ROGASTI ME. VERS. 32.

NONNE ERGO OPORTVIT ET TE MISERERI CONSERVI TVI, SICVT ET EGO TVI MISERTVS SVM?] Arab. *Secundùm miſericordiam meam erga te?* q.d. Miſericordia à me tibi exhibita debebat tibi eſſe ſtimulus, & mēſura miſericordiæ cõſeruo tuo exhibendæ. Menſura, inquam, non æqualis, ſed proportionalis, & mea longè inferior: quia ego 120. Milliones tibi remiſi; tuum verò erat cētum denarios remittere; ſed hactenus æqualem exigo, vt ſicut ego totum debitum tibi dimiſi, ſic tu totū (licèt longè minus) proximo dimitteres. VERS. 33.

ET IRATVS (ſumma & implacabili ira. Syrus, *excanduit*) DOMINVS EIVS TRADIDIT EVM TORTORIBVS, QVOADVSQVE REDDERET VNIVERSVM DEBITVM] Conſtat ex hiſtorijs, & ex iure ciuili apud Romanos Gentiles, quibus Iudęi tēpore Chriſti erant ſubiecti, ſolere debitores à creditoribus tradi tortoribus in carcerem trudēdos, & verberibus flagellādos: nam primus Conſtantinus Imperator ex Chriſtiana benignitate, à plumbatarum flagellis debitores abſoluit. Porrò tortores ſunt dæmones, ait Remigius, qui animas peccatorū mille modis grauiſſimè torquent & cruciant in gehenna. *Quoadusque redderet*, id eſt, in æternum torquendum: numquam enim tantum debitum 120. millionum exſoluere poterit. Ita S. Chryſoſt. Theoph. Euthymius. VERS. 34.

*An culpa ob ingratitudinem reuocetur.*

Quæritur hîc: An ergo tota culpa & pœna à Deo peccatori pœnitenti & ſupplici iam remiſſa, ob talem immiſericordiam & ingratitudinem à Deo reuocetur, ac peccatori rurſum imputetur. Id enim videtur in hac parabola aſſeri.

*Reſp. Primò.*

Dico primò: Parrbola hæc vera eſt in foro humano, in eoque iuridicè, vti parabolicè ſonat, accipienda eſt, præſertim quia iure ciuili ob ingratitudinem donatarij reſcindi poteſt à donatore donatio, & promiſſio iam facta. Tanti enim ſerui talis nequam, & ingrati ſuperbia, & crudelitas apud homines æſtimatur, vt omnes cenſeant eum mereri præcedentium etiam debitorum culpā & pœnam luere, non quaſi illa iam condonata reuiuiſcant, ſed quod virtute contineatur



in ſequenti illa crudelitate, quæ adeò eſt impia, & hominibus exoſa. Debebat enim ſeruus ille, ſi non alia de cauſa, certè ob miſericordiam ſibi præſtitam, etiam aliorum pauperum miſereri, eiſque debita condonare. Et ſic videmus principes eos, qui ſe offenderunt, quibuſque pepercerunt, ſi poſteà ingratè & arroganter contra illos ſe gerant: omnium etiam præcedentium delictorum pœnas ab eis depoſcere: vnde cenſentur eis quaſi conditionatè condonaſſe dumtaxat, ſi videlicet ſe emendent, ſintque grati, & modeſtè ſe gerant.

*Secundò.*

Dico ſecundò, id ſimiliter non eſſe verum in foro diuino, & in re per parabolam ſignificata. Nec enim Deus peccatori, cui omnia peccata dimiſit, ſi is poſteà alteri homini offenſam in ſe commiſſam condonare nolit, peccata dimiſſa reuocat, rurſumque imputat & imponit. Ratio eſt, quia Deus pro infinita ſua clementia non conditionatè, ſed omnia abſolutè & irreuocabiliter pœnitenti peccata dimittit, iuxta illud: *Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.* Rom. 11. v. 19. Quare licèt peccator accepta iam venia & gratia, relabatur in eadem, vel alia ſcelera; ac nolit proximo iniuriam condonare, itaque Deo ſit ingratus: tamen hæc ingratitudinis circumſtantia non adeò peccatum aggrauat, vt propter eam omnia peccata iam remiſſa reuocētur, & peccatori rurſus à Deo imputentur: Deus enim, cùm ſit ſumma bonitas & ſanctitas, non poteſt peccatum abolitum reuocare & reſtaurare. Sic enim eſſet peccati auctor & opifex. Adde hanc ingratitudinem non eſſe ſpeciale peccatum, ſed circumſtantiam tantùm generalem, & indirectè dumtaxat à peccatore volitam: generalem, inquam, omnium omnio peccatorum, in omnibus enim & ſingulis eſt quædam erga Deū ingratitudo. Quare in foro Dei optimi & clementiſſimi hæc ingratitudo non ita aggrauat peccatum, cui annectitur, ſicut aggrauat in foro terreno apud homines. Quamobrem in hoc non eſt ponenda parabolæ ſimilitudo & comparatio, ſed in eo, in quo Chriſtus illam collocat, & parabolam applicat verſ. 35. ſcilicet Deum iis, qui proximis ſuis offenſas nõ remittunt, offenſas in ſe etiam admiſſas iure talionis nõ remiſſurum: offenſas, inquam, quas ad huc habent, vel aliunde contraxerunt, aut quas hoc ipſo, quo fratri pœnitenti offenſam nolunt condonare ſed in eum variè & atrociter ſæuiunt, contrahunt. Quocirca peccata ſemel à Deo dimiſſa, ſemper eſſe dimiſſa, nec vllo caſu à Deo reuocari docent Theologi cum D. Thoma 3 p. q. 88. art. 1, & 3.

*Deus irreuocabiliter peccata dimittit.*

*Tertiò.*

Dico tertiò: Hæc vera ſunt, ſed nõ ſufficiunt, nec exhauriunt fundum, vim & neruum huius parabolæ; in ea enim expreſsè dicitur: *Et iratus Dominus tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuerſum debitum*, ſcilicet decem millium talentorum iam dimiſſum verſ. 24. & 27. ac ſubdit: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*, vt ſcilicet reuocet omnia præterita veſtra peccata iam remiſſa, ſicut Dominus reuocauit præteritum ſerui debitum iam remiſſum.

*Modi, quibus reuocatur culpa. Primò.*

Dicitur ergo debitum hoc & culpa iam remiſſa reuocari, & redire per immiſericordiam hanc, & ingratitudinem ſubſequentem: Primò, quia immiſericordia hæc eſt peccatum mortale: nolle enim remittere offenſam proximo, eſt fouere odium, iram & vindictam contra proximum, quod liquet eſſe peccatum mortiferum; ac proinde per illud idem ſtatus peccati & reatus gehennę redit, qui erat priùs: nolens enim remittere, fit reus iræ Dei & gehennæ, ſicut erat antè ob alia ſcelera. Cùm enim quis damnatur, perinde eſt ob quod peccatum damnetur. Hoc autem peccatum eſt irremiſſibile, quia quamdiu quis non vult proximo remittere offenſam, tamdiu Deus illi nõ remittet culpam propriam. Hoc ipſo ergo, quo ſimile nouum immiſericordiæ peccatum committitur, per illud quodammodo pręteritæ in Deum offenſæ reuiuiſcere & reuocari videntur, quia reuiuiſcit ſtatus peccati, & reatus gehennæ.

*Secundò.*

Secundò, quia ingratitudo hæc valdè aggrauat peccatum, adeoque mortaliter, ſi credimus D. Soto in 4. diſt. 32. art. 3. qui proinde illam pœnitenti in confeſſione neceſſariò eſſe exprimendam aſſeuerat. Alij tamen mitiùs cenſent ingratitudinis circumſtantiam tantùm venialiter aggrauare peccatum, cui annexa eſt: nec enim ingratitudo hæc tanta eſt, quantum eſt ipſum beneficium, aut quantùm eſt peccatum, cui coniungitur. Hęc enim ingratitudo cuilibet peccato annexa eſt: creſcit tamen eius malitia & culpa proportionaliter, vt quò maius fuit beneficium, aut peccatum illi remiſſum, eò maior ſit ſequens ingratitudo, ſed intra ſuos limites iam dictos; ingratitudo ergo acceptę remiſſionis prętcrita peccata quodammodo reuocat, hoc ipſo, quo ſequens peccatum aggrauat. Porrò Theologi docent illam maximè cerni & æſtimari in quatuor peccatorum ſpeciebus, ſcilicet in odio, apoſtaſia, obſtinatione, & impœnitentia: hæc quatuor enim directè repugnāt principio remiſſionis peccatorum, ſcilicet fidei, aut charitati, aut pœnitentiæ:

*Ingratitudo maximè in quatuor peccatis.*

*Fratres odit, apoſtata fit, ſpernitq; fateri,*
*Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.*

Ita D. Thomas 3. p. q. 88. art. 1. & 3.

*Tertiò.*

Tertiò, licèt hęc ingratitudo in ſe ſubinde non ſit mortale peccatum, tamen ſæpè mortalium peccatorum eſt cauſa. Deus enim ob hanc ingratitudinem maiora gratiæ auxilia peccatori ſubtrahit, ac permittit hominem grauiùs à carne & dæmone tentari: vnde fit, vt in peccata mortalia plura & grauia prolabatur, per quæ redit illa prior culparum & pœnarum multitudo, per decem millia talenta ſignificata. Hæc enim in illis virtute quaſi continetur. Tantumdem enim ab illo repetet Deus, quantum erat prius debitum, perinde ac ſi illud nunquam ei remiſſum fuiſſet: ipſe enim hac remiſſione ingratum & indignum ſe præbuit, dignumque effecit, qui in priſtina debita, licèt per alia ſcelera, relaberetur, vt in eo impleatur illud: *Iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.* Iacobi 2. v. 13 Ita Franc. Suarez, & alij cum D. Thoma 3. p. q. 88. art. 1. & 3. fusè hac de re agit Eccleſiaſt. cap. 28. v. 1. & ſeq. vbi multis probat, offenſas in proximum eſſe condonandas. ſicut Deus noſtras nobis condonat. Vide ibi dicta.

SIC ET PATER MEVS CÆLESTIS FACIET VOBIS, SI NON REMISERITIS VNVSQVISQVE FRATRI SVO DE CORDIBVS VESTRIS] Scilicet offenſas VERS. 35.

ſas & peccata. Syrus, *errata eius. Sic*, nimirùm ſicut herus ille, qui à ſeruo nõ tantùm debita crudelitatem eius ſequentia, ſed & antecedentia iam dimiſſa repopoſcit, vti iam oſtendi. *De cordibus veſtris*. q.d. Ex imo cordis fundo, multi enim ore dimittunt, ſed non corde: felle ergo rancoris ex imo cordis eiecto, iubet ſubſtitui Chriſtus mel amoris. Igitur hęc parabola docet quàm graue ſit, Deoque inuiſum, ſeruare iram, rancorem, & vindictam in animo aduerſus proximum, qui nos offendit; ac vice verſa, quàm pium Deoque gratum ſit, illa deponere, ac in amorem conuertere, vti Deus peccatorem pœnitentem in gratiam, & charitatis ſuæ viſcera recipit, omniumA que præteritorum delictorũ; perinde ac ſi nunquam commiſſa eſſent, obliuiſcitur. Porrò id nõ ſemel ſed ſeptuagies ſepties, id eſt ſemper, & toties quoties proximum offenſæ pœnitet, faciendum eſt. Ad hoc enim probandum, Chriſtus induxit parabolam decem millium talentorum, id eſt, debiti plurimi & maximi. Imitemur ergo nos, qui ſumus homuli & homunciones, Deum, qui quotidianas noſtras contra eum offenſas, illaſque graues & plurimas, quotidie, adeoque quoties nos pœnitet, ex animo condonat, ideoque quotidie, imò ſæpè per diem iubet nos orare: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vide dicta cap. 6. verſ. 12. & 14.

# CAPVT DECIMVMNONVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò Phariſæi quærunt à Chriſto, an liceat quacumque ex cauſa dimittere vxorẽ? Reſpondet Chriſtus negatiuè, ac reuocat libellum repudij permiſſum à Moſe, atq; matrimonium ad primam ſui inſtitutionem & inſolubilitatem reducit, Secundò v. 11. commendat cælibatum, eumq; præfert matrimonio. Tertiò, v. 13. paruulis applaudit & benedicit, promittitq; regnum cælorum. Quartò, v. 15. cuidam inquirenti viam in cælum, aſſignat obſeruationem mandatorũ, eidemq; perfectiora poſtulãti ſuggerit, vt ſuas opes det pauperibus. Ille hoc audiens abijt triſtis: vnde elicit Chriſtus ægrè diuites ſaluari. Denique v. 27. Chriſtus Apoſtolis pauperibus ſe pauperem ſequentibus promittit thronos duodecim ad iudicandum duodecim tribus Iſraël: ceteris verò ſua, & ſuos amore Chriſti relinquentibus, promittit centuplum & vitam æternam.*

1. ET factum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos, migrauit à Galilæa,
& venit in fines Iudææ trans Iordanem, 2. & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ,
& curauit eos ibi. 3. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi, tentantes eum, & dicentes:
Si licet homini dimittere vxorem ſuam, quacumque ex cauſa? 4. Qui reſpon-
dens, ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & femi-
nam fecit eos? & dixit: 5. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & ad-
hærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. 6. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna
caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. 7. Dicunt illi: Quid ergo
Moyſes mandauit dare libellum repudij, & dimittere? 8. Ait illis: Quoniam Moy-
ſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras; ab initio au-
tem non fuit ſic. 9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam,
niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit,
mœchatur. 10. Dicunt ei diſcipuli eius: Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non
expedit nubere. 11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed qui-
bus datum eſt. 12. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt: & ſunt
eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt
propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat. 13. Tunc oblati ſunt ei par-
uuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. 14. Ie-
ſus verò ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium eſt
enim regnum cælorum. 15. Et cùm impoſuiſſet eis manus, abijt inde. 16. Et ec-
ce vnus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æter-
nam? 17. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus eſt bonus, Deus. Si
autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. 18. Dicit illi: Quæ? Ieſus autem di-
xit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falſum
teſtimonium dices: 19. Honora patrem tuum, & matrem tuam: & diliges proxi-
mum tuum ſicut teipſum. 20. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui à iuuen-
tute mea, quid adhuc mihi deeſt? 21. Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade, ven-
de quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere
me. 22. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis: erat enim habens
multas



multas poſſeſſiones, 23. Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia
diues difficilè intrabit in regnum cælorum. 24. Et iterum dico vobis: Facilius
eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum,
25. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit
ſaluus eſſe? 26. Aſpiciens autem Ieſus dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile
eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. 27. Tunc reſpondens Petrus, dixit
ei: Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? 28. Ieſus
autem dixit illis, Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione,
cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes
duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. 29. Et omnis qui reliquerit do-
mum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut
agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.
30. Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.

Vers. 1. Mar. 10. 1. ET FACTVM EST, CVM CONSVMMASSET IESVS SERMONES ISTOS, MIGRAVIT A GALILÆA, ET VENIT IN FINES IVDÆÆ TRANS IORDANEM] Eadem eſt hæc hiſtoria cum ea, quam narrat Marcus cap. 10. 1. & Lucas cap. 9. verſ. 51. & vt videtur cum ea, quam narrat Ioannes c. 7. verſ. 1. Ita Ianſenius, Franc. Lucas & alij, licèt de illa Ioannis neget Maldonatus, cuius argumenta ex ipſa contextus explicatione ſoluentur. Ex Ioanne liquet, hæc contigiſſe ſub feſtum Scenopegiæ ſiue Tabernaculorum, quod celebrabatur in Septembri; ad illud enim tendebat Chriſtus, vt ſenſim pararet ſe ad mortem; ſequenti enim Martio Hieroſolymæ fuit crucifixus. Vide Chronotaxin num. 38. Addit Lucas Chriſtum per Samariam iter feciſſe: vnde ſequitur, Chriſtum ex Samaria, relictâ viâ rectâ ducente Hieroſolymam, & in fines Iudææ ab Aquilone, profectum Iordanem verſus, eoque traiecto, petiuiſſe per Peræam fines Iudææ ab ortu, vbi cùm hæſiſſet minimùm, turbâ populi ſanatâ ac dimiſsâ, profectum Hioroſolymam ad mediam iam Scenopegiam, quod habet Ioannes c. 7. v. 14. Ita Franc. Lucas. Hinc intelliges quid ſit τὸ *trans Iordanem*.

TRANS IORDANEM] Tam Iudæa, quàm Galilæa non trans, ſed citra Iordanem erat, ſed dicta eſt *trans Iordanem* à primo eius traiectu, quo Iſraëlitæ profecti ex Ægypto tranſierunt Iordanem, veneruntque in Iudæam & Galilæam, vel certè trans, id eſt, cis Iordanem. Vide dicta c. 4. 15. ita Maldon. aut potiùs, quia Chriſtus relictâ rectâ Hieroſolymæ viâ perrexit ad Iordanem, eumque traiecit & venit in Peræam ſiue tranſamnanam regionem vti iam dixi. Τὸ enim *trans Iordanem*, referendum eſt ad τὸ *venit*, non autem ad *fines Iudææ*, vt patet ex Marco. Chriſtus enim circa fines Iudææ traiecit Iordanem, vt longius abeſſet ab oculis & auribus Phariſæorum, cùm turbas doceret & ſanaret. Peræa enim erat trans Iordanem, vnde à Guilielmo Tyrio, Adrichomio & alijs paſſim Peræa vocatur regio trans Iordanem, vel regio tranſamnana.

Vers. 2. Mar. 10. 1. ET SECVTÆ SVNT EVM TVRBÆ MVLTÆ, ET CVRAVIT EOS IBI] *Secutæ ſunt*, non tam ex Galilæa, ibi voluit enim iter ſuum latere, vt ait Marcus & Ioannes, quàm ex alijs regionibus, quas pertranſibat, vel quæ vicinæ erant; ſecutæ ſunt autem excitæ famâ Chriſti, vt eum prædicantem audirent, & ab eo à morbis ſuis ſanarentur. *Ibi*, ſcilicet in finibus Iudææ, ibique eos domum remiſit: noluit enim cum tanta populi turbâ HieA roſolymam ingredi, ne Phariſæorum animos iam ſibi necem machinantes, magis irritaret, neue eius occaſionem daret accuſandi ſe de commotione & ſeditione populi excitata: hoc enim illi coram Pilato obiecerunt.

ET ACCESSERVNT AD EVM PHARISÆI TENTANTES EVM, ET DICENTES: SI LICET HOMINI DIMITTERE VXOREM SVAM QVACVMQVE EX CAVSA?] Nam aliquâ graui de causâ id licere non dubitabant ex Deut. 24. 1. Ita Origenes, S. Hieronymus, & Beda. *Acceſſerunt*, non tunc cùm Ieſus ex finibus Iudææ perrexit Hieroſolymam ad celebrandum feſtum Tabernaculorum, vt ait Ioannes c. 7. 1. ſed cùm celebrato ibi feſto redijt ad fines Iudææ, & Iordanem rurſum traiecit, vti patet Ioan. 10. v. 40. Matthæus enim ſilet tam abitum Chriſti in Ieruſalẽ, quàm inde reditum. Porrò Ioannes ſic habet: *Et abijt* B *iterùm trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizatus primùm*, ſcilicet in Ænnon iuxta Salim. Ioan. 3. v. 23. vt nimirum ex hoc loco refricaret turbis memoriam teſtimonij, quod Ioãnes ibidẽ de Chriſto perhibuerat, ſcilicet ipſum eſſe Meſſiam; verumque Dei filium. Videtur hæc quæſtio de dimiſſione vxoris tempore Chriſti, vti & iam, valde fuiſſe controuerſa, ac cornuta, & captioſa, ideoque eam Chriſto propoſuerunt Phariſæi, vt eum tentarent, caperent, & carperent. Si enim Chriſtus diceret, non licere vxorem dimittere, in multorum diuitum & carnalium, qui contrarium faciebant inuidiam incurrebat: ſi verò diceret id licere, ſuggillaſſet doctrinam eius, velut imperfectam & carnalem: eius, inquam, qui perfectionis & ſpiritus volebat eſſe magiſter, quaſi doctor è cælo miſſus. Sic C etiamnum Æthiopes ſiue Abyſſini crebrò dimittunt vxores, aliaſque ducunt, imò eas habent ſubinde annuas vel menſtruas dumtaxat. Vide Damianum Goes in Æthiop.

Vers. 3. Mar. 10. 2.

*Quæſtio de vxoris dimiſſione.*

QVI RESPONDENS AIT EIS: NON LEGISTIS, QVIA QVI FECIT HOMINEM, AB INITIO MASCVLVM ET FEMINAM FECIT EOS] Nonnulli ex hoc loco putant Adamum à Deo creatum eſſe hermaphroditum, ac vtrumque habuiſſe ſexum, vt ſimul eſſet maſculus & femina: ſed apage has nugas. Sẽſus ergo eſt. q.d. Cùm S. Scriptura Geneſ. 1. 27. in alijs animalibus non dicat Deum feciſſe maſculum & feminam, ſed in ſolo homine, hoc ipſo ſignificat coniugium ſolius hominis à Deo eſſe inſtitutum, idque inter vnum maſculum tantùm & vnam feminam, putà inter Adamum & Euam, vt ille hanc dimittere, & aliam duce-

Vers. 4. Mar. 10. 6

*Quidã ex hoc loco malè putãt Adamum fuiſſe hermaphroditum.*

ducere non poſſet. Ita S. Chryſoſtomus, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. Rurſum ex eo, quòd ex vno Adamo facti ſunt duo, ſcilicet Adam & Eua, atque ex eo quòd Eua ex Adamo ſit formata oſtenditur eadem monogamia, ſcilicet vxorem non debere ſeparari à viro, cùm eius ſit quaſi pars & membrum: quia vt ait Plato Dial. de amore: ex viro vno & muliere vna quaſi ex duabus imperfectis partibus vnus perfectus fit homo. Ita S. Auguſt. l. 14. de Ciuit. c. 22. Sicut ergo membrum, v.g. caput, non poteſt ſeparari ab homine, origine & formatione, matrimonium vnius viri & vnius feminę debere eſſe perpetuũ & inſolubile, ita vt ſolui nequeat niſi per mortem, ſicut in homine anima vel caput à corpore ſolui nequit niſi per mortem. Vnde explicans ſubdit: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit vxori ſuæ.* Addit Plato, & ex eo S. Baſilius lib. de Virgin. poſt initium, hac de cauſa virum adeò appetere mulierem, tamquam partem à ſe præciſam, vt ſicut magnes ad ſe trahit ferrum, ſic femina attrahat virum.

Vers. 5. Mar. 10. v. 7. 8.

Et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit vxori svæ. Et ervnt dvo in carne vna] *Et dixit*, ſcilicet Deus per os Adæ, quaſi prophetæ, inſtituens matrimonium in Adamo & Eua, eiuſque ſtabilitatem ſanciens. Gen. 2. 24. Vide ibi dicta: *Propter hoc*, quòd ſcilicet mulier formata ex viro, putà Eua ex Adamo, ſit caro de carne eius, & os de oſſibus eius, vti in Geneſi præceſſit, *dimittet homo partem & matrem, & adhærebit*, Græcè προσκολληθήσεται, id eſt, *agglutinabitur*, id eſt intimè, indiuulsè adhærebit vxori ſuæ, quaſi arctiſſimo matrimonij glutino cum ea copulatus, vt relictâ ſocietate & ſæpè domo patris & matris, cohabitet vxori ſuæ. Quare impertinens, imò ineptus eſt ſenſus Hugonis, qui ſic explicat, q.d. *dimittet homo patrem & matrem*, id eſt, excepto patre & matre, cum reliquis omnibus poterit quis matrimonium inire. Talis quoque eſt aliorum, qui ſic exponunt, q.d. Plus diliget homo vxorem, quàm patrem & matrem, vti dicitur 3. Eſdræ 4. v. 25. Hoc enim licèt ſubinde verum ſit, huic tamen loco non conuenit.

*Coniuges duo in carne vna.*

Et ervnt dvo in carne vna] Græcè εἰς σάρκα μίαν, id eſt, *in vnam carnem*, vt ſcilicet ſint vna caro, vt explicat Chriſtus verſ. ſequenti: vulgò per corporum commixtionem hoc fieri cẽſent: puriùs & ſimpliciori Hebraiſmo vir & vxor ſunt *vna caro*, vt vertit Syrus, id eſt, ſunt vnus homo, & vna perſona ciuilis: caro enim per ſynecdochen notat totum hominem, q. d. Sicut ergo pars corporis, v.g. cor, vel venter non debet ſeparari à corpore, ita nec vir ab vxore. Hinc moraliter ſequitur, quòd vir & vxor ſe mutuò amare debeant, ſicut cor & anima amat ſuum corpus, & corpus ſuum cor & animam. Epheſ. 5. v. 28. Rurſum hinc ſequitur vna & communis vtriuſque corporis poteſtas, quòd ſcilicet vir habeat ius in corpus vxoris quaſi ſuum, & vice verſâ, vti docet Apoſtolus 2. Corinth. 7. 4. Plura de hoc loco dixi Gen. 2. 24. Symbolicè & metonymicè S. Hieronymus, Beda & S. Thomas: vir & vxor, inquiunt, ſunt vna caro, quia generant eumdem filium, qui vna vtriuſque parentis communis eſt caro.

Vers. 6. Mar. 10. v. 8. 9.

Itaqve iam non svnt dvo, sed vna caro (id eſt, vnus homo, vna perſona ciuilis, vti iam dixi) Qvod ergo Devs conivnxit homo non separet] Pro *coniunxit*, Græcè eſt συνέζευξε, id eſt, coniugauit, ſiue in vnum iugum coniunxit: vnde σύζυγες, dicuntur coniuges, quia ſicut duo equi ad vnum iugum copulantur in curru, vt eum protrahant, ſic duo coniuges copulantur ad idem iugum matrimonij, vt illud ſuſtineant, ex eoque proles procreent & educent. Duplex eſt hîc ratio, qua Chriſtus probat viro nõ licere dimittere vxorem. Prior, q.d. Dimiſſio vxoris, & ab ea viri diuortium eſt contra naturam, ſicut contra naturam eſt vt vna caro, & vnus homo diuidatur in duos; ergo id fieri non debet. Poſterior: Diuortium hoc eſt contra Dei inſtitutionem; ergo ſi fiat, impiè fit: diſtrahitur enim id, quod Deus coniunxit. Quis audeat temerare, quod Deus ſanxit? quis audeat diuidere quod Deus ſociauit & coniunxit? Quis audeat opus Dei creatoris, putà vnum hominem diſcerpere, aut carne & membro ſuo truncare & mutilare? Perperam ergo Eraſmus in 1. Corinth. 7. Hoc, inquit, Deus coniunxit quod rectè coniũgitur: hoc Deus dirimit, quod rectè dirimitur: quaſi poſſint ſeparari coniugia malè & incõſultè inita ſuaſore non Deo, ſed diabolo. Chriſtus enim loquitur de natura, ac naturali & primaria matrimonij inſtitutione, ſecundùm quam matrimonium ſemel initum quomodocumque, vel cuiuſcumq; ſuaſu initum, eſt indiſſolubile. Hoc enim exigit natura, vt proles alia poſt aliam cõtinuò ex matrimonio ſubnaſcens, commodè ab vtroque parente educari poſſit: quæ educatio in homine difficilis eſt, & lenta duratque ad annum ætatis vigeſimum & vltra: ſecus eſt in beſtijs, quæ ſtatim intra paucos menſes, imò hebdomadas planè adoleſcunt & perficiuntur, vt educatione patris & matris ampliùs non indigeant: quare tunc ſoluitur eorum coniugium. Ratio ergo à priori, cur matrimonij inſolubilitas ſit iuris naturæ: & cur contra naturam ſit fornicatio, pollutio, diuortium & polygamia, eſt hæc, quod Deus, qui eſt Dominus naturæ ac matrimonij & corporum noſtrorum, ita primitùs in Geneſi & prima mundi rerumque omnium productione inſtituit, limitauit & ſanxit, ac nobis ad copulam tantùm coniugalem ius & vſum corporum dedit; & ſi aliter ijs vtamur, contra voluntatem Dei, qui eſt ſummus Dominus, & contra ius ab eo datum, ijs abutamur. Id ita eſſe liquet ex eo, quòd olim in lege naturæ & Moſaica, Deo in iure hoc primitus à ſe ſancito, diſpenſante, & nouum ius dante licita fuerit polygamia, & libellus repudij. Sic Oſee cap. 1. iuſſu Dei vxorem duxit fornicariam. Sic & nunc Deus poſſet dare alicui vxorem tantùm ad vnum vel alterum actum copulæ; ac conſequenter facere, vt actus qui aliàs eſſet fornicatio iam non ſit fornicatio, ſed vſus coniugij. Vide dicta Oſee 1. Porrò finis & cauſa, cur Deus primitùs ſanxerit tantam matrimonij inſolubilitatem. Prima fuit, vt eſſet maior vnio, & amor coniugum inter ſe. Secunda, quia natura in homine ordinariè hoc quaſi exigit, vt proles commodè ab vtroque parente poſſint educari. Hæc enim educatio in homine eſt ardua, & longa, cùm interim aliæ, & aliæ proles ſubnaſcantur, quæ ſimiliter ab vtroque educandæ ſunt. Tertia cauſa fuit allegorica,

*Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

*Matrimonium inſolubile.*

*Ratio à priori.*

vt



vt ſcilicet matrimonium inſolubile eſſet typus & figura inſolubilis coniugij, & vnionis Verbi diuini cum carne noſtra, & per eam cum Eccleſia, vti docet Apoſtolus Epheſ. 5. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt*, inquit, *ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Vide ibi dicta.

Vers. 7. Suprà 5. v. 31. Mar. 10. 4.

Dicvnt illi: Qvid ergo Moyses mandavit dare libellvm repvdii, et dimittere?] Phariſæi *dicunt* & obijciunt *illi*, ſcilicet Chriſto: *Quid ergo Moyſes mandauit*; vt fortior ſit obiectio dicunt, *mandauit*; cùm tamen, vt rectè inuertit Chriſtus verſ. ſequenti, Moyſes hunc libellum repudij tantùm permiſerit. Erat tamen hîc aliquod mandatum non abſolutum, ſed conditionatum. Mandarat enim Moyſes, vt ſi Iudæi vellent dimittere vxores, id non facerent niſi dato libello repudij. De hoc libello, quis & qualis fuerit, ac quibus caſibus & ceremonijs fuerit licitus, quiſque eius fuerit finis & effectus, fusè dixi Deuteron. 4. 1. & ſequent. Supple hîc ex Marco cap. 10. verſ. 2. Chriſtum Phariſæis rogantibus, an liceret vxorem dimittere, primò reſpondiſſe & dixiſſe. *Quid vobis hac de re præcepit Moyſes? Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere & dimittere.* Mox Chriſtus, vt ait hîc Matthæus verſ. 14. primam matrimonij inſtitutionem & inſolubilitatem à Deo inſtitutam explicuit. Replicarunt Phariſæi: *Quid ergo Moyſes mandauit dare libellum repudij & dimittere?* reſpondit Ieſus, Moyſen id permiſiſſe ob duritiem cordis eorum; ab initio autem non fuiſſe ſic. Sic ergo præponendo verba, quæ habet Marcus, ac ſubtexendo verba quæ habet Matthæus, eumdem cum Marco concilia.

Vers. 8. Mar. 10. 5.

Ait illis: qvoniam Moyses ad dvritiem cordis vestri permisit (ecce hîc inuertit τὸ *mandauit* in *permiſit*) vobis dimittere vxores vestras: ab initio avtem non fvit sic] q. d. Moyſes permiſit dimittere vxores vobis exoſas, ne eas occideretis, ſi eas non poſſetis dimittere: hæc enim fuit duritia & carnalitas cordis veſtri, vt malletis illas necare, quàm carere voluptate noui & exoptati coniugij.

Ab initio avtem non fvit sic] Quia Deus ab initio mundi inter Adamum & Euam inſtituit ſanxitque inuiolabile, & inſolubile coniugium. Ab initio ergo naturæ rectè à Deo inſtitutæ ſic fuit; vitiatâ verò hominis naturâ per peccatum, hanc Dei inſtitutionem mutauit, & corrupit, ac libellum repudij, & polygamiam induxit.

Vers. 9. ſuprà 5. 32. Luc. 16. 18. Mar. 10 11.

Dico avtem vobis, qvod qvicvmqve dimiserit vxorem svam, nisi ob fornicationem, et aliam dvxerit, moechatvr: et qvi dimissam dvxerit, moechatvr] *Dico*: bis hoc dixit Chriſtus: Primò, publicè hoc loco Iudæis, & Phariſæis: vnde hîc nouam hanc legem promulgarit, per quam ſuſtulit libellum repudij, ac matrimonium ad primæuam ſuam inſtitutionem, & inſolubilitatem reuocauit. Secundò, paulò pôſt priuatim idipſum dixit & repetijt coram diſcipulis. Marci cap. 10. 10.

Dico] Ergo, id eſt, edico, & quaſi nouus nouæ legis legiſlator, veteriſque reformator ſancio, ac matrimonium ad originalem ſuam rectitudinem & firmitatem reduco, ſtatuoque, vt qui vxorem ſuam dimiſerit, & aliam duxerit, habeatur, & reipſa ſit adulter.

*Adulteriũ ſoluit cõiugiũ quoad thorum, nõ quoad vinculum.*

Nisi ob fornicationem] Id eſt, niſi ob adulterium: quæ enim in ſolutis eſt fornicatio, in coniugatis eſt adulterium, quod ſoluit matrimonium, quoad thorum, non quoad vinculum. Adulter enim non ſeruat fidem, quam dedit coniugi, vnde à coniuge poteſt dimitti, iuxta illud:

*Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

*Obiectio.*

Ex hac exceptione Græci, teſte Guidone Carmelita tract. de Hæreſibus, ac moderni hæretici colligunt & concludunt: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo à contrario, qui dimiſerit vxorem ſuam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur. Vnde cenſent ipſi per adulterium ſolui matrimonium, non tantùm quoad thorum, ſed etiam quoad vinculum; ita vt aliam vxorem ducere, & aliud matrimonium contrahere liceat. Ita Lutherus, Caluinus, Eraſmus ac paſſim Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, atque è Catholicis Catharinus & Caietanus; itaque in praxi faciunt hæretici & Græci. Verùm hic eſt error damnatus à cõtinua traditione Eccleſiæ, & à S. Paulo Roman. 7. 1. & 1. Corinth. 7. verſ. 10. & 11. ac disertè à Concil. Trident. ſeſſ. 24. can. 6. & 7. Ad argumentum ergo à contrario petitum, reſpondet Paulus Burgenſis hîc additione 2. ad Lyranum (quem ſequitur noſter Ribera in Malachiæ cap. 2. num. 36.) admittendo ſequelam; ſed addit Chriſtum loqui dumtaxat de lege veteri, in qua ob fornicationem licitum erat dare libellum repudij, per quem matrimonium ſoluebatur, vt liceret aliam vxorem ducere, ſed huic reſpõſioni obſtat, quòd Chriſtus hîc æquè ac Matthæi 5. disertè ſua dicta, id eſt, legem Euangelicam opponit Moyſi & legi veteri; imò libellum repudij; quem Moyſes permiſerat, aufert v. 8. & 9. *Moyſes*, inquit, *ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras, &c. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ecce hîc clarè Chriſtus Moyſis permiſſioni in libello repudij opponit ſuum dictum, ſuamque ſanctionem, qua libellum hunc reuocat, illoque vtentem, damnat adulterij.

*Reſponſio. Ribera.*

*Reſp. vera. Primò.*

Dico ergo; meliùs S. Auguſtinus lib. 1. de Adult. coniug. c. 9. τὸ *niſi* accepit negatiuè, vt τὸ *niſi ob fornificationem* idem ſit, quòd extra cauſam fornicationis. Fauent Græca & Syrus, quæ habent: *Non adulteram*; quaſi Chriſtus tantùm velit affirmare, vxorem fidam & caſtam non poſſe dimitti, de infida verò, id eſt, inceſta & adultera, nil velit dicere ad vitandam inuidiam Phariſæorum, & populi, cui illo tempore licita & vſitata erant adulterorum repudia, & nouæ cum alijs nuptiæ.

*Secundò.*

Secundò, τὸ *niſi* accipi poteſt propriè & exceptiuè, ſed tunc non ad id, quod ſequitur *& aliam duxerit*, ſed tantùm ad id, quod præceſſit: *quicumque dimiſerit vxorem ſuam*, referendum eſt, vt ab illo dumtaxat excipiat caſum fornicationis, q. d. Quicumque dimiſerit vxorem, quod non licet, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, hic mœchatur. Fauet Æthiopic. qui vertit: *Quicumque aliam ob cauſam, quàm ob fornicationem dimiſerit vxorem, & aliam duxerit, mœchus eſt.* Et Perſicus: *Omnis, qui dimittit vxorem ſuam, & non*





propter

*propter adulterium, & aliam ducit mœchus eſt.*

*Tertiò. Optimè.* Tertiò, planiſſimè & aptiſſimè cum Theophylacto & S. Auguſtino lib. contra Adimantũ cap. 3. hanc exceptionem ad vtrumque referas, tam ad id, quod ſequitur, quàm ad id, quod præceſſit, q.d. Quicumque dimiſerit vxorem niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; mœchatur, inquam, tum dimittendo vxorem, tum aliam ducendo, hoc eſt, bis mœchatur: Chriſtus enim vtrumque reſpondet; quia vtrumque quæſierant Phariſæi, & vtrumque eſt verum. Nam etiamſi vir ſolum dimittat vxorem caſtam, & innoxiam, nec aliam ducat, mœchatur, tum quia violat ius matrimonij & vxoris ſuæ, quod eſt quoddam mœchari; mœchia enim ſignificat vitium directè repugnans matrimonio, quale eſt dimiſſio vxoris inſontis: tum quia *mœchatur*, id eſt, facit eam mœchari, vti explicat Chriſtus Matthæi cap. 5. 33. Verba enim Hebræa coniugationis *Cal* ſæpè per *Hiphil*, id eſt, actiua ſimpliciter per duplicem actionem exponenda ſunt, vti norunt Hebraicè periti. Vnde tantùm à contrario ſic inferas: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ergo qui dimittit vxorem ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur quidem dimittendo fornicariam, mœchatur tamen aliam ducendo. Simile eſt, ſi dicas. Qui ieiunium violat ſine diſpenſatione, & ſe inebriat, hic peccat. Ergo qui non ieiunat cum diſpenſatione non peccat, ſed inebriando ſe peccat. Similis phraſis eſt Matthæi 5. v. 19. vti ibi dixi.

Dico Secundò: Chriſtus concedit hîc viro diuortium quoad thorũ ob fornicationem vxoris, non autem matrimonij ſolutionem, ita vt ei liceat aliam ducere; patet id Primò, quia Marcus & Lucas generalem omnino habent ſententiam (illaque vera eſſe debet) & hanc exceptionem omittunt: ſic enim habet Lucas c. 16. 18. *Omnis, qui dimittit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam:* facit enim ei grauem iniuriam, quia fidem ei datam violat. *Prob. Primo.*

Dices, cur ergo hanc exceptionem addit Matthæus? Reſpond. quia Phariſæi duas quæſtiones tacitè propoſuerant Chriſto. Prima erat, an quacumque ex cauſa liceret vxorem dimittere? Secunda, an dimiſsâ vxore per libellum repudij ſolutum eſſet matrimonium, & poſſet aliud inire? ideo enim dimittebant ſuam, vt ducerent aliã. Chriſtus ergo vtrique quæſtioni reſpondit, idque, vt videtur, duabus propoſitionibus. Primâ: Quicumque dimiſerit vxorem niſi ob fornicationem, mœchatur. Secundâ: Quicumque aliam duxerit, mœchatur: ſuſtulit enim cum libello repudij etiam polygamiam, ſiue pluralitatem vxorum olim licitam. Itaque hîc repetendum eſt τὸ *quicumque*, hoc modo: quicumque dimiſerit vxorem niſi ob fornicationem, & quicumque aliam duxerit, mœchatur: Matthæus ergo hîc, vt & alibi, breuitati ſtudens ſubintelligit τὸ *quicumque*, & vtramque Chriſti reſponſionem in vnam ſententiam conflat; voluit enim vtramque preſsè & concisè vnâ propoſitione complecti; vnde hîc verum eſt illud: *Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio.* Simile oſtendi cap. 9. verſ. 18. Probatur idipſum Secundò ex præcedentibus, vbi Chriſtus, abſolutè ex natura & prima inſtitutione matrimonij, quam non tollit fornicatio, *Secundò.*

A probauit matrimonium planè eſſe inſolubile. Tertiò, quia in ſequenti caſu hæc exceptio intelligi nequit, vt dicatur: *Et qui dimiſſam niſi ob fornicationem, duxerit, mœchatur.* Sic enim melioris conditionis eſſet dimiſſa ob fornicationem, vtpote libera & potens aliud matrimonium inire, quàm dimiſſa citra culpam ſuam; cùm hæc non poſſit alium maritum ducere. *Tertiò.* Quartò, quia ita explicat Paulus 1. Corinth. 7. verſ. 10. & 11. ac Patres paſſim. S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Beda hîc. S. Auguſtinus libris duobus de Adulterinis coniugijs, quos hac de cauſa ſcripſit, Innocentius I. epiſt. ad Exuper. Conc. Mileuitan. can. 17. Forojulienſe can. 10. Nannetenſe can. 10. Florentin. in inſtruct. Armen. & Trident. ſeſſ. 14. can. 6. Imò Origenes hîc tract. 7. acriter perſtringit nonnullos ſui æui Epiſcopos, tamquam indoctos, quòd cum Tertulliano libr. 4. contra Marc. & Ambroſiaſtro in 1. Corinth. *Quartò.*

B concedebant vxoribus ſecundas nuptias ob virorum adulteria, dicentes coniugi inſonti licere coniugem ſontem & adulteratam dimittere, ac alteri copulari. Idem habetur in Concilio Elibertino, 31. quæſt. 1. c. *Si qua mulier*, & in Conc. Aurelian. 1. cap. 10. Sed hæc Conciliorum decreta aut apocrypha ſunt, aut mutilè & imperfectè citantur à Gratiano. Aliter reſpondet Maldonatus, ſcilicet Concilia hæc permittere coniugi inſonti ſecundas nuptias, poſt mortem vxoris adulteræ; vxori verò in pœnam adulterij non permittere ſecundas nuptias, poſt mortem viri. Verùm cap. *Si qua mulier*, expreſsè agit de vxore adhuc viuente. Vide Thomam Sanchez lib. 10. de Diuortio, diſp. 2. & ſequenti. Reliqua huc pertinentia audiuimus cap. 5. verſ. 32. vbi ea explicui.

C DICVNT EI DISCIPVLI, SI ITA EST CAVSA HOMINIS (viri) CVM VXORE, NON EXPEDIT NVBERE] *Cauſa*, id eſt, *res & negotium*, vt vertit Syrus, q.d. Si ita ſe res habet coniugum, ſi tanta eſt coniugij inſolubilitas, ſi tam arctè vir alligatus eſt vxori, vt nullâ niſi fornicationis causâ poſſit eam dimittere, ſed cũ ea licèt odioſâ, rixoſâ, deformi, ſpurcâ, &c. debeat viuere & aſſiduè conuerſari vſque ad mortem, *non expedit nubere*, id eſt, vxorẽ ducere, vt vertit Syrus: Græcum enim γαμῆσαι, tam viris quàm mulieribus competit. Fortè Noſter vertens *nubere* alluſit ad ſeruitutem & ſubiectionem, quâ vir aſtringitur mulieri, ac non rarò, ſi velit habere pacem, debet ei quaſi ſe ſubdere atque patienter ferre eius ineptias, querelas, iurgia, rixas, &c. Vnde Comicus ait: *Vers. 10.*

D ——— *Vxori nubere nolo meæ,*

Cauſam dat S. Chryſoſtomus, *leuius enim eſt*, inquit, *contra concupiſcentiã præliari, & contra ſeipſum, quàm contra mulierem malam.* Viderunt idipſum Gentiles. Vnde Cato: *Mulier*, ait, *eſt malum neceſſarium*, & verè infidelibus malum hoc fuit neceſſarium: fidelibus verò eſt liberum & voluntariũ, quia hi per Chriſti gratiam poſſunt colere virginitatem & cælibatum, qui infidelibus Chriſti fide & gratiâ deſtitutis, eſt impoſſibilis. Sola enim natura concupiſcentiam & carnis tentationem ſuperare nequit. Hinc illuſtris ille Thomas Morus, non μωρὸς, ſed ſapiens, ſub Henrico VIII. Angliæ rege martyr, rogatus cur paruam duxiſſet vxorem? feſtiuè reſpondit: *Ex malis* *Mulier malũ infidelibus neceſſarium, fidelibus liberum.* *Lepidum Thomæ Mori de ſua parua vxore reſponſũ.*

elegi



*elegi minimum.* ita Stapleton. in eius Vita. Archidamas quoque rex Lacedæmonum, teſte Plutarcho in Apopht. mirãtibus cur puſillam duxiſſet coniugem: Pariet enim (inquiebant illi) nobis regulos non reges, idem reſpondit: *Malorum ſelegi minimum.* Denique *coniugium eſt curarum abyſſus*, vti docet S. Baſilius Conſtit. Monaſt. c. 1. *Idem Archidamas reſpondet.*

*Vers. 11.* QVI DIXIT ILLIS: NON OMNES CAPIVNT VERBVM ISTVD SED QVIBVS DATVM EST] Arabicus, *niſi qui donati ſunt*, ſcilicet Deo & continẽtiæ. Sic in Religionibus conuerſi vocantur donati, ſcilicet Religioni.

NON CAPIVNT] Origenes & Nazianz. orat. 31. de tribus Eunuchorum generibus Græcũ οὐ χωροῦσιν, vertunt, *non ſunt capaces*, ſed capacitatem vocant præpenſionem naturalem ad cœlibatum & caſtitatem, quam non omnes habent. Verùm meliùs οὐ χωροῦσιν vertas cũ Noſtro, *non capiunt*, vt vaſa arctiora in ſe non ſuſcipiunt, non approbant, non comprehendunt, non amplectuntur tantum, tamque arduum cœlibatus conſilium, ſed ij ſoli *quibus datum eſt* magnum hoc continẽtiæ donum à Deo. Vbi Nota, licèt non omnes fideles habeant donum continentiæ, quo actu contineant, ſicut non omnes iuſti habẽt donum perſeuerantiæ, quo actu in iuſtitia perſeuerent; tamen ſicut omnes iuſti habent donum perſeuerantiæ, quo in Dei gratia perſeuerare poſſint, ſi velint: ſic pariter omnes fideles habent donum continentiæ in actu primo; quo poſſint, continere, ſi velint; ſi videlicet vires & gratiam ad continendum aſſiduè à Deo efflagitent, ac Dei gratię per cuſtodiam oculorum, fugam otij, macerationem carnis, &c. cooperentur. Ita S. Chryſoſtomus, Origenes, Theophylactus, Euthymius & Hieronymus hîc, S. Auguſtinus in Pſal. 137. S. Ambroſius lib. 3. de Viduis, Tertullianus lib. de Monogamia & alij, & patet ex hoc loco. Chriſtus enim hîc, æquè ac Paulus 1. Corinth. 7. v. 7. cuilibet fideli ſuadet & conſulit cõtinentiam: nihil autem ſuadetur & conſulitur niſi quod in hominis eſt arbitrio & poteſtate cum gratia Dei, quam ſcilicet Deus cuilibet poſtulanti præparat & offert. Secùs eſt de dono prophetiæ, linguarum, curationum, miraculorum: hoc enim Deus non omnibus præparat & offert, ſed paucis dumtaxat à ſe electis ad commune fidelium bonum. Audi S. Hieronymum: *His datum eſt, qui potuerunt, qui voluerũt, qui vt acciperent, laborauerunt.* Sic & Euthymius: *Datum eſt*, inquit *his, qui petiuerunt, (petite enim ait, & dabitur vobis) petentibus, inquam, non ſimpliciter, ſed feruenter & perſeueranter, & vt ſemel dicam, ſicut oportet. Significatum eſt ergo virginitatem Dei donum eſſe datum his, qui petunt, vt oportet.* Theophylactus: *Hoc loco.* ait, *Datum eſt, valet, quibus cooperatur Deus. Illis autem datum eſt, qui petunt: Petite enim, inquit, &c.* Auctor Operis imperfecti: *Quod autem dicit: Quibus datum eſt, non hoc ſignificat, quoniam quibuſdam datur, quibuſdam non datur: ſed illud oſtendit, quia niſi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autẽ volentibus gratia non denegatur, in Euangelio Dominus dicit: Petite, &c.* S. Chryſoſtomus: *Sed ſi electionis opus eſt id, inquies, quomodo incipiens ſtatim dixit: Non omnes capiunt, ſed quibus datum eſt? vt ſingulare id eſſe certamen perdiſcas, non vt ſorte datam neceſſitatem ſuſpiceris. His enim datum eſt, qui ſponte id eligunt: quod ideo dixit, vt oſtenderet* *Donũ continentiæ eſt in hominis poteſtate qua ratione*

A *ſuperiori nobis auxilio eſſe opus (quod quidem omnibus illud expetentibus paratum eſt) ſi volumus in hac luctâ ſuperiores euadere.* Addit ſanctus Chryſoſtomus, licèt aliqui à continentia excidant, non debemus in propoſito caſtitatis fieri pigriores: ſicut milites, qui in pugna cadunt, non exanimant ceteros, ſed potiùs ad fortiùs pugnandum acuunt & accendunt. Denique idem Chryſoſtomus cõſiderationem ſuggerit, per quam cælibatus cuique non tantùm poſſibilis, ſed & facilis oſtenditur: *Cogita tecum*, inquit, *ſi aut à natura eunuchus eſſes, aut iniuria hominum effectus, quid faceres, cùm & huiuſmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem conſequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia rutilanteſq; coronas, ſi ita viues, quemadmodum ſine aliquo illi præmio: imò verò multò faciliùs, tutiùs atque iucundiùs, tum quia ſpe retributionis roboraris, tum quia conſcientia virtutis gaudes, & ad hæc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris. Non enim ſic amputatio membri quemadmodum rationis frænum: imò verò ſola ratio huiuſmodi fluctus comprimit. Non enim à cerebro, aut à lumbis illum inquietiſſimum æſtrum proficiſci dixerim, ſed à laſciuia mentis & cogitationis neglectu.* Porrò Auctor libr. de Caſtitate, qui falsò S. Sixto Pontifici inſcribitur (fuit enim Auctor hic Pelagianus) τὸ *datum* refert non ad *caſtitatem*, ſed ad *verbum*, q.d. Non omnes capiunt verba mea, ſed ij, quibus datum eſt audire me ea explicantem; nam caſtitas, inquit, non eſt donum Dei, ſed virtus proprij arbitrij & voluntatis. Si enim eſſet donum Dei, fatalis eſſet caſtitas ijs quibus hoc donum Deus dat, alijs verò impoſſibilis. Rurſum quomodo caſtitate meremur regnum cælorum, ſi eſſet donum Dei, & non electio liberi arbitrij? Ita hîc Pelagianus, ſed imperitè. *Verbum* hoc non eſt aliud, quàm conſilium caſtitatis, vt patet intuenti. Caſtitatem eſſe donum Dei, patet 1. Corint. 7. 7. & Sapient. 8. 21. Vide S. Auguſtinum lib. 6. Confeſſ. cap. 11. cuius celebre eſt illud: *Domine, da quod iubes, & iube quod vis, Iubes continentiam, da continentiam.*

SVNT ENIM EVNVCHI, QVI DE MATRIS VTERO SIC NATI SVNT: ET SVNT EVNVCHI, QVI FACTI SVNT AB HOMINIBVS: ET SVNT EVNVCHI, QVI SEIPSOS CASTRAVERVNT PROPTER REGNVM CÆLORVM. QVI POTEST CAPERE, CAPIAT] Qui cùm poſſint eſſe viri propter Chriſtum, fiunt eunuchi, ait S. Hieronymus. Triplices hîc eunuchos, id eſt, caſtratos, & impotentes ad generandum aſſignat Chriſtus; ſcilicet Primò, qui à natura ſunt tales: Secundò, qui ab arte, qui ſcilicet ſunt exſecti, vt cuſtodiant reginas & matronas nobiles à ſtupro; Tertiò, qui *ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.* Alludit Chriſtus ad Iſaiæ 56. 3. vbi eunuchos hos ſub Chriſto futuros prædicit, eiſque promittit nomen melius à filijs & filiabus, nomen, inquam, ſempiternum. Vide ibi dicta. *Vers. 12.* *Triplices eunuchi.*

CASTRAVERVNT] Hæc vox duo ſignificat: Primum, noſtri arbitrij eſſe cum Dei gratia nos caſtrare, id eſt, caſtos & cælibes efficere, idque perpetuo voto firmare & ſeruare. Hoc enim ſignificat vox *eunuchi*, & vox *caſtrauerunt*, ſcilicet impotentiam moralem ad generandum: alioqui enim dixiſſet; Sunt qui ſe caſtrant, vel caſtrare nituntur; iam dicit, *caſtrauerunt*, id eſt, potentiam ſibi abſtulerunt, ſeque quaſi exſecuerunt & in- *Caſtrauerunt duo notat.*

habiles ad generandum effecerunt, ſcilicet per votum continentiæ: Ita S. Epiphanius hęreſi 58. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 3. S. Auguſtinus lib. de Sancta Virgin. c. 36. Secũdò, τὸ *caſtrauerunt* ſignificat, continentiam hanc iñ continente, non fieri ſine ingenti carnis lucta & dolore, perinde ac ſi ei genitalia execarentur. Ita Nazianzenus, orat. 31.

*Origenes ſe caſtrauit, an rectè.*

Porrò Origenes hoc ad literam accepit. Vnde reipſa caſtitatis amore ipſe ſeipſum caſtrauit & membrum execuit, ſed perperam; tum quia non licet ſe caſtrando mutilare; tum quia libido caſtratione non reſtringuitur, ſed acuitur. Audi Chryſoſtomum: *Cùm autem dicit, qui ſe caſtrauerunt, non membrorum dicit abſciſsionem, ſed malarum cogitationum interemptionem; maledictioni enim obnoxius eſt, qui membrum abſcindit, &c. neque concupiſcẽtia manſuetior ita fit, ſed moleſtior.* Eunuchi enim peccant cogitatione & deſiderio libidinis, dolentque, ſe illam non poſſe experiri, & explere. Vide dicta Eccleſ. c. 20. 2. & c. 39. 21.

PROPTER REGNVM CÆLORVM] Per virtutem continentiæ promerendum. Ita Origenes, Hilarius, Chryſoſtomus, Euthymius hîc, & S. Auguſtinus de S. Virgin cap. 23. Perperam ergo hæretici ſic exponunt, *propter regnum cælorum*, ſcilicet prædicandum, q.d. Sunt Eunuchi, qui ſe caſtrant, id eſt, continent ab vxore, vt expeditiores ſint ad prædicandum Euangelium, aut vt careant moleſtijs quas parit res vxoria: non enim ſolùm hiſce de cauſis laudanda, & optanda eſt continentia; ſed etiam præciſè in ſe, quia ipſa ingens eſt virtus, ſuiq́ue victoria, qua homo vincit libidinem; mentemq; attollit ad cæleſtia meditanda & proſequenda: quare ipſa ex hominibus facit Angelos Vide S. Auguſtinum, S. Baſilium, S Chryſoſt. & alios, qui de Virginitate ſcripſerunt, vbi miris eam encomijs celebrant.

QVI POTEST CAPERE, CAPIAT] Arabicus: *Qui poteſt portare portet.* Nota hîc conſiliũ Euangelicum cælitus à Chriſto promulgatum, & omnibus propoſitum, imò conſultum, ſed non præceptum. Hæc enim verba *qui poteſt capere capiat*, ſunt hortantis & animantis ad cælibatum, ait S. Hieronymus, & Chryſoſtomus, ac proinde ſignificant, illum à Chriſto conſuli, ideoque eumdem eſſe in noſtro arbitrio & poteſtate, ſi gratiam Dei inuocare, illiq́ue ſtrenuè cooperari velimus. Nec obſtat quod dicit, *qui poteſt*; hoc enim ſignificat dumtaxat cælibatum eſſe rem arduã, q.d. qui vult ſibi vim inferre, qui vult libidini generosè reſiſtere, qui vult ad arduum continentiæ culmen conſcendere, ille eamdem amplectatur, *capiat*, & capeſſat. Sic adoleſcens nolens ducere quamdam ſibi diſplicentem apud Comicum ait, *non poſſum mater*, id eſt, nolo eam ducere: hoc enim mihi valde difficile eſt, ideoq; quaſi impoſſibile: omnes ergo fideles habent potentiam non proximam, ſed remotam ad continendum. Ita Patres citati v. 11. Audi vnũ ex omnibus & pro omnibus S. Chryſoſtomum: *Ideò nõ omnes capere poſſunt, quia non omnes volunt: palma propoſita eſt; qui concupiſcit gloriam, non cogitat de labore. Nemo vinceret, ſi omnes, timerent periculum.* Audi & S. Hieronymum lib. 1. contra Iouin. *Proponit agonotheta præmium, inuitat ad curſum, tenet in manu virginitatis brauium, oſtendit puriſsimũ fontem, & clamat: qui ſitit, veniat ad me & bibat: qui poteſt capere capiat.* Hinc liquet, quàm carnalis & bruta ſit Caluini expoſitio, quæ talis eſt. q.d. Vos ô Apoſtoli, cenſetis bonum eſſe ſine vxore viuere, ſed ego prohibeo, ne quis ita facere conetur, niſi certus ſit, ſe id facere poſſe, id eſt, ſine vxore viuere: Chriſtus enim non prohibet, ſed hortatur ad cęlibatum; nec quis de eo certus eſſe poteſt, niſi aut reuelationem à Deo habeat, quod eſt pauciſſimorum; vel ſuam conſtantiam continendo experiatur, & probet: priùs ergo continentiam experiri quis debet, antequam de ea certus ſit: quomodo ergo priùs de ea certus eſſe debet, antequam eam experiatur? vt vult Caluinus. Peius Lutherus docuit tam impoſſibile eſſe homini carere vxore, quàm cibo & potu; nimirum ipſis & hæreticis, hoc eſt impoſſibile, at non orthodoxis, Chriſti fide & gratia roboratis.

VERS. 13. Luc. 18. 15 Mar. 10. 13.

TVNC OBLATI SVNT EI PARVVLI, VT MANVS EIS IMPONERET, ET ORARET. DISCIPVLI AVTEM INCREPABANT EOS] Quòd Chriſtum rebus maioribus putà viris docendis adeò occupatum, ad paruulos rationis vſu carentes, auocarent; quaſi vile & indignum Chriſto tanto Propheta eſſet, cum pueris agere. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Ianſenius, Maldonatus, & alij. *Paruuli*, Græcè παιδία, id eſt, *pueruli.* Lucas cap. 18. verſ. 15. habet βρέφη, id eſt, *infantes*; infantia autem durat vſque ad ſeptennium.

*Comitas & Facilitas Imperatorum. Adriani.*

Moraliter diſcant hîc principes à Chriſto, qui eſt *Rex regum & Dominus dominantium*, omnibus etiam pauperibus, feminis, pueris ad ſe facilem dare aditum, eorumq́ue preces & vota benignè audire & exaudire. Hoc fecêre præ alijs è Romanis Imperatoribus, licèt Gentilibus, Primò Adrianus, de quo Spartianus: *In colloquis*, inquit, *etiam humillimorum ciuiliſsimus fuit, deteſtans eos, qui hanc voluptatem humanitatis, quaſi ſeruantes faſtigiũ principis, ſibi inuiderent.* Secũdò Titus Veſpaſianus, cuius teſte Suetonio hæc erat vox: *Non oportere quemquam à ſermone Principis triſtẽ diſcedere*: Et quo die nulli benefecerat gemẽs aiebat: *Diem perdidi.* Tertiò Traianus, de quo Plinius in Panegyr. *Non tu*, inquit, *ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manu reddis: hæret latere tuo quiſquis acceſſit, finemq; ſermoni ſuus cuique pudor, non tua ſuperbia facit.* Et paulò inferiùs: *Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora, audiuntur ſtatim, dimittuntur ſtatim.* Et de eodem Eutropius: *Culpantibus*, inquit, *amicis quòd nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit: talem debere Imperatorem eſſe priuatis, quales eſſe ſibi Imperatores priuatus optaſſet.* Quartò, Alexander Seuerus, de quo Lampridius: *Moderationis*, inquit, *tantæ fuit, vt nemo vmquam ab eius latere ſubmoueretur: ita ſe omnibus blandum affabilemq; præbebat, vt amicos non ſolùm primi & ſecundi loci, ſed etiam inferioris ægrotantes inuiſeret.* Denique è Chriſtianis Theodoſius Senior Imp. *Creber egreſſu*, ait, Pacatus in eius Panegyr. *expectantibus populis te fateris, nec videri modò patiens, ſed facilis adiri: è proximo accipis vota omnia tuorum.*

*Titi Veſpaſiani. Traiani. Alexandri Seueri. Theodoſij.*

VT MANVS EIS IMPONERET] Vt manuum impoſitione eis benedîceret, ac benedicendo diuinam gratiam eis imprecaretur & imploraret; itaq́ue pro eis oraret, vt in viros ſapiẽtes & ſanctos adoleſcerent. Hanc priſcam Hebræorum fuiſſe conſuetudinem, colligitur ex Gen. c. 48. v. 14. vbi Iacob, cancellatis in formam crucis manibus, be-



nedixit Ephraim & Manaſſe, paruulis Ioſephi filijs. Et ex Eccleſiaſtici c. 3. v. 11. vbi ait: *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vide ibi dicta. A Chriſto mos hic deriuatus eſt ad Chriſtianos, vt laici maximè pueri, à ſenioribus & ſacerdotibus petant, & obtineant benedictionem, etiam extra Eccleſiam, vti fit in Belgio, vbi pueri certatim ad ſacerdotes & viros religioſos tranſeuntes accurrunt, ab eiſque petunt cruce ſe ſignari: & benedici, itaque facere docentur à Catechiſtis, æquè ac à parentibus; quam conſuetudinem laudat hîc Auctor imperfecti. Addit Remigius, hanc conſuetudinem apud Iudæos fuiſſe ante Chriſtum. Magnus ille Thomas Morus, Angliæ decus & martyr, exiſtens regni Cancellarius publicè à patre ſene poſtulauit benedictionem, teſte Stapletono in eius vita. Porrò hanc cæremoniam impoſitionis manuum, exemplo Chriſti vſurpat Eccleſia in Baptiſmo, Ordine, Pœnitentiâ, & quandocumque hæretici in Eccleſiam recipiuntur: eſt enim ipſa quaſi imprecatio & collatio Spiritus ſancti.

*Mos pueris benedicẽdi.*

VERS. 14. Luc. 18. 16. Mar. 10. 14.

*Chriſtus amat paruulos, ob quinque eorum dotes.*

IESVS VERO AIT EIS: SINITE PARVVLOS, ET NOLITE EOS PROHIBERE AD ME VENIRE: TALIVM EST ENIM REGNVM CÆLORVM] Cauſam cur Chriſtus adeo amet paruulos, quinque naturales eorum dotes aſſignat hîc Victor Antiochenus, ſcribens in Marci cap. 10. 13. *Eſt enim paruuli*, ait, *anima candida & ab omnibus vitioſis affectibus libera; quãdoquidem puerulus triſtitia paſſus, aut iniuriâ à quopiam affectus, neque iniuriarũ reminiſcitur; neque vindictam meditatur: verum quaſi nihil incommodi tulerit ad eũ qui læſerat tamquam ad amicũ vltrò accedit. Pari modò licet grauiter à matre cædatur, accurrit nihilo ſecius præ ceteris ad ipſam, vnaq; illam alijs omnibus mulieribus potiorem ducit. Et ſi reginã diademate redimitam oſtenderis, non anteponit eam matri quantumlibet vilibus pannis indutæ, auetq; magis illam videre pannis obſitam, quàm reginã ſplendido corporis cultu ornatam. Ad hæc nihil prorſus plus exigit, quàm naturæ neceſsitas depoſcit. Quare vt primum mammarum ſuccu ſeſe expleuit, ſtatim materna vbera deſerit. Præterea de earum rerum iactura, quas nos maximi facere conſueuimus, vt ſunt pecuniæ, gemmæ, aliaq; eiuſmodi, nihil prorſus mouetur aut contriſtatur. Denique non ſtupet, nec rapitur ob corporum venuſtatem, vt ceteri mortalium ſolent. Propter hæc ergo Dominus dixit: Talium eſt regnum cælorum: nempe per hoc nos admonens, vt ſtudio certaq; voluntatis electione talia faciamus, talemq; affectum induamus, qualem ipſi ex naturæ ſuæ qualitate induti ſunt.* Sic Chriſtus S. Edmundum Cantuar. poſtea Epiſcopum, S. Nicolaum, S. Catharinam Senenſem, & alios eminentes ſanctos à puero ſibi elegit, & benedixit. Gelaſius puer Placentinus, cùm S. Opilium fraterculum ſuum in cubiculo orantem inueniſſet, Angelorum multitudinem cum eo colloquentem, proprijs oculis vidit, vocemq́ue audiuit: *Sinite paruulos venire ad me: talium enim eſt regnũ cælorum.* Cùm autem ætate creſceret, vitæ quoque ſanctitate creſcebat, ac tamquam oliua fructifera in domo Domini, vberes bonorum operum fructus proferebat: ſicque tenerâ adhuc ætate migrauit ad Chriſtum. Ita habet officium Eccleſiæ Placentinæ Romæ approbatum, & ex eo Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem 4. Februarij. S. Babylas Patriarcha Antiochenus, & martyr illuſtris ſub Numeriano Imperatore ab eo ad mortem damnatus, tres pueros, quos in fide & pietate educarat, voluit ante ſe capite plecti, ne à quopiam ſeducerentur, ſed eos Chriſto offerens velut innocẽtes victimas aiebat: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum & portentum*, vti habetur in Vita ſancti Artemij apud Surium. Vide dicta Iſaiæ c. 8. verſ. 18. & Hebr. 2. v. 14 Plura exempla amoris, & curæ Chriſti, ac B. Virginis erga paruulos recenſet noſter Philippus Berlemontius in Paradiſo puerorum.

*Sancti & inſignes viri à puero electi. Gelaſius & Opilius fraterculi. Tres pueri S. Babylæ Patriarchæ Antiocheni.*

*Quãto ſtudio pueri alendi.*

Moraliter diſce hîc, quantâ curâ pueri educandi ſint, docendi & catechizandi, vt pueri permaneant. Nam

*Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem*
*Teſta diu.*

Fecit hoc ſtudiosè Ioannes Gerſon exiſtens Cãcellarius Pariſienſis qui & librum hac de re conſcripſit, ex quo nonnulla citaui Galat. cap. 6. v. 6. Vide Petrum Ribadeneiram in Vita S. Ignatij lib. 3. c. 24. vbi multas & graues affert cauſas, & vtilitates, ob quas Societas Ieſu complexa ſit ſcholas, & inſtructionem puerorum.

Imò S. Baſilius idipſum faciendum eſſe ex hiſce Chriſti verbis probat. Nam in regulis breuiùs diſp. interrogat. 292. quærit: *An conueniat, vt inter fratres magiſter ſit puerorum ſæcularium?* ac reſpondet affirmatiuè: *Seruetur*, inquit, *quòd præceptum eſt à Domino, qui dixit: Sinite paruulos venire ad me: talium eſt enim regnum cælorũ.* Paruuli enim in viros & ciues euadunt, & quod didicerunt pueri, hoc retinent grandæui Paruuli ergo ſunt ſeminarium Eccleſiæ & reipublicæ.

TALIVM (Syrus, *eorum qui ſunt ſicut iſti*) ENIM EST REGNVM CÆLORVM] *Talium*, ſcilicet qui paruulis humilitate, ſimplicitate, candore, innocentiâ ſunt ſimiles, vti iam dixi ex Victor Antiocheno. Vnde Lucas addit: *Quicumque nõn acceperit regnum Dei vt puer, non poteſt intrare in illud.* Ita Origenes, S. Hieronymus, Theophylactus & Euthymius. Senſus eſt, q.d. Chriſtus: Mea dignitate non eſt indignum pueris benedicere, quia per benedictionem meam apti fiunt regno cælorum, cùm vos, ô Iudæi adulti, qui toties me docentem audiſtis, ob ſuperbiam aliaque vitia, in quibus occalluiſtis, ad illud adhuc ſitis inepti. Quare vt apti fiatis, paruulos hoſce vobis imitandos ſtatuo. Omnis enim animi volentis ſe præparare ad regnum cælorum, Chriſti gratiâ obtinendum, exemplum & idea eſt puerilis ſimplicitas. Audi S. Ambroſium libr. 8. in cap. 18. Lucæ: *Ætas hæc*, inquit, *infirma eſt viribus, inualida ingenio, immatura conſilio. Non igitur pueritia, ſed æmula puerilis ſimplicitatis bonitas deſignatur.* Et mox ſymbolicè: *Quis ergo puer imitãdus eſt Apoſtolis Chriſti? Ille, de quo Iſaias dicit: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis. Ipſe enim tibi puer dicit: Tolle crucem tuam, & ſequere me. Et vt agnoſcas puerum; cùm malediceretur, non maledixit: cùm percuteretur, non repercuſsit. Hæc eſt enim perfecta virtus: Itaq; & in pueritia eſt quædam venerabilis morum ſenectus, & in ſenectute innocens pueritia.* Hinc patet perperam Anabaptiſtas arcere paruulos à baptiſmo, ac conſequenter à Chriſto & regno cælorum, eò quòd paruuli non vtantur ratione, nec poſſint credere: licèt enim actu non credant, habitu tamen credunt; quia in baptiſmo infunditur

*Anabaptiſtæ paruulos male arcẽt à baptiſmo.*

funditur eis habitus fidei, gratiæ & charitatis: A credunt quoque actu in fide Eccleſiæ, id eſt, parentum & fidelium Eccleſiæ, qui crebrò actus fidei eliciunt pro ſe, & ſuis omnibus.

Vers. 15. Mat. 10. 16. Et cvm imposvisset eis manvs, abiit inde] Manus Chriſti erant viuificæ & ſaluificæ. Vnde Lucas cap. 40. v. 40. ait: *At ille ſingulis* (infirmis & ægris) *manus imponens, curabat eos.* Ratio eſt, quia manus eſt organum organorum, quare diuinitas Chriſti per manus diuinã ſuam, vim & gratiam exerebat in eos, quos tangebat, ſalutem eis corporis animique dans, vel in circumciſione, aliàſve datam adaugens, ac occulta ſua virtute eos ſanctificans, Deoque offerens, & quaſi conſecrans. Vnde non eſt dubium, hos paruulos à Chriſto benedictos euaſiſſe in viros ſapientes & ſanctos, qui deinde Eccleſias erexe- B runt, & fidem Chriſti propagarunt. ita Franc. Lucas.

*Manus eſt organũ organorum.*

Vers. 16. Luc. 18. 16 Mar. 10. 18 Et ecce vnvs accedens ait illi: Magister bone, qvid boni faciam, vt habeam vitam æternam] *Vnus*, S. Hieronymus putat; fuiſſe legiſperitum, de quo Lucas cap. 10. 25. ideoque tentandi animo ad Chriſtum acceſſiſſe Melius S. Chryſoſtomus cenſet, hunc alium eſſe ab illo Lucæ, qui candido corde, vt pueris ſe ſimilem redderet iuxta Chriſti pręceptum, ab eo animo ſincero petijt, qua ratione vitam æternam paruulis, eorumq; ſimilibus paulò antè à Chriſto promiſſam, conſequi poſſet; vnde hic eſt ille, cuius meminit Lucas c. 18. v. 18. Id ita eſſe patet vtrumque conferenti. Idipſum magis patebit ex ſequentibus, præſertim ex v. 22. vbi dicitur quòd auditâ Chriſti doctrinâ de perfectione: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pau-* C *peribus*, abierit triſtis, eò quòd eſſet diues; quod ſignum eſt, eum ſincero ſalutis ſuæ animo & ſtudio hæc poſtulaſſe à Chriſto.

Magister bone] Eſt hæc ſimplex ſalutandi & compellandi phraſis Hebræorum, quâ beneuolentiam doctoris & prophetæ captant. q. d. Rabbi, ſcio te eſſe bonum, tum virum, tum doctorem, tum prophetam, qui me & alios optimè doceas ea, quæ verè bona ſunt, & ad beatitudinem ducunt. Dic ergo mihi, quid boni præ ceteris faciam, vt ſummum bonum in cælo conſequar? Ludit enim in voce *bonum.*

Vers. 17. Luc. 18. 19 Mar. 10. 18 Qvi dixit ei: Qvid me interrogas de bono?] Legit Interpres, τί με ἐρωτᾷς περὶ ἀγαθοῦ ſic quoque legit S. Aug. & S. Hieron. in Comment. iam verò legunt, τί με λέγεις ἀγαθόν. id eſt, D *quid me dicis*, vel vocas *bonum*? Vtramque lectionem ponit Origenes. Cauſam ſubdit dicens:

Vnvs est bonvs, Devs] Scilicet naturâ ſuâ, & per eſſentiam. Retorquet Chriſtus humiliter laudem & bonitatem ſuam in Deum, vt nos idem doceat facere: quia hic interrogans non habebat plenam de Chriſto fidem, nec credebat eum eſſe Deum. Ad hanc ergo fidem, eam quaſi obiurgando attollere & extimulare voluit Chriſtus. q. d. Si me vocas bonum, crede me eſſe Deum, nemo enim per ſe bonus niſi Deus. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Euthymius. Porrò Deus ſolus per eſſentiam eſt bonus, quia ſicut ipſe ſolus verum, ſolidum & plenum habet eſſe, (vnde ipſe ait Exodi 3. *Ego ſum, qui ſum*, q. d. vos ergo, ô angeli, & homines non eſtis, ſi meeum comparemini, quia meum eſſe tantum & A tam plenum eſt, veſtrum verò tam exile & diminutum, vt mei reſpectu potiùs non eſſe, quàm eſſe videamini) ita pariter ſolus Deus eſt bonus, ſapiens, potens, iuſtus; quia ab eo omnes angeli, homines participant guttam, vel potiùs vmbram quamdam bonitatis, ſapientiæ potentiæ, iuſtitiæ. Vide dicta Amos 6. v. 13. & Exodi 3. v. 14.

*Solus Deus eſt bonus per eſſentiã.*

Porrò bonum idem eſt, quod perfectum, & bonitas eius rei eſt perfectio. Deum autem perfectum eſſe pluribus probat S. Dionyſ. de Diu. nomin. c. 13. In Deo enim eſt immenſa perfectio tam naturæ quàm ſapientiæ, potentiæ, ſanctitatis, & virtutis. Eſt ergo in eo ſumma bonitas tũ naturalis, tum moralis, tũ ſupernaturalis. Quocirca ipſe eſt fons omnis bonitatis, in qua omnia B creaturarum bona ſunt collecta, & infinities meliora, quàm ſint in creaturis. Quare in Deo eminenter eſt auri decor, gemmarum ſplendor, deliciarum ſapor, muſicæ harmonia, hortorum amœnitas, & quidquid in creaturis eſt pulchrum, amabile, iucũdum, delicioſum. Hinc à Deo mel haurit ſuam dulcedinem, ſol ſuos radios, ſtellæ ſuum lumen, cæli ſuum decus, angeli ſuam ſcientiam, homines ſuam virtutem, animalia ſuũ ſenſum, plantæ ſuam vitam, cetera omnia quidquid habent boni, imò totum ſuum eſſe à Dei bonitate & eſſentia, velut guttam è pelago, emendicant. In Deo igitur eſt omne bonum, idque in perfectiſſimo & immenſo gradu: in Deo eſt omnis amoris illicium, omnis deſiderij conſummatio, omnis appetitus ſatietas: cur ergo, ô miſer homo, per exilia hæc bona creata vagaris, ideoque non ſatiaris? quęre bonum, in quo omne C bonum, ama, & ambi Deum: hic ſolus tuam ſitim & appetitum planè & plenè exſatiabit, tum in hac vita per gratiam, tum magis in futura per gloriam, imò per ſeipſum; in cælo enim Deus ſeipſum quaſi ſummum bonum Beatis videndum, guſtandum & fruendum exhibet.

*Bonũ idem quod perfectum.*

*Deus fons omnis boni.*

Si avtem vis ad vitam ingredi, serva mandata] Caluinus ſtolidè æquè ac impiè cenſet, Chriſtum hîc per ironiam irridere adoleſcentem, ſuis legalibus operibus confiſum: nec enim viam in cęlum eſſe obſeruationem mãdatorum, vtpote homini impoſſibilẽ, ſed fidem. Quot hîc ſunt verba, totidem errores ſunt, & hęreſes, imò blaſphemiæ, quæ Chriſti ſenſui & ſententiæ ex diametro aduerſantur, eamque funditus ſubuertunt. Vnde liquet Caluinũ agi ſpiritu non Chri- D ſti, ſed Antichriſti. Vide noſtros Maldonatum & Adamum Contzen, qui ex profeſſo in Euãgelia commentantur, vt Caluinum & Nouantes confutent: nos ad alia Orthodoxis vtiliora pergamus. Docet ergo hîc Chriſtus, non ſolã fidem iuſtificare, & ſaluare, ſed & opera bona requiri, quibus legem implendo, mereamur brauium æternæ vitæ & gloriæ, legem implentibus à Deo promiſſum. Inſtat Caluinus: Saltẽ Chriſtus per mandata Dei hîc excludit præcepta, & traditiones Eccleſiæ, putà Pontificum & Prælatorum. Reſp. ea contineri quarto Dei mandato. *Honora patrem & matrem*, ſcilicet tam ſpiritualem, vti ſunt Pontifices & Prælati, quàm carnalem.

*Impia Caluini expoſitio.*

Dicit illi: Qvæ? Iesvs avtem dixit: Non homicidivm facies: non adulterabis: non falsvm testimonivm dices: honora patrem tvvm et matrem tvam: et diliges, Vers. 18. Luc 18. 20 Mar. 10. 19.

proxi-



ximvm tvvm sicvt teipsvm] Syrus: *ſicut animam tuam.* Hæc mandata expoſui Deuteron. cap. 5. verſ. 6. & ſequ. Porrò Chriſtus proponit hîc dumtaxat præcepta ſecundæ tabulæ proximum ſpectantia, quia in illis includuntur præcepta primæ tabulæ Deum concernentia. Nam amor Dei producit amorẽ proximi: hunc enim amamus propter Deum, quare amor proximi manat ex amore Dei. Rurſum difficilius eſt amare proximum quàm Deum. Quis enim non amet Deum præſertim religioſus, qualis erat hic iuuenis.

Vers. 20. Luc. 18. 20. Mar. 10. 19. Dicit illi adolescens: Omnia hæc cvstodivi a ivventvte mea (Syrus & Arabicus, *à pueritia mea.* q. d. à puero in lege Dei educatus & gratiâ Dei præuentus, ſeruaui ſtudioſè omnia præcepta Dei. Rarum hoc eſt iuuentutis exemplum) qvid adhvc mihi deest? (Syrus, B *in quo defectuoſus ſum?*) boni & bonitatis? vt in ea perficiar & *habeam vitam æternam* (vti petijt verſ. 16.) non quomodocumque, vti habent omnes, qui ſeruant præcepta, ſed ſecurè & certò ac in magno, imò in primo perfectoque felicitatis & gloriæ gradu. Tu enim ô Chriſte, quaſi cæleſtis virtutis magiſter videns illius altiorem præ noſtris Scribis tradere ſemitam & doctrinam. Dic ergo mihi quænam illa ſit; ego enim ſalutis & perfectionis auidus, cupio illam capeſſere. Porrò S. Hieron. cenſet, hunc adoleſcentem hîc eſſe mentitum: ſi enim inquit, dilexiſſet proximum ſuum ſicut ſeipſum, omnia ſua vendidiſſet & dediſſet pauperibus. Verùm hæc ratio non planè conuincit; quia diligere proximum ſicut ſeipſum, eſt præcepti, ſed dare omnia ſua pauperibus, eſt conſilij. Vnde Chriſtus, ait Marcus, in- C tuitus eum dilexit, & conſilium hoc de dando ſua pauperibus, vt eum ad perfectionem ſubueheret, ſuggeſſit.

Vers. 21. Luc. 18. v. 21. Mar. 10. v. 21. Ait illi Iesvs: Si vis perfectvs esse, vade et vende qvæ habes, et da pavperibvs, et habebis thesavrvm im cælo, et veni seqvere me] Eſt hoc Euangelicum non præceptum, ſed conſilium, Vnde ait, *Si vis*, q. d. non iubeo, ſed conſulo, & ad ſummum perfectionis culmen te extimulo. Ita S. Hieron. Auguſt. Hilar. Chryſoſt. & alij paſſim. Vnde S. Auguſt. ſerm. 61. de Tempore, & cap. 14. de Sancta Virgin. vbi pulchrè contra hęreticos conſilia à præceptis diſtinguit. Marcus cap. 10. verſ. 21. addit: *Ieſus autem intuitus dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deeſt: Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus.* Hinc Chriſti vocem D in miſſa legi audiens S. Antonius, reliquit omnia, Chriſtumque nudus ſecutus eſt, ait S. Athanaſius. Idem planè fecit S. Proſper Regienſis poſtea Epiſcopus, tempore S. Leonis, vt habet eius vita apud Surium die 25 Iunij. Sic & ſanctus Franciſcus. Audi S. Bonauenturam in vita eius cap. 3. *Primus*, inquit, *qui ſe ſocium S. Franciſci adiunxit fuit Bernardus. Hic enim ſerui Chriſti paupertate compertâ, ipſius exemplo diſponens perfectè contẽnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, requiſiuit conſiliũ. Quo audito, Dei famulus pro propriæ prolis conceptu ſancti Spiritus conſolatione repletus: A Deo eſt, inquit, hoc conſilium requirẽdum. Intrauerunt proinde Eccleſiam ſancti Nicolai mane iam dicto: & oratione præmiſſa, cultor Trinitatis Franciſcus ter Euangeliorum librum aperuit, trino à Deo expoſcens teſtimo-* A *nio, ſanctum Bernardi propoſitum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. In ſecũda: Nihil tuleritis in via. In tertia verò: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hæc eſt, ait vir ſanctus, vita & regula noſtra, omniũq; qui noſtræ voluerint ſocietati coniungi. Vade igitur, ſi vis perfectus eſſe, & perfice quæ audiſti.*

*Chriſti cõſilium de paupertate.*

*Exempla S. Antonij.*

*S. Franciſci*

Merito ergo S. Bernardus in Declamat. ſub initium. *Hæc ſunt verba*, ait, *quæ contemptum mundi in vniuerſo mundo, & voluntariam hominibus perſuaſere paupertatem. Hæc ſunt, quæ monachis clauſtra replent, deſerta anachoretis. Hæc, inquam, ſunt verba, quæ Ægyptum ſpoliant, & optima quæque eius vaſa diripiunt. Hic ſermo viuus & efficax conuertens animas, felici æmulatione ſanctitatis, & veritatis promiſſione fideli. Dixit enim Simon Petrus ad Ieſum: Ecce nos* B *reliquimus omnia.* Quocirca ſanctus Hieronymus hac Chriſti voce quaſi tubâ ſuos paſſim, & nos omnes ad ſtudium paupertatis extimulat. Vnde ep. 150. ad Hedibiam: *Vis*, inquit, *eſſe perfecta, & in primo ſtare faſtigio dignitatis? fac quod fecerunt Apoſtoli. Vende quæ habes, & da pauperibus, & ſequere Saluatorem, & nudam ſolamque crucem virtute nudâ ſequaris.* Idem S. Hieronymus in epiſt. 8. ad Demetriadem: *Apoſtolici faſtigij eſt*, ait, *perfectæque virtutis vendere omnia & pauperibus diſtribuere, & ſic leuem atque expeditum cum Chriſto ad cæleſtia ſubuolare.* Luculentiùs idem epiſt. 24. ad Iulian. *Et hoc hortor*, ait, *ſi vis eſſe perfectus, ſi Apoſtolicæ dignitatis culmen cupis, ſi ſublata cruce Chriſtum ſequi, ſi apprehẽſo aratro non reſpicere poſt tergum, ſi in ſublimi tecto poſitus priſtina veſtimenta contemnis, & vt euadas Ægyptiam Dominam ſæculi pallium derelinquis. Vnde &* C *Elias ad cælorum regna feſtinans non poteſt ire cum pallio, ſed mundo immunda veſtimenta dimittit. Sed hoc ais, Apoſtolicæ dignitatis eſt, & eius qui velit eſſe perfectus? Cur autem & tu nolis eſſe perfectus? cur qui in ſeculo primus es non in Chriſti familia primus ſis?* Idemque paulò pòſt: *Quod ſi teipſum, inquit, Domino dederis, & Apoſtolicâ virtute perfectus ſequi cœperis Saluatorem, tunc intelliges, vbi fueris, & in exercitu Chriſti quàm extremum tenueris locum.*

Nota: perfectio Chriſtiana primò & primariò conſiſtit in charitate: in paupertate tamen & conſilijs Euangelicis à Chriſto collocatur, tamquam in medijs & inſtrumentis appoſitis ad charitatem acquirendam. Vide S. Thomam 2. 2. q. 184. art. 3 Hanc perfectionem ſectantur omnes religioſi qui omnia bona abdicant, vt nudum Chriſtum nudi ſequantur: non tamen omnes D initio ſtatim perfectionem hanc adipiſcuntur, ſed ſenſim eò tendunt, & aſſiduè proficiendo tandem ad eam perueniunt. Hinc ſapienter Climacus Gradu 26. tres eorum gradus conſtituit, ſcilicet incipientium, proficientium & perfectorum. Incipientibus hoc Alphabetum 24. nõ litterarum, ſed virtutum, ediſcendum mentique imprimendum tradit: *Optimum*, inquit, *omnium elementorum alphabetum hoc eſt, obedientia, ieiunium cilicium, cinis, lacrymæ, confeſſio, ſilentium, humilitas, vigiliæ, fortitudo, frigus, labor ſeu fatigatio, ærumna, contemptus, contritio, iniuriarum obliuio, fraterna charitas, lenitas, fides ſimplex & incurioſa, mundi neglectus, parentum odiũ minimè odioſum, liber ab omnibus rebus affectus, ſimplicitas cum innocentia coniuncta, voluntaria vilitas.* Proficientibus deinde hæc maiorum virtutum dogmata aſſignat: *Proficientium*

*Paupertas via ad perfectionem.*

*Alphabetũ incipientiũ.*

*Proficientium.*

*verò*

*verò ſors & ratio eſt, de inani gloria & iracundia victoria, bona ſpes ſalutis, quies animi, diſcretio, firma & fixa, iudicij extremi memoria, miſericordia, hoſpitalitas, modeſta obiurgatio, oratio omni vitioſo carens affectu.*

*Perfectorũ.* Perfectius denique hos plenæ ſanctitatis apices tradit: *Cor ab omni captiuitate liberum, perfecta charitas, fons humilitatis, mentis è mundi vanitate emigratio, Chriſti immigratio, lucis & orationis diuinæ theſaurus à prædonibus ſecurus, illuſtrationis diuinæ copia, mortis deſiderium, odium vitæ, corporis fuga.* Addit deinde virum perfectum adeò ſanctum Deo gratum eſſe debere, vt ſit *legatus ſeu patronus & aduocatus mundi, qui Deum quodammodo cogere poſſit, Angelorum collega & ſymmyſta, profundiſſimæ ſcientiæ altitudo, cæleſtium myſteriorum domicilium, cuſtos diuinorum arcanorum, ſiue Deo ab ſecretis, hominum ſalus, dæmonum Deus, vitiorum Dominus, Imperator corporis.*

VADE, VENDE OMNIA] Quæres, cur paupertas eſt propria via & inſtrumentum perfectionis Euangelicæ? Reſpondet S. Bonauentura in Apol. pauperum, quia radix omnium malorũ eſt cupiditas: hæc igitur eſt fundamentum ciuitatis Babylonicæ: ex ea enim naſcitur ambitio, gula, ceteraque vitia. Hanc cupiditatẽ Chriſtus ſuccidit per paupertatem: paupertas ergo primò ſuccidit & tollit opes, honores, delicias, quę ſunt materia & fomes omnium vitiorum. Deliciæ enim effeminant animos, & mulieres decẽt, non viros. Virile ergo robur abhorret à delicijs.

*Cur? Reſp. Cauſa Prima.*

*Secunda.* Secundò, paupertas parit humilitatem, quæ eſt fundamentum ſanctitatis. Vnde S. Franciſc. ait S. Bonauent. rogatus à ſuis, quænam virtus nos maximè Chriſto Domino commendaret, gratoſque faceret: inſolito quodam affectu reſpondit. Paupertas: ea enim eſt via ſalutis, humilitatis fons, perfectionis radix, & ab ea multiplices fructus exiſtunt, licèt occulti & pauciſſimis cogniti. *Tertia.* Tertiò, pauper ſpiritu cum non habeat alias curas, totus ſtudet virtutibus congerendis, quaſi apis melli ſuo. Ita S. Antonius ab opum cupiditate liber, inſatiabile habebat deſiderium virtutum, ideoque ab hoc diſcebat patientiam, ab illo ſilentium, ab alio abſtinentiam, ab alio conſtantiam, orationem, &c. Hinc priſci religioſi pauperes vocabantur *Aſcetæ*, id eſt, *exercitatores*, quia toti erant in edomanda ira, gula, alijſque paſſionibus, in exercitatione arduarum & heroicarum virtutum: vnde aliqui biduo, alij triduo ſemel tantùm ſumere cibum aſſueſcebant: alij vix dormire, vt illi qui verſabantur in monaſterio Acemetarum, id eſt, vigilantium non dormientium. *Quarta.* Quartò, quia perfectio conſiſtit in charitate Dei & proximi; ad hanc autem dirigit paupertas: tollit enim meum & tuum ex quo omnes lites & bella oriuntur inter proximos, ait Chryſoſtom, eadem auellit animum ab omni cura & amore rerum terrenarum, itaque eum totum in Deo defigit; quod enim ait de coniugato Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Qui cum vxore eſt, cogitat quæ mundi ſunt, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*; hoc congruit & diuiti. Hic enim diuiſus eſt, diuidit enim curas & cogitationes inter Deum, & mammonam ſiue opes ſuas. Paupertas ergo facit hominem ſuperiorem mundo & carne, quaſi Angelum verſantem cum Angelis, ſuſpirantem ad cælum, facitque illud Apoſtoli: *quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram*, vt totã mentem, amorem, cogitationem, curam transferat in Deum, fiatque cum eo quaſi vnus ſpiritus. Perfectio igitur conſiſtit in eo, vt mens planè auellatur à rebus caducis, & figatur in bono æterno, id eſt Deo, quod præſtat paupertas.

*Obiectio.* Dices: Ad hoc ſufficit, relinquere omnia affectu, non reipſa & effectu, vti fecit Abraham. *Reſp.* Reſpond. cum S. Hieronym. contra Vigilan. Iſte vnus eſt gradus paupertatis, ſed inferior; nam ſummus eſt, relinquere etiam effectu, tum quia hic dat totum, putà affectum & effectum; tum quia non poteſt planè affectu relinquere, niſi & effectu. Sicut enim qui cubans in lecto vel ſedẽs in ſede, ſi quis ſecretò eum ſedi alliget, neſcit ſe ligatum donec ſurgat: ita qui habent opes, occultum habent affectum, quo eis colligantur, quem non ſentiunt, niſi dum illas perdunt vel relinquunt. Ita S. Gregorius epiſt. ante lib. Moral. ſe in ſæculo deceptum eſſe narrat: *Aperiebatur*, ait, *mihi iam tunc de æternitatis amore quod quærerem; ſed inolita conſuetudo me deuinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumq; adhuc me cogeret animus præſenti mundo quaſi ſpecietenus deſeruire, cœperunt multa contra me ex eiuſdem mundi cura ſuccreſcere, vt in eo non iam ſpecie, ſed, quod eſt grauius, mente retinerer.* Vide S. Hieronym. Platum l. 3. de Bono Status Relig. cap. 22. Vide & ea quæ annotaui Actor. 4. 32.

VADE, VENDE, QVÆ HABES] Hinc Pelagiani docebant, nullum diuitem poſſe ſaluari, niſi ſua diuenderet daretque pauperibus, ac fieret pauper; contra quos ſcribit S. Auguſtinus epiſt. 89. ad Hilarium, docens, hoc eſſe conſilium, non præceptum: vnde hunc ſuum errorem reuocare coactus eſt Pelagius, teſte S. Auguſtino, epiſt. ad Paulinum.

*Tres libelli ſub nomine S. Sixti Põtificis editi huic falſò tribuũtur.*

Extant tres libelli nuper recuſi nomine S. Sixti Pontificis: primus eſt de diuitijs, quo ex hoc loco probat fidelem non poſſe ſaluari, niſi eas relinquat, & fiat pauper. Secundus de operibus fidei, in quo docet ea requiri ad ſalutem; ſed eſſe opera liberi arbitrij, non gratię Dei. Tertius de caſtitate, in quo aſſerit, caſtitatem eſſe opus liberi arbitrij, non donum Dei. Ex quibus liquet auctorem huius libri non fuiſſe S. Sixtum, ſed Pelagianum aliquem, vti rectè aduerterunt Doctores Louanienſes, Lindanus, Baronius, Poſſeuinus, & Pariſienſes in tomo 5. Biblioth. SS. Patrum, vbi hos libellos inſeruerunt cum cenſura iam dicta: *Vende quæ habes & da pauperibus.* Marcus cap. 10. v. 16. & Lucas cap. 18. v. 22. addunt: *omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus.* Vnde hîc arguitur error Vigilantij, & Caluini, qui docent melius & perfectius eſſe ſuas opes retinere, ijſque moderatè vti, ac pro loco & tempore dare eleemoſynas, quàm ſimul omnia relinquere, quem confutat S. Hieron. lib. contra Vigilant. nam vt ait S. Anſelmus: *plus eſt dare arborem cum fructibus, quàm ſolos fructus.*

*Perfectus omnia relinquit. Cur.*

Rurſum Aſceta, qui partem opum ſuarũ dat pauperibus, partem verò ſibi retinet, nec piſcis eſt, nec caro, id eſt, nec renuntians ſæculo, nec ſæcularis, ſed amphibium quid. Vnde S. Baſilius cuidam capeſſenti vitã religioſam, ſed quædam ſibi reſeruanti dixit: *Senatorem perdidiſti, & monachũ non feciſti*, teſte Caſſiano & alijs. Adhæc talis non planè fidit Deo, ſed partim Deo, partim opibus, quas ſibi reſeruat. Vnde non verè & planè eſt pauper



ſpiritu, nec ſe liberat curâ, diſtractione, & tentatione, quam ingerere ſolent diuitiæ. Qua de cauſa S. Antonius cuidam ſic ſæculo renuntiare volenti, vt aliqua in tempus neceſſitatis ſibi reſeruaret, iuſſit vt nudo corpori ſuo carnes à ſe emptas imponeret, quod cùm ille feciſſet, certatim canes & aues ad carnem hanc rapiendam accurrentes, totum eius corpus lacerarunt. Tunc Antonius: *Qui non renuntiant omnibus, ſic*, inquit, *lacerantur à dæmonibus*, vti refert Ruffinus in vitis Patrum lib. 3. nu. 68. Quocirca S. Hilariòn, teſte S. Hieron. in eius vita opes ſibi ab Oriono, à quo legionem dęmonum expulerat, oblatas, vt eas in pauperes diſtribueret, reſpuens: *Multis*, inquit, *nomen pauperum occaſio auaritiæ eſt, miſericordia verò artem non habet: nemo meliùs erogat, quàm qui ſibi nihil reſeruat.* Nam vt ſapienter in ſimili re ait ſanctus Leo, ſerm. 12. de Quadrageſima: *Per licitos vſus ad immoderatos tranſitur exceſſus, dum per curam ſalutis irrepit delectatio voluptatis, & non ſufficit concupiſcẽtiæ, quod poteſt ſatis eſſe naturæ.* Rationem à priori dat S. Gregorius homil. 20. in Ezechielem longiùs ante finem: *Cùm enim*, inquit, *quis ſuum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, ſacrificium eſt. Cùm verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt. Nam ſunt quidam, qui adhuc mente in hoc ſæculo retinentur, & tamen ex poſſeſſis rebus ſubſidia egentibus miniſtrant, oppreſſos defendere feſtinant: Iſti in bonis, quæ faciunt, ſacrificium offerunt: quia & aliquid de actione ſua Deo immolant, & aliquid ſibimetipſis reſeruant. Et ſunt quidam, qui nihil ſibimetipſis reſeruant, ſed ſenſum, vitam, linguam, atque ſubſtantiam, quam perceperunt, omnipotenti Domino immolant. Quid iſti niſi holocauſtum offerunt? imò magis holocauſtum fiunt.* Idem docent S. Auguſtinus, Diadochus, Caſſianus, & alij, quos citat noſter Hieronym. Platus lib. 3. de Bono Status relig. cap. 2. & S. Thomas 2. 2. q. 86. art. 3.

*Da pauperibus.* DA PAVPERIBVS] Non dicit Chriſtus da cognatis, vel amicis diuitibus, ait Remigius; hic enim eſt actus amoris naturalis, & parentelæ, quo à te opes non abdicas, ſed tuis quaſi aſſeruandas tradis: quare ſic ſæculum non relinquis, ſed illi te magis immergis. Excipe, niſi cognati pro ſua conditione & ſtatu ijs indigeant; tunc enim in ſuo gradu cenſentur pauperes. Sed *da pauperibus*, à quibus nil retributionis expectas, ſed à ſolo Deo: quare hîc eſt actus purus eleëmoſynæ, æquè ac paupertatis, & abdicationis opũ. Addit Origenes, qui pauperibus, inquit, tradidit bona ſua ipſorum orationibus adiuuatur. Quocirca S. Hieronymus, S. Paulino, poſtea Nolæ Epiſcopo, ſæculo renuntiare volenti ita præcipit ep. 13. *Tu conſidera, ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas, id eſt, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus; & ſecundum dictum prudentiſſimi viri, liberalitate pereat. Noli reſpicere ad phaleras, & nomina vana Catonum. Quid tibi cum ſplendore familiæ, qui ſæculi pompis renuntiaſti?*

ET HABEBIS THESAVRVM IN CÆLO] *In theſauro*, ait Chryſoſt. *copia & permanentia retributionis oſtenditur.* Et S. Hilar. *Iacturâ ſubſtantiæ terrenæ*, ait, *cælorum opes emuntur.* Præclarè S. Auguſtinus, ſerm. 28. de Verbis Apoſtoli: *Felicitas*, inquit, *magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, vt paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua: nihil ea poteſt ditius inueniri. Vis noſſe quàm locuples ſit? cælum emit. Quibus theſauris conferri poſſit quod videmus paupertati indultum? vt ad regnum cælorum veniret diues poſſeſſione ſua obtinere nõ poteſt, nunc obtinet vt contemptã perueniat.* Vende ergo cœnum, & eme cælum; da obolum, & compara theſaurum.

ET VENI SEQVERE ME] In paupertate peregrinantem, & euangelizantem regnum Dei: *Multi* enim, ait S. Hieronymus, *etiam diuitias relinquentes Dominum non ſequuntur, nec hoc ad perfectionem ſufficit, niſi poſt contemptas diuitias ſaluatorem ſequantur, id eſt, relictis malis faciant bona. Faciliùs enim ſacculus contemnitur, quàm voluntas. Et ideo ſequitur: Et veni, ſequere me.* Idem S. Hieronymus ad Ruſticum *Chriſtum nudum*, inquit, *nudus ſequere.* Rurſum *ſequere me*, vt vitam actiuam iungas contemplatiuæ. Triplex enim eſt vitæ ſanctæ genus: primum & imum eſt vita actiua. ſecundum eſt vita contemplatiua; tertium & perfectiſſimum eſt iungere actionem contemplationi, vt quod in contemplatione à Deo hauſimus, id deinde doceamus alios. Talẽ enim vitam egit Chriſtus & Apoſtoli. Ita S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 6. Cauſam dat S. Ambroſius in explicatione tituli Pſ. 38. *Chriſtus*, inquit, *eſt finis omnium quæ piâ mente depoſcimus. Siue enim ſapientiam quæras, ſiue virtuti ſtudeas, ſiue veritati, ſiue viæ atque iuſtitiæ, ſiue reſurrectioni, in omnibus tibi ſequendus eſt Chriſtus, qui eſt virtus Dei atque ſapientia, veritas, via, iuſtitia, reſurrectio. Ad quem igitur contendas, niſi ad perfectionem omnium, ſummamq; virtutum? Et ideò tibi dicit: Veni, ſequere me, hoc eſt vt ad conſummationem virtutum peruenire merearis. Ergo qui ſequitur Chriſtum ipſum pro poſſibilitate ſua debet imitari, vt præcepta eius ſecum ipſe meditetur, & diuinorum exempla factorum.*

*Tria conſilia Euangelica precipua.* Nota, hoc capite Chriſtus proponit tria pręcipua conſilia Euangelica, ſcilicet cælibatus & continentiæ v. 12. paupertatis v. 21. dicens: *vende quæ habes, & da pauperibus*; obedientiæ, cùm ait: *ſequere me*, id eſt, mihi meæque inſtituto obedi, teque accommoda, ac meam obedientiam ad mortem vſque imitare.

*Vers. 22.* CVM AVDISSET AVTEM ADOLESCENS ABIIT TRISTIS: ERAT ENIM HABENS MVLTAS POSSESSIONES] Sapienter S. Auguſtinus epiſtol. 43. ad Paulinum & Tereſiam: *Neſcio*, ait, *quomodo cum ſuperflua terrena diliguntur, arctiùs adepta, quàm concupita conſtringunt. Nam vnde iuuenis iſte triſtis diſceſſit, niſi quia magnas habebat diuitias? Aliud eſt enim nolle incorporare quæ deſunt, aliud iam incorporata diuellere. Illa enim velut extranea repudiantur: iſta velut membra præciduntur.* Porrò in Euangelio S. Matthæi ſecundùm Hebræos, quod citat Origenes plura hîc adduntur: ſic enim habet: *Dixit ad eum alter diuitum. Magiſter quid bonum faciens viuam? dixit ei: Homo, leges & prophetas fac. Reſpondit ad eum: feci. Dixit ei: Vade, vende omnia quæ poſſides, & diuide pauperibus, & veni ſequere me. Cœpit autem diues ſcalpere caput ſuum, & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis legem feci & prophetas? quoniam ſcriptum eſt in lege: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, & ecce multi fratres tui filij Abrahæ amicti ſunt ſtercore, morientes præ ſame, & domus tua plena eſt multis bonis, & non egreditur ex ea omnino aliquid ad eos. Et conuerſus dixit Simoni diſcipulo ſuo ſedenti apud ſe: Simon fili Ionæ, facilius eſt camelum intrare per fora-*

nen

*men acus, quàm diuitem in regnum cælorum.*

Vers. 22. Luc. 18. 22. Mar. 10. 23.
Iesvs avtem (occaſione acceptâ ex triſtitia adoleſcentis diuitis) dixit discipvlis svis: Amen dico vobis: qvia dives difficile intrabit in regnvm cælorvm?] Tum quia cupido diuitiarum facit eas coarceruari per fas & nefas; tum quia eadem ita mentem auro alligat, vt nequeat cogitare de cælo; tum quia diuitiæ ſunt materia & ſtimulus ad ſuperbiam, gulam, luxuriam, omniaque ſcelera iuxta illud:

*Effodiuntur opes, irritamenta malorum.*

Audi ſanctum Auguſtinum ſerm. 28. de Verbis Apoſtoli: *Aurum, quod ærumna perquirit, quod auaritia cupit, quod ſollicitudo cuſtodit; aurum materia laborum periculoſa res poſſidentium; aurum eneruatio virtutum, aurum malus Dominus, proditor ſeruus,* &c. *aurum, quod in perniciem Domini fulget; aurum, cuius inquiſitio damnatos habet, cuius amor iudam facit,* &c. Denique auaritia eſt idolorum ſeruitus. Coloſſ. c. 3. Paupertas ergo opumque contemptus pandit cælum, quod opulentia & cupiditas occludunt.

Vers. 23. Luc. 18. 25. Mar. 10. 25.
Et itervm dico vobis, facilivs est camelvm per foramen acvs (Arabicus; *Ingreſſio cameli in foramen acus facilior eſt*) transire, qvam divitem intrare in regnvm cælorvm] *Et iterum*, Græcè πάλιν δὲ, id eſt, *iterum autem.* Chriſtus enim adaugendo quaſi corrigit id, quod dixit, q.d. Dixi, difficile eſſe diuitem ſaluari, nunc addo quod ampliùs eſt, faciliùs eſſe camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in cælum intrare. Per *diuitem* Remig. accipit confidentem in diuitijs, qui in ijs omnem ſpem ſuam collocat, quod multi diuites faciunt. Simpliciùs tamen quemlibet diuitem accipias.

*Quem camelum hîc ſignificat Chriſtus?*
Quæres, quis ſit hic camelus, & quomodo poſſit per foramen acus tranſire? Aliqui apud Theophyl. in Græco per camelum intelligunt funem nauticum, qui Græcè dicitur κάμηλος, id eſt camelus. Alij cum Gloſſa intelligunt portam Hieroſolymitanam, quæ quia erat valdè humilis & demiſſa, dicta ſit *camelus*, eò quòd ingredienti per eam opus fuerit ſeſe demittere, & curuare inſtar cameli.

Verùm dico, intelligi hîc animal gibboſum & altum, quod vulgò camelus dicitur. Ita Syrus, Arabicus, Origenes, S. Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, & alij paſſim. Vbi nota apud Iudæos hoc fuiſſe prouerbium, vt volentes ſignificare rem eſſe impoſſibilem, dicerent, facilius trãſibit camelus per foramen acus, quàm iſta res fiat. Vnde hoc prouerbio vtuntur etiamnum Thalmudiſtæ, teſte Caninio in nom. Hebr. noui Teſtamenti.

*Prouerbia rem impoſſibilem ſignificãtia.*
Similia prouerbia ſignificantia rem eſſe impoſſibilem ſunt hæc: faciliùs teſtudo leporem præuerterit: priùs lupus ouem ducat vxorem: citiùs locuſta bouem pariet: aquilam teſtudo vincet: terra volat: ſurſum flumina: citiùs Elephantum ſub ala celes: priùs ſine pennis volabis: ſcarabeus citiùs faciet mel: priùs cælum ruat: mare faciliùs vitem tulerit, ſalſedo enim frugibus aduerſa eſt, ſed vitibus inimiciſſima: citiùs mulieri verba deerunt: faciliùs ventos paſces.

Porrò hîc eſt hyperbole; impoſſibile enim dicitur id, quod eſt valdè difficile: vnde diuitem ſaluari, quod hîc Chriſtus ait eſſe impoſſibile, verſ. præcedenti dixit, eſſe difficile. Ita S. Hieronymus: *Non*, inquit, *impoſſibilitas prætenditur, ſed raritas demonſtratur.* Ita quoque Ianſenius, Maldonatus & alij. Sic v. 12. dixit: *qui poteſt capere, capiat*, ſignificans nonnullos non poſſe capere, id eſt, difficulter capere conſilium cælibatus. Et Ierem. c. 13. 23. ait: *Si mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malè*, & tamen hoc fieri poteſt; ſed ægrè & difficulter. Sic impoſſibile, id eſt, difficile eſt diuitem ſaluari, æquè ac Camelum per foramen acus tranſire: abſolutè tamen id fieri poteſt,

*Camelus per foramẽ acus tranſire poteſt. Quomodo?*
ſi v. g. camelus in minutiſſimas partes & quaſi atomos concidatur, quorum ſinguli per foramen acus ſenſim, ſed lentè & operosè traducuntur; aut ſi acus quæpiam fiat tam magna & craſſa, vt ſit inſtar turris & pyramidis; tunc enim foramen in ea tantum fieri poteſt, vt per illud tranſeat integer camelus. Denique Emmanuel Sa foramen acus exponit, quod habet acus, aut quod facit acus; poteſt enim ipſa ſenſim facere ingens, & magnum foramen.

Rurſum *impoſſibile* hîc propriè capias; nam diuitem ſaluari impoſſibile eſt apud homines, Deo autem eſt poſſibile, vt ait Chriſtus verſ. 26. quia ſcilicet id viribus naturæ eſt impoſſibile, ſed viribus gratiæ à Deo datis eſt poſſibile, æquè ac camelum per foramen acus tranſire; hoc enim Deo eſſe poſſibile patet ex ſimili, ſcilicet ex quãtitate corporis Chriſti, quæ in Euchariſtia eſt tota in parua hoſtia, imò in quolibet eius puncto: ſi enim Deus poteſt corpus Chriſti totum ponere in puncto hoſtiæ conſecratæ; ergo poteſt & camelum per foramen acus traducere. Illuſtratur id exemplo circuli; nam à quolibet circuli puncto poſſunt lineæ rectæ & diametrales duci ad centrum, ſiue medium circuli punctum. Cẽtrum igitur continet in ſe & terminando excipit omnes haſce lineas: ergo ipſum ſolum reſpondet, & quaſi æquatur omnibus circuli punctis, à quibus lineæ ducuntur ad centrum: & conſequenter reſpondet, & quaſi adæquatur ipſi toti circulo eiuſque peripheriæ: ſimili enim modo punctum hoſtiæ in Euchariſtia capit omnes lineas corporis Chriſti, omnemque eius quantitatem & peripheriam.

Appoſitè verò & eleganter, ait Franc. Lucas, diues turgens ac tumens opibus, cuius dorſo longæ lateque diuitiarum ſarcinæ incumbunt, quæ frequenter oneri ſunt ipſi magis quàm vſui, vt quas baiulet alijs potiùs, quàm ſibi, camelo comparatur: & anguſta porta, qua intratur ad vitam, foramine acus, vt intelligas eos, quibus diuitiæ affluunt, ſuperbiâ faſtuque magis turgere, quàm vt ſe ad anguſtias, in quibus Deus continet ſuos, redigi ſinant. Plures cameli & diuitis analogias recenſui Eccleſ. c. 13. v. 11.

*Eius ſignificatio.*
Hac ergo cameli, & acus ſimilitudine ſignificat Chriſtus, opes diuiti non tam commodo eſſe, quàm oneri & impedimento ad virtutem, & ad regnum cælorum; quare ſapienter ſe adoleſcenti conſilium dediſſe, vt eas daret pauperibus, & ſe pauperem pauper ſequeretur. Hinc

*Myſticè.*
Myſticè, camelos, id eſt, diuites hoſce opibus tumidos, & ſuperbos per gratiam Chriſti depoſito ſuperbiæ gibbo, ingreſſuros in Eccleſiam quaſi per foramen acus, id eſt, per anguſtias humilitatis, & legis Euangelicæ prædixit Iſaias cap.





60. verſ. 6. dicens: *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha.* Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Procopius ibidem. Audi S. Hieronymum; *Talis fuit ſanctæ memoriæ mater tua Paula fraterque Pammachius, qui per foramẽ acus, id eſt, arctam anguſtamque viam, quæ ducit ad vitã, tranſierunt, latamque viam cum ſarcinis relinquentes, quæ ducit ad tartarum, quidquid habebant in Domini dona portarũt, implentes illud, Redẽptio viri propriæ diuitiæ, quæ enim apud homines impoſſibilia, apud Deum poſſibilia ſunt.*

*Allegor.*
Allegoricè, ſanctus Auguſtinus libr. 2. quæſt. c. 47. & S. Gregorius lib. 35. Moral. c. 17. per camelum, accipiũt Chriſtum, per acum, paſſionem, q. d. Facilius eſt Chriſtum pati pro dilectoribus ſæculi, quam dilectores ſæculi ad Chriſtum poſſe conuerti. Audi ſanctum Gregorium; *Camelus per foramen acus tranſit, cùm Redemptor noſter vſque ad ſuſceptionem mortis per anguſtias paſſionis intrauit, quæ paſſio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit, faciliùs autem camelus foramen acus, quàm diues regnum cælorum ingreditur: quia niſi ipſe priùs per paſſionem ſuam formam nobis humilitatis oſtenderet, nequaquam ſe ad humilitatem ſuperba noſtra rigiditas inclinaret.*

*Symbolicè.*
Symbolicè & anagogicè auctor Imperfecti apud ſanctum Chryſoſtomum homil. 33. *Gentium animæ*, inquit, *aſſimilatæ ſunt tortuoſis camelis, in quibus erat gibbus idololatriæ: quia cognitio Dei erectio eſt animarum. Acus autem eſt Filius Dei: cuius prima pars ſubtilis eſt, ſecundùm diuinitatem, alia verò groſſior ſecundùm incarnationem eius. Tota autem recta eſt, & nullam habet deflexionem, per cuius vulnus paſſionis, Gentes ingreſſæ ſunt in vitam æternam. Hac acu conſuta eſt immortalitatis tunica: ipſa eſt acus, quæ ſpiritui conſuit carnem. Hæc acus Iudaicum populum iunxit & Gentium: hæc acus amicitiam Angelorum & hominum copulauit. Facilius eſt ergo Gentiles tranſire per foramen acus, quàm diuites Iudæos intrare in regnũ cælorum.*

Vers. 25. Luc. 18. 26.
Avditis avtem his, discipvli mirabantvr valde, dicentes: Qvis ergo poterit salvvs esse?] Quia pauci, & vix vlli tunc erant, qui non cuperent eſſe diuites: omnes enim inhiabant lucro, vti & nunc multi inhiant. Nam vt ait S. Auguſtinus in Quæſt. Euang. hîc: *Omnes, qui diuitias cupiunt, in diuitum numero habentur.*

Vers. 26.
Aspiciens avtem Iesvs, dixit illis: Apvd homines hoc impossibile est, apvd Devm avtem omnia possibilia svnt] imò facilia. Græcè, ἐμβλέψας, id eſt *intuitus*; addit Syrus *eos*, ſcilicet diſcipulos, q.d. Ieſus benigno ſuo intuitu aſpiciens Apoſtolos, timidam & anxiam diſcipulorum mentem mitigauit & pacauit, ita Chryſoſtomus. *Apud homines*, q.d. Humanis natura viribus impoſſibile eſt diuiti, opibus ſuis intricato ſalutem conſequi, eò quòd ſalus hæc ſit beatitudo ſupernaturalis, quam proinde ſine ſimilibus ſupernaturalibus gratiæ viribus conſequi nõn poſſumus. Deo autem omnia poſſibilia ſunt, quia Deus eſt auctor & fons vti naturæ, ſic & gratiæ gloriæ, facitque vt per gratiam omnes naturæ difficultates & remoras generosè & facilè ſuperemus, ac quod ad rem præſentem pertinet, facit, vt diuites diuitijs ſuis non afficiantur, ijſque rectè vtantur, imò vt non pauci in relictis ambiant & ſequantur Euangelicam Chriſti paupertatem: hoc enim fecère primi omnes Chriſtiani, qui omnia habebant communia, vt patet Actor. 4. v. 32.

Vers. 27.
Tvnc respondens Petrvs, dixit ei: Ecce nos reliqvimvs omnia, et secvti svmvs te; qvid ergo erit nobis?] Arabicus, *quid ergo propè eſt vt ſit nobis? Quid*, ſcilicet præmij in cælo & gloriæ in vita æterna. Petrus ſequens concilium paupertatis Chriſti, quod adoleſcens ſpreuerat, animoſior factus animat Apoſtolos, quòd ipſi ferè ſoli ſecuti ſint conſilium paupertatis, datum à Chriſto, ac vt magis eos exhilaret, rogat quæ & quanta eum, ceteroſque Apoſtolos Chriſtum pauperem ſequentes in euangelizando regno cælorum, merces & gloria in eo maneat, vt in propoſito ſancto ſe & ſocios confirmet, promoueat & accendat.

Reliqvimvs omnia] Quæ habebamus, ſcilicet nauim & retia, quibus piſcãdo, victum quærebamus, quæ licèt in ſe pauca & parua forent; tamen, vt ait S. Gregorius hom. 5. in Euang. & ex eo ſanctus Bernardus tractat. in hæc Chriſti verba; *Multum deſeruit, qui voluntatem habendi dereliquit: à ſequentibus Chriſtum tanta relicta ſunt quãta à non ſequentibus deſiderari potuerunt.* Pauper enim ſpiritu, licèt cenſu ſit inops; tamen ſenſu eſt diues, quia amore Chriſti omnia, quæ habere, ſperare & conſequi poſſet per omnẽ vitam in mundo, imò totum mundum, & omnia quæ in eo ſunt, reliquit, vt totum cor tradat Deo, qui eſt actus heroicus paupertatis æquè ac charitatis & religionis, quâ homo ſe totum Deo in holocauſtum offert, imò fit ipſe animatum & iuge Dei holocauſtum.

Audi ſanctum Auguſtin. in Pſalm. 103. conc. 3. *Petrus non ſolùm dimiſit quidquid habebat, ſed etiam quidquid habere cupiebat. Quis autem pauper non turgeſcit in ſpe ſæculi huius? quis non quotidie cupit augere quòd habet? Iſta cupiditas præciſa eſt. Ibat in immenſum, accepit modum; & nihil dimiſſum eſt? Prorſus totum mundum dimiſit Petrus, & totum mundum Petrus accepit. Quaſi nihil habentes, & omnia poſſidentes.*

Vers. 28. Luc. 22. 30.
Iesvs avtem dixit illis: Amen dico vobis, qvod vos qvi secvti estis me, in regeneratione, cvm sederit Filivs hominis in sede maiestatis svæ, sedebitis et vos svper sedes dvodecim, ivdicantes dvodecim tribvs Israel] *In regeneratione* id eſt, in baptiſmo: hic enim eſt regeneratio ſpiritualis, quo morientes peccatis, naſcimur vitæ ſpirituali, cæleſti & diuinæ. Ita ſanctus Hilarius,

*Regeneratio quid?*
q.d. Vos, qui ſecuti eſtis me per regenerationem baptiſmi, ſedebitis mecum quaſi iudices duodecim tribuum Iſrael. Verùm omnes alij paſſim per *regenerationem* accipiunt reſurrectionem cõmunem, futuram in die iudicij: hæc enim, quia corporis, totiuſque hominis, æquè ac mundi erit renouatio, & quaſi ſecunda ad gloriam generatio, hinc rectè hîc & alibi *regeneratio* vocatur. Vnde Syrus vertit, *in ſæculo nouo*; Arabicus, *in generatione ventura*; tunc enim erit nouum cælum & noua terra, Iſai. 65. v. 17. Apocal. 21. v. 1. & 2. Petri 3. v. 13.

Cvm sederit Filivs hominis in sede maiestatis svæ] Arabicus, *gloriæ ſuæ.* Sanctus Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthy-

mius per ſeſſionem cenſent ſignificari poteſtatem iudiciariam. Iudicum enim eſt ſedere, vt ſedatè & tranquillè, ſine perturbatione & præcipitatione iudicent. Hoc verum eſt, ſed inſuper τὸ *ſederit & ſedebitis*, ſignificat propriè Chriſtum in iudicio ſeſſurum, & cum eo Apoſtolos, eorumque ſimiles, idque in thronis nubium aëreis & ſplendidiſſimis, ſed quemque iuxta ſuum meritum & dignitatem. Vnde ſacra Scriptura paſſim Chriſto iudicaturo ſedem & ſeſſionem tribuit; ſeſſio enim eſt communis apud omnes gentes, & quaſi naturalis iudicum ſitus. Ita Maldonatus, licèt id neget Ianſenius, & nonnulli, qui cenſent corporis glorioſi, quale habet Chriſtus, proprium ſitum eſſe ſtare potiùs, quàm ſedere. Verùm vterque hîc glorioſo competit, ſcilicet ſtare ad pugnandum, & ſedere ad iudicandum.

*Non ſoli Apoſtoli iudices erunt cũ Chriſto.*

SEDEBITIS ET VOS SVPER SEDES DVODECIM] Richard. Victor. tract. de Poteſtate iudiciaria, Maldonatus, & nonnulli alij putant hæc à Chriſto ſolis promitti duodecim Apoſtolis, quia illi primi fuerunt Chriſti aſſeclæ. q.d. Quiſque veſtrûm duodecim, ſuam ſedem in iudicio habebit; etiam Iudas, ait Chryſoſtomus, ſi in ſua vocatione perſiſtat. Verùm meliùs alij paſſim cenſent hæc promitti etiam Apoſtolorum ſequacibus & poſteris, putà Religioſis, qui omnia relinquentes, Chriſtum & Apoſtolos regnum Dei euangelizantes, proximè ſequuntur. Ponitur ergo hîc numerus definitus pro indefinito, ſcilicet duodecim pro omnibus: Chriſtus enim loquitur duodecim Apoſtolis, ſed ita vt in eis eorum aſſeclas alloquatur: qui enim parem ſuſcipiunt cum Apoſtolis laborem, parem cum eis merentur honorem. Chriſtus ergo ſedes haſcè iudiciarias promittit ijs, qui relinquunt omnia, & ipſum euangelizantem ſequuntur. Hoc autem faciunt Religioſi, præſertim qui animarum lucro ſe dedicant. Vnde ſanctus Bernardus ſermone de Ingratitud. *Apoſtolicam*, ait, *omnes nos vitam profeſſi ſumus.* Hinc Nazianzenus oratione 1. in Iulianum oſtendit monachorum eſſe, ſedere ſuper thronos. Idem diſertè docent Origenes hîc tract. 8. S. Auguſtinus 20. Ciuitat. cap. 5. Cyrillus in capit. 60. Iſaiæ, S. Hyeronymus epiſtol. 28. S. Gregorius 10. Moral. cap. 17. S. Anſelmus epiſt. 10. Abulenſis hîc quæſt. 205. S. Bernardus in illud: *Ecce nos reliquimus omnia.* Probat id ſanctus Auguſtinus in Pſalm. 86. *Nam ſi duodecim tantùm ſellæ ibi futuræ ſunt, non erit vbi ſedeat tertius decimus Paulus Apoſtolus; & non erit quomodo iudicet, qui tamen iudicaturum ſe dixit non homines modo, ſed & Angelos. Non ſolũ ergo*, inquit, *illi duodecim, & Apoſtolus Paulus, ſed quotquot iudicaturi ſunt, propter ſignificationem vniuerſitatis ad ſedes duodecim pertinent.* Et ſanctus Bernardus ſerm. de S. Benedicto: *Iuſta prorſus*, inquit, *retributio, vt qui hîc pro Chriſto humanæ gloriam celſitudinis neglexerunt, illi à Chriſto iudices glorificati ſingulariter cum eo aſſideant. Nemo autem putet duodecim tantùm Apoſtolos, quia pro Iuda præuaricante Matthias electus eſt, tunc eſſe iudicaturos, ſicut nec duodecim ſolæ ſunt tribus Iſrael iudicãdæ, alioquin tribus Leui, quæ tertia decima eſt, iniudicata recedet: & Paulus, qui tertius decimus eſt Apoſtolus, iudicandi ſorte priuabitur, cùm ipſe dicat: Neſcitis, quia Angelos iudicabimus? Sciendum namq; eſt omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, iudices cum eo venturos, ſicut etiam omne mortalium genus eſſe iudicãdum: quia enim duodenario ſæpè numero ſolet in Scripturis vniuerſitas deſignari, per duodecim ſedes Apoſtolorum omnium vniuerſitas iudicantium, & per duodecim tribus Iſraël vniuerſitas eorum, qui iudicandi ſunt, oſtenditur.* Idem fusè demonſtrat S. Thomas tract. Contra retrahentes à Religione capit. 6. & 7. vbi docet hanc ſeſſionem promiſſam eſſe paupertati Euangelicæ, indeque euincit, quàm ſublimis grataq; Deo ſit hæc paupertas vtpote quæ præ alijs virtutibus hoc iudiciariæ poteſtatis culmen & thronum mereatur. Cauſam dat ſanctus Gregorius 26. Moral. 20. vbi interpretans illud Iob 36. *Iudicium pauperibus tribuit. Quia*, inquit, *quantò huic mundo magnâ humilitate deſpecti ſunt, tantò tunc acceptis ſedibus maiore culmine poteſtatis excreſcunt.*

*Ob quatuor cauſas.*

Dignum enim eſt Primò, vt Religioſi, qui ſuperiores mundo vixerunt, de mundo iudicent. Secundò, vt qui in mundo quaſi aquilæ aſpectu cæleſtium honorum, & deſpectu terreſtrium ceteros tranſcenderunt, ceterorum ſint iudices & principes. Tertiò, vt qui doctores fuerunt mũdi, mundum examinent & iudicent, an iuxta hanc ſuam doctrinam vixerit. Quartò, vt qui fatui iudicati ſunt à mundo, mundum fatuum iudicent, eumque fatuitatis arguant & condemnent, Sap. 5. 4.

Quocirca meritò hanc eorum excellentiam admirans exclamat S. Bernard. ſerm. 8. in Pſalm. *Qui habitat: O familiaritatis gratiam, ô honoris culmen, ô fiduciæ priuilegium, ô prærogatiuam ſecuritatis perfectæ! Quid enim tam pauendum? quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſollicitudinis, excogitari poteſt, quam iudicandum adſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto iudice ſententiam?* Et mox: *Felix planè quæ tam ſecuros, imò glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine iudiciorum.*

*Glorioſa ſeſſio iudiciaria promittitur omnibus qui relictis omnibus Chriſtũ pauperem pauperes ſequuntur.*

Porrò glorioſa hæc ſeſſio iudiciaria coram toto mundo, imò de toto mundo à Chriſto promittitur ſingulis illis, qui relictis omnibus Chriſtum pauperem pauperes feruenti & perfecta (ita ſanctus Auguſtinus & Gregorius iam citati; vnde ex eis ſanctus Antoninus & Franc. Suarez 3. part. quæſt. 59. diſputat. 57. ſect. 4. negant hoc præmium dandum Religioſis imperfectis, ſed tantùm perfectis, idque meritò) imitatione ſecuti fuerint, eiuſque Euangelium & regnum propagarint. Cùm enim, vt ait ſanctus Bernardus in illud, *Ecce nos reliquimus omnia; in paupertate duo inſint incommoda, primùm humilitas, & abiectio, deinde etiam multorum laborum perpeſſio: nimirum meritò hoc eſſe à Domino inſtitutum, vt pro laboribus ſeſſio, pro contemptu celſitudo tantæ poteſtatis redderetur.*

Vox ergo *ſedebits* ſignificat primò, pauperum Euangelicorum ſecuritatem, ſecundò, munus iudicandi; tertiò, dignitatem & eminentiam præ ceteris; quartò, locum Chriſto proximum, ſummamque cum eo coniunctionem; quintò, principatum gratiæ, felicitatis & gloriæ, vtpote qui quaſi principes regni cælorum ius habeant iudicandi ceteros, ac dignos in illud admittendi, & indignos ab eo excludendi.

*Tropologicè.*

Tropologicè, auctor Imperfecti per hanc ſeſſionem & poteſtatem iudiciariam cenſet promitti ijs, qui relinquunt omnia, & ſequuntur Chriſtum, dominum cordium, vt ſcilicet dominentur cordibus, mentibuſque hominum, in ijſque collocent thronum & regnum Chriſti, in quo ipſi ſedeant, vt quaſi reges cordibus hominum imperent, illaque per omnia faciant obſequentia Chriſto. Vnde Apoſtoli, & viri Apoſtolici, relinquentes omnia, quales fuêre viri religioſi & monachi amore Dei flagrantes, conuerterũt orbem, vti fusè oſtendit Hieron. Platus libr. 2. de Bono ſtatus Religioſi c. 30. *Quicumque* enim, ait auctor Imperfecti, *Chriſtum credendo* (& perfectè imitando) *in ſe ſuſcipiũt, ſedes ſunt maieſtatis eius.* Et: *Quicumque ſuſceperit verbum Petri, fit thronus Petri, & Petrus ſedet in eo.*

*Quomodo iudicabunt Sancti cum Chriſto.*

IVDICANTES DVODECIM TRIBVS ISRAEL] *Iudicantes*, non tantùm collatione veſtri cum impijs, vti exponit S. Hieronymus, Chryſoſt. Euthymius, & eleganter auctor Imperfecti; quomodo regina Auſtri & Niniuitæ dicuntur in die iudicij condemnaturi Iudæos, ſcilicet ſuo facto & exemplo, eò quòd, prædicante Iona, pœnitentiam egerunt, cùm Iudæi, prædicante Chriſto, pœnitere noluerint, Matth. 12. v. 40. & 41.

*An cum eo ſententiam ferent?*

Nec etiam approbatione ſententiæ Chriſti dumtaxat, quomodo omnes Sancti iudicabunt: approbabũt enim iuſtam Chriſti in pios, æquè ac impios de cælo & inferno ſententiam; ſed multò honorificentiùs & glorioſiùs, quaſi regni cæleſtis primores & principes, doctores & iudices, & quaſi aſſeſſores Chriſti iudicis cum eo in ſuis thronis conſidentes, ſicut Cardinales cum Papa, propriè iudicabunt, & ſententiam ferent eamdem, quam Chriſtus, quâ probos cælo, improbos inferno, adiudicabunt, arguentes & increpantes eos, qui ſuam doctrinam, vitæque ſanctæ exemplum neglexerint, & probantes laudanteſque eos, qui vtrumque coluerint, & imitando expreſſerint. Illos, enim decet hæc iudicij aureola. Ita Ianſen. Maldon. Suarez, & alij.

DVODECIM TRIBVS ISRAEL] Non quaſi Apoſtoli, virique Apoſtolici in die iudicij iudicaturi ſint ſolos Iudæos, vti exponunt Theophylactus & Euthymius; ſed quod ſub duodecim tribubus, omnes gentes intelligat.

*An in Iſrael duodecim tribus?*

Vbi Nota, duodecim dici tribus Iſrael: licet enim tribus, Ioſeph bipartita eſſet, ac diuiſa in Ephraim & Manaſſe, duos Ioſephi filios, vtpote quos ſibi in filios adoptauit, ceteriſque ſuis filijs in ſucceſſione & hereditate æquauit Iacob, communis omnium tribuum pater (ipſe enim genuit duodecim filios, quorum quiſque cum poſteris ex ſe prognatis, vnam conſtituit tribum, vnde omnes ſimul iunctæ ſunt duodecim) Geneſ. 48. 16. ac conſequenter iuxta hunc computum tribus Leui eſſet non duodecima, ſed decima tertia; tamen ad ipſam primam tribuum originem reſpiciendo, ſcilicet ad duodecim Patriarchas Iacobi filios, non niſi duodecim erant tribus; quia totidem erant Patriarchæ, ſiue Iacobi filij.

*Iſrael ſunt omnes fideles.*

Nota Secundò, has 12. tribus dici Iſraël, quia ab Iſraële, id eſt, Iacobo Patriarcha, per 12. eius filios ſunt prognatæ & propagatæ. Porrò hæ 12. tribus olim erant populus fidelis & electus, putà Eccleſia Dei, etiam tempore Chriſti, imò hoc erat regnum Iſraelis Meſſiæ promiſſum: vnde gentes, quæ Chriſto crediderunt, in hanc Eccleſiam & populum Iudaicum, putà in 12. tribus Iſraëlis, quaſi inſertæ ſunt, & quaſi ciuitate donatæ, vt non iam Gentes, ſed Iudæi, id eſt, confitentes, credenteſque; ac Iſraëlitæ, id eſt dominantes Deo, appellentur, vti docet Apoſtolus Rom. 11. verſ. 17. & ſeq. Hinc S. Ioannes Apoc. 12. verſ. 12. in portis cæleſtis Ieruſalem, ait ſe vidiſſe inſcripta nomina 12. tribuum Iſraël. Omnes ergo Chriſtiani omnium gentium, in 12. tribus Iſraëlis iam dictas diuiſi & diſtributi ſunt, vt alij cenſeãtur eſſe de tribu Iuda, alij de tribu Ioſeph, alij de tribu Leui, &c. ſecundùm diuerſitates animarum & virtutum: ad Iuda enim pertinent magiſtratus, reges, & principes; ex Iuda enim nati ſunt reges & principes Iſraëlis, iuxta oraculum Iacob Geneſ. 49. 10. Ad Ioſeph pertinent virgines, caſti, & cælibes: talis enim fuit Ioſeph ante principatum Ægypti. Ad Leui pertinent ſacerdotes, diaconi, Religioſi: tales enim erant Leuitæ, & ſic de ceteris.

*An infideles ſub nomine duodecim tribuum intelligantur.*

Nota tertiò. Gentes infideles propriè nõ pertinent ad 12. tribus Iſraël, vtpote fideles: quare tacitè hac infidelium omiſſione hîc ſignificatur, ipſos in die iudicij non fore iudicandos; quia *qui non credit, iam iudicatus eſt*, Ioan. 3. 18. quod intellige de iudicio dubij examinis; hoc enim ſolo iudicabuntur fideles: de his enim dubium eſſe poteſt, an ſint damnandi, an ſaluandi, quod dubium reſoluetur ex examine operum cuiuſque; nam alioqui infideles quique in die iudicij comparituros, & ſimiliter iudicandos eſſe, & cuique pro demeritis maiorem vel minorem in gehenna pœnam decernendam eſſe, apud omnes in confeſſo eſt, & patet ex Ioëlis 3. verſ. 2. & Matth. 25. 32.

*Vers. 29. Luc. 18. 29. 30. Mar. 10. 29. 30.*

ET OMNIS, QVI RELIQVERIT DOMVM, VEL FRATRES, AVT SORORES, AVT PATREM, AVT MATREM, AVT VXOREM, AVT FILIOS, AVT AGROS, PROPTER NOMEN MEVM, CENTVPLVM ACCIPIET, ET VITAM ÆTERNAM POSSIDEBIT] Nota, in ſingulis hiſce membris poni coniunctionem diſiunctiuam *aut*, quia loquitur Chriſtus non de ijs qui ipſum ſequentes relinquunt omnia, ſed de ijs qui aliqua dumtaxat abdicant propter ſe & Euangelium, ait Marcus, vt ſcilicet Euangelij doctrinam, leges & ſanctiones obſeruent. Ita Origenes, S. Hieronymus, Moldonatus, & alij: licèt S. Chryſoſtomus ſecùs ſentiat, putetque hîc idem à Chriſto promitti ceteris fidelibus, quod paulò antè promiſit duodecim Apoſtolis, q.d. Omnes fideles, qui idem fecerunt quod duodecim Apoſtoli, ſcilicet vt omnibus relictis me ſequantur, eumdem honorem recipient, ac ſedem vnam è duodecim inter Apoſtolos nanciſcentur, ac in ea iudicabunt duodecim tribus Iſraël. Verùm priùs, quod dixi, verius eſt, idque exigit diſiunctio *aut*.

QVI RELIQVERIT DOMVM] Vel quia domo ſpoliatur, agiturque in exilium à tyranno, vel quia ſpontè domum relinquit ob ſcandala & tentationes, quas in ea reperit; vel quia relictâ domo, confugit ad monaſterium vel templum, vt totum ſe Dei obſequio mancipet. Idem dico de fratribus, ſororibus, patre, matre, vxore, filijs: nam & hi, cùm ſunt infideles & improbi, fidelem a fide vel probitate auocare ſatagunt: vnde ſi vxor virum à fide & pietate auocet, ſuadet Chriſtus, vt vir ab ea faciat diuortium:

ſatius enim eſt deſerere vxorem, quàm Chriſtũ: ſponte verò eoſdem relinquunt, qui perfectioris vitę ſtudio ad religionum clauſtra confugiunt. Et hoc ſignificat τὸ *propter nomen meum*, id eſt, propter me, mei amore, & reuerentiâ, vt mihi meliùs & pleniùs ſeruiat, ſeſeque totum mancipet.

CENTVPLVM ACCIPIET] Græcè ἑκατονταπλασίονα, id eſt *centuplicia*, ſcilicet ſingula, vt pro vna domo, quam Chriſti causâ relinquit, recipiat cẽtum, pro vno fratre, ſorore, filio, patre, matre, recipiat centum fratres, ſorores, filios, patres, matres. Syrus, *vnum in centum*, ſcilicet auctum, & cum centuplo fœnore multiplicatum. Sic & Ægyptius, Arabicus, Æthiopicus, Perſicus, qui ferè inter ſe conſentire ſolent, præſertim Æthiopicus cum Perſico, & Ægyptius cum Arabico, vt hic ex illo traductus videatur. Ægyptij enim primitus à S. Marco S. Petri diſcipulo conuerſi, Euangelium acceperunt. *Centuplum* ergo, id eſt plura, & multis partibus maiora, Vnde Lucas habet *multiplicia*; ponitur enim numerus definitus pro indefinito, vt magnitudo & multitudo recompenſæ ſignificetur.

*Centuplum quid? Reſp. Primò.* Quæres, quodnam ſit hoc *centuplum* ijs, qui ſua pro Chriſto relinquunt, ab ipſo promiſſum? Primò Chiliaſtæ, ſiue Millenarij per centuplum intelligunt mille annos, quibus hi Sancti poſt communem reſurrectionem in terra hac deliciabuntur, omniſque voluptate fruentur. Verùm hic eſt error, quem confutaui Apoc. 20. illique repugnat Marcus cap. 10. verſ. 31. dicens: *Accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc.* Audi S. Hieronymum: *Ex occaſione huius ſententiæ, quidam introducunt mille annos poſt reſurrectionem, dicentes: Tunc nobis centuplum omniũ rerum quas dimiſimus, & vitam æternam eſſe reddendam: non intelligentes, quòd ſi in ceteris digna ſit repromiſſio, in vxoribus appareat turpitudo: vt, qui vnam pro Domino dimiſerit, centum recipiat in futuro.*

*Secundò.* Secundò, S. Gregorius hom. 18. in Ezech. *Centuplum*, inquit, recipiet, quia Deus faciet, vt talis multò magis gaudeat paupertate, aut rerum ſuarum abdicatione, vtpote amore Chriſti facta, quàm diuites gaudeant omnibus ſuis opibus & commodis. Idque reuerà ita fieri experiuntur ij, qui pro Chriſto ſuis ſe abdicant.

*Tertiò.* Tertiò, S. Hieronymus, Beda, & alij centuplum accipiunt in bonis non temporalibus, ſed ſpiritualibus, purà in pace, gaudio, conſolationibus diuinis, ceteriſque donis & gratijs, quibus Deus eos mulcet & cumulat, quæ longè magis ſuperant omnia terrena bona & gaudia, quàm numerus centenarius ſuperat vnitatem. Verum quia Marcus particulatim explicans τὸ *centies tantùm* ſubdit *domos, & fratres, & ſorores, & matres & filios. & agros*, hinc

*Quartò.* Quartò, & magis genuinè Origenes, Theophylactus, Euthymius, Caſſianus, & Franc. Lucas centuplum exponunt ſic, quòd relinquens ſua & ſuos propter Chriſtum, Chriſto procurante, inueniat alios centum, id eſt, plurimos, qui illi amorem, opem & curam fratrum, vxorum & matrum longè maiori charitate & ſuauitate impendant, ita vt non res ſuas amiſiſſe, vel reliquiſſe, ſed in Chriſti prouidentia depoſuiſſe, ibique magno fœnore multiplicaſſe videatur. Suauiores enim ſunt affectus ſpiritus, quàm naturæ; & magis amat pollens amore cæleſti, quem conciliauit pietas, quàm imbutus amore terreno, quem adiunxit natiuitas. Quare, qui vnam domum pro Chriſto relinquit, centum & plures piorum domos inueniet ipſi paratas & apertas, quæ ipſum amanter & gaudenter excipiant. Experiuntur hoc ſacerdotes, & qui è domo ſua fugiunt ob perſecutionem in Iapone, Anglia, Scotia: hi enim omnium fidelium domos ad hoſpitium promptas reperiunt, ac de domo in domum crebrò commigrant. Sic religioſus, qui vnam patris domum pro Chriſto relinquit, centùm inuenit non domos, ſed collegia & monaſteria maxima & pulcherrima, quæ ipſum ex affectu materno excipiant. Sic, qui vnum agrum pro Chriſto reliquerit, centum Chriſti cultorum agros inueniet, è quibus alatur, idque ſine ſuo labore & cultura, cùm ſuum colere debuerit. Similiter, pro vno fratre relicto, plurimi erunt Chriſtiani inſtar fratrum fraterno ipſum amore proſequentes, & ſpiritali glutino ſuauiùs adhærentes: pro vna ſorore, plurimæ adoleſcentulæ caſtè diligent, obſeruabuntque vt fratrem: pro vno patre, ſenes plurimi tamquam filium fouebunt: pro vna matre, matronæ plurimæ affectu materno neceſſitatibus illius proſpicient: pro vna vxore, centum aliorum vxores, caſto ſpiritu ipſi coniunctæ, paratæ erunt per ſe, alioſque ſeruire valetudini, commoditatibuſque illius non ſecùs quàm ſi forent vxores illius: denique pro filio aut filia vna, innumeri reuerebuntur eum vt patrem, & ab eius doctrina ſana, conſilijſque pendebunt, ex quibus maiorem illius animus accepturus eſt voluptatem, quàm acciperet ex germanis liberis. Hoc eſt quod ex Salomone ait S. Auguſtinus epiſt. 89. quæſt. 4. *Fideli totus mundus diuitiarum eſt.* Audi Caſſianum collat. vlt. cap. vlt. *Centuplam fratrum, patrumque parentumq; recipiet quantitatem. Quiſquis patris vnius vel matris, ſeu filij pro Chriſti nomine charitate contemptâ, in omnium, qui Chriſto ſeruiunt, dilectionem ſinceriſſimam tranſit, pro vno ſcilicet tot patres, fratreſque feruentiore, ac præſtantiore ſibi affectu deuinctos, Multiplicatâ etiam domorum, atque agrorum poſſeſſione ditabitur, quiſquis vnâ domo pro Chriſti dilectione reiecta, innumera monaſteriorum habitacula, tamquam propria poſſidebit in quacumque orbis parte, velut in ſuę domus iure ſuccedens. Quomodo enim non centuplum, & ſi Domini noſtri ſententiæ ſuperadijci aliquid fas eſt, pluſquam centuplum recipit, qui decem vel viginti ſeruorum miniſteria inſida & coactitia derelinquentes, tot ingenuorum atque nobilium ſpontaneo fulcitur obſequio?* Experti ſunt hoc centuplum Apoſtoli; & primi Chriſtiani in feruore primitiuæ Eccleſiæ, de quibus ait Paulus: *nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Et Lucas Actor. 4. 32. *Nec quiſquam*, inquit, *eorum, qui poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Et mox: *Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum: diuidebantur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Id etiamnum experiuntur boni religioſi; quod ſi quando ſecùs accidat, & cuiquam aliquid corpori neceſſarium deſit, tunc Deus defectum hunc corporalium ſupplet, & compenſat copia ſpiritualium donorum, & gaudiorum,

Exem-



*Exemplum Peregrini.* Exemplum illuſtre eſt in Peregrino Philoſopho, qui finxit ſe eſſe Chriſtianum, ac vt talem in perſecutione obtulit ſe Præſidi & carceri, vt ope & opibus Chriſtianorum ei ſuccurrentium frueretur: nec eum fefellit opinio; ibi enim certatim Chriſtianis illi ſua offerentibus, ſuffarcinatus auro impoſtor in patriam rediit, vti fusè narrat Lucianus in Peregrino, & ex eo Baronius anno Chriſti 75. c. 7.

*Centuplum eſt Deus.* Denique S. Ambroſ. in Pſ. 118. literâ *chet*, ſiue octonario 8. per cẽtuplum accipit ipſum Deum, ac conſequenter totum mundum, qui eſt Dei peculium. Deus enim ijs, qui omnes & omnia propter ſe relinquunt, eſt pater, mater, vxor, frater, ſoror, & omnia. Matth. 12. 49. *Quoniam*, inquit Ambroſius, *qui omnia reliquerit, Deũ poſſidere incipit, & ipſe merces vtique perfecta virtutum, qui non cẽtupli enumeratione, ſed perfectæ virtutis æſtimatione ceſetur.* Affert etiam exemplum Leuiticæ tribus, quæ quia Domini iuſſu nullam inter alias tribus terræ partem habuerat, ideò Dominus ipſe ita promiſit, & ſæpiùs confirmauit, ſe eius partem & poſſeſſionem fore. Vnde hac aureâ gnome concludens ſubijcit: *Cui portio Deus eſt, totius poſſeſſor eſt naturæ. Pro agris ipſe ſibi ſatis eſt, habens bonum fructum, qui non poſſit perire. Pro domibus ſatis eſt ſibi, vt ſit habitatio Dei, & templum Dei, quo nihil poteſt eſſe pretioſius. Quid enim pretioſius Deo? Ea eſt portio quam terrenæ partes æquare non poſſunt. Quid magnificẽtius hoſpite cæleſti? quid beatius poſſeſſione diuina?* Et Caſſianus collat. vlt. c. vlt. *Pro lætitia*, inquit, *illa, quam in vnius agri ac domus poſſeſſione quis habuit, cẽtuplo maiore diuitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem tranſiẽs filiorum Dei, vniuerſa quæ æterni ſunt Patris, vt propria poſſidebit, & affectu atque virtute ad imitationem veri illius filij proclamabit: Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt, nec iam cum vlla pœnali diſtenſionis aut ſollicitudinis cura, ſed ſecurus ac lætus velut in proprijs vbique ſuccedit, audiens quotidie ab Apoſtolo ſibi prædicari: Omnia veſtra ſunt, ſiue mundus, ſiue præſentia, ſiue futura: & à Salomone: fidelis viri totus mundus diuitiarum eſt.*

*Aurea vox S. Franciſci.* Hæc ergo eſt congrua & condigna merces paupertatis, vt nihil habens, nihil ei deſit, ſed omnia poſſideat. Id expertus S. Franciſcus, ſuoſque ad eam exhortans. *Filij*, inquit, *chariſſimi, magna & inenarrabilia ſunt erga nos Dei noſtri beneficia, qui adeò flectit erga humiles & inutiles ſeruos ſuos corda fidelium. Ex acceptis quotidie accipienda ſperemus: ſi parua videntur conceſſa, adijciet maiora, dum in diuinorum mandatorum obſeruantia perſtiterimus. Iactate ergo cogitatum veſtrum in Domino, & ipſe vos enutriet in monte hoc* (Arabicus) *qui Eliam in deſerto, Antonium & Paulum in eremo nutriuit. Illud certiſſimè ſcitote, nullum nobis releuandæ neceſſitati ſecurius eſſe refugium, quàm nullum habere. Si enim veri & Euangelici fuerimus pauperes, mundus noſtri miſerebitur, & affluenter nos paſcet. Si autem à paupertate defecerimus, mundus nos fugiet, & indigentias illicito modo repellentes, maiores patiemur penurias.* Ita refert Waddingus in Annal. Minorum anno Chriſti 1212. numer. 14. Addit Marcus cap. 10. verſ. 30. centuplum hoc reddendum *cum perſecutionibus*: quod quomodo fiat, ibidem dicam.

*Tropologicè.* Tropologicè, Caſſianus loco iam citato, centuplo maius gaudium conuerſorum eſſe aſſerit de virtute, quàm fuerit anteà de cupiditate & vitio: *Si*, inquit, *pro iræ & furoris perturbatione iugẽ animi lenitatem: pro ſollicitudine ac diſtentionis angore ſecuritatis quietem: pro infructuoſa huius ſæculi pœnaliq; triſtitia, ſalutaris triſtitiæ fructum: pro vanitate lætitiæ temporalis, gaudij ſpiritualis appenderis vbertatem, retributionem in horum affectuum commutatione centuplam peruidebis.*



*Anagog.* Anagogicè, S. Antonius, teſte S. Athanaſio in eius Vita, per centuplum accipit regnum cælorum, in quo centuplo maiora ſunt bona, quàm ſint in terra: *Qui totius orbis dominium reliquit*, inquit, *centuplum de melioribus præmijs in ſublimi ſede recipiet.* Pro caducis enim reddentur ei ſtabilia, pro vilibus eximia, pro paruis magna, pro terrenis cæleſtia, pro humanis diuina, pro momentaneis ſempiterna.

ET VITAM ÆTERNAM POSSIDEBIT] Syrus, *hæreditate poſſidebit*; Arabicus *heres fiet vitæ æternæ.* q. d. Qui ſuã hereditatem, æquè ac ſuos parentes, fratres, ſorores, &c. Chriſti causâ reliquerit, pro eis recipiet centuplum in hoc ſæculo, & hereditatem vitæ æternæ in futuro. *Hereditas vitæ æternæ.* Hæc enim eſt ampliſſima hæreditas, in qua Beati erunt heredes Dei, ac coheredes Chriſti: ideoq; non ſolùm cælum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt; ſed etiam Deum ipſum, & omnem honorem, omnes opes, omnem gloriam, omnem ſuauitatẽ, omnes delicias, omnia gaudia, denique omnia bona in Deo poſſidebunt, non quaſi vſufructuarij, ſed quaſi heredes & domini hereditate perpetuâ, & in æternum, quamdiu Deus erit Deus, duratura. Hæc omnia ſignificantur & inuoluuntur in vita æterna. Porrò hanc vitam æternam obtinebunt omnes, qui ſeruant Dei mandata, vt dixit Chriſtus v. 17. pleniùs tamen & glorioſiùs eã obtinebunt, qui præceptis addidere conſilia: vnde ijs ſolis Chriſtus hîc illam promittit & aſſignat. Quâ phraſi tacitè innuit, difficile eſſe vitam æternam conſequi per obſeruationem ſolorum præceptorum, ſine obſeruatione conſiliorum; quia illa ſine hac eſt difficilis: difficile eſt enim ſeruare omnia Dei præcepta, niſi ſeruentur & conſilia præſertim paupertatis: nam, vt ait Chriſtus verſ. 23. difficile, & quaſi impoſſibile eſt diuitem ſaluari

*VERS. 30. Multi primi nouiſſimi, nouiſſimi primi.* MVLTI AVTEM ERVNT PRIMI NOVISSIMI ET NOVISSIMI PRIMI] Nota appoſitè Chriſtum hãnc ſententiam præcedentibus à ſe dictis ſubiungere: nam ipſe hoc capite penè toto oppoſuit ſe, ſuamque gratiam, & conſilia Euangelij Phariſæis, & legi veteri; vnde conſequenter hîc opponit præmium illius præmio huius, vt patebit cap. ſequenti: propriè autem reſpicit illa, quæ immediatè antè dixerat de ſedibus duodecim iudiciarijs, de centuplo, de vita æterna dandis ſuis ſequacibus: ac videtur occurrere tacitæ obiectioni Apoſtolorum. Poterant enim ipſi intra ſe cogitare: Qui fieri poterit, vt nos viles, pauperes, ignorantes, ignobiles ſedeamus ſuper duodecim thronis, iudicantes 12. tribus Iſrael? in quibus ſunt viri plurimi dignitate, opibus, nobilitate, ſcientiâ, famâ, auctoritate eminentes, vti ſunt Scribæ & Phariſæi, & adoleſcens ille diues & ſplendidus, ſimul ac legis obſeruator, de quo verſ. 16. Occurrit Chriſtus, aſſeritque illos quidem in hoc ſæculo eſſe eminentes & primos, ſed in cælo & vita æterna fore

Ii 3 nouiſ-

nouiſſimos, id eſt, nullo loco habendos; ſed ab ea reijciendos & excludendos (ſimili phraſi dixit cap. 5. 19. *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis; &c. minimus*, id eſt nullus, *vocabitur in regno cælorum*; ac nouiſſimos hîc vocari à regno cælorum remotiſſimos, patet ex Luca ca. 13. 30.) eò quòd Chriſtum quaſi pauperem aſpernati ſint: Apoſtolos verò aliosque ſimiles, qui relictis omnibus ſecuti Chriſtum in hoc ſæculo videbantur eſſe pauperrimi & nouiſſimi hominum, in vita æterna fore primos, vtpote Chriſto cælorũ regi chariſſimos, & in vita ac moribus præſertim in paupertate & zelo prædicandi ſimillimos. Ita S. Hieronymus, Beda, S. Thomas, Franc. Lucas, & alij, ac Victor Antiochenus in c. 10. Marci. Dicit autem *multi*, non *omnes*, quia aliqui hîc ſunt primi, qui & in cælo erunt primi, vti ſunt ſancti reges, principes, doctores, Epiſcopi, Pontifices, qui licèt opibus abundent, tamen pauperes ſunt affectu & ſpiritu: ac viciſſim aliqui hîc ſunt nouiſſimi, qui & in cælo erunt nouiſſimi, vti ſunt pauperes, & mendici, qui furtis, rapinis, alijſque ſceleribus incumbunt, vt ſuam inopiam leuent, fiantque diuites & opulenti.

Summa hac gnome ſignificat Chriſtus diuites & eos, qui bonis terrenis inhiant, à cælo excludendos; pauperes verò, qui cæleſtia ambiunt, in cælo fore primos. Reſpicit enim ad id, quod dixit adoleſcenti diuiti v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurũ in cælo.* Et vice verſâ ad illud v. 23. *Diues difficilè intrabit in regnum cælorum.* Et ad illud Petri v. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te quid ergo erit nobis?* Sic Chriſtus in cælo eſt primus, quia in terra fuit nouiſſimus, iuxta illud Iſaię 53. *Vidimus eum, & non erat aſpectus: & deſiderauimus eũ, deſpectũ & nouiſſimum virorum.* Vide ibi dicta. Proxima Chriſto eſt B. Virgo, quia poſt Chriſtum inter homines fuit nouiſſima; ſequuntur Apoſtoli, de quibus ait Paulus: *Puto quod Deus nos nouiſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos quia ſpectaculum facti ſumus mundo, angelis, & hominibus.* Et mox: *Tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omniũ peripſema vſque adhuc.* 1. Corinth. 4. v. 9. & 13. Sic de S. Martino, cuius hodie feſtũ celebramus, canit Eccleſia: *Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur. Martinus pauper & humilis cælum diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur.* Viſa eſt cuidam viro ſancto ſedes ſublimis & glorioſa in cælo, ac miranti cuiuſnam illa foret, audiuit: *Hæc ſedes humili ſeruatur Franciſco.* Ita habet eius Vita.

*Chriſtus nouiſſimus primus.*

Denique multi Patres & Doctores Scholaſtici, quos citabo cap. ſequenti verſ. 1. *τὸ nouiſſimi & primi* præciſè accipitur in ipſa *vita æterna*, q.d. Diuites, qui in hac vita honeſtam, ſed commodam egêre vitam, ſeruantes dumtaxat præcepta Dei (qualis fuit adoleſcens ille verſ. 21.) in cælo erunt nouiſſimi: pauperes verò, qui præceptis adiunxêre conſilia Euangelica, ac in paupertate euangelizando, ſecuti ſunt Chriſtum: hi in cælo erunt primi, de quo plura c. ſequenti. Amplior & plenior, omniaque, quæ in ſequenti parabola dicuntur, adęquans erit ſenſus, ſi *τὸ nouiſſimi* vtroque modo accipias, ſcilicet vt ſignificet tam excludendos à cælo, quàm nouiſſimos in cælo. Nam Apoſtoli, qui quaſi primi iudicabunt 12. tribus Iſrael, quaſi nouiſſimos, multos ex ijs, vtpote iuſtos, adiudicabunt cælo; plures tamen, vtpote iniuſtos, inferno. Porrò hanc gnomen: *Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi*, Chriſtus explicat per ſequentem parabolam operariorum, ad vineam excolendã conductorum capite ſequenti. Hæc ergo gnome eſt proparabola, id eſt, titulus & argumentum illius parabolæ, cui ſubnectitur iſta poſtparabola, ſiue ſcopus & applicatio parabolæ cap. 20. v. 16. *Sic erunt nouiſſimi primi & primi nouiſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Vnde liquet poſtparabolam reſpondere ex æquo proparabolæ, imò vnum idemque cum illa eſſe: *electi* ergo vocantur *primi*; *vocati* verò dumtaxat, nec electi, vocantur *nouiſſimi*.

# CAPVT VIGESIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRoponit Chriſtus parabolam operariorum conductorum ad colendam vineam è quibus nouiſſimi vocati fiunt primi in mercede & præmiò. Secundò, v. 16. prædicit ſuam paſſionem. Tertiò, v. 20. Iacobo & Ioanni ambientibus primas ſedes in regno Chriſti proponit calicem paßionis, docetque maiorem eſſe eum, qui cupit eſſe minor. Quartò, v. 30. duos cæcos illuminat.*

1. SImile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo manè con-
ducere operarios in vineam ſuam. 2. Conuentione autem factâ cum ope-
rarijs ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. 3. Et egreſſus circà horam
tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, 4. & dixit illis: ite & vos in vineam
meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterùm autem
exijt circà ſextam & nonam horam: & fecit ſimiliter. 6. Circà vndecimam verò
exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hîc ſtatis tota die otioſi? 7. Di-
cunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. 8. Cùm
ſerò autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, &
redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. 9. Cùm veniſſent
ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. 10. Ve-
nientes



nientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem
& ipſi ſingulos denarios. 11. Et accipientes murmurabant aduerſus patremfa-
milias, 12. dicentes: Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis feciſti,
qui portauimus pondus diei & æſtus. 13. At ille reſpondens vni eorum, dixit: A-
mice non facio tibi iniuriam: nónne ex denario conueniſti mecum? 14. Tolle
quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. 15. Aut
non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?
16. Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci
verò electi. 17. Et aſcendens Ieſus Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipu-
los ſecretò, & ait illis: 18. Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tra-
detur principibus ſacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. 19. &
tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertiâ
die reſurget. 20. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, a-
dorans & petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant
hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. 22. Re-
ſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem e-
go bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. 23. Ait illis: Calicem quidem meum bi-
betis: ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis,
ſed quibus paratum eſt à Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati ſunt de
duobus fratribus. 25. Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis, quia princi-
pes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos.
26. Non ita erit inter vos: ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter
miniſter: 27. & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. 28. Sic-
ut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, re-
demptionem pro multis. 29. Et egredientibus illis ab Iericho, ſecuta eſt eum tur-
ba multa. 30. Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt, quia Ieſus tranſi-
ret: & clamarunt, dicentes: Domine, miſerere noſtri fili Dauid. 31. Turba
autem increpabat eos vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, mi-
ſerere noſtri, fili Dauid. 32. Et ſtetit Ieſus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt
faciam vobis? 33. Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi noſtri. 34. Mi-
ſertus autem eorum Ieſus, tetigit oculos eorum. Et confeſtim viderunt, & ſecuti
ſunt eum.

**VERS. 1.** *Parabola patrisfamilias conducentis operarios in vineã ſuam.*

SIMILE EST REGNVM CÆLORVM HOMINI PATRI FAMILIAS; QVI EXIIT PRIMO MANE CONDVCERE OPERARIOS IN VINEAM SVAM] *Simile eſt*, id eſt, ſimiliter agitur in regno cælorum, perinde, ac ſi herus conduceret operarios in vineam ſuam: nam alioqui præcisè & propriè regnum cælorum non ipſi patrifamilias, ſed eius domui & familiæ ſimile eſt. Vide canonem 28. Vt totam hanc parabolam paucis genuinè & clarè explicem.

Notandum eſt, ſcopum illius eſſe, vt per eam probet Chriſtus vltimam propoſitionem capitis præcedentis: *Multi erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi:* Chriſtus enim hanc propoſitionem immediatè præmittit parabolæ, quaſi proparabolam, ſiue titulum parabolæ: ac rurſum eamdem ipſi ſubiungit, quaſi poſtparabolam hîc verſ. 16. Vnde & quidam codices Latini ſic habent. *Simile eſt enim.* Scopus ergo Chriſti hîc eſt, oſtendere ex Dei gratia, & ſine vlla iniuſtitia, vel cuiuſpiam iniuria fore, vt qui hîc primas tenere viſi ſunt, in die nouiſſimo poſtremas teneant; & qui hîc poſtremas, ibi primas, hoc eſt, vt Apoſtoli, & abiecti fideles ſequaces Chriſti, in regno cælorem Scribis & Phariſæis præferantur; ac Gentiles credentes in Chriſtum præponantur Iudæis, qui primo tempore Abrahæ, Iacob & Moſis vocati fuerunt à Domino, vt primas in regno Dei, id eſt, in Eccleſiâ tam militante in terris, quàm triumphante in cælis, obtinerent, ſiue filios noui teſtamenti; præſertim Apoſtolos, in duodecim ſedibus ſeſſuros in die iudicij anteferendos eſſe filijs veteris teſtamenti, qui ſub vmbris legalium ſacrificiorum, ceremoniarum & figurarum laborioſiſſimè ſeruiebant; quia ſcilicet hi legi & operibus præfiſi, falsò ex illis hoc Dei regnum ſibi arrogabant, ideoque Chriſtum, Chriſtique fidem repellebant. Vnde meritò à regno hoc exciderunt: illi verò Chriſto, eiuſque fidei & gratiæ, quàm longè Iudæis vberiorem acceperunt, humillimè ſe ſubdiderunt, & ſtrenuè feruenterque illi cooperati ſunt, ideoque Iudæis prælati, & præ illis electi ſunt ad gratiam, æquè ac ad gloriam. Hunc eſſe ſcopum patet Primò; ex proparabola, & ex ipſa parabola, eiuſque clauſula, ſiue poſtparabola, v. 16. *Multi enim ſunt vocati pauci verò electi.* Secundò, idipſum patet ex Luca, qui cap. 13. v. 29. & 30. primos fore nouiſſimos, & nouiſſimos fore primos ſic explicat, quòd Gentiles cælum ingredientur, Iudæi verò ab eo excludentur, eò quòd illi Chriſtum receperint, hi eum repulerint. Tertiò, quia alioqui non poteſt explicari murmur primorum, verſ. 11. in cælis enim inter Beatos nullum eſt murmur, ſed illud eſt in inferno inter damnatos: nec etiam dura ibi Domini increpatio, verſ. 15. *An oculus tuus nequam*, id eſt inuidus *eſt*, & parcus, *quia ego bonus*, id eſt, beneficus & liberalis, *ſum?* Ita cenſent Ianſenius, Barradius, Heſſelius, & Franc. Lucas hîc, ac Ludouicus

*Scopus parabolæ operariorum.* *Probatur. Primò.* *Secundò.* *Tertiò.*

douicus Molina, & Gabriel Vaſquez 1. part. quæſt. 12. art. 6. Igitur quæcumque in parabola hac ad ſcriptum iam dictum pertinent, annotanda & explicanda ſunt; quæ verò ad eum non pertinent, in explicatione parabolæ omittenda ſunt, adduntur enim dumtaxat, vt emblemata ipſius parabolæ iuxta canonem 29. Per vineam ergo ſignificatur Eccleſia, per forum mundus;

*Applicatio partium parabolæ.*

per primò, hora prima, tertia & ſextâ vocatos ſignificantur Iudæi iam in auis ſuis Abraham, Iacob & Moſe vocati ad Dei fidem & cultum, vt eum, in Eccleſia Dei benè operando, augeant & propugnent: per nouiſſimè verò, horâ vndecimâ vocatos, ſignificantur Gentiles: vltimò per Chriſtum & Apoſtolos vocati ad Chriſtum & Eccleſiam; per veſperam, ſignificatur dies extremi iudicij, in quo ſingulis aſſignabitur & adiudicabitur ſua merces, vel iam in hac vita eis data (vti data eſt Iudæis) vel tum danda, vti danda eſt Gentilibus in cælo; per denarium, ſignificatur integra merces diurna, ſiue merces laboris, quâ quis per totum diem in vinea laborauit. Denarius enim, teſte Plinio, Budæo & alijs appendebat drachmam Atticam, id eſt, Regalem Hiſpanicum, ſiue Iulium Italicum: vnde denarius illo æuo erat ſtatum diurni laboris pretium. Dictus denarius, quòd appenderet decem Baiocos Romanos.

*Denarius idem ſingulis datus, quid?*

Porrò denarius omnibus tam primò, quàm vltimò vocatis datur idem in genere, ſeu in confuſo, id eſt, datur omnibus & ſingulis integra diurni laboris merces, in genere par & eadem, ſed in ſpecie & in particulari valdè diſpar & diuerſa. Denarius enim erat nummus communis, qui multas ſub ſe continebat nummorum ſpecies & formas. Denarius enim alius erat æreus, alius argenteus, alius aureus. Rurſum alius erat ſimplex, alius duplex, alius triplex, alius quadruplex; perinde ac iam ſunt Regales Hiſpanici. Diſparem enim hîc datam fuiſſe operarijs mercedem liquet ex eo, quòd nouiſſimi, qui horâ vndecimâ venerunt, prælati ſunt ceteris, qui horâ primâ, tertiâ & ſexta venerunt: quia licèt hi diutiùs laborarint, illi tamen maiori gratiâ & diligentiâ feruoreque laborarunt: quare vti primos in feruore potiùs, quàm in labore, ſic & in mercede ſuperarunt.

*Maius meritum facit non labor maior, ſed gratia.*

Dices: Ergo hîc maiori labori minor datur merces. Reſp. Verùm id eſt, ſed non maiori merito, huic enim ſemper maior debetur, daturque merces. Maius autem meritum facit maior non labor, ſed gratia, & gratiæ cooperatio. Maiorem autem gratiam habuêre Apoſtoli, quàm Scribæ; Chriſtiani, quàm Iudæi; ac magis, quàm illi gratiæ cooperati ſunt: ideoque maior denarius, id eſt, maior merces eis promiſſa eſt. Nam Iudæis per tot mundi ætates diu, operosè & moleſtè laborantibus in Dei cultu & Eccleſia, denarius à Deo promiſſus erat merces temporalis, ſcilicet abundantia rerum temporalium, frumenti, olei & vini: Gentilibus verò Chriſtianis vnicâ & vltimâ mundi ætate laborantibus, promiſſus eſt à Chriſto denarius, id eſt, merces ſpiritualis longè nobilior, & omnem laborem ſuperans, ſcilicet vita æterna: Iudæi ergo acceperunt denarium, id eſt, drachmam æris vel argenti; Chriſtiani verò auri: alioqui enim, ſi denarius eamdem omnino ſignificaret mercedem, repugnaret proparabolæ & poſtparabolæ, in quibus aſſeritur, quòd *erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* hoc enim ſignificat Chriſtianos & Apoſtolos præferendos Iudæis in præmio cæleſti: imò quòd ipſi iudicabunt & condemnabunt Iudæos. Reſpicit enim Chriſtus ad id, quod dixit c. præced. verſ. 28. *Sedebitis vos ſuper ſedes duodecim, iudicãtes duodecim tribus Iſrael.* Vnde Iudæi, qui in hac vita erant primi & ditiſſimi, in die iudicij apparebũt nouiſſimi, & à cælo remotiſſimi: Gẽtiles verò Chriſtiani in hac vita abiecti & pauperes, in die iudicij erunt primi in regno cælorum, ideoque Iudæi contra Gentiles Chriſtianos murmurabunt, quòd eos olim viles idololatras, tunc ſibi in fide, gratia & gloria prælatos videbunt: ſicut & in hac vita Scribæ aſſiduè murmurabant contra Chriſtum & Apoſtolos, quòd ipſi in Euangelio, id eſt, in prædicatione, fide, gratia & promiſſione regni cæleſtis, Iudæis, id eſt, populo à Deo olim electo, præferrent Gentiles, olim ob idola & ſcelera infames.

Vt ergo verbo dicam totâ parabolâ non ſignificatur aliud, quàm Gẽtiles credentes in Chriſtum præferendos eſſe Iudæis, Moſi & legi pertinaciter adhærentibus, ideoque Chriſtum ſpernentibus; præferendos, inquam, tam in gratia & Eccleſia militante, quàm in gloria & Eccleſia triumphante; ideoque Iudæos contra Chriſtum & Chriſtianos murmuraturos, quòd cum vocatione, labore, ſynagogâ & dignitate populi fidelis eſſent potiores, & antiquiores, iam tamen in his & ceteris Gentilibus poſtponantur. Et hoc eſt, quod docet paſſim Paulus, præſertim totâ epiſtolâ ad Romanos, ac Chriſtus ipſe: *Publicani*, inquit, *& meretrices præcedent vos in regno Dei*, Matth. 21. 31. Et: *Cùm videritis Abraham & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Et: *venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro* (ex quatuor plagis orbis & Gentiũ) *& recumbent in regno Dei*; ac ſtatim ſubiungit id, quò tota hæc parabola refertur: *Et ecce ſunt nouiſſimi* (putà Gentiles) *qui erunt primi* (in cælo) *& ſunt primi* (putà Iudæi in hac vita) *qui* in die iudicij *erunt nouiſſimi.* Reliqua, quæ in hac parabola adduntur, emblemata ſunt addita ad elegantiã parabolæ, iuxta canon. 29.

*Alia explicatio parabolæ.*

Iuxta hunc ſenſum primi ſunt ſaluandi, nouiſſimi ſunt damnandi. Alio verò ſenſu, quem nunc ſubiungam, primi futuri nouiſſimi, ſunt illi, qui primi vocati ſunt, ſed vltimi ad præmium perueniũt: nouiſſimi verò futuri primi, ſunt illi, qui vltimò vocati, primi fiunt in præmio. Vnde de his vulgò à Patribus & Doctoribus Scholaſticis hæc parabola aliter tractatur & explicatur, quaſi Chriſtus dicere velit, tam primos, id eſt primò vocatos, quàm nouiſſimos, id eſt vltimò vocatos ad fidem & gratiam putà tam Iudæos, quàm Chriſtianos Deo ſeruientes, eamdem vitam æternam accepturos (dicuntur enim, vel potiùs ſubintelligitur ex anteced. & ſeqq. tam nouiſſimi, quàm primi fore in ipſa vita æterna, ſiue in cælo) nec obfore cuipiam, quòd in fine mundi vel ætatis ſuæ ſit vocatus, aut venerit ad vineam Eccleſiæ vel animæ ſuæ excolendam, imò eum ceteris, qui diu antè vocati ſunt aut venerunt, fore præferendum in gloria cæleſti, ſi gratiæ maiori ſibi à Deo datæ maiori labore, ſtudio & feruore cooperetur. Ita explicat S. Hieronymus, Chryſoſtomus, S. Auguſtinus,



*Probat primò.*

nus, S. Thomas, Maldonatus, Gregorius de Valentia 1. p. quæſt. 12. art. 6. Bellarminus lib. 3. de Iuſtificatione cap. 16. Suarez fusè 1. part. lib. 2. de Attrib. Dei negat. cap. 20. Eſtque hæc applicatio valdè probabilis, illique valdè fauet primò, quòd ſic meliùs explicatur quomodo idem denarius detur omnibus operarijs. Paſſim enim Patres per denarium accipiunt vitam æternam. Ita ſanctus Hieronymus, Chryſoſtomus, Anſelmus hîc, & S. Auguſtinus ſerm. 59. de Verbis Domini, Tertullianus de Monogam. cap. 13. Nazianzenus orat. 40. Gregor. hom. 16. in Ezech. Valentia, Bellarminus & Suarez iam citati.

Dices, quomodo in denario hoc pares ſunt primi & nouiſſimi, cùm primi maiores ſint in felicitate & gloria vitæ æternæ, quàm nouiſſimi? Reſpondetur, eumdem denarium notare eamdem benedictionem genericam & obiectiuam, ſcilicet eamdem diuinam eſſentiam, quæ eſt obiectum beatitudinis, & gloriæ Beatorum; hæc enim vna & eadem eſt, quæ omnes Beatos ſui oſtenſione beat, ſed tamen vnio & fruitio eius eſt diſpar pro diſparitate meritorum; qui enim maiori gratiâ & labore Deo ſeruiuerunt, vti fecerunt nouiſſimè vocati, hi clariùs & perfectius Deum videbunt, ideoque magis eius amore, ceteriſque dotibus fruentur, eruntque magis Beati, quàm illi, qui minori gratiâ & labore Deo ſeruiuerunt. Ita S. Gregorius 4. Moral. capit. 31. aut iuxta aliam editionem 43. ſanctus Auguſtinus de S. Virgin. capit. 26. ſanctus Hieronymus hîc. S. Thomas 1. par. quæſt. 12. art. 6. Valentia, & alij. *Omnibus*, ait S. Auguſtinus, *datur vita æterna, ſed eorum manſiones multæ ſunt, honoratur enim alius alio clariùs.* Huc accedit Bellarminus loco iam citato, nam denarius ille ſignificat, inquit, *æqualitatem æternitatis, non gloriæ & excellentiæ*, Pulchrè S. Auguſtinus libr. 7. in Lucam, exponens caput decimum quintum: *Æqualem*, inquit, *dignaris ſoluere mercedem vitæ, non gloriæ. Itaq́; datur omnibus idem denarius, quoniam Sancti omnes ſine fine regnabũnt, quamuis non omnes eâdem eminentiâ regnabunt. Quemadmodum commune, ſtellis omnibus eſt perpetuo fulgere in cælo, tametſi aliæ alijs clariùs micent.* Et Gloſſa Interlin. eumdem denarium interpretatur, eamdem æternitatem beatam, quæ omnibus Beatis eadem datur: omnes enim in æternum erunt beati, de eoque certi ſunt. Rurſum huic ſententiæ fauent illa, quæ dixit Chriſtus cap. 19. verſ. 21. & ſeq. quorum occaſione & intuitu hanc parabolam ſubtexuit: ibi enim iuueni diuiti dicenti ſe præcepta Dei ſeruaſſe, addit, conſulitque paupertatem Euangelicam, dicens: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*; quam, cum iuuenis triſtis abnueret, interceſſit Petrus, dicens: *Ecce nos reliquimus omnia*, &c. *quid ergo erit nobis?* Cui Chriſtus: *Sedebitis vos ſuper thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* q. d. Vos, ô Apoſtoli, præferemini illi adoleſcenti, & ſimilibus, qui tantùm ſeruant præcepta Dei, quia vos inſuper ſeruatis conſilia Euangelica, & ſecuti eſtis me in euangelizando: quare licèt illi in hoc ſæculo videantur eſſe primi, tamen in cælo erunt nouiſſimi: vos verò, qui in hoc ſæculo videmini nouiſſimi, in cælo eritis primi. Multi enim è Iudæis ante Chriſtum quauis ætate timuerunt Deum, eiuſque præcepta ſeruarunt, & ideò ſaluati ſunt.

*Applicatio partium parabolæ.*

Iam, vt iuxta hunc ſenſum ſingula applicemus, per diem accipe mundi curſum, & tempus: per horas varias, accipe diuerſas mundi ætates, vt prima hora ſit prima ætas mundi, ab Adam vſque ad Noë; ſecunda à Noë ad Abraham, tertia ab Abraham ad Moſen; ſexta à Moſe ad Chriſtum; vndecima hora ſit à Chriſto vſque ad finem mundi. Ita S. Hilarius, S. Gregorius & Theophylactus. Aut dies eſt ætas vitæ cuiuſque hominis, cuius hora prima eſt infantia; tertia eſt pubertas; ſexta, ætas virilis; nona, ſenilis; vndecima, decrepita. Ita S. Hieronymus, S. Baſilius in Reg. breuior. inter. 224. & S. Fulgentius epiſt. 7. Porrò non tantùm tota vita cuiuſque, ſed totum hoc ſæculum præſens, quod per tot millia annorum ad finem decurrit, vnus dumtaxat dies dicitur: *Magnus quidem quantum ad nos, modicus autem quantum ad Dei vitam*, ait Origenes, eiuſque æternitatem. Per murmur, cum Theophylacto, Salmerone, Suarez, Vaſquez, & alijs accipe admirationem Sanctorum, cùm ſcilicet illi, qui minores erunt in gloria, & tamen plus hîc laborarunt, vti fuêre Iudæi, mirabuntur alios, qui hîc minùs laborauerunt, ſed maiori excelluerunt gratiâ & ſpiritu, ſibi in gloria anteponi; vt hîc Chriſtus inijciat aculeum diligentiæ, & ei, qui citò venit, ne torpore ſuo alijs poſtponatur; & ei, qui tardè venit, vt feruore tarditatem compenſet, ac primos æquet vel ſuperet, ſtudendo perfectioni & conſilijs Euangelicis, vti ſuaſit Chriſtus cap. præcedent. verſ. 21. Denique plenus & adæquatus erit ſenſus, ſi ſecundum hunc ſenſum coniungas cum primo, & vtrumque conſles in vnum: nam, vt dixi in fine capit. præced. *nouiſſimi* hîc vtroque modo accipi poſſunt, ſcilicet vt ſignificent nouiſſimos tam extra cælum, ideoque damnandos, quàm in ipſo cælo, ideoque ſaluandos; prioribus competit primus ſenſus, in iiſque planè explicat eorum murmur; poſterioribus competit ſecundus ſenſus; in iiſque planè explicat denarium, quomodo ſcilicet idem denarius, nimirum eadem vita æterna omnibus detur, tam nouiſſimis, quàm primis: quare ſecundus ſenſus ſupplet primùm, & viciſſim primus ſupplet id, quod deeſt ſecundo: iunge ergo vtrumque, & omnia adæquabis.

*Tropologicè. vinea eſt anima cuiq́; excolenda.*

Tropologicè: Vinea eſt anima cuique excolenda: moraliter ergo hinc diſce nos vocatos, vt ſimus operarij in vinea, id eſt, anima & Eccleſia Dei. Sanctus Bernardus quotidie ſe interrogabat: *Bernarde dic quare hîc?* Vocatus es non ad otium, ſed ab laborem, vt excolas vineam, id eſt, animam tuam virtutibus, & Eccleſiam ſanctis exemplis. Et ſanctus Petrus epiſtol. 2. 1. *Magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Porrò cultores huius vineæ non æſtimantur tempore & antiquitate laboris, ſed diligentiâ, feruore, & ſpiritu. Hi enim primis præferuntur. Quocirca ſanctus Hieronymus epiſtol. 13. ad Paulinum: *Noli* ait, *fidem penſare tẽporibus, nec me idcircò meliorẽ putes, quòd prior in exercitu Chriſti cœperim militare; Paulus Apoſtolus de perſecutore mutatus, nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt; quia extremus licèt, plus omnibus laborauit ſubitus calor longum vincit teporem.* Idem epiſt. 34. ad Iulianum: *Felix* ait, *& omni dignus beatitudine, quem ſenectus Chriſto occupat ſeruientem, quem extrema dies*

*Saluatori*

*Saluatori inuenerit militantem, qui non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta.* Verè Sapiẽs cap.4. *Conſummatus,* ait, *in breui, expleuit tempora multa.* Ita S.Xauerius vndecim annis quanta fecit in India? Quiſque ergo operarius eſt vineæ (id eſt animæ) ſuæ & vineæ proximi. Hinc ſponſa ait Cant.1. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui.* Eſſentia animæ eſt vinea, plantata in terra huius corporis, cuius facultates ordinatæ ſunt vites; cuius vinum ſunt opera charitatis, vites alligandæ ſunt palo crucis, cuius pedi foueam facimus, dum mortem inſtare, & foueam ſepulturæ cognoſcimus. Seruanda eſt hæc vinea, ab apto exterminatore de ſylua, Pſalm.79. id eſt, de vitio obſcœnæ voluptatis, quæ omnia bona exterminat, & à ſingulari fero, id eſt, à vitio ſuperbiæ, quæ ſingularem hominem facit: à vulpe aſtutæ adulationis, à lupo voracitatis, à cane detractionis. Rogandus Dominus vt huic vineæ ſuæ mittat pluuiam doctrinæ ſuæ, & calorem charitatis ſuæ, & ſtercora, id eſt memoriam mortis filij ſui, & SS. Martyrum. Reuireſcit anima tamquam vinea per flores & folia, id eſt, per ſancta deſideria & ſermonem ædificantem: producit lachrymas compunctionis, emittit odorem virtutis, iuxta illud Cantic.2. *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum*; edit maturas vuas bonorum operum. Ita Salmeron. Rurſus quæ facit vinitor in vinea, hæc faciat fidelis in anima. Ille putat, ſarrit, aggregat, plantat, ablaqueat, defrondat, &c. Idem faciat myſticè fidelis in anima ſua. Porrò *Sicut mercenarius,* ait Sanctus Chryſoſtomus, *totum diem circa domini opus impendit: vnam autem horam circa ſuum cibum, ſic & hoc omne tempus vitæ noſtræ debemus impendere circa gloriam Dei; modicam autem patrem circa vſus noſtros terrenos. Et ſicut mercenarius eâ die, quâ opus non fecerit, erubeſcit intrare in domum, & petere panem; quomodo tu non confunderis intrare in eccleſiam, & ſtare ante conſpectum Dei quando nihil boni in conſpectu Dei geſſiſti?* Iam ſigillatim verſus ſingulos breuiter percurramus.

Vers.2. Conventione avtem facta cvm operariis ex denario divrno, misit eos in vineam svam] Denarius argenteus erat Iulius Romanus, ſiue regalis Hiſpanicus, qui Romæ valet decem baiocos, in Belgio quinque ſtuferos.

*Denarius quid?*

Obijciebat olim Iouinianus, & nuper Caluinus, iuſtos omnes eſſe pares in præmio, id eſt, in denario vitæ æternæ; ergo & pares eſſe in merito; ergo omnia opera bona eſſe paria. Verùm iam reſpondi, omnes in vita æterna genericè & abſtractè eſſe pares, quia omnes ſunt beati, certiq; de ſua beatitudine, eiuſque æternitate, quòd ſcilicet viuent in omni felicitate vitam æternam; ſed in hoc ipſo erunt gradus intẽſionis & remiſſionis, vt alij magis, alij minùs videant Deum, ideóque illi magis, hi minùs ſint beati & glorioſi; quocirca illi in cælo vocantur, & reuerà erunt primi, hi nouiſſimi.

Vers.3. Et egressvs circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos] Romani, ait Rhodiginus libr.12.cap.9. indeque Iudæi iam Romanis per Pompeium ſubiecti, diuidebant vti noctem, ſic & diem, in 12. horas, per quatuor partes, quas noctu in caſtris vigilias (eò quòd initio earum vigiles mutarent) vocabant. Prima hora, ſiue vigilia, incipiebat ab ortu ſolis, tertia, tribus horis ab ortu, ſexta ſex horis ab eodem, putà in meridie, nona tribus horis poſt meridiem, duodecima in veſpera & ſolis occaſu. Porrò in hieme hæ horæ erant breuiores per diem, longiores per noctem, quia in hieme dies ſunt breuiores, noctes verò longiores: vice verſâ in æſtate, hæ horæ erant longiores per diem, breuiores verò per noctem, quia tunc dies ſunt longiores, noctes verò breuiores.

Vers.4. Et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et qvod ivstvm fverit, dabo vobis: illi avtem abiervnt] His promittit non denarium, ſed *quod iuſtum fuerit,* q.d. Denarius erat merces diurni laboris, dabaturque laborantibus ab hora prima, id eſt, à ſolis ortu vſque ad occaſum. Hi autem horâ tertiâ vocati tribus horis ſeriùs venerunt ad laborandum in vinea; quare non totum denarium, ſed tres quartas dumtaxat denarij, putà ſeptem baiocos cum medio; ſiue tres ſtuferos Belgicos cum tribus quadrantibus merebantur: ſed liberalior fuit herus, qui eis veſpere integrum denarium perſoluit.

Nota, *Tò iuſtum* ſignificat meritum bonorum operum, quod quaſi ex iuſtitia meretur mercedem, quam Deus cuique operi ex iuſtitia diſtributiua promittit, rependit, & diſtribuit.

Vers.5. Itervm avtem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter] Notatur ſollicitudo heri quærentis operarios ad excolendam vineam, quę notat ſollicitudinem Dei, volentis vt homines omnes & ſinguli ſint operarij in vinea ſuæ animæ & Eccleſiæ, vt vtraque omni fructuum genere reſplendeat.

Vers.6. Circa vndecimam vero exiit, et invenit alios stantes (Græca & Syrus addunt, *otioſos*) et dicit illis Qvid hic statis tota die otiosi?] Nota *τὸ tota,* quia vndecima hora eſt vltima hora diei, dies enim finitur hora duodecimâ, vt dixi verſ. 3. quare hac horâ vocati per vnam horam dumtaxat laborarunt in vinea. Porrò vocati horâ primâ, tertiâ, ſextâ, nonâ, notant Iudæos & ceteros priores; vocati verò vndecimâ, notant Chriſtianos, vti dixi. Vnde Origenes horâ primâ, ait vocatum Adamum, horâ vndecimâ, Paulum.

Vers.7. Dicvnt ei Qvia nemo nos condvxit] S.Chryſoſtomus ait, hanc eſſe futilem pigrorum excuſationem. Quia, inquit, Deus omnes vocat à pueritia ad virtutem, putà ad ſui & Eccleſię ſuę obſequium. Hinc verſ.1. exijt primò manè. Sic & S. Gregorius, & Gloſſa Interlinearis. Porrò cõductio, ait Chryſoſtomus, eſt promiſſio vitæ æternæ; Gentes verò nec Deum, nec Dei promiſſa ſciebant: vnde dicunt ſe non fuiſſe conductos, id eſt vocatos, per prædicatores, licèt per legem & lumen naturæ eſſent vocati.

Dicit illis: Ite et vos in vineam meam] His ex rigore temporis & laboris, duodecima tantùm denarij pars debebatur, vtpote vnâ, id eſt, duodecimâ horâ diei in vinea dumtaxat laborantibus: ſed Deus liberalis integrum, imò præſtantiſſimum vitæ æternæ denarium eis retribuit.

Vers.8. Cvm sero avtem factvm esset, dicit dominvs vineæ procvratori svo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis vsqve ad primos]



primos] *Tò ſerò* notat finem mundi, & diem iudicij, quo Chriſtus iudex ſingulis pro merito mercedem retribuet, idque per ſe: vnde *τὸ procuratori* eſt emblema parabolę. Chriſtus enim non eget procuratore.

*Procurator hic quis?*

Symbolicè, tamen Origines per procuratorem accepit SS. Angelos, vt S.Michaelem, per quem Chriſtum particulare iudicium animarum, in morte cuiuſque exercere, vel animæ intimare, nonnulli autumant, vt dixi Daniel.12.1. Remigius verò per procuratorem accipit Chriſtũ qui quà homo procurator eſt Dei Patris, eiuſq; nomine iudicabit viuos & mortuos. S. Irenæus autem lib.4. Contra.hær.c.70. ſub finem; per procuratorem accipit Spiritum ſanctum, quia hic diſpenſat vti gratias & dona, ſic & gloriam, & pręmia. Ita & Gloſſa.

Mercedem] Quia merces reſpondet pręcisè non labori, ſed merito; meritum autem facit gratia, & liberum arbitrium gratiâ excitatum, ipſique gratiæ per gratiam cooperans: qui autẽ vndecimâ horâ venerunt, putà Gentes per Apoſtolos ad Chriſtum vocatæ, plus habuerunt gratiæ & charitatis, magiſq; gratię cooperatę, ſunt, ideoque Iudęos priùs vocatos, & diutiùs in vinea Dei laborantes in præmio antecęſſerunt, primaſque in cælo obtinẽt. Diſce hîc praxin facilem augendi merita & gloriam, eſſe, ſi quis crebrò exerceat actus charitatis eoſque ardentes & intenſos, imò ſi omnia opera externa faciat ex charitate & amore Dei. Sic enim plus merebitur, quàm ruſtici & milites, qui magnos ſubeunt labores, ac plus quàm Religioſi, qui arduas ſubeunt pœnitentias, ſi ex maiori charitate, quàm ipſi, ſua opera licèt in ſe minùs difficilia exerceat.

Incipiens a novissimis] qui minori tempore, ſed maiori feruore & ſpiritu laborarunt. Vide dicta v.1. Quibus adde S.Chryſoſtomum: *Nimia miſericordia,* ait, *ordinem non reſpicit.* Auctor lib. de Spiritu & littera apud S.Auguſtinum cap. 24. *Velut priores,* ait, *reperiuntur hi, qui minùs dilati ſunt.* S. Gregorius: *Plerumque antè remunerantur qui vltimâ ætate vocati ſunt, priùs enim de corpore exeunt ad regnum, quàm qui in pueritia vocati.* Gloſſa: *A nouiſſimis incepit, dum priùs latronem quàm Petrũ in paradiſum introduxit.*

Vers.9. Cvm venissent ergo qvi circa vndecimam horam venerant, accepervnt singvlos denarios] Græcè *ἀνὰ δηνάριον,* id eſt, *ſecundùm denarium,* hoc eſt, *ſinguli denarium.* vt vertit Syrus, Arabicus, Vatablus, & alij: *ἀνὰ* enim ſignificat æquam proportionem, ſiue æqualem diſtributionem mercedis. Porrò denarius hîc in genere erat idem & par, ſed in ſpecie diuerſus & diſpar, vt dixi verſ.1. & hoc videtur ſignificare *τὸ ἀνὰ δηνάριον,* id eſt, iuxta denarium, ſcilicet ſibi competentem & debitum. q.d. Horâ vndecimâ venientes, id eſt, Apoſtoli, & Chriſtiani, vltimâ mundi ætate vocati, acceperunt denarium meliorem & pretioſorem, ſuo labori & merito congruentem & debitum: quia enim ipſi maiori gratiâ, feruore & ſpiritu laborarunt in Eccleſia Dei; hinc meliorem denarium, id eſt, maiorem gloriam acceperunt, ceteriſque Iudæis priùs vocatis, & plus laborantibus prælati ſunt.

Dices: Priùs vocati murmurarunt, eò quòd eumdem denarium cum poſteriùs vocatis acciperent; vnde aiunt, *Pares eos nobis feciſti:* ergo idem denarius planè fuit datus his & illis: ſi enim alius & maior fuiſſet denarius, dixiſſent: *Superiores eos nobis feciſti;* ac longè magis murmuraſſent.

Reſp. Veſpere in tenebris ſolet diſtribui operarijs poſt operas diurna merces, putà denarius: itaq; tum non ſatis dignoſcere potuerunt ſequẽtes, quis & qualis eſſet denarius, qui præcedentibus daretur, ſed tantùm in genere audierunt à procuratore ſingulis dici: Accipite veſtrum denariũ; aut ſi eum viderunt, non ſatis in tenebris diſcreuerunt, quòd ipſi acciperent denarium, id eſt, drachmam in cuprò: priores verò eamdem acciperent in auro: cuprũ enim, pręſertim aurichalcum, rubore & fulgore ſimile eſt auro; vti videre eſt Romæ in medallijs æreis adeò ſplendidis, vt aurea videantur: vnde putarunt eumdem in ſpecie illis dari denarium, qui ſibi dabatur, idque ægrè tulerunt, quòd ſcilicet qui pauciori tempore, imò vnâ horâ dumtaxat, laboraſſent, æquarentur ſibi in mercede, qui toto die laborarant. Quæ omnia parabolicè ſignificant inuidiam Iudæorum erga Gentes; illi enim ægerrimè tulerunt Gentes ſibi æquari in Dei cultu, Eccleſiâ, chriſtianiſmo, gratiâ & gloriâ ſui Meſſiæ ſiue Chriſti: putabant enim hęc omnia ſibi ſolis propriè & ex aſſe deberi, reliquis verò Gentilibus, per quamdã gratuitam tantũ diſpenſationem, eò quòd Meſſias ipſis quaſi ſolis videretur à Deo per Prophetas promiſſus, ac conſequẽter omnia eius dona, & gratiæ. Vnde illa lis & rixæ Iudæorum contra ſanctum Petrum, prædicantem Euangelium ſancto Cornelio Gentili, Actor.10. ac magis ardens & continua contra S.Paulum, vtpote doctorem Gentium, vt patet ex Actis Apoſtolorum, & paſſim ex epiſtolis S.Pauli.

Si ergo quæras, cur Chriſtus nõ dixit expreſsè, quòd horâ vndecimâ venientes, maiorem denarium, id eſt, maiorẽ gloriam reciperent, quàm venientes horâ primâ, ſextâ, nonâ, id eſt, cur maiorem Apoſtoli & Chriſtiani gloriam acceperint, quàm Scribæ & Iudæi?

Reſpondeo, quia Chriſtus hîc id non agebat, ſed tantùm intendebat Iudæis euellere opinionẽ & arrogantiam primatus in regno Dei iam dictam. Vnde contra eam docet quod nouiſſimi erunt primi, & primi nouiſſimi, id eſt, quòd Apoſtoli erunt primi in cælo, Scribæ verò & Iudæi erunt vltimi. Vult enim confirmare ſuum promiſſum Apoſtolis factum, ſcilicet: *Sedebitis vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Sic enim Apoſtoli erunt primi in cælo, vtpote futuri iudices ceterorum: Iudæi verò erunt vltimi, vtpote ab eis iudicandi. Per hoc tamen implicitè ſatis oſtendit, quòd Apoſtoli in æterna vita plus felicitatis & gloriæ conſequentur, quàm Scribæ & Phariſæi: qui enim ſunt primores & iudices in cælo: hi pariter maiores ſunt in felicitate & gloria. Ita Suarez & Maldonatus.

Moraliter S. Chryſoſtomus: *Vndecimâ horâ vocantur,* ait, *qui in ſenectute vocantur. Compoſita eſt ergo hæc parabola, vt eos auidiores faceret, qui in vltima ſenectute conuertuntur, ne exiſtimarent ſe minus aliquid habituros.* Hæc Chryſoſtomus. Scopus enim huius parabolæ eſt, vt per illam oſtendat Chriſtus,

Chriſtus, in præmio cæleſti non haberi rationem antiquitatis tēporis,nec diuturnitatis laboris, ſed maioris gratiæ & feruoris: ideoque præponi eos, qui paruo tempore,ſed feruidè laborarūt, ijs, qui longo, ſed tepidè.

Vers.11. Et accipientes mvrmvrabant adversvs Patrem familias

Vers.12. Dicentes: Hi novissimi vna hora fecervnt, et pares illos nobis fecisti,qvi portavimvs pondvs diei et æstvs] Quid fuerit hoc *murmur*,explicui verſ.1. Quibus adde: *Per murmur*, inquit S. Chryſoſtomus, *ſignificatur mercedis & gloriæ magnitudo, quæ tāta eſt in Apoſtolis, vt ceteri ex Iudæis electi & beati eis inuiderent & murmurarent,ſi inuidia & murmur in Beatos cadere poſſet.* Aliter S.Gregorius: *Quia patres*,ait,*ante Chriſtum non ſunt ducti ad regnum, hoc ipſum murmuraſſe eſt.* Denique S. Chryſoſtomus cenſet hoc murmur eſſe emblema dumtaxat parabolæ, ideoque non applicandum rei per illam ſignificatæ. Inſuper Gloſſa, *Non omnes*, inquit, *murmurabant, ſed quidam; mali ſcilicet, qui bonum,quod inceperant,ad finem non perduxerunt,ideoq́; præmio priuati murmurant.* Et S. Hieronymus: *Iudæi*,inquit,*Gentilibus inuident,& in Euangelij torquentur gratiâ.*

Portavimvs pondvs diei et æstvs] Id eſt,diu ſub onere legis ſudauimus, & longiora carnis tentamenta ſuſtinuimus. Ad hæc Scribæ & Phariſæi plerique ieiunabant bis in ſabbato,decimas omnium dabant Deo, populum docebant,regebant,corrigebant,circuibant mare & aridam,vt facerent vnum proſelytum. Habuerunt ergo laborum pondus,ſed ſæpè inutile.

Vers.13. At ille respondens vni eorvm,dixit: amice, non facio tibi inivriam, nonne ex denario convenisti mecvm?

Vers.14. Tolle qvod tvvm est, et vade: volo avtem et hvic novissimo dare sicvt et tibi.

Vers.15. Avt non licet mihi qvod volo, facere? an ocvlvs tvvs neqvam est, qvia ego bonvs svm?] Præter dicta verſ.1. adde; Græca & Syrus neruoſiùs habent: *An non licet mihi in meis facere quod volo? In meis*, ſcilicet rebus, id eſt, *de meo*, vti interpretatur ſanctus Auguſtinus ſermon. 50. de Verbis Domini. Arabicus, *de bonis meis. Oculus nequam*, eſt oculus liuidus & inuidus. Senſus eſt.q.d. Cùm horâ vndecimâ venientibus feci gratiam,dando eis denarium, tibi non feci iniuriam: *Tolle* ergo *quod tuum eſt,& vade*. Poterat herus reſpondere murmuranti, Horâ vndecimâ venientes maiori gratiâ & feruore laborarunt,pluſque vnâ horâ effecerunt, quàm tu toto die,ideoque plus meriti ſunt, ac primi meliorem denarium acceperunt. Sed non decuit herum ex æquo, & quaſi ex iuſtitia cum ſeruo contendere quin potiùs eius murmur retundere per obtentum ſummi ſui dominij, liberalitatis & gratiæ.

Obijcies: S. Proſper videtur hîc tollere omne meritum, & totum præmium aſſignare Dei gratiæ, Sic enim ait lib.2. de Vocat. Gentium cap.5. vel iuxta aliam editionem cap. 17. *ideò in parabolis, de his qui laborant in vinea, legimus dari idem præmium,eamdemq́; mercedem omnibus operarijs, ſiue multum,ſiue parum laborauerint, vt ij, qui multo labore ſudarunt, nec ampliùs, quàm nouiſſimi acceperunt, intelligant donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem.* Reſpondet Bellarminus lib. 5. de Iuſtificat. cap.6. Conſiderat S. Proſper vitam æternam, vt eſt vna & eadem, ſiue, vt eſt æqualis in omnibus Beatis. Neque enim alius longiùs,alius breuiùs,ſed omnes in æternum viuent. Deus autem hanc vitam æternam donum eſſe gratiæ, nō operum mercedem,eo ſenſu, quo dixit Auguſtinus: Dona ſua coronat Deus,non merita tua, videlicet non eſt in vita æterna merces operum, quæ ſint nobis à nobis,ſed quæ ſunt nobis à gratia Dei, atque vt hoc intelligeretur, ideò voluit Deus vitam æternam tribuere ijs qui multū, & ijs qui parum laborauerāt: ne qui multum laborant,de ſuis viribus extollantur. Vnde Gloſſa Interlinearis ſic explicat,q.d. Gratia & miſericordia eſt,quod vobis,ô Iudęi,coæqualis & concorporalis fiat populus Gentilis,

Tolle qvod tvvm est (tuum denarium) et vade] q.d. Tolle,ô Phariſæe & iudęe, tuas opes,delicias & honores,quos tibi in hac vita dedi,& quos præ vita ęterna ambiuiſti, ijs ergo cōtentus eſto,& abi. Pręter dicta v.1. Remigius ſic explicat: *Tolle quod tuum eſt,& vade*,id eſt, recipe mercedem tuam,& vade in gloriam.

Volo avtem et hvic novissimo (id eſt, Gentili populo) dare (ſecundùm meritum) sicvt et tibi] Origenes verò ſic: *Forſitan autem Adæ dicit: amice: non facio tibi iniuriam: nónne ex denario coueniſti mecum? tolle quod tuum eſt,& vade. Tuum eſt ſalus,quod eſt denarius: volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.* Non incredibiliter poteſt quis arbitrari hunc nouiſſimum eſſe Apoſtolum Paulum, qui vnâ horâ operatus eſt, & ſimiliter omnes,qui ante eum fuerunt. Alij ſic explicant: *Tolle* damnationem tibi ob murmur debitā, & vade in gehennam.

Vers.16. Sup. 19.30. Luc.13.30. Mar.10.31. Inf.22.14.

Sic ervnt novissimi primi, et primi novissimi: mvlti enim svnt vocati, pavci vero electi] Iuxta primum parabolæ ſenſum, quem aſſignaui verſ.1. nouiſſimi futuri in cælo primi, ſunt electi: primi verò futuri in cælo nouiſſimi,ſunt vocati dumtaxat, qui vocationem ſuam non ſunt ſecuti, vel eam deſeruerunt,ideoque ſunt damnati. Hi multi ſunt,ſi cum electis & ſaluandis, qui pauci ſunt, conferantur,Matthæi 7. verſ.14. pauci enim gratiæ & vocationi Dei cooperantur, in eaque vſque ad mortem perſeuerant. Iuxta ſecundum verò ſenſum, quem dedi verſ. 1. poſterior gnome, *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*; diuerſa eſt à prima, *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi*; ac difficile eſt eas inter ſe connectere. Maldonatus ſic connectit: *Ex ſpeciali ſententia*, inquit, *quâ dixit primos fore nouiſſimos, & nouiſſimos primos, nunc generaliùs concluſit,non omnes, qui vocati ſunt,mercedem accepturos, quia plerique vocati venire nolunt.* Sicut capite præcedenti verſ.23. ex occaſione vnius adoleſcentis, qui diuitijs ſuis inhærens, conſilium paupertatis ſequi noluerit, generalem intulit ſententiam,de omnibus diuitibus, & non iam de conſiliorum, ſed de præceptorum obſeruatione concluſit, difficile eſſe diuitem in regnum cælorum intrare. Preſſiùs & neruoſiùs Suarez cenſet eſſe argumentum non ab æquiualenti,ſed à fortiori, q.d. Non miremini primos fore nouiſſimos, & nouiſſimos primos, cùm multi ſint vocati, pauci verò electi, ideoque ceteri omnes damnandi, quod magis mirandum, & horrendum eſt: nam ſi multi ſunt vocati, qui non ſaluantur, quid mirum,quòd multi ſint vocati, qui non ſint in præmio primi, etiamſi aliquid conſequantur.



Porrò *multi*,id eſt omnes,*ſunt vocati*,ad vitam æternam; dicit tamen multi, quia omnes ſunt multi, & quia eos opponit paucis, qui erunt electi. *Viue ergo cum paucis*,ait Caſſianus, *vt cum paucis eligi & inueniri merearis in cælo.* Notum eſt illud: *Loquendum vt multi, ſapiendùm* (imò viuendum) *vt pauci.*

Denique nonnulli ſic exponunt: *multi*,id eſt omnes,*ſunt vocati* ad gratiam,& ad obſeruationē mandatorum, ſed *pauci electi* ad gratiam eximiam, & obſeruationem conſiliorum Euangelicorum.

*Catharini ſententia de duplici prædeſtinatorum ordine.*

Huc accedunt Scholaſtici illi,qui ponūt duos ordines prædeſtinatorum & electorum; vnum communem eorum, qui ex præuiſione meritorum electi ſunt ad gloriam; alterum eorum, qui ad gloriam electi ſunt ante præuiſa merita, quos proinde vocant eximiè prædeſtinatos, illoſque cenſent hîc notari, cùm dicitur, *Pauci verò electi:* Tales enim pauci ſunt; ſcilicet B. Virgo, Apoſtoli & pauci alij,priores verò longè plures ſunt; ideoque de illis dici *multi ſunt vocati*. Ita Gabriel in 1. diſtinct. 41. quæſt. 1. art.2. Ockam ibidem art.1. Catharinus lib.1. de Prædeſt.cap.vlt.& lib. 3.cap.1. & 2. & alij nonnulli. Catharinum acriter impugnant D.Soto in cap.9. ad Roman. Antonius Cordub. lib.11. quæſt.56. & Camerar. in Dial. Cathol. cap. 10. ſed æquo acriùs Catharinum perſtringunt,vti oſtendit Gabriel Vaſquez, 1.part.diſp.90.cap.3. Peccat tamen Catharinus. Primò, quòd taxet S. Auguſtinum. Secundò, quòd illos ſolos, qui ante merita ex merâ Dei gratiâ eximiè electi ſunt, vocet prædeſtinatos, & ad eos arctet illud Pauli ad Roman. 8. *Quos præſciuit,& prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Tertiò, quòd ijſdem eximiè electis imponat neceſſitatem perſeuerandi in gratia, ita vt ab ea liberè excidere non poſſint. Nam ſanctus Paulus, qui ex ijs fuit, ſi quis alius, de ſe dicit: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*, 1. Corinth.9. Poterat ergo ipſe à gratia excidere & reprobari.

Denique Arabicus vertit, *quàm multi ſunt vocati, & pauci electi*; quæ verba ſunt Chriſti quaſi exclamantis, admirantis,& miſerentis multitudinem vocatorum, & paucitatem electorum, ac conſequenter multitudinem reproborum, & damnandorum.

*Hîc finiuntur acta anni tertij prædicationis Chriſti.*

Hîc finiuntur acta anni tertij prædicationis Chriſti; nam paulò poſt hanc parabolam operariorum, Chriſtus à morte ſuſcitauit Lazarum, quæ ſuſcitatio facta eſt in Martio,poſtquam eodem menſe & anno (qui fuit Chriſti 34. & vltimus) Chriſtus crucifixus eſt & mortuus. Igitur ſequentia omnia, quæ narrat Matthæus vſque ad finem Euangelij,contigerunt hoc Martio paulò ante paſſionem Chriſti, vel paulò poſt eam, vti contigit Chriſti reſurrectio & aſcenſio in cęlum. Ita Ianſen. Franc. Lucas & alij. Vide Chronotaxin num.54.& ſequent.

Vers.17. Luc.18.31. Mar.10.32.

Et ascendens Iesvs Hierosolymam assvmpsit dvodecim discipvlos secreto, et ait illis] Hîc fuit vltimus Chriſti aſcenſus, id eſt, vltima profectio Hieroſolymam, quam narrant Matth. hîc, ac Lucas cap.18.31. Marc.c.10.32.& Ioannes c.11. v.54. & ſeq. Ex Ioanne liquet, quòd Chriſtus ſuſcitato Lazaro, fugiens inuidiam & odia Phariſæorum, ſeceſſerit in ciuitatem Ephrem,ex quâ imminente iam Paſchate, quo occiſus eſt à Iudæis, iuxta legem aſcendit Hieroſolymam. Fuit ergo hîc Chriſti aſcenſus paulò ante mortem eius imò aſcendit vt crucem & mortem ſibi in Ieruſalem deſtinatam & paratam, pro redemptione mundi ex decreto Patris capeſſeret, & vltrò quaſi inuaderet. Vide Chronotaxin num.57.

Dvodecim discipvlos] Ergo etiam Iudam, ait Origenes,& fortè hinc Iudas accepit occaſionem prodendi Chriſtum, ex eo quòd Chriſtus prædiceret ſibi moriendum eſſe in Ieruſalem. Certus enim erat Chriſtum verum dicere; ac proinde proditionem eius ex animo ſibi ſucceſſuram ſperabat, nec quidquam poſt mortem Chriſti ab eo ſibi timendum, auaritiâ excæcatus exiſtimabat.

Vers.18. Luc.18.31. Mar.10.33.

Ecce ascendimvs Hierosolymam, et Filivs hominis tradetvr principibvs sacerdotvm; et condemnabvnt evm morte.

Ascendimvs] Id eſt, proficiſcimur & reuera aſcendimus,quia Ieruſalem,ac pręſertim eius arx & templum erat in monte Sion. Rurſum *aſcendimus* ad crucem Hieroſolymæ ſubeundam, iuxta illud: *Ego ſi exaltatus fuero à terra,omnia traham ad me ipſum*,Ioan.12.32. Rurſum dicit: *Ecce aſcendimus*, quia hic eſt ſermo conſtantiæ. q. d. ait S. Chryſoſtomus: *Videte,quia voluntariè vado ad mortem. Cùm ergo videritis me in cruce pendentem, ne æſtimetis me hominem eſſe tantùm: nam etſi poſſe mori hominis eſt, velle tamen mori hominis non eſt.*

Denique *aſcendimus*, quaſi triumphaturi in Capitolio Solymæ & Caluariæ: in cruce enim Chriſtus triumphauit de morte,peccato,diabolo & inferno, vti docet Apoſtolus Coloſſ.2.15.

Filivs hominis tradetvr principibvs sacerdotvm] *Tradidit enim*, ait Rabanus, *Iudas Dominum Iudæis,& ipſi tradiderunt eum Gentibus, id eſt, Pilato,& poteſtati Romanorum. Ideò autem Dominus in mundo noluit proſperari,ſed grauia pati, vt oſtenderet nobis,qui per delectationem cecidimus, cum quâ amaritudine redire debeamus. Vnde ſequitur: Ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

Et condemnabvnt evm morte] *Omnis ſalus hominum*,ait S.Chryſoſtomus,*in Chriſti morte poſita eſt: nec eſt aliquid propter quod magis Deo gratias agere debeamus, quàm propter mortem ipſius. Ideò duodecim Apoſtolis in ſecreto, mortis ſuæ annuntiauit myſterium, quia ſemper pretioſior theſaurus in melioribus vaſis includitur.* Et rurſum: *Tribulatio enim cùm ſuperuenerit expectantibus nobis, leuior inuenitur quàm eſſet futura, ſi repentina veniſſet.*

Vers.19. Luc.18.32.33. Mar.10.33.34.

Et tradent evm Gentibvs ad illvdendvm, et flagellandvm, et crvcifigendvm, et tertia die resvrget] Sæpiùs iam antè Chriſtus prædixerat Apoſtolis ſuam crucem & mortem, ne eâ turbarentur, putarentq́; ipſum non eſſe Meſſiam orbis redemptorem: nunc verò morte inſtante, eamdem prædixit, vt Apoſtolos in fide ſuâ ſuæque paſſionis & reſurrectionis firmaret. Ita S.Hieron. Chryſoſt. & alij.

Ad illvdendvm, et flagellandvm, et crvcifigendvm] Tres enim hæ fuêre primariæ paſſionis Chriſti partes: paſſus enim eſt illuſiones ignominioſiſſimas, flagella atrociſſima, & crucem acerbiſſimam.

Et tertia die resvrget] Hoc eſt mel reſurrectionis, quo conditur fel paſſionis. Vnde S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. quem citat ſanctus Thomas in Catena: *Paſſione*, ait, *oſtendit* (Chriſtus) *quid ſuſtinere pro veritate; reſurrectione, quid ſperare in Trinitate debeamus? vnde dicit: Et tertiâ die reſurget.* Et S. Chryſoſtomus: *Dictum eſt quidem & ad multos, vt cùm triſtia viderint, reſurrectionem expectarent.* Vnde ſubdit: *Et tertiâ die reſurget.* Cauſam dat S. Auguſtinus loco iam citato dicens: *Vna enim mors, ſcilicet Saluatoris, ſecundùm corpus, duabus mortibus noſtri ſaluti fuit; ſcilicet animæ, & corporis, & vna eius reſurrectio duas nobis reſurrectiones præſtitit.* Hæc ex Chryſoſtomo & Auguſtino citat S. Thomas in Catena.

*Crux eſt fornax amoris.*

Moraliter Chriſtus ſuis ſuam paſſionem ſæpè refricat, vt ſuum amorem, quem in ea ſummum eis exhibuit, commendet, vt eum viciſſim redament, ac amorem amori, ſanguinem ſanguini, mortem morti rependant. Crux enim Chriſti, eſt fornax & incendium amoris. Quocirca S. Bernardus ſerm. de Quadruplici debito, *Primò*, inquit, *Chriſto Ieſu debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro tua, & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres.* Addit deinde multa in hanc ſententiam, quæ ſic ad extremum concludit omnia: *Cùm ergo ei donauero quidquid ſum, quidquid poſſum, nonne iſtud eſt ſicut eſt ſtella ad ſolem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum?* Idem S. Bernardus tract. de Diligendo Deo: *Si totum*, ait, *me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facilè refectus quàm factus: nam qui ſemel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, ſed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe; & vbi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? nam etiamſi millies me rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?*

Pro Chriſto ergo probra, calumnias, tormenta, cruces & ignes ſuſtinere non recuſemus, ſed amemus & ambiamus, vt illuſiones illuſionibus, flagella flagellis, crucem cruci, rependamus, imò * reddamus. Ipſius enim eſt vita noſtra, & omne quod ſumus; ipſe enim emit & redemit nos, non auro, ſed diuino ſanguinis ſui pretio.

Eleganter & piè, ſed verè S. Leo ſerm. 8. de Paſſione: *Crux tua* (ô Chriſte) ait, *omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Vers. 20. Mar. 10. 35.

Tvnc accessit ad evm mater filiorvm Zebedæi cvm filiis svis adorans, et petens aliqvid ab eo] Tunc ſcilicet cùm audiſſent à Chriſto inſtare ipſi mortem, & poſt mortem reſurrectionem, poſt quam expectabant regnum Chriſti glorioſum: vnde præoccupant, petuntque, vt ipſi præ ceteris Apoſtolis, in eo primas obtineant. Ita S. Hieronymus, Beda, Euthymius.

Mater filiorvm Zebedæi] Nomine Salome. Ita enim nominat Marcus c. 15. 40. illam, quam Matthæus cap. 27. 56. vocat matrem filiorum Zebedæi. Hæc enim vxor Zebedæi, ex eo genuit Iacobum & Ioannem, quos Chriſtus ſibi adſciuit, & Apoſtolos creauit. *Adorans*, hoc eſt inclinando ſe reuerentiam ei exhibens.

Et petens] Dices, Marcus c. 10. 35. ait non matrem, ſed filios ipſos, id petijſſe à Chriſto. Reſp. Matris petitio ex filiorum petitione proceſſit. Cùm enim ipſi verecundarentur, primas petere à Chriſto, ſubornarunt matrem, vt ipſa id peteret. Quare filij ſunt locuti per os matris, & fortè eius petitioni ſuam quoque adiunxerunt. Ita S. Chryſoſtom. Theophylactus. S. Gregorius homil. 27. in Euang. & S. Auguſtinus libr. 2. de Conſenſu Euang. c. 64. Aliter Maldonatus, qui cenſet matrem ſuo inſtinctu & motu proprio id petijſſe à Chriſto, dici tamen à Marco filios id ipſum poſtulaſſe, quia mater non pro ſe, ſed pro filijs id poſtulabat. Fauet S. Hilarius & S. Ambroſius, de quo mox.

Aliqvid] In genere & in confuſo; ſcilicet dicentes, vt habet Marcus: *Magiſter volumus, vt quodcumque petierimus facias nobis.* Timebant enim ne ſi ſuam primatus ambitionem exprimerent, Chriſtus eam abnueret illico & refutaret. Volunt ergo priùs vniuerſali petitione concedendi ea quæ petierint, ligare Chriſtum, vt deinde cùm particulatim illam expriment, Chriſtus eam negare non poſſit. Hic eſt mos feminarũ dum ſuos femineos appetitus, quos ardenter concupiſcunt, hâc arte impetrare ſatagunt. Sic Bethſabee 3. Reg. 2. 20. petitura à Salomone filio ſuo, Abiſag dari vxorem Adoniæ, præmiſit, dicens: *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam.* Annuit Salomon, ſed mox vt ipſa illam expreſſit, abnuit, dicens: *Poſtula ei & regnum.* Aſtutè enim Adonias poſtulabat Abiſag, quæ vxor fuerat Dauidis, dari ſibi vxorem, vt per eam quaſi reginam inuaderet regnum, ſeque regem faceret excluſo Salomone.

Vers. 21. Mar. 10. v. 36. 37.

Qvi dixit ei: Qvid vis?] Prudenter Chriſtus generalem petitionem abnuit, & vult vt particulatim eam exprimat, ne ineptum vel ſe indignum quid petat, quod eam facturam præſciebat, vt nos idem facere doceat. Memorabile eſt quod de S. Pulcheria ſcribit Nicephorus, & ex eo Baronius anno Chriſti 446. ſub finem; ſcilicet illã, vt periculoſam Theodoſij Imperatoris fratris ſui oſcitantiam, quâ paſſim libellis ſupplicibus etiam non lectis ſubſcribebat, falſo ioco caſtigaret, porrexiſſe Theodoſio libellum ſupplicem, in quo aſſerebat Eudoxiam, vxorem Theodoſij à ſe emptam, dummodo ipſe emptionem probaret; ſubſcripſit libello non lecto, more ſuo, Theodoſius; mox illa Eudoxiam ad ſe vocauit, & diutiùs detinuit. Reuocante vxorem Theodoſio, reſpondit Pulcheria, illam à ſe emptam, ipſumque emptionem probaſſe, ac ſimul ei ſubmiſit libellum, hâc de re ab eo ſubſcriptum: quem legens Theodoſius erubuit, & ſuam nimiam ſubſcribendi facilitatem damnauit.

*S. Pulcheria prudentia.*

Ait illi: Dic (præcipe, ſtatue, ordina, decerne) vt sedeant hi dvo filii mei, vnvs ad dexteram tvam, et vnvs ad sinistram, in regno tvo] Occaſionem huius petitionis ſagaciter hanc dat S. Chryſoſtomus: *Volebant*, inquit, *vt ego conijcio, quoniam ſuper duodecim ſedes ſeſſuros diſcipulos audierunt, primatum huius conſeſſus impetrare, & præponi quidem ſe ceteris*



*teris præterquam Petro ſciebant, Petrum verò ſibi præferri formidantes, dicere auſi ſunt; Dic vt vnus à dextris, alter à ſiniſtris ſedeat; ita vrgebant dicentes Dic,* vt quaſi primores regni tui vtrumque tuum latus, vtramque tuam aurem, adeoq; te totum occupent, nec quis ad te niſi per eos accedere, aut aliquid à te petere poſſit, vti nonnulli hodie (& omni æuo) aures & animos regum principumque occupant, vt nil niſi per eos ab illis obtineri poſſit. Hi regum ſunt reges, imò pædagogi. Tritum eſt illud Caroli Martelli, aui Caroli Magni, qui oblato ſibi Franciæ regno reſpondit; *nolle ſe regem eſſe, ſed velle regibus imperare.* Diſce hîc quàm audax, cæca & inſatiabilis ſit ambitio, & ambitioſa petitio; ad quam duos hoſce Apoſtolos incitauit, quòd ipſi ſe ceteris Apoſtolis, à Chriſto antepoſitos vidiſſent in transfiguratione, quæ erat quaſi inchoatio regni Chriſti. Matth. 17. 1. æquè ac in ſuſcitatione filiæ Iairi, Lucæ 8. 51.

*Caroli Martelli dictum.*

*Excuſanda mater filiorum Zebedæi.*

Sed excuſanda eſt mater, quòd iure cognationis à Chriſto cognato ſuo, id poſtulet pro filijs, quos vt ſe, imò pluſquam ſe diligebat. Ita S. Hieronymus: *Poſtulat*, inquit, *mater errore muliebri, & pietatis affectu, neſciens quid peteret.* Et pleniùs ſanctus Ambroſius lib. 5. de Fide cap. 2. *Conſiderabat* (Chriſtus) inquit, *matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandæuam ſolabatur ſenectam, & deſiderijs licet feſſa maternis, chariſſimorum pignorum tolerabat abſentiam. Conſiderate etiam feminam, hoc eſt ſexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmauerat paſſione. Conſiderate inquam Euæ illius primæ mulieris heredem, transfuſâ in omnes immoderatæ cupiditatis ſucceſſione labentem, quam Dominus adhuc proprio ſanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium, immodici contra fas honoris appetentiam, ſuo Chriſtus cruore diluerat. Hereditario igitur mulier delinquebat errore.*

Simili ratione filios eius excuſat S. Chryſoſtomus: *Non turbetur*, ait, *quiſquam, ſi adeò imperfectos dicimus Apoſtolos fuiſſe: nondum enim myſterium crucis erat conſummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipſorum infuſa. Quare ſi ſtudia virtutis ipſorum diſcere cupis, quales poſt datam gratiam Spiritus fuerint conſidera, & videbis omnem ab illis turbationem animi fuiſſe ſuperatam. Hac enim de cauſa eorum modò imperfectio reuelatur, vt apertè percipere poſſis, quales ſubitò per gratiam effecti fuerint.*

Vers. 22. Mar. 10. v. 38. 39.

Respondens avtem Iesvs, dixit, Nescitis qvid petatis] Græcè αἰτεῖσθε, id eſt, *petitis.* Ecce hîc Chriſtus reſpondet non matri, ſed filijs, quia ſciebat filios in matre, & per matrem locutos. *Neſcitis quid petatis*, quia ſcilicet neſcitis Primò, quale ſit regnum meum, ſcilicet ſpirituale & cæleſte, non carnale & terrenum, in quo ſit pompa regalis throni, Aſſeſſorum principum, famulorum, &c. vti vos putatis. Secundò, quia petitis triumphum ante victoriam. *Regnum* enim *cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. 11. Ita auctor Imperfecti. Tertiò, quia vos exiſtimatis, regnum hoc petentibus iure ſanguinis dari, cùm non detur niſi merentibus, & certantibus. Hoc pariter exemplo Chriſti, reſpondeant Epiſcopi & principes ſuis amicis, ſeruis, filijs, & feminis importunis, dum ab eis petunt præbendas, dignitates & officia, ad quæ minùs ſunt apti: *Neſcitis quid petatis.* Præbendæ & officia mea, non ſunt mea, vt ſcilicet ex libidine ea dare poſſim cognatis, vel ſeruis quia ſic volo: diſpenſator eorum ſum, non dominus, Deus rigidam diſpenſationis à me rationem repoſcet, an dignis ea contulerim. Grauis enim eſt iniuria Chriſti, Eccleſiæ, reipubl. & dignorum, ac multorum malorum cauſa, ſi officia & beneficia, ob conſanguinitatem vel amicitiam dentur indignis, vel minùs dignis. Agrippina mater Neronis, ait Cornelius Tacitus, ambiens imperium Neroni, conſuluit hâc de re Chaldæos, ſiue aſtrologos; reſponderunt illi: *Imperabit Nero, ſed matrem occidet*; tum illa: *Occidat*, ait, *dum imperet.* Quàm veſana ambitio! ſed luit eam mater; nam à Nerone occiſa eſt. Sic ambitioſi indigni, ambientes beneficia, ſibi ambiunt veneficia, quia illa eis cauſa ſunt damnationis & gehennæ.

*Beneficia non cognatis, ſed dignis danda.*

*Agrippinæ matris Neronis ambitio.*

Et quid quæſo eſt cognatio, niſi externa relatio, quòd filij vel nepotis caro deciſa ſit ex tua? Quid ad me quòd tunica mea ex eodem panno deciſa ſit, ex quo tua?

*In templum Honoris nõ patebat aditus niſi per templũ Virtutis.*

Romæ, teſte Liuio, templum erat Honori poſitum, ſed poſt templũ Virtutis, vt in illud Honoris non pateret ingreſſus niſi per templum Virtutis, vt docerent nemini patêre aditum ad honores niſi per virtutes, quas ſolas priſci Romani ſpectabant; ideoque imperium tam amplum, diues & magnificum obtinuerunt, donec per poſticum ædificato ibidem profano ambitionis & largitionis fano, multi per illud ad honores euaſêrunt; itaque ſeditionibus rempubl. æquè ac ſeipſos perdiderunt.

*Neſcitis quid petatis.* *Primò.*

Nescitis qvid petatis] Arabicus, *quid vultis, quid petitis?* q. d. Neſcitis quid velitis & petatis, idque Primò, & planè ad litteram, quia putatis meum regnum eſſe terrenum & pompoſum, quale fuit Dauidis & Salomonis, cuius ego ſum filius & heres, cum illud ſit ſpirituale & cæleſte. Ita S. Chryſoſtomus: *Hoc dicit*, ait, *oſtendens quòd nihil ſpirituale petebant.* Et Theophylactus: *Non eſt*, inquit, *hoc quod creditis, quòd ſim temporaliter in Ieruſalem regnaturus, ſed omnia hæc quæ ad regnum pertinent ſupra intellectum ſunt.* Sic & Abulenſis qu. 71. Secundò alij, quia, inquiunt, petebant id quod eis datum iam & promiſſum erat, ſcilicet aſſidere Chriſto & cum eo iudicare duodecim tribus Iſrael. Ita S. Hilarius, *Neſciunt*, ait, *quid petant, quia nihil de gloria Apoſtolorum ambigendum erat, iudicaturos enim eos ſuperior ſermo expoſuit.* Sed inter duodecim hoſce thronos, ipſi videntur petijſſe primos, & Chriſto vicinos, qui necdum eis ſpeciatim à Chriſto promiſſi erant. Tertiò, quia petebant id quod ſuperabat eorum dotes & merita. *Nam ſedere ad dextram tam magnum eſt, vt ſuperexcedat ſuperiores virtutes*, ait, ex Chryſoſtomo & Theophylact. Beda: *Neſciunt*, ait, *quid petant, qui ſedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirunt*, primæ enim in cælo debentur ijs, qui maioris, imò maximi ſunt meriti. Quartò, quia incõgruo tempore id petebãt, imminente ſcilicet paſſione Chriſti, quando lugendum erat. Ita Chryſoſtomus: *Vos*, inquit, *de honore loquimini: ego verò de agonibus & ſudoribus diſputo, non eſt enim hoc præmiorũ tempus, ſed occiſionis, præliorum & periculorum.* Quintò, quia petunt id quod contrarium erat eorum vocationi & profeſſioni. Vocati enim erant à Chriſto, ad ſequendam eius paupertatẽ, humilitatem & crucẽ, non ad ambiendos honores. Sextò, quia priùs petere

*Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.* *Sextò.*

petere debebant crucis labores, per quos mererentur honores. Vnde Chriſtus id eis oſtendens ſubdit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?*

*Septimò.* Septimò, quia petunt ſedere ad ſiniſtram, æquè ac ad dexteram. Siniſtra autem in malam partem accipitur. Nam ad ſiniſtram Chriſti ſtabunt in iudicio damnati. q. d. ait Chryſoſtomus: *Ego vos vocaui ad partem dexteram, & vos veſtro conſilio de dextera curritis ad ſiniſtram*; ſed hoc myſticum eſt & ſymbolicum. Ex his germaniores ſenſus ſunt, primus, tertius & ſextus: neſciebant enim hoc regnum ſpirituale eſſe, non carnale; nec carni & ſanguini dari, ſed virtuti; nec precibus, ſed meritis illud obtineri.

*Paſſio eſt calix: cur?* POTESTIS BIBERE CALICEM, QVEM EGO BIBITVRVS SVM? ] q.d. Per paſſionem & crucem mihi tendendum eſt ad regnum; ergo & vobis illud ambientibus eadem calcanda eſt via. Audi S. Bernardum ſerm. 11. ex paruis. *Ipſe*, inquit (Chriſtus) *tamquam pius & laudabilis medicus priùs bibit potionem quam parabat ſuis, id eſt, paſſionem & mortem ſuſtinuit, & ſic ſanitatem immortalitatis accepit & impaſſibilitatis, docens ſuos vt cōfidenter biberent potionem, quæ generat ſanitatem & vitam.* Per catachreſim Chriſtus paſſionem ſuam vocat calicem: cauſam hanc dat S. Chryſoſtomus, Euthymius, & Theophylactus quòd Chriſtus tam libenter & auidè paſſionem ſubierit, ac ſi ſitiens vini calicem epotaſſet. Verùm quia Chriſtus ait, *poteſtis bibere*, non autem, deſideratis bibere; hinc meliùs hæc generatim accipias. Pro quo Nota, calicem paſſim in Script. æquè ac apud profanos, ſignificare cuiuſque hominis ſortem, ſiue bonam, ſiue malam, quæ ei à Deo decernitur, & immittitur, ac quaſi propinatur. Ducta eſt hæc metaphora à veteri conuiuantium ritu, quo Sympoſiarcha ſiue conuiuij præfectus, vinum pro ſuo arbitrio & prudentiâ temperabat, ac cuique ſuam portionē, quam exhaurire deberet, ſtatuebat, vti oſtendi Eccli. 32. v. 1. fortè etiam, ait Maldonatus, alludit ad calicem veneni, qui nonnullis ad mortem damnatis dabatur, vti datus eſt Socrati ab Athenienſibus, eò quòd vnum Deum colendum diceret, pluribus dijs excluſis.

Præclarè S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 6. ad Tibarit. per calicem accipiens martyrium, *Grauior*, ait, *& ferocior pugna nunc imminet* (quia S. Cyprianus ex Dei reuelatione didicerat inſtare perſecutionem Valeriani & Galieni Imper. in qua ipſe martyrij lauream obtinuit) *ad quam virtute robuſta parare ſe debent milites Chriſti, conſiderantes idcirco ſe quotidie calicem* (quia tunc communicabant quotidie, idque ſub vtraque ſpecie, panis & vini) *ſanguinis Chriſti bibere, vt poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Quocirca S. Chryſoſtomus ſolerter notat: *Reſpice*, inquit, *qualiter ipſo interrogationis modo, & hortatur & allicit. Non enim dixit: Poteſtiſne veſtrum effundere ſanguinem? Sed, Quonam pacto poteſtis bibere calicem? Deinde alliciens inquit: Quem ego bibiturus ſum, vt communicatione laborum cum ipſo promptiores redderentur.* Hinc S. Ioannes

*Cur S. Ioānes Euang. pingatur cum calice?* pingi ſolet cum calice; & quia ipſe calicem veneni abſque damno hauſit, vti teſtatur S. Iſidorus de Patribus noui Teſtam. cap. 74. & ſanctus Auguſtinus in Soliloq. c. 22. *Pro tua dulcedine guſtanda*, inquit, *veneni poculum intrepidus Ioannes potauit.* Idem teſtatur Aldhelmus Occidentalium Saxonum Epiſcopus, lib. de Laudibus virgin. cap. 11. Vnde & in feſto S. Ioannis ſolebat fieri benedictio vini contra venenum, vti teſtatur Albertus Caſtellanus in Sacerdotali Romano.

Nota. Græca hîc & Marci cap. 10. 38. addunt: *Aut baptiſmo quo ego baptizor, baptizari?* Arabicus hîc, *& tinctura qua tingar tingemini?* hæc tinctura fuit ſanguinis, qua purpuratus eſt Chriſtus. Vbi Chriſtum ſuam paſſionem, quam priùs vocauit calicem, aliâ metaphorâ vocat Baptiſmum, quia in illam totus immerſus & ſubmerſus, id eſt, mortuus eſt. Hoc enim propriè eſt baptizari. Addunt Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Chriſtum paſſionem ſuam vocaſſe Baptiſmum, eò quòd nos per illam abluerit, purificarit & ſanctificarit: vti fit in Baptiſmo.

DICVNT EI: POSSVMVS] Videntur Ioannes & Iacobus intellexiſſe ſignificationem calicis; ſcilicet per illum intelligi paſſionem, & tamen vti ambitioſè petierunt primatum, ita temerè reſpondent, ſe calicem hunc poſſe bibere, cùm reuerà id necdum poſſent; ſed poſteà potuerint per gratiam Chriſti receptam à Spiritu ſancto in Pentecoſte. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Ianſenius, & alij: licet Maldonatus, Poſſumus, ait, id eſt, volumus, & parati ſumus pro te mortem oppetere, idque ſatis eſt appoſitum, & probabile. Sic *poſſe* ſubinde ſumitur pro velle, præſertim vbi res eſt ardua, quæ magno voluntatis conatu & robore indiget. Vnde illud cap. 19. 12. *Qui poteſt* (id eſt, qui vult) *capere, capiat* conſilium cælibatus.

AIT ILLIS: CALICEM QVIDEM MEVM BIBETIS (Addunt Græca: *Et baptiſmo, quo ego baptizor, baptizamini*; & Arabicus, *& tincturâ meâ tingemini*) SEDERE AVTEM AD DEXTERAM MEAM, VEL SINISTRAM, NON EST MEVM DARE VOBIS, SED QVIBVS PARATVM EST A PATRE MEO] Eſt hoc oraculum Chriſti, de Iacobi & Ioannis paſſione & martyrio. S. Iacobus enim feruentiùs ceteris Apoſtolis prædicans Chriſtum, primus pro eo martyr occubuit, gladio percuſſus ab Herode; Actor. 12. Ioannes item hunc calicem bibit, cùm Romæ ante portam Latinam à Domitiano in dolium feruentis olei immiſſus, vegetior inde exiuit, & nouo virtutis miraculo martyr in vita, non moriens, ſed viuens extitit, indeque ad ſuſcipiendam coronam Chriſti athleta proceſſit, ait S. Hieronymus. Et Tertullianus l. de Præſcript. cap. 36. *Habes*, inquit, *Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſtò eſt. Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt; vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus, in inſulam relegatur.* — *Vers. 23.* — *S. Ioannes martyr.*

Rurſum S. Ioannem propriè bibiſſe calicem veneni (vnde & cum calice hoc pingi ſolet) ſibi ab impijs propinatum, ſed ſine noxa, docet non tantùm Prochorus eius diſcipulus, in Ioannis Vita (cuius fides meritò Baronio & viris doctis de fictione eſt ſuſpecta;) ſed etiam ſanctus Iſidorus in libr. de Patribus noui Teſtamenti. Denique tota Ioannis vita continua fuit paſſio, & continuum martyrium. Vixit enim ipſe diutiſſimè, poſt omnes Apoſtolos vſque ad annum Domini 101. ac 68. poſt mortem Chriſti anno, vita functus eſt, quæ ſanè dilatio & abſentia tam





longa à Chriſto dilecto ſuo, ad quem aſſiduè ſuſpirabat, prolixum illi æquè ac B. Virgini, cui in filium in cruce à Chriſto datus erat, fuit martyrium.

Porrò S. Ioannes ſingulare martyrium obijt, dum cum B. Virgine in monte Caluariæ aſtans Chriſto crucifixo, vidit vitam ſuam, id eſt, Chriſtum, quem pluſquam vitam ſuam amabat, acerbiſſimos crucis dolores, per tres continuas horas pati; ibique quaſi lento cruciatus igne aſſari. Hi enim claui & dolores medullitus animum eius penetrabant, magiſque cruciabant, quàm ſi ferro ſectum fuiſſet eius corpus, adeoque doloribus hiſce fuiſſet exanimatus, niſi Chriſtus quaſi per miraculum eum in vita ſeruaſſet.

SEDERE AVTEM AD DEXTERAM MEAM, VEL SINISTRAM, NON EST MEVM DARE VOBIS] Arriani cenſebant, hîc dici hoc dare non eſſe Chriſti, ſed paternæ poteſtatis, ac proinde Chriſtum non eſſe ὁμούσιον Patri; ſed errant. Chriſtus enim hîc ponit antitheſin, non inter ſe & Patrem, ſed inter Iacobum & Ioannem ambitioſè petentes primatum in regno Chriſti, & eos quibus primatus hîc iure debetur. Vis enim argumenti eſt in τῷ *vobis*, quod licèt non legant Græci, Syrus & Arabicus, legunt tamen Romani & Latini. q.d. Non vobis petentibus, ſed certantibus & merentibus hoc regnum debetur. Vnde Remigius: *Non eſt meum*, ait, *dare vobis, id eſt, ſuperbis, quales vos eſtis; ſed humilibus.* Et Beda: *Non eſt meum dare vobis, id eſt, ſuperbis. Hoc enim adhuc erant: ſed alijs paratum eſt. Et vos alij eſtote, id eſt, humiles, & vobis paratum eſt.* Rurſum non eſt meum dare vobis, eo modo quo vos petitis, ſcilicet, vt detur vobis tamquam cognatis meis, quà homo ſum; cùm Deus illud parauerit alijs, ſcilicet merentibus. q. d. Cælum dare non eſt poteſtatis humanæ, ſed diuinæ. Ita ſanctus Auguſtinus lib. 1. de Trinit. c. 1. & Abulenſ. quæſt. 80. Datur enim illud non perſonæ, ſed vitæ, ait S. Hieronymus, non ex fauore, ſed ex merito.

Nota. Chriſtus non annuit expreſsè quod hi duo petunt, ne ceteros Apoſtolos quaſi excludendo iritet; nec etiam abnuit, ne hos duos contriſtet. Ita S. Hieronymus: *Non dixit*, ait, *Non ſedebitis, ne duos confunderet; neque etiam dixit, Sedebitis, ne ceteros iritaret*; ſed omnibus oſtendendo brauiū, omnes ad certandum pro eo animauit. Simile eſt, ait Theophylact. in cap. 10. Marci, ſi iuſtus rex agoni à ſe inſtituto præſidens, accedentibus cognatis & amicis, dicentibuſque: Da nobis brauium, & coronam; iure meritoque reſponderet: Non eſt meum vobis dare brauium, ſed quibus illud paratum & decretum eſt, ſcilicet in agone certantibus & vincentibus. Audi S. Ambroſium lib. 5. de Fide cap. 2. *Non dixit*, inquit, *Non eſt meū dare: ſed, non eſt meum dare vobis: non ſibi poteſtatem deeſſe aſſerens, ſed meritum creaturis. Accipe aliter: Non eſt meum dare vobis, quod eſt, non eſt meum, qui veni humilitatem docere: non eſt meum, qui veni non miniſtrari, ſed miniſtrare: non eſt meum, qui iuſtitiam ſeruo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit: Quibus paratum eſt, vt oſtenderet Patrem quoque, non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis, quia Deus perſonarum acceptor non eſt.*

Porrò Chriſti quoque eſſe dare hoc regnum, patet diſertè Lucæ 22. v. 29. *Et ego diſpono*, inquit, *vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Chriſtus tamen hîc dicit, id potiùs eſſe Patris, tum quia Chriſtus, vt homo, ſemper ſe Patri ſubijcit, & omnia in ipſum reſignat, ipſique accepta refert: tum vt honeſto titulo à ſe repellat hoſce ambitioſè primatum petentes, eoſque ad Patrem amandet, vt ſub eo ſe humilient, & verecundentur id petere; tum denique quia ſicut ſapientia & opera ſapientiæ appropriantur Filio, & opera bonitatis Spiritui ſancto: ſic opera potentiæ & prouidentiæ, cuius pars eſt prædeſtinatio ad regnum cælorum, appropriantur Patri.

SED QVIBVS PARATVM EST A PATRE MEO] Arabicus, *ſed, qui præparauit eis, Patris mei cæleſtis.* Ita habet Latinus interpres Arabici Romæ impreſſus; ſed perperam, vertendum enim eſt: *Sed quibus ſplendidè præparauit eis Pater meus cæleſtis.* Arcta eſt hîc expoſitio Euthymij, qui τὸ *quibus* exponens, hoc eſt, inquit, DD. Petro & Paulo. Arctior eſt S. Hilarij: *Quibus*, inquit, hoc eſt, Moyſi & Eliæ: putat enim alludi ad transfigurationem, in qua Moyſes & Elias viderunt gloriam regnantis Chriſti; eiuſque fuêre participes. Arctiſſima eſt ſancti Chryſoſtomi, qui τὸ *quibus* exponit *nullis*: Quia nemo, inquit, poteſt aſſurgere ad dexteram Chriſti, vtpotè qui ſolus ſedet ad dexteram Dei Patris. Verùm hæc nimis arcta ſunt: Chriſtus enim generatim loquitur de omnibus ad regnum cæleſte, eiuſque culmen electis. *Quibus* ergo, ſcilicet ſummè certantibus, & vincentibus: his enim à Deo paratum eſt, & decretum ab æterno hoc regni culmen. Quare per dextram & ſiniſtram non ſitum aut poſitionem ad dexteram & ſiniſtram, ſed præeminentiam in regno, quam Ioannes & Iacobus ratione cognationis & familiaritatis cum Chriſto ambiebant, intelligit. q.d. Vultis primas tenere in regno meo cæleſti, primas ergo hîc mecum tenete in humilitate, charitate, patientiâ, & zelo euangelizandi: maioribus enim & heroicis virtutibus, maior debetur gloria & primatus in cælo: qui enim primi ſunt in meritis, hi primi erunt in præmijs. Simili modo Abbas Athanaſius raptus in cælum, audiuit choros laudantium Deum, cumque vellet ad eos ingredi, audiuit: *Nemo huc ingreditur negligens, abite, certate & contemnite vanitates ſæculi.* Ita Ioannes Moſchus in Prato Spirit. cap. 130. & ſanctus Furſeus apud Bedam lib. 3. Hiſtor. Angl. cap. 19. raptus in cælum audiuit angelos & Beatos concinentes: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Proficiamus ergo de virtute in virtutem, & ſcandemus de gloria ad gloriam; ab angelis ad Cherubim & Seraphim, ab imo ad primum & ſummum regni ſolium. — *Athanaſius Abbas.*

ET AVDIENTES DECEM INDIGNATI SVNT DE DVOBVS FRATRIBVS] Arabicus, *murmurauerunt contra duos fratres.* Quæres, ex quo, & vnde duorum fratrum petitionem audierint ceteri Apoſtoli? Primò, putant aliqui ipſos fuiſſe præſentes, & audiuiſſe matrem petentem primas pro filijs à Chriſto. Secundò, Abulenſis cenſet aliquem, qui præſens matrem petentem audijt, eius petitionē nunciaſſe Apoſtolis. Verùm planè veriſimile eſt matrem ſecretò id petijſſe à Chriſto, ne filijs verecundiam & ceteris inuidiam con- — *Vers. 24. Mar. 10. 41.* — *Vnde duorū fratrum petitionem audierint ceteri Apoſtoli.*

citaret. Tertiò, ergo veriſimiliùs Franc. Lucas: *Priuatim*, inquit, loquebantur Chriſto mater cum filijs; ſed Ieſus ita reſpondit, vt ceteri & quid diceret, audirent, & ex reſponſo, quid duo illi peterent, intelligerent. Cùm enim ſciret vno & eodem ambitionis morbo omnes ipſos laborare, voluit ipſis ſimul omnibus mederi, vnumque reſponſum ſimul omnibus ſeruire. Adde, ipſos, cùm eâdem cupiditate laborarent, odoratos fuiſſe cupiditatem duorum. Quod enim quilque cupit & ambit, hoc alios, cupere & ambire æſtimat: ex ſe enim ſuoque affectu ceteros metitur. Et eſt quædam occulta in his ſympathia, qua vt vulgò dicitur, fur furem, lupus lupum, ambitioſus ambitioſum, ex habitu, vultu & geſtu agnoſcit.

Indignati svnt] Non tam vitio & ambitioni Iacobi & Ioannis, quam quòd per eam metuerent eis poſtponi: ambiebant enim & ipſi primas in regno Chriſti: ſic indignantur, rixantur & ringunt canes aliàs amici, dum idem os rodere ſatagunt, iuxta illud:

*Dum canis os rodit, ſocium, quem diligit, odit.*

*Ambitio rempublicam Romanam perdidit.*

Et illud: *Figulus figulo inuidet, & faber fabro.* Viuum huius rei exemplum eſt in Pompeio & Iulio Cæſare, qui ſuâ imperij Romani ambitione rempublicam, & ſeipſos perdiderunt, de quibus Lucanus lib. 1. Pharſal.

*Nec quemquam iam ferre poteſt, Cæſarue priorem,*
*Pompeiuſue parem.*

Nimirum ambitio parit inuidiam, inuidia iram & indignationem in eum, qui eumdem honorem ambit, ne eum ſibi præripiat. Hîc verum eſt illud S. Iob cap. 5. 2. *Paruulum occidit inuidia*: vbi ſanctus Gregorius 5. Moral. c. vlt. *Cùm deuictum,*

*Inuidiæ damna.*

ait, *cor liuoris putredo corrumpit, ipſa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum veſania inſtigat: color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigeſcunt. Fit in cogitatione rabies, & in dentibus ſtridor, &c. Et quamuis per omne vitium quod perpetratur, antiqui hoſtis virus infunditur, in hac tamen nequitia, tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtem vomit.*

*Remedia.*

Porrò efficax inuidiæ remedium ſuggerit ſanctus Baſilius hom. de Inuidia: *Quid ergo faciendum, vt hanc animi peſtem inuidiam ab initio minimè patiamur, aut ab eâ liberemur? Primùm quidem, vt nihil rerum humanarum magnum, aut ſupra naturam æſtimemus, non opes, non gloriam.* Et inferiùs: *Omninò autem, qui res humanas rationi ſubiecerit, & ad veram pulchritudinē laudemq; ſe conuerterit, multùm abſuerit ab eo, vt in rebus humanis quemquam putet eſſe felicem, vel æmulandum; & qui ita fuerit animatus, vt nihil vſquam humanum admiretur, huic procul dubio dominari inuidia nullo modo poterit.*

Vers. 25. Mar. 10. 42. Iesvs avtem vocavit eos ad se, et ait: Scitis, qvia principes gentivm dominantvr eorvm] Id eſt, earum, vel eis, ſcilicet gentibus. Eſt antiptoſis. Reſpexit Interpres hîc vti & aliàs ad Græcum ἔθνος, id eſt, gens, quod eſt generis neutri.

Nota. Chriſtus hîc non culpat, nec vetat auctoritatem & poteſtatem ciuilem vel Eccleſiaſticam, quam habent Principes & Epiſcopi, vt volunt Anabaptiſtæ: hæc enim in omni republica ad regimen politicum eſt neceſſaria, ideoque ſancita iure naturæ, diuino & humano; ſed tantùm taxat ambitionem, & ex eâ ſequentem tyrannidem, quam in ſuos exercere ſolebant.

Principes gentivm] Vnde græcè eſt, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, id eſt, *dominantur in eas*, vel contra eas; Syrus, *domini ſunt eorum*; Arab. *dominantur eas*, id eſt, imperioſè dominantur ſubditis; quaſi domini mancipijs, eos calcando & proterendo. Tyrannis enim non ſubditorum, ſed ſui ipſius bono & honori in regendo conſulit; adeoque ſubditis quaſi ſeruis abutitur: veri principes verò ſubditis conſulunt potiùs, quam ſibi: quare magis miniſtri ſunt reipublicæ, quàm domini, vti docet Ariſtot. in Polit. Hinc Antigonus rex Macedonum, conſpiciens filium inſolentiùs regentem ſubditos: *An ignoras*, ait, *fili regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſeruitutem?* Ita Plutarchus in eius vita.

*Antigoni regis Macedonum dictum.*

Et qvi maiores svnt, potestatem exercent in eos] In eas, ſcilicet gentes græcè καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, id eſt, & magni imperioſâ poteſtate vtuntur in eas, vel, & magni auctoritatem licenter exercent aduerſus illas, atque ambitioſè eis imperant.

Non ita erit inter vos, sed qvicvmqve volverit inter vos maior fieri, sit vester minister: et qvi volverit inter vos primvs esse, erit vester servvs] Arabicus, *ſit vobis miniſter & ſeruus.* Vulgatæ conſentiunt Syrus, Ægyptius, Perſicus & Æthiopicus. Hæc non eſt pœna ambientis primatum, quaſi iubeat eum deijci & relegari ad miniſterium, fierique omnium miniſtrum & ſeruum; ſed eſt ſanctio, quâ præcipit eum qui quaſi maior in Apoſtolatu, Epiſcopatu, Prælaturâ alijs præfertur, modeſtè ſe gerere & humiliare, vt ſubditis non imperioſè dominetur, ſed demiſsè obſequatur, eorumque ſaluti & commodis conſulat, itaque ſe gerat, vt eorum potiùs videatur eſſe miniſter & ſeruus, quàm dominus. Rurſum hiſce verbis docet Chriſtus, non tam quâ viâ & ratione perueniendum ſit ad primatum Eccleſiæ, quàm quomodo primus vel primas Eccleſiæ, in eâ ſe gerere debeat; ſcilicet vt omnium minimum, ac conſequenter per hanc humilitatem, deterret Apoſtolos à contraria illi ambitione primatus. Hunc eſſe ſenſum liquet, ex eo quòd hoc verſu ſit antitheſis cum præcedentibus. Opponit enim modeſtum, beneuolum, & ſalutiferum ſuum regimen, imperioſo & tyrannico imperio Gentilium. Vide S. Gregorium 2. part. Paſtor. cap. 6. vbi pulchrè docet, quomodo Prælatus auctoritatem cum modeſtiâ copulare, ac contra præfractos imperio, erga obedientes comitate vti debeat: *Sit*, inquit, *rector, benè agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus*, &c.

Vers. 26. Mar. 10. 43. 44.

Simul tamen his verbis oſtendit Chriſtus quâ viâ ad cælum eiuſque culmen, vt ad dexteram & ſiniſtram Chriſti ſedeamus (quod ambiebant Ioannes & Iacobus, ceterique Apoſtoli) tendere debeamus; nimirum via humilitatis: qui enim hîc minimi ſunt & humillimi, hi maximi & celſiſſimi erunt in cælo, vti docuit Chriſtus cap. 18. 4.

Ex hâc Chriſti ſanctione, ſummus Pontifex hunc titulum præfert, *Seruus ſeruorum Chriſti.* Hoc eſt quod Chriſti vicarius ſanctus Petrus, verbis & factis docuit Eccleſiæ paſtores, dicens epiſt. 1. cap. 5. v. 2. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei*, &c.

*neque*



*neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Vbi plura hâc de re dixi. Hæc eſt reſpub. Eccleſiæ, hoc regimen Chriſtianum à Chriſto hîc inſtitutum, ac Gentium tyrannidi contrapoſitum.

*S. Franciſcus Prælatos Ordinis ſui voluit vocari miniſtros.*

Ex hoc pariter Chriſti inſtituto, S. Franciſcus, inquit S. Bonauentura cap. 6. Vitæ eius, prælatos ſui Ordinis voluit dici Miniſtros, & Fratres Minores, vt & verbis vteretur Euangelij, quod obſeruare promiſerat, & ex ipſo nomine diſcerent diſcipuli, quòd ad diſcendam humilitatem, ad ſcholas humilis Chriſti veniſſent: Chriſtus enim humilitatis magiſter, vt informaret diſcipulos ad humilitatem perfectam, dixit: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.*

Vers. 27. Mar. 10. 45. Sicvt filivs hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam svam redemptionem (græcè, λύτρον, id eſt, *lytrum*, ſiue pretium redemptionis) pro mvltis] q. d. Ideam modeſti regiminis Eccleſiæ meipſum accipite, qui ſum princeps & fundator Hierarchiæ Eccleſiaſticæ: ego enim nil iubeo, quod prior ipſe non fecerim. Ego quippe veniens in mundum, ita me geſſi & gero, vt nolim mihi miniſtrari, ſed velim omnibus miniſtrare, quaſi omnium minimus, & ſeruus; imò non tantùm opes & operas, ſed vitam & ſanguinem pro ijs ſtatuerim profundere, vt eos à morte, peccato, gehennâ & diabolo redimam, & liberem. Hæc imitentur Pontifices, Epiſcopi, Paſtores, &c.

*S. Franciſci Xauerij humilitas.*

Exemplum rarum huius rei dedit, & antiquatam quaſi humilitatem Chriſti reuocauit hoc æuo S. Franciſcus Xauerius, qui cùm à ſummo Pontifice creatus eſſet Legatus Apoſtolicus per Indias, miniſtrum tamen nullum habere voluit, etiamſi plures ei offerret regis Luſitaniæ Procurator, vrgeretque vt eos acciperet; ſed ipſe omnibus miniſtrauit, tam in corporalibus miniſterijs quàm in ſpiritualibus, ijſque viliſſimis & abiectiſſimis; ipſe ægrorum confeſſiones audiebat, mœſtos ſolabatur, corporum ſordes extergebat, pannos abluebat, pharmaca miniſtrabat, rudes & pueros catechiſmum docebat, quin & comitum equos curabat, eiſque pabulum præbebat. Cumque quidam diceret hæc indigna eſſe Legato Apoſtolico, reſpondit: *Nihil dignius eſſe humilitate & charitate Chriſtianâ, quæ omnibus omnia fit, vt omnes lucrifaciat, quam Chriſtus aſſiduè verbis & exemplis tota vita ſanciuit.* Quare hâc arte auctoritatem non amiſit, ſed auxit, cùm omnes eum, vt virum ſanctum & quaſi nouum hominem; imò angelum è cælo lapſum ſuſpicerent: lege eius Vitam. Denique Chriſtus Rex regum, & Dominus dominantium, ne vnum quidem in terris habuit ſeruum, ſed ipſe ſe omnium fecit ſeruum; non enim venit miniſtrari, ſed miniſtrare: & tu, ô Chriſtiane ſeruorum greges accumulas? Præclarè ſanctus Chryſoſtomus homil. 40. in epiſt. 1. ad Corinth. *Paulum*, inquit, *audi: Neceſſitatibus meis*, inquit, *& eorum qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ*, Actor. 20. 34. *Ille orbis præceptor, & vir cælis planè dignus, ſeruire mortalibus innumerabilibus veritus non eſt. Tu niſi multos poſt te ſeruorum greges trahas, turpe putas: haud videns hoc eſſe, quod te vehementer deturpat. Huc manus cōtulit Deus, huc pedes, ne ſeruis ſcilicet, egeremus. Examina ſeruorum quid ſibi volunt?*

Redemptionem pro mvltis] Non quaſi Chriſtus pro ſolis prædeſtinatis mortuus ſit, vti voluêre hæretici, olim inde dicti Prædeſtinatiani, ac nuper Caluinus: Chriſtum enim pro omnibus omnino hominibus paſſum & mortuum eſſe, diſertè docet ſanctus Paulus 2. Corinth. cap. 5. v. 14. & S. Ioannes epiſt. 1. cap. 2. verſ. 2. Sed *pro multis*, hoc eſt pro omnibus, ait Euthymius, quia omnes hi fuêre non pauci, ſed multi. Sic *τὸ multi*, accipitur pro omnibus, hoc cap. verſ. 16. & cap. 26. verſ. 28. & Roman. cap. 5. verſ. 19. & alibi. Aut certè *pro multis*, quia licet Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, omnibuſque media ad ſalutem ſufficientia poſtularit, impetrarit, & dederit; tamen fructus mortis ipſius, & perfecta ſalus tantùm ad iuſtos, & eos qui in iuſtitia vſque ad mortem perſeuerant, peruenit. Ita S. Hieron. Ianſen. Maldon. & alij.

Hoc humilitatis & charitatis Chriſti exemplum mouit S. Paulinum Nolæ Epiſcopum, vt animam ſuam daret redemptionem pro multis: vt enim filium viduæ è captiuitate redimeret, ſeipſum pro eo in ſeruum tradidit Wandalis. Vnde factum eſt, vt omnes ſuos Nolanos ciues ex eâdem ſeruitute redimeret, quod proinde, vt heroicum & verè Chriſtianum tanti Præſulis opus, miris laudibus celebrant S. Gregorius, S. Auguſtinus, & alij paſſim.

Et egredientibvs illis ex Iericho, secvta est evm tvrba mvlta: et ecce dvo cæci, &c.] Chriſtus ex ciuitate Ephrem, per Iericho interiacentem, tendebat Hieroſolymam, ad crucem & mortem. Vers. 29. Mar. 10. 46.

*Iericho quantùm diſtet à Hieroſolymis.*

Iericho à Hieroſolymâ diſtat 150. ſtadijs, à Iordane verò vbi erat Ephrem 60. ſtadijs, ait Ioſephus lib. 5. Belli c. 4. Porrò octo ſtadia faciunt vnum milliare Italicum, quod conſtat mille paſſibus: ſtadium enim continet 125. paſſus, quæ per octo multiplicata faciunt mille: tria autem milliaria Italica faciunt leucam, ſiue iter vnius horæ: quare 150. ſtadia faciunt circiter ſeptem leucas: ſexaginta verò ſtadia faciunt duas leucas cum dimidia. Iter à Iordane ad Iericho eſt planum & facilè, à Iericho verò vſque Hieroſolymam, eſt montoſum, accliue, & decliue, ideoque difficile.

*Iericho etymon.*

Iericho hebr. dicta eſt, vel à ירח *iareach*, id eſt, luna, quòd formam haberet lunæ; vel à ריח *reach*, id eſt odor, quòd ibi dumtaxat naſceretur balſamum, cuius odor eſt ſuauiſſimus.

Symbolicè Rabanus: Iericho, ait, quæ interpretatur luna, defectum noſtræ mutabilitatis & mortalitatis ſignificat, ideoque ibi inuenti ſunt hi cæci: luna enim eſt cæca & tenebroſa, ſicut mortalitas hæc ſuis vmbris & cupiditatibus homines excæcat. Rurſum S. Gregorius homil. 12. in Euang. *Iericho*, inquit, *luna interpretatur: luna autem in ſacro eloquio pro defectu carnis ponitur, quia dum menſtruis momentis decreſcit, defectum noſtræ mortalitatis deſignat. Dum igitur conditor noſter appropinquat Iericho, cæcus ad lumen redit: quia dum diuinitas defectum noſtræ carnis ſuſcipit, humanū genus lumen, quod amiſerat, recepit. Vnde enim Deus humana patitur, inde homo ad diuina ſubleuatur.*

Myſticè Origenes: *Per Iericho*, ait, *intelligitur mundus, in quem Chriſtus deſcendit: Qui autem ſunt in Iericho, exire neſciunt de ſapientia mundi, niſi vide-*



*rint*

*d int non ſolùm Ieſum exeuntem de Iericho, ſed etiam ſcipulos eius. Hæc ergo videntes ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, mundum & mundana omnia contemnentes, vt Chriſto duce aſcendant in Ieruſalem cæleſtem.*

Vers. 30. Luc. 18. 35. 36. 37. 38. Mar. 10. 46. 47.

Et ecce dvo cæci] Eadem eſt hiſtoria hæc cum illa quam narrat Marcus cap. 10. v. 46. vtraque enim contigit, egrediente Chriſto ex Iericho. Dices, Marcus vnum dumtaxat nominat cæcum, eumque vocat Bartimæum, id eſt, filium Timæi. Reſpondet ſanctus Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 65. duos hîc cæcos extitiſſe, ſed vnum fuiſſe in illâ ciuitate famoſiſſimum, idque ex hoc ſatis apparet, quòd & nomen eius & patris eius Marcus commemorauit; *Bartimæus enim Timæi filius*, ait ſanctus Auguſtinus, *ex aliquâ magnâ felicitate deiectus, notiſſimæ & famoſiſſimæ miſeriæ fuit, qui non ſolùm cæcus, verùm etiam mendicus ſedebat. Hinc eſt ergo quòd ipſum ſolum voluit commemorare Marcus, cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparauit, quàm erat illius nota calamitas.* De nomine Bartimæi dicam Marci 10. 46.

Porrò hunc cæcum à Chriſto illuminatum, alium eſſe ab eo de quo agit Lucas cap. 18. v. 35. cenſent ſanctus Auguſtinus, Ianſenius, & alij ex eo, quòd ille Lucæ in ingreſſu Ierichuntis, hîc verò Matthæi & Marci in egreſſu curatus dicatur. Verùm cùm cetera omnia, quæ de hoc cæco narrat Lucas, conſentiant cum ijs quæ habet hîc Matthæus & Marcus, dicendum eſt vnum eumdemque fuiſſe hunc cæcum, qui priùs in ingreſſu vrbis petierit illuminari à Chriſto, verùm cùm ob turbam non audiretur, & Chriſtus ſe audire diſſimularet, vt eius fidem & ſpem acueret, poſtridie ſtitit ſe ad portam vrbis, ibique à Chriſto egrediente rurſum viſum poſtulauit, & impetrauit. Ita S. Ambroſius in Lucæ cap. 18. ſub finem, Dionyſius Carthuſianus, Maldonatus, Franciſcus Lucas & alij.

Allegoricè, Origenes, & ex eo S. Ambroſius in c. 18. Lucæ ſub finem: *Duos cæcos*, ait, *poſſumus dicere, Iudam, & Iſraël, qui ante Chriſti aduentum cæci fuerunt, quia non videbant verbum verum, quod erat in lege & Prophetis, tamen ſedentes ſecus viam legis & Prophetarum, & ſecundùm carnem tantùm intelligentes, clamabant tantùm ad eum, qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.*

Rabanus verò cum S. Auguſtino tract. 10. de Verbis Domini ſecundùm Matth. per duos cæcos accipit Iudæos & Gentiles: vtrique enim ignorabant viam ſalutis. S. Chryſoſtomus accipit ſolos Gentiles, quia hi partim ex Cham, partim ex Iaphet prognati ſunt; ſicut Iudæi ex Sem: hi enim tres fuere filij Noë.

*Tropologia cæcorum.*

Tropologicè, per duos cæcos accipe duplicem cæcitatem, affectus ſcilicet & intellectus: cæcus enim affectus ſecum rapit intellectum, eumque excæcat, vt iudicet agendum ob cupiditatem, quod vetitum eſt per charitatem.

Symbolicè, S. Gregorius homil. 2. in Euang. *Cæcum*, inquit, *eſt genus humanum, quod in parente primo à paradiſi gaudijs expulſum, claritatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur: ſed tamen per redemptoris ſui præſentiam illuminatur, vt internæ lucis gaudia, iam per deſiderium videat, atque in via vitæ boni operis greſſus ponat.*

Idem Gregorius 1. p. Paſtor. cap. 11. *Cæcus eſt*, inquit, *qui ſupernæ contemplationis lumen ignorat; qui præſentis vitæ tenebris preſſus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conſpicit, quò greſſus operis porrigat, neſcit.*

Sedentes secvs viam avdiervnt qvia (quòd) Iesvs transiret, et clamavervnt dicentes: Domine miserere nostri, fili David] Id eſt, ô Meſſia, quem ex Dauid naſciturum prædixerunt Prophetæ: Meſſiæ enim eſt, miſerorum miſereri, ac nominatim illuminare cæcos, vti de eo vaticinatus eſt Iſaias cap. 35. v. 5. *Tunc*, inquit, *aperientur oculi cæcorum.* Credimus te eſſe Meſſiam; Meſſiæ ergo munus nobis exhibe, noſque illumina, vt ex eo ceteri omnes te eſſe Meſſiam agnoſcant, credant & colant.

Vers. 31. Luc. 18. 39. Mar. 10. 48.

Tvrba avtem increpabat eos vt tacerent] Increpabat, religioſè & amanter, ne Chriſtum homines viles obturbarent, fortè iam docentem, néue eius & tanti populi iter remorarentur. Ita Euthymius.

Myſticè, S. Gregorius homil. 2. in Euang. per turbam, accipit deſideriorum carnalium turbas, tumultuſque vitiorum, qui priùs quàm Ieſus ad cor noſtrum veniat, tentationibus ſuis cogitationem noſtram diſſipant, & voces cordis in oratione perturbant. Turbæ hæ, clamore contentæ orationis ſuperandæ ſunt, vti ſubdit ſanctus Gregorius.

At illi magis clamabant dicentes: Domine (Syrus, *moran*, id eſt, *Domine noſter*) miserere nostri fili David] *Magis clamabant*, tum quia turbæ vetatio non ſopiuit, ſed magis accendit eorum deſiderium recipiendi viſus à Chriſto, ideoque eumdem à Chriſto ſuâ conſtantiâ & contentione impetrarunt; tum quia maiore clamore opus erat, vt turbæ vetantis ſtrepitum & voces ſuperarent, itaque audirentur à Chriſto. Vnde S. Thomas in Catena: *Oportebat*, inquit, *vt tantum clamarent, donec reſiſtentis ſibi turbæ ſtrepitum vincerent, id eſt, tam perſeuerando, animum intenderent orando, atque pulſando, quouſque conſuetudinem deſideriorum carnalium, quæ tamquam turba obſtrepit cognitioni, lucem veritatis æternæ videre conanti: vel ipſam hominum carnalium turbam ſtudia ſpiritualia impedientem, fortiſſimâ intentione ſuperarent.*

*Moraliter.*

Moraliter ſanctus Auguſtinus de Verbis Domini ſerm. 18. *Bonos*, inquit, *Chriſtianos nolentes facere præcepta Dei, Chriſtiani mali & tepidi prohibent: clamant tamen illi non deficientes; cùm enim quiſque Chriſtianus cœperit benè viuere, mundumque contemnere, in ipſa ſui nouitate patitur reprehenſores frigidos Chriſtianos; ſed ſi perſeuerauerint ipſi, iam obſequentur qui antè prohibebant.* Volenti ergo ſeruire Deo vincendus eſt pudor humanus, dicteria & irriſiones turbarum. Multos enim à pietate deterret hæc pudoris larua: Si hoc egero, quid de me dicent homines? ero vulgi fabula. Prima Chriſtiani virtus eſt, contemnere & contemni, ait S. Hieron. Cogita hominum voces & riſus, graculorum eſſe garritus; & ſic inane hoc iudiciorum mundi idolum, quod pleroſque percellit, conteres, imò veludludicrum puerorum μορμολύκειον, & phantaſticum timidorum terriculamentum inſtar fumi diſſlabis.

Denique S. Hilarius: *Fides*, ait, *quando vetatur, magis accenditur, & ideo in periculis ſecura eſt, & in ſecuritate periclitatur.*

Et



Vers. 32. Luc. 18. 40. 41. Mar. 10. 49. 51.

Et stetit Iesvs, et vocavit eos, et ait: Qvid vvltis vt faciam vobis? *Et ſtetit.* Cauſam litteralem dat ſanctus Hieronymus: *Ideò*, ait, *ſtetit Ieſus, quia cæci, quò pergerent ignorabant: multæ foueæ erant in Iericho, multæ rupes & prærupta in profundum vergentia, idcirco Dominus ſtat, vt venire poſſint.*

Symbolicam dat S. Gregorius hom. 2. in Euang. *Tranſire*, ait, *humanitatis eſt, ſtare diuinitatis. Cæcum igitur clamantem Dominus tranſiens audiuit, ſed ſtans illuminauit: quia per humanitatem ſuam, vocibus noſtræ cæcitatis compatiendo miſertus eſt, ſed lumen nobis gratiæ per diuinitatis potentiam infudit.*

Myſticè, Origenes: *Ieſus*, ait, *non pertranſit, ſed ſtat, vt ſtante eo non transfluat beneficium, ſed quaſi de fonte ſtante miſericordia defluat vſque ad eos.*

Anagogicè, S. Auguſt. libr. 1. Quæſt. Euang. cap. 8. *Stetit Ieſus: Fides enim*, inquit, *incarnationis temporalis, ad æterna intelligenda nos præparat; temporalia tranſeunt, æterna ſtant.* Stetit ergo tamquam æternus, & dator beatæ æternitatis, ac lucis æternæ, in qua omnia ſtant & permanent in æternum.

Et vocavit eos] *Vocari iubet*, ait S. Hieron. *ne turbæ prohibeant, & interrogat quid velint, vt ex reſponſione eorum manifeſta debilitas appareat, & virtus ex remedio cognoſcatur.*

Addit Marcus: *Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior* (bono & fidenti animo) *eſto, ſurge, vocat te. Qui proiecto veſtimento ſuo, exiliens venit ad eum.* In quæ verba Tropologicè S. Hieronymus ibidem (vel quiſquis eſt auctor; non enim videtur eſſe S. Hieronymus) *Exilire*, ait, *nudus veteri homine dicitur, vt hinnulus ſaliens ſuper colles.* Cant. 2. *Exiliens ſuper montes, ſegnitiem deponens. Patriarchas, Prophetas, & Apoſtolos in altis conſiderans, ad ſuperna ſe extendit.*

Qvid vvltis vt faciam vobis?] *Non ignorat, ſed vult audire confeſſionem qui nouerat intentionem*, ait Gloſſa Interlin. vt vehemens ſanitatis deſiderium & poſtulationem in eis excitet, itaque capaces & dignos tanti beneficij & miraculi efficiat.

Nota hîc liberalitatem, & liberalem oblationem Chriſti, quâ ſe offert nobis vltrò, ad præſtandum ea quæ volumus, & ardenter petimus.

Vers. 33. Luc. 18. 43. Mar. 10. 52.

Dicvnt illi: Domine vt aperiantvr ocvli nostri] Arabicus, *vt aperias oculos noſtros*: hi enim in cæcis ſunt clauſi. Marcus: *Domine vt videam.* Nihil enim homini ita naturaliter eſt deſiderabile, ac videre: ita vt videre, vita, non videre ſiue cæcum eſſe, mors eſſe videatur & mœror aſſiduus, vti teſtatur Tobias cap. 5. 12. Audi S. Ambroſium de Noë & arca c. 7. *Quàm deformes*, inquit, *ſunt oculi cæcorum? Et quid mirum ſi vultus hominis abſque oculis deformis eſt, quando ipſum cælum ſine ſole, non habet ſuum decorem? Triſtes ſine ſole dies ducimus, noctes ſine luna non placent. Ipſi enim ſunt quidam mundi oculi. Detrahe ſtellarum lumina & quædam eſt in cælo ipſo cæcitatis deformitas.*

Quocirca ſanctus Auguſtinus in hæc verba ſcribens ſerm. 18. de Verbis Domini ſecundùm Matth. *Tota igitur vita*, inquit, *eſt ſanare oculum cordis, vnde videtur Deus. Ad hoc ſacroſancta myſteria celebrantur, ad hoc ſermo Dei prædicatur, ad hoc exhortationes Eccleſiæ morales; id eſt, pertinentes ad corrigendos mores, ad emendandas carnales concupiſcentias, ad renunciandum, non voce tantùm, ſed mutata vita huic ſæculo, ad hoc quidquid agunt diuinæ ſanctæque litteræ, vt purgetur illud interius ab ea re, quæ nos impedit ab aſpectu Dei.*

Myſticè S. Hieronymus loco iam citato: *Vnam*, ait, *petijt à Domino, hanc requirit, vt videat voluptatem Domini, & inde videns, viſitet templum eius*, Pſalm. 26.

Dicat ergo homo peccato, vel concupiſcentiâ cæcus: Da Domine vt videam peccati turpitudinem, concupiſcentiæ vilitatem, voluptatis exilitatem, gehennalis ignis atrocitatem, virtutis pulchritudinem, paradiſi felicitatem, gloriæ æternitatem, vt concupiſcentiam omnem deſpiciam, virtutem verò ſuſcipiam & ambiam.

Misertvs avtem eorvm Iesvs tetigit ocvlos eorvm, et confestim viderunt, et secvti svnt evm] *Conſiderans Ieſus*, ait S. Hieronymus, loco iam citato, *promptam voluntatem, completione deſiderij remunerat. Vnde & aliàs dicit: Omne quodcumque petieritis in oratione, credentes accipietis*, Ioan. 15. Vers. 34. Luc. 18. 43. Mar. 10. 52.

Hi cæci curati à Chriſto, ordine ſunt quinti. Primi enim cæci illuminati à Chriſto, fuêre duo illi de quibus egit Matthæus cap. 9, 27. Secundus fuit dæmoniacus & mutus, de quo egit Matth. 12. 22. Tertius fuit cæcus à Chriſto curatus in Bethſaïda, dicens: *Video homines ſicut arbores ambulantes*, Marci 8. 24. Quartus fuit cæcus ille à natiuitate, quem Chriſtus curauit Ioan. 9. Quinti fuêre duo hi de quibus Matth. hîc. Sexti fuêre illi, qui paulò pòſt à Chriſto ſanati ſunt in templo, Matth. 21. 14. *Sexies cæcos curauit Chriſtus.*

Et secvti svnt evm] *Hi cæci*, ait S. Chryſoſtomus, *ſicut ante dationem fuêre perſeuerantes, ita & poſt donationem non fuerunt ingrati.* Bonum enim munus obtulerunt Chriſto ſanati; ſcilicet ſequelam ipſius. Hoc eſt enim quod Deus à te requirit, *ſolicitum te ambulare cum Deo tuo.* Michææ 6. 8.

Tropologicè, quomodo Chriſtum ſequi debeamus, per mortificationem cupiditatum & crucem, docet ſanctus Gregorius homil. 2. in Euang. ſub finem.

Addit Lucas c. 18. 43. *Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum, & omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.*

Capvt

# CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus in Dominica palmarum, quaſi rex Meſſias aſinâ vectus, cum triumpho Ieruſalem ingreditur. Secundò, verſ. 12. eijcit vendentes & ementes è templo. Tertiò, verſ 19. ficulneam infrugiferam maledicendo deſiccat, & necat. Quartò, verſ. 23. reſpondet Scribis expoſtulantibus, ſe hæc facere ex Dei poteſtate & imperio, ideoq́ verſ. 28. dat eis parabolam duorum filiorum; vnius patri obedientis, alterius inobedientis, ac verſ. 33. parabolam agricolarum conducentium vineam, & occidentium heri filium, ac conſequenter vineæ heredem. Vtraque hæc parabola ſignificat Eccleſiam Dei, à Iudæis Chriſtum occiſuris ad Gentes transferendam.*

1. ET cùm appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem
Oliueti: tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, 2. dicens eis: Ite in caſtellum,
quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſolui-
te, & adducite mihi: 3. & ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his
opus habet: & confeſtim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum eſt, vt adim-
pleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: 5. Dicite filiæ Sion: Ecce
rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis. 6.
Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. 7. Et adduxerunt aſi-
nam, & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere
fecerunt. 8. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cæ-
debant ramos de arboribus, & ſternebant in via: 9. turbæ autem, quæ præcede-
bant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid, benedictus
qui venit in nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis. 10. Et cùm intraſſet Hiero-
ſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? 11. Populi autem
dicebant: Hic eſt Ieſus propheta à Nazareth Galilææ. 12. Et intrauit Ieſus in
templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo: & menſas nu-
mulariorum & cathedras vendentium columbas euertit: 13. & dicit eis: Scri-
ptum eſt: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpelun-
cam latronum. 14. Et acceſſerunt ad eum cæci & claudi in templo: & ſanauit
eos. 15. Videntes autem principes ſacerdotum, & Scribæ mirabilia, quæ fecit, &
pueros clamantes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid: indignati ſunt, 16.
& dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dixit eis: Vtique, numquam legi-
ſtis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudē? 17. Et relictis illis, abiit
foras extra ciuitatem in Bethaniam: ibique manſit. 18. Manè autem reuertens
in ciuitatem, eſurijt. 19. Et videns fici arborem vnam ſecùs viam, venit ad eam:
& nihil inuenit in ea niſi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur
in ſempiternū. Et arefacta eſt continuò ficulnea. 20. Et videntes diſcipuli, mirati
ſunt, dicentes: Quomodo continuò aruit? 21. Reſpondens autem Ieſus, ait eis:
Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolùm de ficulnea
facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet. 22. Et omnia
quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23. Et cùm veniſſet in
templum, acceſſerunt ad eum docentem, principes ſacerdotum, & ſeniores populi,
dicentes: In quâ poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem? 24. Re-
ſpondens Ieſus dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum ſermonem: quem ſi dixeritis
mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio. 25. Baptiſmus Ioannis vnde
erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter ſe dicentes: 26. Si dixeri-
mus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non crediſtis illi? Si autem dixerimus, ex ho-
minibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem ſicut prophetam. 17.
Et reſpondentes Ieſu, dixerunt: Neſcimus. Ait illis & ipſe: Nec ego dico vobis in
quâ poteſtate hæc facio. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat
duos filios, & accedens ad primū, dixit, Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29.
Ille autem reſpondens, ait: Nolo. Poſtea autem, pœnitentia motus, abijt. 30. Ac-
cedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens, ait: Eo, domine, & non
iuit. 31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis
Ieſus:



Ieſus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum
Dei. 32. Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non crediſtis ei: publicani
autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habui-
ſtis poſtea, vt crederetis ei. 33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfami-
lias, qui plantauit vineam, & ſepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædi-
ficauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt. 34. Cùm autem
tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent
fructus eius. 35. Et agricolæ, apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, alium oc-
ciderunt, alium verò lapidauerunt. 36. Iterùm miſit alios ſeruos plures priori-
bus, & fecerunt illis ſimiliter. 37. Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum di-
cens: Verebuntur filium meum. 38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt
intra ſe: Hic eſt heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius.
39. Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. 40. Cùm ergo
venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? 41. Aiunt illi: Malos malè
perdet: & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus
ſuis. 42. Dicit illis Ieſus: Numquam legiſtis in Scripturis: Lapidem quem repro-
bauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud,
& eſt mirabile in oculis noſtris: 43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis re-
gnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. 44. Et qui ceciderit ſuper lapi-
dem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. 45. Et cùm
audiſſent principes ſacerdotum & Phariſæi parabolas eius, cognouerunt quòd de
ipſis diceret. 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas quoniam ſicut pro-
phetam eum habebant.

*Vers. 1. Luc. 19. 29. Mar. 11. 1.*

ET CVM APPROPINQVASSENT HIEROSOLYMIS, ET VENISSENT BETHPHAGE, AD MONTEM OLIVETI, TVNC IESVS MISIT DVOS DISCIPVLOS] Marcus cap. 11. verſ. 1. habet: *Et cùm appropinquarent Hieroſolymæ, & Bethaniæ ad montem Oliuarum, mittit duos ex diſcipulis.* Lucas cap. 19. verſ. 29. *Cùm appropinquaſſet ad Bethphage, & Bethaniam, &c. miſit duos diſcipulos.* Sed Marcus & Lucas loquuntur in genere & in confuſo, quia Bethphage, Ieruſalem, & Bethania ſibi mutuo vicina erant. Nam alioqui particulatim ex S. Ioanne cap. 12. verſ. 1. & 12. liquet Chriſtum præcedenti ſabbatho cœnaſſe & pernoctaſſe in Bethania, ac ſequenti die (quæ erat Dominica palmarum) viciniùs acceſſiſſe ad Ieruſalem; ſcilicet ad Bethphage, & inde miſiſſe diſcipulos, ad adducendum aſinam cum pullo: Bethphage enim erat vicinior Ieruſalem. Vnde ex Bethania, per Bethphage, montem Oliueti, & vallem Ioſaphat ibatur Ieruſalem; nam vrbi Ieruſalem immediatè adiacet vallis Ioſaphat, quam interluit torrens Cedron; poſt vallem ſequitur mons Oliueti, poſt montem vicus Bethphage, & inde Bethania.

*Bethphage quid?*

BETHPHAGE] hebr. idem eſt quod *domus oris*, ſeu *in ore vallis* (*Beth* enim eſt domus, *phe* os, *ge* vallis) ait Franc. Lucas, & Pagnin. in Nomin. Hebr. quia vicus hic Bethphage ſitus eſt in valle, ad radices montis Oliueti in quâdam montis cauitate, & quaſi ore. Rurſum hic vicus ſitus erat quaſi in ore vallis Ioſaphat, quod os efficit via breuis & ſtricta, per quam ex Bethphage per montem Oliueti ibatur in vallem Ioſaphat, indeq́ue per portam auream in templum. Vnde veriſimile eſt quod ait Ianſen. & Adrichom. Bethphage fuiſſe vicum ſacerdotum, in eoque agnos, capras & boues pro ſacrificijs templi ali ſolitos: quare ex Bethphage ſacerdotes ſolebant educere agnos paſchales, aliaſque victimas in templo (cui adiacebat Bethphage) offerendas. Eaque de cauſa Chriſtus ex Bethphage cum triumpho deduci voluit, per portam auream in Ieruſalem & templum; vt oſtenderet ſe eſſe agnum qui tollit peccata mundi, quem agni paſchales figurabant.

Rurſum triumphans voluit tranſire vallem Ioſaphat, vt innueret in eâdem valle ſe in die iudicij peracturum illud tremendum omnium omnino hominum iudicium: ac ſibi fideles & obedientes cælo, infideles verò & inobedientes inferno adiudicaturum, vti oſtendi Ioëlis cap. 3. 2. Iam ergo cum triumpho quaſi Meſſias per hanc vallem obequitans Hieroſolymam, velut eius rex & dominus, regni ſui quaſi poſſeſſionem capit, quod deinde glorioſè perficiet in die iudicij. q. d. Agnoſcite ô Iudæi, me vt veſtrum Meſſiam, mihique credite & obedite; vt in die iudicij, quod in hâc valle Ioſaphat peragam, vos cælo adiudicem: ſi enim perſiſtatis in veſtrâ infidelitate, vos inferno tunc addicam. Hâc de cauſâ venio ex Bethaniâ, vbi ante paucos dies à morte ſuſcitaui Lazarum, vti omnes vidiſtis & obſtupuiſtis, vt ex hoc miraculo (quod vobis per hoc iter meum tacitè refrico, & in memoriam reuoco) ceteriſq; ſimilibus à me patratis, cognoſcatis me eſſe veſtrum Meſſiam, mundi ſaluatorem & redemptorem.

*Duo hi diſcipuli qui?*

TVNC IESVS MISIT DVOS DISCIPVLOS] S. Hilarius, auctor Imperfecti, Bedâ & Gloſſa putant, hos duos fuiſſe Petrum & Philippum. Origenes verò & Theophyl. cenſent fuiſſe Petrum & Paulum, ſcilicet typicè, hoc eſt hos duos à Chriſto miſſos ſignificaſſe & repræſentaſſe Petrum, qui futurus erat Apoſtolus Iudæorum, & Paulum, qui futurus erat Apoſtolus Gentium: necdum enim Paulus conuerſus erat ad Chriſtum, ſed poſt aſcenſum Chriſti in cælum conuerſus eſt, Actor. 9. Veriſimiliùs Ianſenius, opinatur hos duos fuiſſe Petrum & Ioannem: quia paulò pòſt, hos præmiſit Chriſtus ad paran-

dum

dum agnum Paſchalem, nil tamen certi hîc definiri poteſt.

Vers. 2. Luc. 19. 30. Mar. 11. 2.

Dicens eis: Ite in castellvm qvod contra vos est] Græcè ἐις κώμην κατέναντι ὑμῶν, id eſt, in vicum qui ex oppoſito, vel è regione veſtrì eſt: vnde patet non ſignificari hîc Ieruſalem, vt vult Lyranus; ſed vel Bethphage, vt vult Ianſenius; vel certè vicum aliquẽ oppoſitum Bethphage, vt vult Adrichomius: nam Chriſtus iam venerat Bethphage, vt dixi v. 1. niſi τὸ *cùm veniſſet* ibidem exponas. q. d. Cùm appropinquaſſet *Bethphage*.

Et statim invenietis asinam alligatam, et pvllvm cvm ea: solvite, et addvcite mihi] Chriſtus hîc res abſentes, putà aſinam & pullum alligatos, intuebatur vt præſentes: quare certò eas Apoſtolis reuelabat per donum prophetiæ, quod humanitati ſuæ contulerat eiuſdem diuinitas. Quare hîc diuinitatis ſuæ dedit argumentum. Eiuſdem enim virtutis, ſcilicet diuinæ, eſt prædicere futura, & reuelare arcana, qualia ſunt abſentia. Eâdem virtute Chriſtus vidit & reuelauit ea, quæ Nathanaël ſecretò egerat ſub ficu, Ioan. c. 1. v. 48.

*Tropolog.*

Audi ſingula hæc Tropologicè adaptantem conuerſioni peccatoris, B. Petrum Damiani homil. in Dominica Palmarum: *Bethphage interpretatur domus buccæ, & eſt intellectus ſacerdotum, per quam deſignatur confeſſio. Ad hanc Dominus venit, quia ad confitendum corda accendit. Caſtellum quod eſt contra Dominum & eius diſcipulos, eſt animus obſtinatus propriæ deditus voluntati. Duo diſcipuli ad illud miſſi, ſunt ſpes & timor. Aſina & pullus alligati, humilitas & ſimplicitas. Huiuſmodi enim animus aliquando nouit quid ſit humilitas, quid ſimplicitas, & quòd ſimpliciter & humiliter ſit viuendum: ſed quaſi eas alligat & reponit, dum non vult eas opere exercere. Terret hunc timor vbi à malo reſipuerit, minans ei tormenta. Confortat eum ſpes, ſi pœnituerit, præmia pollicendo. Compungitur his duobus animus. Soluitur aſina & pullus, cùm obuiam Domino eundo, Bethphage confitetur ſe peccaſſe, & promittit ſe deinceps humiliter & ſimpliciter victurum. Et ſic qui erat prius caſtellum diaboli, efficitur vrbs fortitudinis noſtræ Sion. Saluator ponitur in ea murus & antemurale. Murus humilitas eſt, antemurale patientia. Egrediamur igitur chariſſimi obuiam Domino Bethphage compuncti timore pœnæ, & ſpe cæleſtis vitæ firmati, confitendo peccata humiliter & ſimpliciter, ambulando ſubſtratis veſtibus noſtræ carnalitatis, vt in nobis dignetur ſedere Dominus, & nos ſecum in cæleſtem Ieruſalem introducere.*

Vers. 3. Luc. 19. 31. Mar. 11. 3.

Et si qvis vobis aliqvid dixerit, dicite qvia dominvs (ſcilicet ego qui ſum Meſſias, Deus, & Dominus omnium) his opvs habet, ad ſolennem ingreſſum in Ieruſalem, vt quaſi rex eiuſdem ibidem inauguretur. Et confestim dimittet (Arabicus, *mittet*) eos] Noluit Chriſtus inuitus auferri aſinam cum pullo, quod iure ſuo ſummo facere poterat, quia eius prouidentia operatur vti fortiter, ſic & ſuauiter: quare eâdem virtute diuinitatis ſuæ, eorum inflexit animos, vt ſoluentibus Apoſtolis aſinam cum pullo aſſentirentur, imò cooperarentur.

*Pompa Chriſti regis qualis.*

Voluit Chriſtus, qui hucuſque per tres annos continuò pedes inceſſerat, & totam Iudæam circumeundo, perambularat; oſtendere ſe, regem eſſe Iudææ, putà Meſſiam, Dauidis filium & heredem, ideoq; regali pompâ Ieruſalem, quæ Iudææ erat metropolis, ingreditur: at non vehitur equo phalerato, vel curru aurato cum nobilium adequitantium turba, tubis clangentibus, purpura fulgens, vti faciunt reges terræ; ſed vehitur aſina, vt oſtendat ſuum regnum eſſe alterius ordinis; ſcilicet ſpirituale & cæleſte; ideoque mite & humile, ſitum in contemptu pompæ, quamquam in Iudæa aſini ſint noſtris meliores & valentiores inſtar mulorum. Vnde filij principum aſinis inequitabant, vt patet Iudic. 12. 14. vbi 70 filij & nepotes Abdon principis Iſraël dicuntur totidem aſinis vecti. Sedet Chriſtus, ait auctor Imperfecti, *ſuper aſinam tranquillitatis & pacis, oneris patientiſſimam ac laboris. Non autem vides in circuitu eius ſplendentes gladios, aut cetera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? ramos frondentes, teſtimonia pietatis. Venit ergo manſuetus, non vt propter potentiam timeretur, ſed vt propter manſuetudinem amaretur.*

Vers. 4. Ioan. 12. 14.

Hoc avtem totvm factvm est, vt adimpleretvr qvod dictvm est per prophetam (Zachariam c. 9. 9.) dicentem:

Vers. 5. Ioan. 12. 15.

Dicite filiæ Sion] Putant aliqui hæc verba petita eſſe ex Iſaiæ cap. 62. 11. quaſi Matthæus hoc teſtimonium conflet ex Iſaiâ & Zachariâ. Simpliciùs Franciſcus Lucas & alij cenſent, Chriſtum citare ſolum Zachariam, ſed non tam eius verba, quàm ſenſum proferre. *Dicite* ergo *filiæ Sion*, idem eſt quod *exulta ſatis* (hebr. מְאֹד *meod*, id eſt valdè) *filia Sion, iubila filia Ieruſalem*, vt habet Zacharias c. 9. 9. quia rex tuus Meſſias te ingreditur, vt te ſaluet, vti ſequitur. Zacharias enim hortatur ciues Ieruſalem, vt Ieſum aſinâ vectum velut ſuum Meſſiam & Saluatorem auidè excipiant.

Nota, Ieruſalem, vocatur filia Sion, vel per ſynecdochen, quâ à Sion parte vrbis excelſiore & montana vrbs tota dicitur Sion; vel per metaphoram, quâ vrbs Ieruſalẽ ſubiecta monti Sion, ab eoque protecta, & in eius ſinu quaſi filia requieſcens, filia Sionis dicitur. Porrò per Ieruſalem, intelligit ciues & incolas Ieruſalem metonymicè: hos enim ad exultandum, & iubilandum in Chriſti aduentu inuitat. Myſticè hæc vera ſunt in Eccleſia Chriſtiana, quæ vt Ieruſalem & filia Sion, eſt viſio pacis, ideoque cum Chriſto ſuo iugiter exultat.

Ecce rex (Meſſias) tvvs venit tibi mansvetvs, sedens svper asinam, et pvllvm filivm svbivgalis] Zacharias habet *filium aſinæ*: hęc enim eſt ſubiugalis, quia iugum viri, vel principis in eâ ſedentis & equitantis, ſiue aſinantis ſuſtinet.

Reliqua quæ ad hanc prophetiam pertinent explicui Zachariæ 9. 9. vnde petita ſunt.

Vers. 6.

Evntes avtem discipvli fecervnt sicvt præcepit illis Iesvs] Prompta diſcipulorum obedientia notatur, quæ meruit promptũ heri obſequium, vt is ſineret ab eis ſuam aſinam cum pullo abduci, vt Chriſtus prædixerat, non dubitans eos ſibi remittendos fore. Vnde Marcus c. 11. 4. & Lucas cap. 19. 33. idipſum ſatis exprimunt.

Vers. 7. Luc. 19. 35. Mar. 11. 7.

Et addvxervnt asinam et pvllvm; et imposvervnt svper eos vestimenta (græcè ἱμάτια, id eſt, pallia, ſiue extimas veſtes, quaſi ſtragula, ad ornatum & pompam) sva, et evm desvper sedere fecervnt] Legit interpres ἐκάθιζαν, iam multi cum Syro legunt ἐκάθισεν, id eſt, *ſedit*; Syrus habet *ſedit ſuper illum*: ſcilicet pullum. Verius eſt Chriſtum tam aſinæ, quàm pullo inſediſſe, non ſimul, ſed ſucceſſiuè, vti dixi Zachar. 9. 9. Priùs aſina vſus eſt Ieſus, ait Franc. Lucas, deinde pullo: pullus fortè par non fuiſſet ferendo ſeſſori in montis aſcenſu deſcenſuque, aſina minùs decuiſſet ingreſſum in vrbem: itaque foris aſinâ ſequente pullo, pullo in ciuitatem ſequente aſinâ vectus eſt. Præcipuè verò myſterij causâ, his duobus iumentis voluit vti, vt ſignificaret non ſolis iis, quibus promiſſus fuerat, ſcilicet Iudæis, ſed toti ſe mundo, id eſt, duobus populis, quibus conſtat mundus, regnaturum, Iudæis Moſaicæ legis iugo aſſuetis, quos aſina, & Gentibus, ſine Dei lege viuentibus hactenus, quos pullus figuraret. Nam *ſicut peccatores equi ſunt diaboli*, ait auctor operis Imperfecti, *ita & Sancti, equi dicuntur Chriſti*; quamquam mites aſinos potiùs amet Chriſtus, quàm feroces ac ſuperbos equos.

Diſcipuli hi æquè ac turba populi inſtincta & acta à Spiritu ſancto ſiue ab ipſa deitate Chriſti, totam hanc regalẽ pompam adornauit, aſinamque ſuis palliis quaſi ſtragulis regalibus inſtrauit; iiſque Chriſtum inſidere fecit, vt ipſi quaſi Meſſię obſequeretur, cumque velut regem Iudææ, Hieroſolymæ inauguraret: tota enim hæc pompa facta agente, inſtigante & dirigente Chriſto, qui voluit hîc præter morem equitare, vt regni ſui aliquod ſpecimen daret, coniunctum tamen paupertati & humilitati; ideoque aſinâ vectus eſt vili & abiectâ.

*Chriſti pompæ cur? Cauſa. Prima.*

Vbi Nota. Chriſtus regalem hanc ſibique inſolitam pompam & ingreſſum in Ieruſalem adornare voluit variis de cauſis. Prima fuit, vt daret regiæ ſuæ potentiæ & magnificentiæ indicium quoddam & ſpecimen, quia cum ea Meſſiam ſuum quaſi alterum Salomonem venturum Iudæi putabant, & etiamnum putant. Hac ergo ſpecie & pompa obiecit ſe eis Chriſtus, ne eum vt pauperem auerſarentur & deſpicerent, vti fecerunt: ita tamen vt humilitatis & manſuetudinis miſtis argumentis oſtenderet, regnum Meſſiæ magis eſſe ſpirituale, quàm temporale: ideoque à Zacharia hæc omnia voluit prædici, ne Iudæi hunc Regẽ ſine faſtu rigio venientem aſpernarentur. Ita S. Chryſoſt. & auctor Imperfecti, & Euſebius lib. 8. Demonſtr. c. 4.

*Secunda.*

Secunda & comitans cauſa fuit, vt Chriſtus obiiceret Phariſæis & Scribis in hoc regali ingreſſu ſeipſum, quem agnoſcere hoc facto poſſent & deberent, eſſe Meſſiam, vtpote à Zacharia hoc loco promiſſum & prædictum: ſciebat tamen ipſos inde magis exacerbandos, & necem crucis ipſi machinaturos, quod ipſe permittere ſtatuit, vt ſic mortis adeò expetitę compos fieret, per eamque nos redimeret. Ita auctor Imperfecti.

*Tertia.*

Tertia fuit, vt reſponderet typo agni paſchalis. Hic enim decimo die menſis primi ſolemni pompa inducebatur in vrbẽ, immolandus die decimo quarto. Ita Chriſtus quaſi agnus Dei, qui tollit peccata mũdi, die decimo putà in die Palmarum, ingreſſus eſt Ieruſalem immolandus die decimo quarto: ingreſſus eſt autem cum pompa & fauſtis turbæ acclamationibus, vt quia certus erat de victoria mortis, peccati, inferni & dæmonum, triumphum duello præriperet, & triumphans duellũ iniret.

*Quarta.*

Quarta cauſa fuit tropologica, vt ſcilicet hoc facto rideret, & ridendã proponeret mundi gloriam, vtpote cùm ſciret ſe quinto pòſt die ab iiſdem, à quibus in ingreſſu ita honorabatur, crucifigendum, eoſdemq; qui iam clamabant, *Hoſanna filio Dauid*, q. d. Viuat rex noſter Meſſias Dauidis filius & hæres; poſt quatuor dies in tribunali Pilati clamaturos. *Crucifige, crucifige eum*; ideoq; vrbem à Tito & Romanis funditùs euertendam: qua de cauſa in hoc læto, licèt ingreſſu ſuo, vidẽs eam, eiuſq; cladem pręuidens fleuit, vt habet Lucas c. 19. 41. Rurſum vt doceret ſuum ſuique ſequacium regnum & gloriam in hac vita conſiſtere in paſſione & cruce, ideoq; eam non auerſandam, ſed ambiendam eſſe; ac læto animo & ſolemni cum pompa adeundam. Quocirca Martyres, Chriſti aſſeclæ, ad martyria quaſi ad epulas, imò regnũ & triumphũ, ibant gaudentes albati & ſtipati fideliũ choro, vti ibat S. Agatha S. Cęcilia, S. Agnes, S. Laurentius, S. Vincẽtius, &c.

Vers. 8. Luc 19. 36. Mar. 11. 8. Ioan. 12. 13.

Plvrima avtem tvrba stravervnt vestimenta (pallia) sva in via (vt illæſo pede incederet) alii avtem cædebant ramos de arboribvs (palmarum, olearum, aliiſque fructiferis, quibus mons Oliueti plenus eſt, ait S. Hieronymus) et sternebant in via] vti regi inaugurando plateæ ſolent inſterni tapetibus, ramis, frondibus, ad eum honorandum; ſed turba hæc, cùm non haberet tapetes, pallia ſua Chriſto ſtrauit; ijs ſe ſpolians & nudans, quod magnum fuit obſeruantiæ & reuerentiæ erga Chriſtũ indicium. Contigêre hæc die 20. Martij, cùm in Paleſtina, vtpote regione calida arbores ramis & frondibus virent & decorantur; nam die 25. Martij paſſus, & crucifixus eſt Chriſtus, putà die Veneris, qui ſequitur Dominicam palmarum.

Tropologicè, Remigius, & ex eo S. Thomas in Catena: *Dominus*, ait, *ſuper aſellum ſedens, Hieroſolymam tendit, quia præſidens ſanctæ Eccleſiæ vel animæ fideli, & eam in hoc ſeculo regit, & poſt hanc vitam ad viſionẽ cæleſtis patriæ introducit. Apoſtoli autem & ceteri doctores veſtimenta poſuerunt ſuper aſinam, quia gloriam, quam acceperunt à Chriſto, Gẽtibus dederunt: turba autem veſtimẽta ſternebat in via, quia credentes ex circumciſione, gloriam, quàm habebant ex lege contemnebant, ramos autem de arboribus præcidebant, quia ex Prophetis acceperunt exempla, de Chriſto quaſi de arbore virentibus. Vel turba quæ veſtimenta ſtrauit in via, ſignificat Martyres, qui veſtimenta ſua id eſt, corpora, quæ tegumẽta ſunt animarum, pro Chriſto ad martyrium tradiderunt, vel ſignificantur illi qui corpora ſua per abſtinentiam domant; illi autem ramos arborum præſcindunt, qui dicta & exempla ſanctorum Patrum quærunt ad ſuam vel filiorum ſalutem.*

Vers. 9. Luc. 19. 37. 38. Mar. 11. 10. Ioan. 12. 13.

Tvrbæ avtem qvæ præcedebant et seqvebantvr, clamabant, dicentes, Hosanna filio David] S. Ioannes cap. 12. verſ. 12. ait; *In craſtinum* (id eſt, poſtridie ſabbati, quo Ieſus venerat Bethaniam, putà in Dominica palmarum) *turba multa, quæ conuenerat ad diem feſtum* (Paſchæ inſtantis) *cùm audiſſent, quia venit Ieſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiàm ei, & clamabant, Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael*, id eſt, Meſſias, quem velut Regem diuinum, per tot millia annorum, hucuſque auidè expectamus.

Vnde turba procedit ei obuiam, cum ramis palmarum, tamquam victori & triumphatori; palmâ enim olim victores in agone donabantur. Ita explicat Eccleſia, dum in benedictione palmarum ita canit: *Palmarum igitur rami de mortis principe triumphos expectant: ſurculi verò oliuarum ſpiritalem vnctione aduenisse quodammodo clamant. intellexit enim iam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari, quia Redemptor humanis condolens miſerijs, pro totius mundi vita cum mortis principe eſſet pugnaturus, ac moriendo triumphaturus. Et ideò talia obſequens adminiſtrauit: quæ in illo & triumphos victoriæ & miſericordiæ pinguedinem declararent.* Erat enim Chriſtus poſt quatuor dies in Paraſceue, in cruce de peccato, morte, diabolo & inferno triumphaturus, quod licèt turba neſciret, ſciebat tamen Chriſtus, ideoq; palmis hunc ſuum triumphum à turba præſignari voluit, idque palàm & ſolemni pompa, nimirum quinto die ante feſtum Paſchę, quo turba plurima, quæ vndique Hieroſolymam, ad illud celebrandum, conuenerat magno agmine prodibat in Bethpage, vt inde agnos paſchales in Paſchate (quod illo anno in veſperam die Iouis incidebat) immolandos & comedēdos Hieroſolymam educeret: quare inauguratio hęc Chriſti in regem Iudęæ magno populi comitatu, ſtudio & deuotione glorioſè celebrata eſt. Inducebant enim Chriſtum quaſi agnum qui tollit peccata mundi, die Veneris proximo in cruce immolandum pro ſalute mundi, cuius agni paſchales erant figuræ & typi, etſi ipſi myſterium hoc tunc ignorarent, ſed Deus omnium præſcius hæc dirigebat & ordinabat ad Chriſti gloriam & noſtram ſalutem, vtque Indęi mentem reflecterent ad hanc Chriſti pompam, ex eaque ipſum eſſe Meſſiam agnoſcerent; nam hac pompa Meſſiam ingreſſurum Ieruſalem prędixerat Zacharias c. 9. v. 9. & Dauid pſal. 117. 25. ideoque vtrumque hîc citat Matthęus, vt Iudæi nolentes Chriſto credere, ſint inexcuſabiles. Omnia hęc facta ſunt iuxta legem Exodi 12. verſ. 3. & 6. vbi iubetur agnus paſchalis ſeligi die decimo menſis primi, & apparari, vt die 14. immoletur. Decima enim dies Niſan ſiue menſis primi, illo anno erat Dominica palmarum, quę noſtro computu erat dies 20. Martij: nos enim vtimur menſibus ſolaribus, Iudæi verò lunaribus.

*Hoſanna quid? Reſp. Primò.*

Hosanna filio David] ſic & Ægyptius ac Arabicus; Syrus verò, *Ouſchano filio Dauid*; Æthiopicus, *Huſanno filio Dauid*; Perſicus, *Huſiana filio Dauid.* Quæres, quid eſt *Hoſanna*? Primò, S. Hilarius hîc, & ex eo S. Ambroſius in cap. 19. Lucæ cenſent, *Hoſanna* ſignificare redemptionem domus Dauid: ſed hoc refellit S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum. *Hoſanna* enim non ſignificat redemptionem, eius tamen eſt quoddam indicium; ſalus enim à Chriſto allata, fuit redemptio noſtra, & hoc tantùm videntur voluiſſe SS. Hilarius & Ambroſius.

*Secundò.*

Secundò, S. Auguſtinus tract. 51. in Ioannem, putat *Hoſanna* eſſe interiectionem gaudentis & obſecrantis, qualis eſt euge, eia.

*Tertiò.*

Tertiò, Euthymius ait *Hoſanna* ſignificare laudem, vt deriuetur ab עז *hoz*, id eſt, fortitudo quod Noſter & Septuaginta alibi vertunt laudem, & חַנָּה *channa*, id eſt, gratia. Vndè & Gręci *Hoſanna* efferunt per duas dictiones.

*Quartò. Genuinè.*

Verùm dico cum S. Hieronymo, Theophylacto, Pagnino, Caninio, Ianſenio, Franc. Luca, Barradio & alijs, *Hoſanna* compoſitum & conflatum (quod perperam negat Abulenſis q. 134.) eſſe ex הושע *hoſcha*, id eſt, *ſalua*, & נא *na*, id eſt, *quæſo*; dicendum ergo eſſet *hoſchana*, id eſt, *ſalua quæſo*, vel *ſalua nunc*; ſed pro *hoſcana*, vulgò dicitur *hoſanna*, quia littera ע *ain*, quæ vltima eſt in *hoſcha*, verſa eſt in γ *gamma*, & γ *gamma* in ν *ny* (id eſt in litteram *n*) ob ſequens ν *ny* in voce *na*, vti fit apud Gręcos per euphoniam. *Hoſanna* ergo eſt acclamatio & apprecatio ſalutis, id eſt, proſperitatis & felicitatis; illius enim eſt nota, perinde ac apud nos in victoria eſt *iò pæan*, *io triumphe*: Vnde & ipſum nomen *Hoſanna* licèt ſit Hebræum, manſit tamen apud Græcos & Latinos.

Alludit, imò citat pſalm. 117. verſ. 25. *O Domine ſaluum me* (τὸ *me* non habent Hebr. videtur enim eſſe vox non Chriſti, ſed populi Chriſto ſalutem apprecantis) *fac: ò Domine benè proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini.* Symmach. vertit, *obſecro, Domine, ſaluum me fac, obſecro*; Hebr. eſt. אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא אָנָּא יְהוָה הַצְלִיחָה נָּא *anna Iehouah hoſcia na: anna Iehouah hatſlicha na*, id eſt, *ô Domine, ſalua, quæſo: o Domine, proſpera, quæſo*, regem noſtrum Dauidem, eiuſque antitypum Meſſiam: da illi felix regni ſui exordium, feliciorem progreſſum, & feliciſſimum finem. *Hoſanna* ergo acclamatur Meſſiæ, quaſi nouo regi Iſraelis, in eius inauguratione, vti nos acclamamus: Viuat rex, viuat princeps.

Hinc & pſalm. illo 117. verſ. 24. præcedit: *Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Cauſa præceſſit verſ. 21. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificâtes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Vbi Chaldæus de Dauide vertit: Dauid primò reiectus, deinde factus rex populi, quaſi lapis angularis nectens ſibi Iudam & Ieruſalem, id eſt, tam duas, quàm decem tribus. Melius S. Matthæus de Chriſto hæc explicat, q.d. Chriſtus à Iudæis in vita & morte reiectus & crucifixus, factus eſt lapis angularis Eccleſiæ poſt reſurrectionem, vtpote qui totum Eccleſiæ ædificium contineat & connectat vniendo Iudæos & Gentes in eodem Eccleſiæ ſuæ ſinu, ideoque illi *Hoſanna* decantamus & apprecamur.

Nonnulli cenſent *Hoſanna* ſumptum eſſe ex feſto Tabernaculorum, quo Iudæi exultantes cum ramis arborum crebrò ingeminabant & vociferabantur *hoſanna*, ac in precibus & Litanijs Deo plebs tota identidem reſponſabat, *Hoſanna*, id eſt, ſalua nos; ſicut Chriſtiani in Litanijs ad ſingula peſtis, famis, belli, &c. mala & flagella reſponſant, *Libera nos Domine.* Quocirca Iudæi ipſos quoque ramos vocabant *Hoſannas*, vti ex Chaldęo, Thalmud & Elia oſtendit Angelus Caninius tract. de Nomin. Hebr. cap. 4. & ex eo Ianſenius, Franc. Lucas, & alij. Verùm hoc *hoſanna* Chaldæi & Thalmudicorum, poſterius eſt noſtro *hoſanna* Chriſti: nam Thalmudici & Chaldæus poſteriores fuere Chriſto; quare potiùs iſtud ex hoc, quàm hoc ex illo deſumptum eſt. Adde *hoſanna* feſti Tabernaculorum eſſe *hoſanna* afflictionis & deprecationis; *hoſanna* verò Chriſti hîc eſſe exultationis, iubilationis



lationis & triumphi: hoc ergo ab illo differt tantum quantum Litania à triumpho.

Turba ergo hæc Dei inſtinctu in hanc acclamationem, *Hoſanna*, quæ lætantium & triumphantium eſt, in Chriſti laudem erumpit, æquè ac infantes verſ. 15, licèt occaſio illius fuerit memoria magni illius miraculi, ſcilicet ſuſcitationis Lazari, quæ paulò antè ibidem, putà in Bethania, facta fuerat à Chriſto, vt patet Ioan. 11. v. 15. & c. 12. v. 9. 17.

Filio David] Meſſiæ ſiue Chriſto, Dauidis regis & filio & heredi: multi veteres hæc ad turbam referunt, quaſi ipſa ſalutem poſcat à ſuo Meſſia, q.d. Hoſanna filio Dauid, id eſt, ſalus noſtra ſit à filio Dauid, vel ſalus nobis obtingat à filio Dauid, putà ab hoc Meſſia noſtro. Ita Origenes, S. Hieronymus, Beda, Hilarius hîc, S. Ambroſius in cap. 19. Lucæ, & Irenæus lib. 4. cap. 4.

Secundò, alij τὸ *filio Dauid* referunt non ad *Hoſanna*, ſed ad *dicentes*, q.d. Dicebant filio Dauid, id eſt, Chriſto, ſalua me, qui ſum populus tuus, ô fili Dauid, id eſt, ô Meſſias rex noſter. *Tò* enim *me* habent Latini codices, pſalm. 117. 25. Ita S. Hieronymus, Theophylactus, Euſebius & Genebrardus in pſal. 117.

Verùm dico populum hîc directè acclamare *Hoſanna*, non ſibi; ſed Chriſto regi ſuo, illique apprecari ſalutem, indirectè tamen & conſequenter ſibi quoque eamdem flagitare; ſalus enim regis eſt ſalus populi.

*Hoſanna* ergo *filio Dauid*, idem eſt, quod *ſalua, quæſo, filium Dauidis.* Sic enim vertendum fuiſſet, iuxta Latinam ſyntaxin; ſed interpres Græcus, æquè ac Latinus ſecutus eſt hebraiſmum. Hebræi enim verbum הושׁע *hoſca*, id eſt, *ſalua*, conſtruunt aliquando cum ל *lamed*, qui eſt articulus caſus datiui, ac ſubinde accuſatiui. Petit ergo turba rogatque Deum, vt ſaluet & proſperet Meſſiam, vt ſub eo ſalui & felices viuant omnes, ſicut nouo regi populus acclamat, *Viuat rex.* Aut potiùs & ſimpliciùs, *Hoſanna filio Dauid*, id eſt, ſolemne illud *Hoſanna* Dauidicum Ieſu, quem promiſſum, & hactenus expectatum Dauidis filium agnoſcimus, ſit, contingat, acclametur vnanimiter à nobis. Quę eſt vox acclamatioque populi ſancti Spiritus inſtinctu agnoſcentis Ieſum filium Dauid id eſt, Meſſiam, eique congratulantis; tamquam regnum Dauidis patris, cuius per ipſum reſtauratio iam diu foret expectata, ineunti; denique ſalutem, proſperitatem, fauſtaque omnia illi à Deo precantis, eademque ſibi ipſi per illum lætè promittentis. Vbi enim Chriſtus filius Dauid appellatur, illic reſpectus eſt ad regni Dauidici reſtitutionem. Ita Franciſcus Lucas.

Porrò Caninius, loco iam citato, ſic exponit, *Hoſanna filio Dauid*, id eſt, manibus geſtamus *hoſannas*, id eſt, ramos palmarum, *filio Dauid*, vt ſcilicet eum velut regem Meſſiam honoremus, ipſumque quaſi victorem & triumphantem ouantes comitemur. Vel *hoſanna filio Dauid*, id eſt, pręſcindite ramos, quos quaſi hoſannas filio Dauid offeratis; ſicut Poëta dixit, *Manibus date lilia plenis.* Verum aliud erat *hoſanna* feſti tabernaculorum, ſcilicet inſtar Litaniæ cuiuſdam, aliud turbæ hîc per *hoſanna* Chriſto triumphum acclamantis & gratulantis, vti paulò antè dixi.

Planiùs & pleniùs dicas, à populo hîc Chriſto acclamari, *Hoſanna filio Dauid*, q.d. O Domine, non tantùm ſalua Meſſiam noſtrum Dauidis filium & heredem, ſed & ipſi vim ſaluandi fideles omnes in ipſum credentes, ipſique ſubditos tribue, vt ſalus tua diuina à te in Chriſtum tam abundè deriuetur, vt ipſe eamdem in nos emanet & effundat. Verba enim coniugationis Hiphil ſunt ſummè actiua, vnde ſæpè duplicem actionem ſignificant; *hoſca* ergo, id eſt ſalua, ſignificat ſalua Chriſtum, ſimulque fac, vt ipſe ſubditos ſuos ſaluet, vt ſcilicet ipſe vti vocatur, ſic reuerà ſit *Ieſus*, id eſt, ſaluator mundi. *Ieſus* enim deriuatur à ישׁע *iaſca*, id eſt ſaluauit, quod in Hiphil adaucta actione habet הושׁע *hoſca*. Hac de cauſa Interpres vertit, *filio Dauid*, in datiuo, cùm aliàs vertendum eſſet, *filium Dauid*, in accuſatiuo. Datiuus enim ſignificat, Chriſto à Deo datam ſalutem, id eſt, vim ſaluandi omnes, quaſi ipſi ſoli propriam. Hoc nota, quia à nullo quod ſciam, animaduerſum eſt.

Hîc ergo Chriſtus, quaſi rex Iſraelis glorioſus, potens & triumphator, cui nemo reſiſtere valeat, quaſi inauguratur in Ieruſalem, ciuitate regiâ, in qua olim glorioſè regnarat Dauid & Salomon patres Chriſti; vt ipſe regnum eorum collapſum reſtituat, imò perficiat, & ex terreno cæleſte, ex humano diuinum, ex temporali æternum efficiat, cui proinde plebs per *hoſanna* partim applaudit, partim apprecatur ſalutem, id eſt, felicitatem, omneque bonum. Hoc eſt quod ait Marcus cap. 11. verſ. 9. *Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid, hoſanna in excelſis.*

Porrò hoc ſuum Eccleſiæ regnum quaſi inijt Chriſtus quintò poſt die, ſcilicet in Paraſceue Paſchę, dum in cruce de peccato, mundo, dæmone & inferno triumphauit, omneſque gentes eorum poteſtate, quantum eſt ex parte ſua, exemit & ſubiugauit: quocirca Eccleſia in Miſſa votiua de paſſione Chriſti illi accinit, *Tibi gloria, hoſanna; tibi triumphus & victoria; tibi ſumma laudis & honoris corona, alleluia.* Tunc enim *regnabit à ligno Deus.* Hinc rurſum Eccleſia in benedictione palmarum Deum orat, *vt portantes palmas & ramos oliuarum, bonis actibus occurramus obuiam Chriſto, & per ipſum in gaudium introeamus æternum.*

Benedictus (ſupple, ſit) qui venit (græcè, ὁ ἐρχόμενος, id eſt; ille veniens, qui venturus ſcilicet erat, vel expectabatur) in nomine Domini] q.d. Deus benedicat, ſecundet, proſperet, & glorioſum efficiat regnum Meſſiæ regis noſtri, ipſe enim venit ad nos *in nomine Domini*, id eſt, auctoratus, miſſus & donatus à Domino. Sic Ierem. cap. 4. 16. dicitur, *Locutus es ad nos in nomine Domini*, id eſt, iuſſu, auctoritate & vice Dei. Et cap. 3. 17. *Congregabuntur ad eam* (Ieruſalem) *omnes gentes in nomine Domini*,

Alludit ad pſalm. 44. 4. vbi Dauid de Chriſto vaticinans ait, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè, &c. intende, proſpere procede, & regna*, Chriſtus enim eſt rex Iſrael, ait S. Auguſtinus in Ioan. cap. 12. 23. *Eò quòd mentes regat, quòd in æternum conſulat, quòd in regnum cælorum credentes, ſperantes amanteſq; deducat.*

Tropologicè Remigius: Chriſtus, ait, venit in nomine Domini, quia in omnibus bonis operibus non ſuam, ſed Patris gloriam quæſiuit.

Hosanna in altissimis] Ianſenius explicat; q. d. Salua Meſſiam, tu Domine, qui es & habitas in cęlis altiſſimis. Meliùs Franc. Lucas, Maldonatus, & alij propoſitionem ב, id eſt, *in*, pro מן *min*, id eſt *de*, more Hebræo accipiunt, q. d. Tu, ô Domine, de cælo, imò de altiſſimo cælorum culmine, ſalua & fortuna regem Meſſiam. Apprecantur enim Meſſiæ ſalutem, non ab homine terrenam & caducam, ſed à Deo diuinam, cæleſtem & æternam, vt ſcilicet Deus diuinitùs eum ſaluet, eique vim ſaluandi alios tribuat: vt nimirum Chriſtus per gratiam ſuam, omnes ſuos fideles & ſanctos ad æternam ſalutem, felicitatem, regnum & gloriam perducat. Hinc Origenes *Hoſanna* explicat reſtitutionem in vitam æternam; hoc enim innuit *τὸ in altiſſimis*, vel, vt ipſe legit, in excelſis, ſcilicet ſalutem hanc quęri non in terra, ſed in cælis. Rurſus S. Hieronymus, *Oſtenditur*, ait, *aduentus Chriſti totius mundi ſalus eſſe, terrena iungens cæleſtibus.* Addit Gloſſa *in excelſis*, quia Chriſtus etiam angelorum eſt ſalus, quorum numerum implet. Vnde Emm. Sà addit, etiam angelos, qui in excelſis ſunt, hìc inuitari ad triumphum & laudem Meſſiæ. Quocirca Lucas cap. 19. 38. pro *Hoſanna* habet *pax in cælo*, id eſt, ſalus, proſperitas, omneque bonum (hoc enim Hebręis notat pax) de cęlo in Meſſiam, & per eum in nos à Deo dimanet & depluat, *& gloria in excelſis*, ſupple, ſit Deo meſſiæ datori. Aut potiùs *gloria* ſcilicet regni, firma, magna & continua, hoc eſt glorioſum regnum: *in*, id eſt de *excelſis*, putà de cælo diuinitùs detur meſſiæ noſtro. Ita Franc. Lucas. Rurſum ſublimiùs: *Pax* (ſit) *in cælo*, vt ſcilicet Deus hucuſque hominibus offenſus, Chriſto, & per Chriſtum nobis ſit propitius, atque angelos hominibus, cęlum terrę, Deum Synagogæ reconciliet. *Hinc nonnulli*, ait S. Chryſoſtomus, *Hoſanna interpretantur gloriam, alij reſurrectionem; nam & gloria illi debetur, & redemptio illi competit, qui omnes redemit*, q. d. Gloria & laus ſit Deo vniuerſorum, qui eſt in excelſis. Idem cecinerunt angeli in natiuitate Chriſti. Verùm *Hoſanna* propriè non gloriam, ſed ſalutem ſignificat: ſed ſalus noſtra per Chriſtum fuit gloria Dei. Alio ſenſu, in Pręfatione ſacrificij Miſſę, Triſagio, Sanctus, Sanctus, Sanctus, additur: *Hoſanna in excelſis: Benedictus, qui venit in nomine Domini*; vt ſcilicet non Chriſto, ſed nobis per Chriſtum ſalutem precentur, poſtulando vt & ipſe ab omnibus benedicatur, colatur laudetur, ac viciſſim benedictiones & gratias ſuas copioſè in nos effundat. Addit Lucas cap. 19. 41. *Et vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit ſuper eam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu*, &c. quia pręuidit & prædixit horrendum eius ſupplicium, & excidium per Titum & Veſpaſianum.

Vers. 10. Et cvm intrasset Hierosolymam commota est vniversa civitas, dicens: Qvis est hic?] Qui cum tanto honore, plauſu, congratulatione, quaſi rex Iſraelis Hieroſolymam ingreditur, idque ſpectantibus Scribis & Phariſęis, imò Romanis Tiberij Cæſaris militibus, qui non ferebant alium Iudęæ regem dici, quàm Cæſarem. Quare Chriſtus hìc ſe vt regem gerens, certum adijſſet capitis periculum; niſi ipſe vi ſuæ diuinitatis, omnes tam Iudæos, quàm Romanos obſtupefeciſſet, eoſque quaſi attonitos reddidiſſet, vt nemo in eum manus inijcere auderet, imò nec de inijciendo cogitaret. Ita Abulenſis, & alij.

Vers. 11. Popvli avtem dicebant: Hic est Iesvs Propheta a Nazareth Galilææ] Græcè, ὁ προφήτης, id eſt, ille Propheta, ſcilicet per excellentiam, qui omnes Prophetas prędicatione, ſanctitate, potentiâ & miraculis longè ſuperat & tranſcendit, ideoque eſt Meſſias rex Iſraëlis. *A Nazareth*: licet enim Ieſus eſſet natus in Bethleem, tamen in Nazareth erat educatus. Chriſtus hac ſua gloria dedit occaſionem ſuæ necis; Scribæ enim per illam ad eius inuidiam & odium concitati, poſt quatuor dies eum crucifixerunt. Nimirum Deus omnium præſcius, hæc omnia partim poſitiuè, partim permiſſiuè ordinabat, vt ex ijs eliceret maius bonum, ſcilicet redemptionem mundi per Chriſti mortem faciendam. Malitia ergo Scribarum impleuit Dei conſilium & decretum de morte Chriſti, & redemptione mundi, vti docet S. Petrus Actor. 2.

Vers. 12. Luc. 19. 45. Mar. 11. 15. Ioan 2. 14. 15.

*Eiectio vendentium è templo.*

Et intravit Iesvs in templvm Dei, et eiiciebat omnes vendentes] Ieſus ingrediens Ieruſalem, non arcem Sionis, quaſi alter Dauid; ſed templum adiit, vt oſtenderet ſe eſſe filium Dei Patris, qui in templo colebatur, illique honorem hìc ſibi à populo attributum, omnemque gloriam ſuam acceptam referret; quem non alio fine ſuſceperat, quàm hoc, vt homines ad Deum adduceret. Quocirca non eſt dubium, Chriſtum in templo Deo Patri gratias egiſſe; quòd ſe velut Meſſiam toti vrbi patefeciſſet, imò totius populi applauſu glorificaſſet. Rurſum prima Ieſu, vtpote Pontificis & Meſſiæ, cura erat templi. Vnde ingrediens vrbem illud primò adiit, vt nos idem facere doceret. Hac de cauſa, iter ſuum adornauit per Bethaniam) vbi ſuſcitarat Lazarum) & Bethpage; quę erant ex oppoſito templi, vt per illa ſtatim pergeret ad templum. Nam vt dixi verſ. 1. Chriſtus ex Bethphage tranſiens montem Oliueti, inde per vallem Ioſaphat directè perrexit ad portam auream (quæ tam templi erat, quàm vrbis) iuxta quam erat aquila aurea erecta ab Herode: quare per portam hanc illicò ingreſſus eſt in templum. Vide Adrichomium in deſcript. Ieruſalem, iter hoc Chriſti graphicè delineantem, qui & addit tradi à nõnullis, auream hanc portam ſolere eſſe clauſam, ſed ad aduentum Chriſti quaſi per miraculum fuiſſe reſeratam.

*Chriſtus non intrabat in Sanctum nec in atrium ſacerdotum, quòd non eſſet ſacerdos Leuiticus.*

Nota, per templum hìc intelligi non Sanctum, nec Sanctum ſanctorum (in hoc enim ſoli Pontifici, in illud ſolis ſacerdotibus fas erat ingredi) ſed atrium templi, in illud enim intrabant laici oraturi & ſpectaturi ſacrificia, quæ fiebant in atrio ſacerdotum ante Sanctum: hoc enim atrium erat quaſi populi templum. Chriſtus enim non erat ſacerdos Leuiticus, quia non erat prognatus ex Leui & Aaron: quare Sanctũ ingredi non poterat, nec atrium ſacerdotum ſed tantùm atrium populi. Quare quæ de genealogia Chriſti, quaſi oriundi ex tribu Leui eiuſque ſacerdotio Leuitico, confinxit Fauſtus Manichæus apud S. Auguſtinum lib. 23. contra eumdem



eumdem Fauſtum, item Theodoſius Iudęorum princeps tempore Iuſtiniani Imperatoris, quæ recitat Suidas verbo *Ieſus Chriſtus*, à ſuida & nonnullis nimis temerè credita, vt ſomnia & errores fabuloſiſſimos, nemo doctus non iam ridet, imò Vilalpando tom. 2. lib. 3. cap. 9. cenſet hoc atrium fuiſſe Gentium. Quis enim credat, hos negotiatores intima penetraſſe, cum in extimis commodè ſua vendere poſſent? præſertim quia Chriſtus eodem die & loco egit cum Gentibus, vt patet Ioan. 12. 20. Gentiles autem non poterant ingredi atrium Iudæorum, ſed Gentium, quod erat ante atrium Iudæorum. Hoc atrium ergo erat porticus Salomonis, putà pars orientalis porticus Salomonis in atrio Gentium, in quo vendebantur columbæ, oues, & agni immolandi in templo, quos Chriſtus ex eo eiecit. Atrium enim Gentium erat quaſi templum Gentilium, in quo proinde non decebat emi & vendi.

Et eiiciebat omnes vendentes et ementes in templo] Non in ipſo die palmarum, ſed poſtero die: nam Marcus ca. 11. verſ. 11. qui exactè & ſigillatim hæc Chriſti à Dominica palmarum, vſque ad diem Veneris, quo paſſus & crucifixus eſt, acta per dies ſingulos conſignat, dicit *altero die* à Dominica Palmarum quo hic ſolemnis Chriſti ingreſſus in vrbem contigit, hoc eſt, feriâ ſecundâ, ſiue die Lunæ hæc à Chriſto in templo eſſe peracta. Chriſtus ergo Dominicâ Palmarum ſolemni pompa ingreſſus eſt vrbem & templum, in eoque orauit, & Deo gratias egit; deinde ſub veſperam ex vrbe egreſſus eſt Bethaniam cum duodecim Apoſtolis; ac poſtero die Lunæ in vrbem & tẽplum regreſſus, ex eo eiecit ementes & vendentes, vti narrat Marcus c. 11. verſ. 11. 12. & 15. Quare hìc in Matthæo eſt hyperbaton, ſiue inuerſus hiſtoriæ ordo; voluit enim ipſe cum ingreſſu Chriſti in templum iungere eiectionem ementium è templo, breuitatis ſtudio, ne rurſum ingreſſum Chriſti in templum poſtridie factum narrare cogeretur.

*Chriſtus eiecit vendentes è templo, ob duas cauſas.*

Porrò eos eiecit Chriſtus e templo, id eſt, atrio templi, duabus de cauſis. Prior eſt, quod non deceret res illas vendi in templo, ſed in foro. Templum enim eſt domus orationis, non negotiationis, vt ait Chriſtus. Poſterior, erat auaritia & vſura ſacerdotum. Hi enim per ſuos vel famulos, vel inſtitores, oues, hœdos, columbas vendebant carò iis, qui illa offerre volebant in templo; præſertim peregrè venientibus, & pauperibus, à quibus ob dilationem ſolutionis, lucrum per vſuram extorquebant. Vnde à Chriſto vocantur latrones. Ita S. Chryſoſtomus, & alij.

*Bis eiecit Chriſtus vendentes è templo.*

Denique bis eiecit Chriſtus ementes è templo, Primò initio prædicationis ſuæ. Ioan. 2. 14. Secundò, ſub finem eiuſdem, quatuor diebus ante mortem ſuam, vt patet ex hoc loco. Ita S. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Euthymius, Theophylactus, Ianſenius, Maldonatus, Toletus, & alij.

*Collyba & collybiſtæ quid?*

Et mensas nvmvlariorvm (Syrus, *trapezitarum*) et cathedras vendentivm colvmbas evertit] *Numulariorum*, græcè, κολλυβιστῶν: *Collyba* autem, vt ait S. Hieronymus, dicuntur, quæ nos appellamus *tragemata*, vel *vilia munuſcula: verbi gratia, frixi ciceris, vuarumque paſſarum, & poma diuerſi generis; igitur quia vſuras accipere non poterant collybiſtæ, qui pecuniam fœnerati erant, pro vſuris accipiebant varias ſpecies, vt, quod in nummo nõ licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coëmuntur; quaſi non hoc ipſum Ezechiel prædicauerit, dicens: Vſuram & ſuperabundantiam non accipietis*, Ezech. 22.

Veriſimiliùs Ianſenius & alij ex Heſychio & Polluce cenſent, hos collybiſtas non mutaſſe pecuniam, ſed commutaſſe dumtaxat monetam, vt pro aurea darent argenteam, pro maiore minorem, pro peregrina domeſticam idque cum auctario & lucro; collybiſtæ ergo erant campſores ita dicti à κόλλυβος, id eſt, exigua moneta, aut nummus, quem dabant pro contrectanda pecunia.

*Moraliter.*

Tropologicè numularij ſunt ſimoniaci, imò quiuis peccatores, qui animam ſuam, quę templum eſt Dei, ſuis luxurijs & ſceleribus profanant, iuxta illud. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti?* 1. Corinth. 6. 19. Et: *Si quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus*, 1. Corinth. 3. 17. Ita S. Hieronymus, Origenes, & auctor Imperfecti.

Et cathedras] Id eſt, *ſedes*, vt vertit Syrus, in quibus ſedebant venditores & venditrices columbarum: hæ enim à feminis vendi ſolent, quæ, quia debiles ſunt, vt diu ſtare nequeant, hinc ſedes ſibi procurant, iuxta illud Martialis:

*Inter femineas tota quæ luce cathedras*
*Deſidet.*

Mirum eſt vni homini pauperi, qualis eſt Chriſtus, omnia ſacerdotum lucra in templo ſubuertenti, neminem eorum reſtitiſſe. Vnde S. Hieronymus cenſet hoc maximum fuiſſe Chriſti miraculum, quòd ſolus ipſe potuerit *ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, menſaſque ſubuertere & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam atque ſidereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie.* Hucuſque S. Hieronymus. Chriſtus ergo hìc ingentem religionis & templi oſtendit zelum, impleuitque illud Pſalmi 68. 10. *Zelus domus tuæ comedit me*, vt ait Ioannes cap. 2. 17.

*Myſticè.*

Myſticè vendunt columbas, qui pecunia vendunt gratiam Spiritus ſancti, putà ordinationem, ſacerdotia, & beneficia: columba enim eſt ſymbolum Spiritus ſancti. Ita Origenes.

Vers. 13. Mar 11. 17. Luc. 19. 46 Ioan. 2. 16.

Et dicit eis: Scriptvm est (Iſaię 56. 7.) Domvs mea, domvs orationis vocabitvr: vos avtem fecistis illam spelvncam latronvm] Arabicus, *ſpeluncam latronibus. Latro enim eſt*, ait S. Hieronymus, *& templum in latronum conuertit ſpeciem, qui lucra de religione ſectatur, cultuſque eius non tam cultus Dei, quàm negotiationis occaſio eſt*; quia ſcilicet ſacerdotes hi, toti lucro intenti, honeſtâ templi ſpecie, quaſi in ſpelunca latitantes, cara venditione, vſuris, alijſque fraudulentis modis & artibus peregrinos & pauperes expoliabant imò expilabant, vti faciunt latrones.

*Latro à latendo dictus.*

*Alia latronis etyma.*

*Latro enim*, ait S. Iſidorus lib. 10. Etymol. literâ L. *inſeſſor eſt viarum à latendo dictus: melius autem latro eſt quaſi latero, qui à latere inſidiatur viæ.* Et Varro lib. 6. de Lingua Latina: *Latrones*, ait, *dicti à latere, quòd circa latera haberent ferrum.* Et Sextus Pompeius de Verb. ſignif. literâ L. *Latrones*, ait, *eos antiqui dicebant qui conducti militabant*

*litabant*, ἀπὸ τῆς λατρείας (id eſt, à mercede) *at nunc viarum obſeſſores dicuntur latrones, quòd à latere adoriantur, vel quod latenter inſidientur.*

Alludit ad Ieremiæ 7.11. vbi ait Deus: *Numquid ergo ſpelũca latronum facta eſt domus mea, in qua inuocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? ego, ego ſum: ego vidi, ait Dominus.* Putabant enim hi Semiathei ſe ſuaque ſcelera abſcondere, ne à Deo viderentur, ſicut latrones abſcondunt ſe, latentque in ſpeluncis.

*Templum dicitur domus Dei: cur?*

Nota. Templum dicitur domus Dei, non quaſi in eo velut in domo, Deus corporaliter inhabitet (hoc enim negat S. Paulus, Actor. 17. 24.) ſed quia templum eſt locus deputatus ad colendum & orandum Deum, in quo Deus preces orantium exaudit: templum verò Chriſtianorum ſpecialiter dicitur domus Dei, quia in eo corporaliter habitat in S. Euchariſtię Sacramẽto Chriſtus Dominus, ait S. Thomas.

Tropologicè, templum eſt domus, non confabulationis, non ſpeculationis, non potationis, nõ comeſſationis, ſed orationis. Videat ergo quàm à Chriſto flagellandi ſint, qui illud garriendo, circũſpiciendo, laſciuiendo, potando profanant. Nam vt ait Beda in ca. 2. Ioannis. *Videbantur licitè vendi in templo, quæ ad hoc emebantur, vt in eodem templo offerrentur Domino; ſed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua, terrenæ negotiationis, ne eius quidem quæ honeſta putarẽtur, exhiberi, diſpulit negotiatores iniuſtos, & foras omnes ſimul cum iis, quæ negotiabantur, eiecit. Quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos, qui hoſtias, quæ ſibi immolarentur, ementes in templo vidit, & eliminare feſtinauit?* Præſertim quia hi ementes & vendentes non degebant in ipſo templo propriè, ſed in atrio templi dumtaxat, imò in atrio omnibus gentibus communi, & tamen inde à Chriſto eiecti ſunt; quid ergo faciet Chriſtianis, in templo ipſo coram V. Sacramento hęc ipſa, & indigniora patrantibus?

Hinc diſce quanta reuerentia debeatur templo, ſcilicet quę debetur domui Dei; de eo enim dicit Chriſtus, *Domus mea*: quare ſicut herus iniuriam domui ſuæ factam, vt ſibi factam perſequitur & vlciſcitur: ſic & Chriſtus iniuriam templo illatam, ſibi illatam æſtimat, ac vt talem punit & vindicat. Quare appoſitè monet S. Auguſtinus in Regula: *Nemo*, inquit, *in oratorio aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen habet.* Vide dicta Iſaiæ 56. 7. & Leuit. 9. in fine capitis.

VERS. 14. ET ACCESSERVNT AD EVM CÆCI ET CLAVDI, ET CVRAVIT EOS] Vt per hęc miracula oſtenderet ſe eſſe Meſſiam, imò Deum, ideoque meritò hac populi acclamatione & pompa fuiſſe decoratum. Hęc enim miracula patraturum Meſſiam prędixit Iſaias cap. 35. v. 5. atque hęc digna erant Chriſto, ęquè ac templo: quę proinde pro auaris pecorum venditionibus & nundinationibus Chriſtus ſubſtituit.

VERS. 15. VIDENTES AVTEM PRINCIPES SACERDOTVM, ET SCRIBÆ MIRABILIA QVÆ FECIT, ET PVEROS CLAMANTES IN TEMPLO, ET DICENTES: HOSANNA FILIO DAVID, INDIGNATI SVNT] Tum quia inuidebant Chriſto hanc gloriam, tum quia ægrè ferebant ſuas nundinationes & lucra è templo fuiſſe eiecta.

VERS. 16. ET DIXERVNT EI: AVDIS QVID ISTI DICVNT? IESVS AVTEM DIXIT EIS: VTIQVE. NVMQVAM LEGISTIS, QVIA EX ORE INFANTIVM ET LACTENTIVM PERFECISTI LAVDEM?] Pſal. 8. 3. Hebr. eſt יִסַּדְתָּ עֹז *iiſſadta oz*, id eſt, *fundaſti fortitudinem*; Aquila, *fundamenta eieciſti potentiam*; Sexta editio, *conſtituiſti robur*; Tertullianus lib. de Anima ca. 19. *expediuiſti laudem*; Syrus, *direxiſti laudem*; Arabicus, *paraſti laudem*, hoc eſt probaſti, confirmaſti, perfectè laudabilem feciſti potentiam tuam, dum ex ore infantium elinguium & necdum fari loquique potentium, laudem & gloriam tuam exprimis. Feciſti enim vt in die palmarum infantes cum populo acclamarint Chriſto: *Hoſanna Filio Dauid.* S. Hilarius & auctor Imperfecti per infantes accipiunt pueros iam fari loquique potentes. Veriùs S. Chryſoſtomus, Euthymius & Theophylactus cenſent hos verè fuiſſe infantes fari neſcios, vti hic expreſsè dicitur. Vnde Syrus vertit, *ex ore puerulorum & infantium derexiſti laudem*; ideoque addit Lucas cap. 19. 40. Chriſtum dixiſſe: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, quo ſignificatur diuino inſtinctu & miraculo actos & impulſos infantes, æquè ac pueros Chriſto acclamaſſe, *Hoſanna*, quod non intelligebant, imò quòd infantes naturaliter effari necdum poterant. Cauſa fuit, quam ſubdit Pſaltes pſalm. 8. *Vt deſtruas inimicum & vltorem*, vt ſcilicet per ora infantium confundas Scribas & Phariſæos Chriſti inimicos, doceaſque ipſos eſſe amentes & inſipientiores infantibus, qui Ieſum vt Chriſtum agnoſcunt: laudant, glorificant. Sed hæc vltima Pſalmi verba ſtudio ſubticuit Chriſtus, ne Scribas nimiũ exaſperaret. Simul innuit hîc Chriſtus infantes pręueniendos eſſe, vt, cùm loqui incipiunt, doceantur pia proloqui, ac prima eorum vox ſit, *Hoſanna, Ieſus, Maria*, &c. Sic S. Hieronymus ſcribit ad Blæſillam, vt Paulam filiolam (S. Paulæ quaſi auiæ neptem) primùm vt fari incipit, *Alleluia* effari & pronuntiare doceat; vti noſter B. Franciſcus Borgia, prima, cùm infans eſſet, verba ſonare *Ieſus Maria* edoctus eſt, teſte Ribadeneira in eius Vita. Sic Triſagion, putà, *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth*, reuelatum fuit puero rapto in aëra, cùm Conſtantinopoli graſſaretur terręmotus, qui ceſſauit mox, vt populus à puero edoctus, Triſagion conclamauit, anno Chriſti 446. ſub Theodoſio Imperatore, teſte Damaſceno tract. de Triſagio. Gaudet enim Deus puris puerorum laudibus: pueri enim dicuntur à puritate, ait Varro, quod impuberes ſint, & puri quaſi angeli terreſtres.

*Acclamans Chriſto pueri.*

*Prima vox infantium ſit pia.*

*Exempla.*

Arias Montanus in Pſalm. 2. aduertit infantes in quacumque gente vocem יָהּ *iah* ſonare, quod eſt nomen Dei, & abbreuiatum *Iehoua*, ſicque nominis ſui admirabilis initia & fundamenta, vel ab ipſo infantium ore firmiter iacta, Deum ſibi vendicare. Ibidem Arnobius negat quemquam eſſe hominem, qui non cum Dei notione diem primæ natiuitatis intrauerit, imò bruta, arbores & ſaxa, ſi loqui poſſent, clamatura, cunctorum Dominum Deum. Sic Plato lib. 10. de Republ. & Cicero libr. 1. de Natura deorum, docent nos cum lacte matris ſugere Dei cognitionem & laudem. Lyranus diſtinguit triplicem puerorum Deum laudantium ordinem. Primi ſunt qui laudant Deum morte, non ore, vt fuere innocentes pro Chriſto ab herode occiſi. Secundi, qui ore, non morte, vti fuere hi canentes Chriſto *Hoſanna*. Tertij, qui ore ſimul & morte laudarunt Deum, vti fuere S. Agnes 13. annorum, S. Pancratius 12. S. Vitus, Celſus, & alij. Vide noſtrum Philippum Barlaymont in Paradiſo puerorum ca 13. & 14. vbi Dei elogia & oracula ore infantium edita recenſet.

*Deum ſonat prima vox infantilis.*

*Triplex puerorum laus.*



*Argumentum Pſalmi octaui.*

Nota. Pſalmus octauus, licèt ad literam loqui videatur de magnificentia Dei, quam oſtendit in creatione totius vniverſi, in qua hominem fecit rerum omnium dominum, tamen magis propriè & profundè ad litteram loquitur de magnificentia Dei, quam oſtendit in recreatione & redemptione mundi, in qua effecit Chriſtum peccati & mortis victorem, ac mundi redemptorem, & vniuerſorum dominum, qui proinde primus eſt homo, & hominum omnium nobiliſſimus. Id patet Primò, ex eoquòd Chriſtus hîc ita eum explicet, ęquè ac Paulus Hebr. 2. 7. Secundò, quia magnificentia tanta, quam ibi celebrat Pſaltes, hominis miſeriæ, qui poſt lapſum in peccatum iam perdidit dominatum in beſtias, non ita competit vt Chriſto. Tertiò, quia hic verſiculus, *Ex ore infantiũ & lactentium perfeciſti laudem*, multò clariùs & veriùs competit Chriſto, quàm aliis. Simile eſt Deuter. 18. 18. vt ibi dixi. Quod enim Maldonatus id de Dauide explicat, quaſi is reſpectu Goliat, cui caput amputauit, ſe infantem apellet, certum eſt eum tum verè infantem non fuiſſe, ſed iuuenem animoſum & bellicoſum. Vnde Nicephorus in Pſal. 8. *Magnificentia Dei*, inquit, *eſt incarnatio Verbi.*

VERS. 17. Mar. 11. 11. ET RELICTIS ILLIS, ABIIT FORAS EXTRA CIVITATEM IN BETHANIAM, IBIQVE MANSIT] Syrus & Arabicus, *pernoctauit in Bethania.* Vide hîc ingratitudinem & mutabilitatem populi: qui enim eodem manè acclamarat Chriſto, *Hoſanna*, iam veſpere eiuſdem diei ob metum Scribarum Chriſtum deſerit, ita vt nemo inuentus ſit, qui eum ad hoſpitium inuitaret; ideoque Chriſtus vrbe egredi coactus eſt, ad Martham & Magdalenam hoſpites ſuos in Bethaniam.

*Populus mutabilis & ingratus.*

VERS. 18. Mar. 11. 12. MANE AVTEM REVERTENS, IN CIVITATEM, ESVRIIT] Contigit ergo hoc poſtridie Dominicæ palmarum, feria ſecunda, ſiue die Lunæ; hoc eſt, die 11. menſis primi Niſan, quæ noſtro computu eſt 21. Martij; nam poſt tres dies, putà die Veneris in Paſchate, quæ tunc incidebat in diem 25. Martij, crucifixus & immolatus eſt Chriſtus.

ESVRIIT] Non eſurie naturali, ſed ſpontè excitatâ in ſe fame, ait S. Chryſoſtom. & Abulenſis quæſt. 103. erat enim manè, & pridie veſperè Chriſtus apud Martham cœnauerat, vt tam citò eſurire non poſſet. Excitauit ergo hãc in ſe eſuriem, vt per eam haberet occaſionem maledicendi ficui infrugiferę; vnde & ficus in ea quęſiuit, licèt ſciret tum tempus ficorum non eſſe, vt habet Marcus c. 11. 14. erat enim die 21. Martij, vt dixi, cùm nondum ficus apparent.

Nota. Hæc eſuries Chriſti, & arefactio ficus contigit antequam eijceret ementes & vendentes è templo; hoc enim eodem die Lunę, ſed poſt ficus arefactionem effecit, vt patet ex Marco ca. 11. 14. & ſeq. vbi particulatim per ſingulos dies acta Chriſti conſignat.

VERS. 19. Mar. 11. 13. 14. 20. ET VIDENS FICI ARBOREM VNAM SECVS VIAM, VENIT AD EAM, ET NIHIL INVENIT IN EA NISI FOLIA TANTVM, ET AIT ILLI: NVMQVAM EX TE FRVCTVS NASCATVR IN SEMPITERNVM. ET AREFACTA EST CONTINVO FICVLNEA] Chriſtus maledixit ficui, eamque arefecit, vt oſtenderet poteſtatem ſuam, qua poſſet ſimiliter proterere & arefacere Scribas & Iudæos hoſtes ſuos, ſi vellet: quare ſe ab eis mox crucem & necem paſſurum non inuitum, ſed volentem. Nota hanc Chriſti maledictionem non fuiſſe propriam, ſed per catachreſin abuſiuam: maledictio enim hæc tantùm ſignificat Chriſtum ficui precatum fuiſſe malum, ſcilicet arefactionem, quod rebus inanimis iuſta de cauſa precari licet; præſertim Chriſto, cuius ſunt omnes omnium hominum arbores & prædia. Vide dicta Ierem. 20. 14. & Iob 3. 1. Simili modo S. Franciſcus maledixit iunipero arbori plantatę à B. Iunipero, vno è primis ſociis ſuis, in pœnam eius inobedientiæ, quæ proinde nec latum quidem vnguem creuit à die quo terræ infixa eſt, quæ etiamnum viſitur Carinulæ, ſiue Caleni, Campaniæ felicis ciuitate, iuxta Mondragonium in monaſterio Minorũ; dum enim B. Iuniperus plantandæ huic iunipero intenderet, vocatuſque à S. Frãciſco, quouſq; cœptum perfeciſſet opus, parere detrectaſſet; maledixit S. Franciſcus arbori, quòd inobidientiæ occaſio & obiectum extitiſſet; eique præcepit, ne in poſterum creſceret, idque protinùs factum eſt; vt arbor obediens Sancto, ſuo malo homines doceret obedientiam. Ita Waddingus in Annal. Minorum anno Chriſti 1222. num. 11.

*Chriſtus maledixit ficui;*

*S. Franciſcus iunipero.*

Myſticè eſuriit Chriſtus, vt oſtenderet famen ſpiritualem, quam habebat ſalutis Iudęorum, imò peccatorum: ſed quia ipſi huic fami & voto Chriſti non ſatisfaciebant, idcircò ipſos ſubtracto gratiæ humore, ſiccandos fore & maledicẽdos à Deo. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Hilarius, Beda & Abulenſis quæſt. 117.

*Ficus arefacta myſticè quid?*

VERS. 20. Mar. 11. 20. 11. ET VIDENTES DISCIPVLI, MIRATI SVNT DICENTES: QVOMODO CONTINVO ARVIT?] *hæc ficus*, vti addunt Græca & Syrus. Contigit hoc poſtero die, Chriſtus enim die Lunæ, ex Bethania regrediens in Ieruſalen, maledixit ficui, inde è templo eiiciens ementes, ibidem docuit; veſpere ex vrbe regreſſus eſt Bethaniam; poſtero manè diei Martis ex Bethania cum eo regredientes diſcipuli Hieroſolymam, viderunt ficum arefactum; tumque mirantes dixerunt: *Quomodo continuò aruit?* Hęc hoc ordine cõtigiſſe patet ex Marco cap. 11. v. 19. & 20.

*Quo die ficus hæc arefacta eſt.*

Symbolicè, Chriſtus maledixit ficui, quia ficus fuit arbor à Deo vetita, ex qua Adam comedens, ſe ſuoſque poſteros perdidit, vti viri docti probabiliter opinantur, quos citaui Geneſ. 2. verſ. 9.

Allegoricè, ficus arefacta notat Iudæos, qui, veniente Chriſto, increduli humorem fidei & gratiæ perdiderunt, ideoque nullos bonorum operum fructus proferunt. Ita Origenes.

Tropologicè, ficus foliata, ſed carens ficubus, notat fideles, qui habent folia profeſſionis fidei, ſed carent ſolidis virtutum fructibus, ideoque à Chriſto maledicentur. Ita Origenes.

VERS. 21. Sup. 17. 19. RESPONDENS AVTEM IESVS, AIT EIS: AMEN DICO VOBIS, SI HABVERITIS FIDEM

Luc. 17. 6. Mar. 11. 23. (illam excellentem & efficacem inſtar graui ſinapis, de qua cap. 17. 19.) ET NON HÆSITAVERITIS, NON SOLVM DE FICVLNEA FACIETIS (quod iam à me factum videtis, patet ex Græco) SED ET SI MONTI HVIC DIXERITIS TOLLE (ſcilicet te, vt ſequitur: grecè, ἄρθητι, id eſt, vt Syrus, *tollitor*, euellitor è terra) ET IACTA TE (græcè, βλήθητι, id eſt, *proijcitor*; Syrus, *cade*) IN MARE, FIET] *Et non hæſitaueritis*; græcè, μὴ διακριθῆτε, id eſt, non diſceptaueritis quaſi dubij & hæſitantes; non diſcreueritis, an quod petitis ſit factu facile, an difficile. Multi enim, quia putant id, quod petunt, eſſe arduum & difficile, hinc diffidunt ſe à Deo id impetraturos, ideoque non impetrant: qui verò non diſcernunt inter facile & difficile, cogitantes id, quod ſibi eſt difficile, Deo eſſe facile; ideoque confidunt diuinæ omnipotentiæ, bonitati & promiſſioni, quâ promi- B ſit ſe omnia, quæ certa fide & fiducia ab eo petimus, nos impetraturos; quare ſuam mentem & ſpem erigunt ſupra ſuam infirmitatem, eamque collocant in Deo, certò ab eo expectantes orationis ſuæ finem & fructum; hi impetrant quæcumque & quantumcumque ab eo poſtulant. *Monti huic*. Oliueti; iuxta eum enim pergens in Ieruſalem dixit hæc Chriſtus. ita Abulenſis quæſt. 134 Franc. Lucas, & alij. Cetera, quæ huc ſpectant, dixi cap. 17. 19.

*Domus B. Virginis Lauretum ab angelis tranſlata.* Sic ob infidelitatem Turcarum, qui terræ ſanctæ dominantur, angeli ex Galilęa & Nazareth anno Domini 1291. tranſtulerunt domum B. Virginis, in qua ipſa, angelo nuntiante, concepit Filium Dei, in Dalmatiam; & inde anno Domini 1294 in Italiam (Lauretum) vbi ſedes & caput eſt fidei ac fidelium; ideoque ob fidem illam innùmera ibidem patrat miracula, quæ C recenſet noſter Horatius Turſellinus in Hiſtoria Lauretana.

VERS. 22. Mar. 11. 24. ET OMNIA QVÆCVMQVE PETIERITIS IN ORATIONE, CREDENTES ACCIPIETIS *Credentes*, id eſt ſi credideritis, & confiſi fueritis, vos illa à Deo impetraturos; iuxta illud Iacobi 1. 6. *Poſtulet in fide nihil hæſitans*. Vide vbi dicta.

Pręclarè S. Bernardus ſerm. 15. in Pſalm. *Qui habitat*; tropologicè explicans illud Dei ad Ioſue cap. 1. *Quemcumque locum calcauerit pes veſter, veſter erit: Pes veſter*, ait, vtique *ſpes veſtra eſt; & quantumcumque iſta proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, vt firma ſit, & non titubet*. Ratio à priori eſt Dei liberalitas & munificentia, quæ non patitur ſe ſpe noſtra vinci, ſed eam longè ſuperat & tranſcendit.

VERS. 23. Luc. 20. 1. 2 Mar. 11. 27. 28. ET CVM VENISSET IN TEMPLVM, ACCESSERVNT AD EVM DOCENTEM PRINCIPES SACERDOTVM, ET SENIORES POPVLI, DICENTES: IN QVA POTESTATE HÆC FACIS? ET QVIS TIBI DEDIT HANC POTESTATEM?

IN QVA POTESTATE] Græcè ἐξουσίᾳ, id eſt, auctoritate, q. d. Quis dedit tibi ius & auctoritatem docendi in templo, ex eoque eijciendi ementes & vendentes, ac populum conuocandi, vt tibi quaſi doctori & Meſſiæ acclamet Hoſanna?

VERS. 24. Luc. 20. 3. Mar. 11. 29. RESPONDENS IESVS, DIXIT EIS: INTERROGABO VOS ET EGO VNVM SERMONEM: QVEM SI DIXERITIS MIHI, ET EGO VOBIS DICAM IN QVA POTESTATE HÆC FACIO.] Vulgò dicitur;

*Non litem ſoluit, qui litem lite reſoluit.*

A Sic enim malæ fidei cauſidici, cùm cauſæ ſuæ diffidunt, aliam cauſam litemque intexunt, vt tergiuerſentur & condemnationem ſuffugiant. Sic & hæretici cùm argumentis Catholicorum reſpondere nequeunt, alia argumenta eis obiiciunt, vt hæreſis & ignorantiæ ſuæ effugium quærant. At Chriſtus non ita hîc agit, ſed interrogationem aliam interſerit, ex qua pendebat quęſtionis à Scribis propoſitæ ſolutio, q. d. Mihi non creditis, dicenti me ex Deo poteſtatem accepiſſe: credite ergo Ioanni Baptiſtę, qui mihi teſtimonium perhibuit, me à Deo ad hæc peragenda eſſe miſſum.

BAPTISMVS IOANNIS VNDE ERAT? E CÆLO AN EX HOMINIBVS?] Chriſtus per baptiſmum Ioannis, eius de ſe teſtimonium, doctrinam, omnemque prædicationem intelligit. Eſt ſynecdoche. Eſt hoc Chriſti argumentum appoſitum ad B Scribas, & irrefragabile, q. d. Vos quęritis à quo poteſtatem habeam, à Deo, an ab hominibus? ego viciſſim quęro à vobis, à quo prędicandi & baptizandi poteſtatem habuit Ioannes Baptiſta, à Deo, an ab hominibus? Si ille iſtam à Deo habuit, vti omnes confitentur, ergo & ego eamdem à Deo habeo; hoc enim de me teſtificatus eſt Ioannes, docens ſe eſſe ſeruum, me autem Meſſiam filium Dei, idque cùm vos hac de re legatos ad eum ex profeſſo miſiſſetis, ſciſcitatum ab eo an ipſe eſſet Meſſias? Ioan. cap. 1. verſ. 20. & 26. VERS. 25. Luc. 20. 4. 5. Mar. 11. 30. 31.

E CÆLO] à Deo profectus. Vbi nota. Hebrei per metonymiam, qua continens pro contento ponitur; Deum vocant שָׁמַיִם *ſcamaim*, id eſt, cęlum. Hoc ſecuti Græci Poetæ Saturni Pàtrem οὐρανὸν vocarunt, vti Latini cælum. ita C Caninius de Nominib. Hebraic. cap. 2. Hinc Iudæi cælum & aſtra pro Deo coluerunt: vnde Chriſtiani à Chriſtianiſmo ad iudaiſmum olim apoſtatantes dicti ſunt cælicolæ; contra quos extant reſcripta Theodoſij & Honorij Imperat. lib. 18. de Iudæis & cælicolis. Vide Baronium anno Domini 408. Hinc & de Iudæis canit Poëta *Deus vocatur cælum: cur?*

*Qui puras nubes & cæli numen adorant.*

Cælum enim ſua vaſtitate, pulchritudine, motu, ornatu, influxu, omnes rapit in ſui admirationem: vnde cælum dicitur quaſi cælatum ſtellis & ſideribus, ait Sipontinus; licèt Varro lib. 4. de Lingua Latina cælum à κοίλος, id eſt cauo, deriuet, quòd ſua cauitate omnes res creatas complectatur. Hinc Deus eſt quaſi Atlas cęli & mũdi, de quo Virgil. lib. 6. Æneid.

——*Vbi cælifer Atlas*

D *Cælum humeris torquet, ſtellis ardentibus aptum.*

Quocirca multę gentes cælum vt Deum coluerunt. Vnde Cicero lib. 2. de Diuinat, *Ego*, ait, *Deûm genus eſſe ſemper dixi, & dicam cælitum*. Idem in Somnio Scipionis: *Et grates tibi ago ſumme ſol, vobiſq; reliqui cælites*. Et Plinius lib. 7. c. 33. *Diuinitas*, ait, *& quædam cælitum ſocietas nobiliſſima ex feminis in Sybilla fuit*. Audi & S. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 1. *Et ipſos deos non ob aliud appellant cælicolas, niſi quòd cælum colant, non vtique venerando; ſed inhabitando tamquam cæli quoſdam colonos*. Denique cælum eſt thronus Dei, ac ſedes maieſtatis & glorię eiuſdem, ęquè ac SS. Angelorum & hominum beatorum. *Cælum vt Deum coluerunt multi.*

Hinc diſce cęlum ambire, cęlum ſuſpirare, terram



terram & terrena deſpicere, ac dicere cum noſtro S. Ignatio: *Quomodo ſordet mihi terra, cum cælum aſpicio!* Qui enim cælum ambit, paradiſum ambit, felicitatem ambit, beatam æternitatem ambit, Deum cęlitum ambit: *O Iſrael, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius!* Baruch. 3. 24. Vide ibi dicta.

AT ILLI COGITABANT INTER SE, DICENTES] Græcè, διελογίζοντο, id eſt, cogitabant & conferebant inter ſe, deliberantes quid Chriſto reſponderent, quaſi anxij & perplexi.

VERS. 26. Luc. 10. 5. 6 Mar. 11. 31. 32. SI DIXERIMVS, E CÆLO, DICET NOBIS. QVARE ERGO NON CREDIDISTIS ILLI? SI AVTEM DIXERIMVS, EX HOMINIBVS, TIMEMVS TVRBAM; OMNES ENIM HABEBANT IOANNEM SICVT PROPHETAM.

QVARE ERGO NON CREDIDISTIS ILLI] aſſerenti me eſſe Meſſiam, ſuadentique vt per pœnitentiam vos præparetis ad meam gratiam & B ſalutem. *Timemus turbam*, ſcilicet *ne lapidet nos*, vt addit Lucas cap. 20. verſ. 5. *Sicut Prophetam*: τὸ *ſicut*, eſt nota veritatis, non ſimilitudinis, q. d. Omnes habebant Ioannem, vt verum magnumque Prophetam, ideoque à Deo miſſum: Propheta enim, legatus, vates & interpres eſt Dei. Sic Ioannis 1. de Chriſto dicitur: *vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*; vbi τὸ *quaſi* veritatem notat non ſimilitudinem, q. d. Vidimus gloriam eius, vt verè vnigeniti Filij Dei, ſiue eius qui verus & vnigenitus erat Dei.

VERS. 27. Luc. 20. 7. 8. Mar. 11. 33. ET RESPONDENTES IESV, DIXERVNT: NESCIMVS] Mentiuntur, quia viderant vitam Ioannis, æquè ac prędicationem ſanctiſſimam & diuinam, morte pro caſtitate obitâ, & martyrio iam obſignatam; ſed improbitas mauult mentiri, quàm falſitatis argui, & improbitatis conuin- C ci.

AIT ILLIS ET IPSE: NEC EGO DICO VOBIS IN QVA POTESTATE HÆC FACIO] q. d. Non vultis ad meam quęſtionem reſpondere, quare nec ego reſpondebo ad veſtram; quia ex mea pendet veſtra ſolutio. Sed vos dicitis illam vos neſcire, & mentimini. Ego dico me ſcire nolleque dicere, ac veritatem dico, vt veſtram proteruiam confundam & contundam. Hoc enim reſponſo Chriſtus Scribis os obturauit, vt quaſi mutes ſilerent, nec vltrà hiſcere auderent. Vnde S. Hieronymus, *Oſtendit*, ait, *illos ſcire, ſed reſpondere nolle; & ſe noſſe, ſed non dicere, quia quod ſciunt tacent*.

VERS. 28. QVID AVTEM VOBIS VIDETVR?] Chriſtus per ſequentem parabolam Scribas & Phariſęos dicentes ſe neſcire, an baptiſmus Ioannis eſſet è D cęlo, an ex hominibus? coarguit ſummæ improbitatis & peruicaciæ; quòd, cùm vellent haberi filij Dei, tamen Ioannem à Deo miſſum recipere noluerint, nec prædicationi crediderint, & pœnitentiam egerint. Porrò Chriſtus hîc, ait Chryſoſtomus, *reos ipſos iudices facit, magna fiducia iuſtitiæ, vbi aduerſario cauſa committitur; vtitur autem parabola vt non intelligant, quomodo contra ſe ſententiam dicant*.

HOMO QVIDAM HABEBAT DVOS FILIOS ET ACCEDENS AD PRIMVM DIXIT: FILI, VADE HODIE, OPERARE IN VINEA MEA.

VERS. 29. ILLE AVTEM RESPONDENS, AIT: NOLO; POSTEA AVTEM, POENITENTIA MOTVS, ABIIT.

A ACCEDENS AVTEM AD ALTERVM, DIXIT SIMILITER. AT ILLE RESPONDENS AIT: EO DOMINE, ET NON IVIT. VERS. 30.

QVIS EX DVOBVS FECIT VOLVNTATEM PATRIS? DICVNT EI: PRIMVS. DICIT ILLIS IESVS: AMEN DICO VOBIS, QVIA PVBLICANI ET MERETRICES PRÆCEDENT VOS IN REGNVM DEI. VERS. 31.

VENIT ENIM AD VOS IOANNES IN VIA IVSTITIÆ, ET NON CREDIDISTIS EI: PVBLICANI AVTEM ET MERETRICES CREDIDERVNT EI; VOS AVTEM VIDENTES, NEC POENITENTIAM HABVISTIS POSTEA, VT CREDERETIS EI. VERS. 32.

Parabola hæc explicatione vix indiget, quia eam Chriſtus applicat & explicat. Nimirum primus filius initio nolens obedire patri, ſed B mox facti pœnitens, obediens & vadens operatum in vinea, notat publicanos & meretrices, qui primò ſuis ſceleribus voluntatem & legem Dei repulerunt, ſed poſteà ad Ioannis prædicationem reſipuerunt, & pœnitentiam egerunt, ac caſtè iuſteque iuxta legem Dei vixerunt. Secundus filius dicens patri ſe iturum in vineam, ſed fallens, nec vadens, notat Scribas & Phariſæos, qui legem Dei ſemper in ore habebant, quaſi eius ſtudioſiſſimi & religioſiſſimi obſeruatores, cùm tamen reipsà eam non implerent, ſed contra eam libidines, rapinas, vſuras, &c. committerent. Quare grauem in ſe Dei offenſam & iram prouocauerunt, tum per ipſa ſcelera, tum per ſuam hypocriſim & ementitam legis ſimulationem. Videri enim volebant eſſe zelotæ legis, cùm eſſent eius præuaricatores. Hæc enim hypocriſis & duplicitas animi valdè Deum iri- C tat.

PRÆCEDENT] Græcè, προάγουσιν, in præſenti, id eſt, *præcedunt*, q. d. Publicani & meretrices, vos ô Scribæ præcedunt, id eſt, ante vós eunt in via Dei & virtutis, tenduntque ad cælum per fidei, pœnitentiæ & mutationis vitæ exemplum, ideoque reipsâ præcedent, & ante vos introibunt in regnum cælorum, quod numquam vos ſcelerati introibitis: introire tamen poſſetis, ſi velletis pœnitere & mores mutare. Sic cap. 5. 20. *Minimi in regno cælorum* vocantur, impij & reprobi ab eo excludendi.

IN VIA IVSTITIÆ] Syrus, *in via rectitudinis incedens*, hoc eſt, agens vitam perfectè iuſtam, rectam, ſanctam & irreprehenſibilem.

NEC POENITENTIAM HABVISTIS] id eſt, egiſtis; græcè, οὐ μετεμελήθητε, id eſt, non pœnituiſtis D non reſipuiſtis.

Myſticè, publicani & meretrices denotant Gẽtes, quæ primò idolis & vitiis ſeruierunt, deinde per Apoſtolorũ prædicationem conuerſę, Deũ & virtutes coluerunt. Phariſæi & Scribæ notant Iudæos, qui videbantur Deum colere; ſed reuerà eum ſpreuerunt, dum Chriſtum ab eo miſſum aſpernati ſunt, & in hac perfidia mentem obſtinarunt. Vnde de his parabolam hanc interpretantur S. Hieron. Chryſoſt. Origenes. S. Athanaſius, Beda, Euthymius, Maldonatus, Ianſenius, & alij paſſim.

Tropologicè, oſtendit Chriſtus, ait S. Chryſoſtomus, meliores eſſe populares & plebeios, qui aliquando conuertuntur, quàm ſacerdotes qui numquam.

Tropo-

Tropologicè, Primò filio ſimiles ſunt Chriſtiani communes & laici, qui ſanctitatis deſiderio impulſi ſeruant conſilia Euangelica, etſi ex voto & profeſſione ad ea non obligentur. Secundo filio ſimiles ſunt ſacerdotes, monachi & Religioſi, qui vota paupertatis, caſtitatis & obedientiæ Deo nuncuparũt, ſed ea deinde violant.

VERS.33. ALIAM PARABOLAM AVDITE. HOMO ERAT
Luc.20.9. PATER FAMILIAS, QVI PLANTAVIT VINEAM,
Mar.12.1. ET SEPEM CIRCVMDEDIT EI, ET FODIT IN EA
TORCVLAR, ET ÆDIFICAVIT TVRRIM, ET LOCAVIT EAM AGRICOLIS, ET PEREGRE PROFECTVS EST.

VERS.34. CVM AVTEM TEMPVS FRVCTVVM APPRO-
Luc.20.10. PINQVASSET, MISIT SERVOS SVOS AD AGRI-
Mar.12.2. COLAS VT ACCIPERENT FRVCTVS EIVS.
VERS.35. ET AGRICOLÆ, APPREHENSIS SERVIS EIVS,
Luc.20.10.11.12. ALIVM CECIDERVNT, ALIVM OCCIDERVNT,
ALIVM VERO LAPIDAVERVNT.
Mar.12.3.4.5. ITERVM MISIT ALIOS SERVOS PLVRES PRIO-
VERS.36. RIBVS, ET FECERVNT ILLIS SIMILITER.
Mar.12.15. NOVISSIME AVTEM MISIT AD EOS FI-
VERS.37. LIVM SVVM, DICENS: VEREBVNTVR FILIVM
Luc.20.13. MEVM.
Mar.12.6. AGRICOLÆ AVTEM VIDENTES FILIVM, DI-
VERS.38. XERVNT INTRA SE: HIC EST HERES, VENITE,
Luc.20.14. OCCIDAMVS EVM, ET HABEBIMVS HEREDITA-
Mar.12.7. TEM EIVS.
VERS.39. ET APPREHENSVM EVM EIECERVNT EX-
Luc.20.15. TRA VINEAM ET OCCIDERVNT.
Mar.12.8.
VERS.40. CVM ERGO VENERIT DOMINVS VINEÆ,
Luc.20.15. QVID FACIET AGRICOLIS ILLIS?
Mar.12.9. AIVNT ILLI: MALOS MALE PERDET; ET
VERS.41. VINEAM SVAM LOCABIT ALIIS AGRICOLIS,
Mar.12.9. QVI REDDANT EI FRVCTVM TEMPORIBVS
Luc.20.16. SVIS.

Chriſtus hanc parabolam contra Scribas & Phariſæos aduerſarios ſuos intorquens, mutuatur eam ex Iſaiæ cap. 5. 1. vt illi pondus addat, quod ipſos premat & conuincat. Iſaias enim ibidem illâ vſus eſt, & eadem Chriſtum vſurum prædicit, vti hîc Chriſtus ea vtitur. Sic enim cap. 5. incipit Iſaias; *Cantabo dilecto meo* (Chriſto incarnando) *canticum patruelis mei vineæ ſuæ: vinea facta eſt dilecto meo in cornu filij olei*, id eſt, in cornu oleato, hoc eſt, in Iudęa, quæ robuſta & alta eſt vt cornu, ac fertilis & pinguis eſt inſtar olei. Fusè hęc explicui Iſaiæ 5. quare ibi dicta hîc ſummatim repetam, & paucis totam parabolam perſtringam.

*Primò. Parabola vineæ explicatur.* Primò homo plantans vineam, eſt Deus fundans Eccleſiam, ſiue Synagogam, iuxta illud pſ. 79. 9. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes* (ex Chananæa, ibique) *plantaſti vineam*, id eſt, Synagogam, ſiue populum Iudæorum.

*Secundò. Sepes.* Secundò, ſepes, torcular & turris erecta in vinea, ſignificant Deum Eccleſię ſuæ abundè de omnibus rebus neceſſarijs prouidiſſe, diſtinctè tamen per ſepem grammaticè murum Hieroſolymę cum S. Hieronymo: item fortes principes; vti fuere Dauid & Machabęi, ait Interlinearis. Theologicè angelorum cuſtodiam cum Origene. S. Ambroſio & Hieronymo; vel legem cum auctore Imperfecti, & S. Irenæo lib. 4. cap. 70. accipe. Vnde pro *ſepem circumdedit ei*. Syrus vertit, *vndequaque obuallauit eam maceria*.

*Torcular.* Torcular eſt altare, quo victimarum ſanguis exprimebatur. Ita Origenes, S. Hieron. Beda

A Theophyl. Euthymius. Dicitur autem fodiſſe torcular, quia olim exſcindere aut fodere ſolebant lacunas: vel, vt ait Marcus cap. 12. v. 1. *lacum*, quo vinum nouum ex vuis in torculari expreſſum excipiebant, vti patet Iſaiæ c. 5. 2. Tropologicè torcular ait S. Hieronymus notat Martyres. Vnde pſalm. 8. 80. & 83. inſcribuntur in titulo, *Pro torcularibus*. S. Hilar. verò cenſet notari Prophetas in quos vbertas Spiritus ſancti feruentiùs influxit. S. Chryſoſtomus autem per torcular accipit verbum Dei, quod premit & cruciat hominem contradicente carne.

Turris vineę, id eſt, Synagogæ, erat templum Hieroſolymitanum, Deique cultus in eodem. ita Origenes Chaldęus, S. Hilarius, Beda, Theophyl. Euthymius. Myſticè turris erant Prophetæ, doctores & paſtores, æquè ac reges & prin-
B cipes populi: hi enim quaſi è turri erant ſpeculatores populi, ita ijdem. Vnde S. Hilar. Turris, ait, notat eminentiam legis, quæ & in cælum proueheret, & ex qua ſpeculari Chriſti aduentus poſſet. *Turris.*

*Tertiò.* Tertiò, coloni vineę erant principes populi: horũ enim eſt populum regere & excolere; operari in vinea, eſt iuſtitiam facere, ait S. Chryſoſt.

*Quartò.* Quartò, peregrè profectus eſt Deus, quia, vt ait Origenes, cùm legem & pacta Iudęis dediſſet, apparens eis in monte Sina; poſteà eis non apparuit quaſi aliò profectus.

*Quintò.* Quintò tempus fructuum, id eſt, obſeruationis, legis & Dei cultus erat tempore Dauidis, Salomonis, Ioſaphat, Ezechię, Ioſiæ, &c. cùm Iudæi quietè ſibi & Deo viuere poterant & debebant. Aut potiùs hoc tempus agebatur iugi-
C ter, quia iugiter Deo ſeruire & bonorum operum fructus producere tenebantur. Vnde Maldonatus cenſet hoc pertinere ad emblema & ornatum parabolæ.

Sextò, ſerui à Deo in vineam, id eſt, ad Synagogam miſſi, vt fructus eius colligerent, fuere Iſaias, Ieremias, Ezechiel, cerique Prophetæ, quos Iudęi vt vitiorum ſuorum caſtigatores occiderunt, ac nonnullos, vt Ieremiam, lapidarunt. Miſit autem eos ſecundò & plures prioribus, vt ſua diligentia & charitate vinceret colonorum improbitatem. Vnde S. Chryſoſt. *Per ſingulos*, ait, *gradus malitiæ Dei miſericordia addebatur, & per ſingulos gradus miſericordię Dei, Iudęorum malitia creſcebat*. Quocirca Deus tandem miſit ad eos filium ſuum, putà Chriſtum iam incarnatum: quem Scribæ velut Synagogæ heredem pariter occi-
D derunt & crucifixerunt extra ciuitatem, id eſt, extra Ieruſalem in monte Caluarię, vt ipſi Synagogæ præeſſent & dominarentur, ex eaque ſe ditarent & magnificarent. Pro *verebuntur filium meum*, Syrus vertit, *erubeſcent propter filium meum*.

Tropologicè, vinea cuiq; excolenda eſt anima, Paſtori eſt parochia, Epiſcopo diœceſis, regi regnum, magiſtratui reſpublica, vt fructus bonorum operum & virtutum proferat. Sepes ſunt leges & ſtatuta; cuſtodes ſunt angeli; turris eſt ratio, meditatio, prouidentia; torcular eſt mortificatio, tribulatio, crux. *Seruus mittitur*, ait Rabanus, *cùm lex, pſalmus, aut prophetia legitur; eijcitur, cùm contemnitur, vel blaſphematur, heredem occidit qui Filium Dei conculcat, & ſpiritui gratiæ contumeliam facit; vinea alij datur, cùm gratiam à ſuperbo ſpretam humilis accipit*.

Porrò



A Porrò homo plantans vineam, eſt Deus, qui homo dicitur, ait S. Chryſoſtomus, ſimilitudine, non veritate: natura dominus eſt, beneuolentia pater, iuxta illud Iſaiæ cap. 5. *Vinea Domini ſabaoth domus Iſrael eſt*.

VERS.41. AIVNT ILLI (Scribæ;) MALOS MALE PERDET] Dices: Marcus & Lucas aſſerunt Chriſtum id dixiſſe; quomodo ergo Matthæus idipſum attribuit Scribis? Reſpondetur cum S. Chryſoſtomo & Euthymio primò Scribas id dixiſſe, deinde Chriſtum idipſum repetijſſe & confirmaſſe eo modo & geſtu, vt inde ac ex antecedentibus & ſequentibus (vt rectè aduertit Abulenſis quæſt. 200.) ſatis Scribæ id de ſe dici intelligerent, ac tunc eos ſubiunxiſſe; *abſit*, vt habet Lucas cap. 19.

B MALOS MALE PERDET] malos ſcilicet vineæ, id eſt, Eccleſiæ colonos, putà Scribas cum ſuis aſſeclis, qui Prophetas & Chriſtum occiderunt, perdet Deus per Titum & Veſpaſianum in hac vita, ac per dæmones in gehenna.

ET VINEAM SVAM LOCABIT ALIIS AGRICOLIS (Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus) QVI REDDANT EI FRVCTVM TEMPORIBVS SVIS] Fructus hîc vineæ, id eſt, Eccleſiæ Dei, patet in conuerſione totius orbis ad Chriſti fidem & ſanctitatem, ac præſertim in conſtantia tot millium Martyrum & virginum; prædicitur enim hîc reprobatio Iudæorum, & conuerſio Gentium, vti docet Chriſtus verſ. 43.

Moraliter diſce hîc, quòd, ſicut vinea producit bonas vuas, etiamſi mali ſint eius coloni, ita Eccleſia eiuſque fideles producant bona virtutum opera, etiamſi ſubinde mali ſint eius paſtores & doctores, vti erant Scribæ. Plura tamen
C & maiora proferent, ſi paſtores ſint boni, vti patuit in Apoſtolis, quorum virtutes Apoſtolicas imitati primi fideles excelluêre in caſtitate, charitate, patientia, omnique virtute. Id repræſentat emblema Zeuxis, pictoris inſignis. Hic enim *Emblema Zeuxis pictoris eximij.* pinxit puerum cum caniſtro uuarum ita ſcitè & bellè, vt aues falleret: aues enim ad illas quaſi ad veras vuas aduolabant, eaſque mordicabant vt iis veſcerentur. tum Zeuxis verecundè: Meliùs, ait, pinxi vuas, quàm puerum, quia ad vuas aduolant, & puerum aſtantem quaſi pictum non timent aues: ita paſtores & cuſtodes Eccleſiæ ſubinde praui ſunt praueque expicti; at vuæ, id eſt, opera plebis meliùs habent, & ſpecioſiora ſunt: cuſtodum, id eſt, paſtorum incuria accidit vt auium, id eſt dæmonum, fiant præda, ab iiſque
D deuorentur.

VERS.42. DICIT ILLIS IESVS: NVMQVAM LEGISTIS
Luc.20.17. IN SCRIPTVRIS: LAPIDEM, QVEM REPROBA-
Mar.12.10. VERVNT ÆDIFICANTES, HIC FACTVS EST
11. IN CAPVT ANGVLI? A DOMINO FACTVM EST ISTVD, ET EST MIRABILE IN OCVLIS NOSTRIS] Citat Chriſtus Pſalm. 17. verſ. 22. vbi Dauid de Chriſto loquitur & prophetat, idque ſciebant Scribę: vnde intellexerunt ſe hac ſententia à Chriſto, æquè ac a Dauide notari & taxari: ſenſus enim eſt, q. d. Scribæ, ſacerdotes & Phariſęi quaſi architecti Synygogæ, id eſt, Eccleſiæ Iudaicæ, Chriſtum vt lapidem inutilem ab ea reiecerunt, imò vt illi contrarium damnarunt & occiderunt, Scribas enim, quos ſuperiùs vocauit operarios & agricolas, nunc vocat ædificatores, ait S. Hieronymus. Sec hic lapis à Iu-

A dæis reprobatus, à Deo *factus eſt in caput anguli*, id eſt, poſitus eſt in capite anguli, factuſque eſt lapis capitalis & omnino fundamentalis Eccleſię, iſque angularis, vt ſcilicet duos parietes Gentium & Iudæorum in ſe, velut angulo iungeret & connecteret, in eadem Eccleſię fabrica & domo. ita S. Auguſt. S. Baſilius Euthymius, Caſſiodorus, Abulenſis, Ianſenius, Maldonat, ceteriq; Patres & interpretes, vel hîc, vel in pſal. 117. 22. Imò S. Petrus epiſt. 1. cap. 2. verſ. 6. ſeq. vbi fusè hunc locum explicui. Crebrò enim in Scriptura fabrica Eccleſiæ comparatur ædificationi domus, quæ ſolido ſundamento, v. g. petræ inędificatur. Sic enim Eccleſia inędificatur & incumbit Chriſto, Chriſtus ergo eſt prima Eccleſię petra, qui hoc nomen cum reipſa communicauit
B S. Petro, vt poſt Chriſtum eſſet petra Eccleſię ac deinde ceteris Apoſtolis, quos pariter conſtituit fundamenta Eccleſię, vt patet Apocal. 21. 19. Epheſ. 2. 20. & alibi. Porrò arroganter, ęquè ad ineptè & impiè Caluinus aſſerit ſe eſſe hunc lapidem, vtpote qui reprobatus à Papa & Eccleſia Romana, factus ſit fundamentum ſectæ Caluinicæ. Ita ſuperbus ille thraſo audet ſe æquiparare Chriſto, imò Chriſto ſuffurari ſuum oraculum & titulum. Verùm det ipſe ſigna, quibus ſe ad hoc à Deo miſſum eſſe doceat: det, inquam, miracula, prophetias, Scripturas, quæ dedit Chriſtus, At numquam ea dedit, nec vmquam dabit: ergo ipſe Eccleſię non reformator eſt, ſed deformator. *Caluinus aſſerit ſe eſſe lapidem reprobatum factum in caput anguli.*

IDEO DICO VOBIS, QVIA AVFERETVR A VOBIS REGNVM DEI, ET DABITVR GENTI FACIENTI FRVCTVS EIVS] Regnum Dei in Euan- VERS.43.
C gelio paſſim vocatur Eccleſia, quia in ea regnat Deus in fidelibus per fidem & gratiam, eoſque deducit ad regnum cæleſte, vt in eis regnet per gloriam.

Ecce hîc eſt quaſi θημύθιον, ſiue poſtparabola & affabulatio, in qua Chriſtus tres parabolas iam à ſe allatas, ſcilicet primam de duobus filijs, vno obediente, altero inobediente; ſecundam de vinea, cuius coloni occiderunt ſeruos & filium heri; tertiam de lapide reprobato, qui factus eſt in caput anguli, clarè explicat & applicat ipſis Scribis & Iudæis eorum aſſeclis, q. d. Vos, ô Scribæ, eſtis filij Deo Patri inobedientes, quia me Filium eius vnigenitum ab eo miſſum perſequimini: vos pariter eſtis coloni vineæ qui me eius heredem occidetis. Vos denique eſtis æ-
D dificantes Synagogam, qui me quaſi lapidem ab ea reijcitis, ſed Deus me faciet baſin & fundamentum Eccleſiæ ſuæ, quia eam à vobis auferet & transferet ad Gentes, qui auidè me recipient & colent, ideoque gratia & gloria à me donabuntur. Omnes enim hæ Chriſti parabolæ eò tendunt, vt ſignificent reprobationem Iudæorum & electionem Gentium, eò quòd Iudęi repulerint Chriſtum, quem Gentes acceptarunt. Hiſce parabolis Chriſtus ita pupugit Scribas, vt ei crucem pararint.

ET QVI CECIDERIT SVPER LAPIDEM VERS.44.
ISTVM CONFRINGETVR: SVPER QVEM VERÒ Luc.10.18.
CECIDERIT, CONTERET EVM] Syrus, *diſſipabit eum*, q. d. Qui reſtiterit Chriſto, eumque perſecutus fuerit, vti facitis vos, ô Scribæ, fruſtrà id faciet, ac ſibi in animo, æquè ac in corpore perniciem accerſet: ita tamen, vt adhuc per pœnitentiam

tentiam reparari & reſtaurari poſſit. A

SVPER QVEM VERO CECIDERIT] hic lapis: id eſt, cui Chriſtus totus graui ſua vltione incubuerit, v. g. damnandis in die iudicij (vti vos, ô Scribæ, niſi pœniteatis, damnabimini) huic nulla ſupererit ſpes eum reparandi & reſtaurandi: ſicut ſi lapis grandis in teſtam decidat, eam in minutiſſima fruſtra cõminuit, vt nullo modo reparari & redintegrari queat. Minatur ergo Chriſtus hîc Scribis æternum & irreparabilę excidium, putà gehennæ incendium. Ita S. Auguſt. lib. I. Quęſt. Euang. q. 30. Abulenſis, Barradius, Ianſenius, Maldonatus, & alij. Audi S. Auguſt. *Cadunt ſuper eum, qui modò contemnunt, vel iniurijs afficiunt: cadet verò ſuper eos, cùm veniet in iudicium perditurus, vt ſint impij tanquam puluis, quem proijcit ventus.*

ET CVM AVDISSENT PRINCIPES SACERDOTVM ET PHARISÆI PARABOLAS EIVS, COGNOVERVNT QVÒD DE IPSIS DICERET. VERS. 45.

ET QVÆRENTES EVM TENERE, TIMVERVNT TVRBAS: QVONIAM SICVT PROPHETAM EVM HABEBANT] Cognouerunt Scribæ partim ex ipſis pſalmi verbis, partim ex dictis & geſtibus Chriſti hæc ab eo contra ſe dici, vnde frementes & frendentes in eum, volebant eum capere & torquere, ſed metuentes turbam, id facere non ſunt auſi. Ecce ita paulatim Chriſtus per reprehenſiones Scribarum ſtrauit ſibi viam ad crucem & mortem: hanc enim poſt tres dies ei intulêre Scribæ. Ita impletum eſt conſilium Dei de redimendis hominibus per Chriſti mortem. VERS. 46.

# CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus Primò, dat parabolam inuitatorum ad nuptias, & non habentis in eis veſtẽ nuptialem. Secundò, verſ. 15. Phariſæis quærentibus, an liceat cenſum dare Cæſari, reſpondet:* Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. *Tertiò, verſ. 23. Sadducæis negantibus reſurrectionem, eamdem probat. Quartò, verſ. 34. Legiſperito roganti quod ſit magnum legis mandatum, reſpondit eſſe hoc:* Diliges Deum ex toto corde tuo. *Quintò, v. 42. quærens à Phariſæis quomodo Dauid Chriſtum filium ſuum vocet Dominum, eorum ex ſilentio ignorantiam coarguit, eiſq; os obturat.*

1. ET reſpondens Ieſus, dixit iterùm in parabolis eis dicens: 2. Simile factum
eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. 3. Et miſit
ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. 4 Iterùm miſit alios
ſeruos, dicens: Dicite inuitatis. Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia
occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias. 5. Illi autem neglexerunt: & abie-
runt, alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam. 6. reliqui verò te-
nuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. 7. Rex autem, cùm
audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem
illorum ſuccendit, 8. Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt; ſed qui
inuitati erant, non fuerunt digni. 9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque
inueneritis, vocate ad nuptias. 10. Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt
omnes quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.
11. Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſti-
tum veſte nuptiali. 12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens ve-
ſtem nuptialem? At ille obmutuit. 13. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis mani-
bus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor
dentium. 14. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. 15. Tunc abeuntes Pha-
riſæi, conſilium inierunt vt caperent eum in ſermone. 16. Et mittunt ei diſcipu-
los ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in
veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam homi-
num: 17. dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non?
19. Cognitâ autem Ieſus nequitiâ eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?
19. oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. 20. Et ait
illis Ieſus. Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? 21. Dicunt ei: Cæſaris. Tunc
ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. 22. Et
audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt. 23. In illo die acceſſerunt ad eum
Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem: & interrogauerunt eum, 24. di-
centes: Magiſter, Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit, non habens filium, vt ducat
frater eius vxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. 25. Erant autem apud nos
ſeptem fratres: & primus, vxore ducta, defunctus eſt: & non habens ſemen, reliquit
vxorem ſuam fratri ſuo. 26. Similiter ſecundus & tertius vſque ad ſeptimum.
27. No-



27. Nouiſſimè autem omnium & mulier defuncta eſt, 28. In reſurrectione ergo
cuius erit de ſeptem vxor? omnes enim habuerunt eam. 29. Reſpondens autem
Ieſus, ait illis: Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. 30. In reſur-
rectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei in cælo.
31. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis quod dictum eſt à Deo di-
centẽ vobis: 32. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt
Deus mortuorum, ſed viuentium. 33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctri-
na eius. 34. Phariſæi autem audientes quòd ſilentium impoſuiſſet Sadducæis,
conuenerunt in vnum: 35. & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans
eum; 36. Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? 37. Ait illi Ieſus: Di-
liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota
mente tua. 38. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. 39. Secundum autem
ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. 40. In his duobus manda-
tis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ. 41. Congregatis autem Phariſæis, interro-
gauit eos Ieſus, 42. dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Di-
cunt ei: Dauid. 43. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Domi-
num, dicens: 44. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec po-
nam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? 45. Si ergo Dauid vocat eum Do-
minum, quomodo filius eius eſt? 46, Et nemo poterat ei reſpondere verbum, ne-
que auſus fuit quiſquam ex illa die eum ampliùs interrogare.

VERS. 1. ET RESPONDENS (pergens reſpondere Scribis, eorumque incredulitatem confutare) IESVS, DIXIT ITERVM IN PARABOLIS (per parabolas parabolicè) EIS, DICENS: SIMILE FACTVM A
VERS. 2. EST REGNVM CÆLORVM HOMINI REGI, QVI FECIT NVPTIAS FILIO SVO] q. d. Similiter agitur in regno cælorum, id eſt, in Eccleſia militante in terris & tendente in cælum, perinde ac ſi rex faceret nuptias filio ſuo, &c. nam alioqui regnum cælorum directè & præciſè non eſt ſimile homini regi, ſed humano regno. Vide canonem 28. Fusè hanc parabolam pertractat S. Gregorius homil. 38. in Euang.

*Parabola regis ad nuptias filij ſui inuitantis.*

Similis eſt hæc parabola illi quam recenſet Lucas c. 14. v. 16. Vnde Maldonatus cenſet hanc eſſe eamdem cum illa: Matthæum enim hîc non ſeruaſſe ordinem hiſtorię. B Veriùs ſanctus Auguſtinus li. 2. de Conſenſu Euãg. c. 71. S. Gregorius, S. Thomas, Ianſenius & alij cenſent aliam eſſe hanc parabolam ab illa Lucę; vel certè eamdem, ſed bis aliterque repetitam; conferenti enim vtramque patet plura in ijs eſſe diuerſa. Nam vt alia taceam, Lucas aſſerit illam à Chriſto dictam in domo Phariſęi, Matthęus verò hîc publicè in templo, vt patet ex cap. 21. v. 23. Rurſum Lucas nuptias has cœnam vocat; Matthæus verò prandium: niſi reſpondeas cum S. Gregorio homil. 38. iam citata, ipſum prandium cœnam vocari, quòd apud antiquos hora nona, quæ ad veſperam & cœnam vergit, prandium fieret.

VERS. 3. ET MISIT SERVOS SVOS VOCARE INVITATOS AD NVPTIAS, ET NOLEBANT VENIRE.

VERS. 4. ITERVM MISIT ALIOS SERVOS, DICENS: DICITE INVITATIS: ECCE PRANDIVM MEVM PARAVI, TAVRI MEI ET ALTILIA OCCISA SVNT, ET OMNIA PARATA: VENITE AD NVPTIAS.

VERS. 5. ILLI AVTEM NEGLEXERVNT: ET ABIERVNT, ALIVS IN VILLAM SVAM, ALIVS VERO AD NEGOTIATIONEM SVAM.

VERS. 6. RELIQVI VERO TENVERVNT SERVOS EIVS, ET CONTVMELIIS AFFECTOS OCCIDERVNT.



A REX AVTEM CVM AVDISSET, IRATVS EST: ET MISSIS EXERCITIBVS SVIS PERDIDIT HOMICIDAS ILLOS. VERS. 7.

Pro *nuptias*, Syrus vertit ſemper, *conuiuium*, ſcilicet nuptiale, nimirum prandium, vti explicat v. 4. Pro *negotiationem*, Syrus vertit, *mercaturam*, pro *iratus eſt*, *excanduit*; pro *veſte nuptiali*, vertit, *veſtem conuiuialem.*

Tota parabola ſic eſt explicanda & applicanda.

*Parabola inuitatorum explicatur. Primò.*

Primò, homo rex eſt Deus Pater: filius regis ſponſus, eſt Filius Deus incarnatus, putà Ieſus Chriſtus, cuius ſponſa eſt Eccleſia: vtriuſque nuptiæ inchoatę ſunt in Chriſti incarnatione: in ea enim Chriſtus humanam naturam ſibi hypoſtaticè, & per eam Eccleſiam, id eſt, ceteros homines fideles, quaſi ſponſam myſticè ſibi deſpondit per gratiam; ſed in cęlo hæ nuptiæ conſummabuntur per gloriam. Ita Origenes, S. Hilarius, S. Hieron. S. Gregorius & alij. Vnde tropologicè, Origenes, Nuptias, ait, intellige coniunctionem Chriſti cum anima; partum verò & proles, bona opera.

*Secundò.* Secundò, Deus Pater Chriſto fecit nuptias, id eſt, nuptiale conuiuium, cùm in Iudæa, totoque mundo per Chriſtum propoſuit menſam Euangelicæ doctrinæ & Sacramentorum, præſertim Euchariſtiæ. Ita Origenes, Euthymius, auctor Imperfecti.

*Tertiò.* Tertiò, ad has nuptias à Deo primò per Moſen & Prophetas, quaſi Dei ſeruos inuitati fuere C Iudęi, tum ante, tũ poſt incarnationem Chriſti; vt eam futuram, vel iam factam crederent: itaq; in Chriſtum ſperantes, pœnitentes & ſupplicãtes ab eo gratiam, iuſtitiam & ſalutem conſequerentur. Ita S. Hier. Greg. Origenes, Theophyl.

*Quartò.* Quartò, tauri & altilia in genere tantùm ſignificant conuiuium opiparè eſſe apparatum, quę dogmatum Euangelij magnitudinem ſignificãt, ait S. Hieronymus æquè ac Sacramentorum, ac præſertim Euchariſtiæ.

Porrò *altilia* non ſunt alites, id eſt, volucres & aues, ſed tauri, vituli, ceteraque animalia, quæ

ſaginantur, vt pingueſcant, dicta ſunt altilia ab alendo, quaſi altilia vel alita, ait S. Gregorius. Græcè enim eſt σιτιςὰ id eſt, altilia, ſaginata, vti vituli, oues & boues lacte & rapis ſaginantur, vt impinguentur: σιτίζω enim eſt alo, nutrio, paſco, & σιτεύω, eſt ſagino & frugibus pinguefacio. Vnde Arabicus vertit, *& vituli mei ſaginati iam occiſi ſunt*. græcè τεθυμένα, id eſt, immolati ſunt. Olim enim (vti etiamnum) nuptias à ſacrificio auſpicabantur, ac nuptialia conuiuia epulis victimiſq; in ſacrificio mactatis & immolatis agebantur. Sic & nuptiale Chriſti conuiuium, quod hîc parabolicè deſcribitur, à ſacrificio crucis ſumpſit initium. Symbolicè S. Gregorius per tauros accipit patres veteris teſtamenti, qui ex permiſſione legis, inimicos ſuos virtutis corporeę cornu feriebãt. q. d. Patrum mores aſpicite, & remedia vitæ veſtræ cogitate. Altilia verò ſunt, inquit, Patres noui teſtamenti, à terrenis ad ſublimia contemplatione ſubleuati. Chryſoſtomus autem. Altilia, ait, ſunt Prophetę, tauri, qui Prophetę fuerunt & ſacerdotes: vt enim tauri gregis duces, ita ſacerdotes principes populi. S. Hilarius inſuper, Tauri, ait, ſunt Martyres, qui tamquam hoſtiæ immolati; altilia, homines ſpiritales tamquam cęleſti pane ſaginati. Denique Origenes, Prandium, ait, eſt Dei eloquium; quę fortia ſunt, tauri; quę ſuauiora, ſaginata vocantur.

*Quintò.* Quintò, ager & villa, in quem abiere inuitati, negligentes inuitationem, ſignificant bona temporalia, quę Iudęos à fide & lege Chriſti boniſque cæleſtibus ab eo promiſſis, auocarunt, ideoque ipſi Dei ſeruos, id eſt, Apoſtolos primoſque fideles, imò ipſum Chriſtum occiderunt. Quocirca Deus miſit Titum & Veſpaſianum, qui Iudæos quaſi homicidas perdidit & occidit, ac ciuitatem, id eſt, metropolim eorum, purà Ieruſalem cum templo Salomonis, quod erat orbis miraculum, ſuccendit. Ita S. Chryſoſt. S. Hiero. Euthym. & alij.

Alludit Chriſtus in hac conuiuij ſui parabola ad Iſaię cap. 25. verſ. 6. *Et faciet Dominus exercituũ omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, cõuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defęcatæ.* Et ad cap. 30. 22. *Et panis frugum terræ erit vberrimus & pinguis: paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſè: & tauri & pulli aſinorum, qui operantur terram, commiſtum migma comedent.* Vnde vtrobique dicta. Hinc diſce, Chriſtum in Eccleſia iugiter nobis apponere opiparum ſpirituale conuiuium ſacrę doctrinæ & gratiæ, multipliciter conditum ſatis lectionibus, concionibus, exhortationibus, ac innumeris Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum in omni virtutũ genere exemplis, crebra oratione, meditatione, & Sacramentorum præſertim Euchariſtiæ (quę *frumentum eſt electorum, & vinum germinans virgines*, vt ait Zachar. cap. 9. 17.) ſumptione frequenti; S. Miſſę ſacrificij, cum tanto SS. miniſtrorum, altarium, templorum ornatu, ac muſicorum & organorum cęleſti quaſi harmonia, celebratione & alijs plurimis, quæ mentem fidelium ſpiritalibus delicijs paſcunt, oblectant, inebriant, vt chriſtianiſmus pijs non aliud ſit quàm iuge feſtum & epulum; iuxta illud Iſaiæ 66. 23. *Et erit menſis ex menſe* (feſtum neomeniæ continuum) *& ſabbathũ ex ſabbatho.*

*Opiparum Chriſti in Eccleſia conuiuium.*

Denique Chriſtus ipſe iam incarnatus perenne eſt fidelium pabulum & gaudium: ipſe enim per incarnationem nõ tantùm omnia gratię ſuæ dona, ſed & totum ſeipſum quantus quantus eſt, adeoque ſuam deitatem realiter illis communicat, imò guſtandam, comedendam fruendamque exhibet, iuxta illud Ioan. 6. 51. *Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Hac de cauſa Iſaias, delicias & felicitatem Eccleſię nouę ex Chriſto incarnato obuenturam prænuntians, paſſim exultat & iubilat, omneſque Chriſtianos ad iugiter exultãdum & iubilandum inuitat, vt patet cap. 2. ca. 7. cap. 30. c. 35. c. 60. c. 61. ca. 62. & ſeq. Videat ergo Chriſtianus, pręſertim ſacerdos & Religioſus, vt hiſce epulis mentem paſcat & ſatiet, ac in ſanctitate & iuſtitia ſeruiens Chriſto, perpetim cum eo diſſuauians vitam agat iucundam, lætam, beatam, ac felicitatem perennem hîc inchoet & pręlibet, quam mox perficiet & cõſummabit in cælo. Hinc pariter diſcat, quàm inſipientes ſunt illi, qui hiſce epulis cęleſtibus præferunt terrenos agros & villas, hoc eſt, porcorum ſiliquas, regum delicijs.

Tvnc ait servis svis: Nvptiæ qvidem paratæ svnt, sed qvi invitati erant, non fvervnt digni] Eſt hæc altera & poſterior pars parabolę inuitatorum. *Tunc*, ſcilicet cùm inuitati, purà Iudæi, nollent venire ad menſam nuptialẽ Euangelicæ doctrinæ Chriſti, eò quòd illâ *non fuerunt digni*, quia ſcilicet illam contemnendo, eâdem ſe fecerunt omnino indignos: *ait* rex ſcilicet Deus, *ſeruis ſuis*, purà Apoſtolis: Vers. 8.

Ite ergo ad exitvs viarvm, et qvoscvmqve inveneritis, vocate ad nvptias] Pro *exitus viarum*; Arabicus, *ſtrata viarum* vertit. Græcè eſt, διεξόδους ὁδῶν, id eſt, decurſus, digreſſus, tranſitus, exitus, permeationes viarum. q. d. Perambulate & percurrite omnes vias omneſq; viarum flexus, angulos, fines & terminos; nullus ſit angulus, nullus finis viarum, quem non permeetis; hoc eſt, omnes mundi vias, ô Apoſtoli, perambulate, totum orbem, omneſq; Gentium regiones obite, vt ijs euangelizetis Chriſti fidem & gratiam, ad eamque omnes omnino gentes & homines vocetis. Iubet enim Apoſtolis, vt ab inuitatis, id eſt Iudęis, Euangelium transferãt ad omnes Gentes; vnde ſubdit: Vers. 9.

Et egressi servi (Apoſtoli) eivs in vias Idem ergo ſunt *exitus viarum* quod *viæ*, ſiue ductus & flexus viarum. Sic Ariſtoteles lib. de Mũdo διεξόδους πλανητῶν, vocat curſus lunę, ceterarumque ſtellarum errãtium permeationes, errores, gyros & flexus. Iubet ergo Chriſtus Apoſtolis, vt omnes gentes & regiones, adeoq; vltimos terræ fines adeant, iiſq; Chriſtum euangelizent: iuxta illud. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* pſal. 18. Myſticè, ſerui ſunt angeli præpoſiti Gentium conuerſioni, ait Origenes. Vers. 10.

Symbolicè, *Viæ* Primò, ſunt errores varij & contrarij, ſectæque Gentium, quos diſpulerunt Apoſtoli. Ita Remigius. Secundò, S. Chryſoſt. Viæ, inquit, ſunt variæ profeſſiones hominum in mundo, vt Philoſophiæ, militiæ, &c. Iubet ergo cuiuſcumque conditionis homines inuitari ad fidem. Tertiò, *Via*, ait S. Hilarius, *eſt tempus ſæculi; iubentur*

*Via quid notent ſymbolicè?*



*iubentur ergo ire ad exitus, quia omnibus retroacta donantur*, Quartò, ſanctus Gregorius, Viæ, ait, ſunt actiones; exitus, defectus: plerumque enim facilè conueniuntur, quibus proſperè non ſuccedit.

Congregavervnt omnes qvos invenervnt, bonos et malos] Hoc eſt emblema parabolæ, tantumque ſignificat vniuerſim omnes homines, ſine diſcrimine vocatos eſſe ad fidem Chriſti.

Et impletæ svnt nvptiæ discvmbentivm] Impleta eſt Eccleſia omnium gentium & fidelium numero & copia.

Intravit avtem rex vt videret discvmbentes] Eoſque luſtraret & examinaret. Hoc fiet, cùm Deus veniet ad iudicium vniuerſale in fine mundi, vt omnes examinet, iudicet, præmiet vel puniat, beet vel condemnet. Ita Origenes, S. Chryſoſtomus, & alij.

*Veſtis nuptialis quænam?*

Et vidit ibi hominem non vestitvm veste nvptiali] Arabicus, *veſte nuptiarum*; Syrus, *veſte conuiuiali*. Veſtis nuptialis, id eſt, munda, pretioſa & ſplendida; non eſt fides, vt volunt hęretici: omnes enim in hoc Eccleſię conuiuio habebant fidem, imò non niſi per fidem in illud ingredi poterant; ergo veſtis hæc eſt charitas morumque probitas & ſanctitas: vita enim pura & ſancta eſt inſtar veſtis mundæ, & cycladis ſplendidæ, ex virtutibus & bonis operibus contextæ, quæ mirè hominem exornat. Ita ſanctus Hieronymus, Hilarius, Chryſoſtomus, Tertullianus, & alij. Vnde S. Gregorius, non habentem veſtem nuptialem, explicat fidem habentem, non opera charitatis, per quam Dominus ad ſociandæ ſibi Eccleſię nuptias venit. Sanctus Auguſtinus verò lib. 2. contra Fauſt. c. 19. explicat ſuam, non Domini gloriam quærentem. Sanctus Hilarius autem, veſtis nuptialis, ait, eſt gratia Spiritus ſancti, & candor habitus cæleſtis, qui bona interrogatione confeſſionis ſuſceptus, vſque in cæleſtem cœtum immaculatus eſt reſeruandus. Sanctus Hieronymus denique ait, Opera quæ complentur ex lege & Euangelio, noui hominis efficiunt veſtimentum.

Porrò plures in die iudicij à Chriſto reperientur fideles, carentes hac veſte charitatis & ſanctitatis, vnus tamen dumtaxat nominatur, tum quia obiter hoc tantùm & quaſi παρέργως additur. Scopus enim Chriſti proprius & directus eſt, hac parabola, vti & præcedentibus tantùm ſignificare, reprobatis Iudæis incredulis vocandas ad Chriſtum eſſe Gentes: tum quia hic vnus, omnes illi ſimiles ſignificat: hic enim vnus eſt inſtar omnium, ſiue exemplar & ſpeculum cunctorum impiorum: tum denique vt ſignificet, ne vnum quidem impium in die iudicij latere poſſe, vel impunè abiturum.

Vers. 12. Et ait illi: Amice (Syrus *ſocie mi*) qvomodo hvc intrasti, non habens vestem nvptialem?] Vox *amice* ſignificat Deum hæc impijs dicturum, non ex odio & ſtudio condemnationis, ſed amicè ex zelo iuſtitiæ. Addit ſanctus Hieronymus: Amicum vocat, quia inuitatus fuit ad nuptias, ideoq; eum impudentię arguit, quòd amicè inuitatus ad nuptias, ruſticè venerit ſine veſte nuptiali. Vnde ſanctus Gregorius homil. 38. *Mirandum eſt*, inquit, *quod hunc & amicum vocat & reprobat, ac ſi apertiùs dicat: Amice, & non amice, amice per fidem, ſed non amice per operationem.*

At ille obmvtvit] Quia ibi locus negandi non eſt, ait ſanctus Hieronymus: nã Deus ibi *illuminabit abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabit conſilia cordium*: iuxta illud. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis.* Sophon. 1. 12. Vnde ſanctus Gregorius homil. 38. in Euang. *Obmutuit*, inquit, *quia in illa diſtrictione vltimæ increpationis omne argumentum ceſſat excuſationis, quippe quia ille foris increpat, qui teſtis conſcientiæ intus animam accuſat.*

Tvnc dixit rex ministris] Angelis ſuis, vt patet Matth. 13. 39. vnde Daniel de ijs ca. 7. ait: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Vers. 13.

Ligatis manibvs et pedibvs eivs] Eſt emblema, ſignificans damnatos non poſſe reſiſtere Dei ſententiæ & vltioni, nec quidquam boni deinceps poſſe facere, perinde ac ſi manus & pedes, imò os & mentem, iudicium & voluntatẽ haberent colligata. Nam, vt ait ſanctus Auguſtinus lib. 11. de Trinit. *prauarum voluntatum implicatio, eſt vinculum.* Et ſanctus Gregorius hom. 38. *Tunc*, ait, *ligat pœna, quos modò à bonis operibus ligauit culpa, &c. qui ergo nunc ſponte ligantur in vitio, tunc in ſupplicio ligãtur inuitè.* Gloſſa verò, Singula, ait, membra pœnis ſubijcientur, quę hîc ſingulis ſeruitiis ſeruierunt.

Mittite evm in tenebras exteriores: ibi erit fletvs et stridor dentivm] Qui (dentes) de edacitate gauiſi ſunt, ait Gloſſ. Interl. ex S. Gregorio. De his dixi cap. 8. verſ. 12. Appoſitè S. Gregorius: *Interiores tenebræ*, ait, *ſunt cæcitas cordis; exteriores tenebræ, æternæ damnationis nox.*

*Tenebræ interiores & exteriores.*

Mvlti enim svnt vocati, pavci vero electi] Quia reiecti ſunt omnes primi qui inuitati venire noluerunt, purà omnes Iudęi Chriſto increduli, quò propriè ſpectat hæc parabola vti & præcedentes c. 20. & 21. Ad hæc reiectus eſt vnus ille ex ijs qui vocati venerunt, ſed intrauit non habens veſtem nuptialem, qui omnes fideles impios repræſentat. Quia enim Chriſtus propriè hîc illos ſignificare non intendebat, hinc ſuffecit ei per vnum hũc obiter indicare, non omnes qui venerunt, ſiue qui Chriſto crediderunt, fore ſaluandos, ſed eos dumtaxat qui fidem veſte nuptiali, id eſt, charitate, ſanctiſq; operibus ornarint, ceteros verò reijciendos. ita Gloſſa, Maldonat. & alij. Hæc Chriſti ſententia magnum cuique inijcere debet timorem; nemo enim ſcit an electus ſit an reprobus. Satagere ergo quiſque debet, vt per bona opera certam ſuam electionem & vocationem faciat, vti monet S. Petrus. Vers. 14.

Exemplum dat ſanctus Gregorius hîc hom. 38. tres amitas ſuas, quarum prima, ſcilicet Tharſilla, cùm in ſancta virginitate egiſſet, à S. Felice Pont. auo ſuo iam beato, in cælum euocata eſt, cùm ei diceret: *Veni, quia in hac te lucis manſione ſuſcipio.* Vnde illa ſurſum reſpiciens, Ieſumque videns, clamanſque: *Recedite, recedite, Ieſus venit*, ſpiritum ei tradidit æterna vitâ beandum. Secunda verò Æmiliana, à ſorore ſua Tharſilla in cælum ad feſtum Epiphaniæ euocata, cùm illa de tertia ſorore Gordiana ſollicita replicaret: *Et ſi ſola venio, Gordianã cui dimitto?* ab ea triſti vultũ audiuit: *Veni, Gordiana enim inter laicas deputata eſt;*

*Exemplum S. Gregorij de tribus ſuis amitis.*

*eſt*, quæ proinde mox oblita virginalis ſuæ conſecrationis; honoris & pudoris, villicium ſuum accepit in maritum. Addit alterum exemplum monachi, qui irreligioſè vixerat, ac moriens draconi ad deuorandum traditus fuit; ſed precibus fratrum liberatus, conuerſus dignam egit pœnitentiam, ideoque inter electos recenſeri meruit.

VERS. 15.
Luc. 20. 40
Mar. 12. 13.
TVNC ABEVNTES PHARISÆI CONSILIVM INIERVNT, VT CAPERENT EVM IN SERMONE] Pro *caperent*, Græcè eſt, παγιδεύσωσιν, id eſt, *illaquearent*; παγίδες enim ſunt laquei; Syrus vertit, *aucuparentur*. Sicut enim aucupes capiunt aues laqueo, ſic vafri capiunt ſimplices captioſa quæſtione. q.d. Quæſierunt Phariſæi captioſas quæſtiones, quas proponerent Chriſto, vt quidquid reſponderet reprehenſionem incurreret, itaque ſua reſponſione ſe quaſi illaquearet, eaque capi B & redargui poſſet, ac reus læſę maieſtatis vel humanę vel diuinæ perageretur; *Bicipiti complexione inſidiantes*, ait ſanctus Auguſtinus li. 1. contra Creſcon. cap. 17. *vt quodlibet eligens caperetur. Si licere reſponderet, tamquam reus eſſet aduerſus populum Dei; ſi autem diceret, non licere, tamquam Cæſaris aduerſarius perimeretur.*

VERS. 16.
Luc. 20. 21.
Mar. 12.
v. 15. 14.
ET MITTVNT EI DISCIPVLOS SVOS CVM HERODIANIS, DICENTES: MAGISTER, SCIMVS QVIA VERAX ES, ET VIAM DEI IN VERITATE DOCES; ET NON EST TIBI CVRA DE ALIQVO: NON ENIM RESPICIS PERSONAM HOMINVM.

CVM HERODIANIS] Syrus, *cum iis qui erant de domo Herodis*, id eſt, qui erãt Herodis fautores, familiares, domeſtici.

*Herodiani qui?*
C Secta hæc erat Iudæorum, Romano Cæſari eiuſq; tributo fauentium, ita dicta à primo Herode Aſcalonita infanticida, qui totus erat Cęſarianus, vtpote rex Iudeæ à Romano ſenatu & Cęſare Auguſto creatus, quique, vt ait Ioſephus, tributis Cęſaris in Iudæa præerat. Ita ſanctus Hieronymus, Origenes, & alij. Addunt ſanctus Epiphanius libr. 1. hæreſi 20. Tertullianus lib. de Præſcript. ſanctus Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, & ex ijs Baronius in Apparatu Annalium, Herodianos fuiſſe ſectarios ſiue hęreticos Iudæorum, qui Herodem Aſcalonitam cenſebant eſſe Meſſiam, ſiue Chriſtum à Prophetis promiſſum, eò quòd viderent in ipſo defeciſſe ſceptrum de Iuda, iuxta oraculum Iacobi Geneſ. 49. 10. Auidè hos adulatores adiuuit fouitq; Herodes; ideoque occidit infantes in Bethlehem D vt interficeret Chriſtum, ne alius quàm ipſe haberetur Chriſtus: atque ea de cauſa magnificentiſſimum Iudęis exędificauit templum veteri deſtructo, quod cum templo Salomonis certare videbatur, vti docet Ioſephus libr. 15. Antiquit. ca. 14. Audi S. Hieronymum ſectas Iudæorum breuiter enarrantem Dialog. contra Lucifer. *Taceo de Iudaiſmi hæreticis, qui ante aduentũ Chriſti legem traditam diſſiparunt; quòd Doſitheus Samaritanorum princeps, Prophetas repudiauit; quòd Sadducæi ex illius radice naſcentes, etiam reſurrectionem carnis negauerunt, quòd Phariſæi à Iudæis diuiſi propter quaſdam obſeruationes ſuperfluas, nomen quoque à diſſidio ſuſceperunt; quòd Herodiani Herodem regem ſuſcepêre pro Chriſto.* Idem cenſent Theophylactus & Euthymius hîc, ac Philaſtrius libr. de Hæreſibus; niſi A quòd hi pro Herode Aſcalonita ſubſtituant eius filiũ Herodem Antipam, qui patri mortuo ſuccedens, iam tum regnabat, & Ioannem Baptiſtã occidit, ac Chriſtum veſte alba indutum illuſit. Verùm quòd Antipas à Iudæis habitus ſit Meſſias, nec Ioſephus, nec Hegeſippus, nec quis alius veterum meminit, imò diſertè negat hîc ſanctus Hieronymus.

Herodianos ergo hoſce Phariſæi (qui in contrariam partem, ſcilicet Herodem non eſſe Meſſiam, nec Cæſari Romano dandum eſſe tributum, quaſi vindices legis Moſaicæ & libertatis Iudaicę, propendebant, vt patet ex Ioſepho 18. Antiquitatum, cap. 1.) ſubornant, vt cum diſcipulis ſuis eant ad Ieſum, quaſi nouum Iudææ Prophetam & doctorem; eique quæſtionem hanc de tributo Cæſari dando, illo tempore inter ſe controuerſam proponant: vt ille litem dirimat; ſed hac fraude & aſtuto conſilio, vt, ſi Chriſtus aſſerat dandum eſſe Cæſari tributum, plebis Iudaïcæ inuidiã incurrat; ſi neget, in Cęſaris & Romanorum iram ac reatum incidat, qui in eum quaſi ſeditioſum & perduellem manus inijciant, eumque vita mulctent. Erat ergo cornuta & captioſa hæc quæſtio, ac dilemma biceps.

MAGISTER] Hebr. *rabbi*. Rabbi autem ſignificat non ſolùm legis doctorẽ, quales ſunt Rabbini, ſed etiam virum primariũ auctoritate præditum; potentem & principem. Fictè adulantur Chriſto: nam eum vocant magiſtrum, cuius nolunt eſſe diſcipuli, quem magiſterio, fama & vita priuare moliuntur.

SCIMVS, QVIA VERAX ES, ET VIAM, id eſt legem, DEI IN VERITATE DOCES] Lex enim eſt via, qua tendimus ad Deum, eiuſque gratiam & gloriã; lex enim docet quid Deo placeat, quid velit à nobis fieri, vt illi grati ſimus, ab eoque iuſtificemur & beemur.

ET NON EST TIBI CVRA DE ALIQVO] Non metuis iras Herodis, nec potentiam Cæſaris, vt hoc metu impediaris ne verũ reſpondeas, & pro Iudæis tuis ſententiam feras; etiamſi per hoc ſcias te offenſam Herodis & Cæſaris incurſurum, vti Herodis adulterium caſtigans Baptiſta, eius offenſam incurrere non detrectauit. Putabant enim ipſi omnino quòd Chriſtus pro Iudæis, vtpote fidelibus, contra Cæſarem vtpote infidelem, ſententiam ferret. Ita S. Chryſoſtom. *Adulatione*, inquit, *putant eum ita inflare & audacem reddere, vt contra inſtitutas leges & prǽſentem rerum ſtatum quidpiam dicat*, &c. vt ſcilicet *Cæſarem offendat affectatæ rebellionis ſuſpicione.*

NON ENIM RESPICIS PERSONAM (Syrus *faciem*) HOMINVM] Vt videas an facies vel perſona ſit diuitis & principis, an pauperis & plebeij, ac principi adulando pro eo reſpondeas, plebemque condemnes; ſed clauſis quaſi oculis ſententiam pro veritate & iuſtitia pronuncies, dicaſque: *Amicus Cæſar, ſed magis amica veritas.* Vnde Arabicus vertit, *non reſpicis in faciem hominis.* Græcum enim πρόσωπον & perſonam & faciem ſignificat, quia ex facie perſona quælibet dignoſcitur.

DIC ERGO NOBIS QVID TIBI VIDETVR, LICET CENSVM (Syrus, *pecuniam capitatim*: cenſum enim ſoluebant ſingula capita) VERS. 17.
Luc. 20. 22
Mar. 12. 14.





DARE CÆSARI, AN NON?) Iudęi, vtpote populus fidelis Deoque deuotus, abhorrebant à Gentilibus quaſi idololatris, ideoque multi eorũ cenſebant non licere Iudęis Cęſarem agnoſcere pro Domino, eiq; tributum pendere, eò quòd ſolus Deus eſſet eorum Dominus, cui decimas & annuum cenſum ſoluebant: Cæſarem intellige non Auguſtum, vtpote iam vita functum, ſed Tiberium, Auguſti ex Liuia vxore priuignum & ſucceſſorem, iam tum regnantem ab annis octodecim vt patet Lucæ 3. 1.

Porrò occaſio huius quęſtionis proponendæ Chriſto, fuit, quòd ſub id tempus Iudas quidam Galilæus docuerit, non licere Iudæis ſubeſſe & dare tributũ Romanis vtpote Gentilibus; Chriſtus autem & Apoſtoli erant Galilæi (Chriſtus enim conceptus & educatus eſt in Nazareth: vnde Nazianzenus & Galilęus eſt cognominatus) ideoque dogmatis & erroris Iudę Galilęi quaſi ciuis ſui, à Iudæis fuere inſimulati: atque hac de cauſa ipſi errorem hunc ſępè à ſe amoliti ſunt & confutarunt, vti dixi Actor. 5. 37. Audi ſanctum Hieronymum in cap. 3. ad Titum, v. 1. *Hoc præceptum*, inquit, *propterea puto ab Apoſtolo editum, quia Iudæ Galilęi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos ſectatores; qui, inter cetera hoc quaſi probabile proferebat, ex lege nullum debere Dominum, niſi ſolum Deum vocari, & eos qui ad templum decimas deferrent, Cęſari tributa non reddere. Quæ hęreſis in tantum creuerat, vt etiam Phariſęorum & multam partem populi conturbaret, ita vt ad Dominum quoq; noſtrum referretur hęc quęſtio. Licet Cæſari dare tributum an non? Quibus Dominus prudenter cauteq; reſpondens, ait: Reddite quæ ſunt Cęſaris Cęſari, & quæ ſunt Dei Deo. Cui reſponſioni S. Paulus congruens docet, principibus & poteſtatibus credentes debere eſſe ſubiectos.*

VERS. 18.
Luc. 20. 23.
Mar. 12. 15.
COGNITA AVTEM IESVS NEQVITIA (græcè, πονηρίᾳ, id eſt, *malitia*, quia fraudulenta ſimulatione volebant eum Romanis necandum obijcere) EORVM AIT: QVID ME TENTATIS HYPOCRITÆ?] Simulatis enim vos amicos, & religionis ac bonæ conſcientię ſtudioſos, vt ſciatis quid rectè & iuſtè ex lege Dei in hoc caſu agere debeatis, cùm ſitis inimici mei æquè ac Dei, & meũ ſanguinem ſitiatis, eumque fraudulenter & doloſè mihi extorquere ſatagitis, *Prima*, ait S. Hie. *virtus reſpondentis eſt cognoſcere interrogantis mentem*, illique reſponſionem accommodare. Hi enim Phariſæi & Herodiani quaſi hypocritę, *blandiuntur*, ait auctor Imperfecti, *vt perdant*: Chriſtus verò eos increpat, vt ſaluet. *Vtilior enim eſt Deus iratus, quàm homo propitius.*

VERS. 19.
Luc. 20. 24
Mar. 12. 16.
OSTENDITE MIHI NVMISMA CENSVS (q.d. Oſtendite mihi nummum, quem pro cenſu & tributo Cæſar à ſingulis capitibus exigit. Vnde Syrus pro cenſu vertit, *argenti capitis*; Arabicus,

*An denarius pro cenſu erat ſoluendus.*
*oſtendite mihi figuram denarij*) AT ILLI OBTVLERVNT EI DENARIVM] Dices, Ex c. 17. 17. liquet Iudæos pro cenſu ſoluiſſe didrachmum, ſiue dimidium ſicli: denarius autem Romanus, vnius dumtaxat erat drachmę, eratque id quod nunc eſt Iulius Romanus, vel Regalis Hiſpanicus, qui Romę decem baiocos, Antuerpiæ, quinque ſtuferos valet: quare denarius erat dimidia pars didrachmi & quarta pars ſicli: ſiclus enim valebat A quatuor Iulios. Reſpond. didrachmum commoditatis cauſa fuiſſe diuiſum in duos denarios, ac ſingulos pro cẽſu, ſoluiſſe duos denarios hoc eſt, didrachmum. Ita Ianſenius Maldonatus & alij: niſi malis denarium hunc fuiſſe duplicem, ideoque fuiſſe didrachmum, ſicut duplicẽ Regalem 10. ſtuferorum vocamus etiam Regalem. Deniq; videtur Tiberius, vti & ceteri Imperatores, eius pretij denarium cudi iuſſiſſe, quem vellet ſibi à Iudæis in cenſum dari, quia, vt ex Lampridio docet Baronius, ſolebant Romani cudere numiſmata eo pretio & pondere, quo illa ſibi volebãt in trubutum pendi, quod pro ratione temporum & neceſſitatum mutabatur, & aliquando erat maius, aliquando minus.

ET AIT ILLIS IESVS: CVIVS EST IMAGO VERS. 20.
B HÆC ET SVPERSCRIPTIO?] Græcè ἐπιγραφή, Luc. 20. 24
quod Interpres in Marco vertit, *inſcriptio*. Solent Mar. 12. 16.
enim nummi inſigniri tam nomine, quàm imagine vel effigie principis, qui eos cudit. Vnde Arabicus vertit, *cuius eſt figura hæc & inſcriptio?*

DICVNT EI CÆSARIS] Tiberij, qui tunc im- VERS. 21.
perabat. Sciebat iam antè id Chriſtus, ſed inter- Luc. 20. 24
rogat, vt ex ore eorum eliciat reſponſum, quod 25.
in eos intorqueat, illoſque conuincat. Cæſaris Mar. 12.
cognomen primò datum eſt Iulio Cæſari, à quo v. 16. 17.
ad ſequentes Imperatores tranſijt. Audi S. Iſidorum lib. 9. Etymol. c. 3. *Cæſarum nomen à Iulio cœpit, qui bello ciuili commoto, primus Romanorum ſingularem obtinuit principatum. Cæſar autem dictus, quòd cæſo matris ſuæ mortuę vtero, prolatus ductuſq; fuerit; vel quod cum cæſarie natus ſit, à quo & Imperatores ſequentes Cæſares dicti, eò quòd comati eſſent.* Seruius verò, & Spartianus, & ex ijs Carolus Sigonius li. C de Nomin. Rom. *Cæſar*, inquit, *dictus ab elephanto primùm cęſo: nam lingua punica Cæſar elephas dicebatur; quare in quibuſdam argenteis nummis apud me videre eſt, ab altera parte elephantem cum hac inſcriptione*, CÆSAR, *ab altera autem inſtrumenta quibus elephantos Romani perimebant.* *Cæſaris etymon.*

TVNC AIT ILLIS: REDDITE ERGO QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI; ET QVÆ SVNT DEI, DEO] q.d. Quandoquidẽ vos, ô Iudęi, iam Cæſari ſubiecti ſitis, ideoque eius moneta paſſim vtamini, alioqui ea non vſuri, cùm à Gentium ritibus & ſymbolis prorſus ab horreatis, cumq; Cæſar non niſi temporalia, ſcilicet denarium ſua effigie & nomine inſcriptum, quaſi ſuum à vobis ſibi depoſcat; non tam date, quàm *reddite* ei denarium ſuum pro cenſu: ſpiritualia verò, ſcilicet D cultum & pietatem, date Deo, hęc enim iure ſuo Deus ſibi exigit, ita fiet, vt nec Deum, nec Cęſarem offendatis.

Nota, Chriſtum nolle hîc diſputare, an Iudæi *An iuſtè Iudæi Romanis ſubiecti?*
iuſtè Romanis ſint ſubditi factique vectigales, & tributarij; an verò iniuſtè & tyrannicè. Anceps enim hæc erat quæſtio. Prima enim facie negatiua pars, ſcilicet quòd non iuſtè, videtur verior, Pompeius enim qui primò Iudęã Romanis ſubiecit, fecitque vectigalem, vocatus fuit dumtaxat ab Hyrcano & Ariſtobulo fratribus (nepotibus Simonis pontificis, qui fuit frater Iudæ Machabæi) de principatu & pontificatu Iudeæ inter ſe contendentibus, vt litem inter eos dirimeret: quo iure ergo, ijs excluſis, principatum Iudææ ab eis ad Romanos tranſtulit? Hoc enim eſt ius

Turcicum, nam Turca vocatus in auxilium à Chriſtianis principibus inter ſe diſſidentibus, vtrumque occupat & ſubiugat. Penitiùs tamen rem geſtam inſpicienti, affirmatiua pars probabitur, ſcilicet Pompeium & Romanos iure iuſti belli occupaſſe Iudæam. Cùm enim Pompeius litem adiudicaſſet Hyrcano, idque iuſtè, vtpote ſeniori, ideoque Iudææ principatum cum pontificatu illi aſſignaſſet; Ariſtobulus frater eius iunior, vt vtrumque dolo & vi occuparet, Hieroſolymam Iudææ metropolim inſedit, ſuiſque aſſeclis & militibus implerit, qui Hyrcano & Ponpeio reſtiterunt. Quare Pompeius vi vrbem expugnauit, eamque Hyrcano conſentiente Romanis ſubiecit. Hyrcanus enim ſolus eam tueri & retinere nequiuiſſet, vnde ſe ſuaque tradidit Pompeio. Acceſſit deinde conſenſus ſeniorum & potiorum Iudæorum, qui malebant Romanis ſubeſſe quàm Hyrcano & Ariſtobulo. Videbant enim ſine Romanis rempublicam Iudæorum abituram in ſchiſmata & ſeditiones, cùm & hi fratres inter ſe ſummè diſſentirent, & ciues ab vtroque, vti narrat Ioſephus lib 24. Antiquit. cap. 5. & ſequ. Vnde ſanctus Hieronymus: *Et erat*, inquit, *in populo magna ſeditio, dicentibus illis pro ſecuritate & quiete, quia Romani pro omnibus militarunt, debere tributa perſolui; Phariſæis verò, qui ſibi applaudebant in iuſtitia, è contrario nitentibus, non debere populum Dei (cui decimas ſolueret & primitias daret, & cetera, quæ in lege ſcripta ſunt) humanis legibus ſubiacere.*

*Pompeius Hieroſolymã cepit, eamq; cum Iudæa Romanis ſubiecit.*

Denique Romanis fauebat præſcriptio: iam enim ipſi ab annis fere centum pacificè & bona fide, populo Iudæorum tacente, taciteque conſentiente, poſſederant Iudæam; quare præſcriptione hac videbantur iuſtè occupare dominium Iudeæ. Rurſum in dubio melior eſt conditio poſſidentis: vnde in dubio nemo poſſeſſione ſua priuandus eſt. Quare Phariſæis, ſi Romanos hac poſſeſſione priuare volebant, incumbebat onus probandi & euincendi ipſos iniuſtè occupaſſe Iudeam, eſſeque malæ fidei poſſeſſores. Quod cùm facere nõ poſſent, Romani ſuam poſſeſſioenm iuſtè retinebant: accuſatore enim non probante crimen, reus abſoluitur: actori enim incumbit probatio criminis; reo ſufficit, ſi crimen neget. Actores autem hi erant Phariſæi, rei verò Romani, quos Phariſæi poſſeſſione ſua depellere volebant. Chriſtus ergo hoc dominium Romanorum in Iudæos, & tributum eis impoſitum hîc non vult examinare, an iuſtum ſit, an iniuſtum; ſed preſupponit factum in ſe quaſi iuſtum, utpote tot titulis iam dictis roboratum & confirmatum: quia Phariſæi in quæſtione hac cenſus Romanis dandi ſuæ immunitati ab hoc cenſu non prætendebant iuſtitiam, ſed religionem & pietatem, ſcilicet non licere nec decere, vt populus Dei (qualis erant ſoli Iudæi) Cæſari Gentili & idololatræ ſubſit, pendatque tributum. Vnde in ſua quæſtione, quam Chriſto proponunt, non dicunt: An obligamur dare cenſum Cæſari? ſed *licet cenſum dare Ceſari an non?* q. d. Nobis videtur id non licere, quia hoc videtur cedere in Dei contemptum, Iudeorum dedecus, & religionis fideique iniuriam. Ita ipſi; ſed Chriſtus reſpondet contrarium, ſcilicet non eſſe Deo & fidei iniurium, nec gentis fidelis vilipendium, ſi

*An Romanorum in Iudæos dominium iuſtum?*

A populus Dei ſubſit Gentili Cæſari ipſoſque Iudeos commodè, vtiliter & honeſtè poſſe tam Deo, quàm Gentili principi ſubeſſe & obſequi, ſi cuique reddant quod debent; idque prudenter facturos, ne vel Deum vel Ceſarem contra ſe concitent, vt Gentem totam quaſi ſibi rebellem euertat, vti paulò pòſt ob eamdem cauſam fecere Titus & Veſpaſianus Romani Imperatores: preſtat enim nummum dare, quàm vitam & omnia perdere.

REDDITE ERGO QVÆ SVNT CÆSARIS, CÆSARI; ET QVÆ SVNT DEI, DEO] q.d. Ceſari date didrachma, quod iure ſuo pro cenſu à vobis exigit ad ſuſtinenda reipublicę onera, ac preſertim ad alendos milites, qui vos ab incurſu hoſtium tueantur; Deo verò date didrachma, decimas, oblationes & victimas, ait S. Hieronymus, Leuitico preſcriptas, quas ipſe ſupremi dominij iure à B vobis, quaſi creaturis & fidelibus ſuis ſibi depoſcit. *Nec enim ex eo quod reddit quis Ceſari quæ Ceſaris ſunt, impeditur reddere Deo quæ Dei ſunt*, ait Origenes. Alia enim ſunt iura Ceſaris, alia Dei, ſed ſibi neutiquã aduerſa vel cõtraria: nec enim politia aduerſatur religioni, nec viciſſim religio politiæ. Quare cũ Tiberius Ceſar apud vos regnet, voſque illi ſitis ſubditi, vt patet ex eo, quòd ipſe apud vos habeat ius cudendi monetam, imò ius cudendi numiſma cenſus, putà denariũ eo pretio & pondere quo ipſi viſum fuerit: idcirco vos, & monetam & numiſma cenſus à Tiberio Ceſare quaſi Principe veſtro recipientes, hoc ipſo profitemini vos ipſi eſſe ſubditos & vectigales; deoq; eidem debere pẽdere numiſma cenſus ab eo cuſum & indictum. *Quod ore locutus eſt Chriſtus*, ait ſanctus Bernardus epiſt. 42. *opere implere curauit. Conditor Cæſaris non cunctatus eſt Cæſari reddere cenſum*, Matt. 17. 26. Audi Tertullianum lib. de Idololatria c. 15. *Reddite quæ ſunt Ceſaris, Ceſari, & quæ ſunt Dei, Deo, id eſt imaginem Ceſaris Ceſari, quæ eſt in nummo & imaginẽ Dei Deo, quæ in homine eſt, vt Ceſari quidem pecuniam reddas, Deo temetipſum.* Et ſanctus Chryſoſtomus: *Tu autem cùm audis reddenda eſſe Ceſari quæ ſua ſunt, illa ſolùm dici non dubita, quæ pietati & religioni nihil officiũt; nam quod fidei ac virtuti obeſt, non Ceſaris, ſed diaboli tributum & vectigal eſt.* Et ſanctus Hilarius: *Si enim nihil quod Ceſaris eſt penes nos reſederit, conditione reddendi ei quæ ſua ſunt, non tenebimur. Porrò autem ſi rebus illius incubamus, ſi iure poteſtatis ſuæ vtimur, extra querelam iniuriæ eſt redhiberi Ceſari quod Ceſaris eſt.* q.d. Si vultis eſſe immunes à tributo, renuntiate omnibus quę poſſidetis, vti ego feci & Apoſtoli, vbi enim nihil eſt, ibi nihil iuris habet Ceſar: ſi autem veſtra D retinere vultis, ac inter ea numiſmata à Cæſare cuſa & vobis quaſi ſubditis ab eo indicta ad ſuſtinenda reipublicæ onera, tunc omni iure ęquũ eſt, vt illa quaſi ſua illi reddatis.

Politicè, Chriſtus hîc tacitè monet Cæſares & principes, vt ſuis contenti, Dei & Eccleſiæ negotijs ſeſe non ingerant. Sapienter & piè Conſtantinus Magnus Imperator, teſte Euſebio in eius Vita libr. 4. cap. 24. ad Eccleſiæ Præſules: *Vos*, ait, *intra Eccleſiam Epiſcopi, ego extra Eccleſiam Epiſcopus conſtitutus ſum à Deo.* Et Valentinianus ſenior? *Mihi*, ait, *qui vnus è numero laicorum ſum, non licet me eiuſmodi negotijs interponere.* Eius verò filius Valentinianus iunior, cùm ma-

*Deo & Cæſari ſua reddenda.*

tris



tris Iuſtinæ Arrianæ impulſu eccleſiam pro Arrianis poſceret à S. Ambroſio (vt ipſe refert Epiſtol. 33. ad Marcellinam ſororem) ab eo audiuit: *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale ius habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus: ſcriptũ eſt: Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ: tibi mœnium ius conceſſũ eſt, non ſacrorum.* Et Hoſius Cordubenſis ad Cõſtantium Imper. Arrianum; *Ne te*, inquit, *immiſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium cõmiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.* Theodoſius iunior epiſt. ad Concil. Epheſinum: *Nefas eſt*, inquit, *qui SS. Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, eum Eccleſiaſticis negotijs & conſultationibus ſe immiſcere.*

Moraliter docet nos hîc Chriſtus, prudentiam, vt apud captioſos ita ſapienter loquamur, & ſer- B monem temperemus, vt neutram partem offendamus; ſed inter duas aquas natemus, ac inter Scyllam & Charybdim enatemus.

Tropologicè; ſanctus Hilarius: *Deo etiam ea quæ Dei ſunt, reddere nos oportet, id eſt, corpus & animam & voluntatẽ; numiſma autem Cæſaris in auro eſt, in quo eſt eius imago depicta; Dei autem numiſma, homo eſt in quo eſt Dei imago figurata; ideo diuitias veſtras date Cæſari, Deo autem innocentiæ veſtræ conſciẽtiam ſeruate.* Sic & Origenes: *Deo*, ait, *reddenda ſunt quæ virtutis ſunt, Ceſari quæ politiæ & cenſus.* Et ſanctus Auguſtinus lib. 1. contra epiſt. Parmen. cap. 7. *Deo*, ait, *reddendus eſt Chriſtianus amor, regibus humanus timor.* Sanctus Bernardus, vel quiſquis eſt auctor. lib. de Paſſione Domini ca. 3. *Reddite*, ait, *Cæſari denarium, Cæſaris habentem imaginem; reddite Deo animam, quam ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit, & iuſti fueritis.* Vide S. Bernardum tract. de Quadruplici debito, quo Deo obſtringimur.

Symbolicè, auctor ſerm. ad Fratres in eremo apud ſanctum Auguſtinum tomo 10. ſerm. 7. *Tunc*, ait, *reddimus ea quæ ſunt Cæſaris Cæſari, cùm Sanctis impendimus duliam eis debitam; & quæ ſunt Dei Deo, cùm Deo tribuimus latriam illi ſoli propriam.*

Denique S. Aug. in Sententijs, ſentent. 15. hęc rectè applicat votis & vouentibus: *Quiſquis*, ait, *bene cogitat quæ voueat Deo; & quæ vouendo perſoluat, ſeipſum voueat & reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæſaris reddatur Cæſari, imago Dei reddatur Deo.* Id iubet Pſaltes dicens: *Vouete & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera*, pſal. 75. 12.

VERS. 22. Luc. 20. 26. Mar. 12. 17. ET AVDIENTES MIRATI SVNT, ET RELICTO EO ABIERVNT] Mirati ſunt ſapientiam & dexteritatem Chriſti, qua è laqueo hoc, qui Phariſæis videbatur ineuitabilis & inextricabilis, tam facilè ſe extricauit, illumque in Phariſęorum ſibi inſidiantium collum retorſit, eoque ipſos ſe captantes conſtrinxit, iuxta illud pſalm. 9. 16. *Laqueo illo quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum.* Phariſæi enim & negabant cenſum Cæſari & cultum Deo, vt patebit cap. 23. eos ergo tacitè perſtringit taxatque Chriſtus, & vtrumque eis faciendum edicit: quia *non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*, Prouerb. 21. 30.

VERS. 23. IN ILLO DIE ACCESSERVNT AD EVM SAD- A DVCÆI (de quibus dixi capit. 3. verſ. 7.) QVI DICVNT NON ESSE RESVRRECTIONEM, ET INTERROGAVERVNT EVM] Hi audierant Chriſtum docere reſurrectionem: ac per eam perſuadere hominibus pœnitentiam & vitam ſanctam. Oppugnant ergo eum hac queſtione, quæ eis pariter videbatur inextricabilis, vt Chriſtum eiuſque doctrinam confutent, intricent & euertant; per abſurditatem quæ ex ea ipſis ſequi videbatur. Luc. 20. 27 Mar. 12. 18.

DICENTES: MAGISTER, MOYSES DIXIT: SI QVIS MORTVVS FVERIT NON HABENS FILIVM, VT DVCAT FRATER EIVS VXOREM ILLIVS, ET SVSCITET SEMEN FRATRI SVO] *Semen*, id eſt, poſteritatem, filium (ita Syrus) qui ſcilicet nomine defuncti appelletur, vt ſic defunctus in eo quaſi filio ſupereſſe & ęternare videa- B tur. Lex hęc habetur Deuter. 25. 5. vbi eam explicui. VERS. 24. Luc. 20. 28. Mar. 12. 19.

*Quæſtio Sadducæorũ de Reſurrectione.*

ERANT AVTEM APVD NOS SEPTEM FRATRES, ET PRIMVS, VXORE DVCTA, DEFVNCTVS EST: ET NON HABENS SEMEN, RELIQVIT VXOREM SVAM FRATRI SVO. VERS. 25. Luc. 20. 29 Mar. 12. 20.

SIMILITER SECVNDVS, ET TERTIVS, VSQVE AD SEPTIMVM. VERS. 26. Luc. 20. v. 30. 31. Mar. 12. v. 21. 22.

NOVISSIME AVTEM OMNIVM ET MVLIER DEFVNCTA EST.

IN RESVRRECTIONE ERGO CVIVS ERIT DE SEPTEM VXOR? OMNES ENIM HABVERVNT EAM] Sadducæi putabant hac queſtione Chriſtũ confundere. Si enim diceret mulierem hãc vnius fore vxorem, ceteros fratres concitaſſet ad iram & inuidiam, & ad lites perpetuas, non enim ap- C paret ratio, cur huic potiùs hęc vxor detur quã alteri. Primus enim eius maritus, qui potiùs ius habere videbatur, illud per mortem perdidit: homine enim moriẽte, omnia eius iura pariter cum eo moriuntur. Sin dixiſſet Chriſtus vxorem hanc ſeptem fratribus fore communẽ, eum vt doctrinæ turpiſſimæ, & publici inceſtus auctorem accuſaſſent. q.d. Hæc abſurda ex reſurrectione ſequuntur ſi ea ponatur; ergo illa non eſt ponenda nec aſſerenda, vti tu ô Chriſte, eam ponis & aſſeris. Ita iſti homunciones putant ſe ſapere cùm ſummè deſipiunt: quare hoc eorum telum velut araneæ telum verbo difflat Chriſtus, quo eis ſuã ignorantiam oſtendit, addendo tertium membrum ab eis omiſſum; vtpote hominibus craſſis & carnalibus inopinatum, ſcilicet quòd vidua hęc in futuro ſęculo nullius erit vxor. VERS. 27. Luc. 20. 32. Mar. 12. 22. VERS. 28. Luc. 20. 33. Mar. 12. 23.

D RESPONDENS AVTEM IESVS AIT: ERRATIS NESCIENTES SCRIPTVRAS] Quæ crebrò & clarè reſurrectionem aſtruunt, vt Iob cap. 19. 25. & 2. Machab. 7. 9. & ſequent. & cap. 12. 44. Iſaiæ 26. 19. & cap. 66. 14. Ezech. 37. 1. & 9. Daniel. 12. 12. & alibi. VERS. 29. Mar. 12. v. 24.

NEQVE VIRTVTEM DEI] Græcè δύναμιν, id eſt, vim, robur, potentiam. q.d. Neſcitis Deum eſſe omnipotentem, ideoq; poſſe corpora mortua & incinerata ad vitam reſuſcitare, ſicut eadem primitus ex nihilo creauit; maior enim virtus requiritur ad aliquid creandum ex nihilo, quàm ad reſuſcitandum ex mortuo. Ad vitam, inquam, ſpiritalem, glorioſam & æternam, vt inſtar angelorum viuant; Sadducæi enim negabant Deum Deique potentiam & prouiden-



tiam,

tiam,ac conſequenter animæ immortalitatem & corporum reſurrectionem, vt patet Actor 23. 8. Tangit Chriſtus duplicem erroris Sadducæorũ radicem,prima eſt ignorantia Scripturarum, quę clarè docent reſurrectionem ; altera, ignorantia vel inconſideratio omnipotentię Dei,quę faciebat, vt Scripturas reſurrectionem aſtruentes de myſtica à vitio ad virtutem reſurrectione interpretarentur.

**Vers. 30. Luc. 20. v. 35. 36. Mar. 12. 25.**

In resvrrectione (id eſt,in futuro ſæculo, vt explicat Lucas cap. 20. 35. putà in cælo & cęleſti beatitudine) enim neqve nvbent, ſcilicet viri, neqve nvbentvr] id eſt, nõ dabuntur nuptui. Gręcizat Interpres: gręcè enim eſt, ὔτε γαμῦσιν, ὄυτε ἐκγαμίζον], id eſt, *neque ducunt vxorẽ*, ſcilicet viri, *nec dantur nuptui*, ſcilicet feminæ. Vnde Interpres in Luca cap. 20. 35. vertit, *neque traduntur ad nuptias*. Feminę enim quæ probæ & verecundæ ſunt, non eligunt maritos, ſed à parentibus dantur maritis, quos ipſi elegerint. Syrus, *neque accipiunt mulieres, neque vxores ſunt viris*. Gręcum enim γαμεῖν, tam viris quàm mulieribus tribuitur, vti & Latinum *nubo* apud antiquos vtriſque dabatur, teſte Nonio Marcello & Tertulliano lib. de Reſurrect. carnis. Propriè tamen vxori nubere dicitur, qui illi ſeruit & ab ea quaſi regitur. Hinc illud Martialis libr. 8. 10. ad Priſcum;

*Vxorem quare locupletem ducere nolim,*
*Quæritis? vxori nubere nolo meæ.*
*Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:*
*Non aliter fiunt femina virq; pares.*

Sed ervnt sicvt angeli (Syrus, *inſtar angelorum*) Dei in cælo] q.d. Beati poſt reſurrectionem in cælo erunt ſimiles angelis, non quoad naturam; ſed Primò, quoad puritatem; Secundò, quoad vitam ſpiritualem; viuunt enim cibo non corporali, ſed ſpirituali; Tertiò, quoad incorruptionẽ & immortalitatem; Quartò, quoad felicitatem & gloriam, in qua perennabunt in omnem æternitatem æquè ac angeli: Quocirca ibi non erit opus nuptijs & generatione; vtpote quę ad perpetuandam ſpeciem & indiuiduũ non in ſe, ſed per filium à natura adinuentæ & inſtitutę ſunt, Quia enim pater moritur, hinc generat filium, vt poſt mortem in filio quaſi viuat & ſuperſtes ſit. In cælo autem nemo morietur, ſed quiſq; viuet & beabitur in æternum: fruſtra ergo ibi forẽt nuptiæ & procreatio filiorum. Vnde Lucas cap. 20. 35. ſubdit: Neque enim vltra mori poterunt. Appoſitè ſanctus Auguſtinus in Quęſt. Euang. ad hunc locum Lucæ: *Connubia*, ait, *ſunt propter filios, filij propter ſucceſſionem, ſucceſſio propter mortem, ibi ergo mors non eſt, neque connubia*. Addit Beda: *Etiam peccatores ſine nuptijs erunt in ſæculo illo, ſed Dominus vt ad reſurrectionis gloriam inquirendam animos excitaret, de electis tantùm voluit facere ſermonem*. Igitur ſicut electi ſimiles erunt angelis ſic reprobi ſimiles erunt dęmonibus, qui cùm ſint ſpiritus, immortales erunt, ſed in pœna & gehenna ſicut angeli in gloria.

Subijcit Lucas: *Et ſunt filij Dei, cùm ſint filij reſurrectionis*. q.d. Beati reſurgentes tam corpore quã animo ſimiles erunt Deo, putà ſpirituales, glorioſi, immortales, & æterni ſicut eſt Deus, tamquam filij ex reſurrectione orti, & rurſum nati procreatique ad vitã beatam & perpetuam; quare procreatione filiorum nec egebunt, nec delectabuntur, de quo plura Lucæ 20. 35.

*Caſtitas nos aſſimilat angelis.*

Ex hoc loco auctor Imperfecti hîc docet nullam virtutem eſſe tam angelicam quàm caſtitatem; de hac enim hîc ait Chriſtus: *Erunt ſicut angeli Dei*: hi enim neſciunt per experientiam quid ſit libido, Et Cyrillus Hieroſol. catecheſi 12. *Virginitatem* vocat *angelorum conuerſationem, & incorporeæ naturæ puritatem*. Vnde ſanctus Baſilius de Virginit cap. 79. docet virginitatem eſſe ſemen futuræ incorruptionis, imò virgines futuram illam in cęlo cum angelis ſimilitudinem hîc pręuenire, & inchoare; eiuſque perfectionem in cęlis donandam, aſſidua hîc cum carne lucta & victoria promereri. Addit ſanctus Baſilius, caſtitatem nos non tantùm angelis, ſed & ipſi Deo aſſimilare, iuxta id quod addit Lucas: *Et ſunt filij Dei. Magnum quid*, ait ſanctus Baſilius, *& præclarum eſt virginitas, quæ hominem incorruptibili Deo ſimillimum facit, vt ſimilitudinem Dei in ſe velut in ſpeculo mundiſſimo ab ipſo Deo cum gratijs ſuis, in morem ſuauiſſimi radij influentem ſuſcipiat*. Audi ſanctum Baſilium vlterius: *Et hi profectò, qui continentiam ſeruant, angeli ſunt, qui viuentes in carne corruptibili mortalium vitam illuſtrando tuentur. Sunt autem angeli non ex infimo quouis ordine, ſed certè illuſtriſſimi & nobiliſſimi. Illi enim carneis nexibus liberi integritatem ſuam in cælis ſeruant, & loco & natura inuiolabiles, & apud ſummum regem omnium Deum conſtituti. At verò illi in terra carnis illecebris & voluptatibus diù reluctantes, ac diaboli tẽtamenta perpetua exercitatione vincẽtes, incorruptionem angelicę puritati parem virtute præcipua ante Creatoris oculos cuſtodierunt.*

Eleganter & piè ſanctus Bernardus epiſt. 42. *Quid*, ait, *caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, angelum denique de homine facit? Differt quidem inter ſe homo pudicus & angelus, ſed felicitate, non virtute. Sed etſi illius caſtitas felicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quę in hoc mortalitatis loco & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur, præbens quodammodo in terris cæleſtis iam illius conuerſationis experientiam*. Idem ſer. 2. in illud: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum: Quis*, inquit, *cælibem iſtam vitam, cæleſtem & angelicam dicere vereatur? Aut quòd in reſurrectione futuri ſunt omnes electi, quomodo non iam nunc eſtis ſicut angeli Dei in cælo, à nuptijs penitùs abſtinentes? Amplectimini fratres pretioſiſſimam margaritam, amplectimini ſanctimoniã vitæ, quæ vos efficit Sanctorum ſimiles, & domeſticos Dei, dicente Scriptura, Incorruptio facit eſſe proximum Deo*, Sapient. 6. 20. Vide ibi dicta.

*An feminæ in ſexu virili reſurgent.*

Denique ex hoc loco ſanctus Hilarius hic, & ſanctus Athanaſius ſer. 3. contra Arrian. ſanctus Baſilius in pſal. 114. ſanctus Hieronymus in cap. 4. ad Epheſ. verſ. 13. ex illo quod ibi dicitur, *Donec occurramus omnes, &c. in virum perfectum*, videntur aſſerere, poſt reſurrectionem in cęlo non fore ſexum femineum, ſicut non eſt in angelis; quare omnes feminas commutandas fore in viros & reſurrecturas in ſexu virili. Idem ſua ætate multos ſenſiſſe teſtatur S. Augu. lib. 22. de Ciuit. cap. 17.

Verùm contrarium ibidem docet ipſe ſanctus



ctus Auguſtinus, æquè ac ſanctus Chryſoſtomus hîc, & Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis, ſanctus Hieronymus epiſt. 61. ad Pammach. contra errores Ioãnis Hieroſolymitani, & paſſim Scholaſtici in 4. diſtinct. 44. Ratio à priori eſt, quia ſexus femininus non eſt vitium, ſed natura & naturalis conditio; vnde erat etiam in ſtatu innocentiæ, putà in paradiſo. Eua enim mater viuentium à Deo creata eſt femina, ſicut Adam vir. In reſurrectione autem eadem omnino natura in quolibet homine reſurget, eadem inquam numero, ſiue in indiuiduo: ad hoc autem multum facit ſexûs diuerſitas & proprietas; ergo illa tunc remanebit, ne aliud indiuiduum, & alius homo ab eo, qui in hac vita fuit, reſurgere videatur. Idem liquet ex eo quod ait hîc Chriſtus: *Non nubent neque nubentur: non nubent*, ſcilicet viri; *non nubentur*, ſcilicet feminæ; igitur tunc erunt feminæ æquè ac viri, ſexu inter ſe diſcreti. Chriſtus ergo non negat tum fore feminas, ſed potiùs eas fore præſupponit, ita tamen vt ſexu ſuo ad vſum nuptiarum & generationem non vtantur, vt rectè aduertit Beda. *Nemo enim dicit rebus, quæ non habent mẽbra genitalia, Non nubent, neque nubentur*, ait ſanctus Hieronymus. Et hoc tãtùm voluere Patres initio citati, qui contrarium dicere videntur. Tantùm enim ſignificare volunt, in cælo non fore ſexuum diuerſitatem quoad vſum, ſed quoad ſubſtantiam eam non negant, imò fore pręſupponunt. Plura hac de re dixi, Epheſ. 4. 13.

*Sexus femineus, non eſt vitium, ſed natura.*

**Vers. 31. Luc. 20. 37. Mar. 12. 26.**

De resvrrectione avtem mortvorvm non legistis, qvod dictvm est a Deo dicente vobis] Exodi 3. v. 5. Vide ibi dicta.

**Vers. 32. Luc. 20. v. 37. 38. Mar. 12. v. 26. 27.**

Ego svm Devs Abraham, et Devs Isaac, et Devs Iacob: Non est Devs mortvorvm, sed viventivm] Chriſtus non contentus ſoluiſſe Sadducæorum obiectionem cõtra reſurrectionem, inſuper eamdem illis probat ex dicto Dei ad Moyſen: *Ego ſum Deus Abraham*, &c. Licet, enim potuiſſet clariora reſurrectionis petere teſtimonia ex Iob, Machabæis, Iſaia, Ezechiele, Daniele, quæ citaui verſ. 29. Maluit tamen hoc petere à Moyſe & Pentateucho, quia hoc ſolum recipiebant Sadducæi, Prophetas verò reſpuebant. Ita Origenes, ſanctus Hieronymus, Beda & alij. Vnde Ioſephus lib. 18. c. 2. de Sadducæis ait: *Nec quidquam præter legem ſeruandum exiſtimant*: licet ibi Ioſephus propriè videatur legem opponere traditionibus, non verò Prophetis, ſed eos ſub lege comprehendere: alioqui enim ipſi manifeſti fuiſſent hæritici, & à Iudæis omnibus exploſi, vt notat Franciſcus Lucas: quare potior cauſa citationis videtur eſſe hæc, quòd apud Iudæos maior & antiquior eſſet auctoritas Moyſis quàm Prophetarum. Summa item veneratio Abrahæ, Iſaac & Iacob Patriarcharum & patrum ſuorum, quos proinde non eſſe mortuos, ſed apud Deum viuere, curamque poſterorum ſuorum Hebræorum agere exiſtimabãt: vnde nemo eos planè interiiſſe auſus fuiſſet dicere.

*Cur Moyſem hic potius quàm alios Prophetas citet Chriſtus.*

Ego svm devs Abraham, &c.] Primò, q. q. Ego ſum Deus qui glorior de Abraham, Iſaac & Iacob quaſi de ſanctis Prophetis, fidelibus meis amicis & cultoribus; quique fœdus cum eis iniui de danda eis (id eſt, eorum poſteris) terra Chanaan, pro quo ipſi in limbo patrum degentes me aſſiduè ſollicitant, egoque illis fidem quam dedi, reipſa mox per Moyſen & Ioſue præſtabo: ita autem de eis non gloriarer niſi ipſi viuerent, maximè ego qui ſum Deus viuus & viuificans. Viuunt ergo ipſi ſecundùm animam, ac conſequenter ſecundùm corpus in reſurrectione viuent, idque breui & cito, ſcilicet poſt paucos dies cùm ego à morte reſurgam, tũc enim & ipſos à morte ſuſcitabo, & mecum cum triumpho in cælos traducam, Matth. cap. 27. verſ. 52.

Vbi Nota, Sadducæos & Philoſophos Epicureos negaſſe reſurrectionem, eò quòd negarent animæ immortalitatem, ſunt enim hæc duo inter ſe connexa. Si enim anima eſt immortalis, cùm illa naturaliter propendeat ad corpus, cuius eſt forma, vtique illud reſurgat oportet: alioqui anima perpetuò exiſteret in ſtatu violento, ac dimidiatam quaſi exiſtentiam, vitam & ſubſiſtentiam dumtaxat obtineret. Hac de cauſa Chriſtus hîc, æquè ac ſanctus Paulus 1. Corinth. cap. 15. & Auctor. lib. 2. Machab. cap. 43. ex animarum immortalitate probant corporum reſurrectionem.

Secundò, ſanctus Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Irenæus lib. 4. c. 11. Abraham, inquiunt, Iſaac & Iacob, non ſignificant ſolas eorum animas, ſed totos homines. Hi ergo licet hominibus ſint mortui; Deo tamen viuunt, & quaſi dormiunt, quia breui eos Deus à morte quaſi à ſomno, excitabit ad vitam beatam & æternam. Vnde Lucas c. 20. 20. explicãs addit: *Omnes enim viuunt ei*, ſcilicet Deo.

**Vers. 33.**

Et avdientes tvrbæ mirabantvr in doctrina eivs] Tam clara, ſancta & ſolida, qua ſummos eorũ Rabbinos, Phariſæos & Sadducæos erroris conuincebat, vt contra hiſcere nõ auderent.

**Vers. 34.**

Pharisæi avtem avdientes qvod silentivm imposvisset Saddvcæis, convenervnt in vnvm] Vt eum de victoria à Sadducæis relata tumidum & elatum (vt ipſi putabant) deprimerent, ac ignorantiam Scripturarum quam ipſe Sadducæis obiecerat, in ipſummet retorquerent; ſed ſtolidi homines contra ſtimulum calcitrant, vt ſemel victi à Chriſto iterum turpiùs ab eo vincantur. Ipſe enim eſt veritas & ſapientia æterna, qui ſingulis ſuas inſcitiæ tenebras reuelat & oſtendit.

**Vers. 35. Mar. 12. 28.**

*Interrogat Chriſtum legis doctor de mandato magno.*

Et interrogavit evm vnvs ex iis legis doctor tentans evm] Hic vnus obtulit ſe Phariſæis quærentibus Ieſum capere in ſermone, dicens ſe in promptu habere quæſtionem difficillimam, quam Ieſu proponeret, vt ex eius reſponſione tentaret, quàm Ieſus eſſet perius legis & Scripturæ, non tantùm in ſpeculatiuis, vti erat illa quæſtio Sadducæorum de reſurrectione, ſed etiam in practicis, Tò ergo *tentans*; idem eſt quod probans & experimentum capiens: hic enim licet fingeret coram Phariſæis, ſe velle Ieſum irretire & capere; tamen in animo ſuo cupiebat experiri & audire quid Ieſus ad quæſtionem hanc tam difficilem, in qua ipſe

ipſe dubius hærebat, eſſet reſponſurus. Cupit ergo à Ieſu doceri. Vnde audiens Ieſum reſpondere, maximum mandatum eſſe dilectionis Dei & proximi, illico reſpõſum hoc probauit & laudauit dicens: *Benè Magiſter in veritate dixiſti*, &c. Vnde *Ieſus videns quòd ſapienter reſpondiſſet, dixit illi: Non es longè à regno Dei*, ſcilicet à vera fide & gratia, quę fideles ducit ad regnum cęleſte, Marci 12.34.

VERS. 36. Mar. 12. 28. MAGISTER, QVOD EST MANDATVM MAGNVM IN LEGE?] Erat hęc quæſtio, ait Beda in Marci c. 12. tempore Chriſti apud Iudæos valde controuerſa: multi enim primum mandatum legis cenſebant eſſe de ſacrificijs & victimis, Deo ex lege Leuitic. c. 1. & ſequent. offerendis: hiſce enim propriè colitur Deus vt ſummus omnium Dominus. Vnde propterea iubebant Phariſęi filijs, vt parentibus dicerent *corban*, id eſt, munus quo te alere deſtinabam, voui Deo: illi ergo ipſum dandum eſt, non tibi, Matth. cap. 15. verſ. 6. Hinc & Legis doctor hic audito Chriſti reſpõſo de dilectione Dei & proximi, illam laudans ſubiecit: *Diligere* (Deum &) *proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificijs*, Marci 12.33.

VERS. 37. Luc. 10. 27. Mar. 12. 30. AIT ILLI IESVS: DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE TVO, ET IN TOTA ANIMA TVA, ET IN TOTA MENTE TVA] Moyſes Deuteron. cap. 6. v. 5. & ex eo Marcus & Lucas addunt, *& in tota fortitudine tua*; Syrus, *& in tota virtute tua*, id eſt, ex toto conatu cordis & mentis tuæ. Idem enim hîc ſignificant *cor, anima, mens*. Æthiopicus, *ex tota virtute tua, & ex tota potentia quæ tibi*; Perſicus *ex tota nimietate mentis tuæ*: hoc enim reſpondet Hebræo *meodecha*, Deuteron. ca. 6. v. 4. vt ibi dixi.

Nota contra Caluinum & hæreticos, hoc Dei præceptum cuiuis homini ſeruatu eſſe poſſibile: non enim pręcipitur hîc, totus vel ſummus amor Dei extenſiuè aut intenſiuè, ſed tantùm comparatiuè, finaliter & appretiatiuè. Diliges ergo Deum ex toto corde, ſiue ex tota anima & mente, idem eſt, ac ſi dicat: Diliges Deum ex tota voluntate tua, ſcilicet

*Diliges Deũ ex toto corde tripliciter. Primo.*

Primò, comparatiuè, vt nullam partem amoris tui des idolo, aut rei cuipiam Deo contrariæ.

*Secundo.*

Secundò, finaliter, vt generatim velis Deum eſſe finem totum & vltimum omnium tuarum cogitationum, actionum & amorum, ipſumque vt ſummum bonum finemque vltimum, rebus omnibus præferas & anteponas; ac conſequenter.

*Tertiò.*

Tertiò, appretiatiuè, vt nihil ita æſtimes, tantoque loco & pretio habeas, quanto habes Deum, ac proinde vt totum cor, id eſt, voluntatem applices, vt tota & omnia eius præcepta impleas, eique per omnia obedias, etiamſi propterea opes, honores, famam, amicitiam, vitamque ipſam perdere debeas. Vnde quod hîc dicitur, *Ex toto corde*, alibi dicitur, *Ex corde integro & perfecto*. Hinc illud toties iteratum: *Cor eius perfectum erat cum Deo: Inceſſit in omnibus mandatis Domini: Secutus eſt Dominum in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu eius*, &c. 3. Reg. 14. 8 Vide dicta Deuteron. c. 6. 4. vbi fusè hoc præceptum explicui. Hoc eſt quod ait ſanctus Bernardus tract. de diligendo Deo; *Modus diligendi Deũ, eſt diligere ſine modo*. Immenſa enim Dei bonitas

A immenſum meretur amorem, vt ſine fine, modo & menſura quaſi immensè diligatur. Quocirca Victor Antiochenus in Marci cap. 16. verſ. 32. *Homo*, inquit, *tãto Dei amore flagrare debet, vt nihil prorſus in vllam animæ facultatem irrepere ſinat, quod ſuam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut aliò transferat; ſed in omnibus illi ſoli magis magiſque aſſiduè placere ſatagat, nec alteri perſonæ aut rei creatæ niſi propter Deum.*

HOC EST MAXIMVM ET PRIMVM MANDATVM] Arabicus, *hoc eſt mandatum primum maximum*. Maxima enim virtus, & virtutum omniũ regina eſt, charitas, 1. Corinth. 13. Quare charitas nobilior eſt religione: nobilius enim eſt diligere Deum ex toto corde, quàm eidem offerre ſacrificia. Adde, charitas quaſi regina imperat ſacrificia, ceteroſque religionis aliarumque virtutum B actus. Denique amor, nobiliſſimus eſt affectus & actus qui præcellit timore, honore, ceteriſque omnibus; cuius præcellentiæ octo cauſas recenſui Deut. 6. 4. VERS. 38. Mar. 12. 30.

SECVNDVM AVTEM SIMILE EST HVIC: DILIGES PROXIMVM TVVM SICVT TE IPSVM] Syrus, *ſicut animam tuam*, id eſt, ſicut teipſum. *Secundum*, ordine non legiſlationis: multæ enim aliæ leges & præcepta ante hoc à Deo lata & ſancita ſunt, ſed dignitatis & perfectionis, licèt longè impar & inferius primo, quod eſt de diligendo Deo: Deus enim longè magis diligendus eſt, quã omnes angeli, homines & creaturæ vniuerſę; ſed poſt Deum inter res creatas, præ omnibus diligendus eſt proximus. *Simile*, in dilectione & affectu, eiuſque officijs & actibus. Sicut enim diligimus Deum, ſic & proximum; imò ratio diligendi proximum eſt dilectio Dei; proximum enim diligimus propter Deum, quia ſcilicet Deus iubet nobis, vt diligamus proximum tamquam ſui imaginem. VERS. 39. Luc. 10. 27. Mar. 12. 31.

C

Omittit hîc Chriſtus dilectionem ſui ipſius quia hęc omnibus inſita eſt, & quaſi naturalis, vt, ſi habeas erga alios charitatem, illam primò in teipſum exerceas. *Qui enim ſibi nequam, cui bonus?* Vnde illam hîc Chriſtus præſupponit, imò dilectionem ſui, ſtatuit ideam & quaſi menſuram dilectionis proximi, dicens, *Sicut teipſum* amas & diligis. Vnde ſanctus Auguſtinus libr. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 27. *Non eſt hîc*, inquit, *tui dilectio prætermiſſa: dicitur enim vt diligas proximum ſicut teipſum.*

Primo ergo loco diligendus eſt Deus ſuper omnia ex toto corde. Secundò, propria perſona, ſcilicet propria anima & corpus. Tertiò, D proximus; quare cùm ait: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, τὸ *ſicut* non æqualitatem, ſed ſimilitudinem dilectionis ſignificat: magis enim nos ipſos quàm proximum amare debemus, ſed tamen ſimilia his quæ nobis optamus, proximo optare & præſtare debemus. Citat Leuit. cap. 19. verſ. 18. vbi hanc legem explicui; quibus adde Hebræũ רע *rea* propriè ſocium ſignificare. Noſter tamen vertit, *proximum*, vt magnum cuique ingerat dilectionis ſtimulum, quia omnis homo, qui hîc intelligitur, nobis eſt proximus, & coniunctiſſimus & quaſi frater, tum creatione & natura, quia ab eodem Deo Patre creatus eſt homo;



homo; tum recreatione, quia ab eodem patre Chriſto regeneratus eſt in Baptiſmo, eiuſq; corpore & ſanguine alitur in Euchariſtia, ceteriſque Sacramentis, donis & gratiis aſſiduè, æquè ac alij, paſcitur. Vide dicta Leuit. c. 19. v. 18.

*Proximum dilige ſicut teipſum. Primò.*

Iubet ergo Deum diligi ex toto corde, proximum verò non ex toto corde ſed *ſicut teipſum*, vt ſcilicet Primò, non te ſolum diligas & proximũ negligas, quod ſuadet amor proprius ex natura peccato corrupta nobis inſitus, ſed amorem quo te diligis, ad proximum extendas.

*Secundò.*

Secundò, vt, ſicut te non fictè nec frigidè, ſed ſincerè & ardenter diligis, ſic pariter diligas & proximũ, atq; bona corporis & animæ quę tibi optas, optes & proximo. Hoc eſt quod dixit ſanxitque Chriſtus c. 7. 12. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*; ſiue, quod Tobias moriens mandauit filio c. 4. v. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias: ea enim eſt regula dilectionis*, ait ſanctus Auguſtinus de Vera religion. ca. 46. *vt quæ homo vult ſibi bona prouenire, & proximo velit, & quæ ſibi accidere mala non vult, & illi nolit.* Non vis tibi eripi opes, honorem, vxorem, vitam? nec tu illa aliis eripias. Vis eadem tibi dari & conſeruari? tu quoque eadem aliis dato & conſeruato.

VERS. 40. IN HIS DVOBVS MANDATIS VNIVERSA LEX PENDET, ET PROPHETÆ] q. d. Omnia legis & Prophetarum præcepta his duobus dilectionis & proximi præceptis nituntur & fulciuntur, imò ex illis naſcuntur & eliciuntur, ſicut rami multi naſcuntur pendentque ex vna arbore & radice; quare in his duobus ſummatim continentur, ſicut concluſiones continentur in ſuis principiis & præmiſſis: omnia enim præcepta comprehenduntur Decalogo. Decalogus autem non continet niſi præcepta de diligendo Deo & proximo: tria enim primæ tabulę pręcepta ſpectant ad dilectionem Dei, cetera verò ſeptem ſecundę tabulæ ſpectant ad dilectionem proximi, ait ſanctus Auguſtinus libr. 8. de Trinit. capit. 7. Quamobrem Apoſtolus Rom. ca. 13. verſ. 8. *Qui*, inquit, *diligit proximum, legem impleuit. Nam nõ adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Vide ibi dicta. Quocirca omnia miſericordiæ, ceterarumque virtutum naturalium & ſupernaturalium præcepta, referuntur ad hæc duo dilectionis Dei & proximi, in iiſque continentur: nam præcepta, fidei, ſpei, charitatis, religionis continentur in præcepto dilectionis Dei: præcepta verò iuſtitiæ, veritatis, fidelitatis, amicitiæ, miſericordię, gratitudinis, &c. continentur in præcepto dilectionis proximi. Significat ergo Chriſtus, hæc duo præcepta cuique ſemper in mente & ob oculos verſari debere, vt ad ea omnes ſuas cogitationes, ſermones & actiones dirigat, totamque vitam ſuam exigat & componat.

VERS. 41. CONGREGATIS AVTEM PHARISÆIS (in templo vt patet ex Marco cap. 12. verſ. 35.) INTERROGAVIT EOS IESVS] Vtitur hîc Chriſtus occaſione Phariſæorum ſe tentantium, ad

A eos inſtruendos de Meſſię perſona & dignitate, vt doceat nos malum retorquere in bonum, & tentationem conuertere in inſtructionem, hypocriſin in doctrinam, maleficium in beneficium. Phariſęi ergo *qui ad tentandum Ieſum fuerant congregati, & veritatem fraudulẽta interrogatione carpere nitebãtur, occaſionem prębuerunt confutationis ſuę*, ait ſanctus Hieronimus. Docuit ergo eos Meſſiam ſiue Chriſtum, non eſſe purum hominem, vt ipſi putabant, ſed eſſe hominem Deum, ſiue ſubſiſtentem in perſona diuina Verbi. Vnde non mirari debere, ſi ipſe aſſerat ſe eſſe Filium Dei.

DICENS: QVID VOBIS VIDETVR DE CHRISTO? (Meſſia vobis in lege promiſſo) CVIVS FILIVS EST? DICVNT EI, DAVID] Dicere debuiſſent, Chriſtus quà Deus, erit Dei filius iuxta il- VERS. 42. Luc. 20. 41. Mar. 12, 35.

B lud *Filius meus es tu: ego hodie genui te*, pſ. 2. ſed quia homo, eſt filius Dauidis. Verum prius vel ignorabant, vel non credebant Phariſæi: vnde poſterius tantùm reſpondent, ſed ex eo Chriſtus prius quoq; elicit & euincit. Petrus rogatus à Chriſto quem ipſum eſſe cenſeret, inſtinctus à Deo reſpondit: *tu es Chriſtus filius Dei viui*, Matth. 16. Sed hoc inſtinctu diuino carebant Phariſęi: vnde non niſi humana ſapientes, credebant Chriſtum non niſi hominem eſſe.

Nota. Hęc paulò aliter narrant Lucas & Marcus; ſed hi cum Matthæo conciliandi ſunt, vt velint dicere Chriſtum primò interrogaſſe Phariſæos cuius filius foret Chriſtus: illi reſponderunt, Scribas, id eſt, legis doctores, dicere Chriſtum eſſe filium Dauidis: tum Chriſtus ſubiecit: Quomodo Scribæ dicunt Chriſtum eſſe filium Dauidis, cùm Dauid eum vocet Dominum C ſuum?

AIT ILLIS: QVOMODO ERGO DAVID IN SPIRITV (inſtinctus à Spiritu ſancto, ab eoque actus & impulſus, imò eo plenus: Spiritus ſanctus enim Pſalmos dictauit Dauidi, eorumque affectus & ſenſa viua ipſi indidit, ideoque non tam Dauid in ſpiritu, quàm Spiritus in Dauide locutus eſt) VOCAT EVM DOMINVM] Filius enim minor & iunior eſt ſuo patre; quare non pater filium, ſed filius patrem vocare ſolet ſuum Dominum, vt fit apud Italos aliaſque gentes. Ex hoc loco confutantur Rabbini moderni, qui hunc pſalmum 109. non de Meſſia & Chriſto, ſed de Abrahamo, vel Dauide, vel Ezechia interpretantur. Nam Phariſæi & Scribæ tempore Chriſti intelligebant eũ de Chriſto, cenſebantque pſalmum hunc eſſe o- VERS. 43. Luc. 20. 42 Mar. 12. 36.

D raculum de Chriſto: alioqui enim ſtatim reſpondiſſent Chriſto, ipſum malè pſalmum hunc de Meſſia citare & intelligere, cùm intelligendus eſſet de Abrahamo, Dauide aut Ezechia. Idem patet ex verſ. 4. eiuſdem pſalmi: *Tecum principium* (principatus: hoc enim eſt Hebr. נְדָבֹת *nedabot*, & Græcum ἀρχὴ) *in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferũ genui te.* Hæc enim nulli niſi Chriſto competit. Denique Ionathan Chald. R. Barachias, R. Leui, ac veteres Rabbini, teſte R. Moyſe & Genebrardo in pſal. 109. illum non niſi de Chriſto intelligunt.

DICENS: DIXIT DOMINVS DOMINO MEO, SEDE A DEXTRIS MEIS, DONEC PO- VERS. 44. Luc. 20. 42

NAM 43.

Mar.12.36. NAM INIMICOS TVOS SCABELLVM PEDVM TVORVM] Ex hoc verſu pſalm.109.colligit euincitq; Chriſtus, Meſſiam (qualis ipſe erat) non eſſe purum hominem, vti credebant Phariſæi, ſed eſſe Deum, ac proinde Dauidis Dominum. Sẽſus ergo eſt. q.d. Dauid: *Dixit Dominus* Deus *Domino meo* putà Chriſto, *Sede à dextris meis*, cùm ſcilicet poſt crucem, mortem & reſurrectionem Chriſti, eum reſuſcitabit, & exaltabit ſuper omnes poteſtates & paincipatus, atque proximum ſibi in cælo conſtituet, vt regnet in ſumma felicitate, auctoritate, gloria & imperio in vniuerſas creaturas. Vide dicta Epheſ.1.20.& Coloſſ.3.verſ.1. vbi fusè explicui, quid ſit ſedere Chriſtum à dextris Dei. A

B Porrò *dixit* hebr. eſt נְאֻם *neum*, id eſt dictum, pronunciatum, effatum, oraculum, decretum Domini de Chriſto Domino meo, idque fixum, certum & immutabile. *Neum* enim per metatheſin idem eſt, quod *Amen*, id eſt certò, fideliter, conſtanter futurum, vti fuſiùs dixi 1. Timoth. 1. verſ.15. ad illa, *Fidelis ſermo*. q.d. Deus pater ab æterno certò, firmiter & inuiolabiliter dixit, pronunciauit, decreuit de Chriſto filio ſuo, non quà Deus eſt, ſed qua incarnatus & factus homo, hoc enim innuit Hebr. אֲדֹנִי *Adoni*, id eſt, *Domino meo*: nam cùm Deus ſignificatur, dicitur אֲדֹנָי *Adonai*) qui titulo, tum vnionis hypoſtaticæ, tum redemptionis in cruce peractæ, omnium hominum, & conſequenter meus, id eſt Dauidis, eſt Dominus. C Dixit, inquam, interiùs in mente ſua ab æterno; exteriùs verò *dixit*, id eſt, dicet in tempore aſcenſionis Chriſti, quando Chriſto cum triumpho ſcandenti in cęlum dicet: Veni & ſede à dextris meis, id eſt, mihi proximus, & in ſumma maieſtatis meæ gloria regna & triumpha. Ita ſanctus Hieronymus & Theodor. & alii ibidem. Pſalmus enim ille 109. celebrat Chriſti regnum ſummum & ampliſſimum, tam in cælo quàm in terra, quo Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem & aſcenſionem, ex Sion & Ieruſalem cœpit regnare in omnes gentes, eaſque per Apoſtolos ſuæ fidei & cultui ſubijcere, donec omnes inimicos ſuos, id eſt, omnes impios & reprobos calceat & conterat in die iudicij.

A DONEC PONAM INIMICOS TVOS SCABELLVM PEDVM TVORVM] q.d. Regna mecum in omni gloria, vſque ad diem iudicij, quãdo omnes inimicos, id eſt impios, tibi planè ſubijciam, vt eis quaſi mancipijs domineris, imò eos calces quaſi ſcabellum pedum tuorum, quod ſignum eſt infimæ & viliſſimę ſeruitutis. Vnde Sapor rex Perſarum, Aurelianum Imperatorem à ſe bello captum fecit ſibi ſcabellũ: aſcenſuro enim in equum, Aurelianus dorſum ſuum, quaſi ſcabellum per quod in equum conſcenderet, Sapori præbere debebat. Idem fecit Tamberlanus Tartarorum Imperator, Baiazeti Imperatori Turcarum, cùm eum prœlio viciſſet & cepiſſet.

*Aurelianũ Imp. ſcabellum pedum ſuorum fecit Sapor Perſarum rex: & Baiazetem Tamberlanus.*

B *Tò* ergo *donec* non ſignificat finem, ſed continuationem & amplificationem ſeſſionis & regni. q.d. Regna mecum etiam, donec inimicos tuos tuis ſupponam pedibus, etiam tempore, quod tuo regno videtur oppoſitum & contrarium, etiam quando illi videbuntur regnare, etiam antequam hoſtes tuos tuis pedibus ſubſternam, tuoque libito ſubijciam, diabolo, morte, impijs, peccatis funditus euerſis & extirpatis. Nempe inter medias cruces, perſecutiones, impietates, motus & turbas ſatanæ ac miniſtrorum eius regna: nam de alio tempore non eſt dubium, quin regnet Chriſtus. Ita Genebrardus. Sic ſumitur *donec* Matt. 1. verſ. vlt. & alibi. Addit hoc Chriſtus, vt tacitè perſtringat Phariſęos ſuos inimicos, q.d. Vos, ô Phariſæi, me perſequimini, imò me occidetis & crucifigetis, ſed ſcitote quòd tertio die reſurgam, & quadrageſimo die aſcendam in cęlum; indeque iudex omnium hominum redibo, ac vos ceteroſque infideles & impios inimicos meos condemnabo, calcabo & deprimam in tartara. C

ET NEMO POTERAT EI RESPONDERE (Syrus, *rationem reddere*) VERBVM (quia, vt dixi, credebant Meſſiam merum fore hominem) NEQVE AVSVS FVIT QVISQVAM EX ILLA DIE EVM AMPLIVS INTERROGARE] *Conticuerunt igitur*, ait S. Chryſoſtomus, *lethali vulnere perfoſſi. Maluerunt enim*, inquit S. Auguſtinus in pſalm. 109. v. 1. & 2. *inflata taciturnitate diſrumpi, quàm humili confeſſione edoceri.* Vers. 46. Luc. 20. 40 Mar. 12. 24.

CAPVT



# CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus Primò, iubet Judæis, vt Scribarum & Phariſæorum doctrinam ſequantur, ſed non vitam & mores: vtpote improbos, inhumanos, iactabundos, & arrogantes. Secundò, v. 13. væ maledictionis eis intentat, ob eorum hypocriſin, auaritiam, ſuperſtitionẽ, aliaq; ſcelera, quæ recenſet. Tertiò, v. 32, prædicit ab eis occidendos ſuos fideles & Apoſtolos; ideoque Hieroſolymæ & Iudææ extremum per Romanos excidium intentat.*

*Videtur hoc eſſe vltimum & cygnæum Chriſti oraculum quo crucem & mortem ſibi inſtantem præſagit, imo parat & ambit. Hac enim acri & liberâ vitiorum caſtigatione, adeò offendit Scribas & Phariſæos, vt nõ iam verba, ſed verbera ei pararẽt: vnde poſt tres dies (hæc omnia enim acta & dicta ſunt à Chriſto die Martis poſt dominicam Palmarum, vt dixi in Chronotaxi, n. 64. & 65.) eum ceperunt & crucifixerunt. Præuidebat hoc Chriſtus, ſed eorum malitiæ parcere noluit, nec debuit, ſed eam acriter reprehendit; vtpote legiſlator & morum cenſor à Deo in mundum miſſus, etiamſi ſciret ſe propterea ab eis occidendum: quia mortem hanc pro ſalute hominum Deo Patri offerre deſiderabat, vt hac ratione mira Dei prouidentia, quæ decreuerat homines per Chriſti crucem ſaluare, in ipſo & per ipſum impleretur. Chriſti libertatem imitatus eſt S. Stephanus, qui acri ſuâ reprehenſione viam ſibi ſtrauit ad martyrium adeò exoptatum, Actor. 7.*

1. TVnc Ieſus locutus eſt ad turbas, & ad diſcipulos, 2. dicens: Super cathe-
dram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. 3. Omnia ergo quæcumque
dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: di-
cunt enim, & non faciunt. 4. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & im-
ponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. 5. Omnia
verò opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, &
magnificant fimbrias. 6. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas ca-
thedras in ſynagogis, 7. & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.
8. Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus eſt enim magiſter veſter, omnes autem
vos fratres eſtis. 9. Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim
pater veſter, qui in cælis eſt. 10. Nec vocemini magiſtri: quia magiſter veſter
vnus eſt, Chriſtus. 11. Qui maior eſt veſtrûm, erit miniſter veſter. 12. Qui
autem ſe exaltauerit, humiliabitur: & qui ſe humiliauerit, exaltabitur. 13. Væ
autem vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante
homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. 14. Væ vobis
Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas o-
rantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. 15. Væ vobis Scribæ & Pha-
riſæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum: & cùm
fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. 16. Væ nobis duces
cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil eſt: qui autem iurauerit
in auro templi, debet. 17. Stulti & cæci: Quid enim maius eſt, aurum, an tem-
plum, quod ſanctificat aurum? 18. Et quicumque iurauerit in altari, nihil eſt:
quicumque autem iurauerit in dono, quod eſt ſuper illud, debet. 19. Cæci; Quid
enim maius eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum? 20. Qui ergo iurat
in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. 21. & quicumque iura-
uerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo. 22. & qui iurat in cæ-
lo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum. 23. Væ nobis Scribæ &
Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliqui-
ſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam & fidem: hæc oportuit
facere, & illa non omittere. 24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum au-
tem glutientes. 25. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod
deforis eſt calicis & paropſidijs: intus autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ.
26. Phariſæe cæce, munda priùs quod intus eſt calicis & paropſidis, vt fiat id,
quod deforis eſt, mundum. 27. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia
ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intus verò
plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ. 28. ſic & vos aforis quidem

paretis hominibus iuſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. 29. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta iuſtorum. 30. & dicitis; Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. 31. itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum, qui Prophetas occiderunt. 32. Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. 33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? 34. Ideò ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem: 35. vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ, filij Barachiæ quem occidiſtis inter templum & altare. 36. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. 37. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? 38. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. 39. Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis; Benedictus qui venit in nomine Domini.

VERS. 1. TVNC IESVS LOCVTVS EST AD TVRBAS, ET AD DISCIPVLOS SVOS] *Tunc* ſcilicet, cùm ſuis ſapientiſſimis reſponſionibus, quæſtionibus & rationibus iam ſæpiùs confutaſſet Scribarum & Phariſæorum errores & ignorantiam; eiſque multis probaſſet ſe eſſe Meſſiam, Dei Filium, etiam per miracula, ac cerneret Scribas ijs adeò non moueri ad fidem in ipſum, vt potiùs irritarentur magis ad eum perdendum. *Tunc*, inquam, effrontem eorum peruicaciam hac efficaci & patheticâ oratione contundit, quâ externam & fictam ſanctitatis eorum laruam, ne populus eam imitetur, detegit, ac latentem ſub ea improbitatem oſtendit, vt eam plebs deuitet.

VERS. 2. *Cathedra eſt auctoritas docendi & iubendi.* DICENS: SVPER CATHEDRAM MOYSI SEDERVNT SCRIBÆ ET PHARISÆI] Per *cathedram*, metonymicè intelligit honorem, gradum, dignitatem, auctoritatem docendi & iubendi, quam apud Iudæos habuit Moyſes, quam Scribæ poſt Moyſen acceperant. Eſt catachreſis. Nam non tantùm ſedendo, ſed ſtando Scribas docuiſſe ſatis colligitur ex Luca cap. 4. 16. & Actor. 13. 16. Sic cathedra S. Petri vocatur ipſa poteſtas & auctoritas Pontificia docendi & regendi omnes fideles totius orbis, in qua S. Petro ſuccedunt Romani Pontifices: nam alioqui in lignea iſta cathedra, in qua ſedit S. Petrus, nullus Pontificum ampliùs ſedet, ſed illa religionis ergo aſſeruatur, & populo quotannis in feſto Cathedræ S. Petri in eius baſilica veneranda oſtenditur. Hinc S. Hieronymus ad Damaſum: *Ego*, inquit, *beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior.* Pontifex enim licet vt priuatus homo errare poſſit, tamen cùm ex cathedra, id eſt, ex auctoritate Pontificia, aliquid de fide definit, errare nequit ob aſſiſtentiam Spiritus ſancti.

Nota. Scribæ erant legis doctores & interpretes, qui legem populo proponebant & explanabant; Phariſæi verò regebant populum, & in magiſtratum adlegebantur, reiectis Sadducæis, vt ſatis inſinuat Ioſephus libr. 18. Antiq. cap. 2. quocirca Sadducæi hîc non nominantur. Porrò multi ex Scribis & Phariſæis erant ſacerdotes vel Leuitæ: horum enim erat docere populum. Malach. 2. 7. Sed Chriſtus eos noluit nominare ſacerdotes, ob honorē ſacerdotij, ne illi derogaret.

VERS. 3. *Obediendū malis Prælatis iuſta præcipientibus.* OMNIA ERGO QVÆCVMQVE DIXERINT VOBIS (ex lege facienda) SERVATE, ET FACITE: SECVNDVM OPERA VERO EORVM NOLITE FACERE: DICVNT ENIM, ET NON FACIVNT] *Omnia* ſcilicet Moſi & legi non contraria. Contrarium enim legi dicenti: *Honora patrem & matrem*, erat dogma Scribarum, docentium parentibus dicere *corban*: vti docuit Chriſtus ca. 15. v. 4. Sic contrarium legi dicēti *Non peierabis*, erat dogma eorumdem docentium, ſi quis per templum vel altare iuraret non obligari iuramento, quod taxat hîc Chriſtus verſ. 16. Contrarium pariter legi & Moſi erat docere, Ieſum non eſſe Meſſiam ſiue Chriſtum, quod docebant Scribæ: Ieſus enim illa ſigna & miracula edebat, quæ à Moſe & Prophetis prædicta erant, edenda fore à Meſſia; & quicumque illa ederet, acceptandum eſſe tamquam Meſſiam. Vnde cap. 16. v. 12. iuſſit Chriſtus: *Cauete*, inquit, *à fermento Phariſæorum*, putà ab eorum doctrina, propria ſcilicet & priuata, ac Moyſi legique contraria. In his ergo populus ſequi non poterat doctrinam Scribarum, nec illis obedire, in ceteris verò, quæ paſſim Moyſi & legi conſona docebant; obedire eis poterat, & ſæpè tenebatur. Monet ergo hîc eum Chriſtus, vt omnia alia Scribarum dogmata legi non repugnantia, etiamſi vana & futilia, ac proinde non obligantia (lex enim vt obliget, debet præcipere rem honeſtam & vtilem, non futilem, vti docent Iuriſperiti & Theologi tract. de Legibus, ac D. Thomas 1. 2. quæſt. 95. art. 3.) vti erant crebræ manuum corporiſque ablutiones & purificationes; illa tamen ſeruet ad obedientiæ cæcæ & ſimplicis meritum, ac ordinis ſacerdotalis & doctoralis reuerentiam. Ita Ianſenius. Franc. Lucas & alij, licet Maldonatus τὸ *omnia* ad ſola illa quæ à Moyſe in lege ſunt præcepta, reſtringat; quæ certè Chriſtus hîc maximè intelligit. Vnde Syrus vertit, *quæcumque dixerint vobis vt ſeruetis, ſeruate & peragite.*

DICVNT



DICVNT (præcipiunt) ENIM ET NON FACIVNT] q. d. Benè docent & iubent, ſed malè viuunt, tum quia legem violant, tum quia ſuo exemplo ſubditos ſcandalizant, & ad violandam pariter legem impellunt. Nam vt ait ille.

*Regis* (& doctoris) *ad exemplum totus componitur orbis.*

Plus enim credunt homines factis quàm dictis. Hoc Chriſti præceptum & monitum ſeruent Chriſtiani, cùm vident ſubinde aliquos Epiſcopos, Paſtores & magiſtratus non viuere iuxta legem Chriſti, ad quam ipſi ſubditos cogunt.

VERS. 4. Luc. 11. 46. ALLIGANT (Syrus, *ligant*) ENIM ONERA GRAVIA ET IMPORTABILIA, ET IMPONVNT IN HVMEROS HOMINVM (Arabicus, *imponunt ea portanda ſuper colla hominum*) DIGITO AVTEM SVO NOLVNT EA MOVERE] *Alligant*, græcè, δεσμεύουσι, id eſt, ligant, colligant, ac velut in cumulos coaceruant. q. d. Tam multitudine quàm magnitudine & grauitate præceptorum & tributorum populum onerant, deprimunt, & penè opprimunt.

IMPORTABILIA] Græcè, δυσβάστακτα, id eſt, difficilia ad portandum: ſi enim fuiſſent omnino impoſſibilia ad portandum, non obligaſſent ſubditos: nemo enim tenetur ad impoſſibile, ſiue ad id quod facere non poteſt. Talia erant rigidæ legis interpretationes, ac inſuper plurima alia quæ præter legem ipſi præcipiebant populo; præſertim circa oblationes, decimas, primitias, &c. quæ ipſi rigidiſſimè à populo exigebant. Conſidera vel ſolam rigidam ſabbati obſeruationem ab eis præſcriptam, vt nec Chriſtum ægros ſabbato curare permitterent, nec diſcipulos eius familicos ſpicas vellere & comedere, Matth. 12. 2. & ſeqq.

DIGITO AVTEM SVO NOLVNT EA MOVERE] Syrus, *tangere. Dicebant enim*, ait Arias Montanus, *ſi ſcire quid ſibi facto opus ſit.* Quo circa S. Chryſoſt. *Duplicem*, inquit, *nequitiam eorum oſtendit, tum quia ſine venia exquiſitiſſimè multitudinem viuere volunt, tum quia nimium ſibi ipſis indulgentes, magnam aſſumunt licentiam: quorum oppoſita in optimo principe requiruntur, vt ſcilicet aduerſus ſeipſum nullâ vtatur veniâ, ſed ſeuerū ſui ſe iudicem exhibeat, erga ſubiectos autem mitior; & ad dandam pronior veniam ſit.*

VERS. 5. OMNIA VERÒ OPERA SVA FACIVNT VT VIDEANTVR, græcè, θεαθῆναι, id eſt, *ſpectentur*; ita Syrus) AB HOMINIBVS] Notat vanam eorum ſanctimoniæ oſtentationem, quâ orabant in publicis plateis, quaque facturi eleemoſynam canebant tubâ, & ieiunantes exterminabant facies ſuas, vt dixit Chriſtus cap. 6. Tangit Chriſtus radicem incredulitatis Scribarum, cur non credant in Chriſtum, quia ſcilicet quærebant vanam gloriam, oſtentationem & plauſum populi. *Impoſſibile enim eſt*, ait S Chryſoſtomus, *vt credat Chriſto cæleſtia prædicanti, qui gloriam hominum concupiſcit terrenam.*

DILATANT ENIM PHYLACTERIA SVA, ET MAGNIFICANT FIMBRIAS] Syrus, *producunt fimbrias palliorum ſuorum.* Nota, Iudæos nimis ad literam interpretantes verba Deuter. 6. v. 8. *Ligabis*

*Phylacteria quid & vnde?* *ea* (præcepta Dei) *quaſi ſignum in manu tua, eruntque & mouebuntur ante oculos tuos*; membranas quaſdam geſtaſſe circum brachia & frontem (vnde *brachialia & frontalia* dicebantur) vt iugiter oculos & frontem verberarent, & verberando mentem admonerent legis diuinæ cogitandæ & ſeruandæ, quibus inſcribebant verba illa Deuter. 6. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Has vocabant *phylacteria*, q. d. *conſeruatoria* (à φυλάττω, id eſt, *cuſtodio, conſeruo*) quia ad legis obſeruationē eos perpetuò commonebant. Vide dicta Deut. cap. 6. v. 8. & Exodi c. 13. v. 9. & 16.

Eadem de cauſa iuſſit Dominus Num. 15. 38. & Deut. 22. 12. vt Iudæi fimbrias ſiue fila quædam ex infima ora veſtis dependentia geſtarent, eaſque hyacinthini, ſiue cæleſtis coloris, quaſi qui cæleſtem vitam in legis cuſtodia profiterentur & agerent. Addit S. Hieron. Iudæos peritiores hiſce fimbrijs inſeruiſſe ſpinas acutiſſimas, vt ambulantes earum puncturâ legis diuinæ ſemper admonerentur. Hæc omnia maiora & latiora præ ceteris geſtabant Phariſæi, vt viderentur omnibus religioſiores & exactiores legis cuſtodes, cùm tamen in animo ſuo eamdem parui facerent, nec obſeruarent. *Non intelligentes*, ait S. Hieron. *quòd hæc in corde portanda ſint, non in corpore, alioquin & armaria & arcæ habent libros, & notitiā Dei non habent.* Porrò S. Chryſoſtomus per *phylacteria* accipit amuleta ſanitatis: talia enim cenſebant Scribæ eſſe membranas legis iam dictas: Sicut Chriſtiani nonnulli Euangelium S. Ioannis collo appendunt, quaſi amuletum & conſeruatorium ſalutis.

AMANT AVTEM PRIMOS RECVBITVS IN COENIS, ET PRIMAS CATHEDRAS IN SYNAGOGIS] q. d. Ambiunt vbique primas, ideoque dilatant phylacteria, ſuaſque orationes & eleemoſynas oſtentant, vt omnes eis quaſi viris ſanctis & ſapientibus primas deferant. VERS. 6. Luc. 20. 46. & 11. 43. Mar. 12. 39.

ET SALVTATIONES IN FORO] Græcè, ἐν ἀγοραῖς, id eſt, in foris & plateis, q. d. Ambiunt, vt omnes ipſos quaſi Sanctos profundâ reuerentiâ, aperto capite & flexis poplitibus ſalutent. Vnde Chryſoſt. *Primas*, inquit, *ſalutationes amant, non ſolùm in tempore, vt eos primùm ſalutemus; ſed etiam in voce, vt clamantes dicamus, Aue Rabbi; & in corpore, vt flexis capitibus eis incuruemur; & in loco, vt in publico ſalutentur; vnde dicit: Et ſalutationes in foro.* Sapienter R. Matthias in *Pirke auoth*, cap. 4. *Eſto primus*, inquit, *in ſalutando, vt prior quemlibet ſalutes. Eſto cauda leonum, & non caput vulpium, hoc eſt, eſto infimus inter bonos & generoſos, non ſummus inter fraudulentos, ſuperbos & impios.* VERS. 7. Luc. 20. 46. Mar. 12. 38.

ET VOCARI AB HOMINIBVS RABBI] רב *Rab* (vnde *rabbi*) idem eſt quod multus, id eſt, magnus, eò quòd vir magnus ſit inſtar multorū, qualis eſt Rabbinus, ſiue legis doctor, vtpote eruditione, auctoritate & virtute ceteris antecellens: *Vocari volunt Rabbi*, ait Chryſoſt. *& non eſſe: nomen appetunt, & officium negligunt.* Prudenter R. Benzoma in *Pirke auoth* cap. 4. *Quis*, ait, *eſt ſapiens? qui libenter ab omnibus diſcit; iuxta illud: Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui*, Pſ. 118. *Quis potens? qui dominatur iræ & animo ſuo, iuxta illud: Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium*, Prou. 16. 32. *Quis diues? qui ſuis eſt contentus iuxta illud: Labores manuum tuarum manducabis; beatus es, & benè tibi erit*, Pſal. 127. *Quis honoratus? qui alios honorat, iuxta illud: Quicumque glorificauerit me,*





glori-

*gloriſicabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, 1. Reg. 2. 30.

Vers. 8. Vos avtem nolite vocari Rabbi: vnvs est enim magister, vester omnes avtem vos fratres estis] Vetat ambitionem & arrogantiam, quâ Scribæ & Phariſæi captantes auram popularem cupiebant ceteris eminere, honorari & vocari Rabbi pręChriſto, imò excluſo Chriſto; alioqui gradum doctoratus appetere licet, velut teſtimonium ſcientiæ, vt illo auctoritatem docendi prædicandique apud populum quis ſibi conciliet, itaque maiorem in eo fructum docendo & prædicando efficiat. Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 12. pręcipit, *vt dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars canonicatuũ in Cathedralibus Eccleſijs & collegiatis inſignibus, conferantur tantùm Magiſtris & doctoribus; aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure Canonico*. Quocirca Chriſtus non ait, Nolite eſſe, ſed *nolite vocari Rabbi*.

Gradum doctoratus ergo non vetat Chriſtus, ſed ſuperbum nominis ambitum, faſtum & arrogantiam, quâ quis nomine Doctoris ſibi placet, ſe magnificè circumſpicit præ ceteris, vanè ſe extollit, imò ceteros deſpicit, quaſi ſcientiam & doctrinam habeat à ſe, non à Chriſto, vti faciebant Scribæ. Vnde cauſam ſubdit: *Vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis*. q. d. Vnus ſummus omnium Rabbi, id eſt Magiſter eſt Chriſtus, cuius ceteri omnes ſunt diſcipuli, inter ſe pares quaſi fratres: nemo ergo eorũ ſe ſuperbè præ ceteris extollat, arroganterque velit vocari Rabbi; quaſi ex ſe ſit doctor & magiſter aliorum: hoc enim eſt iniurium Chriſto, qui ſolus ex ſe habet omnem ſcientiam, ſoluſque ſummus omnium doctor, ipſos etiam doctores conſtituens & docens: ſi enim naturâ æquè ac gratiâ eſtis fratres, ideoque pares; ergo non eſtis magiſtri alij in alios, ſuperbè alijs imperantes & dominantes, vti faciunt Scribæ. Alioqui enim Paulus ipſe, ait S. Hieronymus, modeſtè vocat ſe doctorem Gentium, Epheſ. 2.

Vers. 9. Et Patrem nolite vocare vobis svper terram: vnvs enim est Pater vester, qvi est in cælis] Tranſit à magiſtro ad patrem, quia verſ. præced. dixit, omnes nos eſſe fratres; ſcilicet filios eiuſdem Dei Patris. Ait ergo: Nolite vocare vobis ſuper terram *Patrem*, ſcilicet quaſi præcipuum vitæ auctorem, alimentorum & hereditatis curatorem; ita vt ab eo toti pendeatis, vel certè tam ab eo quàm à Deo; vti faciunt Gentiles & athei, alijque non Deo, ſed hominibus fidentes. Hunc eſſe ſenſum patet ex ratione quam ſubijcit: *Vnus eſt enim, Pater veſter, qui eſt in cælis, à quo omnis paternitas nominatur in cælo & in terra*, Epheſ. 3. v. 15. Vide ibi dicta. Deus ergo ſolus verè & plenè eſt pater omnium, vtpote qui ſolus animam & vitam ſingulis aſpirat, creat, conſeruat, auget, cuius comparatione patres terreni abuſiuè, ait S. Hieronymus, & vmbraticè dumtaxat ſunt patres, ideoque filijs inſolenter imperare non debent, ſed ſe cùm filijs humiliter Deo ſummo omnium Patri ſummittere: *Non enim*, ait S. Chryſoſtomus, *initium vitæ habemus ex parentibus, ſed tranſitum vitæ per eos accipimus*.

Vers. 10. Nec vocemini (ne ambiatis vocari) magistri (græcè, καθηγηταί, id eſt, inſtitutores, magiſtri, gubernatores, moderatores; Syrus, *rectores*; Arabicus, *gubernatores*: qvia magister, græcè, καθηγητής, id eſt, viæ & vitæ inſtitutor, dux & gubernator (Syrus, *rector*; Arabicus, *gubernator*) vester vnvs est Christvs] Ipſe enim Primò per ſe nos docet, præit & ducit per viam virtutis ad cælum, felicitatem & gloriam: ceteri verò docent priùs ab ipſo edocti. Secundò, ceteri docendo tantum verba & voces exteriùs auribus inſonant, velut cymbalum tinniens; ſed Chriſtus eorum ſenſa interiùs mentibus pandit, eaſque luce doctrinæ ſuæ illuminat: *Non enim homo intellectum homini præſtat docendo*, ait S. Chryſoſtomus, *ſed à Deo præſtitum per admonitionem exercet*. Tertiò, ceteri tantum oſtendunt, quid lex iubeat, quidque Deus à nobis exigat: at Chriſtus gratiam voluntati inſerit, vt illa quæ agenda ſunt audientes, reipsâ fortiter & conſtanter opere adimpleamus.

Hac de re S. Auguſtinus ſcripſit librũ de Magiſtro, de quo ipſe lib. 3. Confeſſ. cap. 2. *Sub idem tempus*, inquit, *ſcripſi librum de Magiſtro in quo diſputatur, quæritur & inuenitur, Magiſtrum non eſſe qui docet hominem ſcientiam, niſi Deum, ſecundùm illud quod in Euang. lio ſcriptum eſt. Vnus eſt magiſter veſter Chriſtus*. Vnde cap. 11. idipſum ſic demonſtrat: *De vniuerſis*, inquit, *quæ intelligimus, non loquentem qui perſonat foris, ſed intus ipſi menti præſidentem conſulimus veritatem, verbis fortaſſe, vt conſulamus, admoniti. Ille autem qui conſulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus eſt Chriſtus, id eſt, incommutabilis Dei virtus, atque ſempiterna ſapientia: quam quidem omnis rationalis anima conſulit; ſed tãtum cuique panditur, quantum capere propter propriam, ſiue malam, ſiue bonam voluntatem poteſt*.

Vers. 11. Sup. 20. 26. Qvi maior est vestrvm, erit minister vester] Syrus, *fiat miniſter in vobis. Morbum inanis gloriæ*, ait S. Chryſoſtomus, *quem fugiendum eſſe dixerat, docet per humilitatem eſſe fugiẽdum*. Et Origenes: *Si quis*, inquit, *miniſtrat verba diuina, ſciens quia Chriſtus in eo fructificat, nequaquam ſe magiſtrum, ſed miniſtrum profitetur; vnde ſequitur: Qui maior eſt veſtrûm, &c. quoniam & ipſe Chriſtus, cum eſſet verè magiſter, miniſtrum ſe eſſe profeſſus eſt, dicens: Ego ſum in medio veſtrûm quaſi qui miniſtrat: benè autem poſt omnia, quibus vanæ gloriæ vetauit concupiſcentiã, addidit, dicens: Qui autem ſe exaltauit, humiliabitur: & qui ſe humiliauerit, exaltabitur*.

Erit minister] Præueniat, ait Gloſſa, obſequendo, non ſuperbè dominando: rectorem & matrem exhibeat pietas, & patrem diſciplina: cauendumque ne aut diſtrictio rigida, aut pietas ſit remiſſa.

Vers. 12. Luc 14. 11. & c. 18. 14. *Qui ſe humiliauerit, exaltabitur.* Qvi avtem se exaltaverit, hvmiliabitvr; et qvi se hvmiliaverit, exaltabitvr] Syrus, *quicumque efferet ſeipſum, deprimetur; & qui ſeipſum depreſſerit, efferetur*, apud Deum, ait Remigus, & etiam apud homines: hi enim humiles extollunt, ſuperbos humiliant. *Gloria enim ſequitur fugientes, ſequentes fugit. Inſolentiam*, ait S. Hilarius, *Deus humilem effecturus eſt, & humilitatem elaturus in gloriam*. Vide dicta Iacobi ca. 1. v. 9. & 1. Petri cap. 5. verſ. 5. & 6. Praxim huius axiomatis Chriſti oſtendit humilis Euangelij diſcipulus, imò doctor S. Franciſcus, per omnes vitæ ſuæ actiones, vti oſtendit S. Bonauentura in eius Vita.

Porrò



*Tres virtutis gradus.* Porrò ſicut quælibet virtus tres habet gradus, quorum primus eſt, Propoſitum, quo homo firmiter proponit virtutem capeſſere, & opere exequi. Secundus, fortitudo, vt omnes tentationes, aduerſitates, impedimenta, quæ in executione virtutis occurrunt, fortiter ſuperet, & conſtanter tranſcendat. Tertius. alacritas, vt alacriter hæc faciat, illaque appetat, & in ijs gaudeat, exultet & triumphet. Sic pariter humilitatis primus gradus eſt, ſeipſum ſuique vilitatem agnoſcere, ideoquè ſe deſpicere: ſecundus, fortiter ferre ſui contemptum vndecumque veniat: tertius, in eo gaudere & exultare.

*Exemplum arrogantis humiliati.* Exemplum memorabile recenſet B. Petrus Damianus epiſtolâ 15. (in alia editione 36.) Quidam, ait, clericus audax & bellicoſus, ſuo faſtu & armis magnus euaſit, ideoque de prædijs quibuſdam litem habuit cum alio viro potente, quem prælio decidere ſtatuit; vtrimque ergo cohortes in aciem deducuntur. Clericus ante prælium adiens templum, audienſque Miſſam, cùm legeretur: *Qui ſe exaltauerit, humiliabitur*, &c. inſolenter dixit, imò blaſphemauit: *Hæc ſententia falſa eſt in me: ſi enim ego me humiliaſſem, numquam tam magnus euaſiſſem*. Mox inito prælio, cùm equus eius ſitibundus ad aquam vicinam ipſo inuito procurreret, ipſeque ſcutum in equum impingeret, vt illum in aciem reuocaret, ecce ibi gladius hoſtilis os eius blaſphemũ fulminis more tranſfixit, eumque occidit, vt ſuperbum humiliaret & ſterneret, veramque eſſe Chriſti ſententiam oſtenderet.

Vers. 13. Luc. 11. 52. Væ avtem vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qvia clavditis regnvm cælorvm ante homines: vos enim non intratis; nec introevntes sinitis intrare.

Nota. Sicut Chriſtus octo conſignauit beatitudines, quaſi totidem piorum benedictiones, octies repetens τὸ *beati*, dicenſque: *Beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati qui lugent*, &c. Matth. 5. Sic vice versâ hîc octo aſſignat impiorum Scribarum maledictiones, octieſque repetit τὸ *væ*. *Octies hic Chriſtus repetit væ.* Imitatur Chriſtus legiſlator nouus, Moſem legiſlatorem veterem, qui benedictiones plurimas ſeruantibus legem promittit, ac totidem maledictiones eam non ſeruantibus intentat, Deuter. 27. v. 12. Ita Origenes.

Porrò τὸ *væ* Chriſti partim eſt prædicentis, vt vult Origenes, graue ſupplicium ſceleribus Scribarum imminens; partim condolentis & commiſerantis. Vnde Baſilius citatus in Catena Lu. 11. v. 52. *Hæc vox væ*, ait, *quæ intolerabilibus profertur doloribus, eis conuenit, qui paulò pòſt detrudendi erunt in graue ſupplicium*, putà in mortem & excidium, tum præſens, tum futurum in gehenna. Væ ergo præſupponit culpam mortalem: illi enim intentat minas æternæ damnationis & gehennæ, vti Chriſtus explicat v. 33.

Qvia clavditis regnvm cælorvm ante homines] q. d. Ego iam aperio ſingulis regnum cælorum; prædico enim: *Pænitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*; quia hoc per Adæ peccatum quatuor millibus annorum clauſum, ego morte meâ expians Adæ peccatum, iam aperiam, vt qui in me credit, meamque vitam ſequitur, illud quaſi apertum ingrediatur: quare multi Iudæorum prædicatione meâ excitati, illud ingredi ſatagunt. Vos verò, ô Scribæ, illos auertitis, cælumque eis clauditis, tum per vanas & peruerſas traditiones veſtras, quibus illos imbuitis: nam vt ait S. Chryſoſtomus, regnum cælorum eſt S. Scriptura, vel beatitudo, ad quam illa ducit: ianua eſt intellectus S. Scripturæ, vel Chriſtus: clauicularij ſunt Scribæ & ſacerdotes; clauis eſt verbum ſcientiæ; apertio eſt eius interpretatio: tum quia veſtris ſceleribus eos ſcandalizatis, veſtroque exemplo in eadem ipſos trahitis: tum denique quia me calumniando & perſequendo, ipſos à me meaque fide, quæ via eſt ad cælum, abſtrahitis: ego enim ſum oſtium, quia per me ſolum ingreſſus patet in cælum, Ioan. 10. v. 9. Tropologicè, Origenes: *Claudunt*, ait, *regnum cælorum, qui ſine ratione aliquem excommunicant*.



Vos enim non intratis, nec introevntes sinitis intrare] q. d. Non ſufficit vobis veſtra malitia & damnatio, ſed in eamdem quoque alios pertrahere ſatagitis. Hoc graue eſt ſcelus. Si enim doctoris (quales erant Scribæ) eſt errantes reuocare, ait S. Chryſoſtomus, qui ad ſalutem tendentes in errorem inducit, is perditus omnino atque peſtifer, imò ipſa peſtis eſt; quare doctor tot gehennas meretur ſibique accerſit, quot animas corrumpit & perdit; quia non eſt doctor & promotor ſalutis, ſed proditor, ait S. Chryſoſtomus.

Vers. 14. Luc. 20. 47. Mar. 12. 40. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qvia comeditis domos vidvarvm: orationes longas orantes propter hoc amplivs accipietis ivdicivm] q. d. Væ vobis Scribæ, quia comeditis, &, vt Syrus, *exeditis*, id eſt, exhauritis ſubſtantiam viduarum, dum ab eis emungitis pecunias, vendendo ſcilicet eis cum ſanctitatis ſimulatione longas publicaſq; veſtras orationes: hoc eſt enim quod explicans ſubdit, *Longas orationes orantes*; græcè, προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, id eſt, *prætextu longo orantes*, id eſt, prætextu quòd prolixè oretis. Vnde Marcus habet, *obtentu longæ orationis*; Arabicus, *ob cauſam longitudinis orationum veſtrarum*. Ita S. Chryſoſt. Ianſenius, & alij.

Vidvarvm] Viduæ enim, ait Chryſoſt. cùm careant marito quaſi conſiliario, faciliùs decipiuntur, & proniores ſunt ad ſua largiendum hypocritis ſanctitatem præferentibus & promittentibus. *Viduæ ad dandum proniores.*

Propter hoc amplivs accipietis ivdicivm] hoc eſt, maiorem condemnationem: Vnde Syrus vertit, *habituri eſtis iudiciũ ſupremum*; tum quia pauperes viduas expilatis; tum quia ſimulatis ſanctitatem, cùm ſitis ſcelerati; tum quia, vt ait Chryſoſt. *auaritiam religionis colore depingitis, vt ametur iniquitas, dum pietas exiſtimatur*; tum quia viduas veſtris erroribus & ſceleribus imbuitis; quocirca debetis pœnam proprij peccati, & alienæ ignorantiæ reatum, ait S. Hilar.

Vers. 15. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qvia circvitis mare et aridam, vt faciatis vnvm proselytvm: et cvm fverit factvs, facitis evm filivm gehennæ dvplo qvam vos] Pro *hypocritæ*; Syrus hîc & in ſeqq. ſemper vertit, *acceptores vultus*, *Proſelytus* græcè, idem eſt quòd latinè *aduena*, vel *aduentitius*, qui ſcilicet ex gentiliſmo conuerſus ad iudaiſmum accedit, venitque ad Iudæos, *Proſelytus*



eorum-

eorumque Eccleſiã & religionem: hebr. vocantur גרים *gerim*. Chriſtiani tales vocãt Neophytos. Scribæ enim ſatagebant multos Gentiles efficere Iudæos, tum ambitionis, tum auaritię causâ, vt ſuas oblationes augerent. *Mare & aridam*, id eſt totum orbem: *Vt faciatis vnum*; quia cùm eſſent inefficaces ad aliorum ſalutem, multo labore indigebant ad vnius conuerſionem, ait ſanctus Chryſoſtomus.

Facitis evm filivm (id eſt, reum, dignum, obnoxium) (gehennæ dvplo qvam vos] Græcè, διπλότερον ὑμῶν, id eſt dupliciùs quàm vos; quia, vt ait Euthymius, ita naturâ comparatum eſt, vt in vitijs diſcipuli magiſtros facilè ſuperent: *Quia*, vt ait Chryſoſt. *malo exemplo magiſtrorum prouocati, eis peiores fiunt, præſertim cùm ad ea à magiſtris verbo vel exemplo excitantur*. Rurſum, quia multi proſelyti, dum vident veſtra vitia, reuertuntur ad gentiliſmum & idololatriam. Ita S. Hiero. Hic enim relapſus maius & quaſi duplex eſt peccatum.

Verè Origenes: *Sicut*, inquit, *iuſtus ſecundùm numerum iuſtitiarum ſuarum augetur in gloria, ita peccator ſecundum numerum peccatorum in pœna.*

Vers.16. Væ vobis dvces cæci, qvi dicitis: Qvicvmqve ivraverit per templvm, nihil est (ad nihil obligatur:) qvi avtem ivraverit in avro templi, debet] aurum, quod iurauit & vouit ſoluere. Arabicus pro *debet*, vertit, *peccauit*, videlicet ſi non præſtiterit id quod iurauit. Alij vertunt, *reus eſt* ſui iuramenti.

Nota, ex dictis Matthæi 5. v. 34. Scribas ex eo quòd Deus iuſſerat, vt per ſe (per Deum) dumtaxat iurarent, putaſſe iuramentum factum per creaturas non eſſe iuramentum, nec obligare, ſed auaritiâ excæcati, excipiebant illa, quæ oblata Deo illorum loculos implebant, quaſi hæc ſola ſanctiſſima haberentur: vnde iure à Chriſto vocantur *duces cæci*. Arguit enim eos ſtultitiæ & fraudulentiæ, ait S. Hieronymus, quia putabant magis eſſe aurum ſanctificatum, quàm templum ſanctificans, ait Interlinearis.

Porrò dicebant Scribæ, ſanctiora eſſe oblata ipſo templo, vt homines promptiores facerent ad oblationes quàm ad preces, ait Gloſſa. *Aurum templi* vocat aurum, quod offertur & inijcitur in gazophylacium templi, ad alendos eius miniſtros, putà ſacerdotes, quales erant Scribæ. Ita S. Hier. Beda, Ianſenius, Maldon. & alij. Verè Gloſſa: *Qui iurat*, inquit, *per creaturam iurat per diuinitatem præſidentem creaturæ*.

Vers.17. Stvlti et cæci: qvid enim maivs est avrvm, an templvm, qvod sanctificat avrvm?] Ratio hæc Chriſti clara eſt, & ſtoliditatem Scribarum conuincit & confutat. Propriè ſanctitas eſt interior virtus & gratia animam ſanctificans. Templum verò dicitur ſanctum metonymicè, quia ad res ſanctas putâ ad preces & ſacrificia Deo in illo offerẽda, dedicatum. Hæc ergo externa tantùm erat ſanctitas, quam templum rebus alijs in ſe Deo oblatis communicabat, & quaſi afflabat; quare ſanctius erat templum ipſâ oblatione templi, ac proinde ſanctius magiſque obligans erat iuramentum factum per templum, quàm per aurum in templum oblatum.

Vers.18. Et qvicvmqve, ivraverit in altari (per altare) nihil est (nihil iurat, & ad nihil tenetur) qvicvmqve avtem ivraverit in dono (per donum) qvod est svper illvd, debet] donum quod iurauit & vouit ſoluere, qui enim iurat ſe oblaturum in altari centum aureos, hoc ipſo vouet Deo, cuius eſt altare, centum aureos. Eadem eſt ratio alterius, quæ templi iam dicta.

Vers.19. Cæci: qvod enim maivs est, donvm, an altare qvod sanctificat donvm?] Syrus pro *ſanctificat*, hîc & in ſeq. vertit, *conſecrat*: donum enim Deo oblatum propriè non ſanctificatur, vt ipſum in ſe fiat iuſtum & ſanctum, ſed dicitur ſanctificari extrinſecè; quia ſcilicet Deo offertur & conſecratur.

Vers.20. Qvi ergo ivrat in altari (per altare) ivrat in eo, et in omnibvs (per omnia) qvæ svper illvd svnt] & conſequenter per aurum & donum in altari oblatum; magis ergo tenetur iuramento, quàm is qui per ſolum aurum templi iurauit.

Myſticè, S. Auguſt. lib. 1. Quæſt. Euang. c. 34. Templum & altare eſt Chriſtus; aurum & donũ, laudes & ſacrificia in eo & per eum oblata. Origenes, Altare, ait, eſt cor: dona, orare, ieiunare, &c. quæ ſancta facit cor.

Vers.21. Et qvicvmqve ivraverit in templo (per templum) ivrat in illo, et in eo qvi habitat in ipso] q. d. Qui iurat per templum, iurat per Deum habitantem in templo. Iurat enim per templum, quaſi per domum & ſolium Dei, hoc eſt, iurat per Deum, qui ſolium ſuum habet in templo, vt ibi adoretur & colatur: ſacra enim maieſtas & ſanctitas Dei, ab hominibus cenſetur habitare in templo. Vnde B. Nilus, *Eccleſiam* templum) inquit, *vt cælum adito*.

Vers.22. Et qvi ivrat in cælo (per cælum: Hebræi enim ב id eſt *in*, vſurpant pro *per*, præſertim in iuramentis) ivrat in throno (per thronum) Dei, et in eo (per eum, putà Deum) qvi sedet svper evm] Ex communi enim hominum vſu & ſenſu, qui iurat, Deum, qui ſolus eſt infallibilis, ipſaque increata veritas, vocat in teſtem ſui dicti vel promiſſi: quare qui iurat per cęlum, per Deum cæli regem & præſidem iurat, eumque in teſtem vocat.

Vers.23. Luc. 11. 42. Væ vobis Scribæ et Pharizæi hypocritæ, qvi decimatis mentham, et anethvm, et cyminvm, et reliqvistis qvæ graviora svnt legis, ivdicivm, et misericordiam, et fidem: hæc oportvit facere, et illa non omittere] Decimæ enim ſunt in lege à Deo ſancitæ. Vnde R. Achiua in *Pirke auoth* cap. 3. dicit: *Decimæ ſunt murus opum* (quia eas tuentur & conſeruant) *traditio eſt murus legis, votum eſt murus abſtinentiæ, ſilentium eſt murus ſapientiæ*. Sed Phariſæi nimis minuti & exacti erant in exigendis decimis herbarum, lege non expreſſarum, idque tacitè hîc taxat Chriſtus.

*Mentha.* Mentham] Nota, eſt herba boni odoris, calida & ſapida, qua Tramontani carnem iurulentam condiunt.

*Anethum.* Anethvm] Eſt herba odorata de qua Plinius lib. 18. cap. 20. *Anethum*, ait, *ructus mouet, tormina ſedat, aluum ſiſtit.*

Et reliqvistis qvæ graviora svnt legis, ſcilicet ivdicivm, id eſt, ius & æquitatem



tatem in iudicando, iniuſtam ferentes ſententiam, vt amicis vel dona offerentibus faueatis, & cauſam adiudicetis. Erant enim ipſi iudices, vt dixi cap. 5. v. 22. et misericordiam, quia rigidè & crudeliter à viduis & pauperibus extorquetis decimas, oblationes & victimas; et fidem] id eſt, fidelitatem in dictis, pactis & conuentis; vel *fidem* in Deum & Chriſtum ab eo miſſum: hunc enim negatis, ideoque eſtis infideles carentes fide, ſpe & charitate, quæ longè maioris ſunt momenti, quæque longè magis Deus à vobis requirit, iuxta illud Michęæ 6. v. 8. *Iurabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Hæc*, ſcilicet grauiora, iudicium, miſericordiam, fidem, *oportuit facere* præ ceteris, *& illa* (decimationes herbarum) tamen *non omittere*: vtpote lege præcepta vel permiſſa.

Vers.24. Dvces cæci excolantes (græcè διυλίζοντες, id eſt, liquantes, defæcantes, à fæcibus expurgantes, ſicut per colum, v.g. per linteum guttatim colatur & purgatur vinum, lac, mel, oleum à culicibus, alijſque fæcibus inſidentibus. Vnde Apuleus in Florid. de Gymnoſophiſtis: *non illi norunt*, inquit, *aruum colere, vel aurum colare*) cvlicem, camelvm avtem glvtientes] Perperam Caietanus pro *camelum*, ponit *aſilum*, quod inſecti eſt genus horriſonum ſonum edens; vnde à Belgis vocatur *horſelen*. Nam omnes codices Græci, Latini, Syri & Arabici habent, *camelum*, qui rectè opponitur culici, tamquam maximum minimo. q. d. Si paruus culex in vinum vel potum veſtrum inciderit, vinum excolando, & per colum ſtillatim tranſmittendo, culicem in colo retinetis & abijcitis, ne eum bibendo hauriatis; interim tamen vaſtum camelum, ingenti oris rictu fauciumque hiatu dilatato tranſglutitis. Eſt prouerbium. q. d. Res minimas, putà decimationes herbarum, vtpote vobis lucriferas, exactè curatis, ne quis vos in minimo defraudet; ſed interim iniuſtitias, rapinas, aliaque ſcelera inſtar cameli grandia & grauia, ſine ſcrupulo committitis, & quaſi potando tranſglutitis; iuxta illud Iob 15. v. 16. *Qui bibit quaſi aquam iniquitatem. Irridet* ergo Chriſtus, ait Hilarius, Scribarum *in colandis culicibus diligentiam: quorum in glutiendis camelis eſſet incuria.* Irridet, inquam, præpoſterum Scribarum ſtudium, quòd committerent maxima delicta, cauentes minima, ait Origenes, quòd in rebus minimis eſſent meticuloſi, in maximis ſecuri; in nugis ſcrupuloſi, in ſolidis ſceleribus liberi & audaces; in ceremonijs & lotionibus ſuis ſuperſtitioſi, ſed verâ religione & charitate vacui, vtpote viduas & pauperes excoriantes. Tales etiamnum ſunt inter fideles, qui ſcrupuloſè recitant roſarium, ieiunant in honorem B. Virginis, &c. interim ſine ſcrupulo luxuriantur, rapiunt, furantur. &c.

*Culicem colare, camelũ glutire.*

*Prouerbia.* Similia adagia idem ferè ſignificantia ſunt: Fonti aquam detrahis, vt mare impleas; Nudum ſpolias, vt veſtitum ornes: Candelæ lumen adimis, vt ſoli addas; Leone venaris canem, boue leporem.

Myſticè, S. Gregorius per *culicem* accipit Barabbam, per *camelum* verò Chriſtum; ſic enim ait lib. 1. Moral. cap. 6. *Liquantes culicem, camelum autem glutientes: culex enim ſuſurrando vulnerat, camelus autem ſponte ſe ad ſuſcipienda onera inclinat. Liquauerunt ergo Iudæi culicem, quia ſeditioſum dimitti latronem petierunt: camelum verò glutierunt, quia eum qui ad ſuſcipienda noſtræ mortalitatis onera ſponte deſcenderat, extinguere clamando conati ſunt.*

Vers.25. Luc. 11. 39. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qvia mvndatis qvod deforis est calicis et paropsidis; intvs avtem pleni estis rapina et immvnditia] *Paropſides* ſunt diſci & patinæ, quibus cibus in menſa apponitur. Eſt parabola, in qua Chriſtus hominem vocat calicem & paropſidem, corpus & bona externa vocat id *quòd deforis eſt calicis & paropſidis*; animam & conſcientiam vocat id quod intus eſt, ſiue interiorem calicis & paropſidis partem. q. d. Vos, ô Phariſæi, ſtudioſè lauatis & mundatis veſtras manus, corpora, lances, ſcyphos, è quibus comeditis & bibitis; at conſcientiam veſtram repletis rapinâ omniumque ſcelerum immunditiâ, cùm tamen conſcientiæ puritas maximè ſit curanda; vtpote quæ ſola nos coram Deo mundos efficit, & à quo omnis operum rerumque omnium mundities dimanat: à conſcientia enim profluit omnis omnium actionum bonitas vel malitia; quare conſcientiâ mundatâ cetera mundantur, omniaque illi munda ſunt. Sic Apoſtolus ſæpè diſtinguit hominem interiorem ab exteriore, vti dixi Roman. 9. 22.

*Paropſis.*

Poſſet Secundò, breuiter & ſimpliciter ſic exponi. q. d. Studioſi eſtis vt paropſides & calices externos, è quibus editis & bibitis, mundetis; calices verò internos cõſcientiæ ſceleribus fœtidos & putidos eluere, & per pœnitentiam mundare negligitis; cupitis habere lances mundas & mentem immundam. Hic ſenſus in idem cum priore recidit, eſto calicem & paropſidem propriè accipiat. Verùm illa impropriè & parabolicè hîc accipi patet ex v. 26.

Pleni estis rapina] *Hoc ipſum*, ait S. Chryſoſt. *& Prophetæ ſæpiùs prædicauerunt, quòd principes eorum rapaces eſſent, ſocij furum, in iudicando nullam iuſtitiæ rationem, ſed munera & retributiones ſequerentur*. Lege Iſaiam c. 1. v. 23. & 24.

Et immvnditia] Legit Interpres in Græco, ἀκαθαρσίας, iam legunt ἀδικίας, id eſt *iniuſtitia*, vel ἀκρασίας, id eſt intemperantia. q. d. Putatis vos pollui, ſi bibatis ex calice immundo; at non cenſetis vos pollui intemperantiâ dum vos inebriatis; cùm tamen intemperantia mentem polluat, non autem calix immundus.

Vers.26. Pharisæe cæce, mvnda privs qvod intvs est calicis et paropsidis, vt fiat id, qvod deforis est, mvndvm] q. d. O Phariſæe, qui alios doces & in te ipſo cæcutis, munda priùs tuam mentem & conſcientiam internam: tunc enim omnia externa tibi fient munda: ex puritate enim mentis, ſuam puritatem & bonitatem moralem hauriunt omnes actiones & res externæ; ſed res externæ, putà calices mundi, non poſſunt mundare internam mentem ebrietate, rapinâ, aliòue ſcelere maculatam & immundam. Vide dicta v. 25.

Vers.27. Luc. 11. 44. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ: qvia similes estis sepvlchris dealbatis, qvæ aforis parent hominibvs speciosa, intvs verò plena svnt ossibvs mortvorvm, et omni spvrcitia.

VERS. 28. SIC ET VOS AFORIS QVIDEM PARETIS HOMINIBVS IVSTI, INTVS AVTEM PLENI ESTIS HYPOCRISI ET INIQVITATE] Græcè, ἀνομίᾳ, id eſt legis prævaricatione, q. d. Exteriùs ſimulatis legis ſtudium, cùm interiùs eam ſpernatis & prævaricemini. Appoſitè auctor Imperfecti apud Chryſoſtomum: *Dicito mihi*, inquit, *ô hypocrita, ſi bonum eſt eſſe bonum, vt quid non vis eſſe quod vis apparere? nam quod turpe eſt apparere, turpius eſt eſſe: quod autem formoſum eſt apparere, formoſum eſt eſſe.*

Porrò *plurimi hodie ſimiles ſunt Phariſæis*, ait S. Chryſoſtomus, & ex eo Titus Boſtrenus in Lucæ 11. verſ. 44. *qui munditiei & ornatûs exterioris maximam curam gerunt, animæ verò decoris nullam, quinimò vermibus ac ſanie, indicibiliq; graueolentiâ: cupiditatibus, inquam, abſurdis atque improbis animam replent.*

VERS. 29. LUC. 11. 47. VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QVI (græcè ὅτι, id eſt *quia*) ÆDIFICATIS SEPVLCHRA PROPHETARVM ET ORNATIS MONVMENTA IVSTORVM] Licet enim hoc in ſe ſanctum ſit & religioſum, tamen in Scribis erat vitioſum & impium. Triplicem cauſam dat S. Chryſoſtomus; Primò, non accuſat, inquit, opus, ſed intentionem: ad pompam enim faciebant, ſed quid prodeſt eis ad pompam laudari vbi non ſunt; & vbi ſunt (in gehenna) torqueri? Secundò, quia ſine cauſa iuſtos honorat qui iuſtitiam ſpernit; nec poſſunt Sancti amici eſſe ijs, quibus Deus eſt inimicus. Tertiò, quia non gaudent Martyres ex ijs pecunijs honorari, in quibus pauperes plorant; quia ſcilicet Scribæ eas exigebant à pauperibus quos affligebant, & ob inopiam plorare cogebant, vt ijs magnifica ſepulchra Prophetis, & magis ſibi, gloriæ monumenta extruerent. Adde, Quartò & maximè, taxat hîc Chriſtus Scribas ædificantes ſepulchra Prophetis, eò quòd dum hoc facerent, ſimul alios maiores Prophetas occidebant, aut occidere cogitabant, vti Chriſtum eiuſque aſſeclas, atque hac ratione videbantur ipſi homicidia, imò ſacrilegia, patrum ſuorum imitari, eiſque tacitè conſentire, dum cum ſimili occidendi Chriſtum affectu, ſepeliebant Prophetas à patribus ſuis occiſos, q. d. Sepelitis Prophetas à patribus veſtris occiſos, ſimilem affectum me occidendi, meque ſepeliendi habetis: quare appoſitè ſepelitis Prophetas, quos patres veſtri occiderunt; ſicut latronum filij ſepeliunt homines à parentibus occiſos, vt latrocinium lateat. Simili enim modo vos conſentitis ſceleri & propheticidio parentum veſtrorum, dum me, qui Prophetarum ſum princeps, occidere & ſepelire deſtinatis: idem enim facitis quod patres veſtri fecerunt. Ita Origenes. S. Hieronymus, Euthymius & alij, & patet ex ſequentibus, præſertim verſ. 32. vbi explicans, ait: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.*

*Tria peccata in ædificandis ſepulchris. Primum. Secundum. Tertium. Quartum.*

Adde τὸ *hypocritæ*, innuit quòd non per veram, ſed per fictam pietatem & hypocriſim ædificarint ſepulchra Prophetis, ſcilicet vt per eam tegerent ſua ſcelera, & viderentur eſſe iuſti & religioſi legis tutores, ideoque & zelo iuſtitiæ Chriſtum perſequi ad necem, quaſi legis violatorem & hoſtem, quæ maior imò duplex erat iniquitas: ſcilicet prima, machinationis necis Chriſti: ſecunda, hypocriſis, quòd eam ſe piè inferre Chriſto ſimularent, vt legem & Prophetas à Chriſti iniuria & contemptu (vt ipſi dicebant & mentiebantur) vindicarent. Ita Toletus in Lucę cap. 11. verſ. 48. vbi hunc ſenſum innuit Lucas, dicens: *Profectò teſtificamini quòd conſentitis operibus patrum veſtrorum, quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra:* hoc fine, vt videamini religioſi, ideoque piè me perſequi & occidere. Sic Antoninus Caracalla Imp. cùm fratrem ſuum Getam in ſinu matris occidiſſet, ſuaſum eſt ei à domeſticis, vt ad parricidium hoc velandum & honeſtandum, Getam inter deos referret; quibus ille, *Sit diuus*, inquit, *modò non ſit viuens.* teſte Spartiano. Ita Scribæ nolebant Chriſtum & Prophetas eſſe viuos, ne ab eis ſcelera eorum carperentur: maluerunt ergo eos occidere, & ad ſcelus tegendum occiſos magnificè ſepelire, & inter diuos referre. Vnde auctor Imperfecti: *Semper*, inquit, *Iudæi præteritorum Sanctorum cultores fuerunt, & præſentium contemptores, magis autem perſecutores.* Tales etiamnum ſunt inter Chriſtianos, qui Sanctos vitâ functos venerantur, viuos auerſantur; vtpote qui verbis & exemplis improbos eorum mores ſugillant. Hinc illud:

*Antoninus Caracalla fratrem ſuũ Getam à ſe occiſum inter deos retulit.*

*Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit.*

VERS. 30. LUC. 11. 47. ET DICITIS: SI FVISSEMVS IN DIEBVS PATRVM NOSTRORVM, NON ESSEMVS (græcè, οὐκ ἂν ἤμεθα, id eſt, *non fuiſſemus*) SOCII HORVM IN SANGVINE PROPHETARVM] id eſt non occidiſſemus Prophetas, nec conſenſiſſemus, aut cooperati fuiſſemus patribus noſtris, eos occidentibus. Falluntur & mentiuntur: ſi enim Chriſtum Prophetarum Principem occiderunt, eò quòd eorum vitia taxaret, vtique & Prophetas occidiſſent, qui eadem taxare ſolebant.

VERS. 31. ITAQVE TESTIMONIO ESTIS VOBISMETIPSIS, QVIA (quòd) FILII ESTIS EORVM QVI PROPHETAS OCCIDERVNT] q. d. Vos ipſi de vobis & contra vos teſtificamini, quòd ſitis filij homicidarum, imò propheticidarum; ac conſequenter quòd eumdem cum patribus veſtris habetis genium, eamdem indolem, eamdem inclinationem & propenſionem, occidendi ſcilicet Prophetas veſtrorum vitiorum caſtigatores: nam *patrem ſequitur ſua proles*: pater enim in filium ſuas inclinationes, dotes & vitia cum ſemine transfundere ſolet. Hinc *filij patriſſant*. Adde inſtitutionem & exempla parentum, quibus filios ad eadem facienda prouocant & impellũt. Quare ſolent filij actus parentum imitari, vt perficiant id quod parentes inchoarunt. Vnde ſubdit Chriſtus.

VERS. 32. ET VOS IMPLETE) Arabicus, *impletis*) MENSVRAM PATRVM VESTRORVM] me ſcilicet & Apoſtolos occidendo, ſicut patres veſtri occiderunt Prophetas, vt menſuram ſcelerum & cædis Prophetarum ab ijs cœptam impleatis. Hæc Chriſti vox non eſt imperantis, ſed permittentis & prædicentis. q. d. Non impero, ſed permitto, certoque prædico, quòd vos, ô Scribæ & Iudæi, me meoſque occidendo implebitis menſuram ſcelerum propheticidiorum, quæ commiſerunt patres veſtri: quare menſurâ hac impletâ, Deus omnia tam patrum, quàm veſtra ſcelera, ſemel & ſimul caſtigabit per extremum excidium, quod per Titum & Veſpaſianum Hieroſolymæ & Iudææ infliget. Ita S. Chryſoſtomus. *Occultè*, ait, *inſinuat malitiæ ſimilitudinem.*



*Menſura peccatorum Dei quæ?*

Et hoc verſu, & ex verſ. 35. & 36. Theologi docent, Deum regnis, reſpublicis, ciuitatibus, & priuatis hominibus certam ſtatuiſſe & decreuiſſe peccatorum menſuram, antequam ea plenè & perfectè puniat: ſed mox, vbi illa completa fuerit, tũc omnia ſimul pleniſſimè punire. Sic hîc Chriſtus expectauit cædem ſuam ſuorumq; Apoſtolorum, antequam euerteret Ieruſalem. Sic Geneſ. 15. 16. Deus ait Abrahæ: *Necdum completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum*, ſed poſt 400. annos complebuntur, tumque per Moſen & Ioſue illos delebo, ac in eorum regionẽ Hebræos introducam: *Omnis enim gens vel ciuitas*, ait auctor Imperfecti, *non cùm peccauerint, ſtatim punit eas Deus, ſed expectat per multas generationes, & modò mandat modò minatur, interdum ex parte caſtigat, vt quantò diutiùs eos expectauerit, tantò & Dei iudicium iuſtius ſit, & illorum dignior pœna. Quando autem placuerit Deo perdere ciuitatem illam aut gentem, videtur omnium generationem præcedentium peccata reddere illis: quoniam quæ illæ omnes generationes merebantur; hæc ſola paſſa eſt.* Sic Deus iuſſit Sauli delere poſteros Amalec ob ſcelera parẽtum, & hoſtilitatem perpetuam contra Iudæos, 1. Reg. cap. 15. 16. Cauſa eſt, quòd filij & poſteri æſtimatione ciuili cenſeantur eſſe vnum quid cum ſuis parentibus; hinc merita vel demerita parentum in filios redundant, cùm ſcilicet filij parentum ſcelera & mores imitantur: tunc enim impletâ ſcelerum menſurâ à Deo præfinitâ, ipſi luunt tam ſua quàm patrum ſuorum peccata. Ita interpretes, ac nominatim Abulenſis q. 253. & 259.

*Ratio à priori.*

Vbi tamen aduerte, tunc filios non puniri grauiùs, quàm propria eorum peccata mereantur: ſed quia ipſi parentum ſuorum impiorum peccata imitantur, itaque cumulum peccatorum à Deo definitum & deſignatum implent, hinc fit vt Dei ira in eos deſæuiat, quæ alioquin in eos tam grauiter non ſæuijſſet, niſi parentum peccata ad hunc cumulum conficiendum & integrandum præceſſiſſent. Atque hoc ſenſu, & hac de cauſa tunc dicuntur filij luere peccata parentum, quia Deus ad vtroſque & ad vtrorumque demerita in puniendo reſpicit, iuxta illud Deuteron. 5. v. 9. *Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios, in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me, & faciens miſericordiam in multa millia diligentibus me.* Vide ibi dicta.

VERS. 33. SERPENTES, GENIMINA VIPERARVM (proles geniti à viperis) QVOMODO FVGIETIS A IVDICIO GEHENNÆ?] quo in die iudicij ego vos quaſi chriſticidas & deicidas iudicabo & condemnabo ad gehennam. Scribas vocat *ſerpentes & viperas*, ob ſerpentinam & vipeream eorum indolem, aſtutiam, malitiam nocendi & ſe ſuoſque Apoſtolos occidendi ſtudium. Nam *ſicut de viperis naſcuntur viperæ, ſic de homicidis patribus vos nati eſtis homicidæ*, ait S. Hieronymus. Vide dicta c. 3. v. 7.

VERS. 34. LUC. 11. 49. IDEO ECCE EGO MITTO AD VOS PROPHETAS, ET SAPIENTES, ET SCRIBAS, ET EX ILLIS OCCIDETIS, ET CRVCIFIGETIS, ET EX EIS FLAGELLABITIS IN SYNAGOGIS VESTRIS, ET PERSEQVEMINI DE CIVITATE IN CIVITATEM] Nota τὸ *ideò*, quod ex verſu præced. quaſi effectus ex cauſa elicitur, q. d. Quia vos quaſi ſerpentes & viperæ me Meſſiam veſtrum occidetis, ob quod ſcelus excidemini, & ad gehennam condemnabimini; ego miſertus veſtri, vt hoc excidium & condemnationem à vobis auertam, poſt mortem meam mittam ad vos meos diſcipulos & Apoſtolos, vt vos ad pœnitentiam & fidem in me excitent, ſed præuideo quòd & hos occidetis, ac hac ratione implebitis menſuram patrum veſtrorum, vt ego prædixi verſ. 32. quo facto Deus vos exſcindet per Titum, & condemnabit ad gehennam, vti iam comminatus ſum, & futurum prædixi. Patet ex ſequent.

EGO MITTO] Lucas cap. 11. 49. ait: *Sapientia Dei dixit: Mittam ad illos. Sapientia Dei*, ſcilicet ego ipſe Chriſtus, qui ſum Dei Sapientia, vtpote Verbum Patris.

PROPHETAS, ET SAPIENTES, ET SCRIBAS] Lucas: *Prophetas & Apoſtolos*, ita vocat Chriſtus ſuos diſcipulos. *Notat*, ait S. Hieronymus, *varia dona diſcipulorum Chriſti: Prophetæ, qui ventura prædicunt: ſapientes, qui norunt quando debent proferre ſermonem: ſcribæ, in lege docti.* Et Hilarius: *Apoſtoli*, ait, *reuelatione futurorum Prophetæ, Chriſti agnitione ſapientes, legis intelligentiâ ſcribæ.*

*Et ex illis occidetis*, vti S. Stephanum lapidando, Iacobum Maiorem gladio truncando, Actor. 12. Iacobum verò Minorem ex pinna templi præcipitando, teſte Euſeb. lib. 2. ca. 23. *Et crucifigetis*, vti S. Simeonem Hieroſolymorum Epiſcopum ſucceſſorem S. Iacobi, teſte Euſebio lib. 2. Hiſt. cap. 32. *Et ex eis flagellabitis*, vti Petrum & Apoſtolos. Actor. 4. & 5. *Et perſequemini de ciuitate in ciuitatem*, vti Saulum & Barnabam, Actor. c. 13. & 14.

Tropologicè, Origenes hom. 23. in Numeros: *Et ego*, inquit, *hodie ſi Prophetæ non audiam verba, ſi monita eius ſpernam, lapido Prophetam, & quantum in me eſt, occido, cuius tamquam mortui verba non audio.*

VERS. 35. LUC. 11. 50. 51. VT VENIAT SVPER VOS OMNIS SANGVIS IVSTVS, QVI EFFVSVS EST SVPER TERRAM, A SANGVINE ABEL IVSTI, VSQVE AD SANGVINEM ZACHARIÆ, FILII BARACHIÆ, QVEM OCCIDISTIS INTER TEMPLVM ET ALTARE] q. d. Ita per veſtram malitiam & obſtinationem fiet, vt in veſtrum caput redundet pœna & vindicta.

OMNIS SANGVIS IVSTVS] id eſt, iuſtorum, vt vertit Syrus, qui ſcilicet ceteros homines ad iuſtè ſanctèque viuendum, tam verbis quàm exemplis cohortati ſunt. Vnde Lucas habet, *ſanguis Prophetarum. Propheta* enim ſæpè in Scriptura idem eſt quod vir iuſtus & ſanctus, præſertim qui alios quoque iuſtos & ſanctos efficere ſatagit, vti faciebant Prophetæ. Cauſam dat S. Auguſtinus tract. 1. in Pſal. 118. *Nam malorum imitatio ſunt, vt non ſolùm ſua, ſed etiam eorum, quos imitati ſunt, merita ſortiantur.* Porrò S. Chryſoſtomus: Sicut, inquit, illa quæ meruerunt ſingulæ generationes præcedentes, illis donata ſunt, qui receperunt Chriſtum: ita quæ pati meruerunt præcedentes iniqui, ſuper nouiſſimos Iudęos venerunt.

QVI EFFVSVS EST SVPER TERRAM, A SANGVINE

A GVINE ABEL IVSTI, VSQVE AD SANGVINEM ZACHARIÆ] Quia licèt Cain,qui fratrem Abel occidit, non fuerit Iudæus gente & genere, fuit tamen Iudæus malitiâ & malæ vitæ exemplo: occidendo enim iuſtum Abel, dedit exemplum Iudæis ad hoc ſequendum propenſiſſimis, vt ſimili modo occiderent iuſtos Prophetas. Sic ergo Cain fratricida non naturalis, ſed moralis & ſymbolycus fuit pater Iudæorum, ſuos fratres ſcilicet Chriſtus & Prophetas occidentium. Simili analogiâ diabolus dicitur pater omnium ſuperborum & impiorum. Quia ergo Iudæi Caini fratricidium, etiam poſtquam diuinam in eum vltionem è Scriptura cognouiſſent, aliorumque qui iuſtos & Prophetas occiderunt, propheticidia pleniſſimè & perfectiſſimè imitati sũt, imò ea ſuperarunt, & longè tranſcenderunt, occidendo Chriſtum Dei Filium, eiuſque Apoſtolos; nec tantum ſuperarunt, ſed & omnimodè ea conſummarunt & impleuerunt. Hinc quaſi filij eorum ſpirituales & myſtici, dicuntur luituri ipſorum quaſi parentum myſticorum ſcelera, eo modo quo dixi verſ.32. licèt non tam propriè, quàm filij naturales dicuntur luituri carnalium parentum peccata. Adde, quòd, licèt Cain non fuerit pater, fuit tamen patruus Iudæorum: fuit enim frater Seth, ex quo prognatus eſt Abrâham & Iudæi. Imò Cain verè fuit auus Iudæorum per filias. Nam poſteri Seth duxerũt filias Cain Geneſ.6. verſ.2. ex quibus prognati ſunt Iudæi, ait Abulenſis q.260. Eſt hoc probabile, at non certum Scriptura enim ait dumtaxat ex ijs prognatos eſſe gigantes, qui cauſa fuêre diluuij, quo periêre, non negat tamen alios quoque ex ijs fuiſſe prognatos. Iudæi ergo quia non ſanctitatem Seth, ſed parricidium Cain, qui fratrem ſuum iuſtum Abel ſuam impietatem redarguentem, vt dixi Geneſ. 4. occidit, imitati ſunt, hinc non Seth, ſed Caini vocantur filij. Vnde Cain fuiſſe typum Iudæorum, Abel verò Chriſtianorum docet Tertullianus libr. Contra Iudæos cap. 5. & fusè S. Auguſtinus libr. 12. Contra Fauſtum cap. 9.

*Cain ſymbolicus Iudæorum pater.*

*Cain typus Iudæorum, Abel Chriſtianorum.*

Denique fuêre qui fratricidium Caini laudarunt; indeque dicti ſunt Caiani, de quibus S. Auguſtinus lib. de Hæreſibus capit. 18. *Caiani*, ait, *propterea ſic appellati, quoniam Cain honorant dicentes eum fortiſſimæ eſſe virtutis: ſimul & Iudam traditorem diuinum aliquid putant eſſe, & ſcelus eius beneficium deputant: aſſerentes eum præſciſſe, quantum eſſet generi humano Chriſti paſſio profutura, & occidendum Iudæis propterea tradidiſſe: illos etiam qui ſchiſma facientes in primo populo Dei terrâ dehiſcente perierunt, Core, Dathan & Abiron, & Sodomitas colere perhibentur.*

ZACHARIÆ FILII BARACHIÆ, QVEM OCCIDISTIS INTER TEMPLVM ET ALTARE] Quæres, quis hic Zacharias? Triplex eſt hîc ſententia. Prima eſt S. Chryſoſtomi hom. de S. Ioanne Baptiſta, Vatabli, Ariæ Montani, Gaſparis Sanchez & Franciſci Riberæ præfat. in Zachariam, qui cenſent Zachariam hũc eſſe illum, qui inter duodecim Prophetas eſt penultimus: hic enim fuit filius Barachiæ, ſed quòd occiſus ſit inter templum & altare, nuſquam legimus.

*Quis hic Zacharias? Reſp. Primò.*

*Secundò.*

Secunda & verior certiorque eſt, Zachariam hunc fuiſſe filium Ioiadæ pontificis, qui à Ioas rege ingrato occiſus eſt immani ſacrilegio in loco ſanctiſſimo: ſcilicet in atrio ſacerdotum, quod erat inter templum, ſiue Sanctum, & altare holocauſtorum: hoc enim altare erat in atrio ſacerdotum, 2. Paral. capit. 24. verſ. 21. Ita Abulenſis quæſt. 215. S. Hieronymus, Beda, & paſſim alij cum Ianſenio & Maldenato, Tertullianus in Scorpiaco capit. 8. quem audi: *Zacharias inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris ſui maculas ſilicibus aſſignans.* Licèt enim alij Prophetæ poſt hunc Zachariam à Iudæis occiſi ſint: tamen hic vltimus eſt, cuius S. Scriptura meminit, ſiue cuius cædem commemorat. Adde: ſolius Abelis & Zachariæ huius ſanguinis vltionem exprimit S. Scriptura. Abelis, Geneſ. 4. 10. *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Zachariæ, 2. Paral. 24. 22. *Qui* (Zacharias) *cũ moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat.* B *Abelis meminit*, ait Chryſoſtomus, *vt oſtendat illos ex inuidia Chriſtum & Apoſtolos occiſuros, ſicut ex inuidia Cain occidit Abelem: Zachariæ verò, quia Sanctus in loco ſancto interfectus eſt.*

Dices Zacharias hic fuit filius Ioiadæ, nõ Barachiæ. Reſpondet S. Hieronymus, Ioiadam alio nomine dictum fuiſſe Barachiam, fortè quòd Barachias, hebr. ſignificat benedictum Domini; talem autem fuiſſe Ioiadam virum ſanctiſſimum liquet. Vnde S. Hieron. addit: *In Euangelio quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filius Ioiadæ reperimus ſcriptum.*

*Tertiò.*

Tertia eſt Zachariam hunc eſſe patrem Ioannis Baptiſtæ, quem tradunt occiſum eſſe à Iudæis, eò quòd Chriſti prædicarit aduentum, dicens in ſuo Cantico: C *Et tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*; quodque Ioannem filium ſuum ab Herode infanticida quæſitum ad necem, ob mirabilia quæ in eius natiuitate acciderãt, neci ſubduxerit & abſconderit. Hic enim Zacharias fuit vltimus Prophetarum: nam Ioannes eius filius magis fuit index præſentis Chriſti, quàm Propheta futuri. Rurſum hunc Zachariam fuiſſe filium Barachiæ; teſtatur S. Hippolytus Martyr citatus à Nicephoro l. 2. Hiſtor. capit. 3. Reijcit hanc ſententiã S. Hieronymus velut apocrypham; ſed tamen eamdem tradunt aſſeruntque S. Cyrillus contra Anthropomorphitas, Petrus Alexand. in Regul. Eccleſ. can. 3. S. Epiphanius lib. de Vita & obitu Prophet. Baronius in Apparatu Annal. S. Thomas in Catena, Dionyſius Carthuſ. & Franc. Lucas hîc, D ac Chriſtophor. à Caſtro præfat. in Zachariam. Addunt Origenes, Theophylactus, Euthymius hîc, & S. Baſilius hom. de Humana Chriſti generatione, Zachariam hunc à Iudæis occiſum eſſe, eò quòd B. Virginẽ poſt partum Chriſti, quaſi virginem inter virgines in templo collocaſſet. Quod ſi verum eſt, Zacharias fuit victima virginitatis, quia pro virginitate B. Mariæ Martyr occubuit. Hoc tamen difficile eſt creditu ob rationes, quas adducit Baronius & Abulenſis hîc qu. 255.

*Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ vltimus veterum Prophetarum.*

Vers. 36. Luc. 11. 51. AMEN DICO VOBIS, VENIENT HÆC OMNIA SVPER GENERATIONEM ISTAM] q. d. Horum ſcelerum vindicta, corripiet Iudæos huius ætatis, qui poſt paucos dies me occident, meoſque Apoſtolos perſequentur, ideoque poſt paucos annos à Tito & Romanis excidentur.

IERV-



Vers. 37. Luc. 13. 34. A IERVSALEM, IERVSALEM, QVÆ OCCIDIS PROPHETAS, ET LAPIDAS EOS QVI AD TE MISSI SVNT, QVOTIES VOLVI CONGREGARE FILIOS TVOS, QVEMADMODVM GALLINA CONGREGAT PVLLOS SVOS SVB ALAS, ET NOLVISTI] Ingeminat *Ieruſalem* ad vehemens pathos compaſſionis, doloris & deplorationis. Duplicatio, miſerentis eſt, & valdè diligentis. q. d. O Ieruſalem ciuitas Dei, præ omnibus vrbibus ab eo electa & dilecta, quam ipſe tot gratijs & beneficijs ornauit, lege, templo, doctrinâ, ſacerdotio, regno, Prophetis, miraculis dorauit, tu his omnibus ingrata ſemper extitiſti, Prophetas eius occidiſti, & mox me. Dei filium, meoſque Apoſtolos occides. Quocirca facta es ciuitas ſcelerata, perdita, exitio & incendio Romanorum à Deo deſtinata. Per ciuitatem, ciues ſiue cœtum ciuium, ac præſertim magiſtratuũ & ſacerdotum (hi enim Prophetas & Chriſtum occiderunt) intelligit: non enim ſaxa, ſed homines plangit, patris affectu, ait S. Hieron.

*Vehemens Chriſti pathos.*

QVÆ OCCIDIS PROPHETAS] quæ ſcilicet eos vis occidere, ait Chryſoſtomus, quæ hoc titulo, æquè ac ſcelere ceteras vrbes & gentes antecellis, imò gloriaris, quòd Prophetas à Deo miſſos ad caſtigandum tuos mores & vitia, occidas. Vnde Chriſtus Luc. c. 13. 33. ait: *Non capit Prophetas perire extra Ieruſalem.* q. d. Proprium Hieroſolymæ opus eſt occidere Prophetas.

*Quoties volui*, & olim per Prophetas, & nunc per me & Apoſtolos, *congregare* in ſinum meum, & ad vnum Deum vnamque eius fidem & cultum, reducere, *filios tuos*, id eſt, ciues tuos in varios errores diſperſos, & in gehennæ pericula ſeſe præcipitantes: *Nihil enim adeò diſpergit vt peccatum; & nihil ita ad Deum aggregat ſicut virtus*, ait Theophyl. *Quemadmodum gallina congregat pullos ſuos*, in diuerſa vagantes, *ſub alis*, vt eos foueat, calefaciat, & à miluis defendat.

*Chriſtus ſimilis gallinæ. Primò, Gallina in pullos amor ſollicitus.*

Comparat Chriſtus ſe ſuumque amorem, prouidentiam & ſollicitudinem ſaluandi Iudæos gallinæ pullos ſub alis fouenti: Primò quia gallinæ præ alijs auibus feruenti amore diligũt pullos ſuos, & eximiam circa eos habent prouidentiam & protectionem, ait S. Chryſoſtomus, hinc aſſiduè gallina gemit & clocitat, vt etiamſi pullos non videat, matrem tamen ex voce & ſingultu agnoſcas, cùm paſſeres, hirundines, ciconias, ceteraſque aues non agnoſcas eſſe matres, niſi dum pullis in nido incubant. Sic Chriſtus ſummo amore dilexit nos, *factus ipſemet tandem quaſi terrena & domeſtica auis*, ait S. Hilarius, aſſiduè per omnem vitam pro nobis ſollicitus, docens, dolens & gemens, vt nos ſaluaret.

*Secundò, Infirmatur pro pullis gallina.*

Secundò, nec paſſeres, nec turdi, nec anates, nec aliæ aues ſic infirmantur cum pullis ſuis, ſicut gallina, in qua *raueſcit vox*, ait S. Auguſtinus in Pſal. 58. *fit hiſpidum totũ corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ, & vides circa pullos neſcio quid ægrotũ, & ea eſt materna charitas, quæ inuenitur infirmitas*, &c. Sic Chriſtus *congregauit omnes gentes, tamquam gallina pullos ſuos, qui infirmatus eſt propter nos, accipiẽs carnem à nobis, id eſt, à genere humano, crucifixus, contemptus, alapis cæſus, flagellatus, ligno ſuſpenſus, lanceâ vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis eſt, non amiſſæ maieſtatis, vt ex eo quòd nobiſcum communicauit infirmitatem, ſolueret noſtram iniquitatem.*

*Tertiò.*

Tertiò, idem S. Auguſtinus in Pſal. 90. ad illa: *Et ſub alis eius ſperabis*; & ex S. Auguſtino, fuſiùs Aldrouardus in Gallina: *Si gallina*, inquit, *protegit pullos ſuos ſub alis, quantò magis tu ſub alis Dei tutus eris, & aduerſus diabolum & angelos eius, quæ aëreæ poteſtates, tamquam accipitres circumuolitant, vt infirmum pullum auferant?* &c. *Erit enim nobis tamquam gallina protegens pullos ſuos, non eſt enim iniurioſum nomen gallinæ. Nulla ſic auis infirmatur cum pullis ſuis, quomodo gallina. Attendat charitas veſtra; hirundines, paſſeres & ciconias videmus extra nidos ſuos, nec cognoſcimus vtrùm fœtus habeant: at gallinã cognoſcimus in infirmitate vocis; & in relaxatione plumarum, tota mutatur à fœtu pullorum, quia illi infirmi ſunt, infirmum ſeſe facit. Quia ergo & nos infirmi eramus, infirmam ſe fecit ſapientia Dei, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, vt ſub alis eius* B *ſperemus.*

*Quartò.*

Quartò, gallina voce fracta, quaſſa, laſſa & languida, per omnia accõmodat ſe paruulis ſuis. Sic & Chriſtus: *Omne ergò noſtrum, id eſt ſpem noſtram ſub alis illius gallinæ ponamus*, ait S. Auguſtinus de verbis Domini ſecundùm Lucam ſer. 29. *Verè* enim *languores noſtros ipſe tulit, & peccata noſtra ipſe portauit*, Iſaiæ 53.

*Quintò.*

Quintò, græcè hîc eſt ὄρνις, quæ vox, & auem in genere, & gallinam in ſpecie ſignificat: aptiùs tamen Noſter vertit, *gallina*, quàm *auis*. Nam, vt ait S. Auguſtinus. *Mirus eſt amor omnibus ferè auibus ad confouendos & protegendos pullos, ſed præcipuè gallinis, quæ pullos colligunt ſub alas, id eſt, ſummo cum deſiderio & ſollicitudine eos fouent.*

*Sextò. Gallina cũ ramo rutæ, ſecuritatis ſymbolum.*

C Sextò, gallina, cùm ramo rutæ ſub alis, hieroglyphicum eſt ſecuritatis, ait Pierius, & ex eo Aldrouandus: ſiquidem Afranius, in ijs quæ de re agraria Conſtantinus Cæſar colligi mandauit, ait gallinas à fele tutas fore, ſi rutæ ſylueſtris ramuſculus ſub eius alam applicetur. Quin Democritus etiam tradit eo præſidio munitas, neque à vulpibus, neque ab infeſto quopiam alio animali contingi. Hanc ſecuritatem, imò longè maiorem ſuis præſtat Chriſtus.

*Septimò. Gallina fœcunditatis hieroglyphicum,*

Septimò gallina ſymbolum eſt fœcunditatis. Ipſa enim ſæpè quotidie ouum parit, & aliquando gemina ſingulis duobus, atque ex vno ouo ſubinde duos pullos excludit. Quid fœcundius Chriſto?

*& vigilantiæ.*

Rurſum gallus & gallina ſunt ſymbolum vigilantiæ & cuſtodiæ: Quid vigilantius Chriſto? Hæc Aldrouandus in Gallina.

D Tropologicè, gallina eſt Eccleſia, eiuſque ſacerdotes: nam, Vt ait Auctor Imperfecti: *Sicut gallina habens pullos, vocando illos non ceſſat, vt aſſidua voce vagoſitatem corrigat pullorum: ſic & ſacerdotes in doctrina ceſſare non debent, vt ſtudio & aſſiduitate doctrinarũ ſuarum, neglig ẽtiam populi errantis emendent. Et quemadmodum gallina habens pullos, non ſolùm ſuos cale facit, ſed etiam cuiuſque volatilis filios, excluſos à ſe, diligit quaſi ſuos: ita & Eccleſia, non ſolùm Chriſtianos ſuos ſtudet vocare, ſed ſiue Gentiles, ſiue Iudæi, ſi ſuppoſiti illi fuerint, omnes fidei ſuæ calore viuificat, & in baptiſmo regenerat, & in ſermone nutrit, & materna diligit charitate.*

*Octauò. Emblema gallinæ.*

Octauò, extat emblema gallinæ, cum lemmate: *Nil Chriſto triſte recepto*; eſtque hoc:

*Bruma fremebat atrox, pennas gallina reliquit,*
*Frigus vt à natis pelleret, atque obijt.*

*Hinc*

*Hinc Medea ferox, hinc Progne diſcite: nempe hæc*
*Bis vitam pullis præbuit, ac moritur.*

*Nonò Gallinæ oua ſalubria & medica.* Nonò, gallinam eiuſque oua eſſe medica, ac valere ad ſiſtenda menſtrua, ad fœtum mortuum ex vtero educendum, ad ignem ſacrum, ad ſcabiem, ad ſiſtulas, ad dolores oculorum, ad podagram, ad ambuſta, alioſque morbos, docet idem Aldrouandus. Sic medicus animarum & infirmitatum omnium efficaciſſimus eſt Chriſtus.

*Decimò.* Decimò, gallina, cùm de ſe agitur, ſibique ſoli à miluo; fele vel cane metuit, fugit: ſi verò pullis metuat, illos ſub alas colligens, vindicare ab iniuria omni ope nititur, & ſupra quam vires patiuntur, ſæpè alis, roſtro, pedibus, totoque corpore dimicat. Ita Oppianus lib. 3. de Venat. Sic Chriſtus, pro nobis contra diabolum & peccatum, vſque ad mortem & mortem crucis certauit.

Et nolvisti ] Quia Prophetas & me internecino odio ad mortem perſequeris, nec permittis ciues tuos ad me & Deum ſuum conuerti. Maximè enim Scribas & magiſtratus alloquitur: vti dixi.

Vers. 38. Luc. 13. 35. Ecce relinqvetvr vobis domvs vestra deserta ] *Domus*, id eſt templum, ait S. Hieron. & Theophyl. aut potiùs vrbs Ieruſalem, & tota regio putà Iudæa, in pœnam tantæ ingratitudinis & tot ſcelerum exſcindetur & deſolabitur à Deo per Titum & Romanos: vt ipſa fiat *deſerta*, & vt talis relinquatur deſeraturque, tum à ſuis incolis & ciuibus, tum à Deo, tum à me meoque patrocinio, ait S. Chriſoſtomus: nam hoc vltimum innuit particula rationalis *enim*, quæ ſequitur verſ. ſeq. Alludit ad illud Ierem. cap. 12. 7. *Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam*; Ieruſalem enim derelicta à Deo, facta eſt ſynagoga ſatanæ, ideoque præda aquilæ Romanę, putà Titi & Veſpaſiani, qui Iudæos partim occiderũt, partim captiuos abduxerunt partim per totum orbem diſperſerunt.

Vers. 39. Luc. 13. 35. Dico enim (Lucas, *dico autem*: in Scriptura enim ſæpè *enim* & *autem* inter ſe commutantur) vobis: non me videbitis a modò (ex hoc tempore) donec dicatis: Benedictvs qvi venit in nomine Domini ] τὸ *enim* probat id quod dixit. q. d. Dixi quòd *relinquetur domus veſtra deſerta* à me, & conſequenter à Deo Patre meo, quia in pœnam veſtræ incredulitatis, quá me docentem & miracula patrantem agnoſcere noluiſtis quaſi Meſſiam, ego me à vobis ſubducam in cælum, vt me ampliùs non ſitis viſuri in terra vſque ad diem iudicij, quo ego veſtram incredulitatem condemnabo. Nonnulli hunc verſum accipiunt, de ſolemni Chriſti ingreſſu in Ieruſalem, cùm in die palmarum Iudæi ei acclamarunt: *Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Verùm id dici nequit: iam enim ingreſſus ille prætererat, vt patet cap. 21. 1. & ſeq. Hæc enim dicta ſunt à Chriſto, poſt Dominicã palmarum, tribus diebus ante ſuam mortem & crucem, ſcilicet die Martis poſt Dominicam palmarum, vti dixi in Chronotaxi n. 64. Ita paſſim Patres & interpretes.

Dico ergo, loqui Chriſtum de fine mundi & die iudicij. q. d. inquit S. Chryſoſt. Theophyl. Euthymius & S. Auguſtinus libr. 2. de Conſenſu Euang. c. 75. Vos, ô Scribæ, qui aſſiduè mihi contradicitis & calumniamini me non eſſe Meſſiam & Dei Filium, ſed in Beelzebub eijcere dæmonia, *non me videbitis amodò*, id eſt, poſt breue hoc tempus paucoſque dies, quibus in hac carne vſque ad mortem meam vobiſcum verſabor (quia ingrati & indigni eſtis meâ doctrinâ, gratiâ, ſalute) vſque ad diem iudicij, quando vel inuiti cogemini, me Meſſiam Dei Filium iudicemque veſtrum omniumque hominum agnoſcere, ac *Hoſanna*, quod iam in pueris & turbis ſubſannaſtis c. 21. v. 16. ſi non ore, certè animo & mente inuiti dicetis: tunc enim videbitis, me fuiſſe & eſſe benedictum illum, qui venit in nomine Domini, ſcilicet qui fuit miſſus à Deo Patre, ad redimendum & ſaluandum omnes homines: tumque mè vt talem colere, revereri & adorare debebitis. Tunc enim, ait Gloſſa, confitebuntur Dei Filiũ, quem nunc crucifixerunt.

Poteſt Secundò, hic locus accipi de Iudæis, qui in fine mundi per Eliam ad Chriſtum conuertẽtur, ideoque Chriſtum paulò pòſt ad iudicium venturum agnoſcent vt Meſſiam, à Domino benedictum. q. d. Vos ô Iudæi, non vultis me agnoſcere vt Meſſiam, atque vt pſeudomeſſiam perſequimini vſque ad necem & cruorem; at filij & poſteri veſtri me vt talem in fine mundi agnoſcent & colent, ideoque illos meâ gratiâ & gloria donabo, vos verò ad gehennam condemnabo, quæ inſignis erit mea laus, decus & gloria; veſtrum verò dedecus, probrum & exitium ſempiternum. Hoc enim ſtimulo pungit dura & incredula Iudæorum corda. Prædictum id fuit ab Oſee cap. 3. verſ. 4. & ſeqq. quò hîc alludit Chriſtus, ait enim: *Quia dies multos ſedebũt filij Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine teraphim; & poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouiſſimo dierum.* Vide ibi dicta.

CAPVT



# CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Diſcipulis fabricam templi oſtendentibus & mirantibus, prædicit illius totiuſq; vrbis per Titum, quin & orbis vniuerſi in fine mundi excidium. Mox v. 5. ſigna præuia, ſed communia vtrique excidio aſſignat, ſcilicet bella, pſeudoprophetas, famem, terræmotus, peſtem ac prædicationem Euangelij per totum orbem. Inde v. 15. proprium ſignum præuium excidio vrbis Hieroſolymæ dat, abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto. Propria verò ſigna præuia excidio orbis v. 29. dat ſolis & lunæ obſcurationem, ſtellarum de cælo caſum, virtutum cæleſtium commotionem. Denique v. 36. monet, vt omnes ſtrenuè ſe parent ad illum diem vniuerſalis excidij & iudicij extremi, eò quòd dies hic planè incertus ſit, & nulli cognitus, ſed improuiſus hominibus incogitantibus obueniet, eoſq; ſecuros ſubitò occupabit.*

*Dixit hæc Chriſtus iam feruens pergenſq; ad mortem, die Martis poſt Dominicam palmarum, cùm poſt tres dies crucifigendus foret, vt dixi in Chronotaxi, num. 64. & 65.*

1. ET egreſſus Ieſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli eius, vt oſtende-
rent ei ædificationes templi. 2. Ipſe autem reſpondens, dixit illis: Videtis
hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem qui non
deſtruatur. 3. Sedente autem eo ſuper montem Olivueti, acceſſerunt ad eum di-
ſcipuli ſecretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum aduentus
tui, & conſummationis ſæculi? 4. Et reſpondens Ieſus, dixit eis: Videte ne quis
vos ſeducat: 5. multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus:
& multos ſeducent. 6. Audituri enim eſtis prælia & opiniones præliorum. Videte
ne turbemini: oportet enim hæc fieri: ſed nondum eſt finis. 7. Conſurget enim
gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmo-
tus per loca. 8. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum. 9. Tunc tradent vos in
tribulationem & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen
meum. 10. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt
inuicem. 11. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos. 12. Et quo-
niam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, 13. qui autem perſeue-
rauerit vſq; in finem, hîc ſaluus erit. 14. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in
vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio. 15.
Cùm ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Prophe-
ta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat: 16. tunc qui in Iudæa ſunt, fu-
giant ad montes: 17. & qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſuâ:
18. & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam. 19. Væ autem prægnan-
tibus, & nutrientibus in illis diebus. 20. Orate autem vt non fiat fuga veſtra in
hieme vel ſabbato, 21. erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio
mundi vſque modò, neque fiet. 22. Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret
ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi. 23. Tunc ſi quis vo-
bis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere. 24. Surgent enim pſeu-
dochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem
inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. 25. Ecce prædixi vobis. 26. Si ergo di-
xerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetrabilibus, nolite cre-
dere. 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem: ita erit
& aduentus Filij hominis. 28. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur &
aquilæ. 29. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur,
& luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum com-
mouebuntur: 30. & tunc parebit ſignum Filij hominis in cælo: & tunc plangent
omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum
virtute multa, & maieſtate. 31. Et mittet angelos ſuos cum tubâ & voce magnâ:
& congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cælorum vſque ad termi-
nos eorum. 32. Ab arbore autem fici diſcite parabolam: cùm iam ramus eius te-
ner fuerit, & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas: 33. ita & vos cùm videritis
hæc omnia, ſcitote quia propè eſt in ianuis. 34. Amen dico vobis; quia non præ-
teribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cælum & terra tranſibunt,

verba autem mea non præteribunt. 36. De die autem illa & hora nemo ſcit, ne-
que angeli cælorum, niſi ſolus Pater. 37. Sicut autem in diebus Noë, ita erit &
aduentus Filij hominis. 38. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comeden-
tes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vſque ad eum diem, quo intrauit Noë
in arcam: 39. & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita e-
rit & aduentus filij hominis. 40. Tunc duo erunt in agro: vnus aſſumetur, & vnus
relinquetur: 41. duæ molentes in mola: vna aſſumetur, & vna relinquetur. 42.
Vigilate ergo, quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit. 43. Illud au-
tem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias quâ horâ fur venturus eſſet, vigilaret
vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. 44. Ideò & vos eſtote parati: quia
quâ neſcitis horâ Filius hominis venturus eſt. 45. Quis, putas, eſt fidelis ſeruus
& prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibũ
in tempore? 46. Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit
ſic facientem. 47. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet
eum. 48. Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit domi-
nus meus venire: 49. & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem &
bibat cum ebrioſis: 50. veniet dominus ſerui illius, in die qua non ſperat, &
hora qua ignorat: 51. & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis.
Illic erit fletus & ſtridor dentium.

*Vers. 1. Luc. 21.5. Mar. 13.1.*

ET EGRESSVS IESVS DE TEMPLO IBAT] more A ſuo ſub veſperam in montem Oliuarum ad pernoctandum, cibumque ſumendum in Bethania apud Martham & Magdalenam, cùm per totum diem docuiſſet in templo ieiunus.

*Cur diſcipuli Chriſto ædificationes templi oſtendant.*

ET ACCESSERVNT DISCIPVLI EIVS, VT OSTENDERENT EI ÆDIFICATIONES TEMPLI] Occaſio fuit, quòd Chriſtus in fine capitis præcedentis, prædixerat Hieroſolymæ, & conſequenter templi excidium & deſolationem. Diſcipuli ergo hanc deſolationem tantæ vrbis admirantes ſtupenteſque, vt Chriſtum excitent ad commiſerationem, & ad reuocandam excidij ſententiam, oſtendunt ei admirandam templi fabricam, pulchritudinem, magnificentiam, quæ æternitatem mereri videbantur. Erat enim templum hoc orbis miraculum: nam vt ait Ioſephus lib. 6. Belli c. 6. *Exterior eius facies nihil, quod animi & oculi mirarentur, non habebat: cruſtis enim aureis* B *grauiſſimis vndique tecta, vltra primos ortus igneo ſplendore relucebat, vt, cùm intuerentur contuentium oculi, quaſi ſolis radijs auerterentur.* Vide eumdem lib. 15. Antiq. c. 14. & Vilalpandum de Templo. Ita S. Hilarius: *Poſt comminationem*, ait, *deſerendæ Ieruſalem, tamquam commouendus ambitione templi eſſet, magnificentia ei extructionis oſtenditur.* Sic & Origenes, S. Chryſoſt. Euthymius, Theophylactus, Ianſenius, Maldon. & alij. Verùm nil mouit Chriſtum omnis hæc magnificentia, ſed in ſententia excidij perſtitit. Simili enim modo Deus ob ſcelera omnem magnificentiam Niniues, Babylonis, Tyri, Alexandriæ, Antiochiæ & Romæ euertit; tum ob incolarum ſcelera, tum vt oſtenderet omnem hanc magnificentiam caducam C breuem & exilem eſſe, ac hominum oculos & animos ad ſpectandã ambiendamq; cæli magnificentiam longè maiorem, eamque perpetuam traduceret.

Verè pieque S. Auguſtinus: *Non erit magnus*, inquit, *magnum putans ſi cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales:* quâ ſententiâ ſe ſuoſq; ſolari ſolebat S. Auguſtinus, obſeſsâ à Wandalis Hippone, cuius ipſe erat Epiſcopus, quę & poſt mortem eius à Wandalis capta eſt, incenſa, & incolis deſtituta, ait Poſidon. in eius vita.

*Vers. 2. Luc. 21.6. Mar. 13.2.*

IPSE AVTEM RESPONDENS DIXIT ILLIS: VIDETIS HÆC OMNIA? AMEN DICO VOBIS, NON RELINQVETVR HIC LAPIS SVPER LAPIDEM, QVI NON DESTRVATVR] *Non relinquetur lapis ſuper lapidem.* Eſt hyperbole. q.d. Funditus exſcindetur & diruetur. Neque enim tam curioſi vel otioſi fuere Romani in excidio Hieroſolymæ & templi, vt lapidem non relinquerent ſuper lapidem; fuit tamen Ieruſalem à Romanis incenſa & planè euerſa, ac ſolo adæquata, imò aratrum in eam immiſſum, teſte S. Hieronymo in c. 8. Zachar. Ioſepho & alijs, & hoc eſt quod ſignificat hîc Chriſtus.

*Ieruſalem à Romanis euerſa.*

Audi Ioſephum lib. 7. Belli cap. 18. *Iubet eos Cæſar* (Titus) *totam funditùs iam eruere ciuitatem ac templum: relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaſelo, & Hippico, & Mariamne: muriq; tantum, quantum ciuitatem ab Occidente cingebat. Id quidem vt eſſet caſtrum illic cuſtodiæ cauſa relinquendis: turres autem vt poſteris indicarent, qualem ciuitatem, quamq; munitiſſimam Romanorum virtus obtinuiſſet. Alium verò eorum ambitum ciuitatis ita complanauere diruentes, vt qui ad eam acceſſiſſent, habitatã aliquando eſſe vix crederent.*

*Vers. 3. Luc. 21.7. Mar. 13.3. 4.*

SEDENTE AVTEM EO SVPER MONTEM OLIVETI, ACCESSERVNT AD EVM DISCIPVLI SECRETÒ, DICENTES: DIC NOBIS QVANDO HÆC ERVNT? ET QVOD SIGNVM ADVENTVS TVI, ET CONSVMMATIONIS SÆCVLI?] *Diſcipuli*, Marcus cap. 13. v. 3. & 4. ait fuiſſe quatuor; ſcilicet Petrum, Iacobum, Ioannem & Andream, qui Chriſto erant familiariores, eiuſque ſecretorum conſcij. *Secretò*, ſeorſim non tantùm à turbis, ſed & à C ceteris Apoſtolis; Syrus, *inter ſe & eum:* erat enim periculoſum, ob Scribas & magiſtratus de templi excidio vaticinari, imò loqui & interrogare: ob hoc enim S. Stephanum lapidarunt Iudæi, vt patet Actor. 6. 14.

*Interrogatio diſcipulorum.* Quando hæc erunt.

*Dic nobis, quando hæc erunt*, quæ dixiſti de excidio Hieroſolymæ & templi? *Et quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi?* de quo nobis ſæpiùs locutus es, vt cap. 13. verſ. 40. ca. 16. v. 27. cap. 19. v. 28. Duo interrogant; primum, quando exſcindenda ſit Ieruſalem; ſecundum, quando exſcindendus ſit orbis, & futurus dies iudicij, quo



ipſe venturus ſit iudicare omnes homines. A Putabant enim Apoſtoli, quòd Ieruſalem & templum diruenda eſſent in glorioſo Chriſti aduentu & regno, in fine mundi, quaſi ipſe in pœnam & vltionem ſuę cędis & necis eam eſſet euerſurus. Putabant ergo hæc tria eodem tempore euentura, ſcilicet excidium vrbis, excidium orbis, & diem iudicij: atque quia ex verbis Chriſti cognouerant imminere excidium vrbis, opinabantur pariter imminere excidium orbis, & diem iudicij. Id ſibi videbantur colligere ex dictis Chriſti Matth. 22. verſ. 7. & 8. & cap. 23. v. vlt. & penult. vbi Chriſtus videtur hæc omnia coniunxiſſe, id eſt, coniunctim de omnibus locutus eſſe.

Videtur etiam Chriſtus, nunc ſedens in monte Oliuarum contra templum, ait Marcus, quippiam iterùm hâc de re prælocutus, ex quo Apoſtoli hæc interrogandi occaſionem ſumpſerint, licèt B id non exprimant Euangeliſtæ.

*Vers. 4. Luc. 21.8. Mar. 13.5.*

ET RESPONDENS IESVS DIXIT EIS: VIDETE (prouidete & cauete) NE QVIS VOS SEDVCAT] à me, meaque fide, Euangelio, lege.

*Vers. 5. Luc. 21.8. Mar. 13.6.* *Seductores cauendi.*

MVLTI ENIM VENIENT IN NOMINE MEO, DICENTES: EGO SVM CHRISTVS: ET MVLTOS SEDVCENT] Tales fuêre Primò, Theodas ille, de quo Actor. 5. verſ. 36. Secundò, Ægyptius ille impoſtor, de quo Ioſephus lib. 2. Belli c. 12. & Lucas Actor. 21. 38. Tertiò, Simon Magus, de quo Actor. 8. 10. qui teſte S. Hieronymo, aiebat: *Ego ſum ſermo Dei, ego ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia.* Hic enim Simon, teſte Irenæo lib. 1. cap. 20. aiebat, ſe in Iudæa apparuiſſe vt Filium, in Samaria vt Patrem, in Gentibus vt Spiritum ſanctum deſcendiſſe. Dicebat ergo ſuperbus hic Titan, & alter quaſi Lucifer, ſe non ſolùm C eſſe Meſſiam, ſiue Chriſtum, ſed & ſe eſſe totam ſanctam Trinitatem; qui & ſuis magicis ſpectris ita Neronem & Romanos dementauit, vt Romæ inter duos pontes ei poſita fuerit ſtatua hoc titulo: *Simoni Deo magno.* Quartò, tales fuêre Menander, Saturninus, Carpocras, Gnoſtici, ceterique è familiâ Simonis prognati, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 21. Denique talis erit Antichriſtus, qui ſe Iudæis pro Chriſto venditabit, iuxta illud Chriſti Ioannis 5. 43. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*, quod de Antichriſto omnes intelligunt, ait S. Auguſtinus ſerm. 45. de Verbis Domini.

*Statua Simoni Mago Romæ erecta.*

*Vers. 6. Luc. 21.9. Mar. 13.7.*

AVDITVRI ENIM ESTIS PRÆLIA ET OPINIONES (græcè, *ἀκοάς*, id eſt, auditiones, id eſt, rumores; Arabicus, *noua*) PRÆLIORVM] quę ſępè D prælio ipſo ſunt triſtiores, magiſq; animos metu malorum etiam non futurorum excruciant, iuxta illud:

*Peior eſt bello timor ipſe belli.*

Pro *enim* græcè eſt δὲ, id eſt, *autem, enimuerò*: illud enim ſignum à pſeudoprophetis v. 5. præuium excidio vrbis & orbis hîc aſſignatur à Chriſto, ſcilicet tumultus, bella, ſeditiones, &c. quales ante excidium Ieruſalem graues in Iudæa extitiſſe docet Ioſephus lib. 2. de Bello cap. 11. & lib. 20. Antiq. cap. 4. *Duplex enim bellum*, ait Chryſoſtomus, *futurum aſſerit, vnum à ſeductoribus; alterum ab hoſtibus.*

VIDETE, CAVETE, NE TVRBEMINI] vt vel metu hoſtium à fide meâ deſciſcatis, vel deſperatione fructus à prædicatione Euangelij ceſſetis; ſed ge- A neroſo animo timori & tumultibus omnibus obluctantes, pergatis fidem in me, meumque Euangelium prædicare. Cauſam cur non debeant Apoſtoli turbari, ſubijcit, dicens:

OPORTET ENIM HÆC (græcè *πάντα*, id eſt, *omnia*; Syrus, *hæc omnia*, ſcilicet prælia & opiniones præliorum) FIERI, SED NONDVM EST (id eſt, erit) FINIS] Ieruſalem & templi, ac multò minùs ſæculi, itemque præliorum & malorum vtriuſque excidio præuiorum: nam vnius prælij malique finis, alterius maioris erit principium, vti Hieroſolymæ contigiſſe narrat Ioſeph. libr. 3. de Bello cap. 15. q.d. Ne turbemini vt animo cadatis, ſed maiores aſſumite animos, vt vos comparetis ad maiora mala, quæ ſequentur, ſuſtinendum & ſuperandum, ne ſperetis pacem in terra, ſed per tolerantiam malorum in terra, tendite ad perennem beatamque quietem in B cælo.

*Vers. 7. Luc. 21.10. 11. Mar. 13.8.*

CONSVRGET ENIM GENS IN GENTEM, ET REGNVM IN REGNVM, ET ERVNT PESTILENTIÆ, ET FAMES, ET TERRÆMOTVS PER LOCA] ante excidium vrbis, æquè ac orbis: nam, vt rectè aduertit S. Hieronymus, Beda & S. Auguſtinus epiſt. 80. ad Heſychium, Chriſtus Apoſtolis confusè de vrbis & orbis excidio rogantibus, confusè & miſtim (vnum cum alio iungendo & miſcendo) reſpondet, vſque ad verſ. 15. Idque facit hoc fine, vt Apoſtoli & fideles ſemper ſuſpenſi ad vtrumque ſtudioſè ſe comparent, obarment & præmuniant. Inde à verſ. 15. diſtinctè agit de excidio vrbis Ieruſalem; eiuſque ſigna præuia aſſignat, vſque ad verſ. 29. vbi deinceps vſque ad finem capitis, agit de ſignis quæ præibunt excidium orbis, ſiue finem mundi. Porrò de vrbis C & orbis excidio miſtim, hoc verſu & ſeq. vſque ad 15. agi liquet ex ipſis eius ſignis, quæ vtrumque excidium præibunt. Quocirca hæc de orbis excidio eiuſque ſignis accipiunt S. Hilarius, S. Gregorius hom. 1. in Euang. & Irenæus libr. 5. cap. 25. Illud enim præibunt grauiſſimi tumultus, prælia, fames, peſtes, terræmotus, pſeudochriſti. Rurſum de vrbis excidio hæc rectè quoque intelligunt S. Chryſoſt. Euthymius, Theophylactus; idque patet ex Lucæ c. 21. v. 8. & 12. vbi ait: *Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus ſuas, & perſequentur trahentes in ſynagogas:* quod Apoſtolis contigiſſe ex Actis Apoſtolorum liquet, ante excidium Ieruſalem. Ante illud ergo Primò, ſurrexit gens in gentem: quia poſtquam Hieroſolymitani ſuum Romanorum militum D præſidium ceperunt & trucidarunt, mox Aſcalonitæ, Ptolemaidenſes, Damaſceni, Alexandrini, Syri, Romani & omnes vicinæ gentes, certatim in bella contra Iudæos ſurrexerunt, idque continuò vſque ad miſerrimum Hieroſolymæ per Titum excidium, de quibus Ioſephus fusè agit l. 2. Belli c. 11. vſque ad finem lib. 7. & Hegeſippus libr. 2. c. 11. 14. 16. 17.

*Signa excidij vrbis & orbis.*

Secundò, ante excidium Iudæam afflictam fuiſſe fame, patet Actor. 11. 28. & ex Ioſepho l. 20. Antiq. c. 2. & 3. vbi ſcribit reginam Adiabenorum fami huic ſuccurriſſe.

Tertiò, de peſte & terræmotu nil habet Ioſephus; ſed ex hoc Chriſti oraculo certum eſt illa extitiſſe, quia vtrumque bellum & famem, comitari & ſequi ſolet.

Addit Lucas cap. 21. v. 9. *Terroreſq; de cælo, &* *ſigna*

*ſigna magna erunt:* hæc enim præceſſura excidium orbis, patet ex Apoc. cap. 8. & 9. Vide ibi dicta, & dicenda hîc v. 29. Hæc pariter præceſſiſſe excidium vrbis Hieroſolymæ certum eſt. Nam

*Signa excidij Ieruſalem.*

*Primò.* Primò, horribilis cometes, formâ gladij, Hieroſolymæ integro anno ante excidium è cælo incubuit. *Secundò.* Secundò, in Paſchate, confluente populo, hora nona nocturna lux meridiana in templo per mediam horam fulſit. *Tertiò.* Tertiò, bos immolandus in templo agnum peperit. *Quartò.* Quartò, Orientalis porta templi ænea & grauiſſima, vt vix à viginti viris claudi poſſet, horâ noctis ſextâ vltrò patefacta eſt. *Quintò.* Quintò, in aëre viſæ fuêre armatæ acies, currus, & pugnantium prælia. *Sextò.* Sextò, audita in Pentecoſte vox angelorum in templo, *migremus hinc.* *Septimò.* Septimò, plebeius quidam & ruſticus nomine Ieſus, Anani filius, repentè exclamare cœpit: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hieroſolymam & templum, vox in maritos nouos nouaſq; nuptas, vox in omnem populum:* atque hæc interdiu noctuque clamitans omnes ciuitatis vicos circuibat, adeoque per ſeptem annos, quaſi attonitus horrendâ voce, aſſiduè intonabat: *Væ, væ Hieroſolymis;* donec cincta à Tito vrbe, in muro fortiùs ſolito clamans: *Væ Hieroſolymis, templo, populo & mihi,* lapide hoſtili ictus interijt, de quibus omnibus vide Ioſephum libr. 7. Belli cap. 12. & Euſebium libr. 3. Hiſtor. cap. 8.

Vers. 8. Mar. 13. 8. HÆC AVTEM OMNIA INITIA SVNT DOLORVM] Græcè ὠδίνων, id eſt, *parturitionum*, vt vertit S. Hieronymus in Comment. hoc eſt, ſummorum dolorum, ac ſimilium ijs quos patiuntur mulieres in partu, in quo non paucæ doloribus enecantur. Sicut enim in morituris, ſenſim & gradatim accreſcunt dolores & morbi, donec adeò ingraueſcant vt perimant: ſic pariter creuerunt bella, fames, peſtis, &c. ſub excidium vrbis, vt patet ex Ioſepho lib. 6. & 7. Belli. Sicque fiet pariter ſub excidium orbis: *Nam quia in occaſu ſæculi ſumus; præcedent quædam ægritudines mundi,* ait S. Ambroſius in Lucæ c. 2. v. 9. Vide dicta Apocal. c. 8. & 9. & c. 16.

Vers. 9. Sup. 10. 22 Luc. 21. 16 17. Mar. 13. 12. 23. TVNC TRADENT VOS IN TRIBVLATIONEM (Syrus, *oppreſſioni*) ET OCCIDENT VOS: ET ERITIS ODIO OMNIBVS GENTIBVS PROPTER NOMEN MEVM] Syrus anteponit odium oppreſſioni: hanc enim parit odium. q. d. Tunc vos ita affligent & tribulabunt, vt tribulationi addicti deditique videamini: quare varijs tormentis vos cruciabunt & affligent, atque vbique omnes gentes vos perſequentur, vtpote deos ipſorum vituperantes, & nouum Deum Chriſtum crucifixum prædicantes. Factum, id eſt ſub Nerone, qui primam perſecutionem contra Chriſtianos mouit, adeoque primates Apoſtolorum occidit, ſcilicet S. Petrum crucifixit, S. Paulum gladio percuſſit, multoſque Chriſtianos in circo flammis tradidit, adeoq; vt nonnulli ſebo, adipe ac pice obliti, facium inſtar in vſum nocturni luminis arſerint, ait Tacitus Annal. lib. 15. Eadem, imò atrociora faciet Antichriſtus in fine mundi.

Vers. 10. ET TVNC SCANDALIZABVNTVR MVLTI] id eſt, ſcandalum patientur, offendent, cadent. Syrus, *impingent*, ita vt metu perſecutionum & tormentorum à fide Chriſti deficiant & apoſtatent, vti multos defeciſſe ex Euſebio & alijs liquet.

ET INVICEM TRADENT] q. d. Apoſtatæ iam dicti & alij Gentiles, vt gratiam Imperatorum & principum Chriſtianos perſequentium ineant, Chriſtianos ſibi amicos, cognatos vel notos *prodent*, vt vertit Syrus, vti iam fit in Angliâ, Scotiâ, Iaponiâ. Hi ſunt falſi fratres, de quibus ſibi inſidiantibus queritur Paulus 2. ad Corinthios c. 11. v. 26. *Vides*, ait S. Chryſoſtomus, *hîc bellum triplex futurum, vnum ab hoſtibus; alterum à ſeductoribus, tertium à falſis fratribus.*

ET MVLTI PSEVDOPROPHETÆ (falſi docto- Vers. 11. res, hæreſiarchæ, vt Simon Magus, Menander, Arrius, Neſtorius, Lutherus, Caluinus, omniumque caput Antichriſtus) SVRGENT ET SEDVCENT MVLTOS] non ſeducentium virtute; ſed negligentia ſeductorum, ait auctor Imperfecti. Idem prædixit Paulus Actor. 29. 30. dicens: *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobiſipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.*

ET QVONIAM ABVNDAVIT (græcè, πληθυν- Vers. 12. θῆναι, id eſt, *ob multiplicatum eſſe*, ſcilicet *tunc*, hoc eſt quia multiplicabitur & abundabit, vti multi hîc legunt; Syrus, *propter multitudinem iniquitatis*) INIQVITAS, ſcilicet infidelitas, hæreſis, perſecutio, tyrannis, omniſque impietas, REFRIGESCET (Syrus, *elangueſcet*; Arabicus, *diminuetur*) CHARITAS MVLTORVM] imò fides quoque & ſpes, q. d. Qui priùs feruebant charitate in Chriſtum & Chriſtianos, videntes tot Chriſtianorum perſecutiones & afflictiones, deferueſcent, imò frigeſcent, vt amorem in teporem, imò in odium & horrorem conuertant. Prædicit hæc Chriſtus, vt ſuos fideles contra omnia dura exacuat & magnanimitate corroboret, ac confortationibus quaſi adamantinos reddat, ait Euthym.

QVI AVTEM PERSEVERAVERIT (in fide & Vers. 13. Sup. 10. 22. charitate Chriſti) VSQVE IN FINEM, tum perſe- Luc. 21. 19. cutionis & tribulationis, tum vitæ, tum inuictæ Mar. 13. 13. patientiæ, vt nullis terroribus, blanditijs, tormentis cedat. Vnde Syrus vertit, *qui ſuſtinuerit vſque in finem*, HIC SALVVS ERIT] q. d. Horum omnium malorum vnicum remedium & victoria, eſt generoſa in fide & charitate conſtantia, & continua perſeuerantia: hæc enim omnia tolerando vincit & ſuperat, vti patuit in Apoſtolis, in S. Laurentio, Vincentio, Sebaſtiano, ceteriſque Martyribus. Hîc ergo fideli illud vſurpandum:

*Tu ne cede malis, ſed contrà audentior ito.*

ET PRÆDICABITVR HOC EVANGELIVM Vers. 14. Mar. 13. 10. REGNI (quo regnum cælorum nuntiatur appropinquare, iuxta dicta cap. 3. 2.) IN VNIVERSO ORBE, IN TESTIMONIVM OMNIBVS GENTIBVS: ET TVNC VENIET CONSVMMATIO] Hoc factum eſſe ante excidium vrbis Ieruſalem, idque *in teſtimonium omnibus gentibus*, quo ſcilicet Deus omnibus gentibus teſtaretur & patefaceret ſuum in Iudæos amorem, & Iudæorum in Chriſtum perfidiam, ideoque Gentium in eorum locum ſurrogationem, electionem & vocationem iuſtam eſſe, cenſet S. Chryſoſtomus, & eius aſſecla Theophylactus, probatque ex illo Pauli Roman. 1. 8. *Fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mundo;* &, *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et ex illo Coloſſ. 1. 6. *Quod* (Euangelium) *peruenit ad vos,*



*vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit.*

Verùm hoc intellige vel per hyperbolem, vel per ſynecdochen, quòd ſcilicet Euangelium ante excidium Ieruſalem per Titum prædicatum & diuulgatum ſit per plurimas & præcipuas orbis partes ac prouincias, non tamen per ſingulas minores, minuſque notas & celebres. Quocirca S. Hieronymus, Beda & alij veteres docent, hoc planè & plenè fore ante conſummationem orbis: hæc enim abſolutè dicitur *conſummatio*, & ante hanc, Euangelium in omnes omnino gentes diuulgabitur & propagabitur, ita vt apud omnes gentes fundentur Eccleſiæ, inſtituantur Parochi & Epiſcopi, omniſque ordo hierarchicus; quod factum non eſſe ante excidium Hieroſolymæ in confeſſo eſt, idque fiet *in teſtimonium omnibus gentibus*, quo ſcilicet Deus teſtetur paternam ſuam in omnes gentes prouidentiam & diligentiam, æquè ac dilectionem, quâ nullam gentem licèt barbaram & impiam à Chriſti fide, ſalute & gratiâ excluſit, ſed omnes dilexit, curauit, vocauit congruis ſtatiſque temporibus, adeoque nihil omiſit, quod opus erat ad ſaluandas omnes gentes: quo proinde pariter in die iudicij condemnet omnes, qui illi credere & obedire noluerunt.

*Signum finis mundi inſtantis quod.*

Vnde ex hoc Chriſti oraculo S. Hieronymus, Franc. Suarez & alij paſſim docent, hoc fore certum ſignum inſtantis finis mundi, ſcilicet prædicationem Euangelij per totum orbem, talem tantamque ſcilicet vt vbique fundetur Eccleſia, quæ vbique habeat ſuos Chriſtianos, ſuos Clericos, ſua tēpla, ſuos ſacerdotes, &c. licèt id neget Maldonatus & Franc. Lucas, qui tantùm hîc à Chriſto aſſeri cenſent, quòd ante finem mundi omnibus gentibus prædicandum ſit Euangelium; ſed incertum eſſe an ſimul ac omnibus prædicatum fuerit Euangelium, venturus ſit ſtatim mundi finis. Et ſanè hoc quoque verum eſt: nam Eccleſia per omnes gentes fundanda, aliquanto tempore apud eas ſtare & ſtabiliri debet, antequam veniat mundi finis. Quantum autem futurum ſit hoc tempus, incertum eſt, ſolique Deo notum. Vide dicta Roman. 10. 18.

Porrò, quia iam à 150 annis, videmus ab Hiſpanis inuentum nouum orbem, cùm ſcilicet Americus (à quo Americæ nomen) Veſputius & Chriſtophorus Columbus, nauigando detexerunt Indiam Occidentalem, quæ planè dimidia eſt pars totius orbis: atque ibi paſſim propagari Euangelium per omnes prouincias, exceptis nōnullis regionibus Auſtralibus adhuc incognitis, hinc colligere poſſumus, nos ſenſim appropinquare ad finem mundi. Ex reliquo enim orbe nihil ſupereſt, quod aliquando fidem Chriſti non receperit, niſi fortè China, vbi tamen olim fuiſſe Chriſtianos Chriſtique Eccleſias, certis teſtimonijs oſtendit noſter Nicolaus Trigaultius lib. de Fide in China propagata, idemque probat inſcriptio lapidis nuper in China inuenta, quæ planè teſtatur Euangelium in ea prædicatum à viris Apoſtolicis.

Vers. 15. Luc. 21. 20 Mar. 13. 14. CVM ERGO VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS (id eſt, deſolationem abominabilem; Syrus, *portentum immundum vaſtationis*) QVÆ DICTA EST A DANIELE PROPHETA, STANTEM IN LOCO SANCTO: QVI LEGIT INTELLIGAT: TVNC QVI IN IVDÆA SVNT, FVGIANT AD MONTES] Quænam ſit abominatio hæc deſolationis, fusè diſputaui Daniel. 9. 27. Per illam enim nonnulli accipiunt idolum poſitum in templo: alij ipſum Antichriſtum, qui in templo volet adorari vt Deus: alij peccata ſacerdotum commiſſa in templo: alij meliùs accipiunt, caſtra Romanorum Ieruſalem obſidentium, quæ paulò pòſt eam captam abominandè vaſtarunt & deſolarunt; item profanationem templi per homicidia aliaque ſcelera in templo commiſſa, factam à ſeditioſis homicidis & ſceleratis Iudæis, qui ſe legis & libertatis Zelotas nuncupabant. Vide dicta Daniel. 9. 27.

*Signa duo præuia excidio Ieruſalem.*

Hucuſq; Chriſtus Apoſtolis dedit ſigna communia, quæ futura erant præuia excidio tam vrbis Hieroſolymæ, quàm totius orbis, nunc propriè aſſignat ſigna præuia excidio vrbis; ſcilicet obſidionem Ieruſalem per Titum, & templi profanationem per Zelotas: nam poſt hæc duo exciſa & deſolata fuit Ieruſalem. Quocirca monet Iudæos æquè ac Chriſtianos hîc Chriſtus, vt, viſis hiſce ſignis, illicò fugiant ad montes, non Iudææ (hos enim occuparunt milites Romani, teſte Ioſepho libr. 3. Belli cap. 12. & lib. 4. cap. 2.) ſed extra Iudæam ſitos, vt clades & excidium Hieroſolymæ imminens effugiant: ſicut Chriſtianos, reipſa huius moniti Chriſti memores, id ipſum effugiſſe, ac Dei oraculo monitos, teſte Euſebio lib. 3. Hiſtor. cap. 15. receſſiſſe in vrbem Pellam trans Iordanem ſitam, docet S. Epiphanius hæreſi 29. & 30. imò & ſupellectilem ſuam eò tranſtuliſſe, quin & cathedram Epiſcopalem S. Iacobi. Nam eam vſque ad ſua tempora integram ſeruatam fuiſſe docet Euſebius libr. 7. Hiſtor. 15. Si enim hæc Hieroſolymis manſiſſet, vtique cum ceteris conflagraſſet. ita Baronius tom. 1. anno Chriſti 68. c. 45. & 51. Hîc videre fuit ſingularem Dei erga Chriſtianos curam, circa Iudæos verò iram; nam aduentante Romano exercitu, Galilæi & Iudæi turmatim confugerunt Hieroſolymam, quaſi ad aſylum, putantes ibi ſe fore tutos; ſed Deus illos ibidem congregauit, vt mactarentur à Romanis.

Vers. 17. Luc. 17. 31. Mar. 13. 15. ET QVI IN TECTO (Marcus, *ſuper tectum:* Iudæorum enim tecta erant plana quaſi tabulata, vt in ijs ambulare, cœnare, dormire ſolerent) NON DESCENDAT TOLLERE ALIQVID DE DOMO SVA] ſed ſubitò fugiat, vt vitam ſaluet, & cetera ſua perdat. Tanta enim & tam repentina erit hæc Iudææ & Hieroſolymæ per Romanos vaſtatio, vt ſatius ſit nudum effugere, quàm volendo ſua ſaluare, ſe illius periculo exponere. Eſt hyperbole, ſignificans celerrimè fugiendum, ob imminentem ſummam calamitatem, q. d. Qui eſt in tecto, ex eo non per ſolitas ſcalas ſenſim deſcendat, ſed vnico ſaltu deſiliat, aut fune celerrimè ſe demittat, vt cladem effugiat: nam alioqui pluſculum temporis ad fugiendum habuere Iudæi. *Hiſtoria belli Iudaici.* Primò enim Ceſtius Gallus miſſus à Nerone obſedit Hieroſolymam; ſed is à Iudæis in fugam actus eſt. Inde poſt ſex menſes Veſpaſianus ab eodem Nerone miſſus Galilæam ſenſim expugnauit, ceteraſque Iudææ vrbes, vna excepta Hieroſolyma, quâ in re tres annos inſumpſit; cumque eam obſidere deſtinaret, ſuperuenit nuntius de morte Neronis: quare Veſpaſianus ab exercitu acclamatus Imperator,

Romam vt reipub. conſuleret, redijt, obſidionem Hieroſolymæ & totius belli confectionem committens filio ſuo Tito, qui poſt ſeſquiannum Hieroſolymam obſedit in Paſchate, eamq; poſt ſex menſes cepit, incendit, vaſtauit. Hoc ſeſquianno intermedio, cùm Romani lentiùs in Iudæa rem agerent, Iudæi ipſi inter ſe internecinis odijs dimicarunt. Nam Primò, Zelotæ templum occupantes, illud ſuorum ciuium cædibus & cadaueribus impleuêre. Hiſce ſucceſſit nouæ conſpirationis princeps Simon Geraſenus, qui à populo in Ieruſalem intromiſſus, vt Zelotas compeſceret, ſimiliter ac illi rapinis & cædibus in ciues graſſatus eſt. Fuit ergo ab aduentu militum Romanorum Iudæis tempus ſufficiens, ad ſe ſuaque conuaſandum & fugiendum: ſed Chriſtus illicò fugiendum ſuadet, tum vt grauiſſimam fore calamitatem ſignificet, tum quia præſente iam milite Romano in Iudæa, ac per eam diſcurrente nuſquam erat tutus fugiendi locus: fugientes enim in milites Romanos incidebant, ab ijſque ſpoliabantur & mactabantur, vt fusè narrat Ioſephus libro de Bello Iudaico.

Quocirca funeſtiſſimum hoc excidium Ieruſalem, expreſſus fuit typus & præludium excidij orbis, æquè ac fuit diluuium Noëticum, conflagratio Sodomæ, & ſubmerſio Pharaonis cum toto exercitu in mari rubro.

Myſticè, Hadrianus I. Pontif. epiſt. ad Carolum regem Francorum actor. 4. *In tecto eſt*, ait, *qui excedens carnalia, tamquam in aura libera ſpiritualiter viuit. Huius ergo ſpiritalis viri iam vaſa iſta vacant in domo, quia mente corpori ſupereminens, per aciem intelligentiæ tamquam in tecto poſitus, perſpicuitate ſapientiæ velut cælo apertiſſimo fruitur.*

Vers. 18. Luc. 17. 31. Mar. 13. 16. ET QVI IN AGRO, NON REVERTATVR (domum) TOLLERE TVNICAM SVAM] Græcè, ἱμάτιον, id eſt, pallium, ſiue extimam veſtem, qua ſe à pluuiâ, frigore, alijſque aëris iniurijs defendat. Solent enim agricolæ & laborantes in agro, pallium & tunicam deponere domi, alioúe loco, vt ſeminudi expeditiores ſint ad laborandum. q. d. Simili modo imminente excidio Iudææ & Hieroſolymæ, celerrimè & ſeminudi (ſi ſitis) fugite, vt tantam tamque repentinam cladem euadatis. Eſt hyperbole, & prouerbium ſimile priori: vtroque figuratè ſignificat Chriſtus, ocyſſimè fugiendum eſſe omnibus relictis, etiam veſtibus, idque vt grauitatem inſtantis calamitatis inſinuet: hâc enim phraſi in ſimili re vti ſolent Prophetæ, vt Ierem. cap. 46. 5. in ſtrage Ægyptiorum factâ per Chaldæos: *Vide*, inquit, *pauidos & terga vertentes, fortes eorum cæſos: fugerunt conciti, nec reſpexerunt, terror vndique, ait Dominus, non fugiat velox, nec ſaluari ſe putet fortis.* Et cap. 48. 6. in ſtrage Moabitarum, *Fugite*, ait, *ſaluate animas veſtras, & eritis quaſi myricæ in deſerto.* Alludit ad Lot fugientem incendium Sodomæ, cui proinde angelus ait Geneſ. 19. 17. *Salua animam tuam, noli reſpicere poſt tergum.*

Vers. 19. Luc. 21. 23. Mar. 13. 17. *Væ prægnãtibus & nutrientibus in illis diebus: cur?* VÆ AVTEM PRÆGNANTIBVS ET NVTRIENTIBVS (græcè, θηλαζούσαις, id eſt, *mammantibus*, vt legit S. Auguſtinus in pſalm. 39. 1. θηλὴ enim eſt mamma, hoc eſt, lactantibus, ſcilicet puerperis, quæ ſuis infantibus dant lac mammæ) IN ILLIS DIEBVS] quia ſcilicet prægnantes onere embryonum, quos vtero geſtant; nutrientes, ſiue lactantes, ſarcina infantium lactentium grauatæ, fugere non poterunt: vnde ab hoſte Romano irato & ſæuiente capientur, & cum ſuis paruulis trucidabuntur. Ita S. Chryſoſtomus hîc, Hilarius & alij. Addit Theophylactus alludi hîc ad grauitatem famis, quâ coactæ matres nonnullæ, in obſidione Ieruſalem comederunt ſuos infantes, teſte Ioſepho libr. 7. Belli cap. 8. Declarat Chriſtus grauitatem vindictæ & cladis Ieruſalem, quòd in ea ne quidem prægnantibus & infantibus parcetur, vt in alijs vrbium obſidionibus & expugnationibus fieri ſolet: ipſe enim ſexus femininus matrum, & ætas infantilis puerorum, hoſtibus quantumuis iratis mouent miſericordiam.

Vers. 20. Mar. 13. 18. ORATE AVTEM, VT NON FIAT FVGA VESTRA IN HYEME, VEL SABBATO] *Hyeme*, quia in ea ob frigus, niues, pluuias, lutum, ventos, aliaque aëris & viarum incommoda fuga eſt difficilis, & ægris ac ſenibus ſæpè impoſſibilis, aut lethalis. *Sabbato*, quia in eo Iudæis non licebat vltra mille, imò vltra ſeptingentos paſſus ambulare, vti oſtendi Actor. 1. v. 12.

*Difficultas circa ſabbatum fugæ.* Dices, Sabbatum vti & cetera legalia, tempore excidij Ieruſalem per Titum, iam erat abrogatum à Chriſto & Apoſtolis in Pentecoſte: per promulgationem legis Euangelicæ, Actor. 2. & etiamſi non fuiſſet abrogatum, iure naturę licuiſſet, in eo per plura paſſuum millia fugere ad ſaluandam vitam.

Reſp. Chriſtus loquitur de Iudæis & Chriſtianis adhuc iudaizantibus, qui nimiâ religione tam arctè ſabbatum obſeruare ſolebant, vt mallent mori quàm fugere, & ſua exportare, aut ſe contra hoſtes inuadentes defendere in ſabbato, vt patet 1. Machab. 2. 34. & ſeq. Iudæi autem & iudaizantes in excidio Ieruſalem, ſuum obſeruaturi erant ſabbatum, licèt à Chriſto abrogatum. Adde, legalia à Chriſto abrogata in Pentecoſte, tum quidem fuiſſe mortua, nec vlteriùs obligaſſe, non tamen ſtatim fuiſſe mortifera: ſed permiſſum fuiſſe Iudæis ad Chriſtum conuerſis ea adhuc ſeruare, ad reuerentiam legis & Moſis per plures annos, donec planè libertatem Euangelicam edocti, in plenam vnionem cum Gentibus in Eccleſiam Chriſti tranſirent, vti dixi Galat. 2. Ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius.

Alludit Chriſtus ad captam, vel potiùs capiendam à Tito Ieruſalem in die ſabbati, vt teſtatur Dio Caſſius in Nerone. Imò noſter Gaſpar Sanchez in Zachar. cap. 14. numer. 27. ad literam ſic accipit, quaſi Chriſtus hîc prædicat in ſabbato fugiendum eſſe Iudæis, eò quòd illo die à Romanis capienda ſit Ieruſalem. Verùm Chriſtus hîc dat ſigna præuia excidio Ieruſalem, vt ante illud fugiant & effugiant, vti dixi verſ. 15. nam in obſidione & excidio eius, Titus ita illam muro vndique cinxit, vt ex eâ fugere eſſet impoſſibile, teſte Ioſepho.

Vers. 21. Luc. 21. 23. Mar. 13. 19. ERIT ENIM TVNC TRIBVLATIO MAGNA (in Ieruſalem totaque Iudæa ex vltione diuinâ, patet Lucæ 21. verſ. 23.) QVALIS NON FVIT AB INITIO MVNDI VSQVE MODO, NEQVE FIET] Nonnulli cum S. Auguſtino epiſt. 80. ad Heſychium, *τὸ qualis non fuit*, &c. *neque fiet*, arctant ad Iudæos: de Iudæis enim hactenus egit, q. d. Iudæi nec in captiuitate Ægyptiaca, nec Aſſyriaca, nec Babylonica, nec Syriaca ſub Antiocho Epiphane, tantas clades paſſi ſunt, quantas patientur à Tito & Romanis, imò nec deinceps tantas patientur, quia Titus extremum eis afferet excidium & deſolationem, quæ durabit vſque ad finem mundi, vti prædixit Daniel c. 9. v. vlt.



Pleniùs alij cenſent hoc Iudæorum per Titum excidium & ſupplicium in atrocitate conferri & anteferri quibuſlibet excidijs & ſupplicijs particularibus quarumcumque gentium: nam Iudæi non fuerunt ab initio mundi, ſed cœperunt ab Abraham & Iacob. Senſus ergo eſt, q. d. Nec conflagratio Sodomæ, nec ſubmerſio Pharaonis & Ægyptiorum in mari rubro, nec Chananæorum euerſio per Ioſue, nec Niniues, Babylonis, Perſarum, Græcorum, aliarumúe gentium vaſtatio, tam atrox & horrenda fuit vel erit, quàm futurum eſt excidium Iudææ per Titum. Dixi *particularibus*: nam generale totius mundi excidium per diluuium tempore Noë, & per conflagrationem in fine mundi, communi omnium clade, eiuſque atrocitate ſuperat vnius Iudææ excidium. Similiter atrocior erit perſecutio Antichriſti; vtpote vniuerſalis omnium Chriſtianorum, ex omnibus gentibus credentium Chriſto.

Comparat ergo Chriſtus excidium vnius gentis Iudaicæ, cum excidio alterius cuiuſque gentis, non autem omnium gentium, totiuſq; mundi. Id ita contigiſſe liquet ex Ioſepho lib. 7. quos de Bello Iudaico exarauit, qui inter cetera diſertè ait libr. 6. c. 11. *Vt autem breuiter dicam, neque aliam ciuitatem vnquam talia perpeſſam puto, neque vllam nationem poſt hominum memoriam, ſeditioſis malitia ferociorem fuiſſe.* Et libr. 7. c. 17. *Superat omnem humanam & diuinitùs emiſſam peſtem numerus peremptorum, quos partim palàm occidêre, partim cepêre Romani.*

*Iudæorum clades ob Chriſtum occiſum.* Cauſam tantæ atrocitatis excidij Iudaici aſſignat S. Chryſoſtomus atrocitatem criminis quo ipſi ſuum Meſſiam, putà Chriſtum Dei filium indigniſſimè tractarunt & crucifixerunt. Vnde ex hoc excidio & deſolatione perpetua gentis Iudaicæ, conuincas Iudæos, doceaſque Chriſtum iam veniſſe, eſſeque illum qui ab eis occiſus eſt. Nam nullum aliud crimen Deus vnquam tam atrociter puniuit apud Iudæos vel alias gentes, ſicut puniuit punitque aſſiduè Iudæos, propter hoc chriſticidium & deicidium. Vnde rectè auctor Imperfecti: *Vſque ad Chriſtum*, inquit, *Iudæi etſi peccatores, vt filij ſunt habiti, & vt filij caſtigati: crucifixo Domino, deſierunt eſſe filij, & facti ſunt hoſtes, & vt tales eradicati abſque vlla ſalutis ſpe reliqua: ſicut enim illi tale facinus commiſerunt, quale numquam cõmiſſum eſt, nec eſt committendum: ſic & ſuper illos talis ſententia venit, qualis numquam venit, nec veniet.* Hoc eſt quod ait Lucas c. 21. v. 22. *Quia dies vltionis* (chriſticidij) *hi ſunt*, &c. *erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic.* Addit Ioſephus libr. 7. Belli cap. 16. Titum hanc Dei vltionem agnouiſſe, illique, non ſuis viribus expugnationem Hieroſolymæ tribuiſſe. Captam enim Ieruſalem ingreſſus, videns munitionem & turrium altitudinem & ſoliditatem, exclamauit: *Deo planè adiuuante pugnauimus, & Deus erat qui detraxit ab iſtis munimentis Iudæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ ad iſtas valerent?* Idem Ioſephus lib. 6. Belli c. 14. & ex eo Euſebius lib. 3. Hiſtor. cap. 6. *At cùm Titus*, ait, *circumiens vidiſſet repletos mortuorum cadaueribus vallos, cum ingenti gemitu eleuatis ad cælum manibus Deum inuocat teſtem, hoc ſuum opus non eſſe.*

Addit Lucas c. 21. v. 24. Primò, *Et cadent in ore gladij*, id eſt, per aciem gladij Romanorum necabuntur. Vnde Ioſephus lib. 7. Belli c. 17. aſſerit, pręter alios innumeros per totam Iudæam cæſos: in ſolâ Hieroſolymâ tempore obſidionis eiuſdem, mortua eſſe fame, peſte & gladio vndecies centena hominum millia.

Secundò, *Et captiui ducentur in omnes gentes*, quia, vt ait ibidem Ioſephus, tum 97. millia Iudæorum capta fuere. Additque tum Hieroſolymis ad Paſcha confluentem ex toto orbe Iudæorum turbam, fuiſſe ad vicies centena & ſeptingenta millia, id eſt, duos milliones & 700. millia hominum. Vnde ſubdit: *Tunc velut in carcerem tota gens fato concluſa eſt, & farta hominibus ciuitas bello obſidebatur. Itaq; ſuperat omnem humanam & diuinitùs immiſſam peſtem numerus peremptorum, quos partim palàm occidêre, partim cepêre Romani. Rimantes enim cloacas, & ſepulcra eruentes, quos offendiſſent, iugulabant. Inuenti autem ſunt ibi quoque pluſquam duo millia, quorum alij manu ſuâ, plures autem mutuis ſe vulneribus interfecerant, cùm alios fames corrupiſſet.*

*Ieruſalem data Gentibus.* Tertiò, *Et Ieruſalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum*, ſiue gentium, id eſt, vſque ad finem mundi omniumque gentium: impleto enim Gentium numero à Deo decreto, finietur omnis gentium populus & numerus cum mundo, ita Euthymius, vel, vt Beda, q. d. Donec plenitudo Gentium intret in Chriſti Eccleſiam: nam hoc facto *tunc omnis Iſraël ſaluus fiet*, vt ait Apoſtolus Roman. 11. quod fiet in fine mundi. Reſpicit enim Chriſtus ad deſolationem Ieruſalem, de quâ dixit verſ. 20. quòd illa prædicta ſit à Daniele c. 9. v. vlt. vbi Daniel ait: *Vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio*, vt ſcilicet Ieruſalem ſolo æquata & deſolata à Tito, non ſit ampliùs vrbs regia Iudæorum, ſed Gentium, & deinde Chriſtianorum, ac poſteà Saracenorum & Turcarum, vti iam eſt, idque vſque ad finem mundi, quando Antichriſtus rex & Meſſias Iudæorum, Hieroſolymæ ſedem regni ſui conſtituet, vt patet Apocal. 11. v. 8. tumq; Elias & Henoch Antichriſto reſiſtentes, multos Iudæorum ad Chriſtum conuertent: occiſo verò Antichriſto, Iudæi omnes per aſſeclas Eliæ & Henoch ad Chriſtum traducentur, publiceque Chriſtum Hieroſolymæ colent, vt ſatis colligitur ex Apocal. 20. v. 8. Vide ibi dicta.

Addit Euſebius lib. 4. Hiſtor. c. 6. Adrianum Imperatorem, qui Veſpaſiano poſt Domitianum, Neruam & Traianum in imperio ſucceſſit, graui edicto ſanxiſſe, vt omnes omnino Iudæi procul à Iudæa abirent, nec cuiquam eorum vel eminùs fas eſſet Iudæam conſpicere; ac deinde ſubdit: *Ita factum eſt, vt ciuitas poſt interitum Iudaicæ gentis, incolis mox in eam peregrinæ nationis cõfluentibus, permutatis ciuibus, etiam ipſa Ælia appellaretur, ex cognomento Imperatoris Ælij Adriani: & vt in Romanorum ius conuerſa, ritum pariter mutaret & nomen.* Ecce hoc eſt quod prædicit Chriſtus: *Et Ieruſalem calcabitur à Gentibus.*

*Iudæi à Deo impediti reſtaurare templum.*

Ex hiſce Chriſti verbis, rectè S. Cyrillus Hieroſolymit. confutauit Iudæos, qui vrgente Iuliano Apoſtata, templum Hieroſolymitanum reædificare moliebantur: prædixit enim omnem illorum laborem forè irritum, eò quòd Chriſtus ex Daniele edixerit, deſolationem Ieruſalem & templi duraturam vſque ad finem mundi. Et verùs fuit vates. Nam ignis cælitùs delapſus, cuncta artificum inſtrumenta conſumpſit, & terræmotus ingens lapides fundamentales euulſit, ac cunctos cum contiguis ædificijs diſperſit: ſequenti verò nocte ſigna crucis inſtar radij ſolaris ſplendentia, veſtibus Iudæorum impreſſa comparuerunt, quæ extergere nullo pacto potuerunt. Ita Socrates libr. 3. cap. 20. vel iuxta aliam editionem, 27.

*Vers. 12. Mar. 13. 20.*

*Propter electos breuiati dies: quid?*

Et niſi breviati (græcè, ἐκολοϐώθησαν, id eſt, acciſi, decurtati, imminuti, *à Domino*, vt addit Marcus cap. 13 20.) fuiſſent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi] Duplices ſunt electi, ſcilicet ad gratiam, vti ſunt omnes fideles & iuſti; & ad gloriam; vti ſunt omnes ſaluandi. Vtrique hîc accipi poſſunt, ſed maximè ſecundi: hi enim perfectè ſunt electi; & quicumque electi ſunt ad gratiam finalem, vt in ea ad finem vitæ perſeuerent, hi quoque electi ſunt ad gloriam. Senſus eſt. q. d. Niſi Deus ab æterno pauciores fore decreuiſſet, & in tempore pauciores exhibuiſſet dies vaſtationis Iudææ: pauciores, inquam, quàm & Iudæorum culpa, & Romanorum ira exigebat; omnes omnino Iudæi perijſſent. Nam ſi tempus obſidionis Ieruſalem & ſtragis Iudææ diutiùs duraſſet, omnis caro, id eſt, omnes Iudæi non ſaluarentur, ſed peſte, fame & bello fuiſſent conſumpti. Fremebant enim Romani in Iudæos, quaſi in gentem rebellem & obſtinatam, & niſi Titi lenitas eos repreſſiſſet, ac Ieruſalem Deo ita diſponente citò capta fuiſſet, Romani omnes Iudæos mactaſſent. Deus ergo dies hos ſtragis Iudaicæ breuiauit, id eſt, pauciores effecit, *propter electos*, id eſt, partim propter Chriſtianos, qui è Ieruſalem fugere vel non poterant, vel noluerant; partim propter Iudæos, qui in obſidione tantâ clade perculſi, conuerſi fuere ad Chriſtum, aut poſteà conuertendi erant: item propter naſcituros ex eis, & conuertendos, eoſque omnes quidem, ſed maximè propter perſeueraturos ex eis in Chriſti fide & gratiâ ac conſequenter à Deo electos, vti ad gratiam & perſeuerantiam, ſic & ad gloriam. q. d. Si tribulatio hæc Iudæorum diutiùs duraret, nemo ex eis perſeueraret in vita, ideoque nec in fide & gratia huius vitæ, ac conſequenter nemo ex eis ſupereſſet, qui foret ſaluus & electus; vt ergo aliqui ſuperſint, qui à Deo Deique prædeſtinatione ſaluentur, ſintq; electi, putà illi quos Deus præuidet & præordinat in hâc tribulatione duraturos, aut naſcituros, & ad Chriſtum conuertendos; ac ſi tribulatio hæc remittatur, perſeueraturos in fide & gratiâ, ideoque ſaluandos; hâc de causâ Deus breuiabit & contrahet hos calamitatis dies.

Id ita accidiſſe patet ex Ioſepho, qui libr. 7. Belli c. 15. teſtatur pluſquam quadraginta millia Iudæorum, cladi & excidio Hieroſolymæ illato per Titum ſuperfuiſſe, ſaluaque manſiſſe. Vbi aduerte Deum propter fideles & electos, etiam ſeruaſſe in vita multos ex Iudæis non electos, ſed in iudaiſmo obſtinatos & reprobos. *Igitur ne dicant Iudæi*, ait S. Chryſoſt. *mala hæc propter prædicationem & adorationem Chriſti ſibi accidiſſe: non ſolùm non fuiſſe cauſam malorum fideles oſtendit, verùm etiam niſi fideles fuiſſent, interemptione vniuerſos necandos fuiſſe aſſerit. Nam ſi dilatio belli permiſſione diuina facta fuiſſet, nullæ Iudæorum extarent reliquiæ: ſed, ne cum infidelibus Iudæis fideles interimerentur, citiùs ei bello finem impoſuit.* Denique maximè propter Iudæos omnes, qui in fine mundi ſaluabuntur, Deus breuiauit hos dies.

Tropolog. diſce hîc, quantus ſit amor & cura Dei erga ſuos fideles & electos, propter hos enim pepercit multis Iudæis: propter electos enim Deus totum mundum & omnia quæ in eo ſunt creauit & conſeruat, imò propter eos Chriſtum filium ſuum hominem effecit, ac crucifigi morique voluit. Vnde Paulus 1. Cor. 3. 22. *Omnia*, ait, *veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mũdus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura.*

*Vers. 23. Luc. 17. 23. Mar. 13. 21.*

Tvnc si qvis vobis dixerit: Ecce hic est Christvs, avt illic, nolite credere] Nonnulli putant Chriſtum hîc tranſire à ſignis excidij vrbis Hieroſolymæ, ad ſigna præuia excidio orbis; ſed meliùs hęc referas ad ſigna excidij vrbis, de quibus hactenus egit: hoc enim ſignificat τὸ *tunc*.

*Impoſtores & ſeductores varij.*

Ecce hic est Christvs] Sciebant Iudæi iam tunc inſtare tempus aduentus Meſſiæ, ſiue Chriſti, eò quòd tranſlatum eſſet ſceptrum à Iuda ad alienigenam Herodem & Romanos, iuxta vaticiniũ Iacobi, Geneſi 49. 10. Vnde tunc multi adulantes Veſpaſiano, dixerunt ipſum, vtpote victorem Iudææ, eſſe Meſſiam, teſte Suetonio in Veſpaſiano. Alij adulantes Herodi, dixerunt ipſum eſſe Meſſiam. Inſuper tunc in Hieroſolyma, teſte Ioſepho & S. Hieron. tres fuere factiones, quæ ſingulæ ſuos habebant duces, qui ſe venditabant pro Meſſia, qui Iudæos defenderet contra Romanos. Hi duces fuere Eleazarus filius Simonis, Ioannes filius Leuiæ, Simon filius Goriæ, inter ſe de principatu decertantes. Talis quoque fuit impoſtor ille, qui ſub Adriano Imp. finxit ſe eſſe Meſſiam; ideoque vocari voluit Barchochabas, id eſt, filius ſtellæ, quaſi in eo impleretur illud Balaam de Meſſia vaticinium: *Orietur ſtella ex Iacob*, Num. 24. 17. De quo Euſeb. l. 4. Hiſtor. c. 6. *Tempore*, inquit, *quo iſta gerebantur, ducebat exercitum Iudæorum Barchochabas quidam, quod nomen ſignificat ſtellam, ceterùm vir crudelis & ſceleſtus. Sed & vocabulo ſuo velut vilibus mancipijs perſuadebat, ſe ob ſalutem eorum ſidus magnum, ægris mortalibus & longa obſcuritate damnatis ferre lucis auxilium.* De eodem vide & Galatinum libr. 4. de Arcanis fidei, c. 21.

Tales noſtro hoc æuo fuere Dauid Georgius & Ioannes Leydanus rex Anabaptiſtarum, qui occupato Monaſterio vrbe Weſtphaliæ, ibi ſe Chriſtum regem conſtituit, ac duodecim Apoſtolos creauit, quos ad omnes vicinas vrbes miſit, vt ad ſuum Chriſtum omnes adducerent; ſed à Catholicis obſeſſus & captus, viuus in crate viminea ex apice turris ſuſpenſus, à muſcis, auibus & veſpis corroſus interiit anno Domini 1536. Hiſtoria impreſſa extat. Plures tales erunt ſub tempora Antichriſti. Tales etiam Tropologicè ſunt hæreſiarchæ, qui alium Chriſtum nobis venditant, hoc ipſo quo alia dogmata afferunt, quæ non ſunt Chriſti, ſed Antichriſti. Ita Origenes



genes & S. Aug. epiſt. 80. ad Heſychium. Licèt enim τὸ *tunc* propriè notet tempus excidij vrbis Hieroſolymæ, tamen accipi poteſt indefinitè & confusè, vt extenſiuè notet tempus quodlibet, quod erit ab excidio Hieroſolymæ vſque ad finem mundi, vti notat S. Chryſoſt. hom. 77. Cauſam dabo v. 29. Porrò ineptè hæretici per τὸ *ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus*, cenſent notari Catholicos, qui de Euchariſtia dicunt: *Ecce hic eſt Chriſtus.* Loquitur enim Chriſtus de hæreticis & pſeudoprophetis viſibilibus, qui ſe dicent eſſe Chriſtos, vt diſcipulos poſt ſe abducant; non autem de Euchariſtia, vbi Chriſtus eſt inuiſibilis.

*Vers. 24. Mar. 13. 22.*

Svrgent enim psevdochristi et psevdoprophetæ (iam dicti:) et dabvnt signa magna et prodigia, ita vt in errorem indvcantvr (si fieri potest) etiam electi] *Signa*, per artem magicam, ope diaboli, quem multi hęreſiarchæ habuêre paredrum, id eſt, aſſeſſorem & familiarem, vt oſtendi 1. Timoth. 4. 1. Talis fuit eorum primus & princeps Simon Magus, qui ſuis ſignis & mirabilibus dementauit Neronem & Romanos, adeò vt Romę ei ſtatuam poſuerint; ſed ipſe tandem ope dæmonis volans per aëra, precibus S. Petri præcipitatus in terram, genua ad ſaxum allidens confregit, *vt qui volare tentauerat, ambulare non poſſet; & qui pennas aſſumpſerat, plantas amitteret*, ait S. Maximus homil. 5. de SS. Petro & Paulo. Vide dicta Actor. 8. 9. & Matth. 7. 22.

Ita vt in errorem indvcantvr (si fieri potest) etiam electi] Errorem finalem intellige, q. d. Vt electi à fide & gratiâ deſciſcant, ideoque reprobentur & damnentur. Nam non eſt certiùs reprobationis ſignum, quàm ſi quis à fide apoſtatet. Perperam ergo hinc Caluinus infert, electos ſiue prædeſtinatos non poſſe peccare: peccant enim, ſed pœnitent & reſurgunt, vt in gratia decedant.

Si fieri potest] q. d. Tanta erit tribulationis & tentationis pſeudochriſtorum & hæreticorum vis, fraus, fucus & ſpecies, vt, ſi fieri poſſet, ab eis ſeducerentur, & in eorum errorem hæreſimque tranſirent etiam electi, ideoque à fide exciderent & damnarentur. Sed hoc fieri non poteſt ob fortiorem Dei protectionem, & infallibilem Dei prædeſtinationem, ait S. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. cap. 19. iuxta illud Chriſti: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet* (oues meas) *quiſquam de manu mea*, Ioan. 10. 28.

*Fieri non poteſt vt electi damnentur in ſenſu compoſito.*

Fieri enim non poteſt, vt electi cadant & reprobentur, ex neceſſitate non phyſica & abſoluta, ſed morali quæ nititur Dei præſcientia & prędeſtinatione, eamque componit & combinat cum rerum futurarum euentu, quæ eſt neceſſitas, in ſenſu compoſito, non diuiſo, vt loquuntur Theologi. Etſi enim electi liberi ſint, libereque poſſint peccare, errare & damnari; tamen poſito quòd Deus prædeſtinarit & præſciuerit eos non peccaturos, nec erraturos & damnandos, fieri nequit vt peccent, errent & damnentur: Dei enim prædeſtinatio & præſcientia certiſſima eſt, & falli nequit. Quocirca hæc duo ſimul ſtare nequeunt, quòd homo ſit prædeſtinatus, & tamen damnetur; quòd Deus præſciat hominem in gratia Dei moriturum, ſaluandumque, & tamen is in peccato moriatur & pereat. Simili modo de Iudæis ait Ioan. c. 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterùm dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum*; non quaſi Iſaiæ prædictio cauſa fuerit, cur Iudæi non crederent Chriſto; ſed quod ſimul ſtare non poſſet Iſaiæ prædictio de Iudæorum incredulitate cum eorum credulitate. Et Paulus 1. Tim. 2. 19. *Firmum fundamentum* (de electis) *Dei ſtat habens ſignaculum hoc: Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Vide ibi dicta.

Porrò Theologi illi, qui dicunt electos ad gloriam fuiſſe homines ante omnem præuiſionem operum, ex mero Dei beneplacito, neceſſitatem hanc ſaluandi eos conſtituunt in vi diuini decreti: ſed & hi, vt libertatem hominis non lædant, debent id accipere pariter in ſenſu compoſito: componere enim debent electorum conſtantiam & perſeuerantiam, cum Dei, de conſtantia hac eis eo modo ab eo ſuggerenda, vt libertatem non lædat, decreto, eiuſque in tempore executione, dando ſcilicet in tempore gratiam eis congruam & efficacem, qua efficaciter, ſed liberè reſiſtant hæreticis, ac in fide & gratiâ Dei perſeuerent. Neque magis mirum eſt, non poſſe cadere eos quos Deus non vult cadere (voluntati enim eius quis reſiſtit?) quàm non poſſe cadere eos, qui à Deo præſciti ſunt quòd non cadent. Tam enim infallibilis eſt Dei præſcientia, quàm voluntas.

Arctiùs nonnulli cum Ambroſio, Catharino per *electos*, hîc accipiunt eximiè dilectos & electos à Deo, qui idcircò diriſſima à dæmone, hæreticis & impijs pati ſolent, ſed fortiſſimè & conſtantiſſimè reſiſtunt & ſuperant, q. d. Tanta erit tunc tentatio, vt etiam viri ſanctiſſimi, Religioſi & Apoſtolici, qui eximiè à Deo dilecti ſunt, à fide exciderent, ſi fieri poſſet, nec obſtaret potentior Dei gratia, & certior electio.

*Vers. 25. Mar. 13. 23.*

Ecce pr dixi vobis] tum futuros ſeductores, vt ab eis caueatis, tum futuras Hieroſolymæ clades, vt eas vel fugiendo declinetis, vel fortiter ſuſtinendo ſuperetis.

*Vers. 26.*

Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est (Chriſtus) nolite exire] Notat hîc Chriſtus Simonem Geraſenum Goriæ filium, qui in deſertis & montibus collegit turbam prædonum & militum, quaſi Meſſias Iudæos contra Romanos defenſurus, ac in vrbem Ieruſalem admiſſus, vt Zelotas tumultuantes compeſceret, æquè ac illi tyrannicè in ciues graſſatus eſt, teſte Ioſepho lib. 5. Belli c. 7.

Ecce in penetralibvs (Syrus, *in cubiculis*, id eſt, in intimis abditiſq; templi locis, vbi Deus ſuam Iudæis præſentiam opemque exhibere ſolet, vt eos nunc per ſuum Meſſiam à Romanis protegat) nolite credere] Notat hîc Chriſtus Eleazarum & Ioannem Zelotarum duces, qui interiorem templi aditum inſederunt, prætextu vt vrbem contra Romanos tuerentur, ſed reuerà vt vrbi dominarentur, eamque expilarent. Ita Ioſephus lib. 6. Belli c. 1. & 4. qui & lib. 7. c. 11. ſcribit ardente templo, multos Iudæorum confugiſſe in porticum extra templum, eò quòd pſeudopropheta quidam eo die prædicaſſet, ſaluos fore, tutante Deo, eos qui ad templum confugiſſent; ſed hos omnes vel flammis, vel gladio Romanorum perijſſe.

Addit Lucas cap. 17. 22. *Venient dies, quando deſideretis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis*, id eſt, veniet tempus, quo deſideretis meam

meam præſentiam, quam iam habetis, tum ad veſtram in tantâ tribulatione conſolationem, tum ad hæreſum & errorum qui orientur, declarationem & confutationem.

Vers. 27. Luc. 17. 24.

Sicvt enim fvlgvr exit ab Oriente, et paret vsqve in Occidentem: ita erit et adventvs Filii hominis] q. d. Non eſt quòd credatis erronibus, dicentibus, Meſſiam ſaluatorem Iudæorum contra Romanos, eſſe abditum & occultum in locis deſertis, aut in templi penetralibus: quia cùm ipſe in ſecundo ſuo aduentu redibit ad iudicium, vt ſanctos beet, impios condemnet, non occultè, ſed publicè toti mundo glorioſus, vt iudex omnium, velut fulgur apparebit, in ſummâ maieſtate & gloriâ, quâ omnium oculos perſtringet & in ſe conuertet, vt nemo de eo quin ſit Meſſias, & Chriſtus mundi ſaluator, dubitare poſſit, q. d. Aduentus, id eſt, reditus meus ad iudicium, inſtar fulguris erit.

*Sex analogiæ fulguris & Chriſti.*

Primò, ſubitus; Secundò, inexpectatus; Tertiò, omnibus manifeſtus; Quartò, glorioſus; Quintò, efficax, vt nemo ei reſiſtere valeat; Sextò, non in terrâ, ſed in aëre, ſicut eſt fulguris, quod non in angulo, ſed in aëre toti orbi in momento conſpicuum ſe exhibet. Reſpondet enim Chriſtus Apoſtolis ad eorum mentem & opinionem: ipſi enim opinabantur Chriſtum, glorioſum ſuum regnum inchoaturum in terra ſtatim poſt excidium Hieroſolymæ. Ita S. Chryſoſtomus: *Sicut*, inquit, *fulgur non indiget præcone aut nuncio, ſed in momento omnibus apparet, ſic aduentus ille vbique ſemper ſplendere ſtatim videbitur*. Et auctor Imperfecti: *Sicut fulgur*, ait, *in ictu oculi vniuerſa pertranſit, ſic & Filius Dei non veniens adhuc, ſed etiam veniſſe videbitur. Si enim ſol, qui ad miniſterium noſtrum creatus eſt, tantam habet ſplendoris virtutem, vt in quâcumque parte cæli fuerit, vbique appareat quaſi præſens, quantò magis ſol ſpiritualis Chriſtus, cùm venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur.*

Addit etiam auctor, fulguris hîc meminiſſe Chriſtum, eò quòd fulgura præibunt eum glorioſè venientem ad iudicium, iuxta illud pſalm. 96. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota eſt terra, montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini.* Fulgur enim propriè eſt illa coruſcatio & luminis vibratio, quæ antè cernitur, quàm tonitruum audiatur, cùm ſimul fiant, eò quòd viſus celerior ſit auditu, quia lux ſonitu eſt velocior, ait Plinius lib. 2. ca. 43. Additque: *Si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi; ſi erumpat ardens, fulmen; ſi longiori tractu nitatur, fulgetra. His ſindi nubem, illis perrumpi.*

Vers. 28. Luc. 17. 37.

Vbicvmqve fverit corpvs, illic congregabvntvr et aqvilæ] Alludit ad Iob 39. 33. *Et vbicumque cadauer fuerit* (hebr. *occiſi fuerint*) *ſtatim adeſt*. Poſt metaphoram fulguris ſubiicit parabolam aquilæ, tum quia aquila fulgure non tangitur, ſicut electi non tangentur fulmine ſententiæ & maledictionis, quâ Chriſtus in die iudicij impios damnabit ad tartara: tum ne Apoſtoli putarent glorioſum Chriſti aduentum, inſtar fulguris tranſiturum & abiturum, dicerentque: Quid ergo ex eo nobis præmij accidet? occurrit Chriſtus, ſe quidem omnibus appariturum vt fulgur, ſed cum electis permanſurum, eoſque gloria ſua paſturum, ſicut aquila paſcitur corpore, quaſi præda & eſca ſua.

Corpvs] Videtur Interpres legiſſe σῶμα, vti & nonnulli iam legunt, ſed plures legunt πλῶμα, quod propriè ſignificat ruinam & caſum, indeq; cadauer: dicitur enim πτῶμα à πίπτειν, ſicut cadauer à cadendo. Noſter tamen Salmeron πλῶμα accipit pro prædâ & venatione, ſiue pro corpore auis, leporis alteriuſue animalis, quod venatur aquila: hoc dicitur πτῶμα, quia quæ capiuntur animalia ab aquila, ea in terram illa proſternente cadunt; nam aquila adeò generoſa eſt, vt non veſcatur cadauere aut morticino, niſi eo, quod ipſa viuum ceperit & necarit.

Ariſtoteles tamen lib. 9. Hiſtor. anim. cap. 32. recenſens ſex ſpecies aquilarum, inter eas numerat γυπάετον, id eſt, aquilam vulturinam, ſiue ὑπάετον, id eſt ſubaquilam, quæ vulturis ſectatur cadauera, iiſque paſcitur. Vnde Septuag. Iob 39. 33. vertunt vulturem, à Plinio lib. 10. cap. 3. περκνόπτερος, id eſt, alis nigris alata dicitur, quia ſcilicet alæ eius nigris diſtinctæ ſunt maculis. Et de hâc Chriſtum hîc loqui cenſet Aldrouandus in Aquila, & alij. Vtraque ſignificatio & lectio huic loco congruit, vti mox oſtendam.

*Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ: quid?*

Eſt parabola ænigmatica, ſiue ænigma parabolicum, ſignificans rem latere non poſſe, q. d. Chriſtus: Sicut aquilæ ſuam prædam, ſiue corpus quod prædantur, illicò ex alto cernunt, in illudque inuolant: & ſicut aquila vulturina odoratur cadauer etiam remotiſſimum, ad illudque aduolat: ſic pariter meus glorioſus in mundum ad iudicium aduentus & reditus, non erit occultus, ſed omnibus manifeſtus; quare tunc fideles & iuſti, velut aquilæ acutiſſimi viſus, & velut ſubaquilæ ſagaciſſimi odoratus, per vim diuinam me odorabuntur, id eſt, præſentient, imò oculis cernent, & ad me aduolabunt, vt me meaque gloria feliciſſimè reficiantur, paſcantur & beentur in æternum: ac proinde tunc non opus erit inquiſitione, vbi ſit Chriſtus; vtpotè cuius aduentus erit glorioſus, & toti mundo conſpicuus. Hoc eſt quod ait Paulus: *Rapiemur in nubibus obuiã Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus*, 1. Theſſal. 4. 17.

Cadaueri ſe comparat Chriſtus, vt notet ſuam mortem, per quam nobis gloriam meruit: corpori quoque rediuiuo, vt notet glorioſam ſuam reſurrectionem, qua electos ſuos paſcet & beabit. Vnde S. Hilarius ex hoc loco colligit iudiciũ Chriſti vniuerſale futurum vno loco, vbi Chriſti cadauer pependit in cruce ac ſepultum eſt, putà prope Ieruſalem in valle Ioſaphat, vti docet Ioël cap. 3. verſ. 2. Audi S. Hilarium: *Sanctos de volatu ſpiritualis corporis aquilas nominauit, quorum congregantibus angelis conuentum futurum in loco paſſionis oſtendit: & dignè illic claritatis aduentus expectabitur, vbi nobis gloriam æternitatis paſſione corporeæ humilitatis operatus eſt*, &c. Sic & S. Hieronymus: *Aquilæ*, ait, *ſunt qui aſſumunt pennas, vt ad Chriſti veniant paſſionem*. Ratio eſt, quia congruum eſt, vt Chriſtus ibi iudicet omnes, vbi pro omnibus ipſe iniquè iudicatus eſt; ibique conſpiciatur eius maieſtas, vbi anteà viſa eſt eius abiectio & humilitas; vt ibi deſcendat de cælo, vnde ad cælum aſcendit; & ſic totum opus ſalutis noſtræ eodem loco, quo inceptum & prouectum eſt, compleatur & terminetur.

Porrò



*Sancti ſunt aquilæ. Primò.*

Porrò Sancti rectè comparantur aquilis: Primò, quia aquila eſt rex auium, ſicut leo animalium: ſic & Sancti, reges ſunt non terræ, ſed cæli. Audi Originem: *Non dixit, Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur vultures, aut corui; ſed aquilæ, volens oſtendere magnificos & regales omnes, qui in paſſione Domini crediderunt.*

Audi quoque auctorem Imperfecti, qui per aquilas intelligit vultures: *De vulturibus enim dicit Scriptura in Iob. Quoniam vbicumque fuerit corpus, illic inuenientur vulturum pulli. Hoc enim naturale eſt vulturum, ſicut dicunt quidam, vt etiam tranſmarina cadauera ſentiant. Quoniam ergo turpes aues ſunt vultures, ideò vulturinis quidem moribus aptauit nomina aquilarum, vt in moribus quidem vulturum, Sanctorũ congregatio oſtendatur ad Chriſti aduentum; in aquilis autem regalibus regalis dignitas oſtendatur: ideò enim Sancti aquilis aſſimilantur, quia ſicut filij aquilarum ad ſolem probantur, vt, ſi quidem recto aſpectu intendere potuerint contra radios ſolis, intelligantur eſſe legitimi; ſi autem non potuerint, cognoſcantur adulterini: ſic & filij Dei ad Chriſti iuſtitiam comprobantur: ſi enim potuerint pleno corde iuſtitiæ verba ſuſcipere, intelliguntur eſſe legitimi; ſi autem non potuerint, cognoſcuntur de diabolo eſſe nati.*

*genuinè.*

Secundò, quia, vt ait S. Ambroſius in Lucæ cap. 18. aquilæ ſe renouant, ſic & Sancti ſe renouant, hîc per gratiam, in futuro per gloriam, iuxta illud: *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, pſal. 102. 5.

*Tertiò.*

Tertiò, quia aquila aliquid habet diuini, vnde Ariſtoteles lib. 9. Hiſtor. anim. cap. 32. *Aquilæ*, ait, *volant ſublimes, vt perquàm maximè procul aſpiciant: quapropter homines ſolam auium omnium aquilam diuinam eſſe perhibent.* Hinc S. Chryſoſtomus per aquilas intelligit angelorum, Martyrum, ceterorumque Sanctorum multitudinem, qui omnes, quaſi diuini ſpiritus, congregabuntur ad Chriſtum Deum ſuum in die iudicij, vt cum eo in cælum glorioſi conſcendant.

*Quartò.*

Quartò, Sancti ſunt aquilæ, quia volant ſuper terram, & in cælum conſcendunt, vt cæleſtia aſpiciant, & terrena quaſi longè infra ſe, & in imo poſita deſpiciant: vnde cum Paulo dicunt: *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, Philip. 3. 20. vide ibi dicta. Vide & S. Gregor. lib. 31. Moral. c. 19. vbi explicans illud Iob cap. 39. *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſibi?* Vbi inter alia ait, quòd electi quaſi aquilæ *cuncta quæ præterfluunt ſub ſeſe videant, atque omne quod in mundo eminet, amore æternitatis calcent.*

*Quintò.*

Quintò, ſicut aquilæ firmi & acuti ſunt viſus, adeò vt irretortis oculis fixè ſolem intueantur: ſic Sancti acutis mentis oculis aſſiduè Chriſtum, qui ſol eſt iuſtitiæ contemplantur.

*Allegoricè.*

Allegoricè, corpus Chriſti eſt Eccleſia, vbi ſunt aquilæ, id eſt, homines ſpirituales, qui cæleſtis ſunt doctrinæ & vitæ: è contrario hæretici ſunt quaſi corui atri, & garrulæ picæ, & ſicut talpæ, qui toti terræ & terrenis incumbunt. Audi S. Ambroſium in Lucæ cap. 17. verſ. vlt. paucis ſenſus iam datos, alioſq; plures perſtringentem: *Nónne tibi videntur aquilæ circa corpus, quando veniet in illa die cum intelligibilibus nubibus Filius hominis, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt? Eſt etiam corpus, de quo dictum eſt: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Circa hoc corpus veræ aquilæ ſunt, quæ alis circumuolant ſpiritualibus. Sunt & circa corpus aquilæ, quæ credunt Ieſum in carne veniſſe: quia omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt. Vbi ergo fides, ibi ſacramentum, ibi diuerſorium ſanctitatis, eſt etiam corpus Eccleſia, in qua per baptiſmi gratiam renouamur ſpiritu, & occidua ſenectutis in rediuiuas reparantur ætates.*

*Anagogicè.*

Anagogicè, Beati poſt reſurrectionem, in die iudicij ad corpus, id eſt, ad Chriſtum iam rediuiuum & glorioſum cõgregabuntur, quaſi aquilæ, vt cum eo in cælum ad vitam beati euolent: In aquilis enim notatur dos agilitatis Beatorum, iuxta illud Iſaiæ 40. vlt. *volabunt vt aquilæ*. vide ibi dicta. Vnde ex S. Gregorio S. Thomas in Catena ſic exponit: *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ* q. d. *Quia cæleſti ſedi incarnatus præſideo, electorum animas cùm carne ſoluero, ad cæleſtia ſubleuo*. Et S. Ambroſius in pſal. 48. ſub finem pro *corpus*, legens *ruina* (hanc enim ſignificat Græcum πτῶμα) *Vbi ruina*, ait, *ibi & aquilæ, id eſt, vbi ruina, ibi & reſurrectio. Ruina vacua firmitatis eſt: reſurrectio plenitudo viuendi eſt: adeoq; nos Adæ illius ruina vacuauit, ſed Chriſti repleuit gratia.* Rurſum aquila ſymbolum eſt æternitatis beatæ Sanctorum: ipſa enim viuit diutiſſimè, & cùm ſeneſcit, renouando ſe iuueneſcit. Vnde prouerbium, *Aquilæ ſenectus*.

*Symbolicè aquila ſymbolum veritatis & angelorum.*

Symbolicè, aquila, quia acuti eſt viſus, ſymbolum eſt veritatis. Vnde S. Ambroſius de Fide reſurrectionis: *Vbi corpus*, inquit, *illic aquilæ: vbi Chriſti corpus, ibi veritas.* Rurſum aquila ſymbolum eſt Angelorum, ob celeritatem. Vnde S. Ambroſius lib. 1. de Sacram. c. 2. hæc accipit de Euchariſtiâ. q. d. In Euchariſtia, vbi corpus eſt Chriſti, aſſiſtunt aquilæ, id eſt angeli, item Sacerdotes & Sancti, qui ſunt quaſi aquilæ & angeli cæleſtes. Idem lib. 4. c. 2. *Forma corporis*, inquit, *altare eſt, & corpus Chriſti eſt in altari: aquilæ vos eſtis, renouatæ ablutione delicti.*

Vers. 29. Luc. 21. 25. 26. Mar. 13. 24. 25.

Statim avtem post tribvlationem diervm illorvm, sol obscvrabitvr, et lvna non dabit lvmen svvm, et stellæ cadent de cælo, et virtvtes cælorvm commovebvntvr] Tranſit Chriſtus ab excidio vrbis ad excidium orbis, illiuſque ſigna præuia, è quibus inſtare cognoſcatur, aſſignat.

*Tribulatio hic quid?*

*Tribulationem* intellige tum perſecutionem & tentationem, quam afferent pſeudoprophetæ & hæreſiarchæ, de quâ egit verſ. 23. ita S. Chryſoſtomus: tum potiùs tribulationem Iudæorum in obſidione Ieruſalem, obſidente eam Tito & Romanis: hanc enim ſolam vocauit tribulationem paulò antè verſ. 21. Vbi nota cum S. Chryſoſt. Hieronymo, Theophyl. Euthymio & alijs, Chriſtum vt diſcipulos ſuos eorumque poſteros, expectatione aduentus ſui & diei iudicij ſuſpenſos teneat, ad eumque aſſiduè ſe comparare ſtimulet, videri errorem Apoſtolorum fouere, ac ita loqui quaſi ſtatim poſt excidium vrbis foret excidium orbis; idque alio quàm Apoſtoli intelligebant ſenſu, eoque vero: tum quia licet 1560. anni iam fluxerint ab excidio Ieruſalem, ac plures fluent vſque ad finem mundi; tamen omne hoc tempus, licèt nobis, qui anguſtis breuis æui & vitæ terminis claudimur, longiſſimum videatur, cum æternitate tamen Dei, qui verus temporum eſt menſor comparatum, valdè modicum eſt, & inſtar momenti. Ita reſpondet

ſpondet S.Petrus epiſt.2.cap.3.verſ.8.& 9. *Vnus dies*, inquit, *apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam.* Hâc de cauſâ Prophetæ & Apoſtoli tempus Chriſti & legis Euangelicæ vocant *nouiſſimum & horam nouiſſimam*, vt patet 1.Ioan.2.18. 1.Corinth.10.11.Iacobi 5.8. Hebr.10.37.Eâdem de cauſâ Aggæus cap.2.verſ.4.ait modicum fore tempus vſque ad Chriſtum, cùm tamen ab Aggæo ad Chriſtum fluxerint 517. anni: tum quia ſtatim poſt hanc vrbis tribulationem ſuccedet tribulatio orbis, cuius illa fuit typus & præludium, eò quòd nulla inſignis & antonomaſtica Iudæorum tribulatio media interceſſerit, vel intercedet inter tribulationem vrbis & tribulationem orbis; ſed hæc illi proximè ſucceſſura ſit non tempore, ſed typo, ſimilitudine, paritate & atrocitate. Hâc de cauſâ Iſaias, Ieremias, ceterique Prophetę deſcribentes excidium Babylonis, Tyri, Ægypti, Iudææ per Chaldæos, illicò ab illo tranſeunt & ſaliunt ad eius antitypum, ſcilicet ad excidium orbis, quaſi mox futurum; ac acerbitatem vnius, per ſigna & horribilia quæ futura ſunt in altero, explanant, vt patet Iſaiæ 13.19.Ierem.15.9.Amos 8.9.Ioëlis 2.10.

Ex dictis liquet, minùs genuinè Alcazarium in Apocal. cap.6.v.12. ex τῷ *tunc*, colligere hæc omnia ad literam pertinere ad excidium non orbis, ſed vrbis Ieruſalem; de quo hucuſque egit Chriſtus. Quocirca ipſe per ſolis & lunæ obſcurationem, ac ſtellarum caſum ad literam accipit Iudæorum excæcationem, calamitates & clades illatas per Titum & Romanos; per virtutum cælorum commotionem, accipit Chriſtianorum fugam è Ieruſalem imminente obſidione; hi enim ſuâ ſanctitate vrbem ſuſtentabant: vnde ijs fuga lapſis, vrbs impia cædi à Deo addicta ruit & perijt. Verùm nemo non videt hæc eſſe myſtica & ſymbolica, non literalia.

Sol obscvrabitvr] Nota hoc ſignum & ſequentia non fore poſt generalem reſurrectionem, vti cenſent S. Hieronymus & Chryſoſtomus, ſed ante eam, vt patet ex Luca cap.21.26. & ex Ioële cap.2.verſ.31.Iam quoad ſenſum, S. Auguſt. epiſt. 80. ad Heſychium: *Sol*, ait, id eſt Eccleſia, *obſcurabitur*, quia in tantâ tribulatione & tentatione, quanta erit in fine mundi, multi cadent à fide & gratiâ, qui videbantur eſſe illuſtres firmique vt ſol & ſtellæ. Hic ſenſus allegoricè probus eſt & appoſitus: nam hæc planè ad literam, vti ſonant, accipienda eſſe patet ex Luca, & idipſum paſſim docent Patres & Interpretes.

*Solis obſcuratio vnde?* Quæres, vnde manabit hæc tanta ſolis ſub diem iudicij & finem mundi obſcuratio? Reſpondet S. Hilar. Hieron. Chryſoſt. Theophylactus, ex eo quòd tanta erit claritas corporis Chriſti glorioſi, vt ſolem obſcuret: Verùm iam dixi hæc ſigna fore ante communem reſurrectionem, & conſequenter ante Chriſti aduentum ad iudicium. Reſp. ergo ſolem obſcurandum ex eo, quòd Deus ſubducendo ſoli concurſum ſuum, non quidem lumen, ſed vim illuminandi, radioſque ſuos ſpargendi illi adimet, quo fiet vt in ſole ſit lux, in terra verò meræ tenebræ, vti fecit in paſſione Chriſti, vt eius indignitatem oſtenderet; vtpote quam ſol, luna, terra, petræ, omniaque elementa lugere viderentur, imò indignari & fremere in Iudæos chriſticidas, velleque quaſi in eos inſilire ac exterminare. Rurſum Deus inducto fumo & nube denſiſſima ſolem occultabit; fortè etiam ad hoc accedent extraordinariæ & miraculoſę eclipſes, vt colligitur ex Lactantio l.7.c.16. Plura hâc de re dixi Apocal.6.v.12.ad illa: *Sol factus eſt niger tamquam ſaccus cilicinus.*

Huius ſolis in fine mundi obſcurandi typus fuere, calamitas & prodigia facta in excidio Babylonis, Tyri, Ægypti, Idumææ, Moabitarum, &c. ideoque Prophetæ cùm de ijs loquuntur, per catechreſin dicunt, in eo ſolem fuiſſe obſcuratum, lunam quoque & ſtellas, vt ſignificent atrocitatem cladis, quia videlicet ita incolæ & ciues illarum vrbium & regnorum, tunc afflicti fuere, vt ijs perculſis & attonitis, ſol omneque cælum obſcurari & atra caligine ſubduci, tremere & concuti videretur; atrocitas enim calamitatis hominibus inducit vertiginem & caliginem, at triſtibus & afflictis omnia triſtia & afflicta videntur: & quia harum vrbium clades, præludia erant & typi cladium futurarum in excidio orbis, vbi reuerà ad literam ſol, luna & ſtellæ obſcurabuntur. Vide dicta locis Iſaiæ, Ieremiæ, Amos & Ioëlis paulò antè citatis.

Et lvna non dabit lvmen svvm] *Sole obſcurato, luna neceſſariò obſcuratur.* Sole enim obſcurato, neceſſe eſt & lunam obſcurari; vtpote quæ à ſole ſuum lumen haurit; vnde ad ſolem accedens apparet plena, recedens ſemiplena & corniculata. S. Ioannes Apocal.6.12. ait: *Et luna tota facta eſt ſicut ſanguis.* Vide ibi dicta.

Symbolicè auctor Imperfecti: *Patreſamilias moriente*, ait, *tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & conſciſſis tunicis ſuis, nigris ſe operiunt veſtimentis: ſic & humano genere, propter quod omnia fuerunt creata circa exitum conſtituto, totus contriſtatur mundus, vniuerſa cæli miniſteria lugent, & candore depoſito, pro veſtibus, luctuoſis tenebris veſtiuntur. Nam ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen.*

Et stellæ cadent de cælo] *Stellæ cadent. Primò.* Primò, quia ſtellæ ſub finem mundi obſcurabuntur (æquè ac ſol & luna, è quibus planetæ, &, vt nonnulli putant, ceteræ quoque ſtellæ, lumen ſuum mutuantur) vt videantur hominibus cælo excidiſſe. S. Scriptura enim ſæpè loquitur de rebus non vti in ſe ſunt, ſed vti hominibus videntur & apparent. Ita S. Hieronymus, Beda, & paſſim Scholaſtici.

*Secundò.* Secundò, *ſtellæ*, id eſt cometæ, & ſimiles ſtellæ, quæ in aëre gignuntur, tunc ex eo in terram decident, colligitur, id ex Ioëlis 2.30.

*Tertiò.* Addit S. Chryſoſtomus & Euthymius in fine mundi propriè dictas ſtellas & ſidera è cælo caſura. Quod intellige de ſtellis minimis, quæ proinde non apparent, nobiſque ſunt inuiſibiles: nam alioqui ſtellæ viſibiles maiores ſunt tota terra, ideoque in eam cadere nequeunt, vti docet P. Clauius & alij in Sphæra. Vide dicta Apocal. 6.13.& c.8.v.10.& 12.

Et virtvtes cælorvm commovebvntvr] *Virtutes cælorum mouebuntur. Primò.* Origenes, S. Chryſoſt. Theophyl. Euthymius, per *virtutes* intelligunt ſeptimum angelorum chorum, ſiue ordinem, qui dicitur *virtutes*, eò quòd vi & robore polleat, q. d. Hi angeli, licèt potentiſſimi, videntes tamen ſolem lunamq; obſcurari



obſcurari, & ſtellas de cælo cadere, pluraque horrenda prodigia in fine mundi multiplicari, quaſi attoniti ad tantas mutationes & terrores obſtupeſcent.

*Secundo.* Huc accedit Franc. Suarez 3.p. quęſt.59.art.6.diſp.56.ſect.3. Virtutes cęlorum, ait, ſunt angeli, qui magna vi cęlos gyrant & mouent: hi commouebuntur, quia ipſi quaſi miniſtri diuinę iuſtitię & vindictæ in impios, mutabunt ordinem & modum ſolitum mouendi cęlos, qua de cauſa omnia inferiora miſcebuntur, ac ſurſum deorſum ibunt.

*Tertiò.* Verùm ſimpliciùs per *virtutes cælorum*, accipias ipſa ſidera eorumque influentias; ſiue vires influendi in hęc inferiora. q. d. in fine mundi aſtra cęli maxima & validiſſima, mutabunt ſuos motus, aſpectus, influentias, itaque omnia in terris perturbabuntur, vt terra inſolitis motibus quaſſetur, mare exundet; aër nubibus, cometis, fulgetris, tonitruis, alijſque meteoris & tempeſtatibus ita concutiatur, vt omnia euerti videantur.

*Quartò.* Denique pleniſſimè per *virtutes cælorum* accipias polos & cardines, qui ſunt quaſi δυνάμεις; hebr. גבורות *gibburoth*, id eſt, robora, fortitudines & firmamenta cęlorum, q.d. Cęli omnes in fine mundi concutientur, & è ſuis polis & cardinibus conuellentur, vt deorſum ruere videantur, idque vt hominibus impijs terrorem inijciant, ac Chriſti irati indignationem repræſentent. Hoc enim facere Deo eſt facile, ac terrori illius diei, impiorumque & mundi excidio congruum. Fuſiùs hac de regi Apoc.6. v.14. Alludit ad Iob.c.26.11. *Columnæ cęli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius*; & ad Iſaię c.34.4. *Tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur ſicut liber cæli, & omnis militia* (omnia ſidera) *eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea*, vide ibi dicta. Nam vt ait Beda in Lucę cap.21.v.25.& ſequ. *Quomodo impulſę ad caſum arbores fragoris motuſq; ſui præmittere ſolent indicia; ſic termino mundi appropinquante, quaſi patientia nutabunt ac trement elementa* & cæli, vt per ignem conflagrationis ardentia & quaſi morientia, cum Sanctis reſurgant, & in glorioſum felicitatis ſtatum innouentur. Multò plura mundi perituri indicia ſignaque pręuia, aſſignat Ioannes Apocal. toto cap.8.& 9.& 16. Vide ibi dicta.

Vers. 30. Luc. 21.27. Mar. 13.26.

Et tvnc parebit signvm Filii hominis in cælo: et tvnc plangent omnes tribvs terræ: et videbvnt Filivm hominis venientem in nvbibvs cæli, cvm virtvte mvlta, et maiestate] Syrus & Arabicus *gloria*. *Quodnam eſt ſignum Filij hominis?* Quęres, quodnam eſt ſignum Filij hominis, id eſt, Chriſti incarnati? Reſp. Eſt crux: hæc enim eſt ſignum, quia ipſa eſt vexillum Chriſti, & cauſa victoriæ fidelium; infidelium verò & impiorum olim fuit ſcandalum; ſed eorumdem in die iudicij erit condemnatio & tormentum, Ita S. Chryſoſt. Hieron. Hilar. Beda, Theophyl. Euthym. Ianſen. Maldon. & alij paſſim hîc ac S. Leo epiſt.97.& fuſè S. Auguſt. ſer.13. de Tempore, imò Eccleſia quæ in Officio S. Crucis canit: *Hoc ſignum crucis erit in cęlo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* *Crux erit in die iudicij; ob tres cauſas. Primò.* Cauſę cur crux apparebit, ſunt tres: Prima, vt ſignificetur Chriſtum per crucem ſibi hanc gloriam & poteſtatem iudiciariam meruiſſe. *Secundo.* Secunda, vt indicetur Chriſtū pro ſalute omnium fuiſſe crucifixum, ac proinde ingratos eſſe & inexcuſabiles, qui tantam eius gratiam & charitatem neglexerint, *Tertiò.* Tertia, vt oſtendatur omnes Chriſti crucifixi cultores, iam cum ipſo eſſe exaltandos in cęlum, & omnes eius oſores deijciendos in gehennam.

Ex hoc ergo Chriſti dicto, valdè probabile eſt ipſiſſimam Chriſti crucem, in die iudicij apparituram in cęlo, ad conſolationem Sanctorū, qui per illam ſaluati fuere, ideoque Chriſto crucifixo ſe in vita per patientiam & mortificationem conformare ſtuduerunt, ac condemnationem & exprobrationem impiorum, qui crucem Chriſti aſpernati, illique ingrati, voluptates ſuas cruci & mortificationi antetulerunt. Ita cenſet S. Chryſoſt. hom. de cruce & latrone, ac Thomas Waldenſ. tom.3. de Sacramentis tit.20. cap.198. Idem prædixit Sibylla lib.6. carminum, dum de cruce ita canit:

*O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit;*
*Nec te terra capit, ſed cæli tecta videbis,*
*Cùm renouata Dei facies ignita micabit.*

Contrarium tamen cenſet S. Anſelm. in Elucidario, Abulenſis & Ianſen. hîc; ſcilicet in die iudicii non comparituram veram Chriſti crucem, ſed ſignum ſiue imaginem crucis in aëre ab angelis formatum, & pictum; ac fauet vox *ſignum*.

Porrò S. Chryſoſt. & Auguſt. loco iam citato, ac Cyrillus catecheſi 15. docent, hoc crucis vexillum ab angelis deferendum antè conſpectum Chriſti iudicis, deſcendentis ad iudicium quaſi trophæum victoriæ, ac inſigne regale ſummæ poteſtatis & imperij.

*An & corona, flagella &c.* Inſuper noſter Salmeron: *Credunt*, ait, *Doctores Eccleſiæ cum cruce etiam columnam, flagella, ſpineam, coronam, clauos, ſpongiam, lanceam & reliqua paſſionis inſtrumenta, ob cauſas iam dictas appariturà in die iudicij, Vnde D. Thom. opuſc.2.c.244. aſſerit quòd veniēte Domino ad iudicium, ſignum crucis & alia paſſionis indicia demonſtrabuntur.* Hoc probabile eſt, at non certum, quia nuſquam expreſſum.

Denique tunc ſignum crucis apparebit in ſingulis electorum frontibus, iuxta illud Apocal.7.3. *Signemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum*: & illud Ezech.9.4. in ſenſu allegorico: *Signa thau* (id eſt, ſignum crucis) *ſuper frontes virorum gementium & dolentium*: vt ſignificetur illos per crucem perueniſſe ad gloriam, & merito crucis cælum poſſidere. Vide ibi dicta. Audi S. Auguſt. ſerm.130. de Tempore: *Conſideraſti quanta virtus ſit ſigni, hoc eſt crucis: ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum: crux verò fulgebit & obſcurabit luminaria cæli, delapſiſq; ſideribus ſola radiabit, vt diſcas quoniam crux & luna lucidior, & ſole erit præclarior, quorum ſplendorem, diuini luminis illuſtrata fulgore, ſuperabit. Quemadmodum enim ingrediente rege in ciuitatem, exercitus antecedit, pręferens humeris ſigna atque vexilla regalia, & ambitum præparationis armiſonæ, annuntiat regis introitū; ita Domino deſcendente è cælis, pręcedet exercitus angelorum, qui ſignum illud, id eſt, triumphale vexillū ſublimibus humeris pręferentes, diuinum regis cęleſtis ingreſſum terreſtriū mentibus nunciabunt*, Et inferiùs: *Sed quare crux apparebit tunc? vt cognoſcant conſilium iniquitatis.*

Plura de hoc crucis ſigno vide apud Suarez 3.p.tom.2.diſp.57.ſect.2.

Et tvnc plangent omnes tribvs terræ] id eſt, multi ex omnibus tribubus, ſcilicet omnes

omnes reprobi & damnandi plangent, quòd ſalutem ſuam quæ Chriſto tam carò ſtetit, vt crucifigi debuerit, neglexerint: electi enim gaudebunt & iubilabunt, quòd per crucem ſe ſaluatos & beatos videant. Eſt ergo hic diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, vt loquuntur Logici. Cauſam planctus dat S. Auguſtinus ſer. 130. de Tempor. dicens; *Quia tunc plangent omnes tribus terrę, videntes accuſatorē ſuum, id eſt, ipſam crucem, & in ipſo arguente cognoſcēt peccatum ſuum; ſerò & fruſtra fatebuntur impiam cæcitatem. Quid autem miraris ſi crucem afferens veniet, vbi & ipſa vulnera oſtendet?* Et S. Chryſoſtomus: *Et tunc*, ait, *plangent ſe omnes tribus terræ: Viſâ enim cruce, conſiderabunt quòd mortuo eo nihil profecerunt, & quoniam crucifixerunt eum quem adorari oportebat*. Et S. Hieronymus: *Rectè autem dicit tribus terræ: Hi enim plangent qui municipatum non habent in cælis, ſed ſcripti ſunt in terra.* Rurſum audi Chryſoſt. hic hom. 77. *Crucem autem ſecum habet, vt peccatum ipſorum ſine accuſatione condemnetur, veluti ſi quis lapide percuſſus ipſum lapidem, vel cruentas veſtes in teſtimonium oſtendat.*

*Chriſti exprobratio ad impios.* Porrò plangent, quia, vt ait auctor Imperfecti homil. 49. tunc Chriſtus impijs dicet & exprobrabit: *Ego propter vos homo factus ſum, propter vos alligatus, & deluſus, & cęſus, & crucifixus ſum; vbi eſt tantarum mearum iniuriarum fructus? Ecce pretium ſanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum veſtrarum, vbi eſt ſeruitus veſtra, quam mihi pro pretio ſanguinis mei debetis? Ego ſuper gloriam meam vos habui, cùm eſſem Deus apparēs homo, & viliorem me omnibus rebus veſtris feciſtis. Nam omnem rem viliſsimam terræ ampliùs dilexiſtis, quàm iuſtitiam meam & fidem.* Et nonnullis interiectis: *Meritò plangent ſe, quia tunc, neque pecuniæ diuitibus proſunt ad eleëmoſynam faciendam, neque parentes iuſti pro parentibus intercedunt, neque ipſi angeli pro hominibus, ſicut ſolebant; faciunt verbum, quia non recipit natura iudicij miſericordiam, ſicut nec tempus miſericordiæ iudicium, dicente Propheta: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Miſericordia in priori aduentu, iudicium in ſecundo.*

*Planctus S. Bernardi.* Audi plangentem, imò horreſcentem ſanctum Bernardum ſerm. 16. in Cant. *Paueo gehennam, paueo iudicis vultum ipſis quoque tremendum angelicis poteſtatibus. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempeſtate valida, à voce Archangeli, & à verbo aſpero. Contremiſco à dentibus beſtiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad eſcam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentē, fumum & vaporem & ſulphur & ſpiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores.* Vnde ingemiſcens ſubijcit: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum; vt præueniam fletibus fletum & ſtridorem dentium, & manuum pedumq; dura vincula, & pondus catenarum prementium, ſtringentium, vrentium, nec conſumentium? Heu me mater mea, vt quid me genuiſti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus vberibus, natus in combuſtionem & cibus ignis?*

Denique noſter Lud. Alcazar in Apocal. c. 6. ſub finem, ex Forerio hæc omnia ad litteram accipit de excidio Iudæorum per Titum? Tunc *enim*, inquit, *plangent omnes tribus terræ*, id eſt, omnes gentes ad Chriſtum traducentur, & pœnitendo plangent peccata ſua: ac *videbunt filium hominis in nubibus*; cùm ſcilicet Chriſtus eis per Apoſtolos gloriam prędicationis Euangelicę, velo ſermonis quaſi obtectam oſtendet. *Et mittet angelos cum tuba*, id eſt, ſuos concionatores, cum tuba prędicationis Euangelicæ; *& congregabunt electos à quatuor ventis*, ſcilicet eos prædicatione ſua ad Chriſtum conuertent. Fatetur tamen Alcazar Chriſtum alludere ad diem iudicij, indeque ſumere comparationem. Verùm ad litteram hîc agi de excidio orbis, non vrbis, liquet ex dictis, & ex Patrum interpretumque conſenſu: quare illa Alcazarij explicatio ſymbolica & ingenioſa eſt accommodatio, non litteralis explanatio.

*Nubes, cur? Cauſa. Prima.* ET VIDEBVNT FILIVM HOMINIS VENIENTEM IN NVBIBIS CÆLI] Cauſæ ſunt, Prima, vt nubes temperet eximiam claritatem corporis Chriſti, quæ alioqui oculos reproborū excęcaret. *Secunda.* Secunda, quia nubes ſymbolum & arcanæ diuinitatis. *Tertia.* Tertia, quia nubes ſedes eſt, æquè ac vehiculum & vmbraculum glorię Chriſti. Hinc paſſim in veteri teſtamento Deus Moyſi & Prophetis apparebat in nube, vt patet Ezech. 1. 4. Exodi 19. v. 9. & 18. Alludit ad Daniel. 7. 13 *Ecce in nubibus cęli, quaſi filius hominis veniebat.* Vide quę hiſce locis annotaui.

CVM VIRTVTE MVLTA ET MAIESTATE] Gręcè, *cum magna fortitudine & gloria*, Lucas c. 21. v. 27. *cum poteſtate magna.* Sicut enim Chriſtus in primo ſuo in carnem mundumque aduentu venit in magna carnis infirmitate, vilitate & contemptu: ſic eodem meruit, vt in ſecundo veniat cum magno robore, gloria & maieſtate. Robur eius & fortitudo apparebit in eo, quòd ipſo iubente, omnes mortui, à morte reſurgent in momento, quòd omnes homines, angeli & dæmones, ipſum vt Deum, Dominum & iudicem ſuum, ſuſcient & venerabuntur; quòd in omnes pro meritis feret ſententiam, eamque efficacem, cui nullis reſiſtere aut contradicere audeat. Maieſtas apparebit in immenſo corporis ſplendore, in angelorum omnium ipſum ſtipantium multitudine & decore, in nubis coruſcantis amictu, item in præuiis tubis, tonitribus, fulguribus, terræ motibus, &c. Vide Suarez 3. part. tom. 2. diſp. 57. ſect. 3.

ET MITTET ANGELOS SVOS CVM TVBA, ET VOCE MAGNA: ET CONGREGABVNT ELECTOS EIVS A QVATVOR VENTIS, A SVMMIS CÆLORVM VSQVE AD TERMINOS EORVM] *Vers. 31. Mar. 13. 27.* Eſt hyſteron proteron, ſiue inuerſus ordo: nam priùs Chriſtus mittet angelos cum tuba, imò tubis multis toto orbe perſonantes, vt omnes mortuos & ſepultos ad vitam euocent, & ad iudicium citent. Canente enim hac tuba, angeli plurimi ſingulorum mortuorum cineris colligent, ex iiſque ſpeciem corporis humani efformabunt, quod deinde organizabit & animabit Deus; animatos deinde, ſi ſint ſancti & electi, glorificabit & beabit: quare iam Beati ipſi per dotem agilitatis ſibi inditam, illicò ex quibuſlibet mundi partibus transferent ſe comitantibus vel ducentibus angelis, in vallem Ioſaphat ad iudicium: reprobi verò quia carebunt dote agilitatis, vel à dęmonibus, vel potiùs ab angelis rapientur. Plura de hac tuba dixi 1. Theſſal. 4. v. 15. Ea ſi lubet conſule.

A QVA-



A QVATVOR VENTIS] Id eſt, à quatuor, ſiue ab omnibus mundi plagis, à quibus totidem venti ſpirant. Nam Eurus ſpirat ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auſter à Meridie, Aquilo à Septemtrione. Vnde explicans ſubdit:

A SVMMIS CÆLORVM, VSQVE AD TERMINOS EORVM] Græcè ἀπ' ἄκρων ἕως ἄκρων, id eſt, ab extremo ad extremum, hoc eſt à termino vno cæli & terræ, vſque ad alium eorumdem terminum, v. g. ab Oriente vſque ad Occidentē: ἄκρα enim ſignificat extrema quælibet, ſiue ſint ſumma, ſiue infima; ſiue dextra, ſiue ſiniſtra. Marcus c. 13. v. 27. habet: *A ſummo terrę vſque ad ſummum cęli*, quod idem eſt cum eo quod habet Matthęus. q. d. Ab vno extremo terrę, vſque ad aliud extremum cæli & terræ. In extremitatibus enim ſuis, terra aſpicientibus videtur iungi & cohærere cælo: in horizonte enim apparet terræ æquè ac cæli finis, quaſi ibi terra cælo copuletur, ac cęlum in terram arcuando deſinat, terræque inſiſtat. Nil tamen obſtat, quin *extrema cęli* hic propriè capiantur. q. d. Angeli congregabunt electos vbicumque ſint, ſiue in cęlo, ſiue in terra. Nam corpora Patriarcharum, qui cum Chriſto reſurrexerunt, ſunt in cęlo: vnde è cęlo deſcendent in vallum Ioſaphat tempore iudicij extremi.

Prius tamen videtur germanius, quia magis conſentit cum verbis Matthęi, & cum quatuor ventis: Marcus enim ſequi ſolet Matthęum.

*Vers. 32. Luc. 21. v. 29. 30. Mar. 13. 28.* AB ARBORE AVTEM FICI DISCITE PARABOLAM] q. d. A ficu diſcite ſimilitudinem, diſcite ex fici analogia, id quod dixi de ſignis excidij orbis, cùm illud imminebit. *Ficus proprietates.* Fici præ aliis arboribus meminit Chriſtus, quia ficus non niſi inſtante calore germinat frondes & groſſos, eò quòd ſuccus eius ſit dulciſſimus, ideoque concoctus; ad hoc autem opus eſt calore æſtatis. Hinc Ariſtoteles lib. 9. Hiſtor. animal. docet apum, quæ non niſi æſtate volant & mellificant, cibum eſſe ficum, indeque conficere mel: ficus enim non aliud eſt, quàm burſa mellis. Idem lib. 8 cap. 21. aſſerit, porcos pręcipuè ali & ſaginari ficubus, & cap. 7. ait, boues pingueſcere dulcibus, vt ficu & paſſa. Idem lib. 3. cap. 10. docet, ficum ſimilem eſſe lacti, illudque coagulare, *Cogitur lac*, inquit, *ſucco ficulno & coagulo. Succus lanæ exceptus pauxillo lacte abluitur; quod miſtum lactis copiam denſat atque colluſtrat*: eius enim ſuccus eſt lacteus, ait Plinius. Rurſum ficus non floret, ſed ex fronde immediatè fructus producit, eoſque illicò maturat. Vnde Plinius lib. 15. cap. 19. *Admirabilis*, ait eſt, *pomi huius* (fici) *feſtinatio, vnius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ.* Ad hæc, ficus prę omnibus fructibus ſuauis eſt, percocta nil habens cruditatis, ideoque ſapidiſſima & ſuauiſſima. Vnde idem lib. 15. cap. 19. *Ficus*, ait, *mollis omnibus tactus: maturis frumenta intus, ſuccus matureſcentibus lactis, percoctis mellis.* Additque, *panis ſimul & obſonij vicem ſiccatæ implent; vtpote cùm Cato cibaria ruris operarijs iuſta ceu lege ſanciens minui iubeat per fici maturitatem, cùm & obſonij vicem habeant recentes ficus.* Inſuper ficus eſt fertiliſſima, adeò vt in Hyrcania ſingulę ficus quotannis proferant modios 270. ait Plinius ibidem cap. 18. Additque Romulum & Remum ſub ficu nutritos à lupa, adeoque ficum Romæ coli in foro.

*Competunt Sanctis.* Symbolicè ergo per ficum innuit Chriſtus, Sanctos & electos debere proferre dulciſſimos & plurimos bonorū operum fructus, vt per eos mereantur in æſtate reſurrectionis guſtare dulcedinem, & copiam cęleſtis gloriæ in omnem æternitatem.

Ficus denique cauſa fuit excidij Carthaginis. Cato enim, ait Plinius lib. 15. c. 18. *cùm clamaret: omni ſenatu Carthaginem delendā, attulit quodam die in curiam pręcocem ex ea prouincia ficum. Oſtendenſq; patribus, Interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? Cùm inter omnes recens eſſe conſtaret. Atqui tertium, inquit, ante diem, ſcitote decerptum Carthagine, tam propè à muris habemus hoſtem: ſtatimq; ſumptum eſt Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta eſt.*

Simili modo ſigna hęc, quę Chriſtus comparat ficui, erunt cauſa excidij orbis.

CVM IAM RAMVS EIVS TENER FVERIT, ET FOLIA NATA, SCITIS QVIA PROPE EST ÆSTAS] Ob cauſam iam dictam, quia ſcilicet ſuccus fici dulciſſimus in hyeme ſe colligens, latenſque in radice, ſub ęſtatem per calorem aëris elicitus, ſe diſpergit in ramos, ibique in frondes & ficus erumpit. Vnde ſicut arbor morus non germinat niſi poſt tranſacta frigora (ne ab eis germina lædantur) appetente iam calore & æſtate, ſic & ficus; indeque dicta eſt morus quaſi μωρὸς, id eſt fatua, eò quòd minimè ſit fatua, ſed arborum ſapientiſſima.

ITA ET VOS CVM VIDERITIS HÆC OMNIA, (ſigna iam dicta) SCITOTE QVIA PROPE EST IN IANVIS] *Vers. 33. Luc 21. 31. Mar. 13. 29.* Imminet, imò quaſi per ianuam, iam in terram ingreditur Chriſtus iudex, eiuſq; glorioſum regnum, ac veſtra *redemptio* (vt habet Lucas) hoc eſt reſurrectio & gloria ſempiterna. *Redemptio* enim ſignificat liberationem ab omnibus malis & miſerijs, quę erit meſſis, & poſt hiemem hanc æſtas lętiſſima electis omnibus, vt innuit hęc parabola. q. d. Sicut frondente ficu imminet æſtas, quæ ſuauiſſimos ficus, cęteroſque fructus producit, ſic cum videritis electos frondere tanta patientia, in hieme tantarum tribulationum, quę eis accident in fine mundi, ſcitote quòd inſtet eis patientiæ merces, ſcilicet æſtas reſurrectionis & felicitatis, quę omnium bonorum fructus & dotes eis cumulatè afferet, beante & glorificante eos Chriſto iudice.

AMEN DICO VOBIS, QVIA NON PRÆTERIBIT GENERATIO HÆC, DONEC OMNIA HÆC FIENT] *Vers. 34. Luc. 21. 32. Mar. 13. 30.* *Generatio* hęc, ſcilicet hominum omnium, id eſt hoc ſæculum, quod deinceps erit vſque ad finem mundi. ita Hieronymus, q. d. Ante finem mundi hæc omnia dixi euenient.

Secundò, Origenes, S. Hilarius, & Chryſoſt, preſſiùs accipiunt *generationem*, vt ſignificet genus fidelium ſiue Chriſtianorum recèns à Chriſto genitum, cui Chriſtus in Apoſtolis loquebatur, iuxta illud: *Hæc eſt generatio quærentium Dominum*, pſalm. 23. 6. q. d. Chriſtianiſmus, quem induxi, non finietur, donec Chriſtiani qui mihi fideliter ſeruierunt, à me præmientur, beentur & coronentur in die iudicij.

CÆLVM ET TERRA TRANSIBVNT, VERBA AVTEM MEA NON PRÆTERIBVNT] *Vers. 35. Luc. 21. 33. Mar. 13. 31.* *Tranſibunt*, id eſt mutabuntur, eſſe deſinent, peribunt ſecundùm pręſentem conditionem & ſtatum, vt in meliorem tranſeant, ac cum Beatis glorificentur.

Addunt nonnulli cælos in fine mundi mutandos, quoad formam & ſubſtantiam, de qua re fusè diſputaui 2.Petri 3.13.& Iſaiæ 34.4.

Denique poſſet hæc gnome accipi, non aſſertiuè, ſed comparatiuè. q.d. Citiùs cæli tranſibunt & peribunt, quàm mea verba tranſeant & pereant. Sicut ergo cæli, vtpote ſolidiſſimi, qui quaſi ære fuſi ſunt, vt ait Iob, numquam peribunt, ſic multò magis verba, id eſt oracula & decreta mea non excident, ſed reipſa complebuntur; quia cælis ipſis ſunt ſolidiora & firmiora. ita Ianſenius. Ego enim verbo meo cælos creaui & ſolidaui. Ita S. Chryſoſt.

VERS.36. Mar.13.32. DE DIE AVTEM ILLA (aduentus mei glorioſi ad iudicium, vt electos beem, & ad regnum cæleſte traducam) ET HORA NEMO SCIT, NEQVE ANGELI CÆLORVM (incolæ, motores & præſides) NISI SOLVS PATER] q. d. Nolite, ô Apoſtoli, quærere ex me quando ſim rediturus iudex, ac qua die futurum ſit iudicium vniuerſale; quia nemo id ſcit niſi Deus, qui alium quemuis id ſcire non vult, *Repreſſit eos*, ait ſanctus Chryſoſtomus, *ne diſcere vellet quod angeli neſciunt.* Porrò de tempore finiendi mundi variæ ſunt ſententiæ.

*Quantum durabit mundus? Opinio Prima.*

Primò, multi opinantur, mundum finiendum poſtquam ſteterit ſex millibus annorum, ſicut ſex diebus idem conditus eſt Geneſ. 1. iuxta illud Eliæ dictum vel oraculum: *Sex millia mundus.* Hæc opinio eſt probabilis, vti fusè oſtendi Apocal.20.v.4.

*Secunda.*

Secundò, alij putant tot fore annos mundi poſt Chriſtum, quot fuere ante eum. Id ab eis colligitur ex illo Abucuc cap.3.v.2 *Dominus opus tuum, in medio annorum viuifica illud. In medio annorum notum facies.* Sed alius illius loci eſt ſenſus, vt ibidem oſtendi.

*Tertia.*

Tertiò, alij cenſent, tot iubileos annorum in Chriſti corpore myſtico, puta in Eccleſia Chriſtiana, fore, quot annos ipſe vitæ compleuit, putà 34. qui multiplicati per 50 (hic eſt enim numerus iubilei) faciunt annos 1700. Tot annis ergo putant duraturum Chriſtianiſmum, ac deinde fore militantis Eccleſiæ mundique finem, ac triumphantis initium. Ita Cardin. Cuſanus tract. de hacre.

*Quarta.*

Quartò, Chriſtianus Druthmarus, qui floruit anno Chriſti 800. ſcripſitque in Matthęum: *Maiores noſtri*, inquit, *ſcriptum reliquere, quòd octauo Calendas Aprilis (die 25. Martij) mundus factus eſt. Dominus conceptus & paſſus, & ſimiliter mundus deſtruendus erit, ſed quo anno id futurum ſit, non dicunt.* Verum hæc incerta ſunt, & ſine fundamento aſſeruntur.

*Quinta.*

Quintò, nuper nouus calculator, veriùs ioculatur, aſſeruit diem iudicij inſtare, ac fore anno Domini 1666. Naſciturum enim Antichriſtum anno Chriſti 1626. regnaturum vt monarcham anno Chriſti 1656. moriturum anno Chriſti 1660. ac denique finem mundi fore anno 1666. tumque futurum iudicium. Probat id Primò, ex eo, quòd hic annus Chriſti 1666. ſit annus à creato mundo 6666 qui numerus eſt perfectus, ac proinde illo perficietur curſus mundi. Secundò, quòd veterum ſit ſententia, mundum duraturum per ſex millia annorum. Tertiò, quòd prima mundi conſummatio per diluuium tempore Noë facta ſit anno à mundo creato 1566. Ergo ſecunda mundi per ignem conflagratio, pariter fiet anno à mundi per Chriſtum recreato 1656. quia ſcilicet tunc regnabit Antichriſtus, qui paulò pòſt finem mundi inducet anno Chriſti 1666. Quartò, quia S. Ioannes Apocal.13.18. numerum beſtię, id eſt Antichriſti, ait fore 666.

Si obiicias dictum Chriſti: *De die autem illa nemo ſcit*, reſpondet, *nemo ſcit*, ſcilicet in præſenti. q.d. Nemo nunc ſcit diem iudicij, cui non obſtat quòd poſtea quis, ſiue per reuelationem, ſiue aliundè id ſciturus ſit.

Verùm hæc friuola & anilia ſunt, vti fusè oſtendit Remaclus de Vaux libro contra hunc calculatorem edito, cui titulus *Harpocrates* ſiue *ſilentium*, vbi oſtendit *τὸ nemo ſcit* ad ſequentia tempora extendi. q.d. Nemo ſcit, neſciet: nam, vt ait Theophyl. *Hoc dum dicit; etiam prohibet eos anniti, vt diſcant poſtea.* Quod enim Chriſtus neſcit, quis ſciet?

Porrò calculator ille errat in fundamento: nam necdum exacta ſunt ſex millia annorum à condito mundo: quare annus Chriſti 1666. non erit annus mundi 6666. vt ipſe ait, ſed 5606. Quare acquieſcamus Chriſto dicenti, *De die illa autem & hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, ſed ſolus Pater.*

*An ſolus Pater ſciat conſummationis ſæculi diem & horam, non verò Filius?*

SED SOLVS PATER] Qui ab æterno in mente ſua tempus huius diei ſtatuit & decreuit, illudq́, apud ſe decretũ ſeruat. Porrò per *τὸ ſolus*, nõ excluditur Filius, nec Spiritus ſanctus: nam & ipſi ſciunt diem & horam iudicij æquè ac Pater, cùm eadem omnibus ſit eſſentia, maieſtas, voluntas, mens, poteſtas, intellectus & ſcientia. Regula enim Theologorum eſt, quòd *τὸ ſolus*, ſi addatur attributis eſſentialibus Dei (quale eſt ſcientia) tribuaturque vni perſonæ diuinæ, non excludat reliquas duas, ſed tantùm creaturas, quæ alterius ſunt eſſentiæ & naturæ: at in attributis notionalibus, *τὸ ſolus* excludit alias perſonas diuinas; vt cùm dicitur, Solus Pater generat, ſolus Filius generatur, &c.

Dices, Marcus ca.13.32. addit, *Neque filius*: ſic enim habent Gręcus, Latinus, Syrus, Arabicus, Ægyptius, Æthiopicus, Perſicus. Varij hîc variè reſpondent. Optima reſponſio eſt communis illa Patrum; ſcilicet Filium & vt Deum, & vt hominem, per ſcientiam infuſam ſcire diem iudicij, & conſummationis ſæculi; hoc enim ſcire ad ipſum qui iudex mundi eſt conſtitutus pertinet. Negat tamen Chriſtus id ſe ſcire vt homo eſt, & vt Dei legatus erat ad nos, quia non ita ſciebat vt reuelare illum hominibus poſſet, ſiue illud reuelare non habebat in mandatis à Patre. Sicut legatus ſi rogetur de ſecretis regis ſui, verè reſpondet ſe ea neſcire, etiamſi illa ſciat, quia illa neſcit vt legatus: vt legatus enim tantùm refert illa, quæ illi à rege dicenda commiſſa ſunt: ſecreta enim ab eo taceri iuſſit rex.

Senſus ergo eſt, q.d. Solus Deus ſcit, quo anno, die & hora futurus ſit finis mundi, dieſque iudicij, ac licet Deus me Chriſtũ, vt homo ſum, idem ſcire fecerit, me inquam, vt homo priuatus ſum, quia Verbo vnitus; non tamen vt ſum publicus eius ad hominem legatus, quia Pater noluit me diem illum hominibus reuelare, ſed voluit me illum ſeruare ſecretum, vt homines ſemper ſuſpenſos teneat, incitetque ad illum continuè



nuè ſe comparare: quare nolite, ô Apoſtoli, curioſè de illius tempore à me exquirere, quod vobis dicere non poſſum, & vt legatus neſcio. Simile eſt Ioann. 15.15. ita S. Hieron. Chryſoſt. Origenes, Beda, Theophyl. hîc, & S. Auguſt. lib. 83. Quæſt. q.61. & Franc. Suarez 3. part. q. 10. art. 2.

Huc referuntur illi, qui ſic explicant, q. d. Chriſtus quà homo neſciuit diem iudicij, ſciuit tamen eum quà homo Deus. q. d. Chriſtus homo ſciuit diem iudicij vi non humanitatis, ſed diuinitatis ſuæ. ita S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arrian. Nazianz. orat. 4. de Theolog. Cyrillus libr.9. Theſauri cap.4. Ambroſius libr.5. de Fide cap.8.

Aliter reſpondet Maldonatus, ſcilicet Chriſtum, etiam quà Deus eſt, non ſcire diem iudicij, quaſi ex officio, quia ſolius Patris officium eſt prædeſtinare, decernere & conſtituere diem iudicij, ac conſequenter illum noſſe & reuelare cùm voluerit: Patri enim appropriatur prouidentia, cuius pars eſt prædeſtinatio. Sed hæc expoſitio eſt acutior & abſtruſior: prior verò iam data ſolidior eſt, & planior.

*Agnoëtæ hæretici.*

Porro Agnoëtæ, hæretici habiti ſunt, quòd dicerent Chriſtum diem iudicij ignoraſſe, teſte Damaſceno lib. de Hæreſibus. Dicti ſũt Agnoëtę id eſt ignorantes: horum auctor fuit Theophronius (qui & Themiſtius dictus eſt) tempore Valentiniani Imp. & Liberij Pontificis ſub annum Domini 365. Ita Nicephorus lib.18.c.50. Vide Gabrielem Prateolum de Hęreſibus lib.1. c.19. Ad eos ex parte alludit Origenes tract.30. in Matthęum, qui cenſet Chriſtum, cùm hęc diceret, ignoraſſe diem iudicij, ſciuiſſe verò eum poſt ſuam reſurrectionem: tunc enim conſtitutus à Patre eſt iudex viuorũ & mortuorum. Verùm hic quoque eſt error: Chriſtus enim ab initio conceptionis ſuæ fuit plenus ſapientia & gratia: quare in neutra creſcere potuit.

VERS.37. Luc.17.26. SICVT AVTEM (fuit, contigit, vel accidit) IN DIEBVS NOE, ITA ERIT (continget & accidet) ET ADVENTVS FILII HOMINIS] q. d. Sicut inopinatum & ſubitum fuit diluuium quod omnes obruit, ſic inopinatus & ſubitus erit aduentus meus, qui omnes comprehendet. Patet ex ſequent.

VERS.38. Luc.17.27. SICVT ENIM ERANT IN DIEBVS ANTE DILVVIVM, COMEDENTES ET BIBENTES (epulantes & conuiuantes ſine cura & ſollicitudine, *& tamquam nullo venturo malo laſciuientes*, ait Chryſoſt.) NVBENTES ET NVPTVI TRADENTES Græcè, γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες, id eſt *ducentes vxores, & ad nuptias dantes*, filias, ſorores vel cognatas ſuas *viris in* vxores) VSQVE AD EVM DIEM QVO INTRAVIT NOE IN ARCAM.

VERS.39. Luc.17.v.27.30. ET NON COGNOVERVNT, exitium & ſubmerſionem ſibi imminentem, DONEC VENIT DILVVIVM, ET TVLIT OMNES: ITA ERIT ET ADVENTVS FILII HOMINIS] ſubitus, inexſpectatus & occupans incautos.

Dices, Ex ſolis & lunæ obſcuratione, ſtellarum caſu, aliiſque ſignis horrendis cognoſcent homines inſtare finem mundi. Vnde ait Lucas, *Areſcẽtibus hominibus præ timore & exſpectatione eorum, quę ſuperuenient vniuerſo orbi*: ergo finis mundi non erit eis inopinatus. Reſp. Poſt ſolis & lunæ obſcurationem, reliquaque ſigna præuia, dabit Deus aliquod tempus quietis & pacis, ac tum homini obliti ſignorum, dabunt ſe voluptatibus, gulę & luxuriæ, vt antè: quare tunc Deus finem illis mundoque inducet, omneſque ſubito interitu obruet. Simili modo moribundi ſubinde reualeſcere videntur, ſed illicò in morbum recidunt ac moriuntur; perinde ac candela deficiens, extremum conatum exerens, flammulam, quaſi ſpiritum emittit, ac illicò extinguitur. Rurſum tanta tunc erit multorum impiorum duritia & improbitas, vt, etiamſi videant ſolem & lunam obſcurari, ceteraque ſigna; tamen gulæ & luxuriæ quibus aſſueuerant, inhient, nec cogitent de fine mundi & die iudicij inſtante, vti fecit Baltaſſar conuiuans cum ſuis ea nocte quâ a Cyro obſeſſus & occiſus eſt, donec vidit manum fatalem ſibi exitium deſcribentem, per *Mane, tekel, phares*, Daniel. 5. Vide ibi dicta. Vnde S. Auguſtinus epiſt.80. docet pios in fine mundi ob hæc ſigna fore mœſtos, impios verò genio indulturos & exultaturos. Et S. Chryſoſtomus hîc: *Pax*, ait, *& laſciuia inſenſatis erit, iuſti vitam in tribulatione trahentes mærebunt.* Quocirca ſubijcit Chriſtus:

*Inter ſolis & lunæ obſcurationem & iudicij diem intercedet aliquid temporis quieti ſpatium.*

TVNC DVO ERVNT IN AGRO: VNVS ASSVMETVR, ET VNVS RELINQVETVR] q.d. In die iudicij Chriſtus ſeparabit ſocium à ſocio, vicinum à vicino, v.g. agricolam ab agricola, ac eum qui iuſtè pieque vixit, aſſumet ſecum ad gloriam in cęlum, alterum qui impiè vixit, relinquet in ſuis ſceleribus, ac reprobabit damnabitque ad pœnas æternas. Nam vt ait S. Ambroſ. in Lucæ cap.17.35. *Qui aſſumitur, rapitur obuiam Chriſto in aëra, qui autem relinquitur, improbatur.* Dicit hoc Chriſtus, tum ne quis fidat bonę ſocietati, quòd inter pios viuat, tum vt oſtendat quàm ſubtile & exactum ſit futurum iudicium, quod patrem à filio, vxorem à marito, fratrem à fratre ſecernet & diuidet. VERS.40.

DVÆ MOLENTES IN MOLA: VNA ASSVMETVR, ET VNA RELINQVETVR] Idem dicit, per aliud exemplum molentium: olim enim vtebantur molis, non aqua vel vento circumactis, ſed truſatilibus, quas verſabant ſerui & ancillæ, itaque farinam conficiebant, vt patet Exodi 11.5. *In mola*, græcè, ἐν τῷ μύλωνι, id eſt, *in piſtrino*: ibi enim erant molendina, vt molitam farinam mox pinſerent, & panes conficerent. VERS.41. Luc.17.35.

VIGILATE ERGO, QVIA NESCITIS QVA HORA DOMINVS VESTER VENTVRVS SIT] q.d. Vigilantes, aſſiduè cogitate mortem eſſe certam, diem verò mortis incertum. Idem dico de die iudicij tum particularis, quod in morte cuiuſque peragitur; tum vniuerſalis quod fiet in fine mundi: quare ad vtramque vos comparare aſſiduè, virtutibus & bonis operibus incumbendo. Nam vt ait S. Hieronymus in cap.2. Ioëlis: *Quod in die iudicij futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis impletur.* Et ſanctus Auguſtin. epiſt.80. *In quo quemque ſtatu*, inquit, *inuenerit ſuus nouiſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouiſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo iudicabitur.* Vnde infert: *Ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum eum inueniat aduentus Domini. Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit ſuæ vitæ huius vltimus dies.* VERS.42. Luc.21.36. Mar.13.33.

Porrò cauſa cur Deus voluerit hunc diem nobis eſſe incertum, eſt, vt hæc incertitudo nobis aſſiduè ſit acer ſtimulus ad omne virtutis ſtudium. Nam vt ait S. Chryſoſtomus, & ex eo Euthymius: *Si ſcirent homines, quando ſunt potiſſimum morituri, ea prorſus hora pœnitere ſtuderent, & diligentiam circa illam horam oſtenderent. Ne igitur illo ſolummodo tempore, ſed continuè diligentes ſint, perq́; totam vitam, magno ſtudio ſatagant ſe paratos tenere ad communem omnium finem, & eum qui cuique proprius eſt, fecit Deus vt ignorarent, furiſq́; inſtar venturum prædixit.*

*Fraus dæmonis qua mortis metum elidit.*

Idcirco diabolus, vt hunc incertitudinis ſtimulum hominibus eripiat; eum per partes concidit & elidit, ac ſingulis perſuadet vitam ſaltem vnius anni, atque eo finito, ſequentes & ita deinceps ſine fine: facit enim vt videantur ſibi homines adeò vegeti & valentes, vt facilè adhuc annum vnum viuere queant. Singulis ergo annis hoc renouat, ac menti eorum ingerit: Tu rectè vales, ideoq́ue hoc anno non morieris: quo fit, vt quaſi certi de vita, ſingulis annis pœnitentiam & bona opera negligant, differantq́ue ad annum quo morientur: vnde cùm annus ille, qui morti ſingulorum à Deo decretus eſt aduenit, illo pariter ſe non morituros ſibi perſuadent; hinc fit, vt ſemper imparatos & ſecuros, tandem mors certa & dies vltimus inuadat & obruat. Quare hoc diaboli principium, vt erroneum elidendum eſt, & contrarium menti infigendum, vt quiſque ſibi initio cuiuſlibet anni, imò diei dicat: Vita tibi breuis eſt, mors certa, dies mortis incerta. Vt ergo incerta te non præoccupet, certam quotidie expecta, tibiq; dicito: *Tu hoc anno, hoc die fortè morieris: ſic ergo viue, quaſi hoc die moriturus.* Hoc documentum ſuis dabat S. Antonius teſte S. Athanaſio; *Cùm*, inquit, *excitati à ſomno, ad veſperam nos peruenire dubitemus, & quieti corpora concedentes de lucis non confidamus aduētu, &c. non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur, nec iraſcemur quidem, nec terrenos congregare theſauros ambiemus, quin potiùs metu quotidiani proceſſus, omnia caduca calcabimus.* Barlaam idem quoque docuit ſuum Ioſaphat: *Hodie*, inquit, *te vitam Religioſam inchoaſſe cogita, hodie quoque finiturum.* Ita Damaſcenus in Hiſtor. S. Hieronymus: *Sic viue*, ait, *quaſi quotidie moriturus: ſic ſtude tamquam ſemper victurus.* S. Marcella, ait S. Hieronymus epiſt. 16. ad Principiam, *laudabat illud Platonicum, qui philoſophiam meditationē mortis eſſe dixit; & præceptum Satyrici: Viue memor leti, fugit hora. Sic ergo vixit, vt ſemper ſe crederet eſſe morituram ſic induta eſt veſtibus, vt meminiſſet ſepulchri, offerens ſe hoſtiam rationabilem, viuam, placentem Deo.* Quin & Poëta:

*Remedium: ſic viue quaſi hodie moriturus.*

*Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*

VERS. 43. Luc. 12. 39. ILLVD AVTEM SCITOTE, QVONIAM SI SCIRET PATER FAMILIAS, QVA HORA FVR VENTVRVS ESSET, VIGILARET VTIQVE, ET NON SINERET PERFODI DOMVM SVAM] Supplenda eſt, hîc altera & aduerſa parabolæ pars, quæ ſubintelligitur, hoc modo, Sed quia hanc horam ignorat, nec ceteris omnibus vigilare vult aut poteſt, hinc fur more ſuo, illa hora venit, qua eum non vigilare, ſed dormire putat, itaq́ue eo dormiente domum eius ſpoliat & diripit. Hunc eſſe ſenſum liquet ex Grçco; hic enim in prçterito ſic habet: *Si ſciuiſſet paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaſſet vtique; & non permiſiſſet perfodi domum ſuam.* Supple q. d. Quia autem hanc horam neſciuit, ideo non vigilauit, & permiſit domum ſuam à fure perfodi & diripi. Hinc fur dicitur à furuo, id eſt atro, quòd per obſcuras & atras noctes furetur, ait ex Varrone Nonius.

*Furis etymon.*

Per furem S. Hilarius accipit zabulum, id eſt diabolum: *Furem*, inquit, *eſſe oſtēdit zabulum ad detrahenda ex nobis ſpolia peruigilem, & corporū noſtrorū domibus inſidiantem, vt ea incurioſis nobis & ſomno deditis conſiliorum ſuorum, atque illecebrarum iaculis perfodiat. Paratos igitur eſſe nos cōuenit, quia diei ignoratio intentam ſolicitudinem ſuſpenſæ expectationis exagitat.* Verùm meliùs accipias Chriſtum: ſic enim explicat ipſe Chriſtus, applicans ſibi hanc furis parabolam v. ſequenti, dicenſque:

*Chriſtus comparatur furi, cur.*

VERS. 44. Luc. 21. 40. IDEO ET VOS ESTOTE PARATI, QVIA QVA NESCITIS HORA FILIVS HOMINIS VENIET] Ad iudicium, tum particulare animæ veſtræ in hora mortis, tum vniuerſale omnium hominum in fine mundi. Chriſtus ergo comparat ſe furi, non quoad actum furandi, ſed quoad ſilentium & ſecretum, quo fur captat horam, qua putat herum abeſſe vel dormire, itaq́ue incautum clam inuadit, domumq́ue eius perfodit & ſpoliat. Simili enim modo Chriſtus incautos & inopinatos, vocat ad mortem & iudicium. Vnde Apocal. c. 16. 15. ſingulos prçmonens ait: *Ecce venio ſicut fur.* Et Paulus 1. Theſſal. 5. 4. *Vos autem fratres*, inquit, *non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehēdat: omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei, &c. Igitur non dormiamus ſicut ceteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus.* Verè dixit ſapiens: *Vita mortalium vigilia.*

Huius ſententiæ Chriſti veritas, quotidiana liquet experientia. Videmus enim pleroſque homines rapi ad mortem eo tempore, quo ſibi ſani eſſe videntur, ac magna animo moliuntur, vt mortem longè à ſe abeſſe putent, vitamque ſibi multos annos promittant. Quare tum ex hac experientia, tum ex hoc Chriſti monito, contrarium facere debent, vt cùm ſibi ſaniſſimi videntur, mortem ſtare in limine domus abſconditam arbitrentur, ac tum ſe morituros credant, cùm longioris vitæ cogitationes & ſpes vel à diabolo, vel à concupiſcentia ſuggeruntur. Ita fiet, vt numquam fallat eos dies mortis incerta, nec eos vt fur comprehendat.

*Exempla parantium ſe ad iudicium. Ammon Abb.*

Ita fecere viri ſapientes & ſancti in Vitis Patrum, lib. 5. libello 3. de compunctione num. 2. Abbas Ammon hoc cuidam dat ſalutis monitum: *Cogita ſicut faciunt iniqui, qui ſunt in carcere: Illi enim interrogant homines, Vbi eſt iudex, & quando veniet? & in ipſa expectatione pœnarum ſuarum plorant. Ita & monachus debet ſemper ſuſpectus eſſe, & animā ſuam obiurgare dicendo: Væ mihi quomodo habeo adſtare ante tribunal Chriſti, & quomodo habeo ei actuum meorum reddere rationem? Si igitur ſemper ſic meditatus fueris, poteris ſaluus eſſe.* Et num. 3. Abbas Euagrius: *Illud diuinum*, ait, *horrendum atque terribile imaginare iudicium. Adduc ad medium repoſitam peccatoribus confuſionem, quam paſſuri ſunt in conſpectu Chriſti & Dei, & coram Angelis & Archangelis, Poteſtatibus, & vniuerſis hominibus: ſed ſupplicia omnia, ignem æternum, vermem immortalem, tartarorum tenebras, & ſuper hæc omnia dentium ſtridores, & timores & tormēta. Adduc etiam & bona quç ſunt iuſtis repoſita, fiduciam ante Deum Patrem & Chriſtum eius filium, coram Angelis & Archangelis & Poteſtatibus, atque omni plebe, regnum cælorum & dona eius, gaudium & requiem*, &c. Et num. 4. Abbas Elias ait: *Ego tres res timeo: Vnam, quando egreſſura eſt anima mea de corpore; aliam, quando occurſurus ſum Deo; tertiam, quando aduerſum me eſt proferenda ſententia.* Sanctç memoriæ Theophylus Archiepiſcopus cùm moriturus eſſet, dixit: *Beatus es Abba Arſeni, quia ſemper hanc horam ob oculos habuiſti*, Ibidem num. 22. ſenex alius hoc dat monitum: *In omni re increpa animam tuam, dicendo ei: Memor eſto, quia te oportet Deo occurrere.* Et numer. 23. *Vidit ſenex quemdam ridentem, & dixit: Coram cæli & terræ Domino rationem totius vitæ noſtræ reddituri ſumus, & tu rides?*

*Euagrius Abb.* *Elias Abb.*



VERS. 45. Luc. 12. 42. QVIS PVTAS (Grçcè, τίς ἄρα, id eſt quiſnam, quis profectò, quis vtique) EST SERVVS FIDELIS ET PRVDENS, QVEM CONSTITVIT DOMINVS SVPER FAMILIAM SVAM, VT DET ILLIS CIBVM IN TEMPORE] Prima facie videtur hîc eſſe hiulcum, ἀναν(ταπόδοτον), ſiue interrogatio carens reſponſo, ſed reuera non eſt. Verba enim ſic ordinanda ſunt: Quis putas eſt ſeruus, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, ad hoc vt det illis (qui ſunt in familia) cibum in tempore, fidelis & prudens? vtique is eſt fidelis & prudens, qui idipſum ad quod conſtitutus eſt præſtat, qui ſcilicet ſingulis de familia dat cibum in tempore; hoc eſt cuique famulo & domeſtico ſuum cibum demenſum diſtribuit, ſiue vt annonam, ſiue vt mercedem laboris. Olim enim cùm rara eſſet pecunia, merces famulis ſoluebatur per annonam. *Vtraque enim*, ait Chryſoſt. *re opus eſt, vt ſcilicet quæ domini ſunt ad proprios vſus rapiamus, & vt opportunè omnia diſpenſemus: nam ſi horum alterum abſit, eius abſentiâ, alterum omnino claudicat.*

Propriè hac gnome Chriſtus tangit Epiſcopos & Paſtores: his enim incumbit paſcere Eccleſiam, quç eſt familia ipſorum, imò Chriſti, vt ſingulis pabulum ſacrç Doctrinæ pro captu cuiuſque diſtribuant: quare hac in re vigilantes æquè ac prudentes & fideles ſint oportet. Ita ſanctus Hilarius: *Quamquam*, ait, *in commune nos ad indefeſſam vigilantiæ curam adhortetur, ſpecialem tamen populi principibus, id eſt Epiſcopis, in exſpectatione aduentuq́; ſuo ſolicitudinem mandat. Hūc enim ſeruum fidelem atque prudentem prçpoſitum familiæ ſignificat, commoda atque vtilitates commiſſi ſibi populi curantem: qui ſi dicto audiens, & præceptis obediens erit, id eſt, ſi doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirmet, diſrupta conſolidet, deprauata conuertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ diſpendat*, &c.

Interrogatio iſta, *quis putas*, innuit paucos eſſe tales ſeruos, putà Epiſcopos & Paſtores, qui per omnia in cura gregis Chriſto ſint fideles & prudentes. Vnde illud S. Hieronymi: *Sacerdotes multi, ſacerdotes pauci.* Et illud S. Bonifacij Apoſtoli Germaniæ & Martyris: *Olim ſacerdotes aurei celebrabant in vaſis ligneis; nunc ſacerdotes lignei celebrant in vaſis aureis.* Ita Titus Boſtrenus in Lucæ 12, v. 43. *Non ignorans*, inquit, *dixit, Quis putas eſt? ſed vt quod rarum eſt, & multo honore dignum demonſtraret.* Vnde ſequitur:

VERS. 46. Luc. 12. 43. BEATVS ILLE SERVVS, QVEM CVM VENERIT DOMINVS EIVS, INVENERIT SIC FACIENTEM] aſſiduè ſcilicet & continuò vſque ad mortem diemq́ue iudicij particularis, & conſequenter vniuerſalis, vt ſcilicet quique fideli Eccleſiæ ſuæ congruum cibum, id eſt doctrinam & Sacramenta, prçſertim Euchariſtiæ ad alendam in fide & pietate animam tempore oportuno diſtribuat. *Beatus* ergo eſt Epiſcopus, qui id præſtat, quia non tantùm ob ſuam ſanctitatem, coronam iuſtitiæ à Chriſto accipiet, ſed & tot coronas nanciſcetur, quot fideles in eadem aluit & promouit, iuxta illud Daniel. cap. 12. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebūt quaſi ſtellç in perpetuas ęternitates.* Vnde Chriſtus cauſam cur beatus ſit critque, ſubdit dicens:

VERS. 47. Luc. 12. 44. AMEN (id eſt in veritate, verè & certò aſſeuero, &) DICO VOBIS, QVONIAM (quòd) SVPER OMNIA BONA SVA CONSTITVET EVM] Alludit ad ſeruum qui ob meritum, quo familiam heri fideliter & prudenter rexit, meretur ab eo exaltari, ac omnibus eius bonis præfici, vt ijs cum hero quaſi conſors & ſocius, & penè æqualis fruatur, vti Ioſeph à Pharaone præpoſitus fuit Ægypto, vt reipſa (etſi non nomine) eſſet rex Ægypti, Geneſ. 41. 40. Simili enim modo Deus beabit & exaltabit prudentes & fideles Epiſcopos, qui fideles ſuos bene rexerint, & direxerint ad æternam ſalutem, vt eos maiori gloria donet, quàm fideles priuatos, adeoq́ue eos non tantùm illis præficiat, ſed & faciat cæli ac terrç totiuſque mundi reges & dominos. Ita Remigius: *Bonos auditores*, ait, *faciet diſcumbere, vt Lucas dicit, bonos prædicatores ſuper omnia bona conſtituet; magna enim diſtantia vt meritorum, ita & præmiorum.* Et Origenes: *Conregnabit*, ait, *cum Chriſto, cui Pater omnia tradidit.* S. Hilarius: *Super omnia bona conſtituetur*, inquit, *id eſt, in Dei gloria collocabitur, quia nihil ſit vltra quod melius ſit.* Hoc eſt quod dicitur Apoc. 4. 10. *Procidebant viginti quatuor ſeniores* (Prælati & Epiſcopi) *ante ſedentem in throno, & adorabant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum*, dicentes Agno, id eſt Chriſto, vt ait c. 4. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Vide ibi dicta. Quod de Epiſcopo dixi, applica cuilibet patrifamilias; hic enim domi ſuæ eſt quaſi Epiſcopus, vt ait S. Auguſtinus, æquè ac fidelis quiſque ſui ipſius.

*Gloria ſanctorum Epiſcoporum.*

In Vita S. Amandi, qui tempore Dagoberti regis Francorum fuit Epiſcopus Traiectenſis, claruitq́ue anno Domini 870. ac Gandenſes, Sclauos, Vaſcones, multoſq́ue alios ad Chriſtum conuertit, narratur, quòd ea ipſa hora, qua vita functus eſt, apparuerit S. Aldegundi in gloria circumdatus turba albatorum, cumq́ue illa neſciret quidnam hçc ſignificarent, audiuit ab angelo: Vir Dei Amandus, glorioſus ad gaudia cæleſtia pertranſit. Turba albatorum ſunt illi, qui per inſtantiam prçdicationis eius aſſcripti ſunt cælo, ac proinde ſuper eos ipſe princeps in æternum apparebit. Nam eius diſcipuli illuſtriores fuere S. Landoaldus, S. Bauo, S. Amantius, S. Gertrudis, S. Maurōtus, S. Andreas, S. Florebertus, pluresq́ue alij, ita habet eius Vita apud Surium die 6, Februarij.

*Exemplum S. Amandi.*

SVPER OMNIA BONA SVA CONSTITVET EVM] Græcè, *ſuper omnia quæ ipſius ſunt*, vt vertit Syrus. *Bona* Dei ſunt duplicia ſcilicet. Primò, externa & creata, vt cælum, terra, omneſque creaturæ ijs contentæ, ita Origenes. Secundò, interna & increata, vt ſunt immenſa eius

maieſtas bonitas, ſuauitas, ſapientia potentia, honor, gloria, ceteraque eius attributa, tum eſſentialia, tum perſonalia, vti ſunt paternitas, filiatio & ſpiratio Spiritus ſancti. Deus enim eſt oceanus, vti rerum, ita bonorum omnium; ſuper vtraque conſtituet Deus fidelem ſeruum, putà Epiſcopum & Paſtorem, quia faciet eum quaſi dominari, non tantùm creaturis omnibus, ſed & bonis omnibus immenſis & infinitis quæ Deus in ſe continet, vt cum Deo ipſis fruatur, beetur & glorificetur in æternum. Si enim Iacob luctans cum angelo Dei, eumque valentem vincens, dictus eſt Iſraël, id eſt, dominans Deo, Gen. 32.28. multò magis beati Epiſcopi ſua virtute vincentes quaſi Deum, vocabuntur eruntque Iſraëles, id eſt, dominantes Deo, *vt æterna* hæc *præmia* B *habeant, tum pro ſua vita, tum pro gregis cuſtodia*, ait Rabanus: quia enim ipſi rectè præfuerunt gregi Dei, hinc meriti ſunt, vt bonis Dei, ipſique quaſi Deo, ab ipſo Deo per miram eius dignationem, ſuo quodam modo præficerentur: Deus enim ſeipſum tradit in poſſeſſionem & peculium, iuxta illud: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei*, pſalm. 15.

VERS. 48. LUC. 12. 45. SI AVTEM DIXERIT MALVS SERVVS ILLE (id eſt huiuſmodi, conſtitutus ſcilicet ab hero ſuper familiam ſuam) IN CORDE SVO: MORAM FACIT DOMINVS MEVS VENIRE] q.d. Si cogitarit Epiſcopus: Longè à me abeſt dies mortis & iudicij, quare vtar & abutar vita, & officio meo ad omnem luxum & ambitionem. Vnde explicans ſubdit: C

VERS. 49. ET COEPERIT PERCVTERE CONSERVOS SVOS, MANDVCET AVTEM ET BIBAT CVM EBRIOSIS] id eſt ebrietati deditis, Græca, *cum ebrijs*. *Percutere*, ſcilicet iniuſtè. Nam, vt ait auctor Imperfecti: *Qui propter iuſtam cauſam percutit, etiamſi percutiat, percutere tamē non videtur. Sicut enim iuſta ira non eſt ira, ſed diligentia: ſic iuſta percuſſio non eſt percuſſio, ſed correctio*, vti pater & præceptor percutit & flagellat ſuos filios & diſcipulos, vt corrigat.

*Duo capitalia Prælatorum vitia.* Indicat hîc Chriſtus Prælatorum duo eſſe capitalia vitia, ex quibus cetera omnia ſcaturiunt, ſcilicet audaciam imperioſam & tyrannicam, ac cupiditatem ſiue ſtudium voluptatum, gulæ & luxuriæ. Hoc eſt quod Paſtores & Epiſcopos admonet S. Petrus epiſt. 1. c. 5. 2. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidētes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Vide ibi dicta.

VERS. 50. VENIT DOMINVS SERVI ILLIVS IN DIE QVA A NON SPERAT, ET HORA QVA IGNORAT] *Non ſperat*, id eſt, non putat, non timet: græcè οὐ προσδοκᾷ, id eſt, non expectat. Sic Virgil. 1. Æneid. LUC. 12. 46.

*At ſperate* (id eſt, timete) *deos memores fandi atque nefandi.*

Et lib. 4.

*Hunc ego ſi potuit tantum ſperare* (timere) *dolorem.*

VERS. 51. LUC. 12. 46. ET DIVIDET EVM, PARTEMQVE (ſortem & conditionem) EIVS PONET CVM HYPOCRITIS: ILLIC ERIT FLETVS, ET STRIDOR DENTIVM] Pro *diuidet*, græcè eſt διχοτομήσει, id eſt diſſecabit, ſcilicet animam à corpore in morte & poſt mortem, animam tradendo gehennæ & dæmonibus, corpus ſepulcro & vermibus. *Diuidet*, ait S. Hieron. *non quòd gladio eum diſſecet, ſed quòd à Sanctorū conſortio eum ſeparet.* q.d. Chriſtus talem Epiſcopum, non ſolùm ab officio ſuo amouebit, ſed & ſeparabit à conſortio Beatorum & angelorum, cæli & Dei, ac tradet diabolo iugiter cum damnatis cruciandum in inferno.

CVM HYPOCRITIS] Id eſt, cùm pigris ſeruis, qui quaſi hypocritæ ad oculum domini ſeruiunt, aliàs otioſi: nam extra oculos heri poſiti, vacant ſomno & poculis, ideoque mittendi ſunt in ergaſtulum inferni, vbi eſt locus pigrorum. Sic paſſim in Prouerbijs *hypocrita* ſignificat impiū, qui pigrè Deo, ſed feruidè ſuis cupiditatibus ſeruit, vt ibi dixi. Alludit ad illud Iob. 20. 29. *Hæc eſt pars hominis impij à Deo.* Et c. 8. 13. *Spes hypocritæ peribit.* Et c. 13. 16. *Non enim veniet in conſpectu eius omnis* C *hypocrita.* Et Iſaiæ 33. 14. *Conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?*

Probauit Chriſtus, cuique fideli ſemper eſſe vigilandum, vt per bona opera ſe paret ad certum Domini ad iudicium aduentum, eò quòd dies eius ſit incerta, ne illa ipſum incautum & imparatum obruat, cum certo damnationis periculo. Probauit id Primò v. 37. exemplo diluuij, quod ſub Noë omnes inopinatò ſubmerſit. Secundò, v. 43. per parabolam heri qui vigilat, vt furem noctu & clàm irrepentem repellat. Tertiò, v. 45. per parabolam ſerui fidelis & alterius infidelis, quorum ille amplum à domino recepit præmium, hic acre ſupplicium. Quartò, cap. ſequ. v. 1. per parabolam virginum prudentum, quæ acceperunt oleum in lampadibus. Quintò, ibidem v. 14. per parabolam talentorum, quæ herus in ſeruos diſtribuit, ac cum eis ſtrenuè negotiantes glorioſè remunerat, pigros verò & otiantes plectit. *Cuique ſemper vigilandum.*

CAPVT



# CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit Chriſtus fideles monere, & ſtimulare ad aſſiduam vigilantiam, & bonorum operum ſtudium, vt ſemper ſint parati ad incertum eius aduentum, diemq́, iudicij, vt patet ex v. 12. & ex cap. præced. v. 42. Quocirca Primò, inducit parabolam decem virginum, quinq; fatuarum & quinq; prudentium, quarum illæ carentes oleo excluſæ ſunt è nuptijs ſponſi, hæ verò admiſſæ, quia oleum habebant in lampadibus. Secundò, v. 14. inducit parabolam talentorum, quæ herus famulis ſuis diſtribuens ad negotiationē & lucrum, rediens deinde ab eis exegit, ac negotioſos præmijs, pigros & otioſos ſupplicijs affecit. Denique v. 31. rem ipſam aperit, totamq́, iudicij extremi ideam, ac ſententiam tam in impios quàm in pios ferendam, oculis ſubijcit.*

*Vltima hæc fuere Chriſti monita, ideoq́, prægnantia & efficacia: nam poſt biduum captus & occiſus eſt, vt patet cap. 26. v. 2. Dixit ergo hæc Chriſtus feria tertia ſiue die Martis, cum ſequenti feria quinta Euchariſtiam inſtituit, & feria ſexta crucifixus eſt. Vide Chronotaxim n. 64. & 66.*

1. TVnc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lam-
pades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. 2. Quinque autem ex eis
erant fatuæ, & quinque prudentes: 3. ſed quinque fatuæ, acceptis lampadibus,
non ſumpſerunt oleum ſecum: 4. prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis
cum lampadibus. 5. Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes & dor-
mierunt, 6. Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite ob-
uiam ei. 7. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas.
8. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro; quia lampades
noſtræ extinguuntur. 9. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat
nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. 10. Dum autem irent eme-
re, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa
eſt ianua. 11. Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine,
Domine, aperi nobis. 12. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos.
13. Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. 14. Sicut enim homo pe-
regrè proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. 15. Et vni dedit
quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique ſecundùm propriam
virtutem, & profectus eſt ſtatim. 16. Abijt autem qui quinque talenta acceperat,
& operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. 17. Similiter & qui duo accepe-
rat, lucratus eſt alia duo. 18. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram,
& abſcondit pecuniam domini ſui. 19. Poſt multum verò temporis venit domi-
nus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque
talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta
tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. 21. Ait illi dominus eius: Eu-
ge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam,
intra in gaudium domini tui. 22. Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, &
ait: Domine duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum. 23. Ait illi
dominus eius: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper
multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. 24. Accedens autem & qui
vnum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis vbi non
ſeminaſti, & congregas vbi non ſparſiſti: 25. & timens abij, & abſcondi talentum
tuum in terra; ecce habes quod tuum eſt. 26. Reſpondens autem dominus eius,
dixit ei: Serue male & piger, ſciebas quia meto vbi non ſemino, & congrego vbi
non ſparſi: 27. oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & ve-
niens ego recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura. 28. Tollite itaque ab eo
talentum, & date ei qui habet decem talenta. 29. omni enim habenti dabitur, &
abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 30. Et
inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.
31. Cùm autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo,
tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: 32. & congregabuntur ante eum om-
nes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: 33. &

ſtatuet

ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. 34. Tunc dicet rex his,qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. 35.eſuriui enim,& dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: 36. nudus, & cooperuiſtis me: infirmus,& viſitaſtis me: in carcere eram,& veniſtis ad me. 37.Tunc reſpondebunt ei iuſti,dicentes: Domine,quando te vidimus eſurientem, & pauimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum? 38. quandò autem te vidimus hoſpitem,& collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te. 39. aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? 40. Et reſpondens rex, dicit illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis mihi feciſtis. 41. Tunc dicet & his,qui à ſiniſtris erunt? Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo,& angelis eius. 42. eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui,& non dediſtis mihi potum: 43. hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus,& non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. 44. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem,aut ſitientem,aut hoſpitem,aut nudum,aut infirmum, aut in carcere,& non miniſtrauimus tibi? 45. Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his,nec mihi feciſtis. 46. Et ibunt hi in ſupplicium æternum; iuſti autem in vitam æternam.

VERS. 1. TVNC SIMILE ERIT REGNVM CÆLORVM DECEM VIRGINIBVS, QVÆ ACCIPIENTES LAMPADES SVAS, EXIERVNT OBVIAM SPONSO ET SPONSÆ] *Tò ſponſæ* non habent Græca, nec S.Chryſoſt. Theophyl. Euthymius; legendum tamen eſt cum Romanis, Syro, Origene, Hilario & S.Auguſtino epiſt. 120.

*Parabola decem virginum.*

TVNC] Cùm ſcilicet inopinatè redibo ad iudicium, vt omnes pro meritis diiudicem, præmiem vel puniam.

REGNVM CÆLORVM] Id eſt, Eccleſia militans. quę tunc futura eſt triumphans. q.d. Tunc ſimiliter agetur cum fidelibus Eccleſiæ,perinde ac ſi decem virgines pararent ſe ad feſtum nuptiale, &c. Licet enim reprobi, vtpote iam damnati in gehenna non ampliùs ſint membra Eccleſiæ, tamen quia in hac vita fuerunt eius membra, ideo vt talia hîc inducuntur vt iudicentur, ſed ita vt per ſententiam iudicis ab Eccleſia excludantur, & in tartarum relegentur. Infidelium hic non fit mentio: *Quia qui non credit, iam iudicatus eſt*, Ioan. 3. 18.

Nota. Olim vti & nunc, ſponſo honoris cauſa addebantur comites iuuenes egregij, & ornati, ſponſæ verò virgines eæque ſępè decem numero. Porrò nuptias celebrabant noctu, quocirca ſponſus veſpere adibat domum ſponſæ, vbi honorificè & lautè à parentibus ſponſæ exceptus, inde ſponſam in ædes ſuas, aut, ſi illæ anguſtæ forent,in amplam conuiuij nuptialis domum deducebat, ibique nuptias celebrabat & conſummabat: iuuenes autem & virgines vtrique aduentanti honoris cauſa obuiàm prodibant, proferentes tædas pronubas, pręſertim ex ſpina alba,eaſque quinque,teſte Plutarcho in Problem. Vide Alex. ab Alexandro lib. 2. Geneal. c. 5. & ibi Tiraquellum,ac Salmeronem hîc toto 7. cap 38. Iudæi autem non videntur olim habuiſſe vſum ceræ ad lumina,cerearumque tędarum, ſed olei. Vnde in Scriptura crebrò eſt mentio lampadarum & lucernarum, nulla candelarum, imò in candelabro templi erant lucernæ cum oleo,non candelæ ex cera vel ſebo.

*Sponſis honoris cauſa comites dati.*

Iam vt parabolam particulatim applicem & explicem, ſponſus eſt Chriſtus, ſponſa eſt Eccleſia,cuius in hac vita aguntur ſponſalia,ſed in futura reſurrectionis gloria erunt æternę nuptiæ. Virgines ſunt omnes fideles,ſiue Chriſtiani,quia fide ſinceri & integri, iuxta illud Pauli: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*, 2. Corinth. 11. 2. vbi plura hac de re dixi.

Porrò S.Chryſoſtomus,Theoph. Euthymius, S.Auguſt. & S.Gregorius per virgines,accipiunt ſolas & omnes quę verè & propriè virgines ſunt; ſed hoc arctius eſt præ ſcopo & mente Chriſti, qui per virgines intelligit omnes fideles, vt dixi. Rectè tamen Eccleſia in Officio diuino hęc adaptat virginibus,quia illę hîc grammaticè nominantur & ad literam præ ceteris ſignificantur. ita Ianſen. Maldon. & alij. Hinc B. Anatolia deſpōſa Aureliano vidit angelum ſibi inclamantem: *O virginitas,quæ morte non vinceris. O virginitas,quæ non in operibus tenebrarū, ſed ſemper in lumine verſaris*,&c. *Virginitas purpura regalis eſt,quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma eſt pretioſa. Virginitas theſaurus eſt Regis immenſus. Huic fures inſidias tendunt. Hanc tu euigilans cuſtodi ſolicitè: quantumq́; te ſolus habere cognoſcis, inſtantiùs cuſtodi, ne perdas.* Quibus verbis ipſa incitata generoſum pro virginitate obijt agonem. Ita in Ado Martyrol. ad diem 29. Decembr.

Decem numerantur, quia denarius multitudinis & vniuerſitatis eſt ſymbolum, ac familiaris S.Script. ob decalogum legis diuinæ) vt patet Geneſ. 31. 7. Leuit. 26. v. 26. Num. 14. 22. Ita Origen. S. Hieron. & alij.

Arithmetica & ſymbolica ratio liquet ex Platone lib. 5. de Legibus, vbi docet ſolere quinque amicos & quinque amicas conuocari ad conuiuium nuptiale, eò quòd quinarius ſit numerus compoſitus ex primò pari, putà ex binario, & ex primo impari, putà ternario (nam duo & tria faciunt quinque) ideóque appoſitè ſignificat coniunctionem maris & feminæ, quæ fit in nuptijs ſponſi & ſponſæ.

*Quæ accipientes* (græcè, λαβοῦσαι, id eſt, cùm accepiſſent) *lampades ſuas* nuptiales *accenſas*, inquit Origenes, *ſed ad tantum iter obuiàm exeundi ſponſo oleum non acceperunt, vt eas perpetim accenſas*



*conſeruarent. Nam quæ lampades ſuas queruntur extingui, oſtendunt eas ex parte lucere*, ait S. Hieronymus.

Porrò in Scriptura *lappidim*, id eſt, lampades, vocantur faces & tędæ. Hæ enim in nuptijs noctu pręferuntur ſponſo & ſponſæ, quia hęc reſiſtunt aëri & ventis, cùm lampades, id eſt lucernę ſtatim ijs extinguantur. Hic tamen fuere lampades propriè dictę, quia olei fit mentio, atque hę ſunt virginum, ſicut tędæ virorum. Vnde Virgilius ecloga 4.

*Lampades erant virginum, tedæ virorum.*

*Mopſe nouas incide faces; tibi ducitur vxor.*

Idem lib. 4. Æneid.

*Si non pertæſum thalami tædæq; fuiſſet.*

Martial. lib. 12.

*Præluxere faces, velarunt flammea vultus.*

Catullus in Epithalamio Manlij & Iulię, vbi ait:

*Pelle humum pedibus, manu ſpineam quate tædam.*

*Tollite ò pueri faces.*

Plinius lib. 16. c. 18. ſic ait: *In eoſdem ritus comitatur & ſpina, nuptiarum facibus auſpicatiſſima, quoniā inde fecerint paſtores qui rapuerunt Sabinas, vt auctor eſt Maſſurius: nunc facibus carpinus & corylus familiariſſimæ.* Plura vide, ſi libet, apud Alex, ab Alexandro, Tiraquellum, Ciacconum, ac fusè doctéque apud Briſſonium lib. de Ritu nuptiarum.

VERS. 2. QVINQVE AVTEM EX EIS ERANT FATVÆ, ET QVINQVE PRVDENTES] *Fatuæ*, quia imprudenter & ſtultè egerunt: nam cùm obuiam irent ſponſo cum accenſis lampadibus, neglexerunt oleum neceſſarium ad fouendum lumen lampadarum: vnde lampades earum extinctæ fuere; & ipſę confuſę ſine lumine in tenebris occurrerunt ſponſo: prudentes verò acceperunt oleum; vnde accenſas ſemper tenuere lampades, cum eiſque ſponſo obuiauêre: prudenter ergo ſe geſſerunt. Hinc ſequitur:

VERS. 3. SED QVINQVE FATVÆ ACCEPTIS LAMPADIBVS (accenſis) NON SVMPSERVNT OLEVM SECVM.

VERS. 4. PRVDENTES VERÒ ACCEPERVNT OLEVM IN VASIS SVIS (olearijs) CVM LAMPADIBVS] Primò, S.Hieron. & Hilarius per *virgines*, accipiunt omnes homines: per *fatuas*, Iudæos & hæreticos; per *prudentes*, Chriſtianos.

*Virgines quæ? Reſp. Primò.*

Secundò, ex aduerſo S. Chryſoſt. & alij iam citati ſolas propriè dictas virgines accipiunt, ex quibus prudentes ſunt, quę cum virginitate habent oleum charitatis, exercendo opera miſericordiæ, fatuæ, quæ hoc oleo carent.

*Secundò.*

Tertiò, Lyranus: Virgines prudentes, inquit, ſunt contemplatiui & Religioſi, qui habent oleum charitatis & rectæ intentionis, qua vni Deo placere ſtudent: fatuæ verò ſunt qui oleo hoc carent, ac vanam hominum laudem & gloriam aucupantur.

*Tertiò.*

Quartò, & genuinè, *virgines*, ſunt quilibet fideles; *prudentes*, illi qui habent fidem cùm operibus miſericordiæ, charitatis aliarumque virtutum; *fatuæ*, qui ſolùm fidem haben ſine bonis operibus. Ita Origines, S. Hilarius, auctor Imperfecti: Vnde harum* lampades extinguuntur, imò, vt Syrus vertit, *extinctæ ſunt*, iuxta illud Iacobi c. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Lampas ergo eſt mens fidelis, ſiue ipſa fides, vt volunt S. Hieron. Hilarius, Origenes: oleum ſunt bona opera, ſine quibus fides eſt mortua & quaſi extincta, cum ijs verò viua & accenſa; lux ſiue ardor lucernarū eſt charitas: hęc enim alitur ſtudio bonorum operum, ſicut flamma lampadarum alitur oleo: vas eſt conſcientia vel anima fidelis: atque hac de cauſa moribundis candelam ardentem in manus damus, ſignificantes, vel optantes, vt habeant fidem cum operibus, vt quaſi ſponſæ cum lampade accenſa Chriſto Domino, quaſi ſponſo decenter dignéque occurrant.

*Quarto & Genuinè.*

*Applicatio totius parabolæ.*

Symbolicè & phyſicè, nuper Philoſophus quidam Genuę ſcripſit librum de hac Chriſti parabola: in quo illam ſic explicat: Beatitudo, ait, conſiſtit in hoc, quòd ſponſus copuletur ſponſę, id eſt, intellectus agens patienti, poſt intellectionem omnium rerum materialium, admiſſis quinque prudentibus virginibus, id eſt, quinque ſenſibus internis, habentibus lampades, id eſt, ſenſoria organa in cerebro, & oleum, id eſt, obiecta rerum ſenſibilium, excluſis quinque fatuis, id eſt, quinq; ſenſibus externis non illuſtratis, propter obiectarum rerum abſentiam.

*Symbolicè.*

Verùm hæc ſunt acumina philoſophica quæ longè abſunt à mente Chriſti, ac ex Gnoſticorū ſomnijs manarunt, teſte Tertulliano li. de Anima cap. 28. vbi ſic ait: *Hinc enim arripiūt* (Gnoſtici ex ideis Platonis) *differentiam corporalium ſenſuum & intellectualium virium, quam etiam parabolæ decem virginum adtemperant, vt quinq; ſtultæ ſenſus corporales figurauerint, ſtultos videlicet, quia deceptui faciles: ſapientes autem intellectualium virium notā expreſſerint, ſapientium ſcilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam & ſupernam, & apud pleroma conſtitutam, hæreticarum idearum ſacramenta: hæc enim ſunt & αἰῶνες, & genealogiæ illorum.*

VERS. 5. MORAM AVTEM FACIENTE (græcè, χρονίζοντος, id eſt tardante) SPONSO, DORMITAVERVNT OMNES, ET DORMIERVNT] Mora Chriſti ſponſi, eſt tempus pœnitentiæ & bonorum operum, quod ſingulis in hac vita concedit, ideóque differt mortem diemque iudicij: dormitare eſt mori, dormire eſt mortuum eſſe. q.d. Dum differt Chriſtus diem iudicij, interim fideles ſenſim mori cœperunt, ac tandem omnes mortui ſunt. Ita ſanctus Hilarius: *Mora ſponſi*, ait, *pœnitentię tempus eſt: exſpectantium ſomnus, credentium quies eſt, & in pœnitentiæ tempore mors temporaria vniuerſorum.*

MEDIA AVTEM NOCTE CLAMOR FACTVS EST (Arabicus, *mediata eſt nox, & exclamauit vox*, emiſſa à præeuntibus ſponſi comitibus, dum is ex domo ſpōſæ, deducens illam, domui ſuæ appropinquauit ECCE SPONSVS VENIT, EXITE OBVIAM EI] Clamor hic ſignificat tubam Archangeli ſuſcitantis mortuos è ſepulchris, de quo cap. præced. v. 31. Ita Origenes, S.Chryſoſt. Hieron. & alij.

Huc alludens S. Laurentius Iuſtinianus primus Patriarcharum Venetorum, iam moriturus: *Hactenus*, inquit, *fily, per iocum res acta eſt, iam ſeriò agitur, Propè eſt ſponſus, eundum ei obuiam.* Et ſublatis in cælum oculis: *Venio*, ait, *ad te bone Ieſu*, &c. *Hunc diem ſemper ante oculos habui: tu ſcis Domine*; ac mox hilari mente & vultu purum Deo ſpiritum reddidit, obuiam iturum Chriſto in cælum. Ita habet Bernardus Iuſtinianus eius cognatus, teſtis oculatus, in Vita eius cap. 10. & ſequent. quæ apud Surium extat tomo 1.

*S. Laurentius Iuſtinianus.*

Porrò ex eo quòd clamor hic dicitur factus

*media*

*media nocte*. S. Chryſoſt. S. Hieron, & Euthymius probabiliter opinantur, ſecundùm Chriſti aduentum ad iudicium ſore media nocte, vt homines inopinatos & dormientes obruat, ideoque cap. præced. monuiſſe nos, vt iugiter vigilemus, adeoque S. Hieron. aſſerit hanc eſſe traditionem Apoſtolicam, atq; ea de cauſa in Paſchate olim, populum ante mediam noctem ex Eccleſia dimittere non licuiſſe: quia Chriſtus ſicut olim tempore mediæ noctis in Ægyptum ad cædem primogenitorum, ac liberationem Hebræorum venit, Exodi 11. v. 4. & Sapient. 18. 14. ita pariter eâdem ad iudicium vniuerſale venturus crederetur. Verùm hæc res incerta eſt: vnde alij æquè vel magis probabiliter, cenſent Chriſtum manè venturum ad iudicium: ipſe enim eſt pater lucis, ac iudicium palàm in luce ſpectante toto mundo peraget, ne quis in tenebris fuco, illuſioni, fugæ, aut latibulo ſit locus. Ita Franc. Suarez 3. p. to. 2. diſp. 50. ſect. 10. Quod ergo ait, *media nocte*, per catachreſin idem eſt, quòd inopinatè, inexſpectatè, hominibus non cogitantibus & quaſi dormientibus, veniet Chriſtus iudex. Ita Origenes, S. Hier. S. Chryſoſt. Rurſum nocte vel ſub auroram inſonabit tuba Archangeli, fietque reſurrectio, ac mox Chriſtus ipſo manè deſcendet ad iudicium.

*An iudicium noctu fiet?*

VERS. 7. TVNC SVRREXERVNT OMNES VIRGINES ILLÆ, ET ORNAVERVNT LAMPADES SVAS] q. d. Ad clamorem & tubam Archangeli, omnes fideles reſurgent, & ſolliciti erunt qua mente & conſcientia pergant ad iudicem Chriſtum, ſcilicet, vt ait auctor imperfecti, *Aſpicient & diſcutient fidem ſuam, conſiderabunt opera ſua interrogabũt conſcientias ſuas*, quia vt dicit S. Auguſt. ſerm. 23. de Verbis Domini: *Nihil aliud eſt, Cœperunt aptare lãpades ſuas, quam parare Deo operum ſuorum reddere rationem*. S. Hilarius verò c. 27. in Matth. *Lampadum aſſumptio*, ait, *animarum eſt reditus in corpora, earumq; lux, conſcientia boni operis elucens, quaſi vaſculis corporum continetur*.

*Lampades ſymbolum martyrij.*

Hoc lucernarum per viſionem ſymbolo martyrij omen à Deo accepêre S. Montanus eiuſq; ſocij Martyres, diſcipuli S. Cypriani, vt habent eorum acta apud Suriũ ad diem 24. Februarij: quidam enim ex eis, cui nomen Reno, *in ſomno vidit produci ſingulos: quibus prodeuntibus lucernæ ſingulę proferebãtur: cuius autem lucerna non prĉceſſerat, nec ipſe ſequebatur. Et cùm proceſſimus nos cum lucernis noſtris, expergefactus eſt; & vt nobis retulit, lætati ſumus, fidentes nos cum Chriſto ambulare, qui eſt lucerna pedibus noſtris, & ſermo Dei: & continuò rapti ſumus ad procuratorem*, &c. Hæc ibi ad verbum.

VERS. 8. FATVÆ (Arabicus, *inſipientes*) AVTEM SAPIENTIBVS DIXERVNT: DATE NOBIS DE OLEO VESTRO, QVIA LAMPADES NOSTRÆ EXTINGVVNTVR] Pertinet hoc & ſequentia ad emblema parabolæ: nam quoad rem per eam ſignificatam, reprobi in die iudicij non petent oleum bonorum operum ab electis, vtpote ſcientes eos id ſibi tunc non daturos, nec dare poſſe: tunc enim quiſque iudicabitur ab operibus quæ geſſit in hac vita ante mortẽ. Inducitur ergo hoc emblemo vt per illud notetur & culpetur ſera reproborum pœnitentia, qui poſt mortem vidẽtes terribile ſibi Dei iudicium & damnationem imminere, ſerò dolebunt ſe in hac vita fuiſſe negligentes in ſtudio virtutum, ac tum optarent ſe fuiſſe diligentes, ſed fruſtra; quia nec opera, nec opem electorum ſibi poterunt comparare. Tunc enim nec tempus erit operandi, nec auxilium, aut ſubuentio, vel oratio Sãctorum eis prodeſſe poterit, imò, vt ait auctor imperfecti, in tam horrendo iudicio nemo erit qui ſibi ſatis confidat ſatiſque bonorum operum habere videatur.

QVIA LAMPADES NOSTRÆ EXTINGVVNTVR] Iam reuera erant extinctæ, quia mortui erant ipſi in ſtatu peccati mortalis, adeoque non cælo, ſed tartaro à Chriſto adiudicandi. Dicunt tamen, *extinguuntur*, quia in hac vita mentes eorum, hominibus exteriùs per communem veræ fidei profeſſionem, & communionem Sacramentorum, ſpeciemque honeſtæ vitæ ardere videbantur: ſed tunc, in morte ſcilicet & iudicio, iis omnibus euaneſcentibus, videbunt illas extingui, ac omnem ſpeciem & ſpem virtutis & ſalutis deperire. Ita S. Auguſt. ſerm. 23. de Verbis Domini: *Antequam*, inquit, *dormirent virgines illæ, non eſt dictũ quia extinguebantur lampades earum: quare tunc ardebãt? quia non deerant laudes hominum: at coram ſponſo, id eſt iudice Chriſto, extinguentur, quia Chriſtus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo*, 1. Corinth. 4. 5. non ab hominibus: pigris verò & reprobis ſumma erit confuſio. Vnde addit S. Auguſtinus, *Quorum facta aliena laude fulciuntur, eâdẽ ſubtractâ deficiunt*, hoc eſt, *extinguuntur*.

Vox *extinguũtur*, ſignificat charitatem, quæ eſt flamma lampadarum, id eſt mentium, ali bonis operibus velut oleo, vnde iis ſubductis extingui; tum quia multa opera virtutum ſunt à Deo prĉcepta, vti ſunt omnia quæ continentur in Decalogo; ſi quis autem non impleat id quod præceptum eſt à Deo, ſed illud violet, perdit Dei gratiam & charitatem: tum quia charitas ſine exercitio bonorum operum marcet & languet, fitque torpida, pigra & ægra: vnde facilè tentatione aliqua pulſante homo labitur in peccatum mortale, quo charitas deperditur. Vis ergo aſſecurare tibi Dei gratiam, imò augere Dei amicitiam & charitatem? incumbe aſſiduè bonis virtutum operibus; hiſce enim continuò nutritur, roboratur, creſcit, augeſcit charitas.

*Charitatis oleum ſunt bona opera.*

VERS. 9. RESPONDERVNT PRVDENTES, DICENTES: NE FORTE NON SVFFICIAT (Arabicus, *non eſt nobiſcum quod ſufficiat*) NOBIS ET VOBIS; ITE POTIVS AD VENDENTES, ET EMITE VOBIS] Emblema eſt, vt dixi, pertinens ad elegantiam parabolæ, ſignificãs electos in die iudicij nõ flectendos miſeria reproborum, nec eos vllo modo adiuturos, imò nec adiuuare poſſe, quin potiùs tacitè eis exprobraturos, quòd tempus præſentis vitæ datum à Deo ad bene operandũ neglexerint. Vnde S. Auguſt. ſerm. 23. de Verbis Domini: *Non conſulentium*, inquit, *ſed irridentiũ eſt iſta reſponſio: non enim ſapientes de ſuo erant, ſed illa in illis erat ſapientia, de qua ſcriptũ eſt Prou. 1. 24. Quia vocaui, & renuiſtis*, &c. *ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, aduenerit*. Et S. Hieron. hîc: *Non poſſunt*, inquit, *in die iudicij aliorum virtutes; aliorum vitia ſubleuare*, Addit Gloſſa interlin. *Non auaritia hoc dicunt, ſed timore; quia in illo die teſtimonium cuiuſque vix ſufficiet ſibi, nedum ſibi & proximo*, Rurſum q. d. *Modo videamus quid vos adiuuẽt, qui vobis humanas laudes vẽdere conſueuerant*. Hæc interlin. ex S. Gregorio ho. 12. in Euang.



Euangel. qui addit: *Venditores quippe olei adulatores ſunt. Qui enim accepta qualibet gratiâ, vanis ſuis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quaſi oleum vendunt. De quo profectò oleo Pſalmiſta dicit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*.

VERS. 10. DVM AVTEM IRENT EMERE, VENIT SPONSVS: ET QVÆ PARATÆ ERANT, INTRAVERVNT CVM EO AD NVPTIAS (Syrus, *in domum chori*: in nuptijs enim ſunt chori cantantium & tripudiantium) ET CLAVSA EST IANVA] Emblema hoc quoque eſt, ſignificans in hâc vitâ benè agendi, pœnitendi & merendi eſſe tempus; hoc verò claudi in morte (tunc enim *in ictu oculi clauduntur omnia*) & clauſum fore in die iudicij. *Non enim poſt iudicium patet precum aut meritorum locus*, ait S. Auguſt. Et S. Hier. *Exceſſerat*, ait, *emendi tempus, nec adueniente die iudicij locus erit pœnitentiæ*. Et Origenes: *Qui*, inquit, *quando debuerant vtilia diſcere, neglexerunt, in exitu vitæ dum diſcere volunt, comprehenduntur à morte*. Additque, vendentes ſunt doctores, emptio eſt acceptio: pretiũ perſeuerantia, amor diſcendi & diligentia. Porrò quia apud homines nuptiale gaudium eſt ſummum, hinc illi comparatur cæleſtis electorum felicitas. Vnde S. Hilarius: *Nuptiæ*, ait, *immortalitatis aſſumptio eſt*, vbi, ait Interlin. anima Verbo Dei copulatur quaſi Sponſo.

*Tempus merendi clauditur morte.*

Audi quid de S. Opportuna Abbatiſſa narret S. Adelinus Epiſcopus in eius Vita apud Surium die 22. Aprilis: *Cùm S. Opportuna grauiter ægrotaret, ad eã venerunt SS. Cæcilia & Lucia, ad quas illa blando ſermone: Auete ſorores Cæcilia & Lucia, quid præcipit ancillæ ſuæ omnium Regina virgo Maria? expectat, inquiunt illæ, aduentũ tuum in cælo, vt filio eius coniungaris. Itaque ornata corona gloriæ, & accenſa lampade, debes obuiare ſponſo & ſponſæ*. Igitur ipſa hilaris cùm videret aduentantem B. Virginem, quaſi eam amplexans, in eius manus tradidit ſpiritum æternâ gloriâ beandum.

*S. Opportunæ Abbatiſſa mors feliciſſima.*

VERS. 11. NOVISSIME VERO, VENIVNT ET RELIQVÆ VIRGINES, DICENTES: DOMINE, DOMINE APERI NOBIS] *Dolore repulſionis compulſæ appellationem ingeminant dominationis*, ait S. Gregor. Sed *quid prodeſt*, ait S. Hieron. *voce inuocare quem operibus neges?* Significat ergo reprobos tum ſummè fore anxios & perculſos, vt in omnem partem ſe verſent, nunc ſummis precibus implorando miſericordiam iudicis, nunc deplorando negligentiam vitæ præteritæ, nunc deſperando ſpem ſalutis. Ita auctor Imperfecti: *Nihil eis proderit*, ait, *anxietas illa tunc incipientibus benè agere, cum tempus benè agendi concluditur. Nihil proderit ex neceſſitate repetita confeſſio eius, qui ex voluntate nec ſemel confeſſus eſt*. Lege patheticas reproborum voces & complorationes, quas graphicè depingit Sapiens c. 5. v. 1. & ſeq.

VERS. 12. AT ILLE RESPONDENS AIT: AMEN DICO VOBIS, NESCIO VOS] Id eſt, vos pro meis non cognoſco, reſpuo, reprobo, damno: quia vos in die veſtrâ noluiſtis agnoſcere me, vt veſtrum Deum & Dominum, nec ego vos in hâc die mea agnoſco; vt meos fideles, ſeruos & filios: ſeruiſtis diabolo, non Deo, in voluptate; nunc ſeruite illi in gehenna. Ita S. Hieron. *Nouit*, ait, *Dominus qui ſunt eius; & qui ignorat, ignorabitur*. Et Interlin. *Ideò*, ait, *vos deſero, quia per vitæ meritum non recognoſco*. Et S. Chryſoſt. *Cùm dixerit, Neſcio vos, nihil aliud quam gehenna & intolerabilis cruciatus relinquitur: imò verè etiam gehennâ iſtud verbum grauius eſt*: quia quem neſcit Deus, hunc neſcit cælum, neſciunt Angeli, neſciunt Beati, ſed ſcit diabolus, ſcit mors, ſcit gehenna, ad eum iugiter cruciandum. Adde, Chriſtus adeò indignabundum & terribilem vultum in die iudicij oſtendet reprobis, vt dicant *montibus, Cadite ſuper nos; & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum; & ab ira Agni; quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* Apoc. 6. 16. Vide ibi dicta. Vox ergo Chriſti iudicis erit quaſi tonitru & fulmen, detonans æternam maledictionem in improbos, eoſque detrudens in tartara.



VERS. 13. VIGILATE ITAQVE, QVIA NESCITIS DIEM, NEQVE HORAM] Arabicus & Syrus, *quia non ſcitis illam diem, neque illam horam*, ſcilicet extremam illam & *vltimum momentum ex quo pendet æternitas veſtra, vel beatiſſima, vel miſerrima*. Hæc eſt epiparabola ſiue aſſabulatio, oſtendens ſcopum, finem & fructum parabolæ, ſcilicet illam eò induci & dirigi, vt fideles omnes ſtimulet ad vigilantiam & ſtudium bonorum operum, quibus ſe comparent ad diem mortis & iudicij, vtpotè inſtantem, ſed incertum. q. d. ait S. Hieronym. *Quia ignorâtis diem iudicij, lumen bonorum operum præparate: Nam qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit*, ait S. Gregorius hom. 12. in Euang. *Neſcitis diem, neque horam, non modò vltimi illius temporis*, ait S. Auguſtinus ſerm. 22. de Verbis Domini, *quo venturus eſt ſponſus, ſed & ſuæ quiſque dormitionis diem & horam neſcit. Quiſquis autem paratus eſt vſque ad ſomnum, id eſt vſque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus inuenietur etiam cùm illa vox mediâ nocte ſonuerit, quâ omnes euigilaturi ſumus*. Vide dicta c. 24. v. 42.

Sapienter R. Achabia in Pirke aboth cap. 3. *Conſidera tria*, inquit, *vt non pecces. Primum, vnde veniſti; Secundum, quò vadis; Tertium, cui redditurus es vitæ rationem. Vnde veniſti? ex materiâ fœtidâ. Quò vadis? ad locum cineris & vermium. Cui reddes rationem? regi Regum, ſancto & benedicto*. Sapientiùs S. Auguſtinus homil. 13. inter 50. *Promiſit*, inquit, *tibi Deus, quoniam quo die conuerſus fueris, obliuiſcitur mala tua præterita, ſed numquam vitam craſtini diei promiſit tibi*. Et mox: *Deus diem mortis incertum ſalubriter conſtituit: diem vltimum ſuum quiſque ſalubriter cogitet. Miſericordia Dei eſt, quia neſcit homo quando moriatur. Latet vltimus dies, vt obſeruentur omnes dies*. Nota vltimam hanc ſancti Auguſtini gnomen.

VERS. 14. SICVT ENIM HOMO PEREGRE PROFICISCENS VOCAVIT SERVOS SVOS, ET TRADIDIT ILLIS BONA SVA] Scilicet opes ſuas & facultates, vt eas cuſtodirent & negotiando augerent, ſupple, ex præcedenti. Sic erit aduentus filij hominis ad iudicium. Τὸ *enim* ſignificat ſcopum parabolæ, ſcilicet Chriſtum velle per eam probare id quod dixit v. præced. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam*.

*Parabola talentorũ.*

Scopus ergo parabolæ huius eſt, oſtendere, quàm exactam donorum ſuorum rationem exacturus ſit Chriſtus in die iudicij ab otioſis, & quod quantumque præmium daturus ſit negotioſis, qui donis ſuis ſtrenuè ad Dei gloriam vſi ſunt. Similis eſt hæc parabola illi, quam recenſet Lucas c. 19. v. 11. ſed in nonnullis diſcrepat; alio

enim tempore, fine & modo dicta eſt à Chriſto. Illa enim Lucæ dicta eſt ante Dominicam palmarum, hæc verò poſt eam, ſcilicet feria tertia, quæ præiuit feriam ſextam, in qua Chriſtus fuit crucifixus. Vnde S. Chryſoſt. Euthym. Ianſen. & alij cenſent, diuerſas eſſe has Lucæ & Matthæi parabolas, vel potiùs vnam diuerſimodè repetitam: nam pro talentis Lucas habet minas, additque nonnulla verſ. 14. & 27. vti mox patebit.

*Applicatio parabolæ.* Porrò homo hic eſt Chriſtus. Chriſtus enim profectus eſt peregrè, cùm in cælum aſcendit, quaſi longo tempore à terra & Eccleſia abſuturus. Ita Origenes, S. Hieron. Beda. Alij Chriſtum peregrè profectum interpretantur, quando à Iudæis tranſtulit prædicationem Euangelij per Apoſtolos ad Gentes, ac apud eos regnum Eccleſiæ ſuæ conſtituit. Nec malè, præſertim apud Lucam cap. 19. vbi hæc parabola inducitur propter Zachæum publicanum & quaſi Gentilem, in cuius domum ingreſſus Chriſtus, ſalutem ei attulit, relictis Iudæis. Verùm tunc tota parabola hæc ſeruorum & talentorum ad ſolos Iudæos arctanda eſt: talenta enim ſeruis ſuis herus hic diſtribuiſſe dicitur antequam peregrè (ad Gentes) proficiſceretur. Quocirca prior explicatio vti amplior, ita & germanior eſt: ſerui enim hîc omnes fideles intelliguntur, ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus oriundi ſint. Bona ſunt talenta, de quibus v. ſeq. ſiue quòd herus hic, inſtar mercatorum & campſorum omnes ſuas facultates habuerit in pecunijs, putà in talentis auri & argenti; ſiue quòd talenta vocentur cenſus & prædia, quæ æſtimabantur partim vno, partim duobus, partim quinque talentis: ſicut à Latinis pecunia vocatur, quidquid pecunia æſtimatur & cõparatur. Vnde & Græcis vocantur χρήματα, id eſt, opes, pecuniæ, quaſi χρήσιμα, id eſt vtilia. Sed prius eſt aptius, nam v. 27. hæc talenta vocantur pecunia.

VERS. 15. ET VNI DEDIT QVINQVE TALENTA, ALII AVTEM DVO, ALII VERÒ VNVM; VNICVIQVE SECVNDVN PROPRIAM VIRTVTEM (Arabicus, *iuxta poſſe virtutis ſuæ*; Syrus, *iuxta facultatem ſuam*) ET PROFECTVS EST STATIM] Pro *talentis*, Lucas habet *mnas*, id eſt, *minas*: *mna* autem hebraicè, idem quod numeratum, ſiue definitum, ſcilicet *Mina ſiue mna quid? eius etymõ.* pretium, vel pondus auri vel argenti: radix enim מָנָה *mana* idem eſt quod numerauit. Vnde *Mane, tekel, phares*, Daniel. 5. 25. Mina Attica & Romana continebat drachmas centum, Hebræa verò drachmas 240. ſiue vncias 30. hoc eſt duas libras cum media. Drachma auri eſt coronatus Francicus; drachma argenti eſt Iulius Romanus, ſiue Regalis Hiſpanus. Quare mina Hebræa auri continebat 240. coronatos Francicos: mina verò argenti 240. Iulios ſiue Regales. Talentum Atticum continebat ſex millia drachmarum, id eſt, minas Atticas 60. Talentum verò Hebræum duplo erat maius, continebat enim duo millia drachmarum, hoc eſt minas Hebræas 60. Atticas verò 120. Romanas libras 25. Libra auri continet vncias auri 12. id eſt drachmas, ſiue coronatos Francicos 96. Talentum auri ergo apud Hebræos continebat duodecim millia co- *Valor vnius talenti.* ronatorum Francicorum: talentum verò argenti duodecim millia Iuliorum, ſiue Regalium. Quare quinque talenta auri continebant ſexaginta millia coronatorum Francicorum, argenti verò ſexaginta millia Iuliorum, quæ faciunt ſex millia aureorum Romanorum. Aureus enim Romanus continet decem Iulios: duo verò talenta auri apud Hebræos continebant 24. millia coronatorum Francicorum, argenti verò 24. millia Iuliorum, id eſt, duo millia aureorum Romanorum. Vide ea quæ tractaui de Menſuris in fine Pentateuchi.

*Talenta triplicia. Primò.* Per talenta intellige quælibet Dei dona, ſine quibus nihil operari poſſumus. Dona, inquam Primò, gratiæ tum gratum facientis, vti ſunt fides, ſpes, charitas, virginitas, ceteræque virtutes; tum gratis datæ, vti ſunt poteſtas faciendi miracula, apoſtolatus, epiſcopatus, ſacerdotium, donum linguarum, diſcretio ſpirituum, prophetia, &c. *Secundò.* Secundò, dona naturæ; vti ſunt ſubtile ingenium, acre iudicium, firma ſanitas, robur, prudentia, induſtria, ſcientia, eloquentia. *Tertiò.* Tertiò, dona & bona externa, vti ſunt opes, honores, ſtatus, v. g. magiſtratus, principatus, regnum, &c. ita S. Chryſoſtomus. Hæc omnia enim Deus, vni quinque, alteri duo, tertio vnum, id eſt, impariter & inæqualiter, pro libito diſtribuit, hoc fine, vt quiſque ijs vtatur ad Dei gloriam, & ſuam aliorumque ſalutem: ſic enim illa adaugebit, tum in ſe (omnis enim habitus per actuum exercitium creſcit) tum merito & præmio. Addentur enim illi coronæ & aureolæ cæleſtes, v. g. virginitatis, doctoratus, martyrij. Porrò nullus eſt homo qui non vnum aliquod, imò plura ex his Dei dona acceperit, ſed alius plura, alius pauciora. Nàm vt ait S. Gregorius hom. 9. in Euang. *Nullus eſt qui veraciter dicat, Talentum minimè accepi, non eſt vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipſum reputabitur, quod vel minimum accepit.* Multis enim maius Dei donum, & ad ſalutem vtilius eſt paupertas quàm opulentia, infirmitas quàm ſanitas, humilis ſtatus quàm ſublimis. Exemplum ſit in S. Paulo, S. Timotheo, & S. Oneſimo. S. Paulus enim quaſi quinque talenta, id eſt dona, à Deo accepit, ſcilicet donum linguarum, poteſtatem miraculorum, apoſtolatum, zelum animarum, efficaciam prædicandi: Timotheus verò quaſi accepit duo, ſcilicet ſcientiam Scripturarum, & epiſcopatum Epheſinum; Oneſimus verò vnum, ſcilicet ſtudium miniſtrandi S. Paulo Romæ incarcerato, per quod meruit plura alia, ſcilicet epiſcopatum Coloſſenſem, & multorum conuerſionem, & martyrium, vti dixi in epiſt. ad Philemonem.

*An Deus det talenta iuxta proprias vires? Reſpond. Primò.* Quæres, quomodo hæc talenta, ſiue dona ſua Deus diſtribuit *ſecundùm propriam cuiuſque virtutem*? Græcè, δύναμιν, id eſt, poteſtatem, robur & vires. Reſp. Hoc partim eſt emblema, pertinens dumtaxat ad elegantiam parabolæ. Sic enim apud homines ſolent prudentes heri bona ſua diuidere & credere ſuis ſeruis, vt plura credant ei, qui maiori pollet prudentia & induſtria, pauciora illi, qui minori. Nam certum eſt contra Pelagianos gratiam primam non dari ſecundùm naturales vires & merita, imò nullam eſſe in natura diſpoſitionem ad gratiam.

*Reſpond. Secundò.* Partim verò hoc pertinet ad propoſitum: quia gratias gratis datas & ſtatus, vt magiſtratum, epiſcopatum,



ſcopatum, apoſtolatum, ſacerdotium, &c. ſæpè Deus viribus naturæ contemperat, nec aliquem ad ſtatum aliquem aut gradum eligit, niſi ei ferendo par ſit, & natura idoneus, aut quem ipſe idoneum faciat. Idem hominibus faciendum eſſe cùm quem in paſtorem, Epiſcopum vel Prælatum eligunt, docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 2. & alibi. Imò cùm Deus quoduis donum permanens cuipiam elargiri decernit, priùs ei donat capacitatem, ſeu diſpoſitionem proportionatam naturalem, vel ſupernaturalem, aut meritum, quo ad hoc donum fiat idoneus, vel ad illud idoneè ſe comparet. Sic Moſi dedit zelum ſuæ gentis, vt eo ſe diſponeret ad illius præfecturam, & ex Ægypto liberationem. Sic Paulo dedit zelum legis Moſaicæ, vt eo deinde purgato & caſtigato vteretur ad propagationem legis Chriſtianæ, vti docet S. Auguſtinus libr. 22. contra Fauſtum ca. 70. Sic Magdalenæ & ſancto Petro ingentem indidit de peccatis contritionẽ, vt per illam ad ingentem ſanctitatem eos diſponeret. Sic quos Deus eligit & deſtinat ad virginitatem, religioſam vitam, martyrium, miſſionem Indicam, &c. priùs vehemens illius deſiderium eis ingerit, quo ſe ad illam aptent & præparent.

*Angelis data gratia iuxta naturam.* Denique S. Thomas 1. p. quæſt. 62. art. 6. docet Deum angelis diſtribuiſſe dona gratiæ & gloriæ ſecundùm dona naturæ: quare eos qui ſublimiores ſunt naturâ, ſublimiores quoque eſſe in gratia & gloria. Additque idem ſubinde facere in hominibus. Ait enim: *Hoc autem etiam in hominibus contingit: quia ſecundùm intentionem conuerſionis in Deum, datur maior gratia & gloria.* Sæpè tamen Deus facit contrarium, vt idiotis, rudibus, vilibus & abiectis, maiora det dona gratię, quàm literatis, ingenioſis, honoratis, opulentis, vti dedit S. Franciſco, S. Catharinæ Senenſi, S. Simeoni Stylitæ & pluribus ſimilibus. Simili modo ſubinde Deus diſtribuit dona gratiæ gratis datæ, ob arcana ſua conſilia & iudicia. Multi enim præſunt, ait Franc. Lucas, qui minimè digni aut idonei ſunt: multi ſunt ſacerdotio inepti, &c. In nullis tamen natura eiuſque dotes ſunt meritum, vel diſpoſitio ad gratiam.

Ergo ex hoc Chriſti dicto non ſequitur, *ſingulis conferri Dei dona ſecundùm meriti ſui modum*, quod Caluinus Catholicis hîc per calumniam affingit: aliud enim eſt naturâ capacem eſſe donorum Dei, aliud mereri dona Dei: aliud poſſe habere charitatem, aliud habere charitatem, quemadmodum docet Proſper libr. 2. de Vocatione Gentium cap. 2. vbi illud *ſecundùm propriam virtutem*, interpretatur *ſecundùm propriam & naturalem poſſibilitatem*: ſicut & aliud eſt eſſe habilem aptumque ad accipienda Dei dona, aliud ea mereri.

ET PROFECTVS EST STATIM] q. d. Chriſtus à Iudæis abijt ad Gentes, aut potiùs in cælum, vt dixi. Addit Lucas c. 19. 13. Chriſtum antequam abiret, partitis in ſeruos ſuos minis, vel talentis, dixiſſe: *Negotiamini dum venio*, vt ſcilicet talenta hæc mea ſtrenuè per totam vitam laborando adaugeatis, & eorum lucrum mihi offeratis cùm ego ad iudicium redibo; ac mox ſubijcit: *Ciues autem eius oderant eum, & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Ciues Chriſti ſunt Iudæi qui noluerunt *hunc* ſcilicet Chriſtum, agnoſcere pro ſuo rege & Meſſia, cùm coram Pilato clamarunt: *Non habemus regem niſi Cæſarem*, ideoque Chriſtum ad crucem poſtularunt. Rurſum cùm poſt mortem & Reſurrectionem Chriſti, eius Apoſtolos & Chriſtianos regnum Chriſti prædicantes & propagantes, & plagis, & litteris contra eos ſcriptis, quas per totum orbem ſparſerunt, perſecuti ſunt. Vnde de iuſtâ eorum caſtigatione ſubdit Lucas v. 27. Chriſtum dixiſſe: *Verumtamen inimicos meos, qui noluerunt me regnare, adducite huc, & interficite ante me.* Fecit hoc Chriſtus, cùm Iudæam vaſtauit, & Iudæos occidit per Titum Imp. magiſq; id faciet in die iudicij, cùm eos in gehenna æterna morte mulctabit.

VERS. 16. ABIIT AVTEM QVI QVINQVE TALENTA ACCEPERAT, ET OPERATVS EST IN EIS (per ea) ET LVCRATVS EST ALIA QVINQVE] *Lucrari talenta, quid?* Lucrari talenta eſt dona Dei augere per eorumdem vſum & exercitium, maximè autem eſt per bona opera & auxilium proximorum, gratiam Dei in ſe & alijs adaugere & accumulare. Innuit hæc parabola quemque gratiæ Dei ex æquo & totis viribus cooperari & collaborare debere, vt v. g. qui habet quinque gradus charitatis, eliciat actum eiuſdem intenſum vt quinque: ſic enim lucrabitur alios quinque gradus, accipietque à Deo habitum charitatis intenſum vt decem; cui ſi iterùm ex æquo cooperetur, eliciatque actum charitatis vt 10. lucrabitur alios decem charitatis gradus, accipietq; habitum charitatis intenſum vt viginti; cui rurſum ſi ex æquo collaboret, eliciatque actum charitatis vt viginti, merebitur & accipiet habitum charitatis intenſum vt 40. & ita conſequenter aſſiduè duplicando mirè multiplicabit lucrum talentorum ſuorum, putà graduum charitatis. Eſto ergo ipſe paucos aut nullos ſuâ charitate ad Chriſtum prædicando conuerteret, habebit tamen idem meritum & præmium prædicationis & charitatis ſuæ, perinde ac ſi multos conuertiſſet: conuerſio enim aliorum ſæpè non eſt in noſtrâ poteſtate, meritum autem ſemper eſt.

Nota ex Luca cap. 19. verſ. 16. & 18. eadem mna, id eſt, idem gradus gratiæ, in vno operatur & lucratur decem mnas, in alio verò quinque dumtaxat, quia ſcilicet ille maiori feruore, ſtudio & conatu voluntatis, gratiæ cooperatus eſt, quàm ille.

Porrò ex hoc verſu & ſequ. colligunt Theologi Deum ex merito actionum noſtrarum, habitus earum ſupernaturales ſtatim augere & intendere, etiamſi actiones habitum à quo manant, nõ ſuperent: nam qui quinque talenta acceperat, operando lucratus eſt alia quinque.

Moraliter S. Gregorius homil. 9. in Euangel. *Lectio Euangelij*, inquit, *ſollicitè conſiderare nos admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur, ab auctore mundi grauiùs inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Tanto ergo eſſe humilior, atque ad ſeruiendum promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.*

VERS. 17. SIMILITER ET QVI DVO TALENTA ACCEPERAT, LVCRATVS EST ALIA DVO] q. d. Hîc quoque ſtudioſè & ex æquo talento, id eſt, gratiæ ſuæ cooperando illam duplicauit.

Vers. 18. QVI AVTEM VNVM ACCEPERAT, ABIENS FODIT IN TERRAM, ET ABSCONDIT PECVNIAM DOMINI SVI] Arabicus, *ſepeliuit argentum domini ſui.* Defodere talentum, eſt ex negligentiâ & deſidiâ, gratiâ ſibi à Deo collatâ non vti, non operari. Vbi Nota, defoſſionem hanc talenti tribui illi, qui vnum tantùm accepit, non quòd alij qui plura acceperunt, ſæpè idem non faciant, ſed vt intelligatur ex eo, quòd tam acriter à domino exceptus & caſtigatus eſt is, qui vno tantùm talento abuſus eſt, longè acriorem fore domini cenſuram & caſtigationẽ in eos, qui pluribus abutuntur & maioribus. Quocirca Paulus, *Exhortamur*, inquit, *vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, 2. Corinth. 6. 11. Et: *Gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui*, 1. Corint. 15. v. 10. Et: *Væ mihi eſt, ſi non Euangelizauero*, ibidem c. 9. 16.

Notent hoc, qui ingenio, doctrina, prudentia, alijſque dotibus ſibi à Deo datis non vtuntur ad ſuam aliorumque ſalutem, ob deſidiam vel metum peccandi, aliaue ſimili de cauſa: ab his enim eorum rationem exactam repoſcet Chriſtus in die iudicij. Adde, eos qui pauca talenta acceperunt, ſæpè per ſocordiam illa otioſa relinquere, & quaſi defodere: nam qui plura acceperunt, ijs ſtimulantur, vt ijs vtantur; quare vel ijs rectè vtuntur ad meritum, vel abutuntur ad vanitatem, itaque puniuntur, non ob talentorum otium, ſed abuſum vanitatis. Ita ferè videmus eos qui pollent magno ingenio, ſi eo ad honeſta non vtantur; ad inhoneſta abuti.

Vers. 19. POST MVLTVM VERÒ TEMPORIS VENIT DOMINVS SERVORVM ILLORVM, ET POSVIT RATIONEM CVM EIS] Hanc rationem & computum cum quolibet priuatim init Chriſtus in morte & iudicio particulari cuiuſque animæ, publicè verò inibit in die iudicij vniuerſalis.

Vers. 20. ET ACCEDENS QVI QVINQVE TALENTA ACCEPERAT, OBTVLIT ALIA QVINQVE TALENTA, DICENS: DOMINE, QVINQVE TALENTA TRADIDISTI MIHI, ECCE ALIA QVINQVE SVPERLVCRATVS SVM] Audi S. Gregorium hom. 17. in Euangel. patheticè hæc depingentem. *In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & vnuſquiſque quid ſit operatus oſtendetur. Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam. Ibi Ioannes Aſiam, Thomas Indiam in conſpectum ſui iudicis conuerſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt. Cùm igitur tot paſtores cum gregibus ſuis ante æterni paſtoris oculos venerint, nos miſeri quid dicturi ſumus, qui ad Dominum noſtrum poſt negotium vacui redimus, qui paſtorum nomen habuimus, & oues quas ex nutrimento noſtro debebamus oſtendere, non habemus? Hîc paſtores vocati ſumus, & ibi gregem non ducimus.*

Vers. 21. AIT ILLI DOMINVS EIVS: EVGE SERVE BONE ET FIDELIS, QVIA SVPER PAVCA FVISTI FIDELIS, SVPER MVLTA TE CONSTITVAM, INTRA IN GAVDIVM DOMINI TVI] Lucas c. 19. v. 19. habet: *Et tu eſto ſuper quinque ciuitates.* Eſt parabola ſumpta à rege, qui ſolet ſeruos fideles remunerare gubernaculis plurium ciuitatum. Significat autem per catachreſim, Sanctos qui ſtrenuè vſi ſunt gratiâ ſibi à Deo datâ, fore conſortes gloriæ, regni & gaudij Dei, ſed maioris vel minoris pro labore & meritis cuiuſque.

Noſter Salmeron opinatur hîc innui, taciteq; promitti, quòd Sanctis certis locis, quibus in vita laborarunt, in cęlo à Deo præficiantur, vt ibi plus boni operentur, v. g. vt morbis medeantur, aliaque miracula patrent, quia hoc labore ſuo meruerunt. Sic S. Iacobus miracula patrat Compoſtellę & in Hiſpania, S. Dionyſius Pariſijs & in Gallia, S. Ambroſius Mediolani & in Italia, S. Bonifacius in Friſia & Germania.

Vers. 22. ACCESSIT AVTEM, ET QVI DVO TALENTA ACCEPERAT, ET AIT: DOMINE DVO TALENTA TRADIDISTI MIHI, ECCE ALIA DVO LVCRATVS SVM.

Vers. 23. AIT ILLI DOMINVS EIVS: EVGE SERVE BONE ET FIDELIS QVIA SVPER PAVCA FVISTI FIDELIS, SVPER MVLTA TE CONSTITVAM, INTRA IN GAVDIVM DOMINI TVI] Arabicus vertit, *& hæc ſunt quinque talenta quæ lucratus ſum*, quaſi ea ſeruus hero oſtenderit & obtulerit. Patent hæc ex dictis v. 20. & 21. Idem enim dicitur, niſi quod ibi quinque ſint talenta, hîc duo: quia, vt ait S. Hieronymus, *Non tam conſiderat Dominus lucri magnitudinem, quàm ſtudij voluntatem.* Ac fieri poteſt vt is qui duo accepit, ſtrenuè & continuè cum ijs negotiando plus mereatur & accipiat, quàm is qui quinque nactus eſt, ſi tepidè & rarò ijs vtatur. Sic S. Nicolaus Tolentinas, qui ſanctam in iugi oratione & auſteritate egerat vitam, adeoque feriâ ſecundâ, quartâ, ſextâ, & ſabbato in honorem B. Virginis ieiunabat, ſolo pane & aquâ contentus, ac ferreâ catenâ corpus caſtigabat, ſex menſibus ante mortem quotidie ad veſperam melodiam audiuit angelicam, quâ ad nuptias Agni cæleſtis inuitabatur. Demum ſub mortem miro perfuſus gaudio, & cauſam rogatus dixit: *Dominus meus Ieſus Chriſtus, ſuæ matri, & noſtro Patri Auguſtino innixus, dicit mihi: Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Ac mox iunctis ſurſum manibus, oculiſque ad crucem ſublatis: *In manus tuas Domine*, inquit, *commendo ſpiritum meum.* Itaque iucundo & hilari vultu animam Deo reſignauit anno Domini 1306. vt habet eius Vita apud Surium die 10. Septembris.

*S. Nicolaus Tolentinas.*

Vers. 24. ACCEDENS AVTEM ET QVI VNVM TALENTVM ACCEPERAT, AIT: DOMINE, SCIO QVIA HOMO DVRVS ES, METIS VBI NON SEMINASTI, ET CONGREGAS VBI NON SPARSISTI:

Vers. 25. ET TIMENS ABII, ET ABSCONDI TALENTVM TVVM IN TERRA: ECCE HABES QVOD TVVM EST.

Emblema eſt ſpectans ad ornatum parabolæ. Sic enim ſerui pigri ſuam deſidiam, domini ſeueritate excuſant, ait Franciſcus Lucas, q. d. Tu non vis perdere, ſed ſolùm lucrari; &, ſi lucrum non adfertur, tollis tibi res ſeruorum tuorum pauperum quâuis ratione, iure vel iniuria. *Qui ſimpliciter inertiam debuit confiteri*, inquit S. Hieronymus, *& orare patrem familias veniam, è contrario calumniatur, & conſideratâ rapacis domini auaritiâ, prudenti conſilio ſe ab omni negotiatione abſtinuiſſe præfatur.*

Notat



Notat reprobos in die iudicij, cùm videbunt Sanctos à Chriſto adeò præmiari, ſe verò damnari ad gehennam, idque in æternum ex deſperatione, odio & rabie in Chriſtum iudicem inſurrecturos, illique ſeueritatem nimiam impudenter exprobraturos, indeque ſuæ damnationis culpam impiè & blaſphemè in eum coniecturos. Sic enim ipſi in gehenna ex tormentorum acerbitate & æternitate in furorem acti, aſſiduè blaſphemant Deum, Chriſtum & Sanctos omnes, vtpotè à quibus torquentur, vel effectiuè, vel obiectiuè.

Vers. 26. Luc. 19. 22. RESPONDENS AVTEM DOMINVS EIVS, DIXIT EI: SERVE MALE ET PIGER, SCIEBAS QVIA METO VBI NON SEMINO, ET CONGREGO VBI NON SPARSI.

Vers. 27. OPORTVIT ERGO TE COMMITTERE PECVNIAM MEAM NVMMVLARIIS, ET VENIENS EGO RECEPISSEM VTIQVE QVOD MEVM EST CVM VSVRA.

Hoc pariter emblema eſt, tantùm ſignificans omni modo & operâ, ſaltem faciliori & qui ferè caret periculo, gratiam Dei cuilibet augendam eſſe. Vbi Nota, nummularios vocari eos, qui ex cambio vel mutuo lucrum faciunt, vti ſunt campſores & vſurarij. Hoc lucrum in cambio licitum eſt, in mutuo illicitum, & peccatum vſuræ. Eſtque hic lucrandi modus certus, obuius & facillimus. Vnde dominus hîc non tam ex rei in ſe iuſtitia loquitur, quàm parabolicè, partim ex gentium conſuetudine & vſu: apud multas enim gentes vſuræ habitæ ſunt licitæ, ac præſertim apud Iudæos, qui ſibi illas apud Gentes permiſſas à Deo putant Deuter. 23. 19. partim ex conſequentia verborum ſerui deſidis, qui duram auaritiam extorquendi lucrum per fas & nefas, tam à ſe quàm ab alijs domino ſuo impingebat. Poteſt tamen hoc rei per parabolam ſignificatæ adaptari ſic; quòd Deus gratiæ & donorum ſuorum lucra, quaſi vſuras, ſed æquiſſimo iure debitas à nobis exigat, longè maiores gloriæ vſuras redditurus in cælo: vnde illud, *Si vis fœnerari, fœnerare Deo.* Nam vt dicitur Prouerb. 19. 17. *Fœneratur Deo, qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei.* Vide ibi dicta.

*Nummularij, qui?*

Vers. 28. Luc. 19. 24. TOLLITE ITAQVE AB EO TALENTVM, ET DATE EI QVI HABET DECEM TALENTA] Ex dono enim meo primus habuit quinque talenta, deinde ex ijs lucratus eſt alia quinque: ergo vniuerſim habet iam decem. Emblema hoc quoque eſt. Retundit Dominus criminationem ſerui pigri, accuſantis ſe de auaritia. q. d. Ecce vt videas, ô ſerue piger, me hæc lucra non mihi auarè; ſed ſeruis ipſis liberaliter quærere, meum talentum tibi datum ad me reuocans, illud non mihi in arcam recondo, ſed erogo ei qui quinque ſuis benè vſus, lucratus eſt alia quinque. Hic enim hoc tuum, imò meum talentum quaſi auctarium ſui laboris & lucri meretur.

Hoc quoque partim emblema eſt parabolæ, partim applicandum rei per parabolam ſignificatæ, Nam in die iudicij reuerà Deus tollet gratias ſuas à reprobis, qui ipſis vel non vſi, vel ad malum abuſi ſunt. Idem ſæpè facit in hâc vitâ, imò ſemper gratiam gratum facientem tollit, ab eo qui peccat mortaliter, v. g. dum per deſidiam negligit implere aliquod Dei præceptum obligans ſub peccato mortali. Emblema verò eſt quod addit, *Et date ei qui habet decem talenta.* Quo tamen tacitè innuit Primò, Sanctos qui diligenter gratiâ Dei vtuntur, dignos eſſe maiori, & illâ quam indigni & otioſi habent, idque non rarò fieri in hac vita, vt ipſa ex his ad illos transferatur, iuxta illud Apocal. 3. 11. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Vide ibi dicta. Secundò, innuit Sanctos in cælo gauiſuros, & de ſuis talentis & de reproborum, quatenus ſuis ſe meliùs vſos quam reprobos, aut ſe reproborum coronas accipere gaudebunt. Tertiò, quod Deus in cælo omnia dona omneſque dotes & gratias, etiam illas quas reprobi habuerunt in hac vita, conferet in Beatos: quia beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, vt ait Boëtius. Illas intellige eaſdem non numero, ſed ſpecie, id eſt, ſimiles illis quas reprobi habuerunt. Vnde ſubijcit & concludit Chriſtus:

Vers. 29. Luc. 19. 26. Sup. 13. 11. OMNI ENIM HABENTI DABITVR, ET ABVNDABIT: EI AVTEM QVI NON HABET, ET QVOD VIDETVR HABERE, AVFERETVR AB EO] Arabicus, *quia ei qui habet dabitur, & addetur; & ab eo qui non habet auferetur quod eſt cum eo*; Syrus, *id etiam quod habet, adimetur ei.*

OMNI HABENTI] ſcilicet lucrum talentorum & gratiæ, per ſtrenuam cooperationem ſuam partæ adauctæque, plus talentorum & gratiæ ac gloriæ dabitur. Secundò, S. Chryſoſt. hîc, & S. Auguſt. lib. 2. Quæſt. Euang. quæſt. 46. *Omni habenti*, id eſt, omni benè vtenti talento ſuo. Ille enim verè habet talentum, qui eo rectè vtitur: otioſus enim qui eo non vtitur, videtur illud non habere; perinde enim apud illum iners ac otioſum eſt, ac ſi illud non haberet.

EI AVTEM QVI NON HABET, ſcilicet lucrum talentorum & gratiæ à ſe partum, vel *qui non habet*, id eſt, qui non vtitur talento ſuo, vti iam dixi, ET QVOD VIDETVR HABERE, id eſt, talentum ſuum quod quidem *habet*, vt dictum eſt cap. 13. 12. ſed quia otioſum illi erat, potiùs non habere quam habere videbatur, AVFERETVR AB EO] iuxta ſenſum quem paulò antè dixi. Simili phraſi ait Comicus: *Auaro tam deeſt quod habet, quàm quòd non habet*, quia eo non vtitur, ſed in arca recondit & ſepelit, quare arca illud habet, non ipſe. Auarus enim non tam habet & poſſidet aurum, quàm ab auro habetur & poſſidetur: eſt enim auri ſeruus & mancipium.

Hinc Theologi ſumpsêre ſuum illud axioma: *Facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt*, nec denegat gratiam, cui ſi ſtrenuè cooperetur, maiorem addet ſemper & maiorem, vſque ad donum perſeuerantiæ & gloriæ, quod quomodo accipiendum ſit, vide Suarez, Vaſquez, Valentiam, Bellarminum & alios tract. de Gratiâ.

Iterauit hanc gnomen Chriſtus cap. 13. verſ. 12. ſed ad alium finem & ſcopum, vt ibi oſtendi.

Vers. 31. CVM AVTEM VENERIT FILIVS HOMINIS IN MAIESTATE SVA, ET OMNES ANGELI CVM EO, TVNC SEDEBIT SVPER SEDEM MAIESTATIS SVÆ] Syrus, *ſuper thronum gloriæ ſuæ*, quaſi iudex omnium, ſedens in ſplendida & glorioſa nube, vide dicta cap. 24. 30. Hîc Chriſtus graphicè depingit ideam & formam iudicij extremi, vt illud omnes ſuæ menti imprimant,





eiuſque

A eiuſque iugi recordatione ad vitæ puritatem & ſtudium bonorum operum ſe continuò excitent & extimulent. Porrò Chriſtus ſedebit in aëre iuxta Ieruſalem ſupra vallem Ioſaphat, quæ adiacet monti Oliueti, vbi pati cœpit in horto, & ex quo glorioſè in cælum conſcendit, vt docet Ioël cap. 3. 2. Vide ibi dicta.

*Maieſtas Chriſti iudicis. Primò. Secundò.*

Maieſtas Chriſti iudicis elucebit, Primò, in præuio horriſonæ tubæ Archangeli clangore, qui tam ſonorus erit, vt per totum orbem audiatur. Secundò, in præuijs fulguribus, tonitribus, grandinibus, procellis, terræmotibus, iuxta illud pſal. 96. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra.* *Tertiò.* Tertiò, quòd Chriſtus apparebit in corpore glorioſo ac magis radiante, quàm ſol, iuxta illud Iſaiæ cap. 24. *Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cùm regnauerit Dominus exercituum*, B in ſenſu myſtico. Nam alius illius loci eſt ſenſus literalis, vt ibi oſtendi. *Quartò.* Quartò, quòd veniet cum nubibus, ac ſedebit iudex in nube glorioſa. *Quintò.* Quintò, quòd è cælo deſcendet ſtipatus innumeris angelorum omnium legionibus. *Sextò.* Sextò, quòd ante eum iudicandi ſtabunt, omnes Imperatores, Pontifices, Reges, Prælati, principes, philoſophi, oratores, omneſque omnino homines & gentes. *Septimò.* Septimò, quòd eos iudicabit, non vt alienos ſubditos, vti faciunt gubernatores regum, ſed vt proprios ſeruos: omnes enim homines & angeli ſunt ſerui Chriſti, non tantùm quà Deus eſt iure creationis, ſed etiam quà homo eſt iure vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, ac iure meriti: hoc enim meritus eſt Chriſtus ſuâ humili obedientiâ vſque ad mortem crucis, iuxta illud Apoſtoli Philipp. 2. C *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Homines verò Chriſti ſerui ſunt proprio iure redemptionis: eos enim morte & inferno redemit, & emit Chriſtus pretioſo ſanguinis ſui pretio.

Et omnes angeli cvm eo] Ergo in die iudicij ne vnus quidem angelus manebit in cælo, ſed omnes omnino cum eo deſcendent, eumque quaſi Deum, Dominum & ſaluatorem ſuum honoris causâ quaſi famuli comitabuntur, vt Chri- D ſtum quà homo eſt & iudex, ſtipent, illique miniſtrent. Quocirca vnus ex eis Chriſto præferet crucem, quaſi inſigne triumphi & regni, vt patet cap. 24. 30. Porrò probabile eſt angelos tunc aſſumpturos corpora ex aëre condenſato, in ijſque ſplendidis glorioſè apparituros: alioqui enim hæc Chriſti angelis ſtipati gloria & poteſtas, non poſſet videri ab impijs & reprobis, quorum tamen causâ maximè exhibebitur, neque externam eius maieſtatem (quam deſcribere vult hîc Chriſtus) ille angelorum exercitus augeret. Ita Suarez tom. 2. diſp. 57. Cùm ergo innumerabilis ſit angelorum multitudo, tunc longè lateque ſupremas aëris regiones vndique per multa millia milliarium, vſque ad cælos ipſos replebunt, & immenſi exercitus ſpeciem præbebunt. Hæc erit maieſtas & gloria Chriſti ad gaudium electorum, & terrorem reproborum.

*Angeli apparebunt in corporibus ſplendidis.*

*dæmones in terris.*

A Valdè etiam credibile eſt, dæmones quoque in corporibus aſſumptis, ſed terris, horridis & terrificis apparituros, vel quia alioqui ab impijs videri non poſſent, vel quia pertinent ad Chriſti, quà homo eſt & iudex, gloriam, & impiorum confuſionem, vt videantur. Ita noſter Leon. Leſſius l. 13. de Perfect. diuinis c. 22. Hâc ratione fiet, ait auctor Imperfecti, *vt etiam mali ipſum confiteantur inuiti, & qui contempſerunt in humilitate, agnoſcant in poteſtate.*

Vers. 32. Et congregabvntvr ante evm omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicvt pastor segregat oves ab hoedis] Id faciet per angelos quaſi adminiſtros ſuos, iuxta illud c. 13. 49. *Tunc exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum.*

Omnes gentes] Id eſt, omnes homines à B primo Adam prognati, vſque ad vltimum, cuiuſcumque familiæ & gentis ſint, quamtumuis feræ & barbaræ, etiam paruuli & infantes, licèt de infantium cauſa & ſententia hîc propriè non agatur; ſed tantùm de adultorum, qui ſuis bonis vel malis operibus cælum vel infernum promeriti ſunt. Quocirca erunt tunc plurimi milliones hominum, quos omnes vallis Ioſaphat non capiet, quare tunc Deus montem Oliuarum alioſque complanabit, vt locus ſit qui capiat tot hominum myriades: reprobi enim omnes in terra conſiſtent, Sancti verò præſertim illuſtres, vt Apoſtoli, ac viri Religioſi & Apoſtolici in aëre attollentur, imò Chriſto iudici aſſidebunt, Matth. 19. 28.

*Paruuli aderunt in iudicio. Primò.*

Porrò paruulos comparituros in die iudicij, licet id neget Durandus in 2. diſp. 33. quæſt. 3. C valdè eſt probabile. Primò, quia Chriſtus omnium omnino hominum erit iudex: ergo etiam paruulorum. *Secundò.* Secundò, quia paruuli æquè ac adulti reſurgent, idque *in virum perfectum*, vt ait Apoſtolus Epheſ. 4. verſ. 13. hoc eſt, in ætate & ſtatura virili: videbunt ergo & cognoſcent omnes homines ſecum reſurgentes ſiſti coram tribunali Chriſti, vt ab eo iudicentur. *Tertiò.* Tertiò, quia multi ex infantibus per baptiſmum, vel martyrium effecti ſunt Sancti & Martyres, vti fuêre innocentes occiſi ab Herode. Hi ergo cum adultis audient à Chriſto: *Venite benedicti Patris mei.* *Quartò.* Quartò, quia infantes mortui in peccato originali per tot millia annorum, vbiuis gentium erunt plurimi, adeò vt Leſſius de Perfect. diuin. D cap. 22. num. 143. putet numerum eorum fore mille milliones. Hi autem abſcondi non poterunt, ſed in terra reſurgentes comparebunt, videbuntque omnes ſecum reſurgere & iudicari à Chriſto. Quare hi quoque ſegregati ab alijs, ſuam à Chriſto ſententiam accipient, mediam ſcilicet inter adultos & reprobos: nam nec damnabuntur ad ignem gehennæ, vt adulti reprobi; nec adiudicabuntur cælo ad videndum Deum, vti adulti electi.

Separabit eos ab invicem, sicvt pastor separat oves ab hoedis] Electos comparat ouibus, ob innocentiam, humilitatem, ſimplicitatem, modeſtiam, obedientiam, patientiam; reprobos hœdis, quia hoc animal fœtet, eſt aſperum, immundum, petulcum, laſciuum, per præcipitia incedens, rixoſum; quales ſunt impij. Vnde & in lege veteri hœdi quaſi victimæ pro peccato offerri ſolebant.

Huius



A Huius ſeparationis typus præceſſit in ſeparatione benedictionum in eos qui ſeruant legem, & maledictionum in eos qui legem violant, facta à Moſe in monte Garizim, Deuter. c. 27.

Vers. 33. Et statvet oves qvidem a dextris svis, hoedos avtem a sinistris] Dextra enim ſymbolum eſt felicitatis, gloriæ, regni, victoriæ & triumphi; ſiniſtra verò infelicitatis, opprobrij, ſeruitutis, calamitatis & miſeriæ. Addit S. Thomas: *A dextris*, inquit, id eſt honoratiori & nobiliori loco; ſcilicet in aëre conſiſtent electi, inde mox in cælum cum Chriſto conſcenſuri; iuxta illud, *Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra*, 1. Theſſal. 4. 16. Reprobi verò erunt *à ſiniſtris*, id eſt, humiliori & viliori loco in imo terræ, vt inde hiante terrâ abſorbeantur in tartara.

Vers. 34. B Tvnc dicet Rex his, qvi a dextris eivs ervnt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratvm vobis regnvm a constitvtione mvndi] *Venite* de tenebris ad lucem, de ſeruitute ad libertatem filiorum Dei, de labore ad requiem perennem, de bello ad pacem, de morte ad vitam, de malorum ſocietate ad angelorum conſortium, de agone ad triumphum, de ſolo & ſalo tentationum, ad ſolem glorię, & iuge cælum gaudiorum æternorum.

Patheticè hoc verbum exaggerat S. Hippolytus Martyr tract. de Conſummat. ſæculi in fine, deſcendendo ad ſingulos Sanctorum ordines. *Venite*, ait, *Prophetæ propter nomen meum expulſi: Venite Patriarchæ, qui ante aduentum meum obtemperaſtis mihi, regnumq; meum deſideraſtis: Venite Apoſtoli* C *mearum afflictionum participes, dum inter homines agerem propter Euangelium: Venite Martyres, qui confeſſi me coram tyrannis, tormenta multa atq; ſupplicia pertuliſtis: Venite Pontifices, qui purè mihi ſacrificium die nocteq; obtuliſtis, ac pretioſum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie: Venite Sancti, qui in montibus, in ſpeluncis & cauernis terræ exercuiſtis vos, qui per continentiam, preces & virginitatem ſeruiiſtis nomini meo: Venite adoleſcentulæ, quæ thalamum meum exoptaſtis, nec præter me ſponſum alium dilexiſtis, quæ per martyrium & pietatis exercitationẽ mihi immortali ac incorruptibili ſponſo copulatæ eſtis: Venite qui dilexiſtis pauperes & peregrinos: Venite qui charitatẽ meam ſeruaſtis, ſicut ſum ego charitas: Venite ſocij pacis: ego enim ſum ipſa pax.*

D Porrò priùs Chriſtus iudicat præmiatque electos, quàm puniat reprobos; tum quia electi digniores ſunt reprobis; tum quia Chriſti propriũ eſt præmiare, alienum punire; tum vt reprobi *acrius doleant videntes quid amiſerint*, ait S. Bernardus ſerm. 8. in pſal. 90.

Rex] Chriſtus iudex habens in femore ſuo ſcriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium*, Apocal. 19. 16.

Benedicti Patris mei] quos ſcilicet Pater meus, cui appropriatur omnipotentia, imperium & prædeſtinatio, *benedixit omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus*, per ſanguinis mei meritum, Epheſ. 1. 3. ſcilicet quos ab æterno dilexit & prædeſtinauit, in tempore iuſtificauit, nunc verò glorificabit: quibus dedit gratiam, bona opera, & in ijs perſeuerantiam vſque ad finem vitæ, ideoque eis pro meritis nunc præmium cæleſtis gloriæ per me attribuit. Venite ergo

A benedicti, terque quaterque beati, quos Deus amauit & prædeſtinauit ante mundum, vocauit de mundo, mundauit & ſanctificauit in mundo, nunc magnificabit poſt mundum, vt ait in Soliloquijs S. Auguſtinus.

*Iudicium extremum an in momento peragendum.*

Nota. Iudicium Chriſti extremum non peragetur in inſtanti, ſiue in momento temporis, vti peragetur generalis omnium reſurrectio, 1. Corinth. 15. 52. ſed aliquanto tempore durabit. Nam Primò, fiet ſingulorum examen, & conſcientiarum apertio, quâ Chriſtus cuique hominum ſua & aliorum omnium facta, per illuminationem internam patefaciet & reuelabit, ac ſententiam cuique ſuam pro meritis dictabit, facietque vt omnes videant illam in ſingulis eſſe æquiſſimam & iuſtiſſimam, nec vllum exceptioni vel tergiuerſationi dari locum, vti oſtendi Apocal. B 20. 12. ac fusè docet hîc Abulenſis quæſt. 334. & ſeq. *Fiet enim*, ait S. Auguſt. l. 20. de Ciuit. c. 14. *virtute diuinâ; vt cuique opera ſua, vel bona, vel mala in memoriam reuocentur: & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur, vt accuſet vel excuſet ſcientia conſcientiam.* Hæc enim fient in tempore, ſed perbreui. Deinde generalem in omnes Sanctos voce ſenſibili, vt videtur, proferet æternæ felicitatis ſententiam, dicendo: *Venite benedicti Patris mei*, &c. mox in reprobos æternæ damnationis fulmen denotabit, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum*, &c.

Possidete] Græcè, κληρονομήσατε, id eſt, *hereditate* (ita Arabicus) velut hereditatem veſtram occupate. *Si enim filij, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*, Rom. 8. *O quantæ* C *gloriæ*, ait Chryſoſtomus, *quantæ beatitudinis hæc verba ſunt? nec dicit Accipite, ſed hereditate, quaſi propria, quaſi paterna, quaſi veſtra quæ vobis à principio debebantur.*

Paratvm vobis regnvm a constitvtione mvndi] *Regnum*, putà cælum empyreum omniaq; eius bona, vti ſunt viſio & fruitio Dei, ſocietas angelorum & Beatorum, dotes animæ & corporis, copia bonorum omnium, non humanorũ, ſed diuinorum.

A constitvtione mvndi] Arabicus, *ante conſtitutionem mundi*, ſcilicet ab æterno. Significat cælum totumque mundum creatum eſſe à Deo propter Beatos, vt ipſi in eo perpetim beentur, glorientur, regnent & triumphent. Porrò hæc gloria Sanctis parata & prædeſtinata fuit. Primò, D ab æterno: ideò enim Deus ab æterno ſtatuit condere Sanctos & mundum, vt ipſos in eo bearet, omniumque bonorum ſuorum conſortes efficeret. Secundò, à creatione mundi: cælum enim empyreum mundumque creauit Deus hoc fine, vt eſſet ſedes & regnum Beatorum. Quocirca S. Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Titum: *Oſtenditur*, inquit, *ex his nobilitas noſtra, quòd non nuper ſed olim atque ab ipſis initijs dilecti ſumus.* Et hom. 34. in Geneſim: *Vide bonitatis Dei excellentiã, quantâ erga noſtrum genus miſericordiâ vſus ſit, vt & ante iacta fundamenta mundi nobis regni cælorũ fruitionem præparare dignatus ſit.*

O quàm ſuauis & beata electis accidet hæc vox Chriſti? quantas illi agent gratias? quomodo iubilabunt? Non dubium quin profundiſſimâ reuerentiâ ſe demittent, ac proſtrati vel genu flexi illum adorabunt, confitentes & exultantes ſe eius ſanguine & meritis ad tantam feli-

 citatem

citatem euectos, vt patet Apocal. cap. 5. & 7. vbi videre eſt & audire eorum iubilos, doxologias & epinicia, quæ Deo & Chriſto pleno ore & corde accinent.

Quocirca auditâ hâc Chriſti voce, conuerſus imò Martyr effectus eſt S. Apronianus. De eo enim ſic legimus in Martyrol. Romano die 2. Februarij: *Romæ via Salaria paſſio S. Aproniani Commentarienſis, qui adhuc Gentilis, cùm S. Siſinium è carcere educeret, vt Laodicio præfecto præſentaret, vocemq́ue è cælo factam audiret: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi; credens baptizatur, & poſteà in confeſſione Domini finem vitæ capitali ſententiâ accepit.* Eâdem voce auditâ S. Mechtildis moriens euocata eſt ad cælum, vti habet eius Vita.

Vers. 35. Esvrivi enim, et dedistis mihi mandvcare (Syrus *quod manducarem:*) sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me] in veſtram domum, vel aliam hoſpitalem.

*Cur miſericordes præ alijs cælo adiudicentur.*

Nota. Chriſtus hìc vnam ſpeciem bonorum operum, quibus Sancti æternam gloriam illis à Chriſto in iudicio decretam meruerunt, ponit pro toto genere: tantùm enim affert opera miſericordiæ, tum quia illa ſunt quaſi naturalia, & vbique ſunt obuia, & ad communitatem maximè pertinent: plurimi enim vbique ſunt miſeri: tum quia homines plebeij & vulgares magni illa faciunt, eò quòd ad orationes, ieiunia & alia ſublimiora minùs ſunt idonei: tum quia ab eis nemo facilè ſe excuſare poteſt: tum vt ea nobis velut vtiliſſima ad impetrandam Dei miſericordiam commendet, ait S. Auguſt. ſerm. 39. inter nouos, Chryſoſtomus & alij. Audi S. Baſilium conc. 4. de Eleemoſ. *Eſurientis*, ait, *eſt panis ille, quem tu apud te detines: nudi, veſtis illa quam in cella tibi ſeruas: diſcalceati, calceus ille qui domi tuæ putredine corrumpitur: egeni, argentum quod humi defoſſum habes. Itaque tot iniuriâ afficis, quot tuis rebus, dum licet, non iuuas.* Idem aſſeuerant S. Hieron. S. Auguſt. S. Chryſoſt. S. Ambroſius & S. Bernardus, quorum verba recitaui Eccli. cap. 4. verſ. 1. *Iucundus homo*, inquit Dauid, *qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio*, pſal. 111. verſ. 5. ſeu, vt legit D. Chryſoſt. *rationes ſuas*, q.d. Vitæ ſuæ rationem optimam reddet; ſuam cauſam apud ſupremum iudicem egregiè perorabit. *Neque enim*, inquit D. Chryſoſtom. *fieri poteſt vt anima diues miſericordiâ, obruatur vmquam à grauibus animi perturbationibus.* Et D. Chryſolog. ſerm. 40. *Sine cauſâ*, inquit, *accuſant peccata, quem pauper excuſat. Excuſari non poteſt, quem fames pauperis accuſarit. Videbit diem malum qui diem iudicij ſine aduocatione paupertatis intrarit. Qui fœnerat pauperi, ipſum ſibi iudicem præſtitit debitorem.* Rurſum S. Chryſoſt. hom. 5. de Pœnitentiâ: Chriſtus, inquit, hìc tacet alia virtutum opera, *non quòd memoria ſint indigna, ſed quòd à clementia ſint ſecunda.* Denique S. Auguſtinus ſerm. 25. de Verbis Domini: *Via*, ait, *cæli eſt pauper, incipe erogare, ſi non vis errare.*

Porrò non dubium eſt, quin multi propter alias virtutes & peccata maioris momenti ſint ſaluandi vel damnandi: nam multi vix poſſunt opera miſericordiæ exercere, vt pauperes, pueri, Religioſi, qui tamen maiora præſtant, vt caſtitatem, obedientiam, paupertatem Euangelicam, contemplationem, conuerſionem animarum, &c. ob quæ maiora à Chriſto præmia conſequentur, iuxta illud cap. 5. 1. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, &c.*

Quocirca Chriſtus non videtur hæc ſenſibili voce prolaturus, vti profert ipſam ſententiam ſalutis vel damnationis, ſed ſpiritali inſtinctu cuique ea reuelabit & dictabit, ita Franc. Lucas & noſter Leſſius loco citato n. 142. Hinc patet electos propter bona opera à Chriſto eligi & adiudicari cælo: ergo bona opera merentur cælum & cæleſtem gloriam. Igitur gloria hìc datur Sanctis à Chriſto quaſi hereditas, tamquã filijs; & ſimul quaſi merces, tamquam meritis & dignis: Deus enim non dat filijs regnum, ſiue eo digni ſiue indigni ſint, vt ſæpè fit apud homines, ſed dignis tantùm & merentibus.

*Sex opera miſericordiæ corporalia hinc eliciuntur.*

Porrò ſex ſunt præcipua corporalia miſericordiæ opera, quæ Chriſtus hìc recenſet; ſcilicet eſurientes cibare, ſitientes potare, peregrinos hoſpitio excipere, nudos veſtire, infirmos viſitare, captiuos ſolari & redimere, quibus adde ſeptimum, ſcilicet ſepelire mortuos in Tobia commendatum. Totidem ſunt ſpiritualia, quæ ſub corporalibus hìc ſubintelligit Chriſtus: illa verò tantò corporalibus præſtant, quantò ſpiritus præſtat corpore; quæ ſunt peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè conſulere, pro ſalute proximi Deum orare, conſolari mœſtos, ferre patienter iniurias, offenſam remittere, de quibus vide P. Petrum Caniſium in Opere catechiſtico. Excelluit in operibus miſericordiæ S. Gregorius, qui proinde nunc angelum, nunc Chriſtum ipſum formâ pauperis & peregrini hoſpitio & menſâ excipere meruit, vt refert Ioannes Diaconus in eius Vita l. 2. cap. 22. & 23.

Vers. 36. Nvdvs, et coopervistis me: infirmvs, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me] Hoc eſt quod dixit Chriſtus cap. 9. v. 13. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Miſericordia enim tegit, & quaſi redimit culpas & miſerias miſericordis. Audi S. Auguſtinum ſer. 33. de Diuerſis: *Scriptum eſt, Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleëmoſyna extinguit peccatũ, &c. Proinde illis quos coronaturus eſt, ſolas eleëmoſynas imputabit, tamquam dicens: Difficile eſt, vt, ſi examinem vos & appendam vos & ſcruter diligentiſſimè facta veſtra, non inueniam vnde vos damnem: ſed ite in regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Non ergo itis in regnum; quia non peccaſtis; ſed quia peccata veſtra eleëmoſynis redemiſtis.* Vide viginti fructus eleëmoſynæ, quos recenſui Deuter. 26. 12.

Vers. 37. Tvnc respondebvnt ivsti, dicentes (non tam ore quàm corde admirantes Chriſti erga ſe munificentiam) Domine (Syrus, *Domine noſter*) qvando te vidimvs esvrientem, et pavimvs te; sitientem, et dedimvs tibi potvm?

Vers. 38. Qvando avtem te vidimvs hospitem, et collegimvs te? avt nvdvm, et coopervimvs te?

Vers. 39. Avt qvando te vidimvs infirmvm, avt in carcere, et venimvs ad te?] Voce *quando*, ſignificatur profunda humilitas, admiratio & exultatio Sanctorum, eò quòd audiant opera ſua exigua & exilia tanti fieri à Chriſto, vt ea ſibi facta æſtimet Chriſtus, quæ pauperibus Chriſti amore fecerunt. Vnde Euthymius putat hoc eſſe emblema parabolæ, ad hoc inductum, vt ex hâc eorum interrogatione cognoſcatur reſponſio Chriſti, quod verum eſt, ſi de vocali Sanctorum interrogatione hæc accipias, non verò ſi de mentali.



Vers. 40. Et respondens Rex (Chriſtus iudex) dicet illis: Amen dico vobis qvamdiv fecistis vni ex his fratribvs meis minimis, mihi fecistis] Τὸ *his* propriè denotat Apoſtolos, & eis ſimiles viros Religioſos, & Apoſtolicos, qui Chriſto iudici aſſidebunt (& in hoc mundo habiti ſunt *minimi*, & abiectiſſimi, ac ſibi ex humilitate viſi ſunt omnium *minimi*) eò quòd voluntariam paupertatem ſpiritûs amplexi, totos ſe Chriſto Chriſtique fidei prædicationi & cruci mancipārint. Conſequenter tamen notantur omnes pauperes Chriſtiani, qui regenerati in baptiſmo per gratiam effecti ſunt filij Dei, ideoque fratres Chriſti. Vbi Nota. Infideles & reprobos, licèt olim fratres Chriſti fuerint, hìc Chriſtus nec nomine dignos cenſet: non tamen vetat eis fieri eleëmoſynam. Præclarè S. Cyprianus tract. de Eleëmoſyna: *Quid*, inquit, *potuit nobis maius Chriſtus edicere? quomodo potuit magis iuſtitiæ ac miſericordiæ noſtræ operam prouocare, quàm quòd præſtari id dixit ſibi, quidquid egenti præſtatur & pauperi? vt qui reſpectu fratris in Eccleſia non mouetur, vel Chriſti contemplatione moueatur: & qui non cogitat in labore & egeſtate conſeruum, vel Dominum cogitet, in illo ipſo quem deſpicit, conſtitutum.*

*S. Ludouici regis pietas in pauperes.*

Hâc de cauſâ S. Ludouicus rex Franciæ in Feſtis & Vigilijs ſuâ manu cibum porrigebat ducentis pauperibus, eiſque die ſabbati pedes lauabat. Quotidie verò menſæ ſuæ adhibebat tres ſenes pauperes, ac ſubinde eorum reliquias ipſe comedebat. Cumque nonnulli obijcerent, hoc dedecere maieſtatem regiam, reſpondebat: *Ego in pauperibus reuereor Chriſtum, qui dixit: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Addebatque: Pauperes cælum ſibi comparant per patientiam, diuites verò per eleëmoſynã & reuerentiam, quâ pauperes vt membra Chriſti amant & venerantur. Ita habet eius Vita apud Surium die 25. Auguſti. O regem ſapientem & ſanctum! imitentur eum reges & principes.

Ex hâc ſententiâ S. Franciſcus ſuos hortabatur ad liberè petendam eleëmoſynam: *Ite*, ait, *chariſſimi filij pro eleëmoſyna, quoniam hâc nouiſſimâ horâ Fratres Minores commodati ſunt mundo, vt electi in eis impleant, vnde à ſupremo iudice commendentur, illud audientes ſuauiſſimum verbum: Quamdiu feciſtis ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quocirca ipſe in Feſtis præcipuis mendicare ſolebat, dicens in ſanctis pauperibus illud Pſaltis impleri: *Panem angelorum manducauit homo*, pſalm. 77. v. 25. Illum enim panem angelicum eſſe dicebat, quem pro Dei petitum amore, & beatis ſuggerentibus angelis, pro ipſius charitate largitum ſancta paupertas colligit oſtiatim. Ita S. Bonauentura & alij in eius Vita.

Vers. 41. Tvnc dicet et his, qvi a sinistris ervnt: Discedite a me maledicti in ignem æternvm, qvi paratvs est diabolo, et angelis eivs] Nota antitheſin: Chriſtus enim electis dicit, Venite ad me & meam gloriam; reprobis verò, Diſcedite à me ad dæmonem & gehennam, quia in vita dæmoni adhæſiſtis, non mihi. Vox ergò *diſcedite*, ſignificat pœnam damni, quæ eſt priuatio gloriæ cæleſtis in æternum: Vox verò *in ignem*, ſignificat pœnam ſenſus, ſcilicet concremationem: ignis enim gehennæ non tantùm corpora, ſed & animas impiorum iugiter adurit, & tamen numquam ea comburit & conſumit. Porrò pœna hæc grauiſſima eſt. Ablegari enim à Deo, Chriſto, cælo, Sanctis omnique bono ſine vllâ ſpe redeundi, ingens eſt tormentum, adeò vt S. Chryſoſt. Parænesi 1. ad Theodorum lapſum, cenſeat priuationem viſionis Dei magis torquere damnatos, quã ignem gehennæ, licèt alij aliter ſentiant. Vnde Iſaias cap. 26. v. 10. *Impius*, ait, *non videbit gloriam Domini. Maledicti*, quibus Deus quaſi hoſtibus ſuis maledicet, id eſt malefaciet, vt omnia ſuppliciorum & malorum genera in eos intorqueat. *In ignem.* Ergo in inferno verus eſt ignis, iſque longè acrior, & alterius materiæ ac conditionis, quàm ſit noſter, vti docent S. Ambroſ. in cap. 14. Lucæ, S. Hieron. in cap. 65. & 66. Iſaiæ. Damaſc. lib. 4. cap. vlt.

*Ignis gehennæ qualis?*

Porrò hìc ignis alitur ſulphure, quod idem numero Deus conſeruabit in æternum, vt iugiter ardeat, & impios vrat, vt dixi Iſaiæ 30. & 33. De hoc igne Moſes Iudæis minans, ait Deuter. 32. 22. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* vide ibi dicta. Audi S. Chryſoſt. hìc hom. 44. *In ignis fluuium atque pelagus intrudentur, pelagus impertranſibile, atq; magnitudine acerbiſſimum, in quo ignei fluctus inſtar montium eriguntur; ignei dico, non huius ignis, ſed ignis certè multò quam hic horribilioris, cuius flamma maximam conficit abyſſum, ita vt vndique ignis immaniſſimæ ſimilis feræ tranſcurrere videatur.* Et paulò pòſt: *Nam ſi acerrimos, quos iſte ignis & hæc flamma dolores infert, ratione aſſequi non poſſumus, quid de illo dicemus? præſertim cùm hìc vno temporis momento in ignem poſitus homo exſpiret, ibi autem crematur & dolet, ſed nequaquam quod crematur conſumitur.*

Æternvm] Errat ergo Origenes qui pœnas inferni ceſſaturas, & impios ex ijs poſt annum Platonicum, id eſt, poſt aliquot annorum millia, liberandos cenſuit. Significatur enim hìc æternitas pœnarum in gehenna. Ita Beda, Theophylactus & alij paſſim. Ingens hæc erit pœna, quæ damnatos adiget ad deſperationem, furorem, rabiem, ad blaſphemandum Deum, parentes, ſocios & omnes creaturas: quia quamdiu erit cælum, quamdiu erit infernus, quamdiu erit mundus, quamdiu erit Deus, reprobi ardebunt in gehenna, *& cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*, Apocal. 20. 10. Hoc incendium cogita, dum te libido, ambitio aut alia tentatio ſollicitat, dicaſque tibi: *Ego tanti pœnitere non emo*, nolo modica voluptate emere ignem æternum.

Hæc Chriſti verba patheticè exaggerat S. Hippolytus Martyr tract. de Conſummat. ſæculi ſub finem, vbi Chriſtum beneficia ſua impijs, qui ijs abuſi ſunt, ita exprobrantem inducit: *Ego vos formaui, & adhæſiſtis alteri. Ego terram, mare & omnia propter vos creaui, & vos ijs in mei contumeliam abuſi eſtis. Diſcedite à me operarij iniquitatis, non agnoſco vos, alterius domini operarij facti eſtis, hoc eſt diaboli. Poſſidete cum eo tenebras, atque ignem qui non extinguitur, & vermem qui non dormit, ac ſtridorem dentium.* Et nonnullis interiectis: *Aures veſtras condidi, vt audiretis Scripturas, & vos paraſtis eas*

ad

*ad cantica dæmonum, citharas & ridicula. Oculos veſtros creaui, vt perſpiceretis lumen præceptorum meorum, eaq́ exſequeremini; at vos ad ſtupra, impudicitias, & ad reliquam immunditiam ipſos aperuiſtis. Os veſtrum compoſui ad glorificandum & laudandum Deum, & pſalmos cantioneſq́ ſpiritales pronuntiandas, lectioniſque continuam meditationem; at vos aptaſtis illud ad conuicia, peierationes & blaſphemias, dum ſedentes obtrectabatis proximis veſtris. Manus veſtras feci, vt ad preces & obſecrationes extenderetis eas; at vos ad rapinas, cædes & mutuas occiſiones expandiſtis*, &c.

Poſt latam hanc ſententiam, illicò Chriſtus eos à ſe per dæmones propellet in tartara, imò omnia elementa cum cælis in eos inſurgent. Nam vt ait Sapiens cap. 6. 18. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum*, &c. *& pugnabit cum illo orbis terrarum cōtra inſenſatos. Ibunt directè emiſſiones fulgurum*, &c. *excandeſcet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, & tamquā turbo venti diuidet illos.* Vide ibi dicta.

Qui paratus est diabolo (primo principi, ceterorumque capiti, putà Lucifero) et angelis (Arabicus, *exercitibus*) eius] Illi, Deo ſuperbè rebellanti, conſentientibus. Hinc patet, ignem inferni primò & per ſe paratum fuiſſe à Deo dæmonibus, poſteà verò conſequenter etiam hominibus dæmonis factum & inobedientiam imitantibus. Porrò paratus fuit hic ignis à Deo ab æterno, poſt præuiſum Luciferi & dæmonum peccatum: tunc enim decreuit Deus illum condere ad eius caſtigationem & ſupplicium: in tempore verò paratus, id eſt conditus, fuit à Deo primo die mundi, mox vt Lucifer cum ſuis peccauit, ante creationem hominis, quæ facta eſt die ſexto, vt dixi Geneſ. 1. v. 4.

*Modus quo ignis dæmones cruciat.* Porrò quâ ratione ignis gehennæ corporeus vrat & cruciet dæmones, qui ſunt ſpiritus incorporei, velut inſtrumentum Dei ad hoc ab eo aptatum & eleuatum, diſputant Scholaſtici: varij enim varios modos aſſignant. Vide Scholaſticos 3. part. quæſt. 64. item in 2. ſent. diſp. 6. & in 4. diſt. 50. ac nominatim Franc. Suarez l. 8. de Angelis c. 12. num. 2. & ſequent. vbi docet ex S. Baſilio ignem gehennæ non lucere, ſed torquere, non per ſolam imaginationē & apprehenſionē falſam, nec per ſolam actionem intentionalem, ſed per realem & phyſicam efficientiam, quâ dæmonibus imprimit qualitatem ſpiritualem doloriferam, quæ qualis ſit hæc concipere non poſſumus: nec enim poteſt eis imprimere calorem ſenſibilem; huius enim ſpiritus non ſunt capaces.

Syrus pro *diabolo*, vertit *criminatori*: hunc enim ſignificat Græcum διάβολος, & talis eſt Lucifer cum ſuis, qui homines etiam ſanctos accuſat, omniaque eorum opera, licet iuſta, criminatur & calumniatur coram Deo: vnde ipſe eſt diabolus, id eſt criminator, per antonomaſiam. Hinc in Actis S. Montani & ſociorum Martyr. apud Surium die 24. Februarij accuſator & criminator Martyrum vocatur diabolus: quia eius partes agebat in tribunali iudicum infidelium, reos agendo eos qui Chriſtum colebant. Verè S. Cyprianus l. 4. epiſt. 2. ad Antonianum: *Quòd*, inquit, *quædam de illo* (S. Cornelio Pontif.) *inhoneſta & maligna iactantur, nolo mireris, cùm ſcias hoc eſſe opus ſemper diaboli, vt ſeruos Dei mendacio laceret; & inopinationibus falſis glorioſū nomen infamet, vt qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur.*

Vers. 42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi

Vers. 43. potum: hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me] Tò *enim* dat cauſam cur damnentur ad ignem paratum diabolo, quòd ſcilicet, vt ait Euthymius, *imitati ſint, immiſericordem inhumanumque diabolum.* Nam vt ait Theophyl. *Compaſſionis expertes ſunt diaboli, & hoſtiliter atque inimicè erga nos affecti.* Damnantur hi ob omiſſa opera miſericordiæ: tum quia ad hæc obligatur quiſque, cùm videt proximum in extrema vel graui neceſſitate conſtitutum, quod ſæpè occurrit: tum quia neglexerunt alia peccata eleëmoſynis expiare, iuxta illud Daniel. c. 4. v. 24. ad Nabuchodonoſorem: *Peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Vnde S. Auguſt. aſſerit nonnullos ſine eleëmoſynis non poſſe ſaluari. Vide ibi dicta. Iam, *ſi tantâ pœnâ mulctabitur qui non dediſſe conuincitur*, ait S. Gregorius, *quantâ pœnâ feriendus eſt qui redarguetur abſtuliſſe aliena?* Qui vxorem proximi violauit, qui famam vel vitam alteri abſtulit, qui Deum & Sanctos blaſphemauit? &c.

Porrò ſingula verba habent emphaſim, & peculiarem ingratitudinem reprobis exprobrant. *Eſuriui*, ego qui ſum Deus, Dominus & redemptor veſter; *& non dediſtis mihi*, id quod ego vobis dederam; *manducare*, non perdices & capones, quos vos manducauiſtis, ſed panem cibarium, &c. *Singula*, ait S. Chryſoſt. *ad condemnationem illorum ſufficiunt: petitionis ſcilicet facilitas, & dandi poteſtas: panis enim petitur: petentis miſeria, quia pauper atque mendicus: retributionis expetenda magnitudo, regnum enim promittitur: terror pœnarum, gehenna enim incutitur: accipientis dignitas, Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus, quia tantum deſcendere dignatus eſt: ius tribuendi, ſumma enim iuſtitia eſt de ſuis et concedere. Verùm ab his omnibus cupiditate habendi retracti ſunt.* Cetera dixi v. 35.

Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?] Vers. 44. Dicent hoc impij cogitatione, non locutione: non enim permittet Chriſtus eos ſententiæ ſuæ obloqui, quia conſcientia propria eos condemnabit. *Dicentes*, arroganter, indignanter & deſperabundè, quaſi accuſantes Chriſtum iudicem falſitatis & iniquitatis. Vnde auctor Imperfecti: *In iudicio*, ait, *ſtant & peccare non ceſſant.*

Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, Quamdiu non fecistis uni de minoribus (Syrus, *paruulis*) his, nec mihi fecistis] Vers. 45. Vide dicta verſ. 40. Diſce hîc quanti faciendi ſint viles & pauperes, præſertim Sancti, Religioſi & Apoſtolici, quos ſuos quaſi ſuum peculium vocat hîc Chriſtus. Quocirca S. Franciſcus quemdam è ſuis detrahentem cuidam mendico, dicentemque quòd fortè interiùs voluntate eſſet diues, & mente ſuperbus, acriter caſtigauit, iuſſitque vt nudus flexis genibus ab eo veniam peteret. Cauſam addidit: *S. Franciſcus quemdam è ſuis mendico detrahentē ſeuerè arguit.* *Non tam in pauperem*, inquit, *fili mi, quàm in Chriſtum peccaſti. Etenim in paupere tamquam in ſpeculo Chriſtus nobis obijcitur. Quotieſcumque ergo tibi pauperes aut infirmi occurrunt inopiam & infirmitates, quas pro nobis Chriſtus dignanter aſſumpſit, piè conſidera, & humiliter venerare.* Waddingus in Annal. Minor. anno Chriſti 1215. num. 18. Vide eumdem anno 1216. num. 2. in fine.



*S. Eligius Epiſcopus.* Porrò hunc formidabilem iudicij extremi diem ſemper ſuos ob oculos obuerſari volebat S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, qui floruit anno Domini 650. vſque ad 665. quo vita functus eſt teſte Sigeberto in Chronico, tempore Clotharij regis Francorum, & Martini I. Pontificis Romani. Vnde Chriſtum ſic illo die impios compellaturum aſſerebat: *Ego te homo de limo terræ formaui manibus meis, & in paradiſi delicijs immeritum collocaui: ſed tu me & mea iuſſa contemnens impoſtorem ſequi maluiſti. Vnde etiam iuſtè damnatus es. Sed tamen ego miſertus tui carnem aſſumpſi, in terris inter peccatores habitaui, contumelias & verbera propter te pertuli: vt te eriperem à pœnis, colaphos & ſputa toleraui: vt tibi paradiſi delicias redderem, acetum felle mixtum bibi. Propter te ſpinis coronatus, crucifixus, lanceâ vulneratus ſum. Propter te mortuus & in ſepulcro poſitus, ad inferna deſcendi, vt te ad paradiſum reducerem. Ecquid vlteriùs facere debui, & non feci?* *Chriſti exprobratio.* Vnde Chriſtus terribilem in eos ſententiam ſubiungit: *Quæ ergo vltrò elegiſtis, ea nunc accipite. Contempſiſtis lucem, ſint ergo vobis tenebræ. Amaſtis mortem, abite in perditionem. Secuti eſtis diabolum, ite cum illo in ignem æternum. Quis tunc putamus, chariſſimi, mœror erit, quis luctus, quæ triſtitia, quæ anguſtia, cùm hæc fuerit prolata aduerſus impios ſententia?* Ita Audoënus Rothomagenſis Epiſcopus in eius Vita lib. 2. cap. 16. Extat apud Surium die 1. Decembr.

Vers. 46. Et ibunt (græcè, ἀπελεύσονται, id eſt, *abibunt* ſcilicet à Chriſto, Deo, Sanctis, cælo, in tartara) hi in supplicium (Syrus, *cruciatum*) æternum; iusti autem in vitam æternam] *Supplicium*, ignis & concremationis. Vnde S. Auguſt. tract. 21. in Ioannem legit, *in ambuſtionem*, q. d. Amburentur in gehenna, ſed non comburentur, nec conſumentur vt annihilentur, quod optabunt damnati. Ibunt ergo in ignem gehennæ, quaſi in ſuam domum & habitationem perennem, vt in ea iugiter ardeant. Sic vice verſâ dixit Chriſtus ſeruo fideli v. 21. *Intra in gaudium Domini tui.*

Æternum] quia Deum æternum grauiſſimè offenderunt. Peccatum enim mortale, quia Deo immenſo eſt iniurium, in ſe habet malitiam infinitam: meretur ergo ſupplicium infinitum. Verùm, quia infinitum intenſiuè dari nequit, nec ab homine ſuſtineri; hinc dabitur reprobis pœna infinita extenſiuè, quæ ſcilicet extendatur per omnia ſæculorum ſæcula. *Lactantij ſententia de igne gehennæ.* Modum dat Lactantius lib. 7. c. 21. *Idem*, ait, *diuinus ignis, vnâ eademq́ vi atque potentiâ & cremabit impios & recremabit, & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit, quod Poëtæ in vulturem Titij tranſtulerunt, ita ſine vllo reuiuiſcentiū corporum detrimento aduret tantum, ac ſenſu doloris afficiet.*

Hæc eſt ſententia Lactantij. Faciliùs & veriùs alij cenſent, corpora damnatorum Deo conſeruante in igne manere incorruptibilia, ita vt nullæ partes conſumantur quæ reparari debeant, ſed omnes omnino eædem in igne iugiter ardentes perſeuerent in æternum, ſicut asbeſtus lapis, indeque confecta tela, in igne ardet, ſed nullam ſui partem deperdit. Acerbitatem huius ſupplicij graphicè depingit Auctor libri de Spiritu & anima apud S. Auguſt. tom. 3. cap. 56. *Quapropter*, inquit, *miſeris mors eſt ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper viuet, & finis ſemper incipiet: & defectus deficere neſcit: mors perimet, & non extinguet: dolor cruciabit, & pauorem non fugabit: flamma comburet, ſed tenebras non diſcutiet. Erit enim in igne obſcuritas, in obſcuritate pauor, in combuſtione dolor. Ita reprobi ignibus inferni traditi, in ſupplitijs dolorem ſentient, & in doloris anguſtia pauore ferientur, & ſemper tolerabunt, & ſemper timebunt, quia ſine fine ſemper cruciati viuent, ſine ſpe veniæ & miſericordiæ, quod eſt miſeria ſuper miſeriam. Si enim poſt tot millia annorum quot capillos habuerunt, omnes, quicumque fuerunt & erunt, pœnas ſuas finiri ſperarent, multo leniùs eas ſuſtinerent: ſed quia ſpem non habent, nec habebunt, deſperatione deficient, & ad tormenta non ſufficient.*

Fusè de his diſſerit hîc Abulenſis, qui & addit quæſt. 778. & 779. (tot enim præcisè in hoc caput quæſtiones conglomerauit) animas, poſt mortem ituras in cælum, vel Purgatorium, vel limbum Patrum, eò deduci per angelos: ituras verò in infernum vel limbum puerorum, eò deduci per dæmones.

Audi S. Cyprianum ſerm. de Aſcenſione Domini ſub finem: *Incorruptibiles flammæ*, inquit, *nudum corpus allambent: ardebit purpuratus diues*, &c. *In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines & flammas miſerabilia corpora cremabuntur.* Et in l. de Laudib. martyrij c. 5. *Paradiſus*, inquit, *Dei teſtibus floret, negatores gehenna complexa, æternus ignis inardeſcit.* Latiùs verò c. 12. diem exponit, dicens: *Sæuiens locus, cui gehenna nomen eſt, magno plangentiū murmure & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam ſpiſſæ caliginis noctem, ſæua ſemper incendia camini fumantis expirat: globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc ſæuiendi plurima genera, tum in ſe ipſe conuoluit, quidquid ardoris emiſſi eadem flamma cruciarat.*

Proſper lib. 2. de Vita contemplatiua cap. 12. vbi de damnatis agit: *Non videndi*, inquit, *ſenſum habituri ſunt, ſed, dolendi: quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor ſummus torquent animam, non extorquent; puniunt corpora damnata, non finiunt: Quos ideò ignis inextinguibilis ſibi deputatos non extinguit, vt permanente ſentiendi vita, pœna permaneat.*

Ex dictis meditari & imaginari licet, quàm acerbum, mœſtum & funeſtum ſit futurum æternum hoc damnandorum à ſaluandis diuortium, quo hi in cælum ad perennem felicitatem aſcendent, illi in gehennam ad perenne incendium deſcendent, numquam ampliùs Sanctos, licèt amicos, fratres, parentes, viſuri in æternum: *chaos enim magnum firmatum eſt* inter vtroſque, vt aiebat Abraham ad diuitem Epulonem, in inferno ardentem, Lucæ cap. 16. v. 26. Qui ergo ſapis, quotidie aſcende in cælum, & deſcende in tartara, vt hîc tibi ſit ſtimulus ad fugam vitiorum, & ſtudium virtutum. Verè S. Chryſoſtomus hom. 2. in Epiſt. 2. ad Theſſal. *Nemo eorum*, ait, *qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium iudicium effugiet.*

Et

Et quia maior hominum pars gehennam parum A
cogitat & quaſi contemnit, hinc damnatur. Nam vt cecinit, imò planxit, S. Bruno Carthuſiæ fundator:

*Sic viuunt homines tamquam mors nulla ſequatur,*
*Et velut infernus fabula vana foret.*

Crebrò horrorem iudicij & gehennæ ſuis lectoribus obijcit graphicèque depingit S. Ephræm, præſertim tract. de Compunctione, de Pœnitentiâ, de Iudicio, &c. Idem faciat doctor & prædicator. Vndè idem S. Ephræm tract. de Patientiâ: *Simus*, ait, *tamquam incudes: & ſi cædamur, non tamen cedamus*, dicentes cum S. Diethelmo apud V. Bedam in Hiſtor. Anglor. *Aſperiora vidi, deteriora in gehenna conſpexi.* Sic quamlibet tentationem, perſecutionem, infirmitatem, tribulationem, confuſionem metu iudicij & gehennæ fortiter ſuſtinebimus & ſuperabimus. Graphicè quoque horrorem diei iudicij deſcribit Ioël cap. 2. v. 31. & Sophonias c. 1. v. 15. vbi plura hâc de rè dixi.

In vitam æternam] Nomine *vitæ æternæ* omnem ſanitatem, omne robur, omnem honorem, omnem gloriam, omnem ſatiem, omnem voluptatem, omne gaudium, omnem bonorum omnium affluentiam accipe. Hæc enim guſtant viuentes in vera vita: nam qui in fame, ſiti, morbo, ignominia, dolore viuunt, non tam viuunt quàm moriuntur aſſiduè.

# CAPVT VIGESIMVMSEXTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Deſcribit vnctionem Magdalenæ, qua ipſa vnxit Chriſtum in Bethania paulò ante mortem, cuius pretium ambiens Iudas vendidit Chriſtum. Secundò, verſ. 17. enarrat vltimam Chriſti cœnam & inſtitutionem Euchariſtiæ. Tertiò, verſ. 30. eiuſdem paſſionem, ſcilicet orationem in horto, captiuitatem, accuſationem, condemnationem, colaphizationem, trinam Petri negationem, & mox pœnitentiam.*

1. Et factum eſt: cùm conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: 2. Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur. 3. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi, in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: 4. & concilium fecerunt vt Ieſum dolo tenerent & occiderent. 5. Dicebant autem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. 6. Cùm autem Ieſus eſſet in Bethania in domo Simonis Leproſi, 7. acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. 8. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? 9. Potuit enim iſtud venumdari multo, & dari pauperibus. 10. Sciens autem Ieſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me. 11. Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum: me autem non ſemper habetis. 12. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. 13. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. 14. Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad principes ſacerdotum: 15. & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet. 17. Primâ autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? 18. At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meũ propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. 19. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & parauerunt Paſcha. 20. Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. 21. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia vnus veſtrûm me traditurus eſt. 22. Et contriſtati valdè cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum, Domine? 23. At ipſe reſpondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. 25. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum, Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. 27. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. 28. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. 29. Dico autem vobis: Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vſque in diem illum:



illum: cùm illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei. 30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. 31. Tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem: & diſpergentur oues gregis. 32. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor. 34. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi: quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. 35. Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum; non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt. 36. Tunc venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem. 37. Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe. 38. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hîc & vigilate mecum. 39. Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. 40. Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic, non potuiſtis vna hora vigilare mecum? 41. Vigilate & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. 42. Iterum ſecundò abijt, & orauit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua. 43. Et venit iterum: & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. 44. Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertiò, eumdem ſermonem dicens. 45. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite iam, & requieſcite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet. 47. Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladijs & fuſtibus miſſi à principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. 49. Et confeſtim accedens ad Ieſum, dixit: Aue Rabbi. Et oſculatus eſt eum. 50. Dixitque illi Ieſus: Amice, ad quid veniſti? Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum, 51. Et ecce vnus ex his qui erant cum Ieſu; extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum principis ſacerdotum, amputauit auriculam eius, 52. Tunc ait illi Ieſus: Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. 53. An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones angelorum? 54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri? 55. In illa hora dixit Ieſus turbis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me? quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. 56. Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. 57. At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum, vbi Scribæ & ſeniores conuenerant. 58. Petrus autem ſequebatur eum à longè, vſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intrò, ſedebat cum miniſtris, vt videret finem. 59. Principes autem ſacerdotum, & omne concilium, quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent: 60. & non inuenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes. 61. & dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. 62. Et ſurgens princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? 63. Ieſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei. 64. Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti, verumtamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. 65. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? ecce nunc audiſtis blaſphemiam; 66. quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis. 67. Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, 68. dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit: 69. Petrus verò ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. 70. At ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis. 71. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno. 72. Et iterum negauit cum iuramento: Quia non noui hominem. 73. Et poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro:

Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit. 74. Tunc cœpit deteſtari & iurare quia non nouiſſet hominem. Et continuò gallus cantauit. 75. Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat: Priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, fleuit amarè.

VERS. 1. ET FACTVM EST: CVM CONSVMMASSET IESVS SERMONES HOS OMNES, DIXIT DISCIPVLIS SVIS] Græcè, ὅτι ἐτέλεσεν, id eſt, cùm finiuiſſet, compleſſet *ſermones omnes*, iam recenſitos de excidio vrbis Hieroſolymæ & totius orbis, de die iudicij, de vigilia & ſtudio bonorum operum, tunc accinxit ſe ad inſtantem ſuam paſſionem, eamque prædixit: ne, qui longè futura prophetarat, ſibi mox euentura videretur ignorare; ac ne diſcipuli morte eius ſcandalizarentur, putarentque illa Chriſto neſcio & inuito accidere, ſed ſcirent illam ab eo præuiſam, præordinatam & electam ad hominum ſalutem. Senſus ergo eſt, q.d. S. Thomas: Cùm Chriſtus officium expleſſet doctoris, cœpit ſe comparare ad officium redemptoris & ſaluatoris.

VERS. 2. Luc. 22. 1. Mar. 14. 1. SCITIS QVIA POST BIDVVM PASCHA FIET, ET FILIVS HOMINIS TRADETVR (prodetur à Iuda Iudæis, ab eiſque tradetur Pilato) VT CRVCIFIGATVR] *Poſt biduum*: dixit ergo hæc, vti & proximè præcedentia c. 25. Chriſtus feria tertia, ſiue die Martis ad veſperam, quando more Hebræo incipiebat feria quarta, ſiue dies Mercurij, dies inquam legalis, putà quoad feſta: nam vt *Triplex dies apud Iudæos.* ait Pererius in Geneſ. 1. verſ. 5. ad iſta: *Factumq́; eſt veſpere & manè dies vnus*: *Propè certum eſt apud Iudæos fuiſſe olim in vſu triplex genus dierum, diem ſcilicet legalem à veſpera in veſperam, diem naturalem ab ortu ſolis ad ortum, diem vſualem à media nocte ad mediam noctem.* Quare verè ait Chriſtus: *Poſt biduum paſcha fiet*, quia poſt duos dies ſcilicet Mercurij & Iouis, ad veſperam diei Iouis, cùm iam inciperet feria ſexta ſiue dies Veneris, factum eſt Paſcha.

*Paſcha etymon.* PASCHA] Hebr. idem eſt quod tranſitus vel tranſultus, ſcilicet angeli percutientis primogenita Ægyptiorum. Hic enim angelus tranſiliebat domus Hebræorum, & inſiliebat in domos Ægyptiorum, eorumque primogenita occidebat, qua ſtrage coëgit Pharaonem & Ægyptios, liberos ex Ægypto dimittere Moyſen & Hebræos: פסח *paſach* enim eſt tranſire. Syri verò *paſcha* ſcribunt, non per ס *ſamech*, vt Hebræi, ſed per צ *tſade*, & tunc Paſcha ſignificat gaudium & hilaritatem, feſtum enim Paſchæ erat, & etiamnum eſt, ſummæ hilaritatis & lætiſſimum. Nazianzenus verò πάσχα deriuat à Græco πάσχειν, id eſt *pati*, quòd in Paſchate paſſus ſit Chriſtus: agnus enim paſchalis, qui immolabatur in Paſchate repreſentabat Chriſtum in eodem immolandum pro redemptione hominum. Vide dicta Exodi 12. toto cap.

VERS. 3. Luc. 22. 2. Mar. 14. 1. TVNC CONGREGATI SVNT PRINCIPES SACERDOTVM, ET SENIORES POPVLI IN ATRIVM PRINCIPIS SACERDOTVM, QVI DICEBATVR CAIPHAS] *Tunc*, ſcilicet cùm hæc dixiſſet Ieſus, ſuamque paſſionem prædixiſſet, vt illicò prædictionis ipſius veritas ac ordinationis & decreti eius infallibilitas & efficacia, quo decreuerat in Paſchate pro ſalute hominum pati, oſtenderetur. Rurſum *tunc*, ſcilicet in Paſchate, quo agnus paſchalis, per quem ex Ægypto redempti fuerant Hebræi, mactabatur. Eodem enim mactatus eſt Chriſtus quaſi victima mundi, vt figura & typus veritati ſuoque antitypo congrueret.

*Tunc* ergo, id eſt, manè feriæ quartæ, ſiue diei Mercurij, cùm pridie ad veſperam idipſum prædixiſſet Chriſtus, *congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores* (Lucas cap. 22. 4. habet ϛρατηγοὶ, id eſt, duces exercitus; ſed Lucas ſic vocare ſolet magiſtratus, vt Noſter ibidem vertit, ſiue præfectos & prætores, vti oſtendi Actor. 4. 1.) *populi*, vt de Chriſto palàm iam prædicante, & principum vitia acriter carpente (vt patet ex toto capit. 23. Matth.) capiendo & occidendo tractarent. Quare Iudas id reſciens eodem manè ipſos adijt, Chriſtumque eis vendidit, pacto triginta denariorum pretio, vti habet communis Eccleſiæ ſenſus, idque ex narratione Matthæi ſatis colligitur. Vnde ob hoc Iudæorum concilium, & Iudæ venditionem Chriſti, hoc die factam, veteres Chriſtiani ſolebant eadem feria *Ieiunium feria quarta, vnde.* quarta, ſiue die Mercurij, ieiunare, vti teſtatur S. Auguſt. epiſt. 86. ſub finem, Theophyl. & Victor. Antioch. ſcribentes in cap. 14 S. Marci v. 1. & 2. Quin & Græci, Poloni, Hollandi permulti eadem de cauſa die Mercurij etiamnum eſu carnium abſtinent, eò quòd illa die vendita ſit caro Chriſti.

Nota. Ex narratione Matthæi colligitur Chriſtum hoc biduo, ſcilicet die Mercurij & Iouis, non veniſſe Hieroſolymam, vti venerat die Dominica, Lunæ & Martis ad docendum in templo, ſed hoc biduo manſiſſe in Bethania, atque ſub veſperam diei Iouis inde regreſſum in Ieruſalem ibi Paſcha celebraſſe, ac mox ad paſſionem ſe comparaſſe. Ita Ianſenius, Maldonatus & alij.

VERS. 4. Luc. 22. 2. Mar. 14. 2. ET CONSILIVM FECERVNT (græcè συνεβουλεύσαντο, id eſt, ſimul conſultarunt, inter ſe vnanimiter conſilia inierunt) VT IESVM DOLO TENERENT, ET OCCIDERENT] *Consilium dolosum de capiendo Christo.* *Dolo*, quia timebant ne Chriſtus, ſi eum capere vellent, è manibus eorum elaberetur, vti aliàs fecerat. Dolum ergo quærunt quo eum capiant, vt elabi nequeat. Rurſum dolum quærunt, vt ſine tumultu populi eum comprehendant. Verebantur enim ne populus ab ore Chriſti, velut noui ſummique Prophetæ pendens, & tot ſanitates recipiens, pro eo pugnaret, nec ſineret eum capi, ſibique eripi. Vnde ſequitur.

VERS. 5. Luc. 22. 2. Mar. 14. 2. DICEBANT AVTEM: NON IN DIE FESTO, NE FORTE TVMVLTVS FIERET IN POPVLO] Non ergo ob religionem feſti, ſed ob metum populi noluerunt Ieſum capere in die feſto Paſchæ inſtantis: hoc enim feſto infinita turba Iudæorum confluebat Ieruſalem ad celebrandum Paſcha, inter quos multi erant qui à Chriſto ſalutẽ corporis vel animæ acceperant, ideoq; eum vt Prophetam colebant; quos pro ipſo ſtaturos & pugnaturos Iudæi metuebant. Quare *Non ſtudent deuotioni, ſed facinori*, ait S. Hieronymus. Dicũt ergo, *Non in die feſto*, q.d. Non in Paſchate ne fiat tumultus populi, & ne Paſcha feſtum lætiſſimum



atroci Ieſu cæde funeſtemus, ſed poſt Paſcha, quando feſtum tam ſacrum tranſierit, & populus ad ſua redierit, Ieſum capiamus & occidamus. Ita S. Chryſoſt. Sic Herodes Agrippa non niſi tranſacto Paſchate voluit plectere S. Petrum Actor. 12. Paſcha enim Iudæis erat feſtum libertatis & gaudij, vtpote quo recolebant & celebrabãt beneficium liberationis è ſeruitute Ægyptiaca. Vnde eodem ſolebant reos dimittere liberos, vti dimiſêre Barabbam. Principes ergo decreuerant Chriſtum capere & occidere poſt Paſcha, ſed ex proditione Iudæ mutarunt conſilium. Nam cùm Iudas in Paſchate eum ipſis in manus daret, ipſi eodem die ipſum ceperunt & crucifixerunt. Dei enim cõſilium & decretum erat, vt Chriſtus moreretur in Paſchate, hoc fine vt oſtenderet antitypum reſpondere ſuo typo. Immolatio enim agni quæ fiebat in Paſchate, typus erat Chriſti eodem feſto immolandi. Hac ergo feſti circumſtantia ſignificabat Deus, Chriſtum eſſe verum agnũ paſchalem, qui pro redemptione mundi in cruce aſſabatur.

VERS. 6. Mar. 14. 3. Ioan. 12. 1. CVM AVTEM IESVS ESSET IN BETHANIA IN DOMO SIMONIS LEPROSI] Altiùs repetit hæc Matthæus quæ iam antè contigerant, vt enarret occaſionem & modum comprehenſionis & paſſionis Chriſti. Iudas enim occaſione huius vnguenti, motus fuit ad prodendum Chriſtum Iudæis, vt eius proditione pretium vnguenti recuperaret, & quaſi fur in loculos ſuos reconderet. Nam hoc conuiuium Chriſti in domo Simonis contigit pridie Dominicæ Palmarum, ſcilicet ſabbatho, cùm poſtridie, nimirum ipſa die Dominica, cum palmis quaſi ouãs ingreſſus fuit Ieruſalem, vt patet Ioan. 12. 1. vbi dicitur, Ieſus *ante dies ſex paſchæ*, id eſt, ſex diebus ante Paſcha, putà die Veneris, *venit Bethaniam*. Additque: *Et fecerunt*, ſcilicet Simon cum ſuis, *ei cœnam*, ſcilicet ſequenti ſabbatho, ac poſtridie, ſcilicet Dominicâ Palmarum, Ieſus vectus aſello ſolemni pompa, quaſi rex & Meſſias ingreſſus eſt Ieruſalem.

*In domo*, aſſidens menſæ; vtpote à Simone inuitatus ad conuiuium.

*Simon hic cur dictus leproſus?* SIMONIS LEPROSI] Patres opinantur Leproſum dici quòd talis fuerit, ſed à Chriſto curatus ſit à lepra. Alij putant τὸ *leproſi* eſſe commune agnomen familiæ Simonis, ſiue quòd à leproſo deſcenderit, ſiue ob alium cum leproſo quopiam reſpectum. Sic enim Romæ erat familia Claudiorum, Cæcorum, Balborum, etiamſi multi ex ijs non eſſent claudi, cæci, balbi.

VERS. 7. Mar. 14. 3. Ioan. 12. 3. ACCESSIT AD EVM MVLIER HABENS ALABASTRVM VNGVENTI PRETIOSI, ET EFFVDIT SVPER CAPVT IPSIVS RECVMBENTIS] Idem hoc eſt conuiuium cum eo quod narrat Ioannes cap. 12. 1. vt patet Matthæum cum Ioanne conferenti. Per recapitulationem ergo illud hîc recenſet Matthæus, vt occaſionem exponat, quæ mouit Iudam ad Chriſtum Iudæis prodendum, vt dixi.

Obijcies: Ioannes ait, *Fecerũt ei cœnam, & Martha miniſtrabat*. Ergo hoc conuiuium factum fuit in domo Marthæ, non Simonis. Reſp. negando conſequentiam: non enim dicit Ioannes, Fecerunt ei Martha & Magdalena (licèt ita explicent S. Chryſoſt. & Euthymius) conuiuium in domo ſua, ſed ſimpliciter, *fecerunt ei cœnam*, ſcilicet ciues Bethaniæ amici Ieſu, inter quos primarius erat hic Simon Leproſus, quem multi cum Ianſenio putant antea à lepra per Chriſtum fuiſſe curatum, ideoque ei obſtrictum. Martha autem in cœna hac miniſtrabat, ſiue quia vicina, ſiue quia cognata aut familiaris erat Simoni.

*Magdalena Christum iterum vngit.* MVLIER] Maria Magdalena, vti exprimit Ioannes cap. 12. 3. quæ vti ante biennium cùm primò pœnituit, lacrymiſque lauit pedes Ieſu, eoſdem vnxit vnguento, ita hîc ſex diebus ante Paſcha & mortem Chriſti idem fecit, partim ex deuotione, partim ex Dei inſtinctu, quaſi præſagiens inſtantem Chriſti necem & ſepulturam, vt patebit v. 12.

*Alabaſtrũ.* ALABASTRVM] Vas erat vnguentarium factũ ex alabaſtrite, ſiue onyche lapide marmorei generis, quẽ ad vaſa vnguentaria cauari docet Plinius lib. 36. cap. 8. quòd optimè vnguenta incorrupta ſeruet. Vnde non mirum cauum hoc vas, tenue & ſubtile inſtar vitri, facilè à Magdalena impacto clauo vel malleolo frangi potuiſſe, vt vnguentum totum in Chriſti caput effunderet: niſi malis ex Suida, alabaſtrũ vocari vas terſum & ſine anſa, pharmacopolarum, qui talibus vaſis apothecas ſuas replent, in iiſque aromata, vnguẽta & pharmaca ſua recondunt.

Aliter S. Epiphanus lib. de Menſuris, *Alabaſtrum*, ait, *vnguenti vaſculum eſt vitreum, capiens libram olei, menſura verò eſt ſextarij dimidij; alabaſtrum verò dictum propter fragilitatem.* Hæc ille.

*Vnguenta in vſu apud Iudæos & Orientales.* VNGVENTI] Vnguentis odoratis vſos fuiſſe Iudæos ex more Arabum, Perſarum, Syrorum, ceterorumque Orientalium in conuiuijs ad lautitiam, ad refrigerium, & ad impediendam ebrietatem, oſtendi Eccleſ. 9. v. 8. Porrò vnguenta hæc ſæpè non erant ſpiſſa, qualibus chirurgi vngunt plagas & vulnera, ſed liquida, ſcilicet erant liquores ex herbis odoriferis cõfecti & commixti, quibus cerebrum totumque corpus irrigabant, reficiebant & recreabant, deliciarum cauſâ inuenti: vnguentum ergo hoc erat liquor nardi, vt patet ex Ioan. ca. 12. 3. Nardus odorata eſt, & in Syria abundat. Vnde Tibullus:

*Iam dudum Tyrio* (vel potiùs *Syrio*.) *madefactus*
*tempora nardo.*

De nardi præſtantia & ſignificato dixi Cant. 4. 13. Certum eſt ex nardo oleo delibuta, fieri vnguentum pretioſiſſimum, quo priſci capita vngebant, teſte Plinio lib. 13. c. 1. & 2. & lib. 12. cap. 12. ac Dioſcor. l. 1. c. 6.

PRETIOSI] Græcè βαρυτίμου, id eſt, grauis pretij. Olim enim aurum & argentum non ſignabatur in pecunia, vt iam fit, ſed ad certum pondus, v.g. ad drachmam, vnciam, libram appendebatur. Vnde quod grauius erat & ponderoſius hoc maioris erat pretij. Syrus addit, *ſuauiſſimi*; Marcus addit, *ſpicati*; Ioannes *piſtici*: quæ duo quid ſignificent, dicam Ioan 12. 3.

ET EFFVDIT SVPER CAPVT IPSIVS RECVMBENTIS] Dices, Ioannes c. 12. 3. habet: *Vnxit pedes Ieſu, & exterſit pedes eius capillis ſuis.* Reſp. Magdalenam vnxiſſe pedes Ieſu, deinde totum vas effudiſſe ſuper caput Ieſu, vas enim anguſti oris fregit, vt habet Marcus, vt totum vnguentum magno deuotionis affectu in caput Ieſu effunderet. ita S. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euang. c. 79. Addit Ioannes: *Exterſit pedes eius*, ſcilicet antequam eos vngeret, vtpote ex puluere ſordidos (nudis enim supernè pedibus incedebat Chriſtus

ſtus, vt dixi c.10.10.) priùs ergo puluerem pedum abſterſit capillis, deinde pedes eius nardo vnxit. Ita Toletus. Si quis tamen poſt vnctionem pedes Chriſti, vtpote liquore madidos abſterſos velit, non repugno. Addit Ioannes, vt vnguenti præſtantiam & fructum explicet: *Et domus impleta eſt odore vnguenti.* In Magdalena ergo impletum fuit illud Cant. 1. *Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum;* vt ibi dixi; & in Chriſto illud: *Oleum effuſum nomen tuum,* ibidem. Vnde Hilarius hîc cap.29. *Mulier hæc,* inquit, *omnem curam corporis ſui* (quod ſolebat vngere) *& totum pretioſæ mentis affectum in honorem Dei laudemq́; transfudit.*

*Vnctio myſtica.* *Primò.*

Tropologicè. Origenes oleum ſiue vnguentum eſt opus virtutis, præſertim miſericordiæ, quod ſi fiat ex naturali compaſſione, non propter Deum, vt fit ab infidelibus, ipſum quidem B Deus acceptat, ſed non ad vitam æternam; ſi autem ex amore Dei fiat, eſt oleum excellens boni odoris. Rurſum ſi opus bonum fiat ad ſubleuandam inopiam pauperum, vnctio eſt pedum Domini: ſicut enim pedes in corpore ſunt infimi, ſic pauperes in Eccleſia ſunt imi. Si autem ad Dei gloriam fiat, vt dum ſtudetur caſtitati, ieiunijs & orationibus, vnctio eſt capitis Domini, & vnguentum pretioſum, cuius odore tota Eccleſia repletur, & hoc proprium opus perfectorum.

*Secundò.* Secundò Gloſſa: Mulier hæc, inquit, vngens caput & pedes Chriſti, ſignificat Eccleſiæ fidem, quæ dum Chriſti deitatem prædicat & inuocat, caput vngit, dum verò humanitatem, pedes. Caput enim, ait Alcuinus, eſt diuinitatis ſublimitas, C pedes humilitas incarnationis; vel caput eſt ipſe Chriſtus, pedes ſunt pauperes, qui ſunt membra eius.

*Tertiò.* Denique vngit pedes, qui in vita actiua proximis ſeruit, caput verò qui per contemplationem Deo adhæret, vnuſque cum eo fit ſpiritus. Sic ferè Origenes. Rurſum caput vngit, qui alta de Chriſto prædicat; pedes, qui infima veneratur. Ita Gloſſa ex Origene.

VERS. 8. Mar. 14. 4. Ioan. 12. 4. VIDENTES AVTEM DISCIPVLI, INDIGNATI SVNT DICENTES: VT QVID PERDITIO HÆC] Scilicet, hæc inanis profuſio vnguenti tam pretioſi. Dices, S. Ioannes cap. 12. ait, ſolum Iudam murmuraſſe. Reſpondent aliqui cum Maldonato, eſſe numeri enallagen & ſyllepſin: *diſcipuli,* id eſt, diſcipulus, putà Iudas. Planiùs S. Auguſt. libr. 2. de Conſenſu Euang. cap. 69. reſpondet Iudam D fuiſſe choragum & incentorem huius murmuris, qui alios Apoſtolos ſpecie miſerationis pauperum, ad indignationem ex vero miſericordiæ affectu manantem excitarit; cùm ipſe fictus ex auaritia indignaretur, quòd pretium huius vnguenti non in loculos ſuos, ſed in Chriſti caput fuiſſet effuſum.

VERS. 9. Mar. 14. 5. Ioan. 12. 5. POTVIT ENIM ISTVD VÆNVMDARI MVLTO (*pluſquam trecentis denarijs,* id eſt Iulijs, ſiue regalibus, vt habet Marcus) ET DARI PAVPERIBVS] q.d. Vnguentũ hoc, non ad delicias & luxuriam, in caput Chriſti, ſed ad neceſſitatem in ſinum multorum pauperum effundendum fuit. Idem fuit ſenſus Caluini, qui, ne quis exemplum Magdalenæ trahat ad probandum honorem funerum per lumina, ſuffitus, alioſq́; ornatus, ait, hoc Magdalenæ factum non eſſe probandum, nec imitandũ, ſed tantùm excuſari eo nomine, quòd

*Caluinus cũ Iuda Magdalenæ factũ improbant.*

A peculiari Spiritus ſancti inſtinctu peractum ſit, alioqui præſtitiſſe hoc pretium dari pauperibus; Verùm, quis non videt hîc eumdem eſſe ſpiritum Iudæ & Caluini, adeoq́; ſatanam loqui per Caluinum, idem quod locutus eſt per Iudam, quem proinde hîc confutat Chriſtus.

VERS. 10. Mar. 14. 6. Ioan. 12. 7. SCIENS AVTEM IESVS (vi diuinâ & ſpiritu prophetico præuidẽs ſecretum eorum murmur, directè quidem contra mulierem vngentem, indirectè verò contra ſe vngi permittentem excitatum) AIT ILLIS. QVID MOLESTI ESTIS HVIC MVLIERI? (Arabicus, *quid reprehenditis mulierem?*) OPVS ENIM BONVM OPERATA EST IN ME] *Bonum,* græcè, καλὸν, id eſt pulchrum, egregium, eximium & inſigni laude dignum. Quid enim pulchrius, dignius, excellentius, quàm vngere pedes Dei? Chriſtus enim tam Deus erat, quàm homo: B quis non beatum ſe diceret, ſi pedes Chriſti tangere, & oſculari illi licuiſſet?

VERS. 11. Mar. 14. 7. Ioan. 12. 8. NAM SEMPER PAVPERES HABETIS VOBISCVM; ME AVTEM NON SEMPER HABETIS] q.d. Pauperibus ſemper abundat mundus, ijs ergo ſemper benefacere poteſtis: at ego poſt ſex dies morior & abeo in cælum, nec vnquam vllum officium mihi præſtare, imò nec me videre, audire & tãgere poteritis. Obſequium ergo hoc erga me mulieri permittite, fruſtra illud poſt ſex dies optaturi.

VERS. 12. Mar. 14. 8. Ioan. 12. 7. MITTENS ENIM HÆC VNGVENTVM HOC IN CORPVS MEVM, AD SEPELIENDVM ME FECIT] Poterat Chriſtus excuſare Magdalenam per excellentiam perſonæ ſuæ diuinæ, quæ ab ea vngebatur, ob quam melius erat & maioris meriti illi C impendere pretium huius vnguenti, quàm illo pauperes plurimos alere, vt docet Theoph. quod etiamnum locum habet in ornatu templorum, altarium, calicum, veſtium ſacerdotalium, &c. Hic enim fit in honorem perſonæ Chriſti, ad prouocandam aliorum erga eum deuotionem & reuerentiam, cùm ſingularis aliqua pauperum neceſſitas non occurrit. Poterat quoque tam excuſare, & laudare eius affectum Chriſtus, quòd in gratitudine, pietate, humilitate, reuerentia, deuotione hanc vnctionem perageret. Verùm modeſtiæ cauſa noluit his titulis vti, ſed tantùm excuſat eam *quòd ad ſepeliendum me fecit,* vt mortem ſibi inſtare ſignificaret, ſeque non inſcium & inuitum, ſed conſcium & volentem mori, imò ad mortem ſuam hanc vnctionem diſpoſuiſſe, indeque conſequentem Iudæ proditionem per- D miſiſſe. Valdè enim mortem optabat Chriſtus ad Dei gloriam & redemptionem hominum, ſimul eius ſtimulo pungit Iudam, q. d. ait Chryſoſt. in cap. 12. Ioannis: *Moleſtus ſum & grauis, ſed exſpecta pauliſper, & migrabo; ſed tu vide ne me prodendo mortis meæ opifex exiſtas, ne tibi ipſi mortem & gehennam adſciſcas.* Syrus addit, *tamquam ad ſepeliendum me fecit.* Non enim intendebat Magdalena Chriſtum vngere ad ſepulturam, vtpote quæ de eius morte & ſepultura nil ſciebat, nec cogitabat; ſed Spiritus ſanctus eam præſciens id intendebat, ideoque Magdalenam ad vngendum Chriſtum interiùs impellebat: hanc enim vnctionem omnimodè merebatur Chriſti Domini mors & ſepultura.

*Magdalenã excuſat & defendit Chriſtus.*

Excuſat ergo eam Chriſtus ex interno affectu charitatis, ex raritate huius occaſionis & vnctionis, ac maximè ex inſtinctu Spiritus ſancti, quo



quo ipſa, licet neſciens, acta, vngendo quaſi præſagijt & diuinauit proximam Chriſti mortem & ſepulturam. Vnxit enim eum, quaſi iam iam ſepeliendum: nec enim mortuum vngere potuit, quia præuenta fuit à Ioſepho ab Arimathia, & ab imminente ſabbatho, ac poſtea per accelerationem reſurrectionis Chriſti, poſtero manè diei Dominicæ Chriſtum vngere non licuit. Vnde Marcus clarè habet: *Quod habuit,* id eſt, quod potuit, *hæc fecit: præuenit corpus meum vngere in ſepulturam.* Ioannes c. 12. habet *Sine illam, vt in diẽ ſepulturæ meæ ſeruet illud,* id eſt, ſine ſeruare vel ſeruaſſe illam hoc vnguentum in diem ſepulturæ meæ. ita Toletus Ianſen. Græcè enim eſt in præterito, *ſeruauit illud in diem ſepulturæ meæ,* vt ſcilicet tacitè indicet illam inſtare, ait Vatabl. q. d. Sine, ô Iuda, illam ſuæ deuotioni ſeruire, vt me viuum, ſed breui moriturum vngat, nam mor- B tuum vngere non poterit. Aliter Maldonatus, *vt ſeruet illud,* inquit, q.d. Ita collocauit hoc vnguentum vngendo, vt perdere non poſſet: ſicut ſi pecuniam ſeruaſſe dicas eum, qui illâ agrum emerit: ſi enim in arca condidiſſet, perdere potuiſſet, expendendo ergo ſeruat.

Aliter quoq; Franc. Lucas: *vt ſeruet illud,* Hoc eſt, inquit, vt illud probaſſe ſeruetur, declaretur, oſtendatur, vide eumdem. Sæpè enim Hebræi verba realia per vocalia exponunt; atque id fieri dicitur, cùm res iam facta oſtenditur & propalatur. Aliter denique Nonnus Panopolitanus, qui pariter cum Noſtro legit, ἵνα τηρήσῃ, id eſt, *vt ſeruet.* Vnde hunc verſum ſic paraphraſticè explicat: *Miſſum ſãt donum feminæ ab omni reprehenſione alienæ, vt theſaurum corporis noſtri ſeruet do-* C *nec occiſionis & ſepulchralis hora parentationis noſtræ veniat.*

Planiùs, vt dixi, exponas, *vt ſeruet,* id eſt, ſeruare & ſeruaſſe, ſiue vt ſeruet & ſeruarit. Vnctio enim hæc Chriſti referebatur à Spiritu ſancto ad indicandam & honeſtandam eius mortem & ſepulturam: quare ad illam ſeruari & dirigi videbatur à Spiritu ſancto, perinde ac ſi in ipſa ſepultura vnctus fuiſſet Chriſtus.

VERS. 13. Mar. 14. 9. AMEN DICO VOBIS, VBICVMQVE PRÆDICATVM FVERIT HOC EVANGELIVM (Euangelica hæc meæ vitæ hiſtoria) IN TOTO MVNDO, DICETVR (Arabicus *memorabitur*) ET QVOD HÆC FECIT, IN MEMORIAM EIVS] ſcilicet Magdalenæ, non Chriſti, vt patet ex Græco, αὐτῆς, quod eſt femininum, q.d. Celebrabitur hæc vnctio, & D hoc pietatis obſequium, ad publicam per totum orbem & perennem Magdalenæ laudem, ac Iudæ eam vituperantis infamiam & contumeliam. Ita Beda. q.d. ait Victor Antiochenus in c. 14. Marci verſ. 9. *Tantum abeſt vt ego illam condemnem quaſi malè fecerit, aut reprehendam quaſi minùs rectè fecerit, vt factum hoc nullo vmquam tempore latere permiſſurus ſim. Etenim quod domi & in occulto ab illa factum eſt, hoc vniuerſus terrarum orbis cogniturus eſt: quoniam mente pia & feruenti fide, atque animo contrito factum eſt: nõ enim tam propter impenſas gratum fuit, quàm propter fidem, quam vnà cum vnguento obtulit. Hæc enim fragrantiſſimi odoramenti inſtar mihi fuit.*

VERS. 14. TVNC ABIIT VNVS DE DVODECIM, QVI DICEBATVR IVDAS ISCARIOTES, AD PRINCIPES SACERDOTVM] *Tunc,* refer hoc, partim ad proximè præcedentia, partim ad conſilium principum



A de capiendo Chriſto v. 16. q.d. Sabbatho ante Dominicam palmarũ, cùm Iudas murmuris auctor à Chriſto ſe perſtringi audiret, non reſipuit vti ceteri Apoſtoli à Iuda in murmur adducti: ſed *tunc* frontem perfricuit, impudentiam induit, atque auaritia, & ſcelere furens deſtinauit Chriſtũ Iudæis prodere, & vendere: quare feria quarta, ſiue die Mercurij, proximè ſequẽti, cùm principes conſiliũ agitarent de modo capiendi Chriſtum, eos adijt, modũ ſuggeſſit, ac ſe eum in manus illorum daturum pacto 30. argenteorum pretio ſpopondit.

VNVS DE DVODECIM] Apoſtolis. q.d. Vnus hic non erat ex 70. Chriſti diſcipulis, quod tolerabilius erat; ſed erat vnus ex duodecim Apoſtolis Chriſti familiariſſimis & intimis, quos Chriſtus ad ſummum Apoſtolatus gradum euexerat: B quare fuit hæc inſignis Iudæ ingratitudo & impietas, quæ Chriſti cor pupugit, vt diceret: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, &c. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus. Qui ſimul mecũ dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu,* pſalm. 54. 13. Quocirca S. Auguſt. tract. 61. in Ioan. & S. Hieron. (vel quiſquis eſt auctor; ſtylus enim planè abhorret à S. Hieronymo) in c. 14. Marci. *Vnus,* inquiunt, *vocatione, non prædeſtinatione; numero, non merito; corpore, non animo; ſpecie, non virtute*

*Satanas in Iudam quomodo intrauit?*

ABIIT] intrante in eum ſatana, vt habet Marcus, non quòd ſatanas illapſus ſit animæ Iudæ, eiuſque intellectum & voluntatem inclinarit ad prodendum Chriſtum. Solus enim Deus illabi C poteſt animæ, vt rectè docet Didymus tract. 3. de Spiritu ſancto. Non etiam quòd ſatanas corporaliter Iudam poſſederit, vti poſſidet energumenos, ſed quòd rationes eius imaginationi congruentes obiecerit, quibus illi perſuaſit proditionem Chriſti, vt explicat S. Ioannes c. 13. 2. Idem tamen Ioannes ibidem v. 27. poſt cœnam, cùm Iudas à Chriſto accepiſſet buccellam, in eum intraſſe ſatanam ſcribit, vt ſcilicet meditatã, animóque iam antè deſtinatam Chriſti proditionem re ipſa exequeretur, & opere perficeret: Iudas enim ſicut die Mercurij ad machinandum hoc ſcelus; ſic die Iouis ſequenti, noctu ad idem conſummãdum, ſuadente diabolo perrexit. Significat hæc phraſis ſceleris atrocitatem & immanitatem, quaſi homo ad illud patrandum non ſuffecerit, ſed opus fuerit ope & inſtigatione diaboli. Tantum enim fuit hoc facinus, vt non hominis, ſed Luci- D feri fuiſſe videatur.

VERS. 15. Luc. 22. v. 4. 5. Mar. 14. v. 13. 11. ET AIT ILLIS: QVID VVLTIS MIHI DARE, ET EGO VOBIS EVM TRADAM] Arabicus, *quid dabitis mihi, vt ego eum vobis tradam? Infelix Iudas,* ait S. Hieron. *damnum quod ex effuſione vnguenti ſe feciſſe credebat, vult magiſtri pretio compenſare. Nec certum tamen poſtulat ſummam, vt ſaltem lucroſa videretur proditio: ſed quaſi vile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuit quantum vellent dare.* Hæc S. Hieron. qui putat Iudam non exegiſſe certum pretium nec licitatum eſſe de eo cum principibus, ſed eorum arbitrio illud permiſiſſe. q.d. Date mihi quod vultis. Veriùs alij autumant hîc licitari Iudam cum principibus. q.d. Ego vobis vẽdam Chriſtum, ſed pro tanto viro tamque vobis exoſo, cõdignum exigo pretium. Quantum ergo pro eo mihi vultis dare?

AT ILLI CONSTITVERVNT EI TRIGIN-

*Triginta argenteis vẽditur Chriſtus.*

TA ARGENTEOS] pacti ſunt cum eo pretio 30. argenteorum. Vide hîc indignã Iudæ vilitatem, tam vili æſtimantem & vendentem Chriſtum mundi ſaluatorem, magiſtrum & dominum, quæ vilitas Chriſtum pupugit & magno dolore affecit. Vnde S. Ambroſius lib. 3. de Spiritu ſancto c. 18. *O Iuda proditor*, inquit, *vnguentum paſsionis eius trecentis denarijs æſtimas, & paſsionem eius triginta denarijs vendis: diues in æſtimatione, vilis in ſcelere.*

*Triginta argentei quid? Prima ſententia.*

Quæres, quanti ponderis & pretij fuerint hi argentei? Primò, S. Ambroſius verbis iam citatis cenſet fuiſſe vnius drachmæ: denarius enim eſt Regalis Hiſpanicus, ſiue Iulius Romanus, qui pendit drachmam. Quare 30. argenteos fuiſſe 30. Iulios, qui faciunt tres aureos Romanos, ſiue 7. florenos Brabanticos cum dimidio. Verùm hoc valdè exile eſt pretium, quo ager figuli emi non potuiſſet.

*Secunda.*

Secundò, Baronius anno Chriſti 34. pag. 175. ex Helia in Tisbi, R. Dauid & alijs recentioribus Rabbinis (qui proinde minoris ſunt fidei, & de fabulis ſuſpecti) opinatur argenteum apud Zachariam & Prophetas & conſequenter hîc apud S. Matthæum (hîc enim reſpicit ad Zachariam, vt patebit ca. 27. 9.) ſumi pro argenti librâ. Ergo cùm vna vncia argenti ſit vnus Philippicus dalerus, qui valet 10. Regales ſiue Iulios, ſi libram accipias cõmunem, quæ 12. vncias, ſiue 12. Philippicos, hoc eſt 30. florenos Brabanticos continet, 30. argẽtei facient 900. florenos Brabãticos; ſin libram accipias maiorem 16. vnciarum, facient 1200. florenos, quibus facilè emi potuit ager figuli. Verùm quis credat Iudæos auaros, vili Iudæ operam ſuam eis vltrò offerenti, nõ ad venditionem, ſed ad proditionem, & indicium dumtaxat hominis quotidie obuij, tantùm pretium conſignaſſe, præſertim cùm Patres & Zachar. c. 11. v. 12. hoc pretium quaſi paruum, vile & indignum mirentur.

*Tertia.*

Tertiò, probabiliùs Maldonatus, Pererius, Frãc. Lucas, Salmeron, & alij per argenteos intelligunt ſiclos. Chriſtus ergo à Iuda venditus videtur 30. ſiclis, hoc eſt 30. florenis Brabanticis, quo pretio ſerui occiſi vita æſtimabatur, & redimenda erat ab occiſore, iuxta legem Exodi 21. 32. Seruo ergo eiuſq; vitæ, Chriſtus eiuſque vita, æquiparatur hîc à Iuda & Iudæis

*Quarta Genuina.*

Verùm quia Ieremias c. 32. 9. ſtaterem, id eſt ſiclum, vt habent Hebræa, diſtinguit ab argenteis: ait enim: *Appende ei argentum ſeptem ſtateres, & decem argenteos:* & quia Budæus libr. 5. de Aſſe, quem ſequitur Suarez, Ribera & alij, aſſerit ſe Pariſijs vidiſſe nummum quo venditus eſt Chriſtus, eumque appendiſſe tantùm duas drachmas Atticas, ſiue duos Iulios aut duos Regales Hiſpanicos; hinc veriſimilius videtur argenteum fuiſſe dimidium ſicli, & duplum denarij. Argenteus ergo ſunt duo Iulij, vel duo Regales, putà dimidius florenus Brabanticus. Quocirca Chriſtus venditus 30. argenteis, venditus fuit 15. florenis Brabanticis, ſiue ſex ſcutis, hoc eſt, ſex aureis Romanis. In hac ſententia magis confirmatus ſum Romæ, vbi in templo S. Crucis in Ieruſalem, cum parte ſanctæ crucis, clauo & ſpinis à S. Helena eò delatis, vidi nummum vnum ex hiſce 30. argenteis, quibus venditus eſt Chriſtus Hic enim eſt inſtar duorum Regalium, imò minor Regali duplici decem aſſium, ſiue ſtuferorum, ſed paulò craſſior. Hinc quoque Zacharias hoc pretium per ironiam vocat *decorum*, id eſt, indecorum & viliſſimum.

Dices, Quomodo 15. florenis Brabanticis emi potuit ager figuli? Reſp. Hebr. שדה *ſade*, & Syrum חקל *chakel*, id eſt, ager, ſignificare campũ ſiue terram quamuis, licèt ſabuloſam, petroſam, miricoſam & ſterilem, vti ſunt arenaria; qualis videtur hîc fuiſſe, ſcilicet ad arandum & alios vſus inepta, illaque exigua: tantùm enim ſeruiunt ſepulturæ peregrinorum, quæ exigui ſolet eſſe pretij, vti ſunt cœmeteria Iudæorum extra vrbes in Germania, fortè etiam reliquum pretij quod 30. argenteis deerat, ſuppleuerunt & addiderunt principes ex corbona.

Nota. Typus venditionis Chriſti fuit venditio Ioſeph, facta à fratribus: ſed Ioſeph venditus fuit 20. argenteis, Chriſtus verò 30. quia non decebat ſeruum æquari Domino. Nõ enim par erat, ait S. Hieronymus, tanti ſeruum, quanti Dominũ vænire.

*Iudas decimam partẽ pretij vnguẽti Magdalenæ accepit.*

Nota Secundò, Iudas iuxta S. Ambroſium accepit decimam partem pretij vnguenti, quo vnctus eſt Chriſtus; hoc enim æſtimabatur trecentis denarijs, Iudas verò Chriſtum vendidit 30. denarijs, qui ſunt decima pars trecentorum. Multiplica enim 30. denarios per decem, & habebis trecentos; ſed verius eſt Iudam non decimam, ſed quintam partem accepiſſe. Nam argenteus non eſt denarius, ſed duplum denarij: quare 30. argentei faciunt 60. denarios, qui ſunt quinta pars 300. *Tam vili auctione vult æſtimari ſe Chriſtus: vt ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur*, ait S. Ambroſ. in c. 7. Lucæ ſub finem.

*Chriſtus vili pretio venditus meruit fieri pretium mũdi.*

Tertiò, quia tam vili pretio vẽditus fuit Chriſtus, hinc meruit ipſe fieri pretium redemptionis totius mundi, æquè ac peccatorũ omnium. Peccatum enim & peccator rem vilem cum Deo, imò præ Deo appretiat & æſtimat. Sic Tropol. vili vendunt Chriſtum, qui Sacramenta, beneficia, iuſtitiam, caſtitatem ſuam paruo pretio vendunt, Chriſtus enim eſt ſanctitas, veritas, iuſtitia, caſtitas, &c. quæ omne terræ pretium ſuperat.

Quintò, propter hos 30. argenteos, quibus emerunt Chriſtũ Iudas & Iudæi, triginta maledictionibus à Deo feriuntur Pſal. 108. quarum prima eſt: *Conſtitue ſuper eum peccatorem.* Secunda, *Diabolus ſtet à dextris eius.* Tertia, *Cùm iudicatur, exeat condemnatus.* Quarta, *Oratio eius fiat in peccatum.* Quinta, *Fiant dies eius pauci.* Sexta, *Epiſcopatum eius accipiat alter*, &c. Hinc denique, ait Hegeſippus, Iudæi rapti à Tito, triginta venditi ſunt vno denario, hoc eſt vno Regali, ſiue Iulio.

ET EXINDE QVÆREBAT OPPORTVNITATEM VT EVM TRADERET] illamque inuenit poſtero die Iouis, qui fuit primus azymorum, vt ſequitur. Audi Origenem: *Qualem autem opportunitatẽ quærebat, Lucas manifeſtius explanauit: Et quærebat opportunitatem tradendi eum eis ſine turba, id eſt quando populus non erat circa eum, ſed ſecretus erat cum diſcipulis ſuis: quod & fecit, eum tradens nocte poſt cœnam, cùm ſecretus eſſet in prædio Gethſemani.* — VERS. 16. Luc. 22. 6. Mar. 14. 11.

PRIMA AVTEM DIE AZYMORVM ACCESSERVNT DISCIPVLI AD IESVM, DICENTES: VBI VIS PAREMVS TIBI COMEDERE PASCHA?] Id eſt agnum paſchalem, qui pro tranſitu in feſto Paſchatis Deo immolabatur, & immolatus aſſatuſque à ſingulis comedebatur: Paſcha enim propriè — VERS. 17. Luc. 22. 7. 9. Mar. 14. 12.



propriè tranſitum, inde metonymicè agnum pro tranſitu immolatum, ac rurſum diem & feſtum, quo agnus immolabatur, ſignificat. Porrò quia agnus hîc comedi debebat cum panibus azymis, id eſt, puris & non fermentatis, ex lege Exod. 12. idque per ſeptem dies, qui proinde dies azymorum dicebantur, hinc prima dies azymorum eadem erat cum die & feſto Paſchatis: cũ Paſchate enim incipiebat vſus & eſus azymorum; vt dixi Exodi 12. Paſcha autem celebrabatur die 14. menſis primi ad veſperam, putà in plenilunio menſis primi Niſan dicti, qui erat is in quem cadebat plenilunium incidens in æquinoctium vernum, vel illud proximè ſequens: quare Niſan reſpondet partim noſtro Martio, partim Aprili.

*Dies azymorum quinã?*

*Chronotaxis vltimorum dierũ Chriſti.*

Hæc ergo eſt chronotaxis vltimorum octo dierum vitæ Chriſti. Chriſtus feria ſexta, ſiue die Veneris, quæ fuit octaua dies menſis Niſan, ex Ephrem venit in Bethaniam. Poſtero die ſabbathi cœnauit in domo Simonis Leproſi, vbi vnxit eum Magdalena murmurante Iuda, quòd vnguenti huius pretium non accepiſſet, ideoque de Chriſto prodendo cogitante, ſequenti die Dominica, quæ fuit dies decima menſis Niſan, Chriſtus ſolemni pompa cum ramis ingreſſus eſt Ieruſalem. Vndecima die Niſan, ſiue poſtera die Lunæ, ſterili ficui maledixit, & in templo docuit. Duodecima die Niſan, ſiue die Martis, docens in templo, diſputauit cum Scribis & Phariſæis, ac eis multoties *væ* interminatus eſt, Matt. 23. atque de tempore excidij orbis & vrbis Hieroſolymæ vaticinatus eſt, ac vtriuſque ſigna præuia prædixit, ideoque varijs parabolis omnes ad vigilantiam & ſtudium bonorum operum eſt adhortatus, Matth. 24. & 25. Decimatertia die Niſan, ſiue die Mercurij, principes conſilium inierunt de Chriſto capiendo: in quo Iudas illum eis vendidit triginta argenteis. Decimaquarta Niſan, ſiue die Iouis ad veſperam, fuit feſtum Paſchæ, in qua Chriſtus agnum paſchalem cum ſuis comedit, Euchariſtiam inſtituit, ac mox orans in Gethſemani à Iuda proditus, & à Iudæis comprehenſus eſt. Decimaquinta die Niſan, ſiue die Veneris crucifixus & occiſus eſt. Decimaſexta die Niſan, ſiue ſabbatho requieuit in ſepulchro. Decima ſeptima die Niſan, ſiue die Dominica, è ſepulchro glorioſus reſurrexit.

PRIMA AVTEM DIE AZYMORVM] Id eſt, quartadecima Luna, ſiue plenilunio, ſiue die 14. primi menſis Niſan, Chriſtus ante vel ſub meridiem miſit ex Bethania duos diſcipulos Ieruſalem, ad parandum & aſſandum agnum paſchalem, vt veſpere eum cum ſuis comederet. Vbi Nota, primum diem azymorum aliquando vocari diem 14. menſis Niſan, aliquando verò diem 15. Nam veſpera illa qua Iudæi celebrabant phaſe, cum quo incipiebant dies & eſus azymorum, ſecundùm computum dierum naturalem, pertinebat ad diem præcedentem, putà ad diem 14. Niſan, eadem verò ſecundùm computum ſacrum, qui ſeruabatur in feſtis, pertinebat ad diem ſequentem, qui erat dies 15. Niſan. Feſta enim Hebræorum incipiebant à veſpera, & finiebantur in veſpera ſequenti. Ita S. Auguſt. epiſt. 86. ad Caſulanum.

*Quo die Chriſtus inſtituit Euchariſtiam.*

Quæres, Qua die præcisè Chriſtus celebrauit paſcha, & inſtituit Euchariſtiam, an eodem die quo Iudæi celebrarunt paſcha, an alio? Suppono Chriſtum paſſum & crucifixum feria ſexta, ſiue die Veneris, vt patet ex Luca & Ioanne, & ex totius Eccleſiæ ſenſu & conſenſu: pridie ergo, id eſt die Iouis ad veſperam, cœnauit agnum, & Euchariſtiam inſtituit. Iam

*Prima. ſententia.*

Primò, Euthymius & Græci autumant Chriſtum celebraſſe Paſcha Luna 13. ſiue 13. menſis Niſan: ipſum enim præueniſſe tempus Paſchæ à lege ſtatutum, ob ſuam paſſionem, quæ poſtero die quo Iudæi celebrabant Paſcha, futura erat. Et quia poſtero die cum Paſchate incipiebat vſus azymorum, cenſent Chriſtum ante azyma inſtituiſſe Euchariſtiam in pane non azymo, ſed fermentato, ideoque ipſi celebrant in fermentato, dicuntque hoc eſſe præceptum. Vnde Latinos celebrantes in azymo damnant, vocantque hæreticos & azymitas, & eorum altaria abluunt, quaſi pane azymo polluta, antequam in eis celebrent. Probant ex S. Ioanne, qui cap. 13. verſ. 1. & 2. ait, *Ante diem feſtum Paſchæ*; id eſt, ante 14. Lunam, cum incipiebatur azyma, Chriſtum feciſſe cœnam, ſcilicet agni paſchalis & Euchariſtiæ.

*Secunda.*

Secundò, Rupertus, Ioan. Lucidus, Gagneius, Ianſenius, Maldonatus, & fusè Salmeron tract. 9. tom. 4. cenſent Chriſtum iuxta legem celebraſſe Paſcha lunatione 14. ſiue die 14. Niſan; Iudæos verò illud diſtuliſſe in diem 15. Niſan (quibus fauere videtur S. Ioannes:) Traditio enim erat, ait Burgenſis ex *Seder Olam*, vt, ſi paſcha incideret in feriam ſextam, ſiue in paraſceuen, transferretur in ſabbathum, ne duo feſta ſolemnia, ſcilicet Paſchæ & ſabbathi, concurrerent. Verùm hæc traditio & conſuetudo recentior eſt, cœpitque poſt Chriſtum, vt ex Thalmud & Aben Eſra, ac ex S. Epiphanio & Aſianis probat Bellarm. libr. de Euchariſtia c. 8. ac Toletus, Suarez, D. Thomas, Abulenſis & alij.

*Tertia. genuina.*

Cum quibus dico, Chriſtum & Iudæos eadẽ die à lege præſcripta celebraſſe paſcha, ſcilicet die 14. menſis Niſan ad veſperam. Id ita eſſe patet ex Mattheo, Marco & Luca, qui aiunt Chriſtum celebraſſe Paſcha primo die azymorum, quo *neceſſe erat* (ex lege) *occidi paſcha*, & quo die *immolabant paſcha*, ſcilicet Iudæi. Alioqui enim Iudæi Chriſtum, quaſi legis & Iudaiſmi tranſgreſſorem & apoſtatam arguiſſent, & damnaſſent.

*Obiectio. Prima.*

Obijcies Primò, ſi Chriſtus celebrauit paſcha die 14. Niſan, quomodo ergo Mattheus, Marcus & Lucas aiunt ipſum illud celebraſſe prima die azymorũ; hæc enim incidebat in diem 15. Niſan.

*Solutio.*

Reſp. Iam dixi, primum diem azymorũ partim eſſe & dici diem 14. Niſan, partim 15. Nam veſpera illa qua Iudæi celebrabant phaſe, cum quo incipiebant dies & vſus azymorum, ſecundùm computum naturalem dierum pertinebat ad diẽ quæ veſperam præcedebat, ſcilicet ad diem 14. Niſan: eadem verò ſecũdùm computum ſacrum feſtorum, pertinebat ad diem ſequentem, quæ erat 15. Niſan, quia Iudæi feſta celebrabant à veſpera in veſperam. Et hoc ſenſu ait Ioannes Chriſtum cœnaſſe agnum, *ante diem feſtum paſchæ*, hoc eſt die 14. Niſan ad veſperam, quæ præcedit diem Paſchæ, id eſt diem 15. Niſan, quæ eſt prima azymorum, iuxta computum ſacrum.

Obijcies Secundò, Ioan. 18. 28. dicitur, Iudæos non ingreſſos fuiſſe prætorium, ne contaminarentur, ſed vt puri purum comederent paſcha,

ſcha. Reſp. Paſcha ibi non ſignificat agnum paſchalem, hic enim erat immolatus & comeſtus veſpera præcedente, ſed ſignificat alias victimas paſchales, quæ per ſeptem conſequentes dies, ac præſertim primo die azymorum, id eſt, manè die 15. Lunæ ex lege immolari ſolebant.

*Tertia.* Obijcies Tertiò, Ioannes cap. 19. 21. diem decimum quintum Niſan, quo Chriſtus celebrauit cœnam agni, vocat paraſceuen paſchæ. Reſp. *paſchæ*, id eſt ſabbathi paſchalis, ſeu ſabbathi quod intra hebdomadam Paſchæ occurrebat, ideoque ceteris ſabbatis erat ſanctius & celebrius. Vnde Ioannes ibidem, explicans ſubdit: *Erat enim magnus dies ille ſabbathi* Patet id ex Marco, qui cap. 15. 32. Paraſcheuen hanc vocat proſabbatum: *Erat*, inquit, *paraſceue, quod eſt anteſabbathum.* In paraſceue enim, putà die Veneris, parandi erant cibi & cetera neceſſaria pro ſabbatho poſtridie futuro. Sabbatho enim, vtpote ſanctiſſimo, ceſſandum erat ab omni opere, vt nec cibos coquere liceret, quod tamen alijs feſtis licebat.

*Quarta.* Obijcies Quartò, Principes dicunt Matth. 26. 5. *Non in die feſto*, capiamus & occidamus Chriſtum. Reſp. eos poſtea per proditionem Iudæ mutaſſe conſilium, ac Chriſtum ipſo feſto Paſchæ cepiſſe & occidiſſe.

*Quinta.* Obijcies Quintò, Pentecoſte illo anno quo mortuus eſt Chriſtus, incidit in diem Dominicam: in Dominica enim deſcendit Spiritus ſanctus in Apoſtolos: ergo ſi ab hac Dominica retrò dies 50. computes, Paſcha incidit in diem ſabbathi. Ad hoc argumentum fusè reſpondi Actor. 2. v. 1.

Accesservnt discipvli (*duo*, ait Marcus, ſcilicet *Ioannes & Petrus*, ait Lucas) ad Iesvm dicentes: Vbi vis paremvs tibi comedere pascha?] *Vbi*, non quærunt de oppido vel vrbe, ſed de domo vel hoſpitio. Certi enim erant ex lege Deuter. 16. verſ. 5. 6. & 7. Paſcha non poſſe immolari niſi in Ieruſalem, vtpote vrbe electa à Deo ad ſui cultum & templum. Vnde Titus Dei vindicta obſidens Ieruſalem in Paſchate, omnes Iudæos, qui ex tota Iudæa eò ad celebrandum Paſcha confluxerant, conſtrinxit & cepit, vel occidit: quamquam agnus Paſchalis non in templo à ſacerdotibus, ſed domi immolabatur à quolibet patrefamilias, qui ad hoc retinebat ius priſcum ſacerdotij, olim datum primogenitis familiarum. Id disertè docet Philo lib. de Decalogo ſub finem: *Paſcha*, inquit, *populariter ſinguli ſacrificant non exſpectatis ſacerdotibus, ipſi permiſſu legis hîc fungentes ſacerdotio.* Nam ſacrificium agni paſchalis magis in eius comeſtione (vnde aiunt diſcipuli, *comedere Paſcha*) quàm immolatione conſiſtebat. Hinc & mactari, immolari, excoriari & aſſari poterat, non quidem à publicis & profanis lanionibus, ſed vel à ſacerdote, vel à quopiam è familia, quem paterfamilias deſignaſſet, vti Petrus & Ioãnes hîc miſſi à Chriſto agnum mactarunt, immolarunt, aſſarunt, pararuntque panes azymos & lactucas agreſtes, cum quibus comedendus erat agnus. Porrò agnus ſolebat mactari hora nona, hoc eſt, tertia pomeridiana, teſte Ioſepho lib. 7. de Bello c. 17. vt iuxta legem Exodi 12. veſpere comedi poſſet.

*Paſcha non poterat immolari niſi in Ieruſalẽ.*

*Hora tertia pomeridiana mactabatur agnus paſcahlis.*

*Vers. 18. Luc. 22. v. 10. 11.*

At Iesvs dixit: Ite in civitatem (Ieruſalem: hinc patet Chriſtum hæc dixiſſe in Bethania) ad qvemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempvs mevm prope est, apvd te facio pascha, cvm discipvlis meis] *Ad quemdam*; Syrus, *leuath pelon*, id eſt, *ad talem*; Hebræi dicunt, *peloni almoni*, (vnde Hiſpani ſuum *fulano* acceperunt,) cùm aliquem deſignant quem non nominant. Porrò quibus notis eum deſignarit, ſignificat Marcus dicens: *Occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, ſequimini eum, & quocumque introierit, dicite domino domus, Quia magiſter dicit: Vbi eſt refectio* (locus refectionis) *mea, vbi paſcha cum diſcipulis manducem? Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum grande ſtratum, & illic parate nobis. Et abierunt diſcipuli, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt ſicut dixerat illis, & parauerunt paſcha.* Idem habet Lucas c. 22. 10.

Vbi Nota, hunc lagenæ baiulum & domus indicem, alium fuiſſe ob hero vel domino domus, vt patet ex verbis Marci. Hic enim herus videtur fuiſſe vir honeſtus & diues, habens amplas ædes, & vt videtur amicus & diſcipulus Chriſti. Traditio eſt hanc domum fuiſſe Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, fuitque ſocius Pauli & Barnabæ in profectione & prædicatione Euangelij. Vnde in hac eadem domo latuêre Apoſtoli poſt necem Chriſti, ibiq; Chriſtus poſt reſurrectionem ipſo die paſchatis veſpere eis apparuit, ibi quoque orantes receperunt Spiritum ſanctum in Pentecoſte. Vnde Petrus è carcere Herodiano liberatus ab angelo, ad fideles in hac domo congregatos ſeſe recepit, teſte Luca Act. 12. 12. Quocirca hæc domus verſa eſt in eccleſiam. In ea enim ædificata eſt Sion, omnium Eccleſiarum maxima & ſanctiſſima. Quæ omnia docet Alexander in Vita S. Bernabæ Apoſtoli, quem ſequuntur Baronius, Ianſen. Adrichom. & noſter Caniſius lib. 5. Martialis cap. 1. Pro *vbi eſt refectio mea*, vt vertit Interpres in Marco, græcè eſt, κατάλυμα, id eſt, *diuerſorium*, vt vertit Interpres in Luca & Syrus, idque clarius. Pro *cœnaculum*, græcè eſt, ἀνώγεων. q. d. Tabulatum vel ſolarium, ſupra ſolum ſurſum eleuatum, qualia videmus Romæ ab honeſtioribus habitari. Vnde hoc fuit typus Eccleſiæ, quæ à terra in cælum tendit, ac mente in cælis verſatur.

*Eccleſia Sion quæ*

Tempvs mevm prope est] *Tempus*, ſcilicet moriendi, & legationem meam conſummandi, vt per mortem & reſurrectionem ad Patrem, qui è cælis in carnem & terram me miſit, redeam.

Apvd te facio pascha] id eſt, facere decreui, facere cupio.

*Vers. 19. Luc 22. 13. Mar. 14. 16.*

Et fecervnt discipvli (Petrus & Ioannes) sicvt constitvit (græcè συνέταξεν, id eſt, ordinauerat, præceperat) illis Iesvs, et paravervnt pascha] id eſt, agnum paſchalem mactarunt, excoriarunt, aſſarunt. Porrò agnus aſſandus referebat ideam Chriſti crucifixi. Nam vt docet S. Iuſtinus contra Tryphon. perfodiebatur corpus agni veru, pedes verò tam poſteriores qui pedũ, quàm priores qui manuum ſunt loco, diſtendebantur, diuaricabanturque bacillis infixis in volas: tamquam ſi veru ſtipitem crucis, bacilli verò tranſuerſum lignum præſignaſſent, vnà cum clauis in diuini agni manus pedeſq; infixis, nam ignis afflictionis hîc non minor fuit, quàm illic flammeus. Neſcio autẽ quid vulnerũ perpetuò gerant agni in medijs pedum volis, non abſimili modo, quo Saluator noſter ex



ex cruce reſeruat in manibus & pedibus fixuras clauorum, ait Franc. Lucas. Quocirca Chriſtus veniens domum videnſque agnum aſſari, in eo quaſi in viua ſui imagine intuebatur ſuam crucifixionem, in qua ipſe ſimili modo diſtendendus, clauis affigendus, & igne tum doloris, tum magis amoris poſtero die aſſandus erat in cruce. Quare agnum hunc quaſi in typum, & magis ſeipſum magno intimi ardoris ſenſu Deo Patri offerebat in holocauſtum, & quaſi victimam pro peccatis totius mundi. Idem intellexerunt Apoſtoli poſtquam viderunt Chriſtum crucifigi.

*Chriſtus in agno ſe in cruce intuebatur.*

*Vers. 20. Luc. 22. 14. Mar. 14. 17.*

Vespere avtem facto, discvmbebat cvm dvodecim discipvlis svis] Veſpere enim iuxta legem comedendus erat agnus, idque à ſtantibus, vt ſignificarent Hebræi ſe paratos ad iter, ac ex Ægypto proficiſci in terrã promiſſam, ſcilicet in Chanaan. Vide dicta Exod. 12. Dicitur tamen Ieſus cum ſuis hîc diſcubuiſſe, quia veteres cœnaturi in thoris, id eſt lectulis menſalibus, diſcumbebant, id eſt, prono deorſum corpore iacebant, ſurſum verò innixi cubitis quaſi ſedebant iuxta menſam. Ex quo ritu etiamnum manſit phraſis, qua dicimur accumbere menſę, id eſt accubare menſæ, cùm illi more noſtro aſſidemus. Marcus c. 14. v. 17. habet, *Veſpere autem facto venit cum duodecim*, id eſt, cum toto collegio Apoſtolorum; ex quo tamen duos iam antè ad omnia præparandum præmiſerat: ergo præcisè venit cum decem reliquis dumtaxat: dicitur tamen veniſſe cum duodecim, quia duo illi paulò antè eo mittente iam venerant.

Quæres, an Iudas proditor interfuerit celebrationi paſchæ & Euchariſtiæ, illamq; ſumpſerit; Negant S. Hilarius, & Theophylactus hîc, ac Clemens Romanus lib. 5. Conſtit. cap. 16. & ibi Turrianus ac Innoc. III. Pont. lib. 4. de Myſterio Euchar. cap. 13. Rupertus lib. 10. in Matth. in fine. Fauere videtur S. Dionyſ. de Eccleſ. hierar. cap. 3. initio, & ita eum ibidem explicant S. Maximus & Pachymerus; ſed idem S. Dionyſius pro contraria ſententia facilè explicari poteſt, pro qua eum citat S. Thomas, Dion. Carthuſ. & alij; Theophylactum quoque pro vtraque ſententia exponere licet. Ratio eorum eſt, quia proditor indignus erat tantis myſterijs, & à ſacra Synaxi arcendus.

*Iudas ſumpſit S. Euchariſtiam.*

Verùm Iudam interfuiſſe Paſchæ, & Euchariſtiæ, ac cum ceteris Apoſtolis communicaſſe communis eſt ceterorum Patrum & Doctorum ſententia, ſcilicet Origenis, Cyrilli, Chryſoſt. S. Ambroſ. S. Leonis, S. Cypriani, S. Auguſtini, Rabani, Bedæ, S. Thomæ, & aliorum, quos citat & ſequitur Suarez 3. part. quæſt. 73. art. 5. diſp. 41. ſect. 3. vbi oſtendit etiam S. Dyoniſium idem ſentire. Ait enim ſic Dionyſius: *Et ipſe auctor ſymbolorum* (Chriſtus) *iuſtiſſimè ſeparat eum, qui non ſicut ipſe, nec pari modo ſimplicitate ſacra concœnauerat.* q. d. Chriſtus ſeparat Iudam à ſuo Apoſtolorum conſortio, dicens, *Quod facis fac citiùs*, eò quòd indignè ſacram Euchariſtiam ſecum ſumpſiſſet & cœnaſſet: mox enim poſt indignam communionem intrauit in eum ſatanas, eumque ad proditionem Chriſti perficiendam impulit, vti docet S. Chryſoſtomus homil. 1. & 2. de proditione Iudæ, S. Auguſtinus in pſalm. 10. & Cyrill. catecheſi 13.

*Prob. Primò.* Prob. hæc ſententia Primò, quia Matthæus hîc ait, Chriſtum diſcubuiſſe ad cœnam agni & Euchariſtiæ cum 12. Apoſtolis; ergo etiam cum Iuda: nam hic erat vnus è duodecim. Vnde v. 21. ſequitur: *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus veſtrûm me traditurus eſt.*

*Secundò.* Secũdò, quia Marcus c. 14. 23. de calice Euchariſtiæ ait: *Et biberunt ex illo omnes*, ſcilicet 12. Apoſtoli, quos ad cœnã hanc cum Chriſto veniſſe paulò antè, dixerat v. 17.

*Tertiò.* Tertiò, quia Lucas ca. 22. 21. ait Chriſtum poſt conſecrationem calicis Euchariſtiæ illicò ſubieciſſe: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*; ergo aderat Iudas.

*Quartò.* Quartò, quia Ioannes ca. 13. narrans Chriſtum ante Euchariſtiam lauiſſe pedes Apoſtolorum, ſignificat v. 10. & ſequ. etiam lauiſſe pedes Iudæ, dicendo: *Vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum.* Si Chriſtus Iudæ lauit pedes; ergo eidem dedit Euchariſtiam, quæ mox ab eo inſtituta eſt: ad hãc enim dirigebatur hæc lotio.

*Quintò.* Quintò, quia Chriſtus poſt cœnam Euchariſtiæ dixit, vnum ex menſæ ſecum accumbentibus, putà Iudam, eſſe ſuum proditorem, vt patet Ioan. 13. verſ. 12. 18. & ſequent. cumque Ioannes à Chriſto peteret, quiſnam eſſet proditor? reſpondit Chriſtus ibidem verſ. 26. *Ille eſt cui intinctum panem porrexero. Et cùm intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ*, ac ſubdit verſ. 30. *Cùm ergo accepiſſet ille bucellam, exiuit continuò*, ad prodendum Iudæis Chriſtum.

*Ratio à priori.* Ratio à priori eſt, quia, etſi Chriſtus licitè poſſet peccatum & proditionem Iudæ Apoſtolis occultam detegere, ad diuinitatis & charitatis ſuæ manifeſtationem, tum quia ipſe erat dominus famæ Iudæ; tum quòd proditio Iudæ alibi, putà apud principes & ſeniores, eſſet publica, ac apud Apoſtolos paulò pòſt ipſo facto, & proditionis executione foret euulganda, noluit tamen id facere Chriſtus, vt perfectæ charitatis daret exemplum, vtque per eam Iudam ad pœnitentiam alliceret. Denique vt doceret occultos peccatores non eſſe prodendos, publicè traducendos & infamandos, ideoque nec à ſacra Synaxi arcendos. Quare cùm Chriſtus inſtituendo Euchariſtiam, Apoſtolos crearit ſacerdotes & Epiſcopos, cum dixit; *Hoc facite in meam commemorationem*; ſequitur eum Iudam quoque qui præſens erat, creaſſe ſacerdotem & Epiſcopum. Vnde de eo dicitur pſalm. 108. *Et epiſcopatum eius accipiat alter.* Hoc enim de Iuda interpretatur S. Petrus Actorum 1. licèt enim ibi pro *epiſcopatum* hebr. ſit פְּקֻדָּתוֹ *pecuddato*, id eſt, *præfecturam eius*, ſcilicet apoſtolatum eius, tamen *epiſcopatum* propriè dictum accipi nil vetat, vti accipit Suarez 3. part. quæſt. 73. art. 5. diſp. 41. ſect. 3. Denique non alios quam 12. Apoſtolos interfuiſſe huic cœnæ & Euchariſtiæ, hinc liquet: hîc enim 12. dumtaxat nominantur & cenſentur, quod nota contra Euthymium, qui alios quoque interfuiſſe arbitratur.

*Vers. 21. Mar. 14. 18. Ioan. 13. 21.*

Et edentibvs illis dixit: Amen dico vobis, qvia vnvs vestrvm me traditvrvs est] Græcè παραδώσει, id eſt *prodet*, me Iudæis meis hoſtibus. Sic & Syrus. Matthæus id Chriſtum dixiſſe narrat ante inſtitutionem Euchariſtiæ, Lucas verò c. 22. 21. poſt eã idq; verius eſt. Noluit enim Chriſtus animos diſcipulorum ante Euchariſtiam tam funeſto nuncio turbare, ſed totos ad conſiderationem tanti Sacramenti intentos

*Proditionem ſuî Apoſtolis detegit Chriſtus.*

intentos deuotoſque colligere & erigere. Quare Matthæus vſus eſt prolepſi & anticipatione, licèt Euthym. & S. Aug. l. 3. de conſenſu Euang. c. 1. bis id à Chriſto dictum putent, ſcilicet tam ante, quā poſt Euchariſtiam. *Traditurus eſt*, proditurus poſt paucas horas. Prædixit id Chriſtus, tum vt ſe proditionis conſcium oſtenderet, ac ſe non ignoranter, nec inuitum, ſed vltrò pati ſignificaret. Vnde non fugit, ſed proditori ſeſe obtulit: tum vt Iudæ conſcientiam pungeret, & ad pœnitendùm ſtimularet. Ita S. Hier. *Mittit*, ait, *crimen in numero, vt conſcius agat pœnitentiam.* Iudam non nominauit Chriſtus tribus de cauſis. Primò, vt eius famæ conſuleret, noſque idem facere doceret. Secundò, ne Petrus & Apoſtoli in Iudam inſurgerēt, eumq; diſcerperent. Tertiò, vt Iudā hac lenitate & charitate ad pœnitentiam prouocaret. Vnde S. Leo ſerm. 7. de Paſſione ait: *Notam ſibi eſſe proditoris conſcientiam demonſtrauit, non aſpera, nec aperta impium increpatione confundens, ſed leni ac tacita admonitione cōuincens, vt faciliùs corrigeret pœnitendo quem nulla deformaſſet obiectio.* Ex mox: *Redi in integrum, & depoſito furore reſipiſce. Clementia inuitat, ſalus pulſat, ad vitam vita te reuocat.*

Vers. 22. Mar. 14. 26. Et contristati valde (Syrus, *& ægrè fuit eis vehementer*) coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?] Syrus *mori*, id eſt, *Domine mi*, ſcilicet dulciſſime & deſideratiſſime. Summè enim dolebant Chriſtum Dominū, patrem & magiſtrum ſuum, à quo toti pendebāt, ſibi eripi & mori, idque per proditionem, eamq; faciēdam per vnum è ſuo Apoſtolorum collegio quę ſumma erat iniuria, indignitas & collegij totius infamia. Vndè hæc Chriſti verba inſtar gladij dolore transfixerūt eorum corda, vt *ſemimortui fierent*, ait Chryſoſt.

Singvli] Ergo & Iudas, ne ſi ſolus taceret, ſe ceteris Apoſtolis ſilentio ſuo proderet, aut ſceleris ſuſpectum redderet. Nam vt ait Origenes: *Exiſtimo quia in primis putauit latere quaſi hominem, qui poſtquam vidit conſcientiam ſuam notam Chriſto, amplexus eſt occultationem poſitā in verbis ipſius: quorum primum infidelitatis erat, ſecundum autem impudentiæ.* Ceteri verò Apoſtoli dixerunt pariter: *Numquid ego ſum Domine?* quia licèt eos conſcientia tanti criminis non argueret, tamen, vt ait S. Chryſoſt. (qui id accepit à S. Baſil. in Regul. breuior. reg. 301.) magis verbis Chriſti, quam conſcientiæ ſuæ fidebant, præſertim quia vt alibi ait S. Auguſtin. *Non eſt peccatum quod fecit homo, quod non faciat alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo.*

Vers. 23. Mar. 14. 20. Luc 22. 21. At ipse respondens ait. Qui intingit mecum manum in paropside (*in patina*, ita Syrus) hic me tradet]. Syrus, *proditurus eſt*; græcè. ὁ ἐμβάψας, in aoriſto, *qui intinxit*, qui intingere ſolet. Videtur Iudas, vt proditionē diſſimularet, & Chriſto ſe magis amicum oſtenderet, ſæpiùs cum ipſo in patinam alicuius iuſculi, aceti, vel ſalſamenti panem vel carnem intinxiſſe: ſed quia idem faciebant ſubinde alij Apoſtoli, hinc ex hiſce verbis Chriſti Iudam proditorem ab eo deſignari, certò cognoſcere nequiuerunt. Vnde alijs interrogationibus id à Chriſto expiſcari ſatagerunt.

*Ordo detectionis Iudæ proditoris.* Vbi Nota, ad concordiam Euangeliſtarum, qui diuerſimodè deſignationem Iudæ proditoris narrant, hunc fuiſſe ordinem Hiſtoriæ qui omnes Euangeliſtas inter ſe conciliat. Primò, Chriſtus ante Euchariſtiam, vt patet ex Mattheo & Marco, prædixit ſe prodendum ab aliquo Apoſtolorum; ſed generatim & indefinitè, proditorem non nominando, nec deſignando. Deinde ſingulis Apoſtolorum interrogantibus: *Numquid ego ſum Domine?* Chriſtus reſpondit eum eſſe proditorem, qui intingeret ſecum manū in paropſide: quia veteres ſicut terni vel quaterni in lectulis menſæ accumbebant, vti dixi Eſther 1. v. 6. ita & terni vel quaterni communē habebant paropſidem, imò & eamdem habere poterant qui accumbebant in lectulis oppoſitis vel lateralibus. Igitur, quia plures Apoſtoli eamdem habebant paropſidem, hinc hiſce verbis non definitè indicauit Chriſtus, quis eſſet proditor. Chriſtus deinde inſtituit Euchariſtiam: quo facto rurſus ait proditorem ſecum eſſe in menſa, vt diſertè narrat Lucas, de quo plura Ioan. 13. v. 21. Quocirca Petrus innuit Ioāni recumbenti in ſinu Chriſti, vt roget eum, quis definitè & nominatim ſit proditor. Ioanni id roganti reſpondet Chriſtus, eum eſſe cui daturus ſit buccellam, ac mox eam dat Iudæ: ille ea accepta, ex conſcientia ſceleris & hoc indicio Chriſti, ſentiens ſe notari, impudenter & obſtinatè rogat: *Numquid ego ſum Rabbi?* Chriſtus reſpondet, *Tu dixiſti*, id eſt, *tu es*; quare ipſe omnino detectum & infamatum ſe videns, quaſi amens & furens, egreditur ad proditionem Chriſti perficiendam, abitque in domum Caiphæ, vt ab eo lictores & ſatellites poſtulet, qui Chriſtum comprehendant.

Vers. 24. Mar. 14. 21. Luc. 22. 21. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille] Quia *multo melius eſt non ſubſiſtere, quàm male ſubſiſtere. Pœna prædicitur, vt quem pudor non vicerat, corrigant denunciata ſupplicia*, ait S. Hieron. Minatur enim ei væ damnationis & gehennæ, longè enim ſatius eſt non eſſe, quàm eſſe ad hoc tantum, vt ſemper miſerrimus ſit, & perpetim ardeat in gehenna, vti oſtendi Eccleſ. ca. 4. v. 2. & 3. Sapienter S. Hier. epiſt. ad Furiam: *Non quærūtur*, ait, *in Chriſtianis initia, ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed bene finiuit: Iudæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur.*

Vadit] *Hiſce verbis*, ait Victor Antioch. in c. 14. Marci v. 21. Chriſtus *mortem ſuā tranſitioni aut diſceſſui cuipiam ſimiliorem oſtendit, quàm veræ morti. Significat per eamdem vocem quoque ſponte ſe ad mortem abire.* Porrò proditio Iudæ fuit immane ſacrilegium, in ipſam Chriſti & Dei perſonam directe admiſſum: quare fuit verè chriſticidium & deicidium. Quocirca Iudam profundiſſimè iuxta Luciferum in gehenna degere, ibique acerbiſſimè torqueri, valdè eſt veriſimile. Et hoc innuit τὸ væ, quod hîc ei Chriſtus præ alijs reprobis intentat. Hinc B. Franc. Borgia in meditatione ſummè ſe humilians, collocabat ſe ad pedes Iudæ, id eſt profundiſſimè in inferno, dictitans ſe alibi locum ſibi congruum, ſuiſque peccatis debitum, nec in cælo, nec in terra, nec ſub terra inuenire. Ita habet eius Vita.

Vers. 25. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum (Arabicus, *Iudas traditor ipſius*; Syrus, *Iudas proditor*) dixit: Numquid ego sum Rabbi (ô Magiſter) ait illi (Chriſtus) Tu dixisti] Franc. Lucas probabiliter putat Iudam id rogaſſe, poſtquam Chriſtus buccella panis ei porrecta, eum proditorem Ioanni deſignaſſe, Ioan. 13. 26. vti dixi v. 23.



Porrò rogat id Iudas ex faſtu & impudentia vt ſcelus tegeret, & *audacia bonam conſcientiam mentiretur*, ait S. Hieron. putabat enim Chriſtum ex modeſtia & lenitate auctorē ſceleris non nominaturum. q. d. *Numquid ego ſum* tuus, ô Chriſte, proditor, qui tibi fideliter tot annis ſeruiui, familiam tuam alui, omniaque negotia procuraui? Nam, vt ait S. Leo ſerm. 7. de Paſſione, *corpore tantùm cum cœnantibus recumbebat, mente autem ſacerdotum inuidiam, teſtium falſitatem & furorem imperitæ plebis armabat.*

Tv dixisti] Eſt modeſta Hebræorum reſponſio, qua confirmant id quod rogatur. q. d. Non eſt quòd ego dicam, & te proditorem nominem: tu enim talem te dicis & nominas, ac verum dicis, quia verè es proditor. Vnde S. Chryſoſt. extollit manſuetudinem Chriſti, qui ex iuſta irà non ait, Tu ſceleſte, tu ſacrilege, tu ingrate proditor, necem mihi machinaris; ſed leniter: *Tu dixiſti: Ita terminos nobis ac regulas tolerantiæ ac obliuionis fixit iniuriarū*, ait Chryſoſt. & ex eo Titus. Vnde hac lenitate, lenique & ſubmiſſa voce ac magis interna gratia Chriſtus frænauit Ioannem & Petrum, & ſi qui alij id audiuerunt, ne inſurgerent in Iudam, eumque laniarent, præſertim quia Chriſtus non clarè dixit, *tu es*, ſed obſcurè, *tu dixiſti.*

Vers. 26. Luc. 22. 19. Mar. 14. 19. Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite, hoc est copus meum] Sic & Syrus, Arabicus, Perſicus: Æthiopicus verò ſignificantiùs vertit, *Hæc ipſa caro mea.* Ægyptius addit *enim. Hoc enim corpus meum*: ceteri ergo τὸ *enim* ſubaudiunt: hoc enim ſupplendum eſſe hîc, ſatis liquet ex conſecratione vini verſiculo 28, *Hic eſt enim ſanguis meus.* Vox *enim* dat cauſam cur manducare, & bibere audeant, quia ſcilicet corpus & ſanguis Chriſti eis, ab illo manducanda & bibenda offeruntur. Quis enim cibum & potum tam pretioſum & diuinum auidiſſimè non accipiat?

Coenantibvs] Id eſt, poſt cœnam, vt habet Lucas & Paulus, agni paſchalis ſcilicet, ſed dum adhuc menſæ epulis ſtratæ accumberent, ideo Matthæus ait *cœnantibus*. Vbi Nota triplicem hîc fuiſſe Chriſti cœnam, *Triplex cœna Chriſti.* primam ſacram agni paſchalis, quam iuxta legem Exodi 12. Chriſtus & Apoſtoli peregerunt ſtantes, ſecundam communem aliorum ciborum poſt agnum, quam cœnarunt diſcumbentes in lectulis more communi gentis ſuæ: nec enim ex ſolo agno ſaturari poterant omnes perſonæ familiæ, præſertim ſi illa ampla erat & numeroſa; quare poſt cœnam agni, addebatur cœna communis ſiue vſualis aliorum ciborum; Chriſtus verò tertiam addidit ſacerrimam imò diuinam, ſcilicet inſtitutionem Euchariſtiæ. Nam Chriſtus ante Euchariſtiam cœnauit agnum & cœnam vſualem, quia decebat vt typus agni præiret veritatem Euchariſtiæ, vtque vltimum memoriale morituri, velut ſummum amoris pignus eſſet Euchariſtia; hoc eſt quod aiunt Lucas & Paulus, *Poſt cœnam.* Ita Ianſenius, Maldonatus, Franc. Lucas & alij: licèt Suarez loco mox citando cenſeat, cœnam Euchariſtiæ fuiſſe mediam inter cœnam agni & vſualem. Iam verò ob reuerētiam tanti Sacramenti, Apoſtolica traditio habet, ait S. Auguſt. epiſt. 128. vt Euchariſtia non niſi à ieiunis ſumatur. Quare perperam & doloſè hæretici Euchariſtiam vocant cœnam, eſto primi Chriſtiani aliquamdiu in cœna exemplo Chriſti Euchariſtiam celebrarint vt colligitur ex Paulo 1. Corinth. 11. 25. Porrò in locum & memoriam ſecundæ cœnæ vſualis & communis, quam Paulus Dominicam vocat, ſucceſſit apud Chriſtianos olim Agape, id eſt, epulum omnium commune in ſignum & fomentum charitatis, ſed poſt ſumptam Euchariſtiam. Deniquè Chriſtus poſt cœnam agni, & communem ſiue vſualem, ante inſtitutionem Euchariſtiæ lauit pedes diſcipulorum, etiam Iudæ, vt ſignificaret qua puritate ad tanta myſteria accedendum ſit, vt patet Ioan. 13. v. 4. lotione peracta panem & vinum, quæ adhuc in menſa erant, conſecrauit, ac in Euchariſtiam, id eſt, in ſuum corpus & ſanguinem conuertit. Vnde colligitur, quòd Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſub horam noctis primam, vel ſecundam. Nam agnus qui veſpere comedendus erat, vna hora comedi poterat, imò citiùs, & altera hora pedes Apoſtolorum à Chriſto facilè lauari poterant, ita vt ſub horam noctis ſecundam Euchariſtiam inſtituerit. *Sub horam noctis ſecundam inſtituit Euchariſtiam.* Initio enim noctis id factum patet ex ijs, quæ deinde nocte illa geſta ſunt. Nam poſt Euchariſtiæ ſumptionem Iudas exijt, vt miniſtros principum accerſeret, qui Chriſtum comprehenderent. Chriſtus interim prolixum habuit ſermonem: quem Ioannes recenſet c. 14. 15. 16. & 17. Quo finito exijt in montem Oliuarum, ibique prolixè orauit, ac deinde à Iuda proditus, & à Iudæis captus, & ex Gethſemani retractus Ieruſalem, ductus eſt ad Annam, deinde ad Caipham, demum magna parte noctis reliquæ, à miniſtris ſacerdotum alapis cęſus, conſputus & illuſus fuit, à miniſtris, inquam, qui lucem & diem exſpectabant vt Chriſtum pilato damnandum ſiſterent. Ergo videtur Chriſtus Euchariſtiam inſtituiſſe ſub initium noctis diei Iouis. Ita Suarez 3. p. qu. 73. art. 5. diſp. 41. ſect. 4.

Denique audi Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. c. 1. *Chriſtus celebrato veteri paſchate, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, nouum inſtituit paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui ſanguinis effuſionem nos redemit, eripuitq; de poteſtate tenebrarum, & in regnum ſuum tranſtulit.*

Accepit Iesvs panem.] Nota hîc quinque actiones Chriſti. Primò, Chriſtus accepit panem; Secundò, gratias egit Patri Tertiò, panem benedixit, vt habet S. Matth. c. 26. v. 26. Quartò, panem fregit; Quintò, porrexit & inter porrigendum dixit: *Accipite & manducate, hoc eſt corpus meū.* Hæc enim verba tam porrigentis ſunt quàm cōſecrantis. Hinc ruit argumentum Caluini: *Obijcit Caluinus.* Omnia, inquit, verba hæc, ſcilicet accepit, benedixit, fregit, dedit, reſpiciunt & referunt panem: ergo panem acceperunt & comederunt Apoſtoli, non corpus Chriſti. Reſpondeo ad antecedens: *Reſpōdetur.* Hæc verba referunt panem, non qui manebat panis, ſed qui inter dandum vi verborum & conſecrationis Chriſti, conuertebatur in corpus Chriſti.

Sic

Sic dicere potuiſſet Chriſtus in Cana Galilææ: Accipite & bibite, hoc eſt enim vinum, ſi per hęc verba mutare voluiſſet aquam in vinum. Sic vulgò dicimus. Herodes S. Ioannem incarcerauit, occidit, ſepeliuit vel ſepeliri permiſit, cùm tamen non incarcerauit eumdem quem ſepeliuit: quia hominem incarcerauit, cadauer verò occiſi ſepeliuit. Talis ergo, & conſequenter æquè vulgaris eſt hæc Euangeliſtarum & Pauli de Euchariſtia locutio.

Nota Secundò, ex eo quod Chriſtus ait: *Accipite hoc eſt enim, &c.* hinc videri Chriſtum vnum panem accepiſſe, eumque inter conſecrandum fregiſſe in duodecim partes, ſimulque ſingulis Apoſtolis vnam diſtribuiſſe, quam quiſque videtur manu accepiſſe. Vnde & diu in Eccleſia Chriſtianis fidelibus Euchariſtia in manus data fuit, vt patet ex Tertull. libr. de Spectaculis, ex Cyrillo Hieroſol. catecheſi 5. myſtag. ex S. Auguſt. ſer. 244. Poſtea tamen periculi & reuerentiæ cauſa, in os data eſt Euchariſtia.

Denique Apoſtoli ad tam inſolitam Chriſti actionem, tamque nouum & mirum Sacramentum mirati & turbati non ſunt, duplici de cauſa, Prima, quia iam antè fuerant inſtructi & præmoniti, Ioan. 6. vt Chryſoſt. docet homil. 83. in Matth. Altera, quia idem Chriſtus qui myſteria tradebat, mentem eorum fide illuſtrabat, vt ſimpliciter crederent. Nam multa alia mirabiliora ſine turbatione audierant, & crediderant; quale erat inprimis, hominem illum, quem videbant comedere, bibere, dormire, fatigari, eſſe verum Deum; etiam tunc eſſe in cælo cùm loqueretur in terris; diceretque Ioan. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo.*

BENEDIXIT] Nota, Chriſtum ante conſecrationem Euchariſtiæ Primò, gratias egiſſe Deo Patri, vt habent Lucas & Paulus, idque oculis de more ſuo in cælum eleuatis, vti habetur in Canone noſtro & Liturgia S. Iacobi. Vnde hoc Sacramentum dictum eſt Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio, quia ipſum maxima eſt gratia, ac conſequenter cum maxima grâtiarum actione ſumendum,

*Euchariſtia quid?*

Secundò, Chriſtum benedixiſſe non Patrem, vt volunt hæretici, ſed panem & vinum, vt expreſſè habet hîc Paulus dicens: *Calix benedictionis, cui benedicimus,* &c. 1. Corinth. 10. Benedixit autem Chriſtus panem & calicem, hoc eſt Dei benedictionem & omnipotentiam ſuper panem & vinum inuocauit, vt præſtò eſſet etiam & in futuris omnibus conſecrationibus, ad panē cōuertendum in corpus, & vinum calicis in ſanguinem Chriſti, quando legitimè pronuntiantur verba conſecrationis. Similis fuit benedictio panū Lucæ 9. v. 16. Non ergo benedictio, hæc fuit conſecratio, licèt id velit D. Thom. 3. par. q. 78. ar. 1. ad 1. ſed præuia oratio. Ita Conc. Trident. ſeſſ. 13. c. 1. vnde in Liturgia S. Iacobi, Baſilij & noſtra, Chriſti exemplo petimus, vt Deus benedicat hæc dona, vt diuina virtus in panem & calicem deſcendat, ad perficiendam conſecrationem: & hinc dicitur *calix benedictionis,* id eſt, à Chriſto benedictus. Vnde Paulus 1. Corinth. 10. 16. *Calix benedictionis,* inquit, *cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?*

*Chriſtus benedixit panem: cur?*

Denique videtur Chriſtus ſignum crucis for-
A mando ſuper panem, eum benedixiſſe, & benedicendo inuocaſſe Dei opem, ad futuram conſecrationem & tranſſubſtantiationem. Nam ex vſu Eccleſiæ, ſacerdotes in conſecratione panem & vinum ſigno crucis benedicunt, idque faciunt exemplo Chriſti.

HOC EST CORPVS MEVM] Hinc patet in Euchariſtia non eſſe figuram corporis Chriſti, vti peruertunt Nouantes, ſed verum & proprium corpus Chriſti, quod ex B. Virgine natum & in monte Caluariæ crucifixum eſt, vti omnibus ſæculis credidit Eccleſia, & in plurimis Concilijs definiuit, ſicuti multis oſtendit 1. Corinth. 11. 24. vbi Paulus ijſdem verbis inſtitutionem Euchariſtiæ à Chriſto factam repetit, & enarrat. Quibus adde, nonnullos à fide hac euelli, eò quòd com-
B prehendere nequeant, quomodo corpus Chriſti tam altum & magnum, poſſit contineri totum ſub paruula hoſtia: ſed hi cogitare debēt Deum eſſe omnipotentem, qui vt naturam inſtituit, ita contra eam ſupernaturaliter cùm vult ſæpè operatur, vt naturæ rerumque omnium ſe Dominū & Deum oſtendat. Quare quidquid eſt in natura proprietatis, hoc à Deo inuerti & euerti poteſt, ac cōſequenter facere poteſt Deus, vt quantitas magna paruo loco, imò puncto contineatur. Hæc eſt ratio Theologica. Verùm, vt infirmis nonnullorum mentibus plenè ſatisfaciam, duo euidentia huius myſterij, quòd poſſibile ſit argumenta ſubiungam, quæ vim habent ex ſimili analogia.

Accipe ergo huius rei analogicam quaſi demonſtrationem, primò phyſicam, ſecundò mathematicam. Phyſica eſt in ſpeculo & in oculo.
C Tam enim ſpeculum, quàm oculus exiguus, in ſe recipiunt integram quantitatem maximorum non tantùm hominum, ſed & domorum, templorum, arborum, montium, &c. eamque integram clarè referūt & repræſentant. Quidni ergo parua hoſtia, Deo agente, totum exhibeat Chriſtum? Dices, hoc in oculo & ſpeculo fieri ſpiritaliter per ſpecies intentionales opticas ſiue viſiuas. Reſp. Pari modo Chriſti corpus in Euchariſtia accipit ſpiritalem modum exiſtendi, vt quaſi ſpiritus ſpiritualiter ſit in puncto hoſtiæ. Adde, ipſas ſpecies intentionales, nō ita eſſe ſpirituales, quin reuera ſint entitates naturales & phyſicæ, imò corporeæ: inhærent enim corpori, ſcilicet aëri, harum tamen plurimas, & quaſi infinitas videmus ſimul in ſpeculo & oculo recipi, & cōprehendi. Si hoc quotidie fit naturaliter in ſpe-
D ciebus oculo receptis, multò magis idem facere poteſt omnipotētia Dei ſupernaturaliter, in corpore Chriſti per miraculum in Euchariſtia.

*Demonſtratio phyſica, quòd Chriſtus poſſit eſſe ſub parua hoſtia*

Accipe nūc eiuſdem rei analogicam quaſi demonſtrationem mathematicam, vt videas quomodo magna quantitas in parua, imò in quolibet eius puncto, tota excipi poſſit. Accipe, inquam, duplicem hanc figuram, trianguli ſolius, & trianguli cum circulo: priùs triangulū ſolum, deinde eum cum circulo inſpiciamus: hoſtia enim in Euchariſtia eſt circularis, imò circulus.

*Demonſtratio eiuſdem mathematica.*





A







B

In hoc triangulo A F X in angulo X concurrunt omnes lineæ ductæ à latere A, F, ſcilicet linea A, linea B, linea C, linea D, linea E, linea F, itaque angulus X, eiuſque conus ſiue punctum, reſpondet & excipit omnes haſce lineas, eodemque modo excipiet mille imò infinitas alias, quæ à coſta A F, in quolibet eius puncto educi poſſunt vſque ad X: nam à quolibet puncto ad quodlibet punctum poteſt duci linea recta, vt habet principium Euclidis & omnium Mathematicorum. Vides ergo vnum punctum X excipere omnes haſce lineas, itaque quaſi commenſurari & adęquari ſingulis lineis, & conſequenter toti lineæ A, F, ac conſequenter idem punctum X quaſi adęquari toti ſuperficiei, quæ in triangulo hoc includitur; hęc enim ſuperficies conſtat & conflatur ex lineis plurimis & continuis, quæ omnes recipiuntur in hoc puncto X. Ponamus nunc hanc longitudinē A, F eſſe longitudinē corporis Chriſti, X verò eſſe punctum hoſtiæ conſecratæ; dico pari modo, tota longitudo corporis Chriſti eſt in hoc puncto hoſtiæ, ſicut tota longitudo A, F per lineas ex illa deriuatas eſt in puncto X. Quòd ſi Nouantes, imò Phyſici & Mathematici comprehendere nequeunt, quomodo vna tanta linea recipiatur in puncto indiuiſibili, ac conſequenter quomodo tota ſuperficies, quæ ab eius extremitate vtrimque per triangulum ad idem punctum ducitur, eidem puncto per lineas ad illud ductas commenſuretur, & quaſi adęquetur, quod tamen naturale eſt; quid mirum ſi non comprehendant, quomodo quantitas corporis Chriſti poſſit recipi in puncto hoſtiæ per ſupernaturalem Dei actionem & omnipotentiam, quæ naturā & ingenium omne tranſcendit?

*ex triangulo.*

Iam circuli hîc depicti formam inſpiciamus, eamque cùm triangulo comparemus, longitudo lateris trianguli D, E, F, G, H, I, integra recipitur per ſuas lineas in circulo hoſtiæ eiuſq; puncto A; eadem tota per alias ſuas lineas recipitur in puncto C; eadem tota pari modo per alias li-
C neas recipietur in quolibet alio pūcto circuli deſignati. Sicut ergo in hac figura tota longitudo D, I quolibet puncto circuli, ſiue hoſtiæ, per ſuas lineas eò ductas, in eoque ſimul concurrentes recipi poteſt; ita tota longitudo corporis Chriſti recipi poteſt, & de facto recipitur in quolibet puncto hoſtiæ conſecratæ. Si enim in naturalibus videmus lineam D, I commenſurari puncto C in circulo A, B, C; item puncto A, & puncto B, & cuiuis alteri: cur non in ſupernaturalibus Euchariſtiæ myſteriis Deus idem facere poſſet? vt ſcilicet tota quantitas corporis Chriſti, ſit in hoc puncto hoſtiæ, & tota ſit in illo, & tota ſit in quolibet alio hoſtię puncto. Vt id clariùs videas concipe animo circulum hoſtiæ rotari & volui per puncta A, B, C, tunc ecce ſingula puncta huius circuli ſucceſſiuè tangent conum, imò
D ipſa erunt conus ſiue punctū tam A quàm B & C: ergo tunc ipſa puncta A, B, C excipient omnes lineas à coſta D, I ad ſe ductas: quod hîc fieret ſuceſſiuè, hoc ſimul & ſemel fit in hoſtia Euchariſtiæ, omnibuſque eius punctis reſpectu corporis Chriſti, quod totum ſingula hoſtiæ puncta excipiunt. Circulus enim hoſtiam, triangulus verò corpus Chriſti repræſentat.

*ex circulo.*

Adde hîc tertiam demonſtrationem ex condenſatione & rarefactione, quam recenſui 1. Corinth. 11. v. 25. Aqua enim in olla per frigus denſata dimidium tantum ollæ occupat, per ignem verò calefacta rareſcens & ebulliens totam ollam implet, cùm tamen eadem ſit aqua quoad materiam molem, & vt multi magnique philoſophi volunt, quoad quantitatem intrinſecam: nihil enim aquæ per rarefactionem, additur, niſi

*Tertia demonſtratio ex rarefactione.*

extenſio ad maiorem locum: ſi hoc naturaliter fit, cur ſupernaturaliter idē facere nequeat Deus omnipotens in corpore Chriſti, vt illud in ſe intrinſecè extenſum ad ſex pedes, extrinſecè tamen commenſuretur paruæ hoſtiæ, ad eiuſque locum & quantitatem contrahatur? Sicut aqua per calorem ignis rarefacta, occupanſque totam ollam, per frigus deinde denſata contrahitur ad dimidium ollæ: nam aquæ nihil quantitatis accedere per rarefactionem, nec decedere per condenſationem, ſed eamdem quantitatē quæ priùs erat, ſeſe magis dumtaxat explicare, & ad maiorem locum extendere, cenſent S. Thom. Greg. Ægidius, Capreolus, Soncinas, quos citant & ſequuntur noſtri Conimbricenſes lib. 1. de Generat. c. 5. quæſt. 17. art. 3.

Addit Lucas c. 22. 19. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*, id eſt, mox dabitur in crucem & mortem. Paulus 1. Corinth. 11. *Quod vobis traditur* græcè κλώμενον, id eſt, *quod frangitur*. Vide ibi dicta.

Addit rurſum Lucas Chriſtum dixiſſe: *facite in meam commemorationem*. His verbis Chriſtus dedit Apoſtolis, & ſacerdotibus ab eis ordinandis poteſtatem (æquè ac præceptum) conſecrandi & tranſſubſtantiandi panem in corpus, & vinum in ſanguinem ſuum. Quare his verbis Chriſtus Apoſtolos conſtituit & ordinauit ſacerdotes, vti docet Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. æquè ac Epiſcopos. His enim verbis iuſſit Apoſtolis, quaſi Epiſcopis, ordinare ſacerdotes, qui continuò & iugiter per omnia ſæcula celebrarēt tam Sacramentum quàm ſacrificium Euchariſtiæ, quod hîc inſtituit, tum ad perennem laudem & cultum Dei, tū ad fidelium refectionem ſpiritualem, tum vt per illud omnem à Deo gratiam poſtularent & Eccleſiæ impetrarent, vt habet dogma & fides totius Eccleſiæ. *Hoc facite* ergo, ſcilicet quod ego facio. q. d. Conſecrate, ſacrificate, panem & vinum tranſſubſtantiate comedite, ſicut ego eadem conſecraui, ſacrificaui, tranſſubſtantiaui, comedi. Inſuper ſacerdotes ordinate & Epiſcopos, qui iugiter continuâ ſucceſſione idem faciant vſque ad finem mundi, ſicut ego nunc vos hac de cauſa ſacerdotes & Epiſcopos inſtituo & ordino.

*Apoſtoli hic ſacerdotes conſecrati.*

IN MEAM COMMEMORATIONEM] Vt ſcilicet in conſecratione & ſumptione Euchariſtię commemoretis, & vt ait Paulus 1. Corinth. 11. 26. annuncietis mortem meam. Vide ibi dicta. Nec enim ſacerdotes conſecrantes iubentur hîc meminiſſe dumtaxat mortis Chriſti, ſed & eamdem populo Chriſtiano in memoriam reuocare, vt tanti beneficij tantęque Chriſti dignationis & redemptionis iugiter ſint memores & grati, ac per eam omnem à Deo gratiam poſtulent & obtineant.

VERS. 27. Luc. 12. 20. Mar. 14. 23. ET ACCIPIENS CALICEM GRATIAS EGIT, ET DEDIT ILLIS DICENS: BIBITE EX HOC OMNES] Bellarminus lib. 4. de Euchariſtia cap. 27. ad 2. & Ioan. Heſſels tract. de Commun. ſub vtraque ſpecie opinantur, Chriſtum non ſtatim poſt conſecratum panem conſecraſſe calicem, ſed plura interceſſiſſe, plures ſcilicet actiones & locutiones: probant id ex eo, quòd de pane dicat Matthęus: *Cœnantibus autem illis*; de calice verò dicat Lucas & Paulus: *Similiter & calicem, poſtquam cœnauit*.

Verùm longè verius eſt, Chriſtū immediatè conſecrationi panis ſubieciſſe conſecrationem calicis, tum quia ita narrant Matthęus, marcus & Lucas; tùm quia id exigebat ratio Sacrmenti & ſacrificij Euchariſtię, vt illud non diuideretur, nec interrumperetur, ſed totum ſimul perficeretur. Ad rationem enim ſacrificij pertinet conſecratio tam vini quàm panis. Chriſtus enim hoc ſacrificium inſtituit per modum refectionis & conuiuij, ad quod requiritur tam vinum ad potum, quàm panis ad cibum. Sic & in veteri teſtamento, ſacrificio *mincha*, id eſt farris & panum; æquè ac victimarum animalium, v. g. boum, agnorum, hœdorum, addebatur libamen, ſiue effuſio vini & olei. Sacrificiū enim Deo offertur, vt ſit refectio Dei: ad refectionem autem tam requiritur potus quàm cibus, putà tam vinū quàm panis, vti oſtendi in Leuit. cap. 1. & ſeq. Idem fuit ritus Gentilium, qui à Moyſe & Hebręis hoc & multa alia mutuati ſunt.

GRATIAS EGIT] Ritum Hebræorum in gratiis Deo agendis poſt refectionem, recenſui Eccli. 32. 17.

BIBITE EX HOC OMNES] Dixit hoc Chriſtus ante conſecrationem calicis. Quare in Marco c. 14. 23. eſt hyſterologia, dum ait: *Et biberunt ex illo omnes*, ac mox Chriſtum conſecraſſe narrat, dicendo: *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamēti*; cùm certum ſit ex Matthęo & Luca, priùs Chriſtum calicem conſecraſſe, deinde Apoſtolis bibendum dediſſe: alioqui Apoſtoli bibiſſent merū vinum, non ſanguinem Chriſti.

Nota. Chriſtus panem conſecratum in tredecim partes diuiſit, quarum vnam primus ipſe ſumpſit, ceteras deinde duodecim ſingulis Apoſtolis ſingulas ſumendas diuiſit & dedit. In calice verò vtpote liquido, id fieri non poterat. Quocirca Chriſtus prior ex eo iam conſecrato bibit, deinde eum ad bibendū dedit ſuo vicino, v. g. S. Ioanni, vel Petro iubens, vt ille ſuo vicino eumdem reſignaret, & ita conſequentur, vt calix iret in orbem, omneſque Apoſtoli ex eo biberent. Quare hinc non ſequitur quòd Huſſitæ & Lutherus volunt, laicis quoque dandum eſſe calicem, eoſque communicare debere ſub vtraque ſpecie, quia ſub vtraque communicauit Chriſtus & Apoſtoli, idque eſſe præceptum Chriſti: hoc enim pręceptum bibendi, cùm ait, *Bibite ex hoc omnes*. (vti omni tempore intellexit Eccleſia) tātùm pertinebat ad Apoſtolos, qui ſoli tum præſentes erant, quia Chriſtus eos tunc conſecrabat ſacerdotes, eiſque iuſſit conſecrare Sacramentum & ſacrificium Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie, & vtramque ſpeciem ſumere, vt perfectum ſacrificium conficiant. Id ergo non iuſſit laicis, quibus, cùm non ſacrificent, ſed tantùm ſumant Euchariſtiam vt Sacramentum, ſufficit vt illud ſumant ſub vna ſpecie, quia ſub ea integrum Sacramenti effectum fructumque percipiunt; pręſertim quia in tanto numero laicorum communicantium facilè calix effunderetur, & ſanguis Chriſti eo contentus in terram diffflueret, quod magnæ foret irreuerentiæ. Simili modo pręceptum Chriſti dicentis: *Hoc facite in meam commemorationem*, qua parte conſecrationem reſpicit, ad ſolos pertinet ſacerdotes; ad laicos verò tantùm ſpectat quoad panis conſecrati ſumptionem, vt patet. Præceptorum enim, cùm plura miſcentur, varietas limitanda eſt & diſtribuenda, iuxta conditionem perſonarum, & mentem legiſlatoris, qui hîc eſt Chriſtus, cuius interpres eſt Eccleſia.

*Laicis ſufficit vna ſpecies Euchariſtiæ, cur?*

Notat S. Cyprianus (vel quiſquis eſt, auctor) tract. de Cœna Domini, olim ſanguinis animalium eſum potumque vetitum fuiſſe Iudæis, vt patet Heb. 9. 22. Leuit. 4. v. 6. & ſeq. Chriſti verò ſanguinem à ſacerdotibus iam bibi: Primò quia Chriſti ſanguis viuificus eſt; Secundò, quia illo redempti ſumus; Tertiò, quia illo ſpirituales effecti, animalis vitę peccata quaſi impurum ſanguinem horremus.

VERS. 28. Luc. 22. 20 Mar. 14. 24 HIC EST ENIM SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI (Syrus, *noui fœderis*,) QVI PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM] Sic & Arabicus, Perſicus, Ægyptius: Æthiopicus verò neruoſiùs, *hic ipſe ſanguis meus*, &c. q. d. In hoc calice, per hanc conſecrationem meam, vinum vertitur in ſanguinem meum: quare in fine huius conſecrationis iam in eo non eſt vinum, ſed ſanguis meus, quo ſancitur & confirmatur nouum teſtamentum & fœdus, mediante me inter Deum & homines initum: Chriſtus enim hoc ſanguine ſuo in morte mox effundendo, meruit & confirmauit nobis ius & ſpem ad æternam hereditatem in cælis, quæ fuit ſumma & vltima Chriſti teſtatoris voluntas: atque hoc ius nobis applicant Sacramenta, præſertim Euchariſtia, ſicut teſtamentum heredi in eo ſcripto dat ius ad teſtatoris bona.

*Notanda circa formā conſecrationis calicis.*

Nota. Matthęus & Marcus habent: *Hic eſt enim ſangnis meus noui teſtamenti*: Lucas verò & Paulus 1. Corinth. 11. 25. *Hic calix nouum teſtamentū eſt in meo ſanguine*; ſed idem vtriuſque phraſis eſt ſenſus. Chriſtus tamen potiùs videtur dixiſſe eo modo vt narrant Matthęus & Marcus, quia illa phraſis clarior eſt. Vide dicta 1. Cor. 11. 25. Chriſtus in vltima cœna potiùs quàm in cruce, inſtituendo Euchariſtiam, condidit & ſanxit ſuum teſtamentum & fœdus cum Eccleſia. Erant enim hîc pręſentes omnes Apoſtoli, qui Eccleſię perſonam gerebant & repræſentabant: erat Chriſtus liber, proximus tamen morti: erat victima & ſanguis, quo ſanciri ſolent fœdera.

Nota Secundò. In forma conſecrationis calicis, quâ iam vtimur in ſacrificio Miſſæ, adduntur hæc verba, *æterni teſtamenti, myſterium fidei*, quæ traditione eſſe accepta à S. Petro, qui noſtræ Liturgiæ eſt auctor, docet Leo IX. epiſt. ad Michaëlem Imp. cap. 9. & S. Thomas 3. p. q. 78. art. 2. ad 4. Licet enim non ſpectent ad eſſentiam formæ (etſi id dicere videatur S. Thomas in 1. Corinth. 11.) vnde in Liturgia S. Iacobi, S. Chryſoſtomi, S. Clementis, & S. Baſilij illa omittuntur; tamen pertinent ad plenam eius integritatem. Eſtque hic ſenſuş communis totius Eccleſię Latinæ, quæ in Miſſa & forma conſecrationis calicis, hæc verba quaſi à Chriſto dicta & ab Apoſtolis præcepta, eodem tenore & modo, quo cetera, ſcribit & pronunciat.

Vbi Nota. τὸ *myſterium fidei*, ſignificat Primò, ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus vini latentem, eſſe rem arcanam quæ ſolâ fide cognoſcatur & credatur. Secundò, ipſum ſanguinem Chriſti, quatenus in paſſione effuſus eſt, eſſe obiectum fidei qua iuſtificamur: credimus enim nos iuſtificari, & à peccatis purgari per meritum ſanguinis & mortis Chriſti.

QVI PRO MVLTIS] Id eſt pro omnibus hominibus; hi enim omnes ſunt valdè multi; Lucas habet *pro vobis*.

EFFVNDETVR] Græcè tam apud Matthęum, quàm apud Marcum & Lucam, eſt ἐκχυνόμενον in præſenti, id eſt, *effunditur*, id eſt, offertur & libatur, ſcilicet in ſacrificio hoc Euchariſtiæ ſub ſpecie vini, & paulo poſt in ſua ſpecie & forma naturali & ſanguinis effundetur in cruce. Solebat enim ſanguis victimarum in ipſo ſacrificio effundi, itaq; Deo libari. Vnde ipſa effuſio vocatur libatio vel libamen: quocirca calix hic ſanguinis Chriſti velut libamen ſacrificii Chriſti effuſus fuit in ora Chriſti & Apoſtolorum eius. Atque hac de cauſa ſumptio & conſumptio ſpecierum tam panis quàm vini, pertinet ad rationem & perfectionem ſacrificij.

Hinc ergo liquet, Euchariſtiam non tantùm eſſe Sacramentum, ſed & ſacrificium, idque vnicum nouæ legis, quod veteribus omnibus ſucceſſit, illaque omnia eminenter in ſe continet, ideoque Chriſtus dicitur *ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedec*, non Aaron, quia Aaron oues & hœdos, Melchiſedec verò panem & vinum obtulit, æquè ac Chriſtus tranſſubſtantiando illa in corpus & ſanguinem ſuum, pſal. 109. 4. Hebr. 5. v. 6. & 7. Euchariſtia ergo Primò, eſt holocauſtum; Secundò, victima pro peccato; Tertiò, victima pacifica; Quartò, eſt *mincha* ſiue ſacrificium farreum, Leuit. 1. & ſeq.

*Euchariſtia eſt ſacrificium.*
*Prob. Primò.*

Id ita eſſe patet Primò, quia Chriſtus non ait de ſanguine ſuo, *qui infunditur multis*: vt Sacramentum; ſed *qui effunditur pro multis*, vt libamen & ſacrificium.

*Secundò.*

Secundò, quia græcè eſt, ἐκχυνόμενον, in præſenti, apud omnes tres Euangeliſtas, id eſt, *effunditur*, ſcilicet nunc in hac cœna & conſecratione Euchariſtiæ: ergo loquitur de præſenti ſacrificio Euchariſtiæ, non tantùm de futuro in cruce, & ita legit & intelligit S. Ambroſ. in pſal. 37. v. 1. Noſter tamen vertit, *effundetur*, quia reſpicit ad ſacrificium crucis paulò pòſt futurum, in quo clariſſimè & perfectiſſimè fuſus fuit ſanguis Chriſti pro peccatorum ſalute, cuius typus & figura erat hæc Sacramentalis ſanguinis Chriſti effuſio in Euchariſtia, adeoque hæc cum illa vna & eadem fuit typicè.

*Tertiò.*

Tertiò, quia Lucas, & ex eo Paulus, in conſecratione panis, *Hoc eſt corpus meum*, addunt, *Quod pro vobis datur*, id eſt, offertur in ſacrificium: Paulus, *Quod pro vobis frangitur*, ſcilicet tum ſub ſpeciebus panis in Euchariſtia, tum propriè in ſeipſo mox flagris & clauis ac lancea frangetur in cruce. Vnde Paulus Euchariſtiam vocat *panem quem frangimus*, ſcilicet in Sacramento, nimirum ſpecies panis frangentes & comedentes, ac in ſacrificium Deo offerentes ſumendo illas & conſumendo, quorum nihil factum eſt in cruce. Ergo frangere panem ſignificat ſacrificium non crucis, ſed Euchariſticum.

*Quartò.*

Quartò, quia Lucas diſertè habet: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id eſt, *hoc poculum eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine, quod*, ſcilicet poculum, *pro vobis effundetur*. τὸ enim ad ποτήριον referri debet, non ad αἵματι, cùm αἵματι ſit datiui caſus, τὸ verò nominatiui. Ergo poculum, ſiue calix ſanguinis Chriſti pro nobis effuſus eſt: atqui calix

lix ſanguinis effuſus eſt in Euchariſtia, non in cruce (ibi enim nullus fuit calix:) ergo effuſio ſanguinis eſt libamen & ſacrificium.

Hinc liquet hæc magis propriè ſpectare ad ſacrificium Euchariſticum quàm crucis, illudque contra Nouantes euincere.

*Euchariſtia eſt triplex ſacrificium.*

Sacrificium Euchariſtiæ ergo eſt holocauſtum, quia totum Chriſtum in conſecratione & manducatione offerimus Deo. Eadem eſt victima pacifica, quia per illam, pacem, id eſt omnia bona, à Deo poſcimus & impetramus. Eadem eſt victima pro peccato, quia offertur & impetrat à Deo remiſſionem peccatorum venialium, & pœnarum temporalium, quæ peccatori reſtant luendæ pro lethalibus eius culpis remiſſis: ipſarum autem culparum lethalium remiſſionem impetrat mediatè, quia impetrat à Deo gratiam præuenientem & contritionem, qua illæ delentur. Vide Concil. Tridentinum ſeſſ. 22. q. 2. Vide & D. Thomam & Scholaſticos tract. de Euchariſtiæ ſacrificio.

Denique, ſanguini Chriſti potiùs, quàm corpori, tribuitur remiſſio peccatorum, licet vtrique competat: tum quia in veteri teſtamento ſanguini tribuitur expiatio; & in victima pro peccato ſanguis eius effundebatur: tum quia ſanguinis effuſione ſignificatur mors Chriſti, quę fuit condignum pretium, expiatio & ſatisfactio pro morte præſenti & æterna peccatis noſtris debita.

*Cauſa Prima, ob quã Euchariſtia inſtituta.*

Cauſa ergo Prima, quæ mouit Chriſtum ad inſtituendam Euchariſtiam, fuit, vt præſtantiſſimum, imò diuinum in lege noua inſtitueret Sacramẽtum, quo fideles cibo diuino paſceret, imò quo Eccleſia Deum ſummè & cõdignè coleret, ac iugiter honoraret, & latriâ adoraret, cõdignè inquam, id eſt, tantum quantum coli & honorari meretur Deus. Victima enim quę in Euchariſtiæ ſacrificio Deo offertur, eſt immenſi pretij, eſtque ipſi Deo commenſa & æqualis. Victima enim eſt ipſe Chriſtus, qui tam Deus eſt quàm homo; Deo ergo Deus ipſe offertur. Quare cùm omnis alius noſter, vtpote creaturarum, cultus ſit exilis & vilis, hinc Chriſtus ſeipſum victimam fecit in Euchariſtia, vt per illam, vtpote Deo æqualem, æqualem Deo cultum impenderemus ac tantam ei latriam & cultum exhiberemus, quanto ipſe dignus eſt, & quantum ipſe iure ſuo poſcit. Porrò ſacrificium hoc maximè conſiſtit in conſecratione: per illam enim Chriſtus myſticè occiditur, dum corpus eius & ſanguis ſeorſim ſub ſpeciebus panis & vini collocantur, vti ex S. Gregorio, Irenæo, Nyſſeno & alijs docet Suarez & Leſſius libr. 12. de Perfect. diuinis c. 13. n. 94. & ſeq. *Seorſim*, intellige, quantum eſt ex vi conſecrationis: nam per concomitantiam vbi eſt corpus Chriſti, ibi eſt & ſanguis, ac vice verſa.

*Secunda. Euchariſtia idea vitæ & paſſionis Chriſti.*

Secunda cauſa fuit, vt iugiter nobis ideam vitę & paſſionis ſuæ teſtamento relinqueret, quæ ſingulis iugem tantæ redemptionis & dignationis memoriam refricaret: in Euchariſtia enim ſeorſim conſecratur ſanguis, & ſeorſim corpus Chriſti, vt ſignificetur paſſio eiuſdem, in qua ſanguis Chriſti fuit effuſus & ſeparatus à corpore; ſpecies ergo vini ſanguinem Chriſti effuſum, ſpecies verò panis examine Chriſti corpus repræſentant. Hoc eſt quod ait Chriſtus: *Hoc facite in meam commemorationem*; & Paulus 1. Corinth. 11. 26. *Quotieſcumque*, inquit, *manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

*Tertia. Magnitudo amoris Chriſti erga ſuos.*

Tertia cauſa fuit, magnitudo amoris Chriſti erga ſuos fideles, quâ ſicut carnem noſtram in incarnatione hypoſtaticè deitati ſuæ vniuit, ita eamdem cum deitate ſacramentaliter in Euchariſtia cuique fideli communicanti vnit, & quaſi incorporat, vt ipſe fiat diuinus, & quaſi alter quidam Chriſtus ac Deus. Hoc eſt quod de ipſo Euchariſtiam inſtituturo, ante lotionem pedum ait Ioannes c. 13. 1. *Sciens Ieſus quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrẽ, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. In finem*, tum vitæ; tum amoris, id eſt, extremo ſummoque amore dilexit eos, dum ſeipſum eis in Euchariſtia reliquit, vt eum ſemper præſentem habeant cum quo verſentur, cum quo colloquantur, quem conſulant, cui omnes ſuas difficultates, tentationes & tribulationes aperiant, opem poſcant & impetrent. Nam vt ipſe ait Prou 8. 31. *Delicię meæ eſſe cum filijs hominum.* Hinc, vt canit Eccleſia ex S. Thoma.

*Se naſcens dedit ſocium,*
*Conueſcens in edulium,*
*Se moriens in pretium.*
*Se regnans dat in præmium.*

vt ſummo hoc amore nos ad ſe viciſſim ardenter redamandum alliceret, imò cogeret. *Magnes* enim *amoris eſt amor.* Illi ergo totos nos demus, qui prior, cùm eſſet Deus, totum ſe nobis donauit, & indies donat. Quocirca S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 6, ad Thibar. de Exhortatione martyrij. *Grauior*, ait, *nunc & ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta & fide robuſta parare ſe debent milites Chriſti, conſiderantes idcirco ſe quotidie calicem ſanguinis Chriſti bibere, vt poſſint & ipſi propter Chriſtum ſanguinem fundere.* Hic fuit ſtimulus acer S. Laurentiô ad ignes, S. Vincentio ad eculeos, S. Sebaſtiano ad ſagittas, S. Ignatio ad leones, ceteriſque Martyribus ad quęlibet tormenta & dolores fortiter tolerandos & ſuperandos, vt amorem amori, vitam vitæ, mortem morti Chriſti redderent: hac de cauſa ambiebant martyria, in eiſque exultabant & triumphabant. Atque hic fuit effectus Euchariſtiæ. Hæc enim ipſis robur & gaudium ſuggerebat in omnibus tentationibus & ſupplicijs. Quocirca olim tempore perſecutionum Chriſtiani omnes quotidie communicabant, vt ſe roborarent ad martyrium, imò Euchariſtiam domum deferebant, illamque mane ſuis manibus ſumebant (vti fecit nuper Maria Stuarta Scotiæ regina, dum in Anglia captiua detineretur, nec ſacerdotem ſecum habere poſſet.) Hac de cauſa Chriſtus ante paſſionem Euchariſtiam inſtituit, vt per eam Apoſtolos ad tentationes in illa obuenturas armaret.

*Quarta. Euchariſtia exercitium virtutum.*

Quarta cauſa fuit, vt Chriſtus in Euchariſtia daret nobis exercitium cuiuſlibet virtutis: in ea enim exercetur fides noſtra, dũ credimus totum verum Deum & hominem ſub parua hoſtia inuiſibiliter, ſed realiter & verè latere & contineri: ſpes exercetur, quia dum credimus Chriſtum ſeipſum nobis dare, ſperamus eum & cetera, quæ longè minora ſunt, daturum. Charitas exercetur, quia Euchariſtia eſt fornax amoris, quem Chriſtus exhalat, nobiſque afflat vt eum redamemus. Religio exercetur, quia eum latriâ adoramus &





inuocamus, illique ſacrificamus ipſummet Chriſtum. Humilitas exercetur, quia oculos & ſenſus noſtros ad iudicium naturale, quę ſuggerunt nobis in Euchariſtia non niſi eſſe panem & vinum, abdicamus, ac humiliter ſubijcimus Chriſto dicenti: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* Gratitudo exercetur, quia per illam ſummas Deo pro omnibus beneficijs gratias agimus, ideoque ipſa dicta eſt Euchariſtia, id eſt gratiarum actio. Abſtinentia, quia non niſi ieiunis communicare fas eſt. Patientia & mortificatio, quia viuum vtriuſque ſpeculum & calcar eſt Chriſtus paſſus & crucifixus. Et ita de ceteris.

*Tropolog.*

Tropologica cauſa fuit, vt carne ſua diuina nos paſcendo & oblectando, auocaret à carne terrena, eiuſque delicijs & concupiſcentijs, vt vitam non carnalem, ſed ſpiritalem & diuinam agamus, dicamuſque cum Paulo: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, Galat. 2. 20. Ita ergo viuere, loqui, operari debet Chriſtianus, perinde ac ſi non ipſe, ſed in eo viuat loquatur & operetur Chriſtus. Viuat ergo angelicè: nam *panem angelorum manducauit homo*, pſal. 77. Hinc S. Cyrillus Hieroſolymit. catecheſi 4. myſtag. ait in S. Synaxi nos fieri concorporeos & conſanguineos Chriſti: nam, vt Chriſtus ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*, Ioan. 6.

*Angeli adſtant Euchariſtiæ.*

Porrò S. Chryſoſt. hom. 36. in 1. ad Corinth. *Vbi*, ait, *eſt Chriſtus in Euchariſtia, ibi etiam non deeſt angelorum frequentia: vbi autem eſt talis rex & talis princeps, ibi eſt cęleſte palatium, imò ipſum cęlum*, Quocirca in Vitis Patrum legimus de S. Ammone, quòd eo celebrante angelus viſus ſit aſtare altari, & communicantes ſignare, eorumque nomina in libro deſcribere. S. Chryſoſt. verò libr. 3. & 6. de Sacerdotio narrat angelorum choros circa altare viſos, qui inclinato capite profundam regi ſuo Chriſto exhiberent reuerentiam, ac horrendos ederent clamores. Cùm ergo communicamus, aut Miſſam celebramus, vel audimus, cogitemus nos Chriſto in vltima cœna aſſidere, cum eoque cœnare, imò cogitemus Chriſtum per os ſacerdotis loqui, celebrare, tranſſubſtantiare panem & vinum in corpus ſuum & ſanguinem, illoque nos paſcere & ſaginare: Chriſtus enim hic eſt principalis agens & thaumaturgus, vti docet Conc. Trident. ſeſſ. 22. Vnde S. Ambr. lib. 8 in Lucam: *Eſt corpus*, ait, *de quo dictum eſt, Caro mea verè eſt cibus: circa hoc corpus ſunt verę aquilæ, quę alijs circumuolant ſpiritualibus.* Et l. 4. de Sacrament. c. 2. *Bene aquilæ ſunt circa altare, vbi corpus eſt.* Quocirca S. Franciſcus epiſt. ad Sacerdotes, quæ extat in Biblioth. SS. Patrum: *Magna miſeria*, ait, *& miſeranda infirmitas, quando ipſum ſic præſentem habetis, & aliquid aliud in mundo curatis.*

*Anagogicè.*

Anagogica cauſa fuit, vt Chriſtus in Euchariſtia daret nobis pignus, imò prælibationem & prægustum cæleſtis hereditatis, felicitatis & gloriæ. Vnde Eccleſia ex S. Thoma in Officio Venerabilis Sacramenti canit: *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius; mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur!*

*Effectus Euchariſtiæ.*

Porrò effectus Euchariſtię paucis complectitur S. Cyrillus Alexand; libr. 4. in Ioan. cap. 17. *Morbos*, inquit, *omnes depellat. Sedat enim, cùm in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatẽ corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat: & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu.* Nam vt ait S. Thomas: *In Euchariſtia ſpiritualis dulcedo in ſuo fonte deguſtatur.* Hãc ſentire ſolebat in ſacra Synaxi S. Franciſcus, S. Monica, S. Catharina Senenſis, S. Maria Oigniacenſis, alijque plurimi, qui voluptate cæleſti ebrij iubilabant, exultabant & in ecſtaſin rapiebantur, dicentes cum Pſalte: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum: Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terrã? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: Ieſus meus, amor meus, Deus meus & omnia.*

Rurſum Euchariſtia eſt alimentum immortalitatis, quia eius virtute corpora noſtra reſurgunt ad vitam immortalem, iuxta illud Chriſti: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, Ioan. 6. Imprimit ergo Euchariſtia corporibus noſtris vim quamdam, non phyſicam, ſed moralem, quæ eſt ſemen immortalitatis, vt eius vi reſurgamus.

Ex quibus rectè concludit S. Chryſ. hîc homil. 83. dicens: *Quo non oportet igitur eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manũ, carnem hanc diuidentem? os, quod igni ſpiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. Quod angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?*

Et noſter Thomas Theodidactos li. 4. de Imitatione Chriſti cap. 2. *Ita magnum*, ait, *nouum & iucundum tibi videri debet, cùm celebras, aut Miſſam audis, ac ſi eodem die Chriſtus primùm in vterum Virginis deſcendens homo fieret, aut in cruce pendens, pro ſalute hominum pateretur & moreretur.* Vnde ca. 5. colligit: *Quando ſacerdos deuotè celebrat, Deũ honorat, angelos lętificat, Eccleſiã ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præſtat, & ſeſe omnium bonorum participem efficit. Quid enim bonum eius eſt, quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar. 9. vlt. Vide ibi dicta.

DICO AVTVM VOBIS: NON BIBAM AMODO (id eſt, ab hoc tempore: ita Syrus. q. d. Deinceps) DE HOC GENIMINE VITIS (Arabicus, *de ſucco huius vitis*) VSQVE IN DIEM ILLVM, CVM ILLVD BIBAM VOBISCVM NOVVM IN REGNO PATRIS MEI] S. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euang. c. 1. & ex eo Ianſenius, alijque nonnulli, cenſent Chriſtum id dixiſſe poſt cœnam Euchariſtiæ, vt inſinuat hîc Matthæus. VERS. 29. Luc. 22. 18. Mar. 14. 25.

Obijcies, genimen vitis eſt vinum ex vite genitum, eiuſque vuis expreſſum; ergo in calice Euchariſtię non eſt ſanguis Chriſti, ſed vinum dumtaxat ex vite genitum. Reſp. Pronomen *hoc* cùm ait, *de hoc genimine vitis*, non præciſè ſignare id quod fuerat in calice conſecrato, ſed in genere vinum, quod erat in menſa, ex quo calix iſte repletus fuerat, tum in cœna agni, tum in conſecratione Euchariſtiæ. Secundò, ſanguis Chriſti poteſt vocari vinum, ſicut corpus Chriſti à Paulo vocatur panis, nimirum ratione ſubſtantiæ panis & vini, quæ priùs ante conſecrationem fuit; & ratione ſpecierum panis & vini, quæ poſt conſecrationem remanent: imò ipſæ ſpecies ſiue

A accidentia vini, quia nata & orta ſunt ex vite, rectè *genimen vitis* nuncupantur. Tertiò, ſicut quęuis eſca in Scriptura, & à vulgo ſæpè vocatur panis, quia hic eſt communis omnium cibus, ita & quiuis potus vocatur vinum, pręſertim apud Italos, Syros, & ſimiles, qui zytho ſiue cereuiſiâ non vtuntur; ſed communis omnium potus eſt vinum.

Verùm longè probabilius eſt, Chriſtum hęc dixiſſe ante inſtitutionem Euchariſtię, de cœna & calice agni paſchalis: in agni enim cœna circumferebatur calix vini: quem paterfamilias primus libabat, deinde mittebat in orbem ad omnes ex agno comedentes, vt tradunt Hebræi. Id ita eſſe probatur, quia id diſertè aſſerit Lucas, qui vtramque Chriſti cœnam, id eſt, tam agni quàm Euchariſtiæ (quas Matth. hîc breuitati ſtudens B conuoluit, & in vnum redigit) diſtinctè enarrat, ac ante Euchariſtiam in cœna agni, de eius calice hęc à Chriſto dicta eſſe aſſeuerat. Accedit, quòd idem planè de cœna agni priùs dixerit Chriſtus, vt patet ex Luca cap. 22. 15. *Deſiderio*, ait, *deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequā patiar. Dicò enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et mox immediatè de calice agni ſubiungit: *Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

Denique ſtatim ſubiicit inſtitutionem Euchariſtiæ, eiuſque calicem à Chriſto conſecratum, dicens: *Et accepto pane gratias egit*, &c. *Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens: Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis tradetur.* C Vbi nullum deinde geniminis vitis, nec vini noui bibendi in regno Dei facit mentionem.

*S. Lucas diſtinctius hæc enarrat.*

Lucas ergo diſtinctè hęc enarrans, diſtinctè pariter indicat in qua cœna hęc dixerit Chriſtus, ſcilicet in cœna agni; Matthęus verò has duas cœnas in vnam redigit, dicens: *Cœnantibus autem illis*, &c. quare ordo Lucæ hîc potiùs ſequendus eſt quàm Matthæi. Voluit ergo Chriſtus hiſce verbis ſignificare dūtaxat, ſe deinceps cum Apoſtolis more ſolito non cœnaturum, nec communem cœnam ſumpturum in hac vita, non comeſturum ad vires reficiendas & reparandas; ſed vltimam hanc ſuam eſſe cœnam, poſtquam capiendus ſit & occidendus. Quare hîc Apoſtolis vltimum vale dicit, quaſi iturus ad mortem. Itaque hęc non pertinent ad calicem Euchari- D ſtiæ, in quo non erat iam genimen vitis, id eſt vinum, ſed ſanguis Chriſti, in quem per conſecrationem Chriſti tranſmutatum erat vinum. Ita cenſent S. Hierō. hîc, Beda & Theop. in cap. 22. Lucæ, Franc. Lucas, Maldon. & alij.

CVM ILLVD BIBAM VOBISCVM NOVVM IN REGNO PATRIS MEI] *Nouum*, id eſt, noui & alterius generis. In cælo enim Beati bibunt vinum non terreſtre, ſed cæleſte, nimirum vinum & nectar lętitiæ & gloriæ ſempiternæ, iuxta illud: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, pſ. 35. 9. ita Origenes hîc & Nazianz. orat. de Paſcha. Scriptura enim ſolet gaudia Beatorum ſpiritualia per corporalia, ſcilicet eſcam & potum, exprimere, per catachreſin: quia homines carnales, voluptates ſpirituales nō capiunt, ſed corporales, vt patet Matth. 8. 11. Lucæ 14. 15. Apocal. 19. 9. & alibi.

*Obiectio, de comeſtione Chriſti poſt ſuam reſurrectionem.*

A Dices, Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam, vt eam Apoſtolis probaret, cum eis comedit, ac vt videtur etiam bibit vinum. Quomodo ergo hîc ait, ſe ampliùs cum eis illum non bibiturum? Reſp. Chriſtus comedit quidem & bibit tunc cum Apoſtolis, ſed obiter ſolùm, & tantùm ad probandum ſe reſurrexiſſe, non autem vt naturę & fami ſatisfaceret, ſicut fecerat ante mortem. Vnde loquēs humano more, illam comeſtionem poſt reſurrectionem non computat comeſtionem. Simile eſt Lucæ 24. 44. Vult enim ſignificare dumtaxat, mortem ſuam inſtare, ac deinceps ſe cum illis communi hominum more non eſurum, non conuerſaturum, vt hactenus fecerat. Itaque hîc illis valedicit, ſicut ſolent amici morientes, vel diſcedentes in remotas regiones, è quibus non reuertentur, dicere amicis: Vale, ô B amice, ampliùs tecum non bibam nec comedam, vltimum ergo hunc cyathum tibi propino; vt hac phraſi aculeum amoris amico infigant. Hoc eſt, quod Lucas cap. 22. v. 29. Chriſtum mox Apoſtolis dixiſſe aſſerit: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnū, vt edatis & bibatis ſuper mēſam meam in regno meo. Vobis*, vno excepto Iudâ, qui non in cęlo calicem vini, ſed in tartaro calicem ſulphuris bibet.

*Vers. 30. Luc. 22. 39. Mar. 14. 26*

ET HYMNO DICTO (id eſt decantato: hymnus enim canitur, ait S. Auguſt. initio pſal. 72.) EXIERVNT IN MONTEM OLIVETI] Græcè ὑμνήσαντες, id eſt, cùm hymnum dixiſſent, vel ceciniſſent, in gratiarum actionem, & laudem Dei; Arabicus, *& laudē dederunt, & exierunt in montem Oliueti.* Putant nonnulli ex libris Ritualibus He- C bræorum, vſitatū hunc Iudęis in Paſchate fuiſſe hymnū in gratiarum actione poſt cœnam agni; nimirū vt notat Paulus Burgenſis, & ex eo Frāc. Lucas, Baronius & alij, hymnum hunc fuiſſe ſeptē Pſalmos ex *Halleluia* conflatos, qui incipiunt à pſalm. 112. *In exitu Iſrael de Ægypto*, &c. & finiuntur pſal. 118. *Beati immaculati in via.* Vnde colligit S. Chryſoſt. neminem è Miſſa ante gratiarum actionem, quæ fit in Collectis poſt communionem, debere diſcedere. Idem colligas de communi prandio & cœna, ſcilicet ab eo non abeundum niſi actis priùs Deo gratiis. Hinc & Concilium Toletan. IV. c. 12. aſſerit, nos ex hoc Chriſti hymno habere exemplum canēdi hymnos. Hinc & vſus canendi in Miſſa eſt antiquiſſimus, vt patet ex priſcis Liturgiis.

*Hymnus Chriſti quis.*

Hic ergo hymnizandi ritus in cœna agni, fuit D priſcorum Hebræorum, quem poſtea ſecuti ſunt Chriſtiani, vt poſt Euchariſtiam, & agapen id eſt conuiuium charitatis omnibus fidelibus cōmune, Deo in gratiarum actionem pſallerent. Colligitur id ex Paulo Epheſ. 5. 19. idque diſertè docet Tertull. Apolog. c. 39. & S. Cyprianus epiſt. ad Donatum. Sic & Gentiles poſt epulas libabant baccho aut alteri cuipiam Deo, & in illorum honorem communi voce pæana, ſiue hymnum aliquem canebant, deinde quiſque accepto myrti aut lauri ramo, propriam cantionem canere, atque etiam lyram, quæ per conuiuas circumferebatur, pulſare cogebatur, teſte Plutarcho lib. 1. Sympoſ. Problem. 1. & Clemente Alexand. lib. 2. Pædag. c. 4.

Denique ſanctus Auguſtinus epiſt. 253. refert hymnum hunc Chriſti, ſuo tempore circumferri ſolitum, ſed ipſe eum impoſturæ arguit, & à Pri-



ſcillianiſtis confictum ſignificat.

Porrò hîc iuxta rectum hiſtoriæ & rei geſtæ ordinem, ſubnectendus eſt prolixus Chriſti ſermo, iſque ardens & igneus, quem recenſet Ioannes cap. 13. vſque ad cap. 18. Hunc enim Chriſtus habuit in cœnaculo ſtatim à cœna.

EXIERVNT IN MONTEM OLIVETI] Solebat Chriſtus, præſertim vltimis hiſce diebus vitæ, quotidie adire Ieruſalem & docere in templo, ſed ſub veſperam redire Bethaniam, ibique cœnare, mox à cœna redire in montem Oliueti, ibique in oratione pernoctare, vt indicat Lucas c. 21. 37. Nunc autem non adijt Bethaniam, vtpote qui iam cœnaſſet in Ieruſalem, ſed inde iuit in montem Oliueti, quaſi ad ſtadium luctæ, vt ibi ſe Iudę & Iudęis comprehendendum offerret. Ita Victor Antioch. in c. 14. Marci: *Cur*, ait, *in montem exijt? quò ſpretis latibulis in commodo loco ſe exponat, manifeſtumq́; faciat ijs, qui illum comprehenſuri erant. Maturabat enim illum locum occupare, vbi antea orare ſolitus erat, & quem proditor optimè compertum habebat*, vt ait Ioannes c. 18. 2.

*Vers. 31. Mar. 14. 27*

TVNC DICIT ILLIS IESVS: OMNES VOS SCANDALVM PATIEMINI IN ME, IN ISTA NOCTE. SCRIPTVM EST ENIM: PERCVTIAM PASTOREM, ET DISPERGENTVR OVES GREGIS] *Scandalum*, id eſt, offenſam & ruinam in peccatum, Primò, puſillanimitatis & timiditatis, qua timidi me, qui ſum Chriſtus magiſter & Dominus veſter, in paſſione deſeretis & fugietis. *Patiemini*; Syrus, *offendemini in me.* Ita S. Leo ſerm. 9. de paſſione: *Fuerit tunc*, inquit, *diſcipulorum excuſabilis pauor, nec diffidentiæ culpam Apoſtolicus mœror inciderit.* Et inferius agēs de negatione Petri: *Vidit*, inquit, *in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auerſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatā.* Sic enim S. Marcellinus, multique alij in perſecutione rogati à tyrannis an eſſent Chriſtiani, metu tormentorum negantes ſe eſſe, directè peccarunt non contra fidem, ſed contra fidei profeſſionem, quia fidem quam mente tenebant, non ſunt auſi profiteri, ne occiderentur.

*S. Marcellinus.*

*Apoſtoli paſſi ſcandalum in fide Chriſti.*

Secundò, ſcandalum in fide paſſi videntur Apoſtoli, vt, cùm viderent Chriſtum à Iuda & Iudæis capi, vinciri, trahi, nec ſe defendere, ſed ab ijs vinci & opprimi, putarent ipſum inuitum vel coactum pati, ac proinde eum non poſſe ſe & ſuos eripere, ac cōſequenter non eſſe Deum, nec Dei Filium, ideoque in morte periturum, nec reſurrecturum, nec quidquam opis vlteriùs ſibi ab eo eſſe ſperandum. Quare omnium Chriſti promiſſorum & prędictionū immemores, vel obliti, nil eorum crediderunt. Vnde Eccleſia ſentire videtur fidem Chriſti tunc in ſola B. Virgine permanſiſſe, dum in Paraſceues Officio omnes candelas ſucceſſiuè extinguit, vnicâ dumtaxat ardente relictâ: ſed hoc veriùs alij arctant ad fidem reſurrectionis, quòd ſcilicet ſola B. Virgo Chriſtū à morte reſurrecturum ad lumen vitę crediderit. Idem patet ex Apoſtolis, qui Chriſto apparenti eis poſt reſurrectionem, dicentique ſe reſurrexiſſe, difficillimè crediderunt. Vnde Chriſtus exprobrauit incredulitatem eorum, Marci c. 16. 14. Ita S. Hilarius: *Scandalum patiemini*, inquit, id eſt, *metu & infidelitate turbabimini.* Et Euthymius: *Excutietur*, inquit, *à vobis fides quam in me habetis, ſiue fugietis*, quia credetis me vos ampliùs non poſſe iuuare, vel defendere: imò Chriſtus ipſe Ioan. 16.

A v. 31. & 32. Apoſtolis dicētibus: *Nūc credimus quia à Deo exiſti*; reſpondet, *Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſq; in propria, & me ſolum relinquatis.* q. d. Nunc in me creditis, ſed paulò poſt, cùm videritis me capi & pati, non credetis. Vnde ibidē S. Aug. tract. 103. clarè ſic explicat: *Non enim*, inquit, *quando comprehenſus eſt, tantummodo carne ſua eius carnē, verùm etiam mente reliquerūt fidem, Ad hoc pertinet, quod ait: Modò creditis, &c. tanquā diceret. Tunc ita perturbabimini, vt etiā quod modò creditis relinquatis. Venerunt enim ad tantam deſperationem, & ſuę priſtinæ fidei, vt ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopha, qui poſt eius reſurrectionē, cum illo ſe loqui neſciens & quid ei contigerit narrans: Nos, inquit ſperabamus, quòd ipſe fuerat redempturus Iſrael. Ecce quomodo eum reliquerant deſerendo etiam ipſam fidem, qua in eum antè crediderant.* B Hucuſque Aug. Quocirca S. Auguſtinum ſecuti Ianſen. Franc. Lucas, Emman. Sa & alij, cenſent Apoſtolos in Chriſti captiuitate defeciſſe à fide.

*An D. Petrus fidem perdiderit.*

Huc accedit S. Ambroſ. ſerm. 48. dicens: Petrum fidem perdidiſſe, & Turrecremata lib. 1. de Eccleſia c. 30. & lib. 3. c. 61. Verùm Petrum non amiſiſſe fidem, ſed tantùm peccaſſe contra fidei profeſſionem, Theologi magni & multi iam docent. Ratio eſt, quia hoc tantùm dicunt Euangeliſtæ: cur ergo maius crimen fingamus, & impingamus Petro Apoſtolorum Principi? Accedit S. Aug. tract. 113. vbi ait, Petrum tantùm ex metu negaſſe ſe eſſe Chriſtianum, hoc eſt Chriſti diſcipulum, ſicut iam in Iapone multi fideles metū mortis idipſum negant, qui tamen in corde retinent fidem. Et clariùs S. Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 41. vbi aſſerit Petrum non ex timore, ſed ex a- C more Chriſti eum negaſſe, quia ſcilicet optabat videre Chriſtum, & cum eo manere, quod ei non licuiſſet ſi eius ſe diſcipulum confeſſus fuiſſet. Et S. Ambr. in Lucę 22. qui ait, Petrum non negaſſe Deum, ſed hominem. q. d. *Neſcio hominem, quia ſcio Deum*: quare cùm idem Ambr. ſerm. 47. ait Petrum perdidiſſe fidem, per fidem intelligit fidei profeſſionem. Idem ferè ait S. Hilarius can. 32. in Matth. & S. Leo ſerm. 9. de paſſione loquens de Petro: *Vidit*, inquit, *in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auerſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam. Abundauit fletus, vbi non defecit affectus, & fons charitatis lauit verba formidinis.*

Peccauit ergo Petrus mortaliter contra profeſſionem fidei, negando ſe eſſe Chriſti diſcipulum, ideoque charitatem amiſit, ſed non fidem. D Ita diſertè docent Maldon. hîc, Toletus in c. 18. S. Ioan. annot. 11. vbi ait hanc ſententiam ab omnibus eſſe receptam. Item Bellarminus lib. 3. de Eccleſia c. 17. qui id probat ex illo Lucæ 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Sic & Suarez tr. de Fide diſp. 9. ſect. 3. vbi aſſerit Petrū nō perdidiſſe fidem, nec Iacobum, nec Ioannem: hic enim paulò pòſt conſtanter aſtitit Chriſto crucifixo, & ab eo Virgini matri quaſi filius commendatus eſt; idemq; probabiliter opinatur de ceteris Apoſtolis: hi enim nō negarunt Chriſtum, ſed tantùm metuentes comprehendi, diffugerunt.

*Deus permiſit Apoſtolos perdere fidem: Cur? Cauſa. Prima.*

Permiſit id Deus varijs de cauſis. Prima fuit, vt Chriſto plus patiendi materiam ſuggereret, eumque per omnia pœnarum genera exerceret, & ab omnibus affligi fineret. Magna enim Chriſti pœna & afflictio fuit defectio & fuga Apoſtolorum, tùm quia dolebat de eorum defectione & pecca-

peccato, tum quia videbat in eis omnem fructum prædicationis ſuæ intercipi & perire.

*Secunda.*

Secunda, vt Apoſtolis ſuam infirmitatem oſtenderet, itaque eos humiliaret, & ad infirmis lapſiſque compatiendum inſtrueret. Viderunt enim ipſi omnem ſuam animoſitatem & conſtantiam, qua Chriſto ſeſe ad mortem adhęſuros ſpoponderant, viſa eius captiuitate illico inſtar ceræ liqueſcere, & euaneſcere, ſicque non niſi de fugâ cogitare. Hîc verum fuit illud: *Ante prælium leones, in prælio cerui.*

*Tertia.*

Tertia, vt declararet quanta eſſet vis perſecutionis æquè ac pauoris. Pauor enim Apoſtolis fidem, memoriam & mentem eripuit, eoſque ex leonibus fecit lepores, ceruos & hinnulos fugaciſſimos. Quare pauorem hunc nec ratione, nec naturali vi poſſe ſuperari, ſed ſolâ Dei gratiâ, ideoque hanc illis continuò eſſe implorandam. Pauor enim ita eos conſternauit, vt planè de Chriſto actum putarent, nec ſibi quippiam ab eo exſpectandum exiſtimarent; quare eum non niſi per Dei gratiam ſuperare potuerunt: *Magnũ profectò dogma hinc diſcimus*, inquit Chryſoſt. *quia videlicet nullo modo hominis voluntas ſufficit, niſi auxilio ſuperiori roboretur.* Et Victor Antioc. in Marcum: *Offertur hîc nobis ſingulare quoddã documentum, nempe ad depellendas grauiores tentationes, nullam hominis promptitudinem ſat eſſe, ſi cæleſte ſubſidium deſit, ſicut ſcriptum eſt.* Zachar. 13. v. 7.

Percutiam] Septuag. πάταξον, id eſt, *percute*, & ita habent Hebr. Zachar. 13. Vnde putat Maldon. Matthæum, qui ſequi ſolet Septuag. ſcripſiſſe πάταξον, id eſt *percute*. Verùm omnia exemplaria conſtanter habent πατάξω, id eſt *percutiam*. Sic & Syrus & Arabicus. Sed eôdem redit ſenſus. Solent enim Prophetæ imperatiuum vſurpare pro futuro, maximè per apoſtrophen poëticam, quæ eis eſt elegans. *Percute* ergo, ſcilicet, ô framea, vt præceſſit, id eſt, ô gladie, hoc eſt, ego Deus percutiam, id eſt, percuti ſinam, Chriſtum gladijs, id eſt, armis flagellis, fuſtibus, clauis & tormentis Iudæorum, illiſque eum exponam pro hominum ſalute. Simile eſt Iſaiæ 6. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude.* quod Paulus Actor. 28. v. 26. vertit per futurum: *Aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis.*

Pastorem] Chriſtum, qui eſt paſtor paſtorum & Epiſcopus animarum noſtrarum, 1. Petri 2. 25.

Et dispergentur oves] Scilicet Apoſtoli, viſis Iudæorum gladijs fugientes eò ſinguli, quò cuique ſors & occaſio fugiendi dabatur. Paulo pòſt tamen rurſum eos collegit & adunauit Deus, vt in Paſchate Chriſtus reſurgens eos adunatos inueniret, ſimulque omnibus fidem animumque reſtitueret. Cùm enim Chriſtus & Apoſtoli in Ieruſalem non haberent domos & amicos, Apoſtoli fugientes neſcierunt alium fugę terminum, quàm vt ſe reciperent in cœnaculum, vbi paulò antè paſcha cũ Chriſto celebrauerant, eòquòd herus illius domus Chriſti & Apoſtolorũ eſſet amicus & hoſpes: quare eò ſe receperunt, ibique poſt reſurrectionem Chriſtus in Paſchate eis apparuit, & fidem reſtituit. Fuit hęc peculiaris gratia Chriſti, quã ſtatim maximè oſtendit in Petro, cùm poſt trinam eius negationem ipſum reſpiciens, & compungens ad pœnitentiã excitauit, fecitque vt fleret amarè: atque in Ioanne quem impulit vt à fuga rediens, cum matre ſua cruci aſtaret: vnde eiſdem matri quaſi filium commendauit & tradidit. Quare tunc vtrumque in gratiam Chriſti rediſſe, & ſanctificatum fuiſſe, non eſt dubium.

Prædicit hæc Apoſtolis Chriſtus, vt eis ſe Deum eſſe oſtendat, ideoque ſe non coactè, ſed voluntariè pati ad redimendos homines, vtque *cùm hæc paſſi fuerint, non deſperent ſalutem*, ait S. Hieron. *ſed agentes pœnitentiam liberentur.*

Postquam autem resurrexero, præcedam (id eſt *præueniam*, ait Euthym. *ibi vos excepturus*) vos in Galilæam] *Galilæã dixit*, ait S. Chryſ. *vt à timore Iudæorum liberati, faciliùs verbis illius attenderent & crederent.* Ne ergo poſt lapſum deſperent Apoſtoli, Chriſtus hîc ſe illos mox curaturum, imò in Galilæa præuenturum promittit. **Vers. 32.** Mar. 14. 28.

Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor] Ad hæc dicendum amor vehemens Chriſti Petrum impulit. *Fides enim eſt*, ait S. Hieron, *& ardens affectus erga Dominum, qui ſic eum loqui cogit. Putat enim*, vt ait S. Auguſt. lib de Gratia & li. arb. c. 17. *ſe poſſe quod ſe velle ſentit.* Peccat hîc tamen tripliciter; Primò quòd audaciùs Chriſto aſſerenti refragatur & obſtrepit, vt eius prędictionem in ſe caſſam fore oſtendat. Secũdò, quòd arrogantiùs ceteris ſe pręfert. Tertiò, quòd nimiùm præſumit, & viribus ſuis confidit. Conſcius enim infirmitatis humanę debuiſſet orare & dicere: Credo id fieri poſſe, imò id futurum ex mea fragilitate; ſed tu Domine eam tua gratia corrobora, meque ne in peccatum labar, fulci & ſuſtenta. Moraliter idem experimur in nobis. Putamus enim ſæpè nos fortes in fide, in caſtitate, in patientia; at vbi tentatio ingruerit, titubamus, trepidamus & ſubinde ruimus. Remedium ergo tentationis eſt, proprię infirmitatis agnitio, & diuinæ virtutis imploratio. **Vers. 33.** Mar. 14. 29.

*Triplex Petri peccatum.*

Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis] Græcè ſignificantiùs ἀπαρνήσῃ, id eſt *abnegabis*, imo abiurabis. q. d. Peius facies Petre quàm ceteri, idque tua pręſumptio præ ceteris meretur. Ceteri enim fugient dumtaxat, tu verò me abiurabis. *Cantet*, ſcilicet ſub auroram: bis enim cantat gallus. Primò poſt mediam noctem; Secundò, magis & validiùs ſub auroram, cùm ſentit ſolem & lucem aduentare. Vnde hoc tempus, propriè vocatur gallicinium. Et ante hunc ſecundum galli cantum Petrus ter Chriſtum negauit. Hinc Marcus ait cap. 14. 30. *Priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* q. d. O Petre qui nunc ita ferues ad me confitendum, paulò pòſt hac ipſa nocte eris frequentior, & ex metu feruentior, ad me negandum, quàm gallus ad cantandum: ſed gallus ſuo cantu dormientes excitat ad laudandum Deum; tu verò tua negatione excitabis alios ad me vituperandum. **Vers. 34.** Luc. 22. 34. Mar. 14. 30. Ioan. 13. 38.

*Petrus*, ait S. Hieron. *de ardore fidei promittebat, & Saluator quaſi Deus futura prædicebat.* Gallicinij ſignum Chriſtus dat Petro, vt cùm gallum cantantem audierit, meminerit prædictionis Chriſti ſibi in ſignum negationis ab eo datæ, ideoque & negationis & pręſumptionis ſuę pœnitens culpam agnoſcat, & veniam petat, vti reipſa fecit. Vnde Beda in c. 22. Lucę 34. *Vt Deus*, inquit, *modum, tempus, horam ac numerum negationis prædicit.*

Ait



**Vers. 35.** Mar. 14. 31.

Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt] vt fidem, affectum & amorem ſuum erga Chriſtum teſtarentur, ſed præſumpſione peccarunt dupliciter, vt dixi v. 33.

*Quomodo Apoſtoli Chriſto eorũ lapſum prædicenti non crediderunt, ſi eum Prophetam & Meſſiam credebant?*

Dices. Apoſtoli credebant Chriſtum eſſe Prophetam, imò Dei Filiũ, quomodo ergo ei ſuum lapſum prædicenti non crediderunt; ſed obſtrepuerunt? Reſp. Quia non ad Chriſti prædictionem, ſed ad præſens animi ſui propoſitum prędictioni contrarium attenderunt, quod tam forte & reſolutum in ſe experiebantur, vt impoſſibile putarent quod ipſi à Chriſto ſuo deficerent. Quare Chriſti prædictionem non tam prædictionẽ, quàm propoſiti & amoris ſui erga Chriſtum tentationem & probationem eſſe arbitrabantur, ideoque in hac probatione tam reſolutè & animosè affectum ſuum erga Chriſtum ſibi demonſtrandum eſſe cenſebant. Vnde S. Hilarius: *In tantum*, ait, *& affectu & charitate Chriſti efferebatur* (Petrus) *vt & imbecillitatem carnis ſuæ, & fidem verborum Domini non contueretur.* Verum etiamſi Chriſti prædictioni credidiſſent, liberè tamen negaſſent Chriſtum, quia nec prędictio, nec eius credulitas adimebant eis libertatem, imò eam eiuſque vſum pręſupponebant. Ideo enim Chriſtus prędixit eos à ſe defecturos, quia ipſi verè à ſe defecturi erant: nõ verò ideo ipſi defecerunt, quia Chriſtus eos defecturos prędixit. Obiectiuè enim prior erat eorum defectus futurus, quàm eius à Chriſto facta pręuiſio & prędictio (Chriſtus enim pręuidit dumtaxat id, quod ab eis liberè agentibus futurum erat) nullam ergo eis ſe negandi neceſſitatem impoſuit, cum negatione eorum fuerit poſterior.

Inſtabis, Si Petrus prædictioni Chriſti fidem adhibens, ſibi perſuaſiſſet ſe certò illa nocte negaturum Chriſtum, non potuiſſet eum non negare; quia hęc perſuaſio & credulitas ſemper mentem eius determinaſſet, & quaſi ligaſſet ad negandum Chriſtum: nemo enim poteſt conari efficaciter, vt faciat contrarium eius quod certò ſcit euenturum, ſeque facturum: fruſtra enim conaretur; vnde idipſum apprehendit, & fugit quaſi ſibi impoſſibile: ſcit enim certò illud, non aliud euenturum, quidquid conetur & agat. Reſp. Perſuaſio illa inclinaſſet quidem, & aliqua ratione determinaſſet Petrum ad negandum Chriſtum; ſed in genere ſiue in confuſo, ſcilicet vt aliquo noctis tempore Chriſtum negaret, non autem eũ cogebat hac hora, hoc inſtanti, hoc loco, hac occaſione, coram his vel illis negare. Quare in particulari omnes eius actus, quibus Chriſtum negaſſet, fuiſſent liberi. Sic ſcientia, qua ſcimus nos non poſſe vitare omnia peccata venialia, ſed neceſſum eſſe vt aliquando in aliquod veniale ex fragilitate humana labamur, facit & quaſi cogit nos, vt aliquando in aliquod tale incidamus, ſed generatim & in confuſo: nam in particulari quoties hîc & nunc venialiter peccamus, liberè peccamus. Sic Theologi & Suarez in tract. de Spe, docent eum cui reuelata eſſet à Deo ſua damnatio, non poſſe efficaciter ſperare ſalutẽ ęternam, vtpote quam apprehendit iam ſibi eſſe impoſſibilem. Nemo enim poteſt conari vt faciat id, quod ſibi putat eſſe impoſſibile, ceterùm eumdem poſſe & debere obſeruare omnia Dei mandata, ac quotieſcumque ea tranſgrederetur, liberè tranſgreſſurum, ideoque peccaturum, etiamſi ſciat in genere ſe in aliquod peccatum mortale lapſurum, in eoque moriturum.

Porrò lapſus hîc Petri & Apoſtolorum eos humiliores & cautiores reddidit, ait S. Chryſoſt. Vnde Ioan. c. 21. v. 15. 21. & 22. Chriſto roganti tertiò: *Simon Ioannis diligis me?* Petrus modeſtè reſpõdet: *Domine tu omnia noſti; tu ſcis quia amo te.*

Tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis; Sedete hic, donec vadam illuc, et orem] *In villam*, græcè εἰς χωρίον, id eſt, *in prædium*, S. Hilar. *in agrum*, cui tamen adiuncta de more erat domus ruſtica. Chriſtus enim domum non eſt ingreſſus, ſed eius agrum, ſiue prędium, vel pagum. *Gethſemani*, ait S. Hieronym. in Locis Hebr. & ex eo Adrichom. villa erat ad radices montis Oliueti, olearum fœcunda. Hinc *Gethſemani*, idem eſt quod *vallis olei* vel *pinguedinis*: גיא *ghe* enim eſt vallis, שמן *ſcemen* eſt oleum vel pinguedo. Aut præciſè *Gethſemani*, idẽ eſt quod *torcular olei*, גת *geth* enim torcular. In hac enim villa videtur fuiſſe torcular, ad quod oliuę in monte Oliueti copiosè prouenientes deferebantur, vt in eo premerentur ad exprimendum oleum. Diſtabat hęc villa à cœnaculo, in quo Chriſtus cœnarat, ſexcentis circiter paſſibus, id eſt, medio milliari Italico, & inſuper centum circiter paſſibus. **Vers. 36.** Luc 22. 40 Mar. 14. 32.

*Gethſemani quid?*

Porrò eò ſeceſſit Chriſtus Primò, orationis cauſa, vt doceret nos cùm oramus, quęrere locum ſecretum & à turbis remotũ, vbi mens nulla re diſtrahatur, ſed totam ſe ad Deũ calligat & eleuet: *Erudiens nos*, ait S. Chryſoſt. *quietem & tranquillitatem in orationibus diligenter appetere.*

*Cur in Gethſemani ſeceſſit Chriſtus?*

Secundò, vt oſtenderet ſe mortem non fugere, ſed appetere, ideoque ad locum Iudæ proditori notum ſe confert, quaſi offerens ſe Iudæ & Iudęis ad prędam & lanienam, velut agnus & victima Dei; aut ſicut luctator ambit palęſtram, curſor ſtadium, duellator duellum.

Tertiò, vt demonſtraret ſe ex pura miſericordia & charitate pro hominum ſalute pati & mori. Miſericordiæ enim ſymbolum eſt oleum: *Gethſemani* autẽ idem eſt quod vallis olei: quare ſicut ibi ex oliuis exprimebatur oleum, ita ibidem ex agonia expreſſus eſt ſanguis Chriſti quo quaſi oleo reficimur, vngimur, paſcimur. Vnde illud: *Oleum effuſum nomen tuum*, Cant. 1. Vide ibi dicta.

Sedete hic, donec vadam illuc, et orem] *Illuc*, ſcilicet in hortum, vt ait Ioan. cap. 18. verſ. 1. qui à villa Gethſemani quaſi iactu lapidis diſtabat, vt patet ex Lucæ cap. 21. verſ. 41. & rupi cuidam concauæ adhęrebat. Vide tabulas Adrichomij, in quibus cernes iuxta hunc hortum fuiſſe tugurium ſanctæ Pelagiæ pœnitentis, & alia ex parte ſepulchrum Beatæ Virginis, ſurſum verò locum montis Oliueti, è quo Chriſtus in cęlum conſcendit. Par enim fuit & congruum, vt vbi Chriſtus ſummè doluit & humiliauit ſe ipſum patiendo, ibidem ſummè quoque gauderet & exaltaretur ſcandendo in cęlum. Idem in electis ceteris ſępè facit Deus. Ergo Chriſtus pręcisè non orauit, nec triſtatus eſt in villa Gethſemani, ſed in horto villæ vicino. Ratio eſt, quia Chriſtus in

horto

horto orſus eſt paſſionem ſuam; qua expiauit peccatum Adæ, ſcilicet comeſtionem pomi vetiti in horto paradiſi commiſſam. Illo enim ſe & totam ſuam progeniem perdidit, ac peccato, morti & gehennæ ſubiecit quæ omnia hîc Chriſtus expiat in horto per agoniam, quam in eo ſubiit, iuxta illud Cant. 8.5. *Sub arbore malo ſuſcitaui te; ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, ſcilicet Eua, ac per Euam Adam, & per Adam omnes poſteri. In horto ergo Chriſtus, paradiſo, ex quo per Adam expulſi eramus, nos reſtituit, ibique hortum Eccleſiæ, myrrhâ mortificationis, croco charitatis, nardo humilitatis, liliis virginum, roſis martyrum, laureis Doctorum, &c. vernantem inſtituit, iuxta illud: *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ paradiſi*, &c. Cant. 4.12. Vide ibi dicta.

*Vers. 37. Mar. 14.33. Triſtitia Chriſti in horto.*

ET ASSVMPTO PETRO, ET DVOBVS FILIIS ZEBEDÆI (Iacobo & Ioanne) COEPIT CONTRISTARI ET MOESTVS ESSE] Relictis in Gethſemani octo Apoſtolis, tres reliquos ſecum aſſumpſit in hortum, ſcilicet Petrum, Iacobum, & Ioannem, vt hi ſoli conſcij eſſent eius triſtitiæ & agoniæ, ne ceteri eâdem turbarentur & ſcandalizarentur; tum quia his tribus quaſi familiaribus maximè Chriſtus confidebat; tum quia hi tres viderant paulò antè eius gloriam in Transfiguratione facta in monte Tabor, quare par erat, vt hi pariter viderent eius agoniam & dolorem in monte Oliueti; diſcerentque viam ad gloriam eſſe paſſionem & agoniam, ac per montem Caluariæ & crucis tendendum eſſe in montem & claritatem Tabor. Ita Origenes: *Ceteros*, ait, *ſedere iuſſi vt infirmiores, vos vt firmiores volo collaborare mecum in vigiliis & orationibus.*

COEPIT (vltrò & ſponte ſua, voluntariè & liberè, non coactè, non inuitè) CONTRISTARI (græcè, λυπεῖσθαι, id eſt triſtari, affligi, moleſtia affici) ET MOESTVS ESSE] Syrus, *vehementer angi*; græcè eſt, ἀδημονεῖν, id eſt adeò angi, vt quaſi exanimetur, præ dolore deficere, ſupra modum ægreſcere, vt extra ſe quis eſſe videatur. Vnde ſubdit Chriſtus; *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Hinc Lucas angorem Chriſti vocat *agoniam*, qualem ſcilicet ſubeunt moribundi, dum agunt animam, & ſunt in agone mortis cum ea luctantes. Interpres in Marco ἀδημονεῖν vertit, *tædere*. angor enim facit vt hominem tædeat vitæ, & mori malit quàm adeò angi.

Marcus addit, *cœpit pauere*; græcè ἐκθαμβεῖσθαι, id eſt obſtupeſcere, aut pauere, vſque ad ſtuporem. Pauor enim vehemens inducit ſtuporem, facitque ſtupidos & attonitos, vt ne loco quidem ſe mouere queant; ſicut leo rugitu ſuo ita conſternat & obſtupefacit cetera animalia, vt fugere nequeant, ſed immobilia conſiſtant; quare ipſe ea capiat, laniat & deuorat, teſte Æliano & Aldrouãdo in Leone. Ratio a priori eſt, quòd in metu & pauore ſpiritus vitales & animales fugiant ad cor, vt illud pauidum & ex pauore deficiens confortent, quo fit vt caput, manus, pedes ſpiritibus hiſce, qui motui & ſenſationi ſubſeruiunt, deſtituti, frigeant, rigeant, ſtupeant, fiantque immobiles. Hinc

*Triſtitia vera fuit in Chriſto.*

Nota hîc Primò, in Chriſto fuiſſe veram triſtitiam; licet enim ipſe ab initio conceptionis ſuę frueretur viſione Dei, hypoſtaticè ſibi vniti, eſſetq; beatus & in ſummo gaudio; tamen ſummè quoque triſtatus eſt, ſed reſpectu diuerſorũ obiectorũ, ſaltem formalium, nimirum Deo ſupernaturaliter capacitatem animæ eius extendente & dilatante per concurſum ſpecialem, quo concurrebat cum anima Chriſti, vt ſimul ſummum gaudium ob viſum Deum, & ſummam triſtitiã ob inſtantē ſibi mortem ſuſcipere & elicere poſſet. Ita communiter docent Theologi, qui refellunt Melch. Canum dicentem lib. 12. de Locis c. 14. in Chriſto ſuſpenſum fuiſſe gaudium quod naturaliter ex viſione Dei ſequitur, eo tēpore quo fuit viator, vt dolere & triſtari poſſet. Vide D. Thomam 3. p. q. 46. art. 8. & Suarez 3. p. qu. 18. diſp. 38. ſect. 8. Chriſtus ergo ſimul fuit viator & comprehenſor: vt viator, triſtatus & paſſus eſt; vt comprehenſor, beatus extitit, & gaudio plenus. Porrò Chriſtus non tantùm quà comprehenſor, ſed etiam quà viator, ſimul ſummè gaudebat & dolebat de ſua paſſione. Dolebat enim de ea ſecundùm partem animæ interiorem, quatenus paſſio hæc erat noxia naturæ; gaudebat de ea ſecundùm partem ſuperiorem, quatenus illa erat à Deo volita & ordinata ad hominum ſalutem.

*Non ſolùm in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in voluntate.*

Nota Secundò, hanc triſtitiam non tantùm in appetitu ſenſitiuo, ſed etiã in voluntate Chriſti fuiſſe, ſaltem ſecundùm partem eius inferiorem, quæ naturaliter reſpicit & amat bonum naturæ ſuæ, ſcilicet vitam & ſanitate, refugit verò oditq; mortem & dolorem, de iiſq; triſtatur. Id ita eſſe patet ex verbis Chriſti, dum orans Patrem ait: *Verũtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Voluntate ergo ſua naturaliter volebat liberari à morte. Et apud Lucam: *Non mea voluntas, ſed tua fiat.*

*Cur?*

Nota Tertiò Triſtitiæ Chriſti primaria cauſa, non fuit pręuiſa diſcipulorum fuga & ſcandalum, vt volunt S. Hieron. & S. Hilarius, ſed viua apprehenſio inſtantis paſſionis & mortis, vt patet ex eo quod ipſe orans ait: *Tranſeat à me calix iſte*,

*Cauſa. Prima. Inſtans paſſio & mors.*

Præuidebat enim Chriſtus omnia & ſingula tormenta, flagella, opprobria, alapas, irriſiones, blaſphemias, mortem & crucem ſibi à Iudæis infligenda, ac viuaciter dolorum ſingulorum magnitudinem & acerbitatem penetrabat & ponderabat, vt ſibi iam illa pati videretur, quę apprehenſio tantam ei triſtitiam & angorem intulit, vt gemeret, tremeret, langueret, palleſceret, viribus deficeret, & penè concideret, imò vt ſudaret ſanguinem; nimirũ voluit Chriſtus hac triſtitia expiare lætitiam & delectationem, quam habuit Adam in eſu pomi vetiti, & quam habent ſinguli dum peccant in ſuis deliciis, opibus, honoribus.

Porro aliȩ multȩ fuerunt in Chriſto cauſæ triſtitię, ob quas ab initio conceptionis per omnem vitam vſque ad mortem continuò ſummè triſtatus eſt, ſcilicet Prima fuit, peccata omnia & ſingula omnium & ſingulorum hominum, qui ab Adam fuerunt, ſunt, & erunt vſque ad finem mundi. Hęc enim ipſe omnia in ſe quaſi propria luenda & expianda ſuſcepit, vt pro iis iniuriæ & offenſę in Deum Patrē ſatisfaceret. Anima enim Chriſti in Deo videbat omnia ſacrilegia, homicidia, adulteria, libidines, furta, calumnias, blaſphemias, aliaq; horrenda & immania ſcelera, ac pro illis compunctionem & dolorem ſummum, elicuit; perinde ac ſi illa commiſiſſet. Videbat enim quanta ſcelerum ſingulorum eſſet grauitas quanta Dei offenſi maieſtas, & conſequenter,





quanta per illa Deo fieret iniuria & offenſa: quare dolorem elicuit vtrique quoad fieri poterat condignum & commenſum. Hoc eſt quod ipſe gemens, ait pſal. 21.1. *Deus Deus meus reſpice in me quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea verba delictorum meorum.*

*Secunda, præuiſio dolorum Martyrum.*

Secunda cauſa triſtitiæ fuit præuiſio dolorum omnium, quos paſſuri erant Martyres in eculeis, ignibus, tormentis quibuſlibet; Confeſſores in perſecutionibus, mortificationibus, morbis, calumnijs; virgines in tuenda caſtitate, coniuges in educatione filiorum, ſeruorum, ancillarum, paupertate, laboribus, &c. Prælati & Paſtores in gubernandis fidelibus, fideles quiq; in tentationibus mundi, carnis & dæmonis. Atque hos omnes & ſingulos omnium & ſingulorum dolores Chriſtus mentaliter in ſe ſuſcepit, pro eis dolens, gemens & orans, vt ſingulis ſuo dolore & gemitu gratiam & robur ad cuncta ſuſtinendum, & ſuperandum à Deo Patre impetraret: ipſe enim fideles ſuos vti filios, amat quaſi ſeipſum, Vnde de illorum miſerijs & afflictionibus dolet, quaſi de ſuis, vt patet Matth. 25. v. 35. & 40.

*Tertia, ingratitudo hominum.*

Tertia cauſa fuit, ingratitudo hominum, præſertim quòd præuideret tam paucis hoſce ſuos dolores profuturos; paucos enim ſaluandos fore, plurimos verò ob ſuam negligentiam & ingratitudinem damnandos. Vnde de eo canit Poëta:

*Non dolor hicce meus, dolor; aſt amor: hoc doleo vnum,*
*Quòd labor hic multis noſter inanis erit.*

*Quarta, afflictio matris ſuæ.*

Quarta cauſa fuit, afflictio matris ſuæ, præſertim dum cruci aſtaret: dolores enim filij quaſi gladij transfixerunt animam matris, & ex ea in ipſum Chriſtum reflexi ſunt: ſummè enim ipſe dolebat matrem ſuam adeò affligi propter ſe. Verùm has ceteraſque omnes triſtitias animo premebat & ſuperabat Chriſtus, ſed hanc vnam in horto diſcipulis oſtendit. Vnde

*Hæc triſtitia voluntaria fuit in Chriſto.*

Nota Quartò, hanc triſtitiam in Chriſto non fuiſſe neceſſariam, aut naturalem & inuoluntariam, ita vt rationis & voluntatis imperium præueniret, vt in nobis fit dum aliquid nobis moleſtum accidit, ſed fuiſſe omnino liberam & liberè à Chriſto aſſumptam, quod Theologi dicunt in Chriſto non fuiſſe paſſiones, ſed propaſſiones: omnes enim affectus motuſque voluntatis, æquè ac appetitus ſenſitiui in Chriſto oriebantur ex rationis diſpoſitione, & libera voluntatis electione. Huic enim omnes inferiores vires & potentiæ, tam in Adamo, quàm in Chriſto perfectè ſubditæ erant: hoc enim exigebat iuſtitia originalis, ſiue plena animæ rectitudo, quæ erat in Chriſto, ſicut & in Adamo, quamdiu perſtitit in ſua innocentia, vti docent Theologi ex S. Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 9. Vnde Damaſcen. lib. 3. de Fide cap. 23. *Permittebat*, ait, *carnem pati propria, ſed nihil in Chriſto coactum: volens enim eſurijt, timuit & contriſtatus eſt.*

Nota Quintò. Lucas 22.42. addit Chriſtum ſudaſſe ſanguinem, & ab angelo fuiſſe confortatum, de quo in Luca dicam. Hinc Iſaias ca. 52. 3. Chriſtum vocat *virum dolorum*, ob cauſas quas ibidem recenſui.

*Cauſa finalis. Prima.*

Porrò, cauſæ finales & morales huius iuſtitiæ Chriſti, fuêre variæ. Primam dat S. Chryſoſt. *Vt veram*, ait, *carnem ſe ſuſcepiſſe demonſtret, humana ſuſtinet.* Sic S. Hieron. & Origenes, & S. Leo ſerm. 7. de Paſſione: *In noſtra*, ait, *humilitate contemptus, in noſtra mœſtitudine contriſtatus, in noſtro eſt dolore crucifixus.*

*Secunda.*

Secundam dat S. Gregor. 24. Moral. c. 17. *Appropinquante morte*, ait, *in ſe mentis noſtræ certamen expreſſit, quia valdè timemus morte appropinquante.*

*Tertia.*

Tertiam dat S. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ v. 44. *Nuſquam magis*, ait, *Chriſti pietatem & maieſtatem demiror, quàm hîc, vbi plerique horrent: minùs mihi contuleat niſi meum ſuſcepiſſet affectum: ſuſcepit triſtitiã meam, vt mihi iam lætitiam largiretur: confidenter triſtitiam nomino; quia crucem prædico; debuit dolorem ſuſcipere vt vinceret: non habet fortitudinis laudem ſtupor: nos voluit erudire, vt futuræ mortis mœſtitiam vinceremus; & fortè ideo triſtis eſt, quia poſt Adæ lapſum nobis eſt neceſſe mori; itemq; quia perſecutores ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos.* Et nonnullis interiectis: *Doles ergo Domine, non tua, ſed mea vulnera; non tuam mortem, ſed noſtram infirmitatem.*

Eleganter & piè S. Athanaſ. tract. de Paſſione & cruce: *Deſcendit Chriſtus*, ait, *vt nobis aſcenſum pararet: expertus eſt natiuitatem, vt nos per eum Patri innaſcibili reconciliaremur: infirmatus eſt propter nos, vt nos erigeremur robore, vtq; dicamus more Pauli; Omnia poſſum in eo qui me corroborat Ieſu Chriſto. Aſſumpſit corpus corruptibile, vt corruptibile indueret incorruptibilitatem, induit mortale vt quod erat mortale indueret immortalitatem: deniq; factus eſt homo: mortuus eſt, vt nos homines emorientes efficeremur dij, nec amplius haberemus mortem regnantem. Mors enim nobis non dominatur*, &c.

*Quarta.*

Quarta cauſa fuit, vt horrorem mortis, qui ex peccato Adæ, in pœnam nobis inflictus eſt, mitigaret, imò in gaudium & ſpem melioris vitæ in cælo conſequendæ conuerteret. Hinc Chriſtus meruit, vt Martyres in tantis tormentis & mortibus tam atrocibus non exhorreſcerent, nec pauerent, ſed vltrò eas ambirent, in iiſque exultarent & iubilarent, vti fecit S. Ignatius, S. Laurentius, S. Vincentius. Chriſtus enim acerba noſtra in ſe ſuſcepit, vt vobis ſua dulcia conferret. Suſcepit triſtitias noſtras, vt nobis ſuas lætitias rependeret: *Venit Chriſtus*, ait Chryſol. ſerm. 150. *noſtras ſuſcipere infirmitates, & ſuas nobis conferre virtutes.* Rurſum hac triſtitia & agonia ſua meruit Chriſtus, vt fideles in agonia mortis conſtituti eam non horrerent, ſed patienter, ac ſubinde lętanter ob ſpem reſurrectionis eam exciperent, dicerentque cum Oſee & Paulo 1. Corinth. ca. 15. v. 55. quaſi inſultantes morti: *Abſorpta eſt mors in victoria; vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Vide vtrobique dicta.

*Quinta.*

Quinta cauſa fuit, vt ſuâ triſtitiâ, pauore & angore curaret noſtram acediam, puſillanimitatem, metus, angores, ſcrupulos, melancholias, diffidentias &c. iuxta illud Iſaiæ 53.4 *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, Quare in hiſce omnibus optimum remedium eſt, recurrere ad Chriſtum agonizantem, vt ipſe per exemplum & meritum triſtitię & agonię quam paſſus eſt in horto, noſtrã curet. Hac enim de cauſa illam ſuſtinuit, nam vt ait S. Leo ſerm. 3. de paſſione: *Noſtrę infirmitatis affectus participando curabat, & pœnalis experientiæ metum ſubeundo pellebat. In nobis ergo Dominus noſtro pauore trepidabat, vt ſuſceptionem noſtræ infirmitatis indueret, & noſtram inconſtantiam ſuæ virtutis ſoliditate veſtiret.*

Rurſum vt horrorem difficultatis, quæ in omni virtute occurrit (virtus enim verſatur circa ardua) nobis minueret vel adimeret, Hic enim horror plurimos à virtute & ſanctitate remoratur. Quare dum quæ difficultas vel tentatio occurrit, armemus nos meditatione agoniæ Chriſti: ſi enim ipſe eam luctando & ſudando ſanguinem ſuperauit, nos certè noſtras generosè eis reſiſtẽdo vincere oportet. Vnde Paulus Hebr. 12. fideles exhortans ad luctam: *Per patientiam*, inquit, *curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet. Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficiẽtes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes.*

Docuit ergo hîc Chriſtus nos, vt ratione & mente repugnemus paſſionibus noſtris, præſertim acediæ, triſtitiæ, & anxietati; itaque illas domemus & rationi ſubigamus. Quare impiè & imperitè Caluinus & Beza hîc Chriſtum accuſant, vt mollem, timidum, inconſtantem, alternis votis vacillantem, & Martyribus puſillanimiorem: quia haſce paſſiones ipſe non inuitus ſubiit, ſed ſpontè accerſiit, vt cum illis luctando animosè eaſdem vinceret, & eaſdem in nobis domaret. Nam vt ait Auguſt. Chriſtus *poteſtate, nõ infirmitate turbauit ſeipſum.* Vide D. Thomam & Scholaſticos, 3. p. q. 15. art. 4.

VERS. 38. Mar. 14. 34.

TVNC AIT ILLIS: TRISTIS EST ANIMA MEA (Syrus, *ægritudo ineſt animæ meæ*) VSQVE AD MORTEM: SVSTINETE HIC, ET VIGILATE MECVM] q. d. Ex viua apprehenſione inſtantium mihi tormentorum & mortis, adeò triſtor & angor, ac ſi iam morerer; ſuſtineo agoniam & dolores mortis, quales ſuſtinent moribundi; ſpiritus & vires me deficiunt, videor mihi mœrore & pauore quaſi exanimari, angor mihi penè vitam & ſpiritum eripit. Singula verba habent emphaſim doloris. *Triſtis*, id eſt triſtiſſima, *eſt* caro, non affectus, ſed *anima mea*, quia triſtitia intima animæ meæ penetrat, animamque meam quaſi gladius diſſecat, iuxta illud: *intrauerunt aquæ* (amaritudinum & afflictionum) *vſque ad animam meam*, pſalm. 68. 1. *Vſque ad mortem*, vt ad mortem quaſi me adigat, vt à morte vix puncto diſtem, vt ſi vel tantillum triſtitia creſcat, me obruat, vitamque mihi extorqueat; quia video & mente intueor atrociſſima pœnarum omnium genera, mox continuè vſque ad mortem mihi ſubeunda. Cogita quo doloris & amoris ſenſu hęc Petro, Iacobo & Ioanni dixerit Chriſtus: quod eius fuerit pathos, qui vultus, quæ vox, quę facies.

*Triſtatur Chriſtus vſque ad mortem.*

SVSTINETE] Græcè μείνατε, id eſt, manete, expectate & intuemini me hîc in mortis agonia ſummè dolentem & orantem; tum vt doloris mei ſitis teſtes; tum vt à me diſcatis in omni tribulatione confugere ad orationem, vt notat Theoph. tum vt mecum vigilando, compatiendo, orando aliquod tantæ afflictionis lenimen & ſolatium mihi afferatis; ſed fruſtra: nam triſtitia vos obruit & in ſomnum adigit. Vnde queritur Chriſtus pſalm. 68. 21. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inueni.* Voluit Chriſtus ex vehementia amoris puram & miram ſubire paſſionem, ſine vlla conſolatione vel conſolatore. Voluit merum ebibere calicem fellis & amaritudinis, ſine vllo melle ſuauitatis, tum vt copioſa eſſet redemptio, tum ad exemplum heroicæ virtutis, vt fortitudinis apicem in hoc ſuo actu exprimeret. Chriſtus enim in ſua paſſione actus omnium virtutum heroicos & perfectiſſimos elicuit. Quare in ea ipſe fuit portentum humilitatis, quia *cùm in forma Dei eſſet, exinaniuit ſe, &c. humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2. 8. Ipſe in ea fuit portentum patientię, cõſtantiæ, fortitudinis: vti iam oſtendi. Ipſe fuit portentum charitatis: quia *maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; Chriſtus autem eam poſuit pro inimicis ſuis, vti exaggerat Apoſtolus Rom. 5. 8. & ita de ceteris.

ET PROGRESSVS PVSILLVM PROCIDIT IN FACIEM SVAM, ORANS ET DICENS: PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE. VERVMTAMEN NON SICVT EGO VOLO, SED SICVT TV. VERS. 39. Luc. 22. v. 41. 42. Mar. 14. v. 35. & 36.

PROGRESSVS PVSILLVM] Scilicet ad paucos paſſus, diſcedens à Petro, Iacobo & Ioanne, vt ſecretò oraret; ſed ita vt ab ijs notari, videri & audiri poſſet. *Procidit*, græcè ἔπεσεν, id eſt, *cecidit in faciem ſuam*, ſcilicet prono & proſtrato in terram corpore, faciem terræ affigens, vt hoc geſtu Primò, ſummam ſuam afflictionem oſtenderet: Secundò, vt inſigne humilitatis exemplum daret: Tertiò, vt ſummam Deo Patri reuerentiam exhiberet. Quartò, vt onus immane peccatorum noſtrorum, quod ipſe in ſe ſuſceperat, repræſentaret: hoc enim ipſum ſuo pondere degrauauit & afflixit in terram: Quintò, vt ipſe quaſi reus & pœnitens pro nobis ſe ſiſteret Patri, eique totum ſe ad caſtigationem offerret. q. d. En ego pro hominibus reum me tibi dedo, ô Pater, en totum me ad pœnam eis debitam offero. En dorſum ſterno ad flagella, caput ad coronam ſpineam, manus ad pedes ad clauos, totum corpus ad crucem; me vnum ergo flagella, corona, punge & crucifige, vt hominibus parcas, eoſque in gratiam recipias.

*Chriſtus procidit quinque de cauſis. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.*

ORANS] Chriſtus enim quà homo, verè & propriè orabat Deum Patrem, imò ſeipſum quà Deus eſt. Locus ille horti ad radices montis Oliueti ſitus, in quo orauit Chriſtus, poſtea à Chriſtianis illuſtratus eſt eccleſiâ ibidem extructâ, teſte S. Hier. in Locis Hebr. Addit Beda tract. de Locis ſanctis cap. 6. in fine, & ex eo Baronius anno Chriſti 34. petram ipſam in qua Chriſtus orans flexit genua, quaſi mollem ceram ijs ceſſiſſe, ac in ſe genuum Chriſti veſtigia impreſſa excepiſſe, ipſumque lapidem in eccleſia aſſeruari, Adiungit Baronius, aitque: Accepimus etiam ab his qui loca ſancta luſtrarunt, etiam in imò vallis Ioſaphat, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipſis eiuſdem Chriſti Domini noſtri veſtigia pedum impreſſa remanſiſſe hactenuſque ſeruata eſſe.

PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE] Abſolutè hoc erat poſſibile, ſed impoſſibile erat poſito Dei decreto, de redimendo homine ex rigida iuſtitia per mortem Chriſti. Et ſciebat id Chriſtus: quare abſolutè hîc non vult, nec orat contrarium voluntati Pa-





tris æquè ac ſuæ; ſed tantùm exponit naturale deſiderium, ſiue voluntatẽ ſuam inefficacem & conditionatam, quæ naturaliter horrebat mortem, optabatque ab eâ liberari: liberè tamen & ſecundùm rationem, ſe Deo contrarium volenti, ſcilicet vt moreretur, planè ſubdebat.

TRANSEAT A ME CALIX ISTE] Primò, Caluinus ſic explicat: *Non fuit*, inquit, *hæc meditata Chriſti oratio, ſed vis & impetus doloris ſubitam ei vocem extorſit, cui ſtatim addita fuit correctio. Eadem vehementia præſentem cæleſtis decreti memoriam illi abſtulit, vt non reputaret in ipſo momento, ſe hâc lege miſſum eſſe humani generis redemptorem: ſicut grauis anxietas ſæpè caliginem oculis obducit, ne ſimul in mentem veniant omnia.* Verùm impius hîc blaſphemat, dũ Chriſto violentiam, obliuionem, ignorantiã, caliginem, inconſtantiam, diuinæ voluntatis repugnantiam, ideoq; peccatum reipſa aſſcribit. Nam vt ſuperiùs dixi, Chriſtus non coactè, ſed libera voluntate triſtitiam & dolorem, indeq; orationẽ hanc, quâ illam patefaceret, ſuſcepit; ſed ita, vt illam per rationem & ſpiritum regeret & Dei voluntati ſubijceret. Quocirca prior actus poſteriori fuit ſubſtratus & ſubordinatus, ideoque ſecundùm rectam rationem directus & ordinatus: nil enim in Chriſto potuit eſſe inordinatum & incompoſitum. Ratio enim & pars ſuperior rectè iuſteque nolebat, vt pars inferior ſuam triſtitiam & mortis horrorem oſtenderet, ob cauſas ſuperiùs recenſitas.

*Caluini de Chriſto blaſphemia.*

Secundò, S. Hieron. per *calicem* accipit peccatum Iudæorum; quòd ſcilicet ipſi Chriſtum ſuum occiderent. q. d. Cupio, ô Pater, pati & mori, ſed opto & oro, vt non patiar nec occidar à Iudæis, ne illi qui ſunt gens mea & filij Abrahæ, tam immane ſcelus committant, & ob illud grauiſſimè damnentur & crucientur in gehenna. *Vnde & ſignanter*, ait Hieronym. *non dixit, Tranſeat à me calix, ſed, calix iſte, hoc eſt populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, habens legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur.* Verùm hic ſenſus arctior eſt.

Tertiò, ergo plenè & adæquatè: *Tranſeat*, id eſt *prætereat*, vt vertit Syrus, & auertatur *à me calix iſte*, inſtantis mihi tam horrendæ paſſionis & mortis, vt illum non guſtem, cùm tamen decreueris, vt eum vſque ad fundum & fæces exhauriam. Cur paſſio vocetur *calix*, dixi cap. 20. v. 22. Porrò Origen. decretum Dei erat, ait, vt Chriſtus biberet hanc paſſionem, ſicque ille ab eo tranſiret, & pariter ab vniuerſo hominum genere tranſiret & abiret.

Quartò, S. Catharina Senenſis, teſte Ambr. Catharino in eius Vita Italica libr. 2. c. 28. & 29. duas alias offerebat expoſitiones, eaſque dicebat ſibi à Chriſto reuelatas. Prior eſt, quòd Chriſtus ſitiebat calicem paſſionis auidiſſimè, vt amorem erga Patrem oſtenderet, noſque redimeret, ideoque optabat accelerari & abſoluere hoc opus; ait ergo: Illico fac, ô Pater, vt patiar moriarque: ardor enim meus patiendi non patitur moras, ne horæ quidem vel inſtantis vnius: itaque per me tranſeat, ac deinde à me tranſeat calix iſte, vt abolitâ morte, illico reuertar ad te. Hoc enim Chriſtus optabat ſecundùm ſpiritum; licet ſecundùm carnem horreret mortem, & optaret tranſire, id eſt, auerti à ſe. Et ſic hi duo ſenſus ſe compatiuntur: poterat enim Chriſtus vnum orare ſecundùm carnem, alterum ſecundùm ſpiritum. Si poterat, cur non fecit? nam conſtat eum ſitijſſe hanc paſſionem, cùm diceret: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?* & paulò ante paſſionem; *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* Voluit ergo dare exemplum S. Ignatio & alijs generoſis Martyribus, deſiderandi cruces.

*Duæ nouæ expoſitiones. Prima.*

Poſterior: Videbat Chriſtus multos ingratos fore ſuæ paſſioni, manſuros in peccatis, ac damnandos; hic erat ei ſummus dolor, huncque vocat hîc calicem. q. d. Tranſeat à me calix iſte, id eſt, amoue à me hunc dolorem & numerum damnandorum, fac vt omnes ſaluentur. Et ſi hoc Chriſtus efficaciter oraſſet, impetraſſet, quia Pater nil negat Filio: ſed maluit Chriſtus ſe conformare Patris voluntati, & iuſtitiæ, ideoque dixit; *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Hæc S. Catharina, non tam ad litteram, quàm ad exprimendos pios & ardentes Chriſti ſenſus & affectus.

*Secunda.*

Symbolicè S. Hilarius: *Paſſuris diſcipulis*, ait, *Chriſtus omnem in ſe corporis noſtri infirmitatem aſſumpſit, crucíq; ſecum vniuerſa, quibus infirmamur, affixit, & ideò tranſire ab eo calix non poteſt, niſi illum bibat, quia pati niſi ex eius paſſione non poſſumus.* q. d. Chriſtus: Tranſeat, ô Pater, calix iſte paſſionis & patientiæ meæ in meos fideles, vt, cùm meas paſſiones ſubibunt, meam quoque potentiam, meumq; robur ad tolerandum te dante experiantur.

Piè & ſapienter S. Bernardus ſerm. 20. in Cantic. *Super omnia*, inquit, *reddit amabilem te mihi, Ieſu bone, calix quem bibiſti, opus noſtræ redemptionis. Hoc omninò amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi: Hoc, inquam, eſt, quod noſtram deuotionem & blandiùs allicit, & iuſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs. Multùm quippe laborauit in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor aſſumpſit. Ille denique dixit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt. At verò hîc & in dictis ſuſtinuit contradictores, & in factis obſeruatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit.* Et nonnullis interiectis: *Dilexit autem fortiter, dulciter, ſapienter. Dulce nempe dixerim, quod carnem induit; cautum, quòd culpam cauit; forte, quòd mortem ſuſtinuit.* Vnde concludit: *Diſce, ô Chriſtiane, à Chriſto quemadmodum diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppreſſi ab amore Domini auertamur. Nec mundi gloria ſeu voluptatibus abducaris; dulceſcat tibi præ his ſapientia Chriſtus. Ne ſeducaris ſpiritu mendacij & erroris, luceſcat tibi veritas Chriſtus. Ne aduerſitatibus fatigeris, conſortet te virtus Dei Chriſtus. Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit feruidus, ſit circumſpectus, ſit inuictus.*

*Chriſtus quomodo amandus.*

VERVMTAMEN NON SICVT EGO VOLO, SED SICVT TV] Arabicus, *verumtamen non ſecundùm voluntatem meam, ſed ſecundùm voluntatem tuam*, ſupple, fiat. Lucas, *Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Hinc patet contra Monothelitas non vnam, ſed duas in Chriſto fuiſſe voluntates, ſc. Vnã humanam, alterã diuinam: hîc enim humanam ſubijcit diuinæ; ergo non fuit in Chriſto ſolùm diuina, quæ ſuppleret humanam, vt voluere Monothelitæ: hanc enim habuit ſolùm vt Deus; ſed & humana: hanc enim habuit vt homo, & per hanc meritus eſt noſtram redemptionem. Hinc Synodus VI. act. 4. & 10. probat duas in Chriſto

fuiſſe voluntates, humanam & diuinam, & humanam diuinę per obedientiam fuiſſe ſubiectam, atque aſſerit hanc eſſe expoſitionem S. Athanaſij, S. Auguſtini, S. Ambroſij, S. Leonis, recitatis eorum verbis. Imò humana Chriſti voluntas licet in ſe vna, virtute tamen & operatione fuit quaſi duplex, ſcilicet vna naturalis, qua fugiebat mortem: altera rationalis & libera, qua ſubdens ſe voluntati Dei, mortem appetebat, ac iuxta hanc dicebat: *Verumtamen non ſicut ego volo*, voluntate naturali, *ſed ſicut tu vis.* q. d. Voluntate rationali ſubijcio voluntatem meam naturalem tuæ voluntati, ô Pater, nec aliud volo quàm quod tu vis. Quare voluntas Chriſti naturalis erat conditionata & inefficax, quia ſub conditione tantùm, ſi ſcilicet placeret Deo, cupiebat euadere mortem. Verùm, quia hæc conditio non ponebatur, hinc voluntas hæc erat caſſa & inefficax. Rationalis verò eius voluntas erat abſoluta & efficax, quia per eam abſolutè & efficaciter ſubijciebat ſe voluntati diuinæ, in obiecto tam materiali quàm formali, quia amplectebatur mortem ob eamdem rationem, ob quam eam volebat Deus, ſcilicet ob redemptionem hominum. Naturalis verò Chriſti voluntas, in obiecto materiali videbatur contraria voluntati diuinę, quia nolebat mortem, quam illa volebat, ſed in regula & ſubordinatione eidem erat conformis, quia ſinebat ſe regi & corrigi à voluntate rationali, per eamque ſubijci voluntati diuinæ; ac viciſſim Dei, æquè ac Chriſti hominis rationalis voluntas, ex deliberata iuſtaque ratione volebat, vt naturalis eius voluntas, hunc actum horroris fugæ mortis inefficacem exprimeret, ob cauſas iam dictas: omni ergo modo Chriſti voluntas volebat, id quod Deus volebat eam optare & velle, itaque per omnia voluntati diuinæ erat conformis. Volebat enim Deus, vt Chriſtus fieret mundi piaculum, ideoq; ſcelerum omnium piaculum ſe fecit Chriſtus, vti docet Euſeb. lib. 1. de Demonſtr. Euang. c. 10.

*Humana Chriſti voluntas duplex.*

*Moraliter.* Moraliter docet hîc Chriſtus, vnicum afflictionis remedium, eſſe orationem & reſignationem in voluntatem diuinam. Quare in omni tentatione & tribulatione confugiendum eſſe ad auxilium non hominum, ſed Dei, qui ſolus nos ab eâ liberare, vel in eâ corroborare ad vincendum poteſt, imò cupit, ſi inuocetur, etſi eius voluntati nos humiliter, reuerenter & amanter, vti filios decet, ſubijciamus. Vnde S. Leo ſerm. 7. de Paſſ. ſic ait: *Hæc vox* (fiat voluntas tua) *capitis, ſalus eſt totius corporis, hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes Confeſſores accendit, omnes Martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis poſſet perſecutorũ ſuperare terrores, niſi Chriſtus in omnibus & pro omnibus patiens Patri diceret: Fiat voluntas tua?*

Vers. 40. Mar. 14. 37.
ET VENIT AD DISCIPVLOS SVOS, ET INVENIT EOS DORMIENTES, ET DICIT PETRO: Sic (ſiccine, itáne) NON POTVISTIS VNA HORA VIGILARE MECVM?] *Venit ad diſcipulos*, tum vt aliquod mœroris ſui ſolatium, ex eorum affectu & alloquio captaret, etſi ſciret exiguum & quaſi nullum illud fore; tum vt ſuorum curam gereret, doceretque Paſtores & Epiſcopos etiam in afflictione grauiſſimâ ſuorũ curam gerere; imò interrupta quoque oratione viſitare. *Dormientes*, ex mœrore & triſtitiâ, vt habet Lucas, præſertim quia iam erat nox, quæ ſomnum conciliat. *Petro*, quia hic ceterorum caput, ceteris audaciùs fidelitatem ſuam opemque Chriſto, vſque ad mortem ſpoponderat.

*Dormientes diſcipulos excitat Chriſtus.*

SIC NON POTVISTIS?] Aduerte hîc quàm leniter & modeſtè Chriſtus ſuos corripiat, & ad vigiliam excitet. Non exprobrat, nec ait: Vos infidi, vos torpidi, vos inertes, quid dormitis in extremo hoc meo diſcrimine? Vbi ſunt ſplendida veſtra promiſſa? vbi fides? vbi conſtantia? Sed, *ſic non potuiſtis.* q. d. Voluiſtis quidem vigilare, ſed ſomnus ex mœrore obortus vos oppreſſit; quare non voluntati, ſed impotentiæ & infirmitati veſtræ ſomnum hunc aſcribo: ſed agite, animos ſuſcitate, infirmitatem ſuperate, ſomnum excutite.

Myſticè, S. Irenæus l. 4. c. 39. *Veniens*, inquit, *Chriſtus excitauit eos, & erexit, ſignificans quoniam paſſio eius expergefactio eſt dormientium.* Quis enim licèt ſceleratus non excitetur ad dolorem, videns Chriſtum dolentem pro ſe tam acerba pati?

Vers. 41. Luc. 22. 40. Mar. 14. 38.
VIGILATE ET ORATE, VT NON INTRETIS IN TENTATIONEM] qua iniecto à Iudæis metu me negetis, deſeratis & fugiatis. q. d. Si mea pericula vos non mouent, veſtra vos moueant. Ecce enim ingruit vobis grauiſſima mei negandi tentatio. Vigilate ergo & orate, vt eam ſuperetis, *quia*, vt ait Origines, *qui ſpiritalior eſt, ſolicitior debet eſſe, ne magnum bonum ipſius grauem habeat lapſum.* Ecce hoc eſt remedium omnis tentationis, quod Chriſtus hîc aſſignat; ſcilicet vigilia ad præuidendas & diſcutiendas diaboli, & hominum nos tentantium artes & fraudes: atque ad eas ſuperandas oratio, & diuinæ opis imploratio. *Vt non intretis in tentationem*, id eſt, vt tentatione inſtante non illaqueemini & capiamini, ſicut aues capiuntur laqueo & piſces hamo, quem propter eſcam intrant & ſubeunt. Non ait, Vt non tentemini: hoc enim ſæpè nec eſt in noſtrâ poteſtate, nec in Dei voluntate Deus enim vult nos tentari, vt probet noſtram fidem, & virtutem luctando augeat, meritaque & coronas nobis accerſat, ſed, *vt non intretis in tentationem*, ita ſcilicet vt illa vos occupet, poſſideat, dominetur. Intrat in tentationem, ait Theophylact. *qui abſorbetur à tentatione, & in eius poteſtate ſit.* Et S. Hier.: *Vt non intretis in tentationem*, hoc eſt, inquit, *ne tentatio vos ſuperet, & vincat, & peccato irretitos intra caſſes ſuos teneat.*

SPIRITVS QVIDEM PROMPTVS EST, CARO AVTEM INFIRMA] Loquitur de Spiritu & carne non ſua, ſed Petri & Apoſtolorum. Ita S. Hilarius. q. d. Scio quidem vos ſpiritu & mente eſſe promptos & paratos ad mihi adhærendum, etiamſi Iudæi vobis mortem minentur, ſed ſcitote carnem veſtram eſſe infirmam. *Carnem* vocat, tum carnem propriè dictam: vnde Syrus vertit, *corpus verò infirmum*; tum appetitum ſenſitiuum & naturalem carnis affectum, qui fugit perſecutionem, paſſionem & mortem, ad illaq; ſuperandum infirma eſt & imbecillis, cùm ad ſuas opes, honores, delicias, quas appetit, ſit valdè robuſta & valida. Orate ergo ne caro infirma veſtrum infirmet ſpiritum, & ad me negandum compellat, ſed vt Deus ſua gratia, tam ſpiritum, quàm carnem veſtram ita confortet, vt non tantùm prompti, ſed & validi ſint ad omnia aduerſa ſuperandum, vt mei cauſa etiam mortem alacres optetis, & fortiter obeatis: *Itaque*, ait ſanctus Hieronymus *quantum de ardore mentis confidimus; tantum de fragilitate carnis timeamus.* Quare, alieniùs quidam, per *ſpiritum* accipit dæmonem, per *carnem* hominem, q. d. Tentator diabolus fortis eſt ad tentandum, homo verò debilis ad tentationi eius reſiſtendum. Porrò Origenes: *Omnium*, ait, *caro infirma eſt, non autem & omnium hominum ſpiritus promptus eſt, ſed tantùm Sanctorum, qui ſpiritu prompto opera carnis mortificant.* Addit Marcus: Et *ignorabant* (Apoſtoli) *quid reſponderent ei*: quia perplexi & perculſi hinc mœrore, inde ſomno premebantur, erantq; inopes mentis & conſilij.

*Spiritus promptus, caro infirma.*

Vers. 42. Mar. 14. 39.
ITERVM SECVNDO ABIIT, ET ORAVIT, DICENS: PATER MI, SI NON POTEST HIC CALIX TRANSIRE NISI BIBAM ILLVM, FIAT VOLVNTAS TVA] Chriſtus in hâc ſecundâ oratione idem orauit, quod in prima, vt patet ex Marco. Dixit ergo: *Pater mi, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Verùm Matthæus priorem orationis partem, vtpote inefficacem & caſſam, omiſit, vt poſteriorem in qua tota orationis Chriſti vis & efficacia conſiſtit, ſtabiliret, eamque nobis imitandam proponeret. Abſolutè enim Chriſtus optabat & orabat bibere calicem paſſionis, Dei voluntate ſibi decretum & deſtinatum. Planè enim & omnino petijt, vt Dei voluntas in ſe in omnibus, & per omnia impleretur.

*Oratio Chriſti in horto.*

Vers. 43. Mar. 14. 40.
ET VENIT ITERVM, ET INVENIT EOS DORMIENTES: ERANT ENIM OCVLI EORVM GRAVATI] mœrore, æquè ac vigilia & fatigatione, inde ſomno. *Erat enim nox, & ea intempeſta*, ait Chryſoſt. qui & addit, Chriſtum eos hîc non redarguiſſe, *magnam eorum infirmitatem eſſe ſignificantem.*

Vers. 44.
ET RELICTIS ILLIS, ITERVM ABIIT, ET ORAVIT TERTIO, EVMDEM SERMONEM DICENS] *Tertiò*, Primò, vt oſtenderet vehementiam ſuæ triſtitiæ, quæ, imminente iam Iudâ, ad eum tradendum, augebatur, adeò vt agoniam mortis ſubiens ex eâ ſudarit ſanguinem, ideoque angelus confortarit eum, vt docet Lucas c. 22. v. 41. & 42. de quo ibidem plura; hæc enim omnia contigerunt in tertiâ Chriſti oratione dumtaxat, non autem in primâ quoque & ſecundâ, vt vult Ianſenius.

Secundò, vt doceret in afflictione ſubinde Deum in primâ oratione nos non exaudire, vt ſæpiùs & feruentiùs oremus, quare orationem tunc eſſe duplicandam & triplicandam, donec à Deo exaudiamur, & impetremus quod poſcimus. Perſeuerantia ergo coronat opus, præſertim orationis. Si Chriſtus Dominus in primâ & ſecũdâ oratione, non eſt exauditus à Patre, quid mirum ſi nos homuli in oratione ſtatim non exaudiamur? Perſeueremus ergo in oratione, & ſic fructum orationis, quem ſenſit Chriſtus, experiemur, nimirum confortationem Dei per angelos, triſtitiæ ſedationem, magnanimitatem ad aduerſa vltrò aggrediendum & ſuperandum. Modum ergo, perſeuerantiam & fructum orationis, nos docet hîc Chriſtus.

Symbolicè Primò, Remigius: *Ter*, inquit, *orat Chriſtus pro Apoſtolis, & maximè pro Petro, qui ter eum erat negaturus.* Secundò, Rabanus: *Ideò*, ait, *tribus vicibus Dominus orauit, vt nos à peccatis præteritis veniam, & præſentibus malis tutelam, & futuris periculis cautelam oremus; & vt omnem orationem ad Patrem, & ad Filium, & ad Spiritum ſanctum dirigamus: & vt integer ſpiritus noſter & anima & corpus ſeruetur.*

Tertiò, S. Aug. in Quæſt. Euang. in hunc locum: *Non abſurdè intelligitur*, inquit, *propter trinam tentationem paſſionis, ter Dominum oraſſe. Sicut enim tentatio cupiditatis trina eſt, ita & tentatio timoris trina eſt. Cupiditati quæ in curioſitate eſt, opponitur timor mortis: ſicut enim in illa cognoſcendarum rerũ eſt auiditas, ita & in iſta metus amittendæ talis notitiæ. Cupiditati verò honoris vel laudis, opponitur timor ignominiæ & contumeliarum. Cupiditati autem voluptatis, opponitur timor doloris.*

Vers. 45. Mar. 14. 41.
TVNC VENIT AD DISCIPVLOS SVOS, ET DICIT ILLIS: DORMITE IAM, ET REQVIESCITE, ECCE APPROPINQVAVIT HORA, ET FILIVS HOMINIS TRADETVR IN MANVS PECCATORVM.

TVNC VENIT] Chriſtus in tertiâ oratione confortatus ab angelo, dimiſit triſtitiam, agonem & ſudorem ſanguineum, quem ſponte aſſumpſerat, animumque ac ſpiritum priſtinum reſumpſit, atque generoſè totum ſe ad paſſionem compoſuit, vltroque Iudæ & Iudæis obuiam prodiens ſe tradidit, vt dicam Lucæ 22. v. 41. & 42.

DORMITE IAM ET REQVIESCITE] S. Chryſ. eiuſq; aſſeclæ Theophyl. & Euthym. putant hoc ironicè dictum à Chriſto. q. d. In hoc extremo periculo & agone tam veſtro, quàm meo, non eſt dormiendi tempus, ſed vigilandi, ſi vmquam: quare ſomnum excutite, euigilate, en adeſt Iudas cum ſatellitibus, ad me comprehendendum: videtur enim Chriſtus hæc dixiſſe accedente, & ferè præſente Iudâ, vnde ſequitur: *Ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur.*

*Dormite, an à Chriſto dictum ironicè?*

Ex aduerſo ſimpliciùs ex Marco S. Aug. lib. 3. de Conſenſu Euang. c. 4. & ex eodem Beda, id ſeriò dictum putant à Chriſto, quòd ſcilicet compatiens infirmitati Apoſtolorum aliquantulùm ſomni eis indulſerit, donec appropinquante Iuda dixit, *ſufficit* vt addit Marcus; &, vt ſubdit Matthæus: *Surgite, eamus.* Vnde græcè eſt, καθεύδετε τὸ λοιπὸν, id eſt, *dormite quod reliquum eſt*, id eſt, dormite modico tempore quod reſtat, vſque ad aduentum Iudæ; Syrus, *dormite adhuc*, id eſt, pergite dormire, quaſi Chriſtus hæc dixerit Iuda adhuc longius à ſe diſtante, & tempus ſomni Apoſtolis concedente.

ECCE APPROPINQVAVIT HORA, ab æterno à Deo Patre fixa, & meæ paſſioni martyrioq; decreta, & (id eſt qua) *Filius hominis tradetur* (græcè παραδίδοται, id eſt *traditur*, id eſt, iam iam tradetur) IN MANVS PECCATORVM] κατ' ἐξοχὴν, & antonomaſticè, qui ſcilicet ſunt ſummi peccatores, homineſq; ſceleſtiſſimi, quales erant Iudas & Iudęi, furentes in Chriſtum Deum & Dominum, vt eum torquerent & necarent. Numquam enim fuit ſceleſtior gens, quàm illa Iudaica, tempore Chriſti; ideoq; illo tempore naſci & mori decreuerat Chriſtus, vt plura & atrociora à tam ſceleſtis pateretur. Summa enim eius bonitas voluit certare, & quaſi duellum inire cum ſummâ Iudęorum malitiâ, vt in ea quaſi in capite malitiam omnem debellaret, ſibiq; ſubijceret, imò curaret, & in bonitatem conuerteret. Quare in eo mirè reſplẽduit diuina Chriſti clementia, æquè ac potentia, quòd mox Iudęos hoſce tam ſceleſtos ſibiq; infeſtos, per S. Petrũ & Apoſtolos ad ſe cõuerterit, & Sanctos eoſq; eximios effecerit, Act. 2. 41. & ſeq.

VERS. 46. Mar. 14. 42.

SVRGITE EAMVS: ECCE APPROPINQVAVIT QVI ME TRADET] Sedebant Apoſtoli, vt innixi cubitis commodiùs dormirent. Iubet ergo eos ſurgere Chriſtus, vt ſecum non fugiant, ſed obuient Iudæ. Hinc patet Chriſtum in tertiâ oratione exauditum, & confortatum à Deo per angelum triſtitiam & agoniam excuſſiſſe, ac magno generoſoque animo obuiàm iuiſſe Iudæ, morti & cruci. Nam, vt ait Origenes: *Vidit in ſpiritu appropinquantem Iudam traditorem, qui nondum videbatur à diſcipulis eius. Ita vndique diſcipulos erudit* (inquit Chryſoſt.) *non neceſſitatis, nec infirmitatis hanc rem fuiſſe, ſed diſpenſationis cuiuſdam inæſtimabilis: præſciebat enim eos venturos, nec ſolùm non fugit, ſed etiam obuiàm iuit.*

*Tria notãda in paſſione Chriſti*

Igitur Chriſtus hîc eundo obuiam hoſtibus ſuis, æquè ac in totâ reliquâ paſſione ſuâ, tria nobis maximè notanda & aduertenda reliquit; ſcilicet Primò, innocentiam ſuam: innocens enim, non fugit criminis inquiſitores; vtpotè benè ſibi conſcius, ideoque animoſus & audax iis obuiàm prodit; nocens verò fugit, quia conſcientia eum arguit pauidumque efficit. Secundò, maieſtatem, prouidentiam & poteſtatem ſuam, qua quaſi Dominus ordinat & prædicit hoſtium aduentum; ſed ita vt eorum furorem moderetur & dirigat; vt non ampliùs, nec aliud efficere poſſint, quàm ab ipſo permiſſum, prædictum & præordinatum fuit. Tertiò, voluntatem qua vltro ſe Iudæ offert, ne putaretur ex infirmitate, aut inuitus, ſed ſummâ dignatione, humiliatione & amore liberali pro nobis pati & mori: *Surgite* ergo, non vt fugiamus; ſed vt *eamus* obuiàm Iudæ, & vt ait S. Hier. *vltrò pergamus ad mortem.*

*Tribulationi fortis it obuiàm.*

Moraliter docet hîc Chriſtus in perſecutione & tribulatione excitandos eſſe animos, ac animosè illi obuiàm procedendum. Hic enim eſt heroicus fortitudinis actus, qui mali imminentis atrocitatẽ ſuâ animoſitate valdè infringit, illamq; vltrò amplexandò domat & ſubigit, ac ad magna hominem diſponit & præparat: longè enim faciliùs, maioreque merito grauia tolerantur & ſuperantur à magno animo, quàm leuia à paruo; ſicut gigas aut vir magnis viribus pollens faciliùs portat pondus 40. librarum, quàm puer paruarum virium portet onus trium librarum. Vnde Poëta:

*Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito;*

vti leo clauſis oculis, inuadit hoſtes, ſtrictoſque eorum gladios. Vnde Plinius lib. 8. cap. 16. *Cùm pro catulis fœta* (leæna inquit,) *dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expaueſcat.* Crux ergo fugientem ſequitur, ſequentem fugit, quod vulgò de honore dicitur, ſed alio reſpectu.

VERS. 47. Luc. 22. 47. Mar. 14. 43. Ioan. 18. 3.

ADHVC EO LOQVENTE, ECCE IVDAS VNVS DE DVODECIM VENIT, ET CVM EO TVRBA MVLTA CVM GLADIIS ET FVSTIBVS, MISSI A PRINCIPIBVS SACERDOTVM, ET SENIORIBVS POPVLI] Clariùs id explicat S. Ioan. cap. 18. 2. dicens: *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem, & à pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.*

ADHVC EO LOQVENTE] Vt veritas prædicationis & prædeſtinationis ipſius, de ſuâ proditione & paſſione impleretur. Ipſe enim hæc omnia ita contexuit, vt malitiam Iudæ & Iudæorum ita aptè telæ ſuæ paſſionis intertexeret, vt ab eo ipſa tota partim permiſſiuè, partim poſitiuè, contexta & pertexta videatur.

*Ecce rei nouæ nota.*

ECCE IVDAS VNVS DE DVODECIM] *Ecce* nota eſt rei nouæ, admirandæ & inauditæ. q. d. Ecce portentum omnibus ſæculis inauditum. Ecce flagitium Iudæ ſtupendum. Iudas enim vnus Apoſtolorum, factus eſt, non tantùm fur & latro, ſed Chriſti quoque proditor, & princeps latronum qui Chriſtum occiderunt. Vnde Lucas addit: *Antecedebat eos*, quaſi dux & anteſignanus ſceleſtorum.

TVRBA MVLTA] Putà cohors militum Romanorum cum famulis pontificum & Phariſæorum, vt patet ex Ioanne, cuius verba recitaui.

ET FVSTIBVS] Græcè ξύλων, id eſt, lignis, tam ferratis, vti ſunt haſtæ, lanceæ, tela; quàm non ferratis, vti ſunt fuſtes, talia enim erant priſcorum arma.

Vide hîc ſtultitiam & veſaniam Iudæ & Iudæorum. Sciebat Iudas Chriſtum eſſe ſummum Prophetã, imò Filium Dei, qui nullis armis vinci poſſet, idque principes Iudæorum ſæpè experti erant; tamen auaritia & furore cæci, adducunt milites armatos, vt Chriſto Deo vim inferant, eumque violenter capiant & ligent. Vis ô Iuda Deum ipſum vincere & vincire? Viſne Omnipotentem ligare, capere & rapere? Vultis ô homuli, contra creatorem veſtrum dimicare, eumque armis cogere vt ſe vobis in manus dedat? *Auaritia enim*, inquit S. Chryſ. *illi* (Iudæ) *furorem immiſit: auaritia omnes qui ipſi ſeruiunt crudeles efficit, atq; atroces. Nam, ſi propriam auarus ſalutem negligit, quid faciet de aliena?*

VERS. 48. Mar. 14. 44.

QVI AVTEM TRADIDIT EVM, DEDIT ILLIS SIGNVM, DICENS: QVEMCVMQVE OSCVLATVS FVERO, IPSE EST (Ieſus, quem quæritis, vt capiatis, quem me vobis traditurum ſpopondi) TENETE EVM] Syrus, *ipſum prehendite*; græcè, κρατήσατε, id eſt apprehendite, occupate, capite, retinete, ne è manibus veſtris, vti aliàs fecit, elabatur. Vnde addit Marcus, *& ducite cautè:* Verebatur enim Iudas, ne Chriſtus ſe transformando, ait ex Origene S. Hier. occultaret vel effugeret, itaq; triginta argenteis à principibus ſibi addictis priuaretur: illi enim ab eis Iudæ necdum erant traditi, ſed tantùm promiſſi, vt ſatis colligitur ex v. 15. vbi dicitur, *Conſtituerunt*, id eſt, addixerunt & promiſerunt *ei triginta argenteos.*

DEDIT ILLIS SIGNVM] Vt milites Romani, qui numquam viderant, vel certè non nouerant Chriſtum, eum ex hoc ſigno agnoſcerent, ait Theophyl. erat enim nox, fortè etiam ob vultus Chriſti ſimilitudinem cum vultu alicuius Apoſtoli, ſcilicet Iacobi Minoris, qui dictus eſt frater Domini. Ita nonnulli recentiores, qui tamen antiquum aliquem huius ſimilitudinis non proferunt teſtem vel auctorem.

OSCVLATVS FVERO] Origenes ait traditionem eſſe, quòd Chriſtus duas habuerit facies, vnam naturalem & vſitatam, alteram propriam & ſecretam, quam pro libito aſſumebat, qualis fuit illa quã exhibuit in ſuâ transfiguratione. Quare cenſet Iudam hoc ſigno oſculi deſignaſſe Chriſtum: quia verebatur ne Chriſtus faciem ſuam transformaret, vt à Iudæis agnoſci non poſſet. Verùm hoc



hoc gratis dicitur, & impertinens eſt: tum quia Iudas non interfuit transfigurationi Chriſti, vnde alteram illam Chriſti faciem non vidit: tum quia etiamſi illi interfuiſſet, meritò timere potuiſſet, ne Chriſtus mutando faciem ſe quoque falleret, vt eum agnoſcere non poſſet, aut certè ſe occultaret, & faceret inuiſibilem, vt ſciebat eum alias feciſſe. Cauſæ ergo oſculi fuêre illæ quas anteriùs dedi.

VERS. 49. Luc. 22. 47. Mar. 14. 45.

ET CONFESTIM ACCEDENS AD IESVM, DIXIT: AVE (græcè, χαῖρε, id eſt *ſalue*) RABBI (Arabicus, *aue magiſter*) ET OSCVLATVS EST EVM] Sciebat Iudas ex verbis Chriſti in cœna, ſe ſuamque proditionem notam eſſe Chriſto, vt tamen exteriùs illam coram Apoſtolis ceteris tegat quoad poteſt, fingit ſe Chriſto ſolitum amicitiæ & reuerentiæ dare oſculum. Oſculum enim fuit olim ſalutatio, ſiue mos ſalutandi, apud Hebræos, Romanos, ſiue alias gentes, vt patet ex Script. Vnde veriſimile eſt, hoc oſculi ſymbolo Apoſtolos ſalutaſſe Chriſtum, cùm aliunde ad ipſum redirent. Quocirca exemplo Chriſti, primi Chriſtiani ſalutabant ſe inuicem oſculo caſto & ſancto, vti docet Tertull. libr. de Oratione, imò Paulus 1. Corinth. 16. 20. vide ibi dicta. Sed Iudas hoc ſymbolo amicitiæ ad perfidiam & proditionem ſuam ſceleſtiſſimè abuſus eſt, perſuaſus ex lenitate Chriſti, ait Chryſoſt. ſe ab eius oſculo non repellendum; quòd ſi repelleretur, nihilominùs hoc ſigno oſculi oblati & à Chriſto repulſi, eum Iudæis indicaret, & vt inciuilem ac inhumanum capiendum traderet. Vnde Victor Antioch. in Marci c. 14. v. 45. *Cui lethales*, ait, *inſidias ſtruebat, illi infelix ſalutem cum oſculo offerebat.* Et S. Hier. (vel quiſquis eſt auctor: non enim eſt Hieronymus Stridonenſis) ibidem: *Dans*, ait, *ſignum oſculi cum veneno doli.*

*Oſculum erat olim ſalutandi ritus.*

*Chriſtus, oſculum dedit Iudæ tribus de cauſis.*

Porrò Chriſtus licèt vehementer ſentiret; doleretque ſe à Iuda diſcipulo ſuo tradi, prodique ficto beneuolentiæ oſculo: tamen ille oſculantẽ non reſpuit; nec oſculum renuit, ſed fraudulentum hoſtileque offerenti, ſincerum amicumque reddidit. Primò, *ne refugere proditionem videretur*, ait S. Ambr. in Lucæ c. 21. v. 45. ſed vltrò ex deſiderio plura & indigniora pro nobis patiendi, illã amplecti. Secundò, vt cor Iudæ leniret & compungeret: *vt plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret*, ait ibidem Ambr. Tertiò, *vt doceremur inimicos omnes, eoſq; quos ſcimus deſæuituros in nos eſſe, diligere, oſculum eius Dominus non reſpuit*, ait S. Hilarius: Chriſtus enim Iudam licèt proditorem non habuit odio, ſed dilexit, magiſque doluit de eius ſcelere & perditione, quàm de ſuâ proditione, ideoque ſategit eum hiſce verbis ad pœnitentiam inflectere. Sicut enim ex chalybe, ſi eum ſilice ferias, latens elicitur ignis; ſic ex Chriſto percuſſo & patiente latens emicat amor, & mirus erga inimicos charitatis affectus. Vnde in totâ eius paſſione, præ omnibus virtutibus diuinis reſplenduit amor, cuius ſignũ fuit immenſus dolor. Vnde illud:

*Cernis vt in toto corpore ſculptus amor?*

VERS. 50. Luc. 22. 48. 54. Mar. 14. 46. Ioan. 18. 12.

DIXITQVE ILLI IESVS: AMICE AD QVID VENISTI?] q. d. Si veniſti ad me Iudæis prodendum, vti te veniſſe ſcio, quorſum mihi adeò inimicus tam amicum das oſculum? Sin verò veniſti ad me amicè de more ſalutandum, quorſum amicus tot contra me adducis inimicos? Vnde S. Auguſt. ſerm. 1. de Paſſione: *Oſcularis*, ait, *& inſidiaris, amicum fingis cùm proditor ſis.* Hinc Lucas addit Chriſtum ſubdidiſſe: *Iuda oſculo filium hominis tradis?* Quæ verba maieſtatis æquè ac charitatis plena, findere debuiſſent cor ſaxeum Iudæ, niſi ille ipſum inſtar adamantis ſcelere obſtinaſſet & induraſſet. Porrò Syrus vertit, *ob id veniſti ſocie mi?* ſcilicet vt me magiſtrum, Dominum & Deũ tuum Iudæis tradas & prodas? Arabicus, *heus ad quid veniſti?*

*Mira Chriſti in Iudã manſuetudo.*

Mirum fuit hoc Chriſti manſuetudinis & patientiæ exemplũ, quo Iudam furem & proditorẽ tribus annis tolerauit, nec apoſtolatu aut procuratione priuauit, nec vlli eius ſcelus vtpotè occultum patefecit. Hoc facto docuit nos idem facere, vt iniuriam nobis illatam non vindicemus, ſed amore vincamus.

*Imitatus eam S. Martinus.*

Chriſtum imitati ſunt Sancti; ac nominatim S. Martinus, qui mira manſuetudine omnes ſibi iniurios tolerabat & ſuperabat. Vnde cùm Britius eius Clericus, ipſum aſſiduè calumniaretur & perſequeretur, tantâ lenitate ipſum ſuſtinuit, vt ceteri eius famuli mirarentur, Clericum tam impium ab Epiſcopo ſuo non caſtigari, nec officio priuari. Quibus ille: *Chriſtus Dominus*, ait, *ſuſtinuit Iudam proditorem, ego non ſuſtinebo Britium calumniatorem?* Hâc ſuâ lenitate Britium conuertit, & apud Deum meruit, vt Britius mores corrigens fieret vir ſanctus, ſibique in epiſcopatu ſuccederet; vti idem ipſe prædixit. Ita Sulpitius in Vita S. Martini.

Hîc recto hiſtorię ordine intexenda ſunt, quę ſupplet Ioannes de Iudæis à Chriſto proſtratis in terram. Sic enim ait c. 18. v. 4. *Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit, & dixit eis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis. Vt ergo dixit eis, Ego ſum; abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo, interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire: vt impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

*Ordo comprehenſionis Chriſti.*

Vt ergo Ioannem cum Matthæo ceteriſque concilies, hic fuit rei geſtæ ordo: Iudas ne videretur eſſe proditor Chriſti, aliquot paſſibus turbas, quæ ſecum venerant ad capiendum Chriſtum, anteceſſit, vt ipſe videretur non eſſe ex eis, ſed quaſi aliunde redire, & fortuitò cum aduentu turbarum concurrere: vnde quaſi peregrè rediens oſculatus eſt Chriſtum. Chriſtus oſculum præbuit, ſed vt eum compungeret, ait: *Amice ad quid veniſti?* Vtique in meam necem, ſed magis ad tuam perditionem, iugemque gehennam, atque vt eum confunderet, addidit: *Iuda oſculo filium hominis tradis?* Deinde Iudas poſt oſculum retroceſſit ad turbas à ſe adductas, ita vt Ieſu animosè obuiam turbis hoſtilibus prodeunte, Iudas iam cum illis ſtaret, vt ait Ioannes. Mox Ieſus liberè & intrepidè illos interrogat quem quærant. Reſpondent illi *Ieſum Nazarenum.* Ieſus ait: *Ego ſum*: quo dicto quaſi fulmine icti, tam Iudas quàm omnes turbæ & aſſeclæ eius proſtrati ſunt in terram, idque auersè & retrorſum, vt ſcilicet caderent non in faciem, ſed in dorſum

dorſum reſupini, vt clarè omnibus pateret eos quaſi hoſtes Chriſti, vi & potentia eius repulſos in terram fuiſſe ſtratos & afflictos. Permiſit deinde Chriſtus illos recipere vires & ſurgere, rogauitque denuò quem quærerent: illis iterantibus ſe Ieſum quærere, ſubiecit ipſe: *Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*, vt magis ſe ſuorum quàm ſuiipſius curam gerere oſtenderet. Quo dicto milites & famuli acceſſerunt ad Ieſum, in eumque manus & vincula iniecerunt. Id videns Petrus ſtringit gladium, Malchoque aurem amputat; ſed corripit eum Chriſtus, Malchoque aurem reſtituit, vti mox fuſiùs dicam verſ. 51.

Vbi Nota cum S. Chryſ. & Cyrillo in ca. 18. Ioannis (licet ſecùs ſentiat S. Auguſt. & Ammonius) cohortis & miniſtrorum oculos diuinitùs ita ἀορασίᾳ fuiſſe detentos, vt Chriſtum iam oſculo à Iuda indicatum & obuiam prodeuntem, ac à multis anteà ſæpè viſum cognitumque, agnoſcere non poſſent, multò minùs comprehendere. Id colligitur ex eo, quòd ipſi interrogati à Ieſu: *Quem quæritis?* non reſponderit, Te quærimus, ſed *Ieſum Nazarenum*, quaſi non cognitum & non viſum: imò nec Iudam ipſum tunc Chriſtũ agnouiſſe cenſent S. Chryſ. Cyrillus, Theophyl. in c. 18. Ioan. item Leontius & Theodoretus in Catena Græcorum, qui id colligunt ex eo quod ait Ioan. cap. 18. 5. *Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum cum ipſis.* Iudas enim oſculo dato Ieſu retroceſſit ad cohortem, vt ei tardanti, & immotæ ex aoraſia conſiſtenti innueret accedere, & inuolare in Ieſum iam à ſe oſculo oſtenſum, vt triginta denarios ſibi in pretium proditionis Chriſti promiſſos acciperet, quâ in re ſuam impudentiã & proditionem apertè demonſtrauit. Magis autem retroceſſit ex pauore & horrore illi à Chriſto, æquè ac ſceleris conſcientia incuſſo. Repulit enim Chriſtus illum à ſe & ſuo Apoſtolorum cœtu, vt illum confunderet. q.d. Vade, ô proditor, ad tuos ſatellites, indignus enim es me; meorumque conſortio: vnde & mox Iudam cum cohorte in terram proſtrauit. Hoc ergo fuit primũ Chriſti miraculum, quo ipſe in comprehenſione ſuâ maieſtatem ſuam & omnipotentiam diuinam oſtendit, vt ſcirent Iudas & Iudæi ſe fruſtra veniſſe cum cohorte & armis, dum Chriſtus vi capi non poſſet, niſi ipſe vltrò & dignanter ſe in manus eorum daret. Simili aoraſiâ Deus percuſſit Sodomitas, Geneſ. 19. 11. *Vides vim inſuperabilem*, inquit Chryſoſt. *quomodo in medio eorum exiſtens eos cæcauit?* Et Cyrillus: *Poteſtas ergo diuina Chriſti enituit, qui quamuis ſe quærentibus offerret, minimè tamen cognoſcebatur.*

*Miracula Chriſti capiendi. Primum.*

Symbolicè, S. Auguſt. in cap. 18. Ioan. *Sempiternus dies*, ait, *ita tenebris occultabatur humanis, vt cum laternis & facibus quæreretur, occidendus à tenebris.*

*Secundum.*

Secundum Chriſti miraculum, ait S. Chryſoſt. fuit, quòd ſolo verbo, *Ego ſum*, Iudam cum omnibus ſatellitibus proſtrauerit in terram reſupinos in dorſum, eoſque vt innuit S. Leo ſerm. 1. de Paſſione, priuarit virtute ſentiente & mouente, vt ſe erigere, ſuſtinere & regere non valerent, vti fit in paraliticis. Audi S. Leonem ſerm. 1. *Ego ſum*, inquit, *quod verbum illam manum ita ex ferociſſimis congregatam, quaſi quodam fulmineo ictu ſtrauit atque perculit, vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retroacti corruerent. Vbi fuit ſæuitiæ conſpiratio? vbi ardor irarum? vbi inſtructus armorum? Dominus dicit, Ego ſum, & ad vocem eius turba proſternitur impiorum. Quid iam poterit maieſtas eius iudicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?*

Vnde licèt τὸ *Ego ſum*, ſignificet. q.d. Ego ſum Ieſus, quem vos quæritis, tamen Rupertus ſic exponit: *ego ſum qui ſum*, ſcilicet ſemper ab æterno, ideoque Deus omnipotens, Exodi 3. Porrò S. Hier. epiſt. 140. ad Principiam, cenſet Chriſtum cæleſti quodam vultus ſplendore, hos ſatellites perculiſſe, & proſtraſſe: *Niſi*, ait, *habuiſſet in vultu oculiſq; quidquam ſidereum, numquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli, nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent.*

Allegoricè: hæc Iudæ cum ſuis proſtratio ſignificabat irreparabilem caſum Iudæorum, quòd ex odio Chriſti in perfidia ſua forent obſtinati, & ſalutis penè incapaces. Vnde Cyrillus in c. 18. Ioannis: *Imago*, ait, *caſus ille fuit omnium qui Chriſto aduerſantur, quibus omninò terribilis caſus imminet.* Et S. Aug. ibid. *Vbi*, ait, *nunc militum cohors, vbi terror & munimen armorum? vna vox turbam odijs ferocẽ, armis terribilem ſine telo vllo percuſſit, repulit, ſtrauit: Deus enim latebat in carne: quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hoc fecit?*

*Proſtratio Iudæorum ſignificat caſum eorum.*

Tropologicè, repræſentatur hîc caſus reproborum: hi enim in dorſum cadunt, vt reſurgere non valeant; electi verò ſi peccant, labuntur in faciem, quia mox facti à Deo pœnitentes reſurgunt. Ita S. Gregorius hom. 8. in Ezech. *In faciem noſtram cadimus*, ait, *quia ex malis erubeſcimus, quæ nos meminimus perpetraſſe. Ibi enim cadit homo vbi cõfunditur.* Idem lib. 13. Mor. c. 10. *In faciem cadere*, ait, *eſt in hâc vitâ ſuas vnumquemque culpas agnoſcere, eaſq; pœnitendo deflere. Retrò verò, quò non videtur cadere, eſt ex hâc vitâ repentè decedere, & ad quæ ſupplicia ducatur ignorare.*

*& reproborum.*

Rurſum in faciem corruunt iuſti, qui ea quæ antè ſunt, purà futura & nouiſſima, reſpiciunt; retrorſum verò peccatores, qui ea quæ retro ſunt & prætereunt, ſtatimq; fiunt præterita, purà bona caduca, ambiunt. Ita S. Gregorius 33. Moral. c. 23. *Retro eſt*, ait, *omne quod tranſit, antè verò eſt omne quod veniens permanet.*

Tertium Chriſti miraculum fuit, vt notat S. Chryſoſt. & S. Auguſt. tract. 112. in Ioan. quòd ipſe potenti ſuâ prouidentiâ, verbique efficacia, *ſinite hos abire*, effecerit, vt Iudæi neminem diſcipulorum, ne Petrum quidem, gladium vibrantem auremque ſecantem comprehenderent. Ipſe enim ſolum ſe morti offerens, liberos voluit eſſe diſcipulos, tamquam bonus paſtor animam ſuam ſolus daturus pro ouibus. Vnde Chryſoſt. *Quis*, ait, *continuit Iudæos ne diſcipulos comprehenderent? Nemo alius, quàm qui eos retrorſum proiecerat potentiâ.*

*Tertium.*

Quartum fuit, ſubita auris Malchi reſtitutio & ſanatio, de quâ mox. Vbi aduerte quanta fuerit cæcitas & malitia Iudæorum, quæ viſis tot miraculis Chriſti, auſa fuit illicò in eum manus inijcere.

*Quartum.*

Tvnc accesservnt, et manvs iniecervnt in Iesvm, et tenvervnt evm] Eſt hyſteron proteron, vel certè hæc verba in actu non perfecto, ſed inchoato accipienda ſunt, q.d. Tunc acceſſerunt ad Ieſum, cœperuntque ſe parare, vt ei manus inijcerent; eumque terrerent



rent & caperent. Nam antequam eum reipſa caperent, Petrus vt eius captiuitatem impediret, aurem Malcho amputauit; ſed repreſſit eum Ieſus, & Malcho aurem reſtituit; ac tunc demum ſe Iudæis capiendum ligandumque obtulit, cùm eis exprobrando dixiſſet: *Tamquam ad latronem exiſtis*, vti oſtendam v. 55. & patet ex Lucâ c. 22. v. 53. & 54.

Vers. 51. Luc. 22. 50. Mar. 14. 47. Ioan. 18. 10.

Et ecce vnvs ex his qvi erant cvm Iesv, extendens manvm, exemit gladivm svvm, et percvtiens servvm principis Sacerdotvm, ampvtavit avricvlam eivs.

Vnvs] Scilicet Petrus ceteris feruentior & animoſior, vt patet ex Ioanne cap. 18. Ita S. Hier. Chryſ. & alij. Lucas addit Petrum priùs licentiã petijſſe à Chriſto, dicendo: *Domine ſi percutimus in gladio?* id eſt, ſi placeat, gladio te defendemus; ſed non exſpectato Chriſti reſponſo ob imminens Chriſto captiuitatis periculum, ex ardore gladium ſtrinxiſſe.

Exemit] Syrus, *diſtrinxit gladium.*

Quæres, quis & qualis fuit hic gladius?

Hunc S. Petri gladium fuiſſe cultrum, quo in mactatione vel comeſtione agni vſi fuerunt Apoſtoli, cenſet Toletus in Ioan. c. 18. 10. Fauent S. Chryſoſt. Theophyl. Ioannes Maior, Ianſenius in Matth. 26. cultro enim ſecantur carnes, & amputantur auriculæ. Dubitat Dionyſ. Carthuſianus: & Venetijs oſtenditur hîc gladius, habens ſpeciem magni cultri: Senis quoque ſimilis aſſeruatur.

*Petri gladiũ fuiſſe cultrũ cenſent aliqui.*

Verùm gladium hunc enſem fuiſſe disertè aſſerit Franc. Lucas in Matt. 26. Fauet S. Cyrillus, S. Aug. Tertull. Hilarius, Hier. Beda, Baronius, S. Ambroſius: & ita oſtenditur hîc gladius S. Petri Pariſijs habens ſpeciem enſis.

*Fuiſſe enſem cenſent Patres.*

Tertulliani lib. de Idololatria c. 19. verba ſunt: *Quomodo bellabit, imò quomodo etiam in pace militabit ſine gladio, quem Dominus abſtulit?* &c. *omnem militem Dominus in Petro exarmando diſcinxit.* Petri ergo gladius erat militaris & bellicus, ergo enſis; hoc enim bellant milites, non cultro. S. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum verba ſunt: *Iuſſerat, vt diſcipuli eius ferrum ferrent; ſed non iuſſerat vt ferirent. Ferrum*, ſcilicet enſis: hic enim ferit hoſtem in conflictu: nam culter potiùs ſcindit, vel pungit quàm ferit. S. Hieronymi verba ſunt: *illo gladio* (vſus eſt Petrus) *qui igneus vertitur ante paradiſum, & gladio ſpiritus qui in Dei deſcribitur armatura*, Epheſ. 6. 17. Vterque autem eſt militaris & enſis, vt patet. Eadem ex S. Hieronymo verba habet Zacharias Epiſcopus Chryſopol. in Concord. Euangel. S. Hilarij verba ſunt: *Recondi gladium præcipit, quia eos non humano ſed oris ſui gladio eſſet perempturus*: gladius autem oris Chriſti eſt enſis, vt patet Apocal. 1. 16. & c. 19. 15. S. Ambroſij, dum myſticè hos duos gladios explicat, verba ſunt; *Vnum noui, alterum veteris intelligamus teſtamenti, quibus aduerſus diaboli armamur inſidias*: armamur autem contra hoſtem enſe, non cultro, & vtrumque Teſtamentum non paruo cultro, ſed ingenti gladio comparatur.

Allegoricè paſſim Interpretes per duos gladios accipiunt duplicem Eccleſię poteſtatem, ſpiritalem & temporalem. Idem habetur Extrauag. *Vnam ſanctam*, de Maioritate & obedientia. Idem tradit Ioan. Suarez in Matth. 26. Vnde & S. Paulus magiſtratui obediendum docens; *Non enim*, inquit, *ſine cauſa gladium portat: vindex eſt enim Dei in iram*, Roman. 13. portat autem enſem, non cultrum.

*Allegoricè.*

Rurſum hoc gladio denotatur excommunicatio, quæ hominem ab Eccleſiâ detruncat: hoc autem fit enſe, non cultro.

Multi cenſent Petrum feruidum voluiſſe Malcho caput amputare, vel findere, ſed Dei ductu ictum in aurem cecidiſſe; finditur autem caput enſe; non cultro. Ita cenſet Paulus à Palatio, Ianſenius & Ioan. Maior in Matth. 26. Did. Stella in Lucæ c. 22. & alij. Hinc etiam Malcho declinanti ictum, Petrus dexteram eius auriculã amputauit, cùm alioqui ſiniſtram eius, vtpotè dexterę aduerſam & obuerſam, amputare debuiſſet.

Tropologicè, S. Ambr. per hunc gladium accipit martyrium: *Eſt*, inquit, *etiam gladius paſſionis, vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuijs ematur tibi ſacra corona martyrij.* Atqui Martyres enſe trũcantur capite, non cultro.

*Tropol.*

Accedunt rationes. Prima: gladius hîc græcè vocatur ab omnibus Euangeliſtis vbique μάχαιρα: hæc autem enſem notat.

*Ratio Prima.*

Secunda. Iubet Chriſtus vendi tunicam, vt ematur gladius: ad cultrum autem emendum, non opus eſt vendere tunicam, ſed ad enſem: huius enim pretium tunicæ æquiparatur.

*Secunda.*

Tertia, *qui acceperit gladium, gladio peribit*, ait Chriſtus: ſolent autem homicidæ capite plecti enſe carnificis, non cultro.

*Tertia.*

Quarta: iuſſerat Chriſtus duos gladios afferri ad defenſionem publicam contra totam Iudæorum & militum Romanorum turbam: ergo enſes erant: quid enim duo cultri profuiſſent contra tantam turbam enſibus armatam? quomodo Petrus ſolo cultro armatus eam inuadere auſus fuiſſet?

*Quarta.*

Quinta: gladius apud Latinos enſem ſignificat, non cultrum: diciturque à clade, quam turbę infert, vti aiunt Etymologici.

*Quinta.*

Denique gladius S. Petri, ait S. Chryſoſt. in Encomio vinculorum S. Petri apud Surium die 1. Auguſti, cum catenis eius in regali palatio, vbi Apoſtolo Petro templum erectum eſt, velut ſacratus quidam & cæleſtis theſaurus in intimo loco repoſitus ſeruatur, qui Imperatoribus, & fidelium virorum multitudini ad ſanctitatem proponi ſolet. Cæleſtem enim gratiam confert, curationum copiam ſuppeditat, animas ipſorum eleuans.

Servvm] Cui nomen Malchus, ait Ioan. cap. 18. In eum potiùs quàm in alios inſilijt Petrus, quia eum audaciorem & inſolentiorem proximiùs in Chriſtum inſurgere vidit, quare *aurem viri ferociùs inſtantis abſcidit*, ait S. Leo ſerm. 1. de Paſſione.

Ampvtavit avricvlam eivs] Dexteram, vt habet Ioan. & Lucas: vt ſignificaret, ait Origenes, Iudæos in legendo & audiendo S. Script. perdidiſſe dexteram aurem, id eſt, veram intelligentiam cæleſtium, & retinuiſſe ſiniſtram, vt ſiniſtrè ad carnales ſenſus eam detorqueant.

Porrò S. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. Moyſes, ait, poſt percuſſum Ægyptium, factus eſt princeps Synagogæ; Petrus poſt mutilatum Malchum factus eſt Paſtor Eccleſiæ: exceſſit vterque regulam, non deteſtabili immanitate,

tate, ſed emendabili animoſitate. Peccauit enim Petrus temeritate, quia inſcio, imò inuito Chriſto ſtrinxit gladium, quo ſolus non poterat Chriſtũ defendere contra tot armatos milites & miniſtros: quare amputando aurem Malcho, magis irritauit eos ad ſæuiendum in Chriſtum, & in ipſum Petrum niſi Chriſtus impediuiſſet. Verùm oſtendit ipſe ſuum pro Chriſto ardorem & zelũ licèt vitioſum, ſed caſtigato hoc exceſſus vitio in Pentecoſte, per eum meruit fieri Paſtor & Princeps Eccleſiæ.

Denique Chriſtus reprehendens inhibenſque Petrum, ne vlterius pugnando progrederetur, aurem reſtituit Malcho, vt habet Lucas; vbi mirum dedit tam potentiæ quàm clementiæ ſuæ exemplum: præſertim quia, vt addit hîc Paulus à Palatio: *Theologicum dogma eſt, quem Dominus ſanat, perfectè ſanat. Si Chriſtus Malchum & aure & mente ſanauit, quod potuit maioris eſſe charitatis indicium? quod magis imperturbati animi argumentum?* Sanè plures alios ex hiſce Chriſti perſecutoribus prædicante Petro pœnituiſſe, & ad Chriſti fidem cõuerſos eſſe, liquet Actor. 2. 37. Quid mirum ſi & Malchus, qui ex aure ſibi à Chriſto reddita eius in ſe bonitatem, æquè ac potentiam tam euidenter expertus erat? fecit hoc Chriſtus, tum ne criminationi foret locus, ipſum reſtitiſſe publicis lictoribus & iuſtitiæ miniſtris; tum ad heroicum patientiæ & manſuetudinis exemplum, quale pariter dedit cùm ex Saulo fecit Paulum.

*An Malchũ Chriſtus conuerterit?*

Myſticè Gloſſa, Auris Malchi amputata & ſanata, ait, eſt auditus ablata vetuſtate innouatus, quod eſt regnaturorum cum Chriſto: vnde & Malchus (hebr. מֶלֶךְ *melech*) idem eſt quod *rex*: ſeruitus enim eſt vetuſtas, ſanitas eſt libertas.

Vers. 52. Ioan. 18. 11. *Petrus non benè hîc gladium ſtringebat.*

TVNC AIT ILLI IESVS: CONVERTE GLADIVM IN LOCVM SVVM] Caſtigat hîc Chriſtus Petri temeritatem, quòd præter, imò contra voluntatem ſuam gladium ſtringeret. Erat ergo hîc geminum Petri peccatum: Primum, quòd percuteret contra voluntatem Chriſti: Secundum, quod percuſſio hæc non tam erat defenſio quam vindicta, quâ Chriſtum tantæ turbæ militum eripere non poterat, ſed potiùs illam acriùs in Chriſtum concitabat, ſeque euidenti mortis periculo temerè exponebat; licet Petrus zelo & feruore Chriſti tuendi abreptus, ait S. Chryſoſtomus, hæc vel horum aliqua non conſiderarit, ſed potiùs memor fuerit quod Chriſtus paulò antè duos gladios ſumi iuſſerat: vnde inferebat, id eum iuſſiſſe ad ſe defendendum. Quare percutiendo ſeruum Chriſtum inuadentem, ex mente Chriſti agere ſe putauit. *Ceſſet vindicta ait,* Interlinearis, *exhibeatur patientia, vt patientiam noſtros doceamus, non vindictam.*

*Qui acceperint gladiũ, gladio peribunt.*

OMNES ENIM QVI ACCEPERINT (temerè & propriâ auctoritate, vti faciebat hîc Petrus) GLADIVM, GLADIO PERIBVNT] *Acceperint,* in actu perfecto, ſcilicet ita vt alios feriant, vulnerent, occidant: nam alioqui accipere gladium dumtaxat non eſt malum, quia nulli iniurium. Rurſum accipere gladium publicâ auctoritate ad puniendum ſontes, vti faciunt magiſtratus in tribunali, & principes militeſque in bello iuſto, licitum eſt & honeſtum. Per *gladium* quælibet arma & cædis inſtrumenta accipe. Ita Euthym.

*Prima ratio cur Chriſtus ſe defendi vetet.*

GLADIO PERIBVNT] Id eſt, digni ſunt qui gladio pereant, rei ſunt mortis, lege talionis gladio plectendi ſunt, quæ lex eſt communis omnibus gentibus, & quaſi lex naturæ lata à Deo ſtatim à diluuio, Geneſ. 9. 6. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* Ita Theophyl. hîc, & S. Aug. in Quæſt. veteris & noui teſtamenti c. 104. Chriſtus ergo legem antiquiſſimam de homicidâ morte plectendo hîc renouat, & de nouo ſancit: loquitur enim quaſi nouus nouæ legis legiſlator.

Rurſum *gladio peribunt,* quia ſæpè gladiatores & homicidæ reipſa iuſto Dei iudicio & vindicta, gladio Dei iudicis vel hoſtium in bello aut duello, vel ictibus ſerpentum aut ferarum, &c. pereunt, vti quotidiana docet experientia, multiſque exemplis id confirmat Plutarch. libr. de Sera numinis vindicta. Fuit enim hîc communis gentium etiam barbararum ſenſus, vnde Meliteſes videntes Paulum à vipera inuadi, dicebant: *Vtique homicida eſt homo hic,* quia cùm euaſerit de mari, *vltio non ſinit eum viuere,* Actor. 28. 4.

Porrò Chriſtus hîc *inſinuat,* ait Theophyl. *quòd Iudæi contra ſe gladium accipientes, Romanorum gladio eſſent perituri.* Pro *peribũt* noſter Interpres in Græco legit, ἀπολοῦνται: iam legunt ἀποθανοῦνται, id eſt, morientur; ſed idem eſt ſenſus.

Addit Lucas cap. 22. Chriſtum dixiſſe: *Sinite vſque huc,* id eſt, deſinite vlteriùs ſtringere gladios: ſatis, ô Apoſtoli, percuſſum, ſatis dimicatum eſt, ſic enim ſolemus duobus duellantibus aut pluribus rixantibus, & dimicantibus inclamare: Sinite, ſatis eſt; ne ad vlteriores rixas aut pugnas procedant.

Aliter Caietanus. q. d. *Sinite,* id eſt, permittite, ô Apoſtoli, Iudam & Iudæos ſæuire in me *vſque huc,* id eſt, vſque ad hanc horam eorum, hoc eſt, quamdiu durat hæc eorum hora & poteſtas tenebrarum. Hinc Maldonatus & alij colligunt, ceteros Apoſtolos videntes Petrum tam animosè depugnantem pro Chriſto, ipſos quoque pro eodem voluiſſe certare, ſed prohibitos à Chriſto cum dixit, *Sinite vſque huc. Noluit enim,* ait S. Ambr. in c. 22. Lucæ, *perſecutorum vulnere defendi, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare.* Vnde emblema, *Ex vulnere ſalus:* quod propriè Chriſto competit, *cuius liuore ſanati ſumus,* vt ait Petrus. *Ex vulnere ſalus.*

Vers. 53. AN PVTAS QVIA (quod) NON POSSVM ROGARE PATREM MEVM, ET EXHIBEBIT MIHI MODO PLVSQVAM DVODECIM LEGIONES ANGELORVM?] Eſt ſecunda ratio, qua Chriſtus inhibet prætenſam à Petro defenſionem. q. d. Non egeo te defenſore, qui ad manum habeo omnes angelorum exercitus, quorum vnus omnes illos ſternere ſufficit: ſicut vnus ex eis cecîdit 185. millia Aſſyriorum. 4. Regum 19. 35. *Etenim,* ait S. Chryſ. *ſi vnus angelus centum octoginta quinque armatorum millia interfecit, quid facerent duodecim legiones angelorum in mille viros? Ita ad imbecillitatem atque timorem eorum, qui metu iam ſemimortui erant, ſermonem accommodauit.* Nam ipſe Chriſtus, vtpotè Deus, angelorum ope non egebat, quia, vt rectè aduertit Origenes, *magis angeli opus habent auxilio vnigeniti Filij Dei, quàm ipſe eorum.* Vnde illud Daniel. 7. 10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* *Secunda.*

Porrò, *legio* nomen eſt militiæ Romanorum, qui tempore Chriſti dominabantur Iudeæ & Iudæis: continebat autem ſex millia militum, ait S. Hieron. hîc, & Vegetius lib. 2. de Re milit. cap. 2. ſic *Legio quid?*



ſic duodecim legiones facerent 72. millia angelorum. Alij cenſent legionem continuiſſe 12. millia & quingentos. Legio enim, inquiunt, continebat decem cohortes, cohors 50. manipulos, manipulus 25. milites; hoc computu 12. legiones facerent centum & quinquaginta millia angelorum.

Parcè & modeſtè loquitur Chriſtus. Verè enim dicere poterat: Si velim, Pater meus illicò dabit mihi centum vel mille milliones, imò centum millia millionum angelorum: nam decies millies centena millia aſſiſtunt ei, vt ait Daniel. Angeli enim ſunt innumeri, adeoq; ſuperant numerum omnium creaturarum, etiam hominum, qui vmquam fuerunt, ſunt & erunt, vt docet S. Dionyſius de Cæleſt. hierarch. c. 9. D. Thom. & Scholaſtici 1. p. q. 50. art. 3.

*Angeli in auxilium inuocandi.*

Docet nos hîc Chriſtus in omni periculo, tentatione & afflictione inuocare ſanctos angelos, præſertim cuſtodes noſtros: hi enim ſapientiſſimi ſunt, potentiſſimi, & noſtri amantiſſimi, quia ſciunt hoc Deo gratũ eſſe, imò ſibi imperatum, iuxta illud pſ. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Et pſalm. 33. *Immittet* (hebr. חוֹנֶה *chone,* id eſt, *caſtra metabitur*) *angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos,* vti angelorum caſtra eripuere Iacob è manu Eſau Geneſ. c. 32. 1. & c. 28. & 12. & Eliſeum è manu Syrorum. 4. Regum 6. 17.

Vers. 54. QVOMODO ERGO IMPLEBVNTVR SCRIPTVRÆ (quæ quaſi oracula Dei dicunt & prædicunt) QVIA SIC OPORTET FIERI?] Vt ſcilicet ego Chriſtus capiar, patiar, & moriar ad redimendos homines: *Nam ſi Scripturæ quoque ita videtur,* ait Chryſoſt. *quid vos repugnatis?* Eſt tertia ratio, quâ Chriſtus ſe armis defendi vetat, quòd Scripturas de paſſione ſuâ prophetantes oporteat impleri, qualis eſt pulcherrima illa Iſaiæ toto c. 53. & Dauidis pſalm. 21. & Danielis c. 9. verſ. 26. & ſeq. *Cùm ergo,* ait Origenes, *poſſet accipere legiones, nolebat accipere, vt per patientiam eius implerentur Scripturæ prophetantes de ipſo, quoniam ita eum pati conueniebat.* Hanc enim reuerentiam debemus S. Scripturæ quaſi verbo Dei, vt illi non repugnemus, ſed conſentiamus, illamque in nobis adimpleamus. Dices, Ergo Iudæi non peccarunt occidendo Chriſtum, quia adimpleuerunt Scripturas prædicentes eius cædem. Reſp. S. Athanaſius tract. de Paſſione & cruce, negando conſequ. *Neque enim,* inquit, *inſeruientes propheticis verbis iſta contra Chriſtum auſi ſunt, ſed ſuo ipſimet ſtudio ſponte, volenteſq; illa perpetrauerunt, vt non Propheta iſtarum rerum auctor ſit aut cauſa, ſed ipſorum voluntas; quin potiùs ipſi cauſa fuerunt, vt talia de ipſis Prophetæ prædiuinarent.* Iudæi ergo hoc ſacrilegium, chriſticidium & deicidium ex ſuo ſcelere, malitia & odio in Chriſtum perpetrarunt, idque futurum præuidentes Prophetæ prædixerunt dumtaxat, non autem probarunt, aut Iudæis vt id facerent imperarunt. Deus autem iuſſit Chriſto, vt hoc Iudæorum odium & cædem patiendo in ſe exciperet, itaque pro hominum peccatis ſatisfaceret. Vnde illud:

*Tertia.*

*Cum Iudæi impleuerint Scripturas de occidendo Chriſto, an peccarint?*

*Actio diſplicuit, paſſio grata fuit.*

*Actio* (Iudæorum) *diſplicuit;* *paſſio* (Chriſti) *grata fuit.* Hinc S. Leo ſerm. 1. de Paſſ. *Nihil,* ait, *vobis gratiæ, ô Iudæi, nihil tibi, Iuda, debemus. Saluationi quidem noſtræ, non hoc vobis volentibus, impietas veſtra ſeruiuit, & per vos factum eſt, quidquid manus Dei & conſilium decreuerunt fieri; mors igitur nos liberat, vos accuſat: meritò ſoli non habetis, quod omnibus perire voluiſtis.* Vide dicta Actor. 2. v. 23.

Quartam Chriſti rationem addit S. Ioannes c. 18. 11. dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* q. d. Deus hunc paſſionis calicem ab æterno decreuit, & nunc hoc tempore mihi propinat, cur ergo non auidè illum de manu Dei mei excipiam, lætuſque exhauriam? Nota. Paſſionem & mortem ſuam, quam paulò antè v. 49. vt calicem felleum & amariſſimum, deprecatus eſt Chriſtus; hîc cognitâ Patris voluntate amplectitur vt calicem melleum & ſuauiſſimum. Quid enim ſuauiùs quàm Deo parere, Deo ſe in holocauſtum offerre, Deo ſe victimam pro ſalute hominum efficere? *Quàm dulciter,* ait S. Bernardus ſerm. 2. in Pentecoſte, *Domine Ieſu cum hominibus conuerſatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna, quàm aſpera pro hominibus paſſus es ita vt liceat ſugere mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo? Duro ad verba, duriore ad verbera, duriſſimo ad crucis horrenda; quia in omnibus his ſicut agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum.*

*Quarta.* *Paſſionem ſuam vt calicem melleum amplectitur Chriſtus.*

Vers. 55. Luc. 22. v. 52. 53. Mar. 14. v. 48. 49.

IN ILLA HORA DIXIT IESVS TVRBIS: TAMQVAM AD LATRONEM EXISTIS CVM GLADIIS ET FVSTIBVS COMPREHENDERE ME: QVOTIDIE APVD VOS SEDEBAM, DOCENS IN TEMPLO, ET NON ME TENVISTIS.

Poſtquam Chriſtus caſtigauit Petrum & Apoſtolos gladios ſtringentes, nunc pariter & magis caſtigat Iudam & Iudæos, volentes ſe comprehendere. Vbi miram animi celſitudinem, libertatem & tranquillitatem oſtendit. Dixit enim hæc cùm adhuc eſſet liber, antequam caperetur, atque his verbis iis ſe vinciendum liberrimè obtulit.

*Ordo capturæ Chriſti.*

Hic enim fuit rei geſtæ ordo: Chriſtus proſtratis in terram Iuda & Iudæis, cùm ab eis iam ſurgere permiſſis iteratò rogaſſet, quem quærerent? illique dicerent *Ieſum;* ipſe ait, *Ego ſum,* ac ſe eis capiendum obtulit. Acceſſerunt illi vt eum caperent. Id videns Petrus gladium ſtrinxit, Malchoque aurem amputauit. Mox Chriſtus eum repreſſit & pugnam diremit, ſtatimque Malcho aurem reſtituit. Deinde conuerſus ad Iudæos ait, *Tamquam ad latronem,* &c. q. d. Pudere vos deberet, quòd ad me vt latronem capiendum noctu cum facibus & lictoribus veniatis: ego enim non ſum furtiuus latro, ſed publicus Iudæorum doctor, qui publicè in templo quotidie docui: cur ibi me non cepiſtis? Scio enim quòd ob doctrinam meam, quâ pontificum & Phariſæorum vitam vitiaque redargui, ipſi vos miſerunt ad me capiendum. Sed nimirum ſcio pariter, ipſos non auſos fuiſſe me capere in templo metu populi, qui ab ore meo quaſi magni Prophetæ pendebat. Agite ergo quandoquidem ita vobis lubet, me vt latronem furtiuum furtim hîc comprehendite, en me vobis vltrò offero, & liberè me in manus veſtras dedo, corpus meum vobis in prædam do, illud vincite, trahite, rapite, verberate, lacerate, vt lubet, quâ poteſtate à Chriſto accepta, acceſſerunt ſatellites, Chriſtumque ligarunt & comprehenderunt, vt ſubdit Lucas: qui & addit Chriſtum dixiſſe: *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum,* id eſt, dæmonum & impiorum, quales

quales vos eſtis. q.d. Congruè noctu in tenebris venitis ad me capiendum, quia ego ſum lux mundi, & lucem veritatis in luce diei publicè docui: vos verò, ô Iudæi impij, quia eſtis tenebriones, & lucem hanc fugitis, tenebraſque errorum & vitiorum amatis, idcircò in tenebris me capitis. *Ideo*, ait Beda, *in tenebris aduerſus me congregamini, quia poteſtas veſtra, quâ contra lucem mundi armamini, in tenebris eſt*, Et Theophyl. *Reuera*, ait, *noctis attentatis opera, & poteſtas veſtra tenebrarum eſt: atque idcircò hanc horam obſeruatis; quæ conuenit vobis & operi quo me inuaditis.* Nam vt ait Chriſtus Ioan. 3. v. 19. *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Quocirca S. Leo ſerm. 8. de Paſſione: *Irruerunt*, ait, *in lumen verum, filij tenebrarum, & vtentes faculis atque laternis, non euaſerunt infidelitatis ſuæ noctem, quia nō intellexerunt lucis auctorem. Occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi: qui ſi vellet obniti, nihil quidem in iniuriam eius impiæ manus poſſent; ſed mundi redemptio differretur, & nullum ſaluaret illæſus, qui pro omnium ſalute erat moriturus.*

Porrò non ante, ſed poſt hæc verba Chriſti, Iudæos manum inieciſſe in Chriſtum, eumque cepiſſe & tenuiſſe, patet ex Lucâ, qui poſt hæc verba ſtatim ſubijcit: *Comprehendentes autem eum*, &c. Quod ergo Matthæus v. 50. ante Petri percuſſionem & amputationem auris Malchi, ſtatim poſt oſculum Iudæ ait: *Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum*, ordine partim recto, partim inuerſo & conuoluto dictum eſt. Recto dicitur τὸ *tunc acceſſerunt*: inuoluto τὸ *manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum.* Hoc enim poſteriùs contigit, ſcilicet poſt amputationem & ſanationem auris Malchi: ſi enim tunc manibus ligatis fuiſſet Chriſtus, non potuiſſet ijſdem aurem capiti Malchi applicare & reſtituere. Nimirum Matthæus more ſuo voluit vna ſententia narrare comprehenſionem Chriſti, ne ſecundò cogeretur eam recenſere: quare ſimul narrat id quod priùs contigit, ſcilicet quòd acceſſerunt ad capiendum Ieſum; & id quod poſteriùs accidit, ſcilicet quòd in eum reipſa manus iniecerint, eūque tenuerint.

*Atrox comprehenſio Christi.*

Deniq; quàm atrox, indigna & acerba Chriſto fuerit hæc eius comprehenſio, æſtimari poteſt ex multis. *Primò.* Primò, quòd captus ſit tanquam latro, ipſe qui erat innocentiſſimus, & ſummè in omnes beneficus, imò Sanctus Sanctorum, adeoque qua Deus, ipſa immenſa & increata puritas & ſanctitas. *Secundò.* Secundò, quòd captus ſit ab hominibus viliſſimis, peſſimis, ſibique inimiciſſimis, quales erant Scribæ & Iudæi. Vnde conijci poteſt quàm atrociter inſtar iumenti, imò latronis, ab ijs fuerit ligatus, protruſus, protractus, illuſus, cæſus, blaſphematus. *Tertiò.* Tertiò, quòd Apoſtoli ceterique omnes eum deſeruerint, vt ſolus quaſi agnus innocens, Iudæis ſe in prædam daret. *Quartò.* Quartò, quòd hiſce ſuis vinculis ex æquo voluerit expiare, & diſſoluere vincula peccatorum noſtrorum, quæ grauiſſima & duriſſima ſunt. Vnde Ieremias eum miſerans gemendo & ſuſpirando ait: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in gentibus*, Thren. 4. 20. *Quintò.* Quintò, quòd hiſce ſuis catenis voluerit animare, roburque impetrare Chriſtianis, præſertim Martyribus, vt carceres & catenas animosè ſuſtinerent, in ijſque exultarent & gloriarentur, vti gloriatur Paulus Epheſ. 3. 1. Vbi vide S. Chryſoſt. Multorum autem Martyrum atroces fuere catenæ, ſed longè atrociores Chriſti, vt atrocitatem Martyrum ſuperando leniret.

Porrò turbam hanc fuiſſe mille militum, & inſuper plurium ſatellitum & miniſtrorum pontificum, liquet ex Ioanne c. 18. 12. vbi ait: *Cohors & tribunus, & miniſtri Iudæorū comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum.* Cohors enim continebat mille milites. Vnde pro *tribunus*, græcè eſt χιλίαρχος, id eſt, præfectus mille militum.

Vers. 56. Luc. 22. 53. Mar. 14. v. 49. 50.

Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum] Hæc verba non ſunt Chriſti, vt vult Chryſoſt. ſed Matthæi verba Chriſti v. 54. repetentis, & confirmantis ad hiſtoriæ illuſtrationem, & Chriſti commendationem. q.d. Hæc indigna Chriſti comprehenſio, ceteraq; quæ paſſus eſt Chriſtus, non violentiâ militum, non etiam caſu & fortuitò illi acciderunt; ſed ex deſtinatâ præordinatione, conſilio & decreto Dei, qui præuiſâ Iudæorum malitiâ ab æterno decreuit ſingula Chriſti tormenta, voluitque vt Chriſtus ea in ſe ſuſciperet, & pateretur pro ſalute hominum, ideoque voluit vt Prophetæ ex ore Dei illa prædicerent & prophetarent.

Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt] Ecce hîc adimpletur Chriſti de fugâ hâc vaticinium editum v. 31. *Fugerunt*, quia viderunt iam Chriſtum quaſi ſuperatum, captum & oppreſſum à Iudæis, vt nulla iam euadendi, aut eum iuuandi ſupereſſet ſpes; quare timentes ne & ipſi caperentur, maleq; mulctarentur à Iudæis, Chriſto Domino ſuo tam infenſis & infeſtis, fugam inierunt. Ex fugâ hâc tamen paulò pòſt animum reſumentes rediere Ioannes, & Petrus ſequens Ieſum à longè. Vnde Beda in Marci c. 14. v. 49. *Promptiores fuere*, ait, *ad fugæ præſidium, quam ad fiduciam patiendi cum Chriſto.* Nam, vt ait Origenes, *Nondum erat eis ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*, Ioan. 7. 39.

*An fuga Apoſtolorū licita? Affirmant aliqui.*

Quæres, an fuga hæc Apoſtolorum fuerit licita? Reſp. Nonnulli putant, nullam aut paruam in fuga hac fuiſſe culpam, eò quòd Apoſtoli fide & mente interiùs adhæſerint Chriſto, exteriùs verò fugerint, quia Chriſto prodeſſe non poterant, ſed obeſſe. Sapienter ergo fugiſſe, ne ſe in diſcrimen, vel Chriſtum negandi, vel dura patiendi conijcerent: necdum enim receperant robur Spiritus ſancti: hoc enim poſteà receperunt in Pentecoſte, quo recepto intrepidè ſe Iudæis, carceribus, vinculis, flagellis, crucibus, gladijs, leonibus, ignibus obiecerunt. Fuit ergo hic fugæ actus ex timore imperfectus, & à perfectione conſtantiæ deficiens; at non illicitus & ſceleratus.

*Meliùs negant alij.*

Alij verò cenſent eum fuiſſe illicitum, quia putant eum proceſſiſſe ex diffidentiâ Chriſti, quòd videntes eum capi & obrui à Iudæis, priſtinam in eum fidem & ſpem amiſerint, deſperantes ſe ab eo poſſe iuuari & defendi. Vnde eo inconſulto fugerunt; quare ipſo facto & fuga ſua eius poteſtatem, ipſumque eſſe Chriſtum tacitè negarunt. Vide dicta v. 31. vbi dixi priùs videri verius. Apoſtoli ergo fugientes à Chriſto peccarunt venialiter, quia ſubito & nimio pauore (qui pauido rationem & memoriam eripere ſolet) conſternati,



conſternati, ex puſillanimitate & diffidentiâ, ſine eius iuſſu vel nutu diffugerunt. Experti enim toties Chriſti opem in periculis, eamdem hîc ſibi affore confidere debebant: præſertim cùm viderent Chriſtum ſolo verbo: *ego ſum*, proſtrauiſſe omnes ſatellites, eiſque iuſſiſſe: *Sinite hos abire.* Debebant ergo ab eo conſilium & auxilium petere, ac dicere: Domine adiuua nos. Et quid vis vt faciamus? Et Chriſtus vtique eos adiuuiſſet, & dixiſſet quid eis faciendum eſſet. Quare probabile eſt eos charitatem non perdidiſſe, multò minùs fidem. Vide dicta v. 31.

Addit Marcus c. 14. 49. adoleſcentem quemdam ſequentem, relictâ Iudæis ſindone ſuâ nudum aufugiſſe: quis hic fuerit, & quare id fecerit, dicam in Marco.

Vers. 57. Luc. 22. 54. Mar. 14. 53.

At illi tenentes (græcè, κρατήσαντες, id eſt, poſtquam eum comprehendiſſent, & in ſuam poteſtatem redegiſſent, illi quaſi reo vinctoque dominantes) Ieſum, duxerunt ad Caipham principem ſacerdotum, vbi Scribæ et ſeniores conuenerant] Addit Ioannes cap. 18. 13. Ieſum priùs ductum fuiſſe ad Annam, qui erat ſocer Caiphæ, ſed obiter & quaſi in tranſitu. Fecerunt id vel honoris cauſâ, vt ſeniorem Annam venerarentur, vel quòd Annas præ ceteris optaret & laboraret vt Chriſtus caperetur. Vnde S. Cyrillus & Franc. Lucas putant in domo Annæ perſolutum eſſe Iudæ proditionis Chriſti pretium; vel, vt opinatur S. Auguſt. quòd domus Annæ quaſi in via eſſet euntibus ad Caipham, qui illius anni erat pontifex, de quo plura Ioan. 18. 13. nam in domo, non Annæ, vt nonnulli opinantur ex verbis Ioannis, ſed Caiphæ, contigiſſe primum Chriſti examen, alapamque ei incuſſam, ac Petri primam Chriſti negationem æquè ac duas ſequentes, liquet ex Matthæo, Marco & Luca, idemque inſinuat Ioannes cap. 18. 19. dicens: *Pontifex ergo interrogauit Ieſum.* Pontifex enim anni illius erat Caiphas, non Annas, vt ipſe dixit v. 13. quare quod ſubdit Ioannes v. 24. *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*, intellige per epanalepſin, *& miſit*, hoc eſt, iam enim miſerat Annas Chriſtum ad Caipham pontificem, qui eum, vt paulò antè dixi, examinauit, & interrogauit de doctrinâ & diſcipulis. Reuocat enim Ioannes id quod omiſerat, ne quis ex præcedenti eius narratione putaret Chriſtum ab Annâ, non à Caipha pontifice examinatum. Vnde nonnulli verba Ioan. v. 24. iam citata transferunt & anteponunt, ſtatimque poſt v. 13. vbi narrauit Ieſum ductum fuiſſe ad Annam, ſubijciunt, vti ſubijcit S. Cyrillus. Ita Origenes, S. Auguſt. lib. de Conſenſu Euang. cap. 6. Ianſenius & alij paſſim.

*Ad quem ductus fuerit primùm Chriſtus?*

Conuenerant] Non dicit, conuocabantur, quia iam conuocati erant, cùm Iudas à Caipha ſatellites ad Chriſtum comprehendendum petijſſet: tunc enim Caiphas conuocauit Scribas & ſeniores, vt, adducto à Iudâ Ieſu, ſtatim eum iudicarent & damnarent: immane enim in Chriſtum reprehenſorem ſuum odium conceperant, ideoque ſitiebant eius necem, & ad horam necis anhelabant: quâ de cauſâ in domo Caiphæ *pernoctabant vigilantes*, ait Chryſoſt.

Vers. 58. Luc. 22. v. 54. 55. Mar. 14. 54.

Petrus autem ſequebatur eum a longe vſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro, ſedebat cum miniſtris, vt videret finem] Ceteris Apoſtolis in fuga aliò dilapſis, ſolus Petrus ex fugâ colligens animum, reſtitit, & partim ex curioſitate, partim & magis ex amore Ieſu magiſtri ſui, ſecutus eſt eum iam à ſatellitibus captum, cùm ab eis duceretur ad Annam & Caipham, ſed *à longè*, ne à ſatellitibus comprehenderetur, tum quia diſcipulus erat Ieſu, tum quia Malcho aurem amputarat. Quòd ergo fugit, timoris fuit; quòd redijt, amoris, timorem ſuperantis. Vnde S. Ambr. in Lucæ c. 22. *Petrus*, ait, *in hoc nobis maxima eſt admiratione reuerendus, quod Dominum non reliquit, etiam cùm timeret. Metus naturæ eſt, cura pietatis: alienum, quòd timet; ſuum, quòd non fugit: quòd ſequitur, deuotionis; quòd negat, obreptionis.* In Petro ergo luctabantur timor & amor: hîc amor vicit timorem: ſed mox in tentatione graui timor vicit amorē, cum timens miniſtros negauit Chriſtum.

*Ioan. 18. v. 15. 16.* *Petrus à longè Chriſtum captū ſequitur.*

Vſque in atrium principis ſacerdotum] putà Caiphæ pontificis. Modum & rei geſtæ ſeriem diſtinctiùs narrat Ioannes c. 18. 15. dicens: *Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus autē ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ & introduxit Petrum.*

*An diſcipulus ſequens Chriſtum cum Petro, fuerit S. Ioannes?*

Diſcipulum hunc fuiſſe S. Ioannem Apoſtolum cenſet S. Chryſ. Theoph. Euthym. S. Hiero. in Epitaph. Marcellæ ad Principiam, ac Lyranus, qui ait, Ioannem notum pontifici, quòd ei ſoleret vendere piſces, aut quòd aliquis ex cognatis eius famulus eſſet pontificis. Niceph. lib. 1. c. 28. aliam dat cauſam; ſcilicet quòd Ioannes hereditatem ſuam vendidiſſet pontifici. Verius eſt non fuiſſe Ioannem, nec alium Apoſtolorū, tum quia Apoſtoli erant noti & familiares Chriſti, non verò pontificis. Aſſiduè enim verſabantur cum Chriſto, tum quia ſicut Chriſtus, ſic & diſcipuli eius exoſi erant pontifici: vnde à miniſtris pontificis in eius domum non fuiſſent admiſſi, imò fuiſſent comprehenſi & capti. Quocirca Syrus vertit, *vnus ex diſcipulis alijs.* q.d. Vnus non ex Apoſtolis, qui publici erant Chriſti diſcipuli, ſed ex alijs ſecretis Chriſti diſcipulis, qui eius fidem occultè audiebant & ſectabantur.

Et ingreſſus intro (non in domum, vbi Ieſus examinandus erat à pontifice & concilio, ſed in atrium domus Caiphæ) ſedebat cum miniſtris] *Non appropinquabat loco vbi erat Ieſus*, ait S. Hier. *ne miniſtris aliqua ſuſpicio naſceretur, ſed ſedebat cum eis ad ignem calefaciens ſe, quia frigus erat*, vt habent Ioannes, Lucas & Marcus. Erat enim frigus acre, quale ſolet eſſe noctu die 25. Martij. Peccauit imprudentia & temeritate Petrus, quòd ſe miniſtris inſeruerit, & expoſuerit periculo, vel cum miniſtris lacerandi famam Chriſti, vel, ſi id nō faceret, ſubeundi vincula & verbera, vti euentus docuit. Nam mox rogatus de Chriſto, eum negauit. Verè Eccleſiaſt. c. 3. 27. *Qui amat periculū*, ait, *in illo peribit.* Quare in tentatione & perſecutione debiles & timidi fugiant oportet, vt periculo lapſus ſe ſubducant.

Vt videret finem] An ſcilicet Ieſus à pontifice & concilio damnaretur ad mortem, an abſolueretur, vel ipſe Ieſus ſe periculo liberaret. Si enim damnaretur, ſibi fugâ conſuluiſſet: ſin abſolueretur, ad eum quaſi diſcipulus officiosè rediiſſet.

Prin-

VERS. 59. Mar. 14. 55.

PRINCIPES AVTEM SACERDOTVM, ET OMNE CONCILIVM, QVÆREBANT FALSVM TESTIMONIVM CONTRA IESVM, VT EVM MORTI TRADERENT] A Præmittenda hîc ſunt quæ narrat Ioannes c. 18. 19. dicens: *Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagoga, & in templo quò omnes Iudæi cõueniunt: & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus ſim ipſis, ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem benè, quid me cædis?*

*Interrogatur Chriſtus à pontifice.*

*Hæc interrogauit* Caiphas, ait Euthymius, *volens Chriſtum arguere tamquam nouæ rei inuentorem, ac ſeditioſum, quaſi conciliabula facientem, nouaq; dogmata* B *inferentem.* Pontificis enim erat inueſtigare de hæreticis & hæreſibus, ac nouis ſectis & erroribus. Porrò Ieſus fretus conſcientia & æquitate cauſæ, licèt inter medios hoſtes poſitus, poſito omni eorum metu, animosè æquè ac prudenter & confidenter reſpondet pontifici, ſe publicè docuiſſe, & publicos extare, imò præſentes eſſe, doctrinæ ſuæ auditores & teſtes, licet ſibi inimicos, & in mortem ſuam conſpirantes: ab illis ergo peteret, quid ipſe docuiſſet. Nullum enim certius innocentiæ & ſanæ doctrinæ teſtimonium, quam quod petitur ab auditoribus, iiſque inimicis. Si enim ipſe Chriſtus doctrinam ſuam edixiſſet, dixiſſent ipſum metu damnationis & mortis alia dicere in concilio, quàm publicè docuiſſet. Vnde Chryſoſt. *Non arroganter reſpondet*, inquit, *ſed fretus veritate. Id enim veritatis maximum eſt argumentum, cùm quis inimicos in eorum quæ dicit, teſtimonium adducit.* C Vnde ait, *Quid me interrogas?* &c. q. d. Cur, ô laruate pontifex, me inſidiosè & captiosè interrogas, vt ex ore meo verbum aliquod elicias, ob quod me calumnieris & condemnes: iam per triennium publicè docui in templo: ſcis, vel facilè ſcire potes ex communi populi me audientis ſenſu, quid ego docuerim. Si id neſcis, vanus es pontifex, qui doctrinæ & doctorum publicorum per triennium curam nullam habuiſti. Si tamen nunc id ſcire vis, interroga aſtantes hîc inimicos meos, qui ſæpè me audierunt. Proferant illi, ſi poſſunt, verbum aliquod minùs verè vel ſanè à me dictum. Scio enim eos in veritate id facere non poſſe.

Porrò quod ait Ioannes, *Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu*; S. Cyrillus putat hunc ſenſiſſe ſe tangi verbis Chriſti eò quòd miſſus à Scri- D bis ad Ieſum audiendum & capiendum, eius doctrinam admiratus, rogatuſque cur eum non cepiſſet, reſponderit: *Numquam locutus eſt homo ſicut hic homo*, Ioan. 7. 46. voluit ergo hanc notam delere, dando alapam Ieſu. *Ipſos enim aſtantes monſtrauit*, ait Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 45. *qui & pulchritudinem doctrinæ ſuæ fuerant admirati, & Iudæorum impietatis erant miniſtri.*

*Chriſto colaphus impingitur.*

*Dedit alapam Ieſu*; Syrus, *percuſſit maxillam*, vt adularetur pontifici, quaſi honoris eius vindex. Alapam hanc armatâ, vt videtur, manu incuſſam valdè atrocem, æquè ac ignominioſam fuiſſe liquet ex vultu ſancto, quem Chriſtus impreſſit velo Veronicæ, quod Romæ in baſilica S. Petri religiosè ſeruatur, & in hebdomade paſſionis po- A pulo oſtenditur. Quare meritò ſtupet & exclamat S. Chryſoſt. *Quid hoc impudentius? exhorreſcat cælum, contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſeruorum impudentia.* Et S. Cyrillus; *Vniuerſam*, ait, *creaturam perhorruiſſe puto, ſi ſenſum huius rei habuerit. Dominus enim gloriæ impiâ manu hominis cædebatur.* Mirum eſt manum hanc illicò non exaruiſſe, igniqué contabuiſſe, imò quòd terra dehiſcens viuum hunc hominem non abſorbuerit, miſeritq; in tartara. Impediuit hoc lenitas & charitas Chriſti, expectans vocanſq; eum cum ſocijs ad pœnitentiam & ſalutem, ac reipſa multos ex eis ſanctificans & ſaluans, vt patet Act. 2. 37. Hoc eſt quod de Chriſto gemens, vel magis admirans prædixit Ieremias Thren. 3. 30. *Dabit percutienti ſe maxillã, ſaturabitur opprobrijs.*

Hiſce à Ioanne narratis, iam ſubtexenda ſunt, quæ hîc narrat Matthæus; ſcilicet cùm Ieſus pon- B tificem de doctrina rogantem, remiſiſſet ad ſuos auditores, pontificem ex præſentibus, qui Ieſum audierant, quæſijſſe, num quid praui vel erronei eum docentem audiſſent. *Quærebant* ergo *falſum teſtimonium*, quia verum ſe inuenturos deſperabant, ob ſummam Chriſti ſapientiam, veritatem, & ſanctitatem toti populo notiſſimam.

VT EVM MORTI TRADERENT] Hic enim erat eorum ſcopus, & finis, ad quem falſos teſtes quaſi medium neceſſarium inquirunt, cùm finis & forma tribunalis & iudicij ſit nullum damnare, niſi qui veris teſtibus de crimine conuictus ſit, falſos verò teſtes pœna talionis punire. Volebant enim vt famæ ſuæ conſulerent, non videri latrones, ſed æqui iudices Chriſti: quare litem iudicialem illi intentant, ſed ita vt iudices ſint ipſi eius accuſatores, & quaſi iurati in necem eius hoſtes, quod C eſt contra omnem iudicij formam & æquitatem. Ita Chryſ. *Habitum iudicij*, ait, *& figuram inſidijs prætexunt*; ſcilicet, vt ait Victor Antioch. in cap. 14. Marci, *inſidias ſuas tribunalis ſchemate palliantes.* Rurſum volebant eum per Pilatum, præſidem Romanum damnari ad mortem. Sciebant autem Pilatum more Romano id non facturũ, niſi Chriſto crimen aliquod dignum morte impingeretur, idque per teſtes probaretur. Quærunt ergo principes falſos teſtes contra Ieſum, vt vitæ auctorem & ſaluatorem mundi morti tradant, nimirum quia ipſis inſcijs & inuitis Deus decreuerat, per mortem Chriſti dare nobis vitam præſentem & æternam.

VERS. 60. Mar. 14. v. 55. 56. 57.

ET NON INVENERVNT, CVM MVLTI FALSI TESTES ACCESSISSENT. NOVISSIME AVTEM VENERVNT DVO FALSI TESTES] *Nullam*, ait Origenes, *veriſimilitudinem reprehenſionis inuenerunt in* D *eo, mali licèt eſſent & multi, aſtuti & ingenioſi*, &c. *Adeò munda fuit vita Ieſu, & omnino irreprehenſibilis*: quia quæcumque hi teſtes proferebant, vel falſa erant, vel ſibi inuicem contraria, vel impertinentia, vt propter ea Chriſtus reus mortis peragi non poſſet. *Duo falſi teſtes*: cur dicantur falſi, dicam v. ſeq.

*Falſi teſtes in Chriſtũ.*

VERS. 61. Mar. 14. 58.

ET DIXERVNT: HIC DIXIT, POSSVM DESTRVERE TEMPLVM DEI, ET POST TRIDVVM REÆDIFICARE ILLVD] Dixerat id Chriſtus Ioan. 2. verſ. 19. ſed hoc modo & hiſce verbis; quærebant ex eo Iudæi: *Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?* q. d. Quod ſignum das tuæ poteſtatis, quodque ſis miſſus à Deo; reſpondit Ieſus, eiſque hoc dat ſignum: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Dicuntur tamen hi A *falſi teſtes*, quia licet ex parte verum dicerent, ipſam Chriſti ſententiam citando, tamen ex parte dicebant falſum, quia tam verba, quàm ſenſum Chriſti deprauabãt. Verba Primò, quia Chriſtus non dixerat: *Poſſum deſtruere*, ſed *ſoluite*, id eſt, ſi ſolueritis, vos ſcilicet, nõ ego. Secũdò, quia Marcus ait eos addidiſſe τὸ *manufactum*, dicendo: *Ego diſſoluam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo.* Hoc erat falſum, quia nil tale habet Ioannes. Tertiò, quia Chriſtus non dixerat, *Poſt triduum reædificabo*, ſed *excitabo illud*, hoc eſt, ſuſcitabo à mortuis.

Senſum pariter deprauabant, quia Chriſtus non de templo Salomonis, ſed de corpore ſuo loquebatur, in quo quaſi in templo, plenitudo diuinitatis inhabitabat, Coloſ. 2. v. 9. Vnde ſubdit Ioannes: *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Iu- B dæis enim ibidem ſignum petentibus, Chriſtus dat ſignum reſurrectionis. q. d. Cum ſolueritis templum corporis mei, ego tertio die illud à morte ſuſcitabo, atque ex hoc ſigno cognoſcetis me cæleſtem & diuinum eſſe hominem, è cælis à Deo miſſum. Ita Origenes, S. Hieron. Chryſoſt. & alij. Poterat Chriſtus clarè dicere: Ego à mortuis reſurgam, ſed noluit; voluitque vti ænigmate templi, tum quia apud cauillatores, quales erant Iudæi, non clarè, ſed tectè & ſymbolicè loqui oportet; tum vt hoc obſcuro ſermone daret occaſionem paſſioni ſuæ: ſciebat enim Iudæos ob hoc ænigma malè intellectũ eum accuſaturos, & reũ mortis peracturos. Hinc ſubdit Marcus: *Et non erat conueniens teſtimonium illorum*; vel, vt clariùs habent Græca, *neque ſic erat conueniens teſtimonium illorum* tum ob rationes iam dictas tũ C quia hæc verba Chriſti etiamſi prima fronte videri poſſent inanis eſſe iactantiæ, quòd ſe tã potentem diceret, vt in tribus diebus poſſet templũ diruere & reædificare, nemini tamen erant noxia vel iniuria, vt ob ea Chriſtus reus mortis peragi poſſet.

VERS. 62. Mar. 14. v. 60. 61.

ET SVRGENS PRINCEPS SACERDOTVM AIT ILLI: NIHIL RESPONDES AD EA QVÆ ISTI ADVERSVM TE TESTIFICANTVR? IESVS AVTEM TACEBAT] *Surgens*, ex indignatione, quòd Ieſus taceret, & accuſationem hanc quaſi futilẽ contemneret, & ſilentio confutaret. Rurſum *ſurgens*, vt indignitatem & grauitatẽ criminis Chriſto obiecti oſtẽderet, quaſi Chriſtus hoc ſuo dicto, templi magnificentiam, religionem & ſanctitatem eleuaſſet, & violaſſet. D

*Ieſus tacet: Cur? Cauſa. Prima.*

IESVS AVTEM TACEBAT] Cur? Prima cauſa erat, quia, vt dixi, accuſatio nullum crimen morte dignum continebat, ſed tantùm inanem iactãtiam; quare refutatione non egebat.

*Secunda.*

Secunda: *tacebat*, quòd, *ſciret*, ait S. Hieron. *quidquid tandem reſpondiſſet, torquendum ad calumniam.* Nam vt ait S. Chryſoſt. *Figura ibi dumtaxat iudicij erat, re autem ipſa latronum impetus.*

*Tertia.*

Tertia: *tacebat*, quia totum ſe ad damnationem & mortem à Patre ſibi decretam componebat; quare nolebat ſe excuſando mortem euadere, ſed tacendo damnari & opprimi.

*Quarta.*

Quarta: auctor Comment. in Marcum. c. 14. apud S. Hieron: *Taciturnitas Chriſti*, ait, *apologiam Adæ abſoluit.* q. d. Tacuit Chriſtus, vt ſilentio ſuo ſatisfaceret pro ſtultiloquio Adæ, quo peccatum A ſuũ, de quo arguebatur à Deo, excuſauit, dicens: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*; & mulieris ſe excuſantis dicentiſque: *Serpens decepit me.* Geneſ. 3. 12.

VERS. 63. Luc. 22. v. 67. 70. Mar. 14. 61.

ET PRINCEPS SACERDOTVM AIT ILLI: ADIVRO TE PER DEVM VIVVM, VT DICAS NOBIS SI TV ES CHRISTVS FILIVS DEI] Videns pontifex ſibi à Ieſu non reſponderi, & ob id indignans eum per Deum adiurat, vt per adiurationem & nominis diuini reuerentiam eum reſpondere compellat, *Adiuro*. q. d. Ego pontifex in terris Dei ſum vicarius, quare ex Dei auctoritate mihi commiſſa inuocato in teſtem Deo, tibi mando, teque coniuro, vt reſpondeas: An tu ſis Chriſtus, qualem te eſſe dixiſti & docuiſti. Vide dicta c. 5. 7. Hîc tangit Caiphas punctum litis & cauſæ totius. Ieſus enim dicebat ſe eſſe Meſſiam, B ſiue Chriſtum à Deo ad ſalutem hominum cum ſumma poteſtate miſſum: põtifex verò & ſeniores à Chriſto ſæpè taxati, id pertinaciter negabãt. Caiphas ergo id rogat non vt id cognoſcat, ſed vt eum condemnet. Si enim diceret Ieſus ſe eſſe Chriſtum, eum vt blaſphemũ reum mortis peragebat: ſin diceret ſe non eſſe Chriſtum, replicaſſet, Cur ergo apud populum te pro Chriſto Dei Filio venditaſti? itaque eum vt pſeudoprophetã condemnaſſet, quòd æqualem ſe Deo feciſſet, vti ei obiecêre Iudæi, Ioan. 5. 19. Tota enim odij & inuidiæ pontificum & Scribarum in Chriſtum cauſa erat, quòd ipſe vilis & plebeius, vt videbatur, homo diceret ſe eſſe Chriſtum, Deique Filium, ideoque ſine eorum licentia prædicaret, ac friuolas eorum traditiones contemneret, atque grauia eorum vitia ſceleraque publicè & acriter C caſtigaret.

*Adiuratur à principe ſacerdotum Chriſtus.*

VERS. 64. Luc. 22. v. 69. 70. Mar. 14. 62.

DICIT ILLI IESVS: TV DIXISTI] id eſt *ego ſum*, vt habet Marcus c. 14. 62. Chriſtus adiuratus à pontifice licet peruerſo & inſidioſo, vt calumniam & necem ſibi ſtrueret, reſpondit tamen cãdidè & clarè ſe eſſe Chriſtum, tum vt reuerentiam nomini diuino, per quod adiurabatur, ac ſimul ipſi dignitati pontificiæ, à qua adiurabatur, honorem & obedientiã aliàs debitam deferret. Secundò, vt hoc reſponſo *omnem eorum tolleret excuſationem*, ait Chryſoſt, ne ſcilicet ipſi apud homines, & apud Deum in die iudicij ſe excuſare poſſent, cur in Ieſum non credidiſſent, imò eum occidiſſent, eique dicere: Interrogauimus Ieſum num ipſe eſſet Chriſtus iuridicè in concilio, ipſe verò tacuit vel ambiguè reſpondit, quare non o- D bligabamur eum vt Chriſtum recipere, & in eum credere.

VERVMTAMEN DICO VOBIS: AMODO VIDEBITIS FILIVM HOMINIS SEDENTEM A DEXTRIS VIRTVTIS DEI, ET VENIENTEM IN NVBIBVS CÆLI] *Amodo*, hoc eſt, ex hoc tempore, poſt mortem meam, ſcilicet in die iudicij; nec enim aliàs Chriſtum erant viſuri. *Sedentem à dextris virtutis*, græcè eſt δυνάμεως, id eſt, potentiæ *Dei*. q. d. Videbitis me, qui vobis dumtaxat filius hominis eſſe videor, etiam eſſe verè Filium Dei proprium & naturalem, cùm in die iudicij videbitis me conſidere ad dexteram Dei Patris omnipotentis, id eſt, æqualis cum eo eſſe dignitatis, maieſtatis & gloriæ. Alludit ad pſalm. 109. 1. q. d Ego ſũ ille, de quo Dauid præcinuit: *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis.* Porrò Chri-

ſtus non tantùm quà Deus, ſed etiam quà homo ſedet à dextris Dei, eo modo quo explicui Coloſſ. 3. 1.

Nota. Hoc propriè & directè in die iudicij nõ videbunt pontifices & Iudæi, vtpote reprobãdi, ideoque non viſione Dei beandi, ſed aſpectu diaboli damnandi: verùm indirectè & quaſi in effectu idipſum videbunt. Viſuri enim ſunt tantam Chriſti iudicis maieſtatem gloriam, ſplendorem & pompam angelorum omnium eum ſtipantium, vt non dubitent eum eſſe proximum Deo, imò Deum, & Dei Filium, vt ipſe hîc aſſerit & prædicit: quia tunc experientur eius virtutem & omnipotentiam in piorum glorificatione, & impiorum condemnatione, qui hîc eũ velut abiectum, infirmum & inualidum contempſerunt.

Et venientem in nvbibvs cæli] Alludit ad Daniel. ca. 7. 13. *Ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat*, vt ex eo pontifex cognoſcat Ieſum eſſe illum ipſum, quem Daniel ſignauit, & prædixit iudicem vniuerſi eſſe vẽturum.

*Chriſti corã iudicibus ſuis magnanimitas.*

Vide hîc & mirare magnanimitatem Ieſu, qui inter medios iudices, pontifices & hoſtes damnandus ad mortem, minatur tamen eis ſuum reditum ad iudicium. q. d. Tu ô Caipha, & vos ô principes ſacerdotum, iniuſtè me nunc iudicatis & damnatis, quaſi pſeudoprophetam & pſeudochriſtum: at veniet dies ille, in quo ego, qui nunc reus veſtro tribunali aſto, ſedebo iudex. Tunc vice verſa vos quaſi rei tribunali meo aſtabitis: tũc videbitis me verè fuiſſe & eſſe Chriſtũ. Vos me nunc damnatis ad mortem crucis: ſed ego tunc in eodem hoc loco (Chriſtus enim iudex ſedebit ſuper vallem Ioſaphat, quæ adiacet. Hieroſolymæ. Ioel. 3. 2) vos damnabo ad gehennam ignis flammantis & cruciantis in æternum; quia in me hoc immane ſacrilegium commiſiſtis, quia chriſticidæ & deicidæ fuiſtis, & ſanè ita reuera fiet.

Vers. 65. Mar. 14. v. 63. 64.

Tvnc princeps sacerdotvm scidit vestimenta sva, dicens: Blasphemavit: qvid adhvc egemvs testibvs? ecce nvnc avdistis blasphemiam] *Scidit*, id eſt, *diſſibulauit*, ait Caietan. in Marci capit. 14. ſiue fibulas ſoluit, veſtemque aperuit. Verum hoc frigidum videtur: græcè enim eſt διέῤῥηξε, id eſt diſrupit, diſtraxit, dilacerauit, quia veſtes Iudæorum ſub mento erãt apertæ, vt facilè poſſent per caput humeris iniici, itaque indui & exui: cùm ergo eas ſcindere, id eſt, diſrumpere vellent ſub mento, vtramque fiſſuræ oram manibus arripiebant, ac magna vi reliquum veſtis lacerabant vſque ad cingulum, in ſignũ doloris & indignitatis. Infernè verò eam non lacerabant, ne nudarent partes verendas: carebant enim femoralibus. Fuit hîc mos vſitatus apud Gentiles, vt patet ex Homero & Virgilio, ſed maximè apud Iudæos, vt in luctu vel auditâ blaſphemiâ, quaſi præ zelo honoris Dei, veſtem ſcinderent, id eſt lacerarent, vt fecit Ezechias auditâ blaſphemiâ Sennacherib. 4. Regum 19. 1.

*Sciſſio veſtiũ qualis?*

Porrò illicitè hîc Caiphas veſtem ſcidit, quia ipſe erat pontifex. Pontifici autem id vetitũ erat, iuxta illud Leuit. 21. 10. *Caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet.* Cauſas ibidem recenſui. Scidit ergo veſtem Caiphas, vt inuidiam Ieſu conflaret, eumque quaſi blaſphemum omnibus execrandum damnandumq; obiiceret. Sed ſymbolicè ipſâ ſciſſione ſignificabat, ſcindi iam per mortem Chriſti veterem legem cum ſuo ſacerdotio, quare ſe quoq; pontificatu ab eo priuari. Ita S. Leo ſer. 6. de paſſione. Fecit hoc inquit, *ad exaggerandam auditi ſermonis inuidiam: neſciens verò quid hæc ſignificet inſania, ſacerdotali ſe honore priuauit, oblitus illius præcepti: De capite cidarim nõ deponet, & veſtimenta ſua non dirumpet.* Et Origenes; *conſcidit*, ait, *veſtimenta ſua oſtendens turpitudinem ſuã, & nuditatem animæ ſuæ, & myſterium manifeſtans, conſcindendum eſſe ſacerdotium vetus, & ſcholam ſacerdotij eius, & culturæ quæ ſecundùm literam fuerat.* Et Hier. *Scidit veſtimenta ſua, vt oſtendat Iudæos ſacerdotij gloriam perdidiſſe, & vacuam ſedẽ habere pontifices.* Sic & Chryſ. Theophyl. Euthym. Ianſenius, Barradius & ceteri.

Blasphemavit] dicens ſe eſſe Meſſiam & Dei filium. Pontifex, ne quis verbis Chriſti commoueretur, eiſque fidem haberet, præoccupat, ac crimen blaſphemiæ ei impingit, quod Iudæi mirè horrebant, vt nemo pro Chriſto loqui eũque defendere audeat, ſed omnes eum vt blaſphemum condemnare compellat.

Qvid adhvc egemvs testibvs?] Syrus, *quid ampliùs exquirimus nobis teſtes?* Ecce hîc impius Caiphas prodit ſuam impietatem, quòd non agat vt iudex, ſed vt actor & accuſator Chriſti. Actoris enim eſt quærere teſtes contra eum, quem accuſat. ita S. Chryſoſt.

Qvid vobis videtvr?] Ecce hîc rurſus iniquus pontifex contra ordinem iuris agit perſonam non iudicis, ſed actoris, ipſoſque Chriſti hoſtes & accuſatores facit iudices, eoſque ad Chriſtum quaſi blaſphemum condemnandum, põtificia ſua auctoritate & præiudicata à ſe ſententia, quaſi adigit & cogit. Vnde Chryſoſtom. *Ipſi*, ait, *accuſant, ipſi diſcutiunt, ipſi ſententiam proferunt.* Vers. 66. Mar. 14. 64.

At illi respondentes dixervnt: Revs est mortis] blaſphemus ex lege Leuit. 24. 16. lapidari debebat, vti lapidarunt Stephanum quaſi blaſphemum: ſed hi Chriſtum nõ lapidationis, ſed mortis reum clamant, quia iam apud ſe deſtinarant eum nõ lapidare, ſed in crucem agere. Indignitatem iniquiſſimæ huius ſententiæ pathecitè oſtendit Origenes: *Quantum putas*, inquit *fuit erroris ipſam principalem vitam ream mortis pronunciare, & tantorũ reſurgentium teſtimonio non adſpicere fontem vitæ, de quo in omnes viuentes vita fluebat? Quoniam ſicut Pater vitam habet in ſe, ſic & Filio dedit vitam habere in ſemetipſo.* Quid indignius quàm Filium Dei, qui eſt fons omnis vitæ angelorum, hominum & animalium, eò quòd à pontificè rogatus & adiuratus verum confeſſus erat, ſcilicet ſe Chriſtum Dei Filium, vt mortis reum à toto ſacerdotum concilio damnari? Ille multis cæcis viſum, ſurdis auditum, mortuis vitam reſtituerat, ideoque à ſacerdotibus æmulis & inuidis morti adiudicatur. Verumtamen neſcientes dicunt, ſed alio reſpectu; quia licet Chriſtus in ſe eſſet innocentiſſimus & ſanctiſſimus, tamen noſtra peccata in ſe luenda ſuſceperat. Vnde propter ea reus erat mortis: Chriſtus enim in ſe ſuſcepit ſententiam illam à Deo contra Adam eiuſque poſteros latam: *In quacũque die comederis ex eo, morte morieris*, Geneſ. 2. 17. Voluit enim ipſe mortem noſtram luere, vt

*Chriſtus tãquam blaſphemus à cõcilio Iudaico reus mortis indicatur.*



vt ſua morte nos reuocaret ad vitam gratiæ & gloriæ ſempiternam. Quocirca ipſe ſumma modeſtia, æquitateq; patientiâ indigniſſimam hanc ſententiam ſuſcepit, Deoque Patri ſe quaſi reum mortis in victimam pro peccatis noſtris obtulit, vt docet Iſaias cap. 53. vt nos doceret iniqua hominum iudicia, opprobria, calumnias, cenſuras, &c. æquo animo tolerare, idq; ſuo exemplo ſuiq; amore, vt ſcilicet ei vicem quam poſſumus reddamus, dum pro eius obſequio rei mortis, exilij, carceris, infamiæ, &c. agimur & traducimur, ſicut ipſe pro nobis reus mortis à toto concilio iudicatus & proclamatus eſt.

Tropologicè, Chriſtianus qui peccat, iterum quaſi Chriſtum redemptorem ſuum facit reum mortis, imò quaſi eum occidit & crucifigit, iuxta illud Hebr. 6. v. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Vide ibi dicta. Vnde S. Brigida lib. 1. Reuelat. c. 37. narrat B. Virginem ſibi dixiſſe: *Conqueror quòd filius meus ab inimicis ſuis, qui nũc ſunt in mundo, amariùs crucifigitur, quã tunc Iudæi crucifixerunt eum.* Cauſam ſubdit: *Quia eorum vitia, quibus ſpiritualiter crucifigunt filiũ meum, abominabiliora & grauiora ſunt ei, quàm illorum qui crucifixerunt illum in corpore.*

Quæritur hîc, quando hoc concilium, examẽ & damnatio Chriſti contigerit? Nonnulli putant contigiſſe poſt negationem Petri, tranſactâ nocte, manè ſequentis diei. Id enim videtur dicere Lucas c. 22. 66. Idẽ enim hoc eſſe examen Matthæi cum illo Lucæ apparet, ſi quis vtrumq; cõferat. Quare cenſent hîc in Matthæo eſſe hyſterologiam: omnia enim à v. 59. hucvſque dicta eſſe per anticipationem, ac ponenda c. ſequ. v. 1. ita S. Aug. lib. 3. de Conſenſu Euangel. c. 7. Maldon. & aliqui alij.

*Duplex examen Chriſti.*

Meliùs ſentiunt alij cum Ianſenio, hæc omnia à Matthæo recto ordine poni, ac ſtatim poſt captiuitatem Chriſti paulò poſt mediam noctem, ſtatim vt Chriſtus captiuus adductus eſt ad Caipham, contigiſſe. Duplex enim fuit concilium principum contra Chriſtum, ac bis in concilio Chriſtus rogatus & examinatus fuit, an ipſe eſſet Chriſtus; ſcilicet primò, nocte, de quo hîc: ſecundò, poſtero manè de quo Lucas ca. 22. 66. Nocte enim poſt Chriſti examen & confeſſionẽ, facta eſt illuſio & colaphizatio Chriſti, de qua v. ſequ. vt patet ex aliis Euangeliſtis. Verùm quia nocte non omnes ſenatores aderant: hinc rurſum manè Caiphas coëgit concilium generale, ad quod omnes conuocauit, vt ab eo Chriſtus damnaretur. Vnde in eo Chriſtus quaſi pertinax, blaſphemus & reus maieſtatis, tam diuinæ quòd ſe filium Dei dixiſſet, quàm humanæ, quòd ſe Chriſtum regem aſſeruiſſet, omnium voce damnatus, ac Pilato præſidi traditus eſt, vt is reipſa eũ damnaret & in crucem ageret, de quo cap. ſequ. v. 1. & Lucæ 22. 66. Manè ergo fuit concilium magnum, vt ait Marcus, id eſt, ſummum, quod *Sanedrim* dicebatur.

Vers. 67. Luc. 21. 22. v. 62. 64. Mar. 14. 65.

Tvnc expvervnt in faciem eivs, et colaphis evm cecidervnt, alii avtem palmas in faciem eivs dedervnt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, qvis est qvi te percvssit?] Magna fuit & ferina barbaries miniſtrorum, Chriſto reo iam ad mortem damnato, non compatientium, ſed inſultantium, æquè ac pontificis & ſenatorum id permittentium, imò nonnullorum etiam in eum expuentium, eumque cædentium, vt innuit Marcus. Putarunt ſe id iure facere ex zelo quaſi vindices ſuæ legis & honoris Dei, eò quòd Chriſtus quaſi blaſphemus in Deum, Deique hoſtis, à concilio iam ad mortem damnatus eſſet.

*Barbara miniſtrorum in Chriſtum ſæuities.*

Tvnc expvervnt] Græcè ἐνέπτυσαν, id eſt, inſpuerunt, ſua ſputa & phlegmata ex heſterna crapula fœda, virulenta, putida, horrida intorſerunt, tum *qui eum tenebant*, vt ait Lucas, tum ceteri miniſtri & aſtantes; quin & aliqui è concilio, vt inſinuat Marcus.

*Conſpuerũt Chriſtum.*

In faciem eivs] diuinam & ab omni creatura reuerendam & adorandam, in quam deſiderant angeli proſpicere. Fuit hæc atrox ſcurrarum & viliſſimorum hominum ignominia, & contumelia in Chriſtum Dei Filium, qui ſtupendam hîc oſtendit lenitatem, humilitatem & patientiam, implens illud ab Iſaia cap. 50. 6. de ſe prædictum: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus.* Vbi Forerius ex Hebræo vertit, *tergum meũ dedi percuſſoribus, & genas meas depilantibus: faciẽ meam non auerti ab ignominijs & ſputo* Addit Forer. *Habet vellicatio barbæ dolorem & inſignem contumeliam, ſicut & in faciem ſpuere: ſunt enim pili barbales altè carni impreſſi.* Vnde Clemens Alex. 3. Pædag. cap. 3. *Nefas eſt barbam vellere*, ait, *quæ eſt pulchritudo ingenita, pulchritudo generoſa & ingenua.* S. Hier. in Comment. Iſaiæ 50. 6. vertit, *dedi maxillam meam alapis, & faciem meam non auerti, à confuſione ſputorum.* Vide ibi dicta.

*Atrox iniuria.*

Vnde exclamat Euthymius: *Horrete cælum & terra, vniuerſaq; creatura, in quam faciem, quam intulerunt iniuriam?* Et S. Chryſoſt. eumque ſequens Titus Boſtrenſis in Lucæ cap. 22. *In faciem illam*, inquit, *quam fluctus maris reueriti ſunt, quam ſol in cruce videns radios occuluit, ſpuebant, cædebant, abundè animos ſuos explentes, & vulnera contumelioſiſſima inferentes, colaphis cædentes, & palmas in faciem eius dãtes, &c. Sed quamobrem id faciebant cùm occiſuri eum eſſent? quid enim huiuſmodi illuſione opus erat? crudeles eorum mores in omnibus oſtenduntur, qui quaſi venatores inuenta tandem multo venatu fera, rabiem ſuam in eam exſerunt, ingentem id ſibi voluptatem ſolemnitatemq; exiſtimantes, & quam ipſorum mores in cædem propenſi eſſent oſtendentes.*

Porrò S. Anſelmus de Paſſ. Domini paulò ante medium, B. Virginem ſic inducit loquentem: *Et modico delapſo tempore filius meus adeò conſputus apparuit, quòd quaſi leproſus apparebat.* Et infrâ de flagellatione loquens dicit: *Filius meus ita in ſtuporem & deformitatem tranſmutatus fuit, vt omnibus appareret quaſi lepra percuſſus.*

Et colaphis evm cecidervnt] Græcè, *colaphizarunt eum.* Colaphus eſt verber, quod pugno ſeu manu contracta, in collũ, caput vel dorſum infligitur; alapa, quod manu explicata in maxilla impingitur: vnde alapa plus affert ignominiæ, ruboris & verecundiæ, colaphus plus afflictionis, tumoris & doloris, iuxta illud Comici: *Colaphis tuber eſt totum caput.*

*Colaphizatio Chriſti.*

Alii avtem palmas in faciem eivs dedervnt] Sic quoque Græcum ἐῤῥάπισαν, verterunt Theophyl. Vatabl. & alij: quin & Eraſmus alijque Nouantes. Alij vertunt, *crepidis vel fuſtibus ceciderunt* ῥαπὶς: enim & fuſtem & crepidam

pidam ſignificat. Verùm per catachreſin, hîc alapam denotat: hæc enim propriè in faciem datur: nã Lucas vertit, *& percutiebant faciem eius.* Ergo Chriſtus hîc accuſatur vt impius, depalmatur vt impudens, loquitur vt Dominus, tacet vt innocens, damnatur vt ſacrilegus, conſpuitur diuina facies, munditia paradiſi: conſcinditur pugnis, *qui menſus eſt pugillo aquas, & cælos palma ponderauit,* Iſaię 40. Alapis dehoneſtatur vultus, *paternę gloriæ ſplendor,* Hebr. 1. Velatur oculis, qui animorum conſilia retegit, & omnes introſpicit cogitatus: illuditur, vellicatur in pilis, cæditur, ſcommatis mordetur.

VERS. 68. Luc. 22. 64. Mar. 14. 65.

*Illuditur Chriſtus quaſi ludio.*

DICENTES: PROPHETIZA NOBIS CHRISTE, QVIS EST QVI TE PERCVSSIT?] Irrident Chriſtum, illique petulanter inſultant, quòd ſe Prophetam dixerat, quaſi pſeudoprophetam, imò quaſi ludionẽ & ſcurram. q. d. Si tu es Propheta, propheriza nobis; quis ex nobis primus, quis ſecundus, quis tertius, & ita ex ordine, viciſſim tibi alapam impegerit, quis colaphum, quis ſputum? Videntur enim planè hæc rogaſſe, poſtquã Chriſti faciem velarunt, & velatam percuſſerũt (vt habet Lucas, nam & ante eam velatam Chriſtum percuſſerunt; ſed hîc eam velant vt illudãt Chriſto, dicantque *prophetiza*) ad ludibrium, dicentes & interrogantes: *Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* q. d. Si tu es Chriſtus, ignorare nõ potes occulta. Edicito ergo nobis, quis eſt qui percuſſit? En vt ſcurræ Filium Dei quaſi perſonatum hariolum illudunt.

*Velant faciẽ Chriſti duabus de cauſis.*

Grauiter Theophyl. *Prophetarum Dominus,* ait, *quaſi pſeudopropheta irridetur.* Iudæi ergo in paſſione velarunt faciem Chriſti ad ludibrium, vt riderent eum quòd ſe vocaſſet Prophetam: vnde percutientes rogabant eum, *prophetiza,* id eſt, diuina quis te percuſſerit. Secundò, vt liberiùs eũ verberarent & vexarent, ne diuino vultu eius & oculis abſterrerentur & coërcerentur, ait Ianſen. Maieſtas enim Chriſti radiabat in vultu, ait S. Hier.

*Myſticè.*

Myſticè, ſignificabat Chriſtus velatus ſe abſcondere faciem à Iudæis, illoſque fide & cognitione Dei priuandos & excæcãdos. Vnde ad idẽ ſignificandum Moſes, qui erat typus Chriſti, deſcendens de monte velauit oculos ſuos, vti explicat Paulus 2. Corint. 3. Huc ſpectat illud Moſis: *abſcondam faciem meam ab eis,* Deuter. 32.

*Tropolog.*

Tropologicè, ſignificabat ſe luere peccatum Adæ. Adam enim & Eua primò peccarunt oculis & ore, aſpiciendo & comedendo pomum vetitum; Chriſtus ergo vt hoc expiaret, paſſus eſt velari ſibi os & oculos. Nam vt ait S. Aug. Chriſtus paſſus eſt omnibus membris, quibus peccauit & peccat homo, vt omnia expiaret.

Porrò Chriſtus conſtanti patientiâ hæc omnia ſuſtinuit & ſuperauit. Vnde S. Chryſoſt. *Sicut ipſe,* ait, *nihil leuitatis prętermiſit, ſic ille nihil contumeliæ, nihil impietatis; ſed tam verbis quàm factis furorẽ ſuum explere conati ſunt.* Hiſce probris Chriſtum à Iudæis afficiendum prædixit Sibylla Delphica, cuius carmina extant lib. 1. Sibyllinorum Oracul. vbi ſic canit:

*Sibilla de Chriſto conſputo.*

*——Tunc impius illi*
*Impinget colaphos, viroſaq; ſputa ſceleſtis*
*Iſrael labijs, neque non & fellis amari*
*Apponens eſcam, potumq; immitis aceti.*

Et libr. 8.

*Contundent alapis palmæ (prô crimina) Diuum.*
*Felle fames eius, ſitis illudetur aceto,*
*Scindetur templi velum, mediumq; diei*
*Nox tenebroſa tribus premet admirabilis horis.*

Et Sibylla Erythræa apud Lactant. lib. 4. cap. 18. *Dabit,* inquit, *in verbera innocens dorſum.* Et infrà: *Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum & vnde venit, vt mortuis loquatur.* Et rurſus, *In manus iniquas & infidelium veniet, & dabunt Deo alapas manibus inceſtis, & oribus immundis exſpuent in eum ſalinas venenoſas.*

*Cauſa illuſionis Chriſti.*

Cauſa harum illuſionum fuit; Prima, vt Chriſtus his iniurijs ſatisfaceret pro infinitis peccatis, quibus homines ſummam Deo iniuriam & indignitatem, quantum eſt ex ſe, inferunt. Peccator enim, quantum eſt ex ſe, Deũ conſpuit colaphis alapiſq; cædit; quia eum contemnit, & creaturæ quam amat poſtponit; itaque Deum ſuo honore, & quaſi ſua diuinitate ſpoliat, aliumq; ſibi Deum fingit & conſtituit; ſcilicet auarus Mammonam, luxurioſus Venerem, ebrioſus Bacchum, &c. Ita Origenes: *Vt nos,* inquit, *qui digni fueramus omnes has infamias pati, erueret ipſe pro nobis paſſus eſt eas &,* vt ait auctor Comment. in Marcum apud S. Hieronymũ: *Opprobria eius noſtrum abſtulere opprobrium,* imò æternum nobis honorem conciliarunt. Et S. Athanaſius, *Non Chriſtus,* inquit, *ſed nos in Chriſto patiebamur.* Voluit ergo Chriſtus tot & tam dira pati, vt magis Deum honoraret, eiuſque offenſę & iniuriæ magis ſatisfaceret, ſicut is qui occidit regem, miris tormentis excruciatur, vt honori regis & offenſæ reip. ſatisfiat: ideoque Chriſtus deſiderabat maiora pati, idque per plures annos. Quare hæc eius paſſio magis honorauit Deum, quàm culpa Adæ Deum offenderat, eiuſque honorem læſerat. Adde homines ſcelerati illudunt Deo, nouoſque modos peccandi, eique illudendi adinueniunt: voluit ergo Chriſtus illudi, & adinuentiones ſcelerum adinuentionibus illuſionum luere & expiare.

*Secunda.*

Secunda, vt apicem patientiæ & virtutis exprimeret. Vnde Victor Antioch. in Marci 14. *Patientiam,* ait, *conſtanter retinet, ſummæ per hæc omnia tolerantiæ & patientiæ formã ſeipſum nobis proponens.* Voluit enim Chriſtus in ſua paſſione & cruce; depingere quaſi ideam perfectiſſimæ patientiæ, & virtutis cuiuſlibet. Si quis ergo ſpecimen ſummæ humilitatis, manſuetudinis, obedientiæ, patientiæ, conſtantiæ, charitatis, &c. deſideret, Chriſtum patientem & crucifixum intueatur, & quoad poteſt, imitetur, & moribus exprimat, iuxta illud: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte* (Sina, & myſticè Caluariæ) *monſtratum eſt,* Exodi 25. 40. Præclarè S. Bernardus ſerm. in feria VI. hebdom. pœnoſæ: *Mirabilis,* ait, *Paſſio tua Domine Ieſu, quæ paſſiones omnium noſtrum propulſauit: propitiata eſt omnibus iniquitatibus noſtris, & nullè vmquã petitioni noſtræ inuenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte ſaluetur? In hac igitur paſſione, fratres, tria ſpecialiter conuenit intueri: opus, modum, cauſam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in cauſa charitas commendatur.*

*Tertia.*

Tertia vt animaret Martyres ad ferendum omnia tyrannorum probra, verbera, tormenta, ac fideles ad tolerandum quælibet vilipendia, & quaſlibet iniurias à quocumque & quolibet ſibi illatas. Vnde Euthymius; *Vniuerſa,* ait, *magno animo ſuſtinebat, docens nos iniurias tolerare:* vt quaſi



*Chriſtus, adamas patientiæ.*

quaſi adamantes ex adamãte Chriſto hauriamus adamantinam in omnibus conſtantiam, & patientiam, iuxta illud Iſaię 50. 7. *Poſui faciẽ meam, vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar: iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi?* Adamas quò magis malleo percutitur, eò magis duratur & reſiſtit, adeoque malleis non frangitur, ſed ipſe reſiſtendo frangit malleos; ita quo magis affligimur, magis animi robur oſtendamus, vt noſtra patientia vincamus & rumpamus aduerſariorum odium & impatientiam. Hoc eſt quod Deus ait Ezech. 3. 9. *Vt adamantẽ & vt ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorũ.* Rurſum adamas frangit adamantem, ſic patientes quaſi adamantes rumpant obſtinatam impiorum malitiam, de quibus ait Zachar. ca. 7. 12. *Cor ſuum poſuerunt vt adamantem ne audirent legem. Nihil enim eſt tam durum, quod non duriore vincatur,* ait S. Bernardus. Porrò S. Athanaſ. ſerm. de cruce; *Perinde,* inquit, *ac ſi quis ſaxum manu percutere velit, petram quidem non ſcindit, ſed manum vulnerat; ſic & qui aduerſus Dominum moliebantur, velut audẽtes aduerſus id quod erat incorruptibile, corrupti ſunt; & tamquam aduerſus immortalem machinantes, ipſi potiùs mortui ſunt.*

Vnde Iudæi ob hæc opprobria Chriſto illata à Deo reprobati, omnium probris expoſiti fuêre. *Propterea,* inquit Origen. *receperunt alapam æternã, & omni deinde propheta priuati ſunt; Ieſum autem, quia humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad palmas, vſque ad confuſionem ſputamentorum & flagellorum, & mortis, exaltauit Deus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.*

Nota. Poſtquam Caiphas cum concilio noctu Chriſtũ reum mortis, proclamauit, illi quaſi blaſphemo & damnato inſultarunt per totam reliquam noctem, teſte S. Aug. lib. 3. de Conſ. Euangel. cap. 6. ſcilicet per tres horas pontificis & principum miniſtri, nonnulli etiam ex principibus, ceteri verò ſoluto concilio quieti & ſomno ſe dederunt manè ad concilium redituri, vt cauſam mortemque Chriſti peragerent.

*Quinque illuſiones Chriſti per tres horas.*

Quocirca Chriſtus totâ reliquâ nocte varijs & atrocibus iniurijs doloribuſque, ex odio Iudæorum & petulantia famulorum, affectus afflictuſque fuit; ſcilicet Primò, alapis & colaphis. Secundò, ſputis in faciem eius angelicã exſcreatis; Tertiò, conuitiis tum alijs, tum illo quo velata facie illuſerunt ei: *Prophetiza nobis Chriſte.* Vnde addit Lucas: *Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.* Quartò, quòd ei vulſerint genas, barbam expilarint, alijſque indignis modis tractarint, vt prædixit Iſaias c. 50. 6. Quintò, paſſus eſt acrem iniuriã & dolorem ex negatione Petri, qui erat caput Apoſtorum: atque hęc omnia mira animi ſuauitate, æquè ac fortitudine ſuſtinuit.

Sapienter & piè S. Bernardus ſermon. 43. in Cant. ad illa cap. 1. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* faſciculum hunc contexit & componit & petulantium famulorum ſputis, colaphis, conuitijs, exprobrationibus, &c. additque: *Mihi hîc ſalutaris faſciculus ſeruatus eſt. Nemo tollet eum à me, inter vbera mea commorabitur. Hæc meditari dixi ſapiẽtiam, in his iuſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his diuitias ſalutis, in his copiã meritorum. Ex his mihi interdũ potus ſalutaris amaritudinis, ex his rurſus ſuauis vnctio conſolationis. Hæc me erigunt in aduerſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiaq; vitæ præſentis, via regia incedenti tutum præbent vtrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando.*

VERS. 69. Luc. 22. 56. Mar. 14. 67. Ioan. 18. 17.

PETRVS VERÒ SEDEBAT FORIS IN ATRIO: ET ACCESSIT AD EVM VNA ANCILLA, DICENS: ET TV CVM IESV GALILÆO ERAS] Pertextâ hiſtoriâ examinis, condemnationis & illuſionis Chriſti in domo Caiphæ, redit Matthæus ad Petrum, quem v. 58. Chriſtum ſecutum vſque in atrium narrarat: quare pari modo hîc trinam eius Chriſti negationem ſimul pertexit: etiamſi illæ horis diuerſis & interſtinctis contigerint.

SEDEBAT] ad ignem cum miniſtris ſe calefaciens. Dices, Ioannes ait Petrum ſtetiſſe. Reſp. Stare apud Hebręos ſępè ſignificat eſſe præſentem, ſiue adeſſe, non verò certum ſtandi ſitum, vt patet Ioan. 1. 26. Rurſum Petrus nunc ſtabat, nunc ſedebat, vti ſolent facere famuli in aulis principum, & apud ignem.

FORIS IN ATRIO] Dices. Si erat Petrus foris, quomodo ergo v. 58. dixit illum ingreſſum intrò in domum in atrium? Reſp. Erat foris nõ reſpectu oſtij domus Caiphę, ſed reſpectu aulæ interioris, in qua erat Chriſtus examinatus à concilio. Erat ergo intra domum, quia erat in atrio exteriori, erat tamen foris reſpectu aulæ interioris, in qua agebatur concilium. Vnde S. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ: *Vbi verò,* ait, *negauit Ieſum Petrus? in prætorio Iudęorum, in ſocietate impiorum.* Et Beda in Marci cap. 14. *Quàm nociua,* ait, *impiorum colloquia! Petrus ipſe inter miniſtros pontificum vel hominem ſe noſſe negauit, quem inter condiſcipulos Dei filium fuerat confeſſus.*

ANCILLA] Græcè παιδίσκη, id eſt, ancillula, ſcilicet vilis & infimi ordinis, putà oſtiaria, vt habet Ioannes, quæ oſtium domus pulſantibus aperiebat, & exeuntibus claudebat. Ex hoc magis liquet infirmitas & pauor Petri, qui vilis ancillulę, ait Chryſoſt. interrogatione perculſus & proſtratus negauit Chriſtum, qui poſtea recepto Spiritu ſancto, nec Caipham, nec totum conciliũ extimuit, dicens: *Oportet magis Deo obedire, quàm hominibus,* Actor. 4. Hinc diſce, quàm fragilis ſit homo præfidens ſibi, ideoque derelictus à Deo; ac viciſſim quàm idem ſit fortis, ſi ſibi diffidat ac fidat Deo. *Petrus ſine Spiritu voci ancillæ ceſſit, cum Spiritu nec principibus, nec regibus cedit,* ait Auctor Comment. in Marcum apud Hieron.

*Ancilla agnouit Petrũ ex pauore.*

Quæres, vnde hæc ancilla præ viris & miniſtris, qui Petrum in horto cum Chriſto viderãt, eum eſſe Ieſu diſcipulum agnouit? Reſp. Quia erat oſtiaria, ideoque accuratè obſeruabat qui & quales erant ingredientes & egredientes. Obſeruauit ergo Petrum, viditque eum non eſſe è miniſtris, ſed peregrinum, pauidum, vultuq; mœſto & conſternato: inde coniecit eum eſſe aſſeclam Ieſu, qui ſecutus Ieſum ſcrutaretur quid de eo a concilio fieret. Hoc enim ſagaces oſtiarij ſtatim odorari ſolent, quia difficile eſt celare animum, nec prodere vultu. Fortè etiam aliàs viderat Petrum cum Ieſu & Apoſtolis per vrbẽ progredientem, vel in templo Ieſu aſtantem, ac curioſè eius phyſiognomiam, ſtaturam, habitumq; notarat.

GALILÆO] Quia Ieſus erat Nazarenus: Nazareth autem erat in Galilæa, Vocat Galilæum, tum quaſi vilem & deſpectum à Iudæis, qui cen-

cenſebant Prophetas nullos prodire è Galilæa, ſed tantùm è Iudæa. vnde aiunt Ioan. 7. 62. *A Galilæa Propheta non ſurgit:* tum quaſi nouatorem & ſeditioſum, quaſi qui aſſecla ſit Iudæ Galilæi, qui concitans Iudæos ad negandum Romanis cenſum, cùm ſuis ſequacibus interemptus eſt, Actor. 5. 37.

VERS. 70. Luc. 22. 57. Mar. 14. 68. Ioan. 18. 17. *Prima negatio Petri.*

AT ILLE NEGAVIT CORAM OMNIBVS, DICENS: NESCIO QVID DICIS] Petrus videns ancillam coram omnibus non tam interrogando, quàm aſſerendo ipſum eſſe è comitatu Ieſu, ſe prodere, timens ne caperetur, conſtanter coram omnibus negat, ac vt negationi fidem faciat, dicit adeò ſibi nouam & peregrinam eſſe hanc eius interrogationem, vt neſciat quid illa dicat & roget. q. d. Adeò neſcio quis ſit Ieſus, vt neſciam quid de eo dicas & roges: neſcio enim quis & qualis ille ſit, an habeat diſcipulos; qui & quales illi ſint. Fuit hoc mendacium, idque in re fidei, perinde ac qui nunc à Paganis rogatus, an ſit Chriſtianus, negat ſe eſſe, quod eſt peccatum contra fidei profeſſionem, de quo Petrus audierat Chriſtum monentem & minantem: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt*, Matth. 10. 33. Sed Petrus vt ait Victor Antioch. in cap. 14 Marci, *ſubita illa conſternatione, animiq́ perturbatione obcæcatus, Dominicæ illius comminationis penitus oblitus fuerat.* Vnde eius lapſum miſerans S. Auguſt. in Ioan. c. 18. exclamat: *Ecce columna firmiſſima ad vnius auræ impulſum contremuit, vbi eſt illa promittentis audacia, & de ſe plurimum præſumentis? vbi ſunt verba illa, quando ait: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo? Sed quid mirum ſi Deus vera prædixit, homo autem falſa præſumpſit?*

*Dionyſius Carth. ait Petrum ſexies Chriſtū negaſſe.*

NEGAVIT] Quæres, quoties Petrus negauit Chriſtum? Reſpondet Dionyſ. Carthuſ. ſexies; ſcilicet ter in domo Annæ, vt innuit Ioannes & ter in domo Caiphæ, vt expreſsè habent Matthæus, Marcus & Lucas. Idem videtur colligi ex S. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euang. c. 6. Addit Caiet. in c. 18. Ioan. Petrum ſepties negaſſe Chriſtum; ſcilicet ter interpellatum à feminis, & quater à viris.

Verùm communis S. Cyrilli in Ioan. ca. 18. S. Ambroſij in Lucę ca. 22. S. Hieron. Euthymij & aliorum hîc ſententia eſt. Petrum ter dumtaxat negaſſe Chriſtum, idque expreſsè prædixit Chriſtus verſ. 34. *Ter*, inquit, *me negabis.* Idem patet hîc ex narratione Matthæi, qui ſuccinctè, ſed optimo ordine hiſtoriam Chriſti & negationem Petri in ſequentibus recenſet.

*Ordo negationū Petri.*

Ad argumentum iam reſpondi v. 57. vbi oſtēdi hæc omnia contigiſſe in domo non Annę, ſed Caiphæ.

Porrò diuerſimodè trinam hanc Petri negationem narrant Euangeliſtæ. Vnde vt eos inter ſe cōcilies, Nota Petrum Primò, negaſſe ſimpliciter Ieſum in atrio, cùm rogaretur à prima ancilla, vt ait hîc Matthęus. Secundò, verò eum negaſſe cum iuramento, dum rogaretur à ſecunda ancilla, vt narrat Metthæus v. ſequenti: Tertiò demum, cùm magis vrgeretur, eumque negaſſe cum execratione deuouendo ſe diris, vti refert Matth. v. 74.

Nota. S. Hilarius hîc, & S. Ambroſius in Lucæ c. 22. videntur dicere Petrum in hac Chriſti negatione non fuiſſe mentitum, ſed ambiguè locutum: nec enim mentiebatur, inquiunt, qui eum hominem ſe noſſe negabat, quem Deum cognoſcebat. q. d. *Cum illo, quem hominem nuncupatis, non fui, ſed à Dei filio non receſſi*, ait S. Ambroſ. *neſcio quid dicas, hoc eſt ſacrilegia veſtra neſcio.* Illos tacito nomine refellit hîc S. Hier. imò Chriſtus, dicens & prædicens Petro v. 34. *Ter me negabis.* Sed excuſari poſſunt S. Hilarius & Ambroſius, quòd tantùm dicere voluerint, ita Petri verba fuiſſe temperata, vt verum piumque ſenſum ex eis quis elicere poſſet, ac Petrum corde & animo non negaſſe Chriſtum; at ore ambiguè locutum, ita vt verba negationis eius in bonum trahi queant ſenſum.

*An Petrus fidem perdidit.*

Certum eſt ergo Petrum ore negaſſe Chriſtum, ideoque peccaſſe mortaliter. Ita S. Chryſoſt. hîc, & S. Auguſt. tract. 113. in Ioan. Quare Petrus hîc Dei gratiam & charitatem negando perdidit: an fidem perdiderit, dubium eſt. Negant S. Ambroſius, Hilarius & eorum ſequaces. Aſſerunt alij. Sanè ſi quis Apoſtolorum fidem Chriſti retinuit (de quo dixi verſ. 31.) Petrus retinuit, pręſertim quia mox reſpiciente eum Chriſto reſipuit, & fleuit amare conſcientiam & culpam negationis Chriſti: ergo eius fidem mente retinebat: hæc enim fides eum excitabat ad pœnitendum & flendum.

Nota Secundo. Permiſſus eſt adeò grauiter labi Petrus tribus de cauſis. Prima eſt originalis, quòd nimis ſibi arrogarit, ſuæque conſtantiæ præfiſus ſit. ita S. Baſil. hom. de humilitate. Secūda eſt comitans, quod temerè, ſciens ſe fragilem & pauidum, ſocietati impiorum miniſtrorum qui Ieſum ceperant, ſe miſcuerit. Tertia, finalis, vt futurus ipſe Paſtor Eccleſię, ſuo lapſu diſceret lapſis compati, & omnium peccatorum miſereri, aque ſuo exemplo omnibus peccatoribus verum pœnitentiæ daret exemplum. Ita S. Chryſ. hîc, S. Leo ſerm. 9. de Paſſ. S. Gregorius hom. 21. & alij, iuxta illud:

*Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.*

*Error Petri*, ait S. Ambroſius, *doctrina iuſtorum eſt: & titubatio Petri, omnium petra eſt, & noſtra firmitudo.*

Denique hæc fuit prima Petri negatio Chriſti, quæ contigit paulò poſt mediam noctem, cū primùm galli canere ſolent. Nam Marcus poſt negationem hanc ſtatim ſubdit: *Et exÿt* (Petrus) *foras ante atrium*, in veſtibulum quod erat atrio contiguum ſub dio. Vrgebat Petrum ad exitum timor, ne ancilla rurſum inſtaret, vrgeretque illum eſſe Ieſu diſcipulum, ſed Petrus timori huic prætexit aliam cauſam, v. g. ſtudium captandi noui liberique aëris.

ET GALLVS CANTAVIT] Primus hic galli cantus Petrum à lapſu ad pœnitentiam non excitauit, nec eum quin iterum laberetur, & Chriſtum negaret, retinuit, ait S. Chryſoſt. ſed ad hoc opus fuit, vt Chriſtus eum reſpiceret, & lapſus ſui admoneret, de quo mox.

VERS. 71. Luc. 22. 58. Mar. 14. v. 68. 69. Ioan. 18. 25. *Secunda negatio Petri.*

EXEVNTE AVTEM ILLO IANVAM, VIDIT, (id eſt, animaduertit, ait S. Auguſt.) EVM ALIA ANCILLA, ET AIT HIS QVI ERANT IBI: ET HIC ERAT CVM IESV NAZARENO] Hæc eſt ſecunda tentatio & negatio Petri, quę contigit poſtquam ille è veſtibulo, ad quod egreſſus erat, vti iam dixi, regreſſus in atrium cum miniſtris, rurſum aſſedit igni, vt hac libertate ſe ab

accu-



accuſatione ancillæ purgaret, ſeque non eſſe diſcipulum Chriſti probaret. Sed hîc in nouum incidit tentationis laqueum: nam ab alia ancilla agnitus, rurſumque interrogatus, ſecundò negauit Chriſtum, qui tunc vocabatur per contemptum *Nazarenus*, quaſi nouæ ſectæ auctor, ac velut illius æui hæreticus. Ita S. Auguſt. libr. 3. de Conſenſu Euang. cap. 6. qui & addit: *Liquidò, colligitur collatis de hac re omnibus Euangeliſtarum teſtimoniis, non ante ianuam ſecundò Petrū negaſſe, ſed intus in atrio ad ignem: Matthæum autem & Marcum commemoraniſſe exiſſe eum foras, regreſſum eius breuitatis cauſa tacuiſſe.*

VERS. 72. Luc. 22. 58. Mar. 14. 70 Ioan. 18. 23.

ET ITERVM NEGAVIT CVM IVRAMENTO: QVIA NON NOVI HOMINEM] Cum ancilla interrogante Petrum concurrerunt alij ab ancilla excitati, vt patet ex Luca & Ioanne, idem interrogantes, & contra illum inſtantes: quare Petrus validiore reſpōſo ſibi opus eſſe aduertēs, negationi addidit iuramētum, id eſt, periurium: quia, vt S. Gregor. *Peccatum quod pœnitentia non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit:* tum quia conſcientiam grauat, deprimit & debilitat: tum quia peccator videns ſe peccaſſe, iā cogitat ſe lapſum eſſe, ac parui referre ſi rurſum in idem peccatum labatur; ſicut qui lapſus eſt in lutum, parum curat ſi ſecundò labatur. Sic Chriſtiani nonnulli cùm lapſi ſunt in fornicationem, vel crapulam, illicò eam iterant & frequentant, cogitantes: Iam lapſi ſumus, labamur iterum, & voluptate eadem fruamur, quia eadē confeſſione & pœnitentia ſimul omnia abolebimus. Sed errant, tum quia ſecundū peccatum noua eſt Dei offenſa, nouumque vulnus priore nocētius animę infligit: tum quia difficilior eſt pœnitentia poſt iteratum & frequentatum peccatum, quàm ſit poſt primum lapſum: *perſeuerantia quippe in peccato dat incrementum ſcelerum*, ait Rabanus. Huc adegit Petrum ſocietas impiorum, quam ne quidem poſt primū lapſum deſeruit; cùm id omnino facere debuiſſet, vtpote iam expertus eius noxam, & ſuam coram ea infirmitatem.

VERS. 73. Luc. 22. 59. 60. Mar. 14. v. 70. 71. 72.

ET POST PVSILLVM ACCESSERVNT QVI STABANT, ET DIXERVNT PETRO: VERE ET TV EX ILLIS ES: NAM ET LOQVELA TVA MANIFESTVM TE FACIT:

VERS. 74. Ioan. 18. v. 26. 27. *Tertia Petri negatio.*

TVNC COEPIT DETESTARI, ET IVRARE QVIA NON NOVISSET HOMINEM.

POST PVSILLVM] ſcilicet *interuallo facto quaſi horæ vnius*, ait Lucas. Miniſtri enim intenti in Ieſum eiuſque examini ad oſtium auſcultantes minùs intendebant Petro; ſed mox reuerſi ad ignē, intendentes in Petrum eum tertiò tentarunt, & ad tertiam negationem compulerunt. Cauſam attulerunt: *Nam & loquela tua manifeſtum te facit*, ſcilicit te eſſe Galilæum Ieſu Galilæi diſcipulum quia eo accentu, dialecto & proprietate verborum loqueris, quo loquuntur Galilęi, ſicut in Italia alia dialecto loquuntur Romani, alia Neapolitani, alia Veneti, etſi omnes loquantur italicè. Acceſſit & alia accuſatio Petri: nam cognatus Malchi, cuius Petrus abſcidit auriculam, dixit: *Nónne ego te vidi in horto cum illo?* vt refert Ioannes cap. 18. Quare Petrus videns ſe vndique premi, ad extrema quaſi adactus, *cœpit deteſtari & iurare, quia non nouiſſet hominem*, dicendo more Hebręo: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi noui Ieſum: terra mihi dehiſcat, fulmen me afflet, cęlites me perdant, ſi Ieſu ſim diſcipulus. Pro *deteſtari* græcè eſt καταναθηματίζειν, quod compoſitum eſt ex ἀναθεματίζειν, id eſt, anathematizare, ſiue anathema, id eſt, execrationem ſibi imprecare & diris ſe deuouere ac prępoſitione κατὰ, quæ vim verbi cui additur auget & intendit. *En quò alij magis vrgent & affirmant, eò Petrus vehementiùs iurat, & obſtinatius agit*, ait Victor in Marci. c. 14. *Conſidera hîc*, inquit Cyrillus libr. 12. in Ioan. ca. 1. *quales ante Spiritus ſancti aduentum Apoſtoli fuerint, & quales poſtquam ex alto virtute induti fuerint, effecti ſint:* qui enim hîc ad vocem ancillæ & ſerui trepidat, ille poſtea pontificibus audacter vſq; ad verbera ſeſe oppoſuit.

ET CONTINVÒ (Syrus, *in illa ipſa hora*, vel *momento*) GALLVS CANTAVIT] vt Petrum prædictionis Chriſti memorem redderet, & à lapſu ad pœnitentiam prouocaret. Addit Lucas: *Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini ſicut dixerat: Quia priùs quàm cantet gallus, ter me negabis.* Reſpectus Chriſti ergo quo reſpexit Petrum, vt docet S. Ambroſius, fuit cauſa, vt Petrus qui priorem galli cantum non aduerterat, hunc poſteriorem aduerteret, eoque prædictionis Chriſti recordaretur, & pœnitere ac flere inciperet. Reſpexit ergo & reſpiciendo erexit Chriſtus Petrum, ait S. Leo. Porrò reſpexit Chriſtus Petrum tum oculis mentis, obiiciendo menti Petri fœditatem negationis, ac ſtimulando eum ad pœnitentiam. ita S. Auguſt. Beda, Ambroſ. & alij. Tum oculis corporis, quia Chriſtus poſt examen proclamatus reus mortis ex atrio interiore, ſiue ſuperiore, videtur reductus ad atrium exterius, quod erat deorſum, vt habet Marcus, in quo erat Petrus, ibique vertens ſe ad Petrum, benigno oculorum ſuorum nutu verberans eum, ſui lapſus admonuit, & ad ſe reuocauit. Reductus videtur ad hoc atrium Chriſtus, vt pontificibus ad lectum & ſomnum exiguum concedentibus, Chriſtus interim eorū miniſtris cuſtodiendus & illudendus traderetur. Aut certè Chriſtus ex atrio interiore, per apertū oſtium reſpexit Petrum exiſtentem in atrio exteriore. Summa Chriſti prouidentia ita omnia diſpoſuit, vt occaſio commoda daretur reſpiciēdi Petrum.

*Reſpexit Petrum Chriſtus & ad pœnitentiam adduxit.*

Qua in re mirare celſitudinem æquè ac charitatē Chriſti, qui iam reus mortis proclamatus, inter tot illuſiones & verbera ſui quaſi oblitus curam egit Petri, vt eum quaſi ouem perditā in viam ſalutis reuocaret, docens nos vt idem faciamus. Ita fecit S. Chryſoſt. qui in exiliū actus, & fatigatione, febri, fame, ſiti, milleque malis cruciatus, ac ad mortem adactus, quaſi ſui oblitus, curam egit ſuorum, imò & aliorum, vt patet ex eius epiſtolis, quas tum ardentiſſimas ſcripſit ad Olympiadem, ad Cyriacum, ad Innocentium Pontificem, & ad Conſtantium presbyterum ſcum, in qua eum monet, vt in hac ſua perſecutione animos non deprimat, ſed erigat, zelumque animarum induat, ac viros Apoſtolicos in Phœniciam mittat, qui eam conuertant, vtque de miſſis, & ab eis conuerſis, rationes ineat, & ad ſe perſcribat: in tempeſtate enim naucleri induſtriā virtutemq; agnoſci, ęquè ac militis in duello, ducis in prælio, medici in morbi paroxyſmo.



Audi

Audi S. Leonem ſerm. 3. de Paſſ. *Reſpexit Dominus Petrum, & inter calũnias ſacerdotum, inter falſitates teſtium, inter cædentium & conſpuentium iniurias conſtitutus, illis turbatum diſcipulum conuenit oculis, quibus eum præuiderat eſſe turbandum, & in illum conuerſa eſt veritatis inſpectio, vbi erat cordis facienda correctio, quaſi quædam illi vox Domini inſonaret, ac diceret: Quid habes Petre? quid in tuam conſcientiam recedis? ad me cõuertere, in me confide, me ſequere, meæ paſſionis hoc tempus eſt, nondum tui venit hora ſupplicij. Quid metuis quod etiam ipſe ſuperabis? Non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus, tu de meo eſto ſecurus.* Quocirca vt ait S. Hier. *fieri non poterat, vt in negationis tenebris permaneret, quem lux reſpexerat mundi.* A

VERS. 75. Luc. 22. 61. Mar. 14. 72. ET RECORDATVS EST PETRVS VERBI IESV QVOD DIXERAT: PRIVSQVAM GALLVS CANTET, (*bis*, vt addit Marcus) TER ME NEGABIS. ET EGRESSVS FORAS FLEVIT AMARE] Præclarè Origen. *Poſtquam*, inquit, *angelus diei* (id eſt, gallus, ſuo cantu prænuncians inſtare ortum ſolis & diei) *clamauit ei, tunc recordatus eſt.* Et Victor Antioch. in cap. 14. Marci. *Galli cantu*, ait, *admonitus, quaſiq; à graui ſomno excitatus, ad ſe reuerſus, comperit ſe in illud ipſum malum ac probrum decidiſſe, in quod Dominus ipſum prolapſurum paulò antè denunciauerat.* B

*Gallus cuique eſt conſcientia.* Symbol. Gallus cuique à Deo datus eſt ſua conſcientia, quæ quoties quis peccat, ei occlamat dicitque, Cur tantum ſcelus committis? cur Deum offendis, te lędis & periculo gehennæ exponis? Hic clamor conſcientiam remordet & ſtimulat ad pœnitentiam, quem qui audit & exaudit, verè cum Petro compungitur, & pœnitendo peccatum abolet. Ita Laurent. Iuſtin. libr. de Chriſti agone ca. 9. Rurſum gallus eſt concionator, qui ſua voce peccatum peccatori aperit, eũque ad pœnitentiam ſtimulat. Ita S. Greg. 30. Moral. cap. 4. explicans illud Iob c. 38. *Quis dedit gallo intelligentiam?* C

ET EGRESSVS FORAS] Tum quia in conſpectu Iudæorum eum flere non congruebat, ne ſe proderet; tum quia hic conſpectus eorum fuerat ei cauſa metus & negationis Chriſti. Iam ergo pœnitenti, hæc occaſio recidiuæ illi tollenda & amouenda fuit. Abit ergo foras, ibique liberas lacrymis habenas laxat: *Non enim*, vt ait S. Hier. *poterat in atrio Caiphę ſedens agere pœnitentiam. Egreditur foras de impiorum concilio, vt pauidæ negationis ſordes amoris fletibus lauet.*

*Caluini ſcomma in S. Petrum.* Obijcit Caluinus claudicaſſe pœnitentiam Petri, eò quòd culpam ſuam non ſit confeſſus coram Iudęis, apud quos Chriſtum negarat, nec ſcandalum quod eis dederat abſtulerit. Reſp. Petrum Iudæis, vtpote peruerſiſſimis & in odio Chriſti obſtinatiſſimis, nullum dediſſe ſcandalum, quo eos in odio Chriſti confirmaret: quare ſi coram eis negationem Chriſti retractaſſet, ſine fructu id feciſſet, imò cũ damno, tam ſuo, quàm illorum: expoſuiſſet enim ſe periculo recidiuæ, & illos maioris indignationis & odij in Chriſtum, qui proinde Petrum, & magis Chriſtum peiùs mulctaſſent.

*Fletus Petri.* FLEVIT AMARE] Arabicus, *fleuit amaro fletu*, quia magnus dolor, & acris compunctio, quòd Chriſtum Dominum ſuum negaſſet, amaricauit cor ipſius, vt amaras funderet lachrymas, quibus pro culpa ſua Deo ſatisfaceret. *Nam*, vt ait, S. Bernardus, *Lacrymę pœnitentium vinum ſunt angelorũ*, imò vinum ſunt Dei & Chriſti. Audi S. Ambroſium in 22. Lucæ: *Quare fleuit? quia culpa obrepſit ei, Petrus doluit & fleuit, quia errauit, vt homo: commune, quòd labitur; fidei, quòd pœnitet.* Sed quare non orauit potiùs quàm fleuit? Reſpondet *Lacrymæ lauant delictum, quod voce pudor eſt confiteri: Lacrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Inuenio cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet; antè flendum eſt; ſic precandum.* Et nonnullis interiectis: *Doce nos Petre*, ait, *quid tibi profuerint lacrymæ tuæ? ſed docuiſti illico: nam qui lapſus es, antequam flereſ; poſtquam fleuiſti, erectus es, vt alios regeres, qui teipſum antè non rexeras.*

Dices: S. Ambroſius ibidem ait: *Lacrymas eius* (Petri) *lego, ſatisfactionem non lego.* Hæc verba torquent Caluiniſtæ, vt opera ſatisfactoria eneruẽt, eiſque vim ſatisfaciendi adimant; ſed imperitè & ineptè. Nam S. Ambroſ. per *ſatisfactionem* intelligit excuſationẽ peccati, vti patet ex ijs quæ ſubdit; q. d. Lego quòd Petrus fleuerit peccatum ſuum, non quòd illud excuſarit, vti ſolent facere rei apud homines: at non ita fecit Petrus, qui peccatum ſuum confeſſus eſt cum amoris lachrymis; quę proinde ſatisfactoria fuiſſe opera, apud Orthodoxos non eſt dubium.

*Auſtera Petri pœnitentia per totam vitam.* Notat S. Clemens S. Petri diſcipulus & ſucceſſor, adeò pœnituiſſe Petrum, vt per totam deinceps vitam ſingulis noctibus audiens galli cantum in genua procideret, amaras funderet lacrymas, & peccati licet iam remiſſi iterùm veniam à Deo & Chriſto flagitaret. Hinc etiam oculi eius ex aſſiduo ploratu apparebant, quaſi ſanguine reſperſi, teſte Nicephoro lib. 2. cap. 37. Denique lapſum hunc compenſauit Petrus auſterè vſque ad mortem viuens, lupinos (piſa ſunt amara) comedens, teſte S. Gregorio Nazianzeno orat. de amore pauperum; item aſſiduis laboribus, Apoſtolicis perſecutionibus, ærumnis, ac denique morte crucis, quam pro Chriſto conſtantiſſimè & lætiſſimè ſuſtinuit.

Lege li. 3. Reuelat. c. 5. S. Brigidæ, vbi S. Petrus apparẽs S. Brigidæ, narrat ſui lapſus cauſam fuiſſe obliuionẽ ſui propoſiti & promiſſionis Chriſto factæ. Vnde ei ſuadet hoc tentationis remedium: *Surge*, inquit, *per humilitatem ad magiſtrum memoriæ, & pete ab eo memoriam.*

CAPVT



# CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*POntifices Chriſtũ in concilio damnant & tradunt Pilato, vt ab eo pariter damnetur & occidatur, Id videns Iudas triginta argenteos refert, deſperat & ſe ſuſpẽdit. Secundò, v. 11. Pilatus Chriſtum examinat, & innocentẽ deprehendens, liberare conatur, componens eũ cum Barabba ſicario: ſed Iudæi inſanis vocibus Barabbam liberari poſtulant, Chriſtum verò crucifigi. Tertiò, v. 26. his vocibus victus Pilatus, Chriſtũ flagellatum tradit eis vt crucifigatur: quare milites ei vt regi Iudæorum, ſed ficto, coronam ſpineam pro aurea & regali imponunt, pro ſceptro dant arundinẽ, pro purpura chlamydem coccineam. Quartò, v. 32. educentes eum in Golgotha, crucem eius imponunt Simoni Cyrenæo; Chriſtoq; ibidem inter duos latrones crucifixo, cum titulo:* Hic eſt Ieſus Nazarenus rex Iudæorum, *veſtes eius ſorte diuidunt, illiq; illudunt, varijs probris & blaſphemijs. Quintò, v. 45. tenebræ occupãt totam terram ab hora ſexta ad nonam, quâ Ieſus reſignans Patri ſpiritum expirat: mox templi velum ſciſſum eſt, petræ fiſſæ, monumenta aperta; corpora mortua ſurrexerũt, terra contremuit: quibus viſis, Centurio ait,* Verè filius Dei erat iſte. *Sextò, v. 57. Ioſeph ab Arimathia à Pilato petit corpus Chriſti, illudq; ſepelit. Iudæi ſepulchro cuſtodes adhibent.*

1. MAne autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſenio-
res populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. 2. Et vinctum ad-
duxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. 3. Tunc videns Iudas, qui
eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos
principibus ſacerdotum, & ſenioribus. 4. dicens: Peccaui, tradens ſanguinem
iuſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. 5. Et proiectis argenteis in tem-
plo, receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit. 6. Principes autem ſacerdotum, acce-
ptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonã: quia pretium ſanguinis
eſt. 7. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam pere-
grinorum. 8. Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldama, hoc eſt ager ſangui-
nis, vſque in hodiernum diem. 9. Tunc impletum eſt quòd dictum eſt per Iere-
miam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati,
quem appretiauerunt à filijs Iſrael: 10. & dederunt eos in agrum figuli, ſicut cõ-
ſtituit mihi Dominus. 11. Ieſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogauit eum
præſes, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Ieſus: Tu dicis. 12. Et cum accuſa-
retur à principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit. 13 Tunc dicit illi
Pilatus: Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? 14. Et non reſpondit
ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehementer. 15. Per diem autem ſo-
lemnem conſueuerat præſes populo dimittere vnum vinctum, quem voluiſſent.
16. Habebat autem tunc vinctum inſignem qui dicebatur Barabbas. 17. Con-
gregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis Barabbam, an Ieſum,
qui dicitur Chriſtus? 18. Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent eum.
19. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, &
iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. 20. Principes autem
ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis vt peterent Barabbã, Ieſum verò per-
derent. 21. Reſpondens autem præſes, ait illis: Quem vultis vobis de duobus di-
mitti? At illi dixerunt: Barabbam. 22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de
Ieſu, qui dicitur Chriſtus? 23. Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præſes: Quid
enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. 24. Videns au-
tem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: accepta aqua, lauit ma-
nus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis.
25. Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios
noſtros. 26. Tunc dimiſit illis Barabbam: Ieſum autem flagellatum tradidit eis vt
crucifigeretur. 27. Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium con-
gregauerunt ad eum vniuerſam cohortem: 28. & exuentes eum, chlamydem coc-
cineam circumdederunt ei: 29. & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper
caput eius, & arundinem in dextera eius Et genu flexo ante eum illudebant ei, di-
centes: Aue rex Iudæorum. 30. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, &
percu-

percutiebant caput eius, 31. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent. 32. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius. 33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha quod eſt Caluariæ locus. 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum. Et cùm guſtaſſet, noluit bibere. 35. Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes: vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. 36. Et ſedentes ſeruabant eum. 37. Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: HIC EST IESVS REX IVDÆORVM. 38. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à ſiniſtris, 39. Prætereuntes autem blaſphemabant eum mouentes capita ſua, 40. & dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: ſalua temetipſum: ſi filius Dei es, deſcende de cruce 41. Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſenioribus dicebant. 42. Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. 43. Confidit in Deo, liberet nunc, ſi vult eum: dixit enim: Quia filius Dei ſum. 44. Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. 45. A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam. 46. & circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna, dicens; Eli, Eli, lamma ſabacthani? hoc eſt: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? 47. Quidam autem illic ſtantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iſte. 48. Et continuò currens vnus ex eis, acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere, 49. Ceteri verò dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. 50. Ieſus autem iterum clamãs voce magna, emiſit ſpiritum. 51. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt. 52. & monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. 53. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. 54. Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte. 55. Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei: 56. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi. 57 Cùm autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu. 58. hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus. 59. Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda. 60. Et poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra, Et aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt. 61. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum. 62. Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen, conuenerunt principes ſacerdotum & Phariſæi ad Pilatum, 63. dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam, 64. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſq; in diem tertium: ne fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouiſſimus error peior priore. 65. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis. 66. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

VERS. I. Luc. 22. 66. Mar. 15. 1.

MANE AVTEM FACTO Syrus, *cùm autem eſſet diluculum*) CONSILIVM INIERVNT OMNES PRINCIPES SACERDOTVM ET SENIORES POPVLI ADVERSVS IESVM, VT EVM MORTI TRADERENT.

MANE] *Cerne*, ait S. Hieron. *ſollicitudinem ſacerdotum in malum*, iuxta illud pſal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.* Vrgebat ad hoc eos immane in Chriſtũ odium, & inſtigatio diaboli. Fuit hoc manè feriæ ſextæ, ſiue diei Veneris, quâ poſt paucas horas ab eis crucifixus eſt Chriſtus. Itaque Caiphas, qui noctu cum paucis Chriſtum examinarat & damnarat, manè con-

A uocauit magnum plenumque concilium, quod *Sanedrim* vocatur, & 70. viris, ſiue ſenatoribus, conſtabat, vt ab eo toto Chriſtus damnaretur, ac damnatus Pilato traderetur, ne Pilatus eum, vtpote à toto concilio prædamnatum, abſoluere poſſet. Geſta in hoc concilio tacet Matthæus: quia in eo repetita fuit Chriſti examinatio, & damnatio, quam ipſe recenſuit c. præced. v. 59. & ſeq. Lucas verò rem in eo geſtã ſic ſupplet & enarrat c. 22. 66. *Et vt factus eſt dies, conuenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis*

*Sanedrim conuocat Caiphas ad damnandũ Chriſtum.*



*mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: vos dicitis quia ego ſum. At illi dixerunt. Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus de ore eius.* Hæc explicui cap. præced. v. 59.

Præclarè S. Leo ſer. 3. de Paſſione: *Hoc manè*, inquit, *vobis* (ô Iudæi) *templum & altaria dirուt, legem & Prophetas ademit, regnum & ſacerdotium ſuſtulit, in luctum æternum omnia feſta conuertit,*

VT (græcè, ὅπως, id eſt, *quomodo*) EVM MORTI TRADERENT] ſcilicet qua ratione ſine obſtaculo & tumultu eum occiderent: item quo genere mortis eum afficerent, nimirũ crucis, quod erat ſummi doloris æquè ac infamiæ. Veriſimile eſt aliquos in hoc concilio fuiſſe Chriſti ſectatores, vel amicos, qui vel à concilio hoc ſe abſentarunt, vel à Caipha non vocati, aut aliò miſſi fuêre, ne Chriſtum in concilio defenderẽt: quòd ſi aliqui ex eis concilio interfuerũt, vel pro Chriſto ſententiam dixerunt, vel victi clamore ceterorum tacuerunt: tales fuêre Nicodemus & Ioſeph ab Arimathia, Lucæ c. 23. v. 51.

Nota Concilium hoc impium, errauit non tantùm in facto, ſed & in fide, quia declarauit, imò ſententiam tulit, Ieſum non eſſe Chriſtum, nec Dei Filium; ſed vtrumque titulum ſibi falsò arrogare, ideoque reum eſſe mortis, quæ omnia ſunt erronea & hæretica: ſed concilium hoc particulare & exiguum fuit, ſcilicet ex ſolis Iudæis, imò ex ſolis Hieroſolymæ incolis conſtans. Secùs eſt de Cõcilijs Oecumenicis Chriſtianorum, ad quæ conuocantur Epiſcopi omnium prouinciarum, qui totam Eccleſiam repræſentant, ideoque ex promiſſione Chriſti aſſiſtentem habent Spiritum ſanctum vt in fide non errent. Dices, ergo tunc tota Eccleſia Iudaica errauit, & à fide defecit. Reſp nego conſequentiam: tum quia inter Chriſti diſcipulos, qui à Chriſto conuerſi erant, ſparſique per totam Iudæam, multi in eius fide perſtiterunt; tum quia inter Iudæos per totã Iudæam diffuſos multi erant veri fideles & religioſi, qui fidem patrum ſectabantur, è quibus multi in Pentecoſte ad Chriſtum conuerſi ſunt, vt patet Actor. 2.

VERS. 2. Luc. 23. v. 1. Mar. 15 v. 1. Ioan. 18. v. 28.

ET VINCTVM ADDVXERVNT EVM, ET TRADIDERVNT PONTIO PILATO PRÆSIDI] *Nam*, vt ait S. Hieron. *Iudæi habebant hunc morem, vt, quem adiudicaſſent morti, ligatum iudici traderent. Hic eſt Samſon vinctus à Dalila, Chriſtus à Synagoga.* Verè Origenes: *Alligauerunt Ieſum*, ait, *ſoluentem à vinculis, & dicentem eis qui ſunt in vinculis, Exite, & compedites ſoluentem atque dicentem, Dirumpamus vincula eorum.* Ideo enim vinctus eſt Ieſus, quia vincula culparum & pœnarum culpis noſtris debitarum in ſe luenda ſuſcepit, vt nos ab ijs abſolueret.

ADDVXERVNT] ſcilicet Caiphas cum ceteris omnibus concilij ſenatoribus, vt auctoritate ſua opprimerent non ſolùm Ieſum, ſed & Pilatum, cogerentque eum, Ieſum iam à ſe examinatum & damnatum pariter damnare & occidere. Quòd ſi nollet, omnes eum quaſi affectati regni Iudaici reum, ideoque Cæſaris inimicum & rebellem accuſarent, atque hac criminatione Pilatum etiam inuitum compellerent ad eum morti adiudicandum, vti reipſa contigit,

A TRADIDERVNT PONTIO PILATO] Cur? Putant nonnulli ex ijs quæ dicuntur in Thalmud, Iudæis non licuiſſe quemquam crucifigere, ſed aut ſtrangulare, aut lapidare, aut comburere, aut capite plectere; Iudæos ergo tradidiſſe Chriſtum Pilato, vt is eum crucifigeret. Sed hoc falſum eſſe liquet ex Deuter. 21. 23. *Quando*, inquit, *peccauerit homo quod morte plectendum eſt, & adiudicatus appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Sic Moſes colentes Beelphegor ſuſpendit in patibulis, Num. 25. 4. Ioſue 8. 29. ſuſpendit regem Hai, & Dauid filios Saul. 2. Reg. 21. v. 6. & 9.

*Pilato traditur Chriſtus.*

Vera ergo cauſa cur Iudæi non occiderint Chriſtum, ſed Pilato occidendum tradiderint, eſt, quòd Romani, Iudæis deuictis ſubactiſque ius necis & poteſtatem occidendi ademerint, ſibique vendicarint, vt patet Ioan 18. 31. *Nobis*, in-
B quiunt Iudæi Pilato, *non licet interficere quemquã.* Vnde Ioſephus lib. 20. Antiq. cap. 8. ſcribit Ananum pontificem, eò quòd cum concilio Iacobum fratrem Domini, alioſque nonnullos ſine conſenſu præſidis Romani occidiſſet, pontificatu fuiſſe priuatum. Quod ergo Iudæi Stephanum lapidarint, & Chriſtum ſæpè lapidare voluerint, id non iure, ſed iniuria & impetu furentis populi factum eſt. Ita Toletus, Maldonatus, Franc. Lucas & alij.

*Romani Iudæis ius necis ademerunt.*

Adde, principes Chriſtum Pilato tradidiſſe occidendum alijs quoque de cauſis. Prima erat, vt à ſe infamiam occiſi Chriſti, quòd ſcilicet eum ex inuidia occidiſſent, amolirentur. Pilato ergo quaſi Romano & Gentili, ideoque viro æquo, & quem Chriſti cauſa non tangebat, eum tradunt, vt is damnet, quem populus ex mera
C ratione, non ex inuidia eum damnaſſe crediturus ſit.

*Cur Chriſtus traditus Pilato. Cauſa. Prima.*

Secunda, quia principes volebant Chriſti honorem & gloriam planè obterere & delere, ac oſtendere ipſum non eſſe Chriſtum, ſed pſeudochriſtum. Tradunt ergo eum Pilato, vt is eum quaſi latronem & rebellem Cæſaris ad infamem mortem condemnet, & inter latrones crucifigat, vt patebit Ioan. 18. v. 32. Iudæi enim Chriſtum vt blaſphemum damnarant: blaſphemi autem pœna ex lege Leuitic. 24. 16. erat lapidatio, non crux: vt ergo Chriſtum crucifigant, tradunt eum Pilato, vt is ex lege Roman. quæ rebelles & ſeditioſos cruci addicit, Chriſtum quaſi Cæſaris rebellem crucifigat.

*Secunda.*

Tertia, quia dies in quo hæc acta ſunt, erat feſtum Paſchæ ſanctiſſimum, quo pontificibus ſa-
D cra & ſacrificia tractanda erant in templo, ideoque à ſanguine & cæde planè abſtinendum. Tradunt ergo eum Pilato Gentili, vt is eum in Paſchate quaſi in die ſibi profano occidat, cogitantes ſic ſe maiorem infamiam Chriſto irrogaturos, ſi in die Paſchæ ſolemni, quo omnes Iudæi Hieroſolymam confluebant, ipſe in omnium conſpectu quaſi profanus à profano Pilato, diem Paſchæ profanante occideretur. Ita S. Chryſoſt. hîc homil. 86. & S. Aug. tract. 114. in Ioan. & S. Cyrill. lib. 12. in Ioan. c. 6.

*Tertia.*

Porrò, Deus Iudæis irrogauit pœnam talionis: nam ſicut ipſi tradiderunt Chriſtum cædendum Pilato præſidi Romano, ſic viciſſim ipſi à Deo Romanis Imperatoribus Tito & Veſpaſiano traditi ſunt, vt vaſtarentur & exſcinderentur,

tur,vt notat S.Cyrill.in Ioan.c.18. Theophyl.& Victorin. Marci c.14.

VERS.3. TVNC VIDENS IVDAS, QVI EVM TRADIDIT, QVÒD DAMNATVS ESSET: POENITENTIA DVCTVS, RETVLIT TRIGINTA ARGENTEOS PRINCIPIBVS SACERDOTVM ET SENIORIBVS.

VERS.4. DICENS: PECCAVI TRADENS SANGVINEM IVSTVM. AT ILLI DIXERVNT: QVID AD NOS? TV VIDERIS] Iudas vendens Chriſtum Iudæis, non cogitabat quod Chriſtus ab eis occideretur, ſed caperetur dumtaxat, & captus vel eis ſatisfaceret, vel virtute ſua è manibus eorum elaberetur, vti aliàs elapſus fuerat: at vbi vidit eum damnatum ad mortem, aduertit grauitatem culpæ ſuæ,quòd ſcilicet ipſe eſſet cauſa necis Chriſti:quare ſerò facti pœnitens, ſeipſum damnauit & ſuſpendit. *Talis nempe diabolus eſt*, inquit Chryſoſt. *vt non dimittat hominem,niſi vigilet,ante vltimum effectum magnitudinem peccati præuidere,ne pœnitentia ductus à peccato reſiliat; poſtquam autem peccatum omnibus numeris eſt expletum, tunc videre permittit,vt mœrore afficiat,& in deſperationem præcipitet. Tam multis enim admonitionibus Chriſti nihil flexus eſt Iudas; cùm verò in vltimum iam effectum res venit,tunc pœnitentia ducitur, neque tunc vtiliter, & vt oportebat.*

*Iudas malè pœnitens refert triginta argenteos.*

QVÒD DAMNATVS ESSET] à Caipha pont. totoque concilio,ideoque eorum auctoritate, odio & importunitate, mox damnandus foret à Pilato, ob obſtinationem principum eum accuſantium, & ad necem perurgentium.

POENITENTIA DVCTVS] Non verâ & genuinâ: hæc enim ſpem veniæ, quâ caruit Iudas, includit,ſed coactâ, cruciante & deſperabundâ, qualem parit mala cōſcientia torquens & remordens damnatos, qui torquentur igne gehennæ. Hoc enim eſt Græcum μεταμεληθείς.

RETVLIT TRIGINTA ARGENTEOS PRINCIPIBVS] vt reſcinderet contractum cum eis initum, q.d. Ego reuoco contractum vobiſcum initum, ideoque reſtituo vobis pretium mihi datum,vt vos viciſſim Ieſum, quem hoc pretio vobis vendidi, libertati ſuæ reſtituatis. Nam vt ait S. Ambroſ.in Lucę cap.22. *In pecuniarijs cauſis refuſo pretio ius ſolui conſueuit.* Porrò *Iudas*, ait Hilarius, *agens pœnitentiam pretium ſanguinis Chriſti reddidit ſacerdotibus, vt licet ipſe venditi ſanguinis auctor eſſet,tamen ementium infidelitatem ipſa vendentis profeſſio argueret.* Et S. Ambroſius: *Etſi*, inquit, *caſſa eſt pœnitentia proditoris, eſt tamen vllus in ſcelere pudor, culpam agnoſcere: & quamquam ille non abſoluitur, Iudęorum tamen impudentia confutatur, quos cùm profeſſio redarguat venditoris, ſceleratè tamen ſibi vendicant iura contractus.*

PECCAVI TRADENS SANGVINEM IVSTVM] Græcè ἀθῷον,id eſt, innocentem: quid enim innocentius agno immaculato? quid purius puritate Ieſu Chriſti?

AT ILLI DIXERVNT: QVID AD NOS? TV VIDERIS] Tu quod intriuiſti exede, tu culpæ tuæ quam agnoſcis pœnam ſuſtine: nos in nobis nullam culpam agnoſcimus, ſed Ieſum vt pſeudochriſtum æſtimamus reum mortis, ideoque eum ad mortem perſequimur & perurgemus. Noluerunt principes denarios à Iuda oblatos recipere, ne contractum reſcindere & Ieſum dimittere cogerentur. Quare Iudas eos proiecit in templum, vt ſequitur, ac deſperans de Ieſu vita,& conſequenter de ſalute ſua,ſe ſuſpendit: ſi enim reddito pretio principes Ieſum liberaſſent, vtique Iudas non deſperaſſet, nec ſe ſuſpendiſſet. Hucuſque ergo proba fuit pœnitentia Iudæ,ſed eadem improba fuit, dum,illis renuentibus Ieſum dimitere, ille deſperauit & deſperans ſe ſuſpendit. *Vide eos nolle*, inquit Chryſoſt, *quantam rem auderent, adſpicere; quæ res culpam eorum maiorem reddit. Apertè namque audaciſſimæ iniquitatis teſtantur paſſione ſe ferri, & nolle à perperam cœptis deſiſtere, ficto ignorantiæ velamine ſtultè ſe adoperientes.*

VERS.5. ET PROIECTIS ARGENTEIS IN TEMPLO, RECESSIT; ET ABIENS LAQVEO SE SVSPENDIT]. Nota. Iudas retulit argenteos ad domum Caiphæ, vel certè Pilati, ad principes Chriſtum apud eum accuſantes, cumque illi nollent eos recipere, abijt in templum, ibique eos proiecit, vt à ſacerdotibus colligerentur, & principibus ſacerdotum redderentur. Fortè etiam aliqui principes iam à Caipha & Pilato in templum abierant, ſacra & ſacrificia Paſchalia celebraturi, ad eorum ergo pedes denarios hoſce proiecit Iudas, vt, quantum in ſe eſt, contractum reſcinderet, proditionem ſuam damnaret, ac Ieſu innocentiæ famam, vitamq; ſi poſſet, reſtitueret: ſi enim eos proieciſſet in domo Caiphæ, vel Pilati, ſtatim eos principum miniſtri & ſatellites collegiſſent, ſibique ſine vllo Iudæ fructu vendicaſſent. In templum ergo eos proiecit, quaſi ſacrum ſacerrimi Chriſti pretium, ideoque ſi principes illud recipere nollent in ſacros pioſque vſus expendendum.

ET ABIENS LAQVEO SE SVSPENDIT] Syrus, *ſe ſtrangulauit*, Æthiopicus, *laqueo ſe ſuſpendit, & mortuus eſt.* Errat ergo Theophyl. & Græci, qui cenſent Iudam ſuſpendio non eſſe mortuum, ſed poſtea curru fuiſſe obtritum. Vide dicta Actor. 1.18. Peccato proditionis grauiſſimo Iudas addidit aliud non grauius, ſed nocentius, deſperationis. Hoc enim illum adegit in ima tartara ad ſedem Luciferi. Si enim pœnitens veniā à Chriſto etiam iam damnato petijſſet, vtique eam ab illo obtinuiſſet; ſed proditionis immanitas tantum ei horrorem agente diabolo iniecit, vt de venia inſtar Caini deſperaret, ideoq; ſtatim ante necem Chriſti, illo ipſo die ipſe ſe ſuſpendit, non ferens tantum conſcientiæ occlamantis remorſum & probrum, vti docet S. Leo ſer. 3. de Paſſ. S. Auguſtinus, vel quiſquis eſt auctor, Quæſt. noui & veteris teſtam. quæſt. 94. & alij. Hoc de Iuda propherarat Dauid pſalm. 34.8. dicens. *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipſum.* Audi S. Leonem ſerm. 3. *Vnde ſceleſtior omnibus Iuda & infelicior extitiſti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum.* Et poſt pauca: *Cur de eius bonitate diffidis, qui te à corporis & ſanguinis ſui communione non repulit? qui tibi ad comprehendendum ſe, cum turbis & armatorum cohorte venienti, pacis oſculum non negauit; ſed homo inconuertibilis, ſpiritus vadens, & non reuertens, cordis tui ſecutus es rabiem, & ſtante diabolo à dextris tuis, iniquitatem, quam in Sanctorum omnium armaueras caput, in tuum verticem retorſiſti, vt quia facinus tuum omnem menſuram vltionis exceſſerat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua pœna carnificem.*

*Deſperabundus Iudas ſe ſuſpendit.*

Tra-



Tradunt nonnulli Iudam ex ficu ſe ſuſpendiſſe, ſicut Hebræi tradunt arborem vetitam, ex qua Adam & Eua comederunt, fuiſſe ficum: ficus ergo homini fuit infelix arbor. Vnde Iuuencus canit:

*Iudas in ficu ſe ſuſpendit.*

*Exorſuſq; ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,*
*Informem rapuit ficus de vertice mortem.*

Huc Iudam adegit auaritia. Audi S. Chryſoſt. *Audite iſta, audite, inquam, auari, verſate animo quid ille paſſus fuit; nam & pecuniam amiſit, & ſcelus admiſit, & animam perdidit, quod atrox auaritiæ tyrannis facere ſolet. Non eſt argento, nec hac vſus vita, nō fruetur futura, vniuerſa ſimul amiſit: prauaq; apud eos, quibus tradidit, æſtimatione de ſe ſuſcitata, laqueo demum gulam fregit.*

*Auaritia Iudam perdidit.*

Denique hæc confeſſio Iudæ non verbalis, ſed realis, putà ipſum eius deſperabundi ſuſpendium, clarum fuit teſtimonium innocentiæ Chriſti, quod Iudæos ab eius cæde abſtrahere debuiſſet, ſi vel micam pudoris aut conſcientiæ habuiſſent: ſed tanta fuit eorum obſtinatio & malitia, vt ab ea portento tam nouo reuocari non potuerint.

Symbolicè, Beda in cap. 1. Actor. *Dignam* inquit, *ſibi pœnam inuenit, vt guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret, & qui hominum angelorumq; Dominum morti tradiderat, cæli terræq; peroſus aëris in medio periret; & viſcera quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent.* D. Bernard. ſer. 8. in pſalm. 90. *Iudas*, inquit, *in aëre crepuit medius, aëriarum collega poteſtatum, vtpote quem veri Dei & hominis, qui de cælo veniſſet operaturus ſalutem in medio terræ, huius inquam proditorem nec cælum reciperet, nec terra ſuſtineret.* Rurſum S. Aug. libro hom. 50. hom. 27. *Quod*, inquit, *in corpore ſuo fecit hoc factum eſt in anima ipſius. Quomodo qui ſibi collum ligant, inde ſe occidunt, quia non ad eos intrat ſpiritus aëris huius: ſic illi qui deſperant de indulgentia Dei, ipſa deſperatione intus ſe ſuffocant, vt eos Spiritus ſanctus viſitare non poſſit.*

VERS.6. PRINCIPES AVTEM SACERDOTVM, ACCEPTIS ARGENTEIS, DIXERVNT: NON LICET EOS MITTERE IN CORBONAM: QVIA PRETIVM SANGVINIS EST] *Corban*, ſiue *Corbona*, hebr. idem eſt quod *oblatio.* Vnde metonimicè hîc ſignificat ærarium, ſiue gazophylacium, in quod oblationes inijciebantur. Hinc Arabicus vertit, *domum* (thecam) *oblationum.* Vide Ioſephum lib. 1. Belli cap. 8.

Corban *ſiue* Corbona, *quid?*

QVIA PRETIVM SANGVINIS EST.] Vide hîc hypocriſin ſacerdotum, quia ſimulant ſtudium religonis & honeſtatis, vt non ſinant in ſacrum ærarium inferri pretium ſanguinis Chriſti, quaſi impurum & pollutum, cùm tamen ijdem puriſſimum ſanguinem Chriſti, eodem emerint fuderintque; imò, vt videtur, pretium hoc ex ipſo corbona acceperint, Iudæque dederint, quaſi pretium pietatis ad capiendum plectendumque Chriſtum, quaſi ſceleratum & ſuæ religionis hoſtem.

VERS.7. CONSILIO AVTEM INITO, EMERVNT EX ILLIS AGRVM FIGVLI IN SEPVLTVRAM PEREGRINORVM.

VERS.8. PROPTER HOC VOCATVS EST AGER ILLE HACELDAMA, HOC EST AGER SANGVINIS, VSQVE IN HODIERNAM DIEM] *Videbant enim*, inquit Origenes, *quoniam circa mortuos magis eam pecuniam conueniebat expendi, & circa locum mortuorum de ſepulturæ, quoniam pretium ſanguinis erat.*

PEREGRINORVM] Pro peregrinis, vel hoſpitibus, qui ſcilicet ex Iudæa vel aliunde Hieroſolymam venientes ibi moriebantur: nam ipſi Hieroſolymitæ ſua iam ſibi deſtinarant ſepulcra. Dei conſilio hoc actum eſt, vt ager hic iugiter extans, iugis eſſet teſtis pœnitentiæ Iudæ, ac conſequenter innocentiæ Chriſti, & Chriſticidij Iudæorum. *Nomen loco inditum*, inquit Chryſoſt. *omni clariùs tuba, ſceleratam eorum prædicat cædem.* Et paucis interiectis: *Si enim in corbonam pecuniam immiſiſſent, non ita manifeſta res facta fuiſſet; nunc verò prædio empto, etiam poſteris rem vniuerſam prodiderunt.*

Symbolicè, hoc facto ſignificabatur pretium ſanguinis Chriſti non Iudæis indigenis, ſed peregrinis, id eſt gentibus in eum credituris, profuturum. Ita Hilarius: *Nihil*, inquit, *hinc pertinet ad Iſrael, & totus hic ſæculi* (ſanguinis Chriſti pretio) *empti vſus alienus eſt.*

HACELDAMA] Propriè & præciſè dicendum eſſet *Chakaldema.* Hebræi enim agrum vocant חֵלֶק *chelec*, Chaldæi verò per metatheſin dicunt *chakel.* Eſt ergo hæc vox Chaldæa. Syrus habet, *agureſca*, quæ vox deriuata eſt à Græco ἀγρὸς, & Latino *ager.* Ita Pagnin. & alij. Porrò *chakel* pro agro vſurpant non ſolùm Chaldæi, ſed & Syri ac Arabes. Vnde Arabicus hîc habet, *Hacaldama*: nec illud interpretatur, vti facit Latinus, dicēs: *Hoc eſt ager ſanguinis.* Porrò Æthiopicus vertit, *& vocatus eſt locus ille Medduradam* (æthiopicè) *hoc eſt terra ſanguinis*; Perſicus, *& nomen campi eius in hūc diem, Haceldami, hoc eſt ager ſanguinis.*

Haceldama *quid?*

Audi quid de hoc agro ſanguinis, ſiue de *Haceldama*, ſcribant Brochardus, Nicephorus, Bredembrachius, Saligniacus, & ex ijs Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem, nu. 216. p. 173; *Haceldama, ſiue ager figuli ad Auſtralem partem mōtis Sion ſitus eſt, cuius medium S. Helena quatuor muris longitudine ſeptuaginta duorum, latitudine verò quinquaginta pedum, fecit includi, ac ſuperiùs teſtitudine (quæ ſeptem foraminibus, per quæ defuncta Chriſtianorum corpora demittuntur, patet) concamerari. Eſt verò huius terræ virtus mirabilis, & fidem penè ſuperans, quòd defunctorum corpora, viginti quatuor horarum ſpatio in puluerem redigat: quam virtutem etiam in alias regiones deuecta minimè perdit. Nam cùm iuſſu imperatricis Helenæ de hoc agro, quantum terræ plures naues capere poterant, Romam auectum, ac iuxta montem Vaticanum in eum locum exoneratum ſit, quem incolæ* CAMPVM SANCTVM *vocitant, licet cælum mutarit, eamdem tamen retinere vim quotidiana experientia docet. Romanos enim reſpuens, ſola peregrinorum corpora ad ſepulturam admittit: quorum etiam hîc omnem carnis ſubſtantiam intra viginti quatuor horas prorſus conſumit, oſſibus tantum reſiduis.* Hucuſque Adrichomius. Sæpiùs Romæ vidi & viſi Campum ſanctum, ac ita ſe rem habere ab ipſo loci Parocho, eiuſque aſſeclis & Romanis ceteris audiui.

*Campus ſanctus.*

Tropologicè, *Haceldama*, id eſt, ager pretio ſanguinis Chriſti pro peregrinis comparatus, eſt Eccleſia, ait S. Chryſoſt. & Auguſtin. ſerm. 114. de Temp. ac præſertim ſtatus Religioſorum, qui ſe peregrinos æſtimant in terra, ac ciues cæli & domeſticos Dei, ideoque Chriſti ſanguinis fructum, id eſt gratiam & gloriam, participant: de

*Tropologicè.*





qui-

quibus ait S. Petrus epiſt. 1.c.2. *Obſecro vos tamquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalibus deſiderijs.* Vbi S. Chryſoſt. *Nihil,* ait, *beatius hac ſepultura, ſuper qua gaudent omnes, & angeli, & homines, & angelorum Dominus. Si hæc vita non eſt vita, ſed abſcondita eſt vita noſtra, tamquam mortui vita iſta viuere debemus.* Et S. Paulus Coloſ. 3. *Mortui eſtis & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Hac fortè de cauſa, & hoc ſymbolo carnes ſepultorum in campo ſancto intra 24. horas conſumuntur, vti paulò antè dixi. Vide dicta Actor. 1. v. 18. & 19.

VERS. 9. TVNC IMPLETVM EST QVOD DICTVM EST PER IEREMIAM PROPHETAM, DICENTEM: ET ACCEPERVNT TRIGINTA ARGENTEOS PRETIVM APPRETIATI, QVEM APPRETIAVERVNT A FILIIS ISRAEL:

VERS. 10. ET DEDERVNT EOS IN AGRVM FIGVLI, SICVT CONSTITVIT MIHI DOMINVS] Hunc locum explicui Zachar. 11. v. 12. 13. quare ibi dicta hîc non repetam.

PRETIVM APPRETIATI] Græcè, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, id eſt, *pretium illius pretio æſtimati,* ſcilicet Meſſiæ ſiue Chriſti, qui inæſtimabilis eſt, ait Theophyl. *Quem appretiauerunt,* id eſt pretio hoc triginta denariorũ æſtimarunt, & emerunt principes *à filijs Iſrael,* id eſt à Iuda, qui vnus erat ex filijs Iſrael, ait Titelmannus & Barradius. Addit hoc, quia auget indignitatẽ venditionis Chriſti, quòd venditus ſit non à Gentili, ſed ab vno Iſraelita, qui filius erat Iſraelis, ſiue Iacobi patriarchæ fidelis & ſancti, adeoq; ſortitus erat nomen Iudæ, qui primarius fuit inter filios Iacobi. Eſt ſyllepſis, vel enallage numeri: ponitur enim pluralis pro ſingulari. Aliter Theophyl. qui τὸ *à filijs Iſrael,* refert ad τὸ *appretiati.* q.d. Chriſtus à filijs Iſrael, id eſt à principibus, appretiatus eſt, id eſt emptus pretio 30. denariorum. Aliter quoque, ſed difficiliùs Euthym. & alij, qui ſubaudiunt τὸ *qui erant.* q.d. Qui erãt ex filijs Iſrael, id eſt Iſraelitæ, appretiarunt Chriſtum 30. denarijs.

Porrò Syrus vertit in prima perſona, *& accepi triginta argenteos pretium illius honorandi* (Arabicus, *pretium innocentis*) *de quo pacti ſunt à filijs Iſrael, & dedi eos pro agro figuli* ſcilicet ἔλαβον tam verti poteſt *accepi,* quàm *acceperunt*: ac pro ἔδωκαν, id eſt *dederunt,* Syrus legit, ἔδωκα, id eſt *dedi:* quæ lectio valdè conſentit cum verbis Zachar. 1. verſ. 12. & 13. *Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad figulum.*

SICVT CONSTITVIT MIHI DOMINVS] Hæc verba dupliciter accipi poſſunt. Primò, vt ſint verba Chriſti, qui per Prophetam loqui pergat. q.d. Pretio 30 denariorum, quibus ego Chriſtus venditus ſum, emptus eſt hic ager, *ſicut conſtituit mihi,* id eſt *de me, Dominus.* q.d. Deus nihil eorum quæ ex me, vel mea erant, ſinere voluit deperire, ſed vt omnia & ſingula mea in vtilitatem hominum expenderentur: quare etiam agrum pretio ſanguinis mei emptum voluit non eſſe otioſum, ſed ſeruire ſepulturæ peregrinorum.

Secundò, vt ſint verba Prophetæ de ſeipſo, q. d. Ego Propheta prædico agrum emendum pretio ſanguinis Chriſti, quia ſic conſtituit & ordinauit mihi Dominus, vt ſcilicet idipſum prædicerem & prophetarem, tam verbo quàm facto; nimis enim vile & indignum Chriſto fuit hoc eius pretium. Vnde Zacharias cap. 11. v. 12. & 13. hoc pretium per ironiam vocat, *decorum: Decorũ,* inquit, *pretium quo appretiatus ſum ab eis.*

VERS. 11. *Luc. 23. 3. Mar. 15. 2. Ioan. 18. v. 33. 37.*

*Ieſus ſiſtitur coram Pilato.*

IESVS AVTEM STETIT ANTE PRÆSIDEM (Pilatum, qui erat præſes Iudææ nomine Tiberij Imp. Romani) ET INTERROGAVIT EVM PRÆSES, DICENS: TV ES REX IVDÆORVM? DICIT ILLI IESVS: TV DICIS] Finita hiſtoria & tragico caſu Iudæ, redit Matthæus ad Ieſum, quem v. 1. dixit à pontificibus traditum Pilato, vt is eum damnaret & occideret. Nota Mattheus hîc multa ſilet, quæ ex Ioan. c. 18. v. 19. & ſeq. ſunt ante hunc Matthæi verſum ponenda, ſcilicet primò, Pilatum interrogaſſe pontifices: *Quam accuſationem aſſertis aduerſus hominem hunc?* Reſponderunt pontifices ſuperbè: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eũ.* Hoc reſponſo iritatus Pilatus ait: *Accipite eũ vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate:* lex autem iubebat blaſphemos (qualẽ eſſe Ieſum cenſebant pontifices) lapidari. Mox pontifices, quia volebant Chriſtum, ad maiorem infamiam crucifigi, contrà obtenderunt: *Nobis non licet interficere quemquam,* ſcilicet quia hoc ius eis ademptum erat â Romanis, idque factum eſt hoc conſilio, ait Ioannes, *vt ſermo Ieſu,* quem audiuimus Matth. 20. 18. *impleretur, ſignificans qua morte eſſet moriturus;* ſcilicet infami & duriſſima, nimirùm à Pilato & Romanis agendus in crucem. Crux enim apud Romanos erat ſupplicium proprium ſeditionis & affectati regni (vti oſtendit Lipſius lib. 1. de Cruce c. 14.) quod hîc pôtifices Chriſto impingunt, ac proinde illud hoc loco, vtpote contra Cæſarem commiſſum, erat à Pilato Cæſaris præſide cruce puniendum: vnde ipſe cruci hunc titulum, quaſi cauſam necis Chriſti inſcripſit: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.*

*Tria crimina Chriſto obiectantur.*

Porrò Pontifices videntes ſua auctoritate, & damnationis Chriſti præiudicio non moueri Pilatum, ſed cauſam poſcere & crimina de quibus eum accuſent, vt ex ijs videat & iudicet an Ieſus reus ſit motus, necne; hac de cauſa ipſi tria crimina depromunt, de ijſque Ieſum apud Pilatum quaſi reum mortis accuſant, quæ recenſet Lucas cap. 23. v. 2. ſcilicet dicentes, Primum, *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram,* Secundum, *Et prohibentem tributa dare Cæſari,* Tertium, *Et dicentem ſe Chriſtum regem eſſe;* Quartum addit Pilatus in epiſtola quam ſcripſit de cauſa Ieſu ad Tiberium Imper. quæ extat apud Hegeſippum lib. 5. ſcilicet Iudæos Chriſto etiam magiam obieciſſe, quòd nimirum mira & miracula faceret ope dæmonis, quaſi magus, eò quòd Iudæi de Chriſto dixiſſent: *In Beelzebub principe dæmoniorũ eijcit dæmonia* Matth. c. 12. v. 24. Omnia hæc falſiſſima erant, ac nominatim de tributis contrarium, ſcilicet illa danda eſſe Cæſari, diſertè dixerat Chriſtus Matth. cap. 22. verſ. 17. imò de facto ipſe pro ſe & pro Petro ſoluerat tributum ca. 17. verſ. 27. Quocirca Pilatus, qui ex fama publica multa præclara audierat de vitæ integritate, doctrina & miraculis Ieſu, hæc vt ex odio & inuidia principum in Chriſtum conficta, neglexit & deſpexit; ac ſolùm interrogauit Ieſum, an ipſe eſſet rex Iudęorum, ſiue quòd ortus ex ſanguine regum, ad ipſum ius regni Iudææ pertineret, ſiue quòd Meſſiæ titulo, aut aliquo alio ſimili, illud ad Ieſum ſpectaret. Ieſus Pilato reſpondit, rogauitque, vti ſupplet Ioan. cap. 18. v. 34. *A teipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* Sciebat Ieſus pontifices id dixiſſe Pilato, ſeque apud eum de affectato Iudææ regno accuſaſſe, ſed voluit interrogando pungere Pilatum, vt meminerit Iudæorum, id eſt hoſtium ſuorum, hæc eſſe verba & calumniam, cùm ipſe Pilatus Præſes, cuius erat Cæſaris nomen plenumque imperium tueri, ac proinde curare ne quis regem Iudææ ſe diceret, hucuſque officio ſuo inuigilans, nil tale de Ieſu vmquam audiſſet. Pilatus hac Ieſu interrogatione iritatus, reſpondit: *Numquid Iudæus ego ſum?* vt tuum, qui es Iudæus, genus, proſapiam, cæteraque tua norim vel curem? q.d. Minimè: ſum enim Gentilis & Romanorum præfectus: *Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti?* Hoc eſt quod ex ore Pilati elicere & audire cupiebat Ieſus: vnde ad primam eius petitionem; num ipſe rex eſſet: clarè & directè reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei decertarẽt vtique, vt non traderer Iudæis: nunc autẽ regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis, quia rex ſum ego: ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mũdum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam.*



Dixit Chriſtus Pilato, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, id eſt, non eſſe mundanum & terrenum, humanum & temporale, conſtans humanis pompis, legibus, militibus, armis, præſidijs, vt Tiberius Cæſar ab eo ſibi metuere deberet, ne dominio Iudææ ab eo priuaretur, ſed eſſe cæleſte, ſpirituale & tranſſcendens, quo in fidelium mentibus regnet per fidem & gratiam, vt ad regnum ſuum cæleſte perducat. Matthæus hoc vltimum dumtaxat breuitatis ſtudio, quaſi veram necis Chriſti cauſam cæteris omiſſis aſſignat, dicens: *interrogauit eum præſes dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Ieſus: Tu dicis.* q.d. Ego ſum rex Iudæorum vti tu dicis, id eſt, ego ſum Meſſias rex. Potuiſſet Chriſtus verè dicere, Non ſum rex Iudæ rum, ſcilicet temporalis, vti eſt Herodes, nec affectaui vel ambiui regnum Iudææ, ſed quia Iudæi per Regem Iudæorum intelligebant Meſſiam, hinc Chriſtus, ne ſe negaret eſſe Meſſiam, hoc eſt Chriſtum, confeſſus eſt, ſe eſſe regem Iudæorum, id eſt ſe eſſe Meſſiam regem Iudæis à Prophetis promiſſum.

*Regnum Chriſti Primò. ſpiritale.*

Quæres, quale & quotuplex eſt regnũ Chriſti? Reſpond. Chriſtus quà homo, duplex habuit regnum, etiam dum viueret in terris. Primum ſpiritale, ſcilicet Eccleſiã. Hanc enim quaſi rempubl. fidelium in Iudæa inſtituit, ac certis legibus, ordinibus, Sacramentis, &c. ordinauit, ac per S. Petrum eiuſque ſucceſſores quaſi vicarios ſuos regit, & per omnes gentes propagat. Hoc eſt regnum quod Meſſiæ, id eſt Chriſto, dandum prædixerunt Dauid & Prophetæ: ita S. Auguſt. tract. 115. in Ioan. Secundum Chriſti regnum, vt rectè docet D. Thomas lib. 1. de Regimine Principum cap. 12. & alij contra Abulenſem in cap. 21. Matth. quæſt. 30. eſt phyſicum, & κοσμικὸν, ſiue mundanum.

*Secundò. phyſicum.*

Chriſtus enim à primo inſtanti conceptionis ſuæ, propriè & directè habuit regnum & dominium totius mundi, ſaltem quoad ius & poteſtatem, vt poſſet reges quoſlibet è regno deponere & alios creare, licèt hac poteſtate in terris non ſit vſus.



Pro quo Nota triplex eſſe dominium & regnum. Primum eſt ſummum & diuinum, quod Deus in omnes creaturas, quaſi res ſuas obtinet. Hoc ſoli Deo eſt proprium. Secundum, eſt infimum & humanum, quale habent reges, Imperatores & principes terræ. Tertium, & inter hæc duo medium, eſt regnum & imperium Chriſti quà homo eſt, quia hoc longè excedit & ſuperat omnia regna humana, omniaque regum ſceptra & iura: Primò, origine, quæ à Deo manat, non ab homine: Deus enim hoc Chriſto dedit, non reſpubl. hominum. Secundò, firmitate; quia inſuperabile eſt, perpetuum & æternum. Tertiò, obiecto; quia ad omnia creata, etiam ad angelos, ſe extendit. Id ita eſſe patet, quia Chriſtus dicitur in femore, id eſt in humanitate, habere ſcriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium;* Apocal. c. 19. v. 16. item dicitur eſſe *Princeps regum terræ.* Apocal. 1. 5. ac rurſum ipſe de ſe ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Matth. 28. Hoc enim imperium, Chriſto homini debitum erat ratione vnionis hypoſtaticæ cum Verbo, ſiue Dei filio, vt ſcilicet ipſe, quia per eam aſſcitus erat in filium Dei, heres eſſet & Dominus vniuerſorum. Quare hoc regnum Chriſto homini eſt proprium, quod ipſe nulli, ne S. Petro quidem, eiuſq; ſucceſſoribus Pontificibus communicauit.

*Chriſti regnum ſuperat cætera. Primò. Secundò. Tertiò.*

*Chriſto debitum regnum Iudææ.*

Quæres rurſum, an Chriſtus quà homo, habuerit ius humanum ad regnum Iudæorum? Reſp. habuiſſe: erat enim ipſe filius Dauid, cæterorumque regum Iudæ, vt patet? Matth. 1. ideoque eorum ſucceſſor & heres. Regnum tamen hoc actu non adijt, nec in eo rex inauguratus eſt: eius tamen ſpecimen quoddam dedit, cùm in Dominica Palmarum ſolemni pompa, quaſi rex Meſſias aſino vectus ingreſſus eſt Hieroſolymam, ac turba ei acclamauit: *Hoſanna filio Dauid,* Matth. 21. ſed, vt dixi, reipſa hoc regnum non adijt, nec adiminiſtrauit Chriſtus, præſertim quia ante eum iam diu regnum familiæ Dauidis ceſſarat in Iechonia & Sedecia, qui fuêre vltimi reges Iudæorum è ſtirpe Dauid, ac poſtea hoc regnum communi conſenſu populi tranſlatum fuit ad Aſſamonæos, ſcilicet ad Iudam, Ionatham & Simonem Machabæos, eorumque poſteros.

VERS. 12. *Luc. 23. v. 2. 5. Mar. 15. 3.*

*Silet Chriſtus quatuor de cauſis. Prima. Secunda. Tertia*

ET CVM ACCVSARETVR A PRINCIPIBVS SACERDOTVM ET SENIORIBVS, NIHIL RESPONDIT] Cauſa fuit prima; quia omnia quæ ei obijciebantur, manifeſtè erant falſa, & reſponſo indigna. Ita S. Auguſtin. ſerm. 118. de Temp. *Accuſationem,* inquit, *ſuam Dominus tacendo non firmat, ſed deſpicit non repellendo: melior eſt cauſa quæ non defenditur, & probatur: plenior iuſtitia, quæ nõ verbis aſtruitur, ſed veritate fulcitur. Sciuit Saluator, qui eſt ſapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non reſpondendo ſuperaret.* Secundò, quia Ieſus ſciebat fruſtrà ſe reſponſurum, & reſponſo ſuo magis iritaturum Iudæos furentes in necem ſuam. Tertiò, ne diluens crimen à præſide dimitteretur, & crucis vtilitas differretur, ait S. Hieron. quia volebat tacendo condemnari & mori pro ſalute hominum. Ita S. Ambroſ. in cap. 23. Lucæ: *Bene tacet,* inquit, *qui defenſione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Quid timeret, qui non ambiret ſalutem? Solus omnium ſuam prodit, vt acquirat omnium,*

*nium*. Quartò, vt ſilentio ſuo lueret & expiaret omnia mendacia, periuria, blaſphemias, maledicta, calumnias, &c. quę homines loquendo committunt, eoſque doceret linguam frænare, ac in malis, otioſis & vanis ſilentium ori indicere.

VERS. 13. Mar. 15. 4. TVNC DICIT ILLI PILATVS: NON AVDIS QVANTA ADVERSVM TE DICVNT TESTIMONIA? ] Pilatus enim eduxerat Ieſum à domo ſua foras, vt audiret accuſationes principum nolentium ingredi prætorium, ne contaminarentur Gentilis præſidis domo & tribunali, ſed vt puri manducarent paſcha, id eſt, victimas in paſchate oblatas, vel mox offerendas, vt ait Ioannes c. 18. v. 28.

VERS. 14. Mar. 15. 5. *Miratur Pilatus.* ET NON RESPONDIT EI AD VLLVM VERBVM, ITA VT MIRARETVR PRÆSES VEHEMENTER ] Mirabatur Pilatus, Ieſum innocentem, ſapientem & eloquentem in extremo vitæ diſcrimine conſtitutum, cùm à potentiſſimis principibus furioſè accuſaretur & vrgeretur ad necem, ſilere. Mirabatur ergo eius animi modeſtiam, æquanimitatem, celſitudinem, mortis contemptum, indeque magis eius innocentiam & ſanctitatem agnouit, omnibuſque modis eum è manibus Iudæorum liberare ſategit. Audi S. Athanaſium ſerm. de paſſ. & cruce: *Magnum id certè & mirificum in Seruatore, qui tacendo & non reſpondendo tam efficax erat in perſuadendo, vt iudex vltrò factiones conſpirationeſq; aduerſus eum initas, & agnoſceret & confiteretur.* Ita ſæpè Sancti calumnias in ſe iactas ſilendo magis, quàm reſpondendo confutant. Innocentis enim vitæ ſilentium, vocalius eſt omni apologia, quantumuis verboſa.

VERS. 15. Luc. 23. 17. Mar. 15. 6. Ioan. 18. 39. PER DIEM AVTEM SOLEMNEM CONSVEVERAT PRÆSES POPVLO DIMITTERE VNVM VINCTVM, QVEM VOLVISSENT ] Ante hunc verſum ſupplendum & præponendum eſt ex Lucæ cap. 23. verſ. 5. & ſeq. Pilatum cùm audiret Ieſum eſſe Galilæum, vt ab eius condemnatione ſe extricaret, miſiſſe eum ad Herodem Galilææ regem, qui eum ſilentem, velut fatuum illudens, veſte alba indutum remiſit ad Pilatum, quem antea ob exortum de terminis iuriſdictionis litigium, inimicum ſibi, hoc facto reconciliauit. Pro *veſte alba* græcè eſt λαμπρᾷ, id eſt illuſtri, candida, ſplendida: candor enim ſplendet, & viciſſim fulgor candet. Alba ergo veſte Herodes induit Chriſtum, quia hæc veſtis Primò, erat ambientium magiſtratum, qui inde Candidati dicebantur; Secundò, eadem erat principum; Tertiò, eadem erat morionum & ſtultorum. Suggillauit ergo hac veſte Herodes Chriſti ſtultam ambitionem, quòd ſcilicet ſtolidè & ex fatuitate Iudææ regnum affectaſſet, & ambiuiſſet. *Chriſtus candida indutus, cur.*

Symbolicè, veſtis cãdida repræſentabat Chriſti innocentiam, puritatem, virginitatem, victoriam, immortalitatem, gloriam, &c. quam per paſſionem & illuſionem hanc meruit & acquiſiuit. Horum enim ſymbolum erat veſtis candida, vt oſtendi Eccl. 9. 8. ad illa: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Vnde S. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ: *Alba induitur,* inquit, *immaculata tribuens indicia paſſionis, quod Agnus Dei ſine macula peccata mundi ſuſciperet.* *Moraliter.*

Porrò Pilatus videns Ieſum ſibi ab Herode remiſſum, vt eum liberaret, dixit principibus: vt habet Lucas c. 23. v. 14. *Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inueni in homine iſto, ex his in quibus eum accuſatis; ſed neque Herodes, nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam. Emendatum,* id eſt, caſtigatum & flagellatũ, vt ſcilicet hac caſtigatione non culpam, quam nullam commiſit, ſed veſtra in eum odia exſatiem.

Mox Pilatus alium modum liberandi Ieſum adinuenit, & populo propoſuit, quem hoc v. 15. recenſet Matthæus; ſcilicet vt in Paſchate de more aliquem reum liberum dimiſſurus, componeret Ieſum cum Barabba latrone, ſperans & vix dubitans quin Iudæi Ieſum, qui tot infirmos eorum curarat, tantaque beneficia eis contulerat poſcerent liberari, Barabbam verò damnari. Vnde ait: *Per diem ſolennem,* ſcilicet præſentem Paſchæ, vt habet Ioan. c. 18. 39. *Conſueuerat præſes populo dimittere vnum vinctum quẽ voluiſſet.* Hic mos olim apud Iudæos inductus fuit, in memoriam liberati ex Ægyptia captiuitate Iſraelis per Moſen, Exodi 14.

Quæres, an verè Pilatus voluerit dimittere Chriſtum? Negat Rupertus, putatque Pilatum inſtar vulpis ſimulaſſe ſe velle liberare Ieſum, ſed ſecretò colluſiſſe cum Iudæis, vt eum perderet; *Quia,* inquit, *poſuit ipſe Ieſum in Iudæorum inuidentium arbitrio.* Verùm longè meliùs S. Auguſtin. ceterique omnes cenſent, Pilatum ſincerè & ſeriò voluiſſe dimittere Ieſum. Id enim diſertè habet Lucas capit. 23. verſ. 20. & S. Petrus Actor. cap. 13. *Ieſum,* ait, *negaſtis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.* Idem liquet ex tot modis & inſtantijs, quibus Pilatus ſategit ſaluare vitam Chriſti.

*Inſtantia Pilati ad liberandum. Prima.* Prima inſtantia fuit, quòd principibus, ſuam auctoritatem & iudicium, quo cum Caipha põtifice Ieſum damnarant, Pilato obtendentibus, poſcentibuſque eum ad necem, ipſe non acquieuit, ſed cauſam eius cognoſcere, & crimina de quibus eum accuſabant, audire & iudicare voluit Ioan. 18. 31.

*Secunda.* Secunda inſtantia fuit, quòd principibus Ieſu, multa crimina, ac præſertim affectationem regni Iudaici, obijcientibus non credidit, maximè cùm à Ieſu audiſſet regnum eius non eſſe de hoc mundo vnde palàm edixit ſe nullam mortis cauſam in Ieſu inuenire.

*Tertia.* Tertia fuit, quòd miſerit Ieſum ad Herodem, ac remiſſum ad ſe, tam ſuo quàm Herodis teſtimonio innocentem pronunciarit.

*Quarta.* Quarta fuit, quòd compoſuerit eum cum Barabba, ſperans Iudæos potiùs liberaturos Ieſum, quàm Barabbam. Vnde ſubdit Matthæus.

VERS. 16. Luc. 33. v. 18. 19. Mar. 15. 7. Ioan. 18. 40. *Barabbas latro.* HABEBAT AVTEM TVNC VINCTVM INSIGNEM, QVI DICEBATVR BARABBAS ] *Inſignem,* ſcilicet ſcelere & infamia; græcè, ἐπίσημον, id eſt, famoſum, ſcilicet nominatum pro malitijs, ait Euthymius. Ioannes eum *latronem* vocat, Marcus, *qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium:* Lucas, *erat propter ſeditionem quandam factam in ciuitate, & homicidiũ miſſus in carcerem.* Vnde Chryſoſt. eum vocat *famoſum in proteruitate, & multis homicidijs iniquitatum:* Magna fuit hæc infamia & cruciatus Ieſu, quòd ſe innocentem & ſanctum, imò Sanctum Sanctorum, qui tot ægris & mortuis vitam dederat, eratque electis



ctis auctor vitæ æternæ, cerneret componi & poſtponi Barabbæ, qui erat ſceleſtus, homicida & auctor mortis. Diſce, ô Chriſtiane, cùm componeris & poſtponeris minùs dignis, imò indignis & ſceleratis, imitari patientiam Ieſu, qui paſſus eſt ſe poſtponi Barabbæ.

BARABBAS ] Hebr. idem eſt quod *bar abba,* id eſt filius patris, ſcilicet primi Adæ, qui omnium hominum peccatorum fuit pater, cui poſtpoſitus fuit Chriſtus, cùm eius inobedientiam & culpam in ſe luendam ſuſcepit, ideoque damnatus fuit ad mortem, vt Adamum eiuſque poſteros à morte liberaret. Minùs aptè S. Hieron. *Barabbas,* inquit, *dicitur quaſi bar rabba,* id eſt, filius magiſtri. Sic enim *Barrabbas* dicendum eſſet per duplex *r,* iam autem dicitur *Barabbas* per ſimplex *r.*

VERS. 17. Mar. 15. 9. Ioan. 18. 39. CONGREGATIS ERGO ILLIS, DIXIT PILATVS: QVEM VVLTIS DIMITTAM VOBIS? BARABBAM AN IESVM, QVI DICITVR CHRISTVS? ] *Vt, ſi principes,* inquit Druthmarus, *propter inuidiam volebant eum perdere, populus qui expertus fuerat eius multiplicia beneficia, peteret eum viuere;* vel certè ſi nollent, quod ait Chryſoſt. *tamquam innocentem abſoluere, ſaltem tamquam condemnatum ſolemnitati largirentur.*

QVI DICITVR CHRISTVS ] Id eſt, qui vulgò habetur vocaturque Meſſias. Seriò hoc dixit Pilatus, vt pungeret Iudæos ad poſtulandum Ieſum liberari. q.d. Ieſus eſt Meſſias veſter: patribus veſtris vobiſque promiſſus; cauete ergo ne eum morte mulctetis.

VERS. 18. Mar. 15. 10. SCIEBAT ENIM QVÒD PER INVIDIAM TRADIDISSENT EVM ] tum quia principes clamore, vultu, geſtu non niſi odia & iras ſpirabant in Chriſtum: tum quia multa audierat de Ieſu ſanctitate, doctrina & libertate, qua principum vitia taxauerat.

VERS. 19. *Vxor Pilati mittit ad maritum pro liberando Chriſto.* SEDENTE AVTEM ILLO PRO TRIBVNALI, MISIT AD EVM VXOR EIVS, DICENS: NIHIL TIBI, ET IVSTO ILLI: MVLTA ENIM PASSA SVM HODIE (hac nocte) PER VISVM (græcè κατ' ὄναρ, id eſt, *in ſomnis*) PROPTER EVM ] Noua eſt hæc inſtantia vxoris Pilati, ad liberandum Chriſtum. Vxor ergo Pilati ſub auroram quieſcens in lecto, cùm maritus eius Pilatus iam ſurrexiſſet, vt negotijs publicis vacaret, habuit terrifica ſomnia, minitantia ſibi & marito, ſi is Ieſum innocentem & ſanctum condemnaret. Somnia hæc illi immiſſa fuiſſe à dæmone iam agnoſcẽte Ieſum eſſe Chriſtum, ideoque eius necem impedire volente, ne per eã homines ſaluarentur, cenſent S. Cyprianus (vel quiſquis eſt auctor) ſerm. de Paſſione, S. Bernard. ſerm. 1. de Paſchate, Lyranus, Carthuſian. & Caietanus Vnde Rabanus, *intelligens diabolus,* inquit, *ſe per Chriſtũ ſpolia amiſſurum, vult per mulierem liberare.* Citãt Baronius & Barradius pro eadem ſententia S. Ignatium epiſt. 8. ad Polycarpum & 5. ad Philippenſes, ſed nil tale in Ignatio reperire potui. Verùm ſi dæmon Ieſum liberare voluiſſet, potiùs Iudæos & principes in gratiam & commiſerationem Ieſu flexiſſet, quàm mulierem.

*Vxoris Pilati ſomnium à quo immiſſum.* Quare veriùs Origenes, S. Hilarius, Hieron. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Ianſenius, Maldonat. hîc, & S. Auguſt. ſerm. 121. de Tempore, & S. Ambroſ. libr. 10. in Lucam, cenſent hoc ſomnium vxori Pilati à Deo per angelum ſanctum fuiſſe inditum, idque Primò, vt Chriſtus ab vtroque ſexu, ſcilicet tam à Pilato, quàm ab eius vxore, innocentiæ ſuæ ferret teſtimonium; ſicut eiuſdem innocentiæ teſtimonium luculentum dederunt omnia elementa, quę in eius morte commota & concuſſa fuerunt. Secundò, quia ſi Pilato hoc ſomnium immiſſum fuiſſet, is illud apud ſe in mente retinuiſſet ait Chryſoſtom. Immittitur ergo vxori, vt illa marito Pilato in tribunali; coram principibus & Iudæis illud reuelet & enunciet, vt ipſi audiant Ieſum eſſe innocentem. Tertiò, quia videtur hæc vxor fuiſſe mulier honeſta, miſericors & pia: vnde eam per hoc ſomnium agnouiſſe Ieſum eſſe Meſſiam, ſaluatorem mundi, in eumque credidiſſe, eſſeque ſaluatam opinantur Origenes, Chryſoſtom. Theophyl. & alij. *An ſaluata ſit.* Audi S. Hilarium canone 33. hîc: *Species in ea Gentium plebis eſt, quæ iam fidelis eum, cum quo conuerſabatur, incredulum populum ad Chriſti fidem aduocat. Quia ipſa multum ſit paſſa pro Chriſto, in eamdem gloriam futuræ ſpei illum inuitat.* Sic etiam Ambr. libr. 10. in Luc. cap. 23. *Monebat vxor,* inquit, ſed à quo mota? *Lucebat in nocte gratia, diuinitas eminebat, nec ſic à ſacrilega ſententia temperauit.* Nec diſſentit S. Auguſt. relatus à D. Thoma in Catena aurea, dum docet vtrumque coniugem agente Deo, teſtimonium publicè pro Chriſto tuliſſe: ille ſiquidem clamauit; *Nihil mali fecit;* ipſa verò, *Nihil tibi & iuſto illi:* quod S. Hieronymo etiam teſte, fidei Gentilis populi præſagium fuit. Idem S. Auguſtin. ſerm. 121. de Temp. *In natiuitate mundi,* ait, *vxor ducit virum ad mortem,* ſcilicet Eua Adamum; *in paſſione Chriſti vxor prouocat ad ſalutem;* ſcilicet Claudia Pilatum.

Quocirca Lucius Dexter in Chronico, anno Chriſti 34. nu. 2. ſic habet: *Anno Chriſti 34. Chriſtus ſaluator mundi, reus apud Pilatum agitur, Claudia Procula vxor Pilati admonita per ſomnum, in Chriſtum credit, & ſalutem conſequitur.* Simili modò inter alias mulieres, quæ de ſuis facultatibus prædicanti Ieſu miniſtrabant, fuit Ioãna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, qui Chriſtum ſpreuit, & veſte alba indutum illuſit.

Fauet Euangelium Nicodemi, quod licèt apocryphum, multa tamen vera probaque continet. In eo enim ſic legimus: *Cogitante verò Pilato quid ageret de Ieſu, miſit ad eum vxor eius, nomine Procula, dicẽs: Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter eum. Reſpondentes Iudæi, dixerunt Pilato: Numquid non diximus; quia maleficus eſt; ecce ſomnium immiſit ad vxorem tuam.* Denique Menologium Græcorum Proculam Pilati vxorem catalogo Sanctorum aſcribit. Citat hæc Vincentius Beluacenſis lib. 7. Speculi hiſtor. c. 41. Proculam quoque vxorem Pilati nominat Niceph. lib. 1. cap. 30. *Vxori Pilati nomen Procula.* Forſan Claudia hæc Procula Pilati vxor, eſt illa Claudia, cuius meminit Paulus 2. Timoth. 4. *Salutant te Ebulus, & Pudens, & Linus, & Claudia.* Conueniunt ſiquidem in ea nomen, & tempus, & religio & locus: nam in Vrbe hæc epiſtola ſcripta eſt, vbi vxorem Pilati, quando ipſe in exilium Lugdunum actus eſt, veriſimile eſt permanſiſſe, eumque ob diſparitatẽ cultus non fuiſſe comitatam.

Denique Pilatum quoque per vxorem ad fidem Chriſti fuiſſe conuerſum, innuit S. Auguſt. ſerm. 3. de Epiphan. his verbis: *Magi ab Oriente,* Pilatus

*Pilatus an Chriſtianus?*

*Pilatus ab Occidente venerat. Vnde illi orienti, hoc eſt, naſcenti; ille autem occidenti; hoc eſt morienti, atteſtabantur Regi Iudæorum, vt cum Abraham, Iſaac & Iacob recumberent in regno cælorum, non ex eis propagati per carnem, ſed eis inſerti per fidem,* &c. Tertullianus Apolog.c.21. *Ea,* inquit, *omnia ſuper Chriſto Pilatus & ipſe iam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tunc Tiberio nunciauit,*&c.

Verùm hæc valdè ambigua ſunt, ſymbolica, obſcura & incerta, ac diſcrepant ab ijs, quæ alij de infelici morte Pilati narrant. Ioſephus enim lib.18.Antiq.cap.5. ſcribit Pilatum poſt aliquot annos à Vitellio Syriæ præſide, Romam miſſum ad Cæſarem, vt coram eo ad crimina ſibi à Iudæis obiecta reſponderet. Quod cùm facere non poſſet omni honore priuatus, Viennam in Gallias relegatus, ſua ſe tranſuerberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæſiuit, ait Ado in Chron. qui eiuſdem Viēnæ Epiſcopus fuit, idque ſumpſit ex Paulo Oroſio lib.7.c.5. Idem habent Euſebius, & Caſſiodorus in Chronico. Sic & alij paſſim.

*Pilatus in exilium Viēnam miſſus ſeipſum occidit.*

Quod ergo S. Auguſt. & Tertullian. Pilatum vocant Chriſtianum, intellige Chriſtianum, id eſt Chriſti fautorem & defenſorem, quia eius innocentiam protexit, donec victus nominatione & comminatione Cæſaris eum condemnauit; quare in eum non credidit, ſed potiùs eum vt pſeudochriſtum morti addixit, quod ingens fuit ſcelus & chriſticidium. Quocirca iuſto Dei iudicio talione punitus eſt Pilatus, vt, ſicut ipſe Chriſtum innocentem propter falſas Iudæorum criminationes damnauit, ſic viciſſim & ipſe propter falſas eorumdem Iudæorum criminationes à Caio Cæſare damnaretur & pelleretur in exilium.

VERS. 20. Mar. 15. 11.

PRINCIPES AVTEM SACERDOTVM ET SENIORES PERSVASERVNT POPVLIS, VT PETERENT BARABBAM, IESVM VERÒ PERDERENT] Pilatus dedit populo ſpatium deliberandi, vtrum vellet dimitti Ieſum, an Barabbam: interim vxor miſit ad Pilatum, qui ei diceret: *Nihil tibi & iuſto illi.* In hoc temporis ſpatio principes per ſe & ſuos aſſeclas ac miniſtros perſuaſerunt populis, vt potiùs peterent Barabbam quàm Ieſum, quaſi Ieſus magis ſeditioſus eſſet & noxius reipubl. ob affectatum Iudææ regnum, quàm Barabbas.

Vide hîc quid faciat ira & liuor, quamque falſa & peruerſa ſint mundi iudicia, qui Ieſum ſalutis auctorem cenſet eſſe mortis auctorem, ideoque morte mulctandum; Barabbam verò cædis auctorem cenſet eſſe Ieſu meliorem, ideoque vita donandum. Nimirum Dei nutu hæc agebantur, vt Chriſtus innocens pateretur, itaque nocētes & peccatores, quos repræſentabat Barabbas, à morte liberaret.

VERS. 21. Luc. 23. 18. Mar. 15. 9. Ioan. 18. 40.

*Barabbas Chriſto præfertur.*

RESPONDENS AVTEM PRÆSES, AIT ILLIS: QVEM VVLTIS VOBIS DE DVOBVS DIMITTI? AT ILLI DIXERVNT: BARABBAM] *Reſpondens,* id eſt, poſt datum Iudæis ſufficiens deliberandi ſpatium, rurſum interrogans & reſponſum ab eis exigens.

Præclarè Ven. Beda in Marci cap.15.v.9. *Hæret Iudæis,* inquit, *vſque hodie ſua petitio, quam tanto labore impetrarunt: quod enim data ſibi optione pro Ieſu latronem, pro Saluatore interfectorem, pro datore vitæ elegerunt ademptorem; meritò ſalutem perdiderunt & vitam, & latrocinijs ſeſe ac ſeditionibus in tātum ſubdiderunt, vt & patriam regnumq; ſuum, quod plus Chriſto amauêre, perdiderint, & hactenus eam quā vendidere ſiue corporis, ſiue animæ libertatem, recipere non meminerint.*

Allegoricè hæc electio Barabbæ, & repudium Chriſti, ait S. Hieronym. adumbrabat Antichriſtum latronem, in fine mundi à Iudæis eligendum repudiato Chriſto. Et S. Ambr. in cap. 22. Lucæ: *Barabbas,* ait, *patris filius latinè dicitur. Illi ergo quibus dicitur: Vos ex patre diabolo eſtis; vero Dei Filio patris ſui filium Antichriſtum prælaturi eſſe produntur.*

VERS. 22. Luc. 23. v. 20. 21. Mar. 15. v. 12. 13.

DICIT ILLIS PILATVS: QVID IGITVR FACIAM DE IESV, QVI DICITVR CHRISTVS? DICVNT OMNES: CRVCIFIGATVR] Pilatus, ait S. Chryſoſt. *ponit rem in illorum poteſtate, vt clementiæ ipſorum totum attribuatur, ita obſequio illos captans ac mitigans,* ſed fruſtrà. Iam enim principes in ſuo concilio decreuerant vrgere vt crucifigeretur, tum quia crux erat atrociſſima, & ſummi doloris; tum quia crux erat ignominioſiſſima, vtpote latronum, ſeditioſorum, & tyrannorum, regnum inuadentium ſupplicium, vt hâc ignominia omnem præteritam Chriſti famam & gloriam obtererent, & peſſundarent. Ita S. Chryſoſt. *Quare,* inquit, *tantoperè hanc eius mortem affectabant? quia ignominioſa erat: veriti ergo ne eius poſtea memoria ſeruaretur, hanc probroſam mortem elegerunt, neſcij, quòd cùm impeditur, magis apparet veritas.*

VERS. 23. Luc. 22. v. 22. 33. Mar. 15. 14. Ioan. 19. v. 6. 15.

AIT ILLIS PRÆSES: QVID ENIM MALI FECIT? AT ILLI MAGIS (græcè, περισσῶς, id eſt, vehementiùs, ait Euthym.) CLAMABANT DICENTES? CRVCIFIGATVR] Iterum iterumque inſtante Pilato, Ieſuque innocentiam vrgente vt eum liberaret, validiùs clamando inſtant Iudæi vt crucifigatur *non deponentes, ſed augentes iram, animoſitatem, blaſphemiam,* ait Origenes. Iudæi hîc contra Chriſtum impleuerūt illud Ieremiæ c.12. *Facta eſt mihi hereditas mea* ſcilicet Synagoga, *quaſi leo in ſylua, dederunt contra me vocem ſuam.* & illud Dauidis de Chriſto pſal.21. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* Et illud Iſaiæ 5. 7. *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor.* ita S. Hieron.

VERS. 24.

VIDENS AVTEM PILATVS QVIA NIHIL PROFICERET, SED MAGIS TVMVLTVS FIERET; ACCEPTA AQVA, LAVIT MANVS CORAM POPVLO, DICENS: INNOCENS EGO SVM A SANGVINE IVSTI HVIVS: VOS VIDERITIS] *Lauit,* græcè ἀπενίψατο, id eſt, *abluit. Iudaico,* ait Origenes, *vſus eſt more, volens eos de Chriſti innocentia non ſolùm verbis, ſed etiam ipſo facto placare.* Lauit Pilatus manus, at non conſcientiam ſuam. Porrò hæc lotio Pilati contigit poſteriùs; ſcilicet poſt flagellationē & coronationem Chriſti, vt patet ex Ioanne. Eſt ergo hîc hiſterologia.

INNOCENS EGO SVM] q. d. Ego inuitus & coactus à vobis, ô Iudæi, Chriſtum condemno: innocens ergo ego ſum, vos verò nocentes & rei mortis ipſius. Sed ſtolidè hoc dicit timidus, excors, leporinus & ignauus præſes. Cur enim, ô Pilate, populo iniquo non reſiſtis? *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates,* ait Eccleſiaſt.c.7.6. Alias populum tumultuantem immiſſis militibus cum fuſtibus compeſcuiſti, teſte Ioſepho lib.18.cap.4.vel 5. cur idem nunc non agis? Si Ieſum ob furentem populum liberum dimittere nequis, ſaltem ſententiam differ, procraſtina, moras necte, dum furor ille ſubſidat.



Quocirca S. Chryſoſt. & ex eo Titus Boſtrenus in Lucæ c.23.v.22. *Tametſi,* ait, *lauit manus, ſeq; innocentē eſſe dicebat, mollis tamen parumq; virilis animi fuit illa permiſſio, ignauiſſimeq; id admodū geſſit: oportebat enim nullatenus illum eis tradere, quin potiùs eripere, ſicut poſtea tribunus Paulum,* Actor. 21. 33. Neruoſius S. Aug. ſer. 118. de Temp. *Lauerit licet manus Pilatus, tamen ſua facta non diluit: quamuis abſtergere ſe putauerit iuſti ſanguinem de ſuis membris, eodem tamen ſanguine mens eius tenetur infecta: ipſe enim occidit Chriſtum, qui eum tradidit occidendū. Iudex enim bonus & conſtans, ne ſanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit, nec timere.* Et S. Leo ſer. 8. de Paſſione. *Pilatus,* ait, *non euaſit reatū, qui cooperatus ſeditioſis, reliquit iudicium proprium, & in crimen tranſiuit alienum.*

VERS. 25.

ET RESPONDENS VNIVERSVS POPVLVS, DIXIT: SANGVIS EIVS SVPER NOS ET SVPER FILIOS NOSTROS] q. d. Culpa, æquè ac vindicta ſanguinis Ieſu, à te, ô Pilate, effundendi, quam tu vereris, Deo vindice à te transferatur in nos & filios noſtros, vt, ſi quæ hîc ſit culpa, illam nos cum poſteris luamus: nullam enim agnoſcimus, ac proinde nullam timemus vindictam, quare illam in nos audacter accerſimus. Ita illi cæci & furentes, non tantùm ſe, ſed & filios ſuos Dei vindictæ ſubiecerunt, quam proinde per 1600. annos vſque in hodiernum diem grauem atrocemque ſentiunt, vt poſt excidium gentis & Hieroſolymæ, ſine vrbe, ſine templo, ſine ſacrificio, ſine pontifice, ſine principe, toto orbe vagentur, omniumque gentium principibus ſeruiant. Quocirca in pœnam Chriſti crucifixi Titus obſidens Ieruſalem, cùm Iudæi ob famem turmatim egrederentur vt alimenta quærerent, ipſe quotidie quingētos & plures crucifigi iuſſit, *vt tandem locus crucibus deeſſet, & corporibus cruces,* ait Ioſeph 6. Belli c.12. *Perſeuerat,* ait S. Hieron. *vſque in præſentē diem hæc imprecatio ſuper Iudæos, & ſanguis Domini non aufertur ab eis:* quia, vt prædixit Daniel c.9. 27. *vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.*

*Sanguinis fluxus in Iudæis.*

Nota. Hugo Card. ſcribens in pſal.77.66. ad illa: *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis;* ex quibuſdam auctoribus refert, hoc opprobrium vſque hodie Iudæos ſuſtinere, vt in vindictam Dominicæ paſſionis patiantur hæmorrhoides, ſiue fluxum ſanguinis, ideoque ſint pallidi. Addit S. Vincent. ſer. in die Paraſceues, in ſignum illius imprecationis, *Sanguis eius ſuper nos,* quando maſculi eorum naſcuntur, habere manum dexteram plenam ſanguine, capiti innixam. Id aliqui confirmant exemplo Zaram, qui natus eſt filo rubrō alligato ad digitum. Addunt alij: ſolere pati ipſo die Paraſceues fluxum ſanguinis, totoque tunc palleſcere. Nonnulli, quòd in omni plenilunio idem patiantur, eáque de cauſa malo vt plurimum colore præditi ſint. De his meminit Salmeron, rectè admonens non videri ſolidis firmata teſtimonijs hiſtoriarum. Abul. ait, exiſtimare ſe hoc eſſe falſum, quamuis viri alicuius auctoritatis hoc aſſerant: occaſionem autem erroris eſſe, quòd Hebræi ſint magis obnoxij morbo hæmorrhoidum, qui eſt quando capita venarum ad os ani terminatarum intumeſcunt, ac replentur humore craſſo ſanguineo, qui exiſtit ex indigeſtione carnium inſulſarum & malè digeſtibilium, quibus videlicet Hebræi præ ceteris veſcuntur ſæpius, vt Romæ bubalorum. Hæc Abul. in lib. 1. Reg. c.5. qu.15. & 16. in fine, & ex eo Lorinus in pſal.77.

VERS. 26. Luc. 23. v. 24. 25. Mar. 15. 15. Ioan. 19. 16.

TVNC (cùm Iudæi noxam ſanguinis Chriſti à Pilato in ſe recipiſſent) DIMISIT ILLIS BARABBAM: IESVM AVTEM FLAGELLATVM TRADIDIT EIS, VT CRVCIFIGERETVR] *Flagellatum,* græcè φραγελλώσας, id eſt, cùm flagellaſſet. Flagellationem Chriſti per compendium vnico verbo more ſuo perſtringit Matthæus. Fuſiùs rei geſtæ ſeriem enarrant Lucas & Ioannes, ex quibus liquet Pilatum, cùm videret quartam ſuam inſtantiam ad liberādum Ieſum, per collationem eius cum Barabba non ſucceſſiſſe; quintam acriorem addidiſſe, ſcilicet Chriſti flagellationem, vt eius acerbitate odio Chriſti furentes Iudæorum animos ad commiſerationem flecteret, vt Ieſu vitam condonarent. Dixit ergo Iudæis: *Nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam,* vt habet Lucas c.23.22. Moxque illum flagellari curauit.

Nota Primò. flagellationem apud Romanos fuiſſe vile ſupplicium ſeruorum, ſicut liberorum erat fuſtigatio, vt patet ff. de pœnis, l. *ſeruorum.* Idem patet ex l. *Porcia & Sempronia*, Hinc Martyres ad ignominiam flagellabantur. Vnde Paulus flagellatus Actor. 16. grauiter expoſtulat dicens: *Cæſos nos publicè damnatos homines Romanos miſerunt in carcerem,* &c. Hinc & in Actis nōnullorum Martyrū legimus: *Martyr catomo cædatur, aut virgis flagellatur,* id eſt, puerorum more tamquam fatuus puer (ſicut à ludimagiſtris infantes verberari ſolent) vapulet. Vnde Prudētius hymno in S. Romanum:

*Sublime,* inquit, *tollant, & manu pulſent nates,*
*Mox & remotâ veſte virgis verberent.*

Sic S. Thomas Epiſcopus ad ignominiam virgis cæſus fuit, teſte Victore Vticenſi lib. 1. Wandal. & S. Afra, vti habent eius acta quæ Velſerus edidit, cæſa fuit catomis, id eſt, flagellis ad humeros (ὦμοι enim ſunt humeri, ſiue ſcapulæ) quod vulgò dicimus *dare ad ſcapulas;* græcè κατ' ὤμους, vnde *catomus* Sic Homerus Iliade ψ ait Tydidē equos verberaſſe κατωμαδὸν, id eſt, ſecundùm humeros vel armos. Aut potiùs *catomari,* idem eſt quod in humeros alterius leuari, vt more puerorum in natibus vapulet: κατωμίζω enim idem eſt quod in humeros tollo, & κατωμαδιος dicitur, qui ex humeris fertur, vel ex humeris pendet. Ita Baronius in Notis ad Martyrol. die 15. Iunij, idque probat ex Suida, Hippocrate & Ioſepho. Sic de S. Vito puero, & de S. Eulalia puella 13. annorum, & de S. Barida, alijſque legimus eos fuiſſe catomatos, id eſt, more puerorum flagellatos.

*Catomari quid?*

*Flagellabantur damnati ad mortem.*

Secundò, eos qui damnati erant ad mortem, etiam liberos, quaſi per damnationem iam viles & ſeruos effectos, flagellabant. Qua de cauſa lictores conſulibus & præſidibus Romanis præferebant faſces virgarum alligatas ſecuri, vt ab ijs damnatos virgis flagellarent, & deinde eis caput ſecuri amputarent.

Tertiò, Chriſtus fuit à Pilato flagellatus, non poſtquam ab eo fuit damnatus ad mortem, cru-

cifixionis & mortis cauſâ, ſed antè, vt ſcilicet Pilatus flagellationis atrocitate, leniret feroces Iudæorum animos, & emendatum dimitteret. Hæc tamen flagellatio effecit, ne denuò Chriſtus poſt condemnationem more Romano flagellaretur. Nam non bis, vt aliqui volunt, ſed ſemel tantùm flagellatum fuiſſe Chriſtum, patet ſi quis conferat Matthæum & Marcum cum Ioanne. Omnes enim de vna & eadem Chriſti flagellatione loquuntur.

*Chriſtus ad columnam flagellatus.*

Quartò, S. Hieronym. in Epitaphio Paulæ, S. Paulin. epiſt. 34. Prudentius & alij veteres, quos citat noſter Iacobus Gretſerus libr. 1. de Cruce, teſtantur Chriſtum vt flagellaretur, aſtrictum fuiſſe columnæ (perperam ergo id ridet Caluinus) quam Beda vocat marmoream, quæ deinde Romam tranſlata, in templo S. Praxedis viſitur. Eſt ea humilis, altitudine trium palmorum, ne, ſi altior foret, flagellatores impediuiſſet vt Chriſtum vtrimque, id eſt, tam antè quàm retrò, tam in pectore quàm in dorſo, flagellare poſſent. Graphicè modum quo Chriſtus per brachia & manus aſtrictus fuit columnæ, & flagellatus, in imagine intuendum exhibet Iac. Boſius libr. 1. de Cruce triumphante cap. 13. & Daniel Mallonius de Stigmat. S. Sindonis pag. 65. Audi S. Hieron. hîc: *Traditus eſt Ieſus militibus verberandus, & illud ſacratiſſimum corpus, pectuſq; Dei capax flagella ſecuerunt. Hoc autem factum eſt, vt, quia ſcriptum erat; Multa flagella peccatorum, illo flagellato nos à verberibus liberaremur, dicente Scriptura ad virum iuſtum, Fagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

*Columna flagellationis Chriſti.*

Porrò Romana columna exigua eſt: vnde nonnulli cum Pancirollo cenſent illam non eſſe integram, ſed partem dumtaxat, ſcilicet baſin vel capitellum. Columna enim hæc videtur fuiſſe ingens; nam, vt ait S. Hieron. in Epitaph. S. Paulæ, porticum eccleſiæ ſuſtinebat: *Oſtendebatur illi*, inquit, *columna, eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Boſius tamen libr. de Cruce, vult columnam S. Praxedis non eſſe partem, ſed integram; S. Hieronymum verò loqui de alia columna, ad quam priùs flagellatus fuerit Chriſtus, bis enim eum fuiſſe flagellatum indicat S. Chryſoſtom. Aliam quoque fuiſſe, aſſerit inſcriptio columnæ S. Praxedis Romæ, Baronius hîc tacet & diſſimular. Porrò S. Hieronymo conſentit Prudentius in Hymn. Sic & columnæ ad quas alligati SS. Petrus & Paulus, flagellati fuêre de more ante necem, altæ ſunt, & altitudinem hominis æquant vel ſuperant. Extant illæ Romæ apud Carmelitas in eccleſia S. Mariæ Tranſpontina. Quare dicendum videtur, columnam hanc minorem in eccleſia S. Praxedis, partem vel appendicem eſſe maioris, quam nominant S. Hieron. & Prudentius; aut certè vnam earum eſſe illam, ad quam noctu in domo Caiphæ alligatus Chriſtus, à famulis pontificum petulanter fuit illuſus, atque alapis, colaphis, fortè etiam virgis, bacillis, vel loris flagellatus: alteram verò eſſe illam, ad quam in prætorio Pilati per diem idem fuit flagellatus, vti multi contemplatiui opinantur, teſte Ioan. Seuerano lib. de Septem Romæ baſilicis, in eccleſia S. Praxedis.

*Flagellationis Chriſti atrocitas. Reſp. Primò.*

Quæres, quàm dira & atrox fuerit hæc Chriſti flagellatio? Reſp. id Primò, æſtimari poſſe ex eo quòd Chriſtus, vt iam dixi, aſtrictus fuerit humili columnæ, vt toto corpore ſuper eam eminens omnino eſſet ad libitum flagellantium. Adde, vel ſolam virginei & caſtiſſimi corporis Chriſti coram obſcœnis ſcurris, illuſoribus & ſannionibus hiſce denudationem, ingentem illi fuiſſe afflictionem. Bis verò, vel, vt alij, ter nudatus fuit Chriſtus; ſcilicet Primò, ad flagellationem: Secundò, vt aliqui dicunt, ad coronationem, idque cum maximo dolore: veſtis enim vulneribus flagellorum adhærens & quaſi agglutinata, ab ijs vi cum vulnerũ renouatione abſtrahi debuit: Tertiò, ad crucifixionem.

Quocirca hac Chriſti nudati conſideratione & exemplo animati Quadraginta Martyres ad gelidum ſtagnum damnati, alacres ſe veſtibus nudarunt & in ſtagnum inſilierunt. Voces enim eorum hæ erant, ait S. Baſilius homil. de XL. Martyribus: *Quas Domino qui pro nobis eſt ſpoliatus, dignas gratias reddemus? Quid magnum ſeruo, ſi ea quæ paſſus eſt Dominus ſubeat? Nos cauſa fuimus, vt illi veſtis detraheretur, longè magis quàm militum audacia, qui eam diripuêre ac ſortiti ſunt. Durũ profectò frigus, ſed dulcis paradiſus? affligens glacies, ſed delectabilis requies. Breui tempore durantes ſinus Abraham nos perpetuò fouebit. Incendatur frigore pes, vt cum angelis cõtinuò ſaltet. Vnam noctem cum æuo ſempiterno cõmutabimus. Torpeſcat frigore manus, vt facultatem habeat in Deum attollendi.*

*Secundò.*

Secundò, ex eo quòd Pilatus per hanc flagellationem omnibus criminibus Chriſto obiectis, & odio inſatiabili Iudæorum in Chriſtum ſatisfacere, ac eos ad Chriſti commiſerationem flectere voluerit, dicens: *Ecce homo.* q. d. Iam non habet ſpeciem hominis, ſed ouis vel bouis iugulati, totoque corpore cruentati & deformati.

*Tertiò.*

Tertiò, ex militum, & quidem plurium petulantia, quæ tanta fuit, vt iniuſſu Pilati, ipſi ſua ſponte & proteruia Chriſtum ſpinis coronarint. Fortè etiam Iudæi eos pecunia corruperunt, vt acriùs in Chriſtum verberando ſæuirent. Beata Magdalena de Pazzi Sanctimonialis Florentina, ſanctitate & reuelationibus celebris, in eſtaſi cognouit Chriſtum à triginta paribus hominum, id eſt, à ſexaginta miniſtris fuiſſe flagellatum, cùm alij alijs, noui recenteſque ſuccederent. Ita habet eius Vita parte 6. pag. 532. quæ ſi ſimpliciter vt ſonant, accipiantur, mira & horrenda ſunt. Nonnulli tradunt Chriſto inflicta fuiſſe hac flagellatione, quinque millia verberum: nam S. Brigittæ reuelatum dicitur, Chriſto tota paſſione inflicta fuiſſe vulnera 5475. vulnerum autem longè maxima pars illi inflicta fuit ex flagellatione. Naturaliter ex tot verberibus mori ſæpiùs debuiſſet Chriſtus, ſed deitas carnẽ ſuſtentabat, vt plura pati & tandem crucifigi poſſet. Verùm numerus hic incertus eſt, & à varijs variè aſſignatur.

*Quartò.*

Quartò, ex complexione Chriſti, quæ fuit optima, delicatiſſima, & acutiſſimi ſenſus tactuſque, vtpote formata à Spiritu ſãcto: quare Chriſtus longè magis ſenſit verberum ictus quàm nos ſentiamus.

*Quintò.*

Quintò, quia prophetæ, æquè ac Chriſtus, flagellationem hanc velut grauem & acrem prædixerunt, vt patet Matth. 20. 19. Iob 16. 15. *Concîdit me*, inquit, *vulnere ſuper vulnus.* q. d. Plagas plagis, vulnera vulneribus addiderunt, vt totum corpus conciſum vnum continuum videretur eſſe vulnus. Pſal. 72. 14. *Et fui flagellatus tota die.* Et pſal. 128. 3. *Super dorſum meum fabricauerunt peccatores*, id id, quaſi fabri dorſum meum, quaſi incudem contuderunt. Hebr. eſt חָרְשׁוּ *chareſcu*, quod verti poteſt; *arauerunt aratores dorſum meum*, id eſt, flagellis ſulcos in dorſo duxerũt, ſicut aratro ſulci ducũtur in agro. Vnde Aquila & Theodor. vertunt, *produxerunt*, ſiue *in longum protraxerunt ſulcum ſuum.* Idem indicat illud Iacobi Gen. 49. 11. *Lauabit in vino ſtolã ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*, per ſtolam & pallium carnem demonſtrans, & per vinum ſanguinem, ait Tertullianus lib. 4. Contra Marc.

*Sextò.*

Sextò, quia Chriſtus flagellis, id eſt, funiculis, vel loris, more ſeruorum cæſus eſt: Addit Paulus à Pilato hîc, penes quem ſit fides, traditum à grauiſſimis auctoribus, Chriſtum flagellatum fuiſſe primò, virgis ſpineis; ſecundò, chordis cum ſtimulis ferreis: tertiò, catenis aduncis. Flagella enim olim multiplicia erant; ſcilicet lora, ſiue corrigiæ ex corio exſectæ, flagra, fuſtes, virgæ ex betula, vlmo, ſalice, quercu, vite; nerui, plumbatæ, & ſcorpiones, vti oſtendit Antonius Gallonius de Cruciatu Martyrum cap. 4. Porrò quid ſint ſcorpiones explicat S. Iſidorus Etymol. lib. 6. ca. vlt. inquiens: *Virgæ ſunt extremitates frondium arborumq;: ſi leuis, virga eſt; ſi autem nodoſa, vel aculeata, ſcorpio rectiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur.*

*Modus flagellationis Chriſti. S. Brigittæ reuelatus.*

Denique S. Brigitta tradit B. Virginem interfuiſſe flagellationi Chriſti, cuius dolor & mœror mirum in modum auxit dolorem Chriſti. Porrò modum & atrocitatẽ flagellationis Chriſti, ita ex reuelatione B. Virginis deſcribit S. Brigitta lib. 1. Reuel. c. 10. *Deinde ductus ad columnam perſonaliter ſe veſtibus exuit. Perſonaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici ſine miſericordia ligauerunt. Alligatus autem nihil omnino operimẽti habebat, ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ. Conſurrexerunt autem inimici eius, qui, fugientibus amicis ſuis, vndique aſtabant & flagellabant corpus eius, ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum, ego quæ aſtabam propinquiùs cecidi quaſi mortua, & reſumpto ſpiritu vidi corpus eius verberatum & flagellatum vſque ad coſtas, ita vt coſtæ eius viderentur. Et quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Cumq; filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtabat, vt in eo non inueniretur ſanitas, nec quid flagellaretur*, &c. Et lib. 4. c. 70. *Deinde iubente lictore, ſeipſum veſtibus exuit, columnam ſponte amplectens, reſte ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis & retractis non euellendo, ſed ſulcando totum corpus eius laceratur. Ad primum igitur ictum ego quaſi corde percuſſa, ſenſibus abducor, & poſt tẽpus euigilans, corpus eius laceratum video, toto enim corpore nudus erat cùm flagellaretur,*

*Ratio à priori.*

Ratio à priori fuit, quòd Chriſtus noſtras voluptates, concupiſcentias, ſceleraque omnia, quæ plurima & grauia erant, hac flagellatione luere & expiare voluerit: qua in re *non ſolùm attendit*, ait S. Tho. 3. p. q. 46. art. 6. ad 6. *quantam virtutem dolor eius haberet ex diuinitate vnita, ſed etiam quantum dolor eius ſufficeret, ſecundùm humanam naturam ad tantam ſatisfactionem.* Inſuper mereri voluit Martyribus omnibus robur & vires ad flagellationes quaſlibet fortiter tolerandas. Vnde Iſaias de eo cap. 53. 5. ait: *Non eſt ſpecies ei, neque decor.* Et: *Vidimus eum, & non erat aſpectus*, &c. *virum dolorum & ſcientem infirmitatem*, &c. *& nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum.*

Iam verò in his omnibus Chriſtus ſtupendam & diuinam animi patientiam, fortitudinem & conſtantiam oſtendit, vt nec gemitum ederet, nec ſignum aliquod doloris daret, ſed velut petra immobilis conſiſteret: imò omnia verbera omneſque dolores, quaſi rex dolorum ſibi ſubijceret, ijſque dominaretur, animoque celſo imperaret. Vnde Gentilis quidam ſcriptor id admiratus exclamauit: *O virum infractum animo, qui nec precem nec lacrymam fudit!* Hinc S. Laurentius Iuſtinian. lib. de Triumphali agone, cap. 14. *Tamquam gigas*, inquit, *imperterritus ſtetit, & coronationis pœnam immutata mente ſuſtinuit.* Vnde S. Cyprianus lib. de Bono patientiæ: *Inter cetera*, inquit, *admirabilia virtutum, quibus indicia diuinæ maieſtatis expreſſit, paternam quoque patiẽtiam tolerantiæ tenore ſeruauit.* Et Tertullian. lib. de Patientia cap. 3. *Qui* inquit, *in hominis figura propoſuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus eſt. Hinc vel maximè, Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.* Et S. Ambroſ. ſerm. 17. in pſal. 118. *Chriſtus*, inquit, *calumnijs appetitus ſilentium detulit triumphale.* Quare ex patientia hac pluſquam humana & diuina, Iudæi colligere debebant Chriſtum eſſe hominem diuinum, imò Deum, vti collegit Centurio dicens: *Verè Filius Dei erat iſte.*

*Chriſtus paſſus per omnia.*

Faciebat id amor Dei & hominum. Amor enim ſuperabat dolorem, & præ amore exiguus, erat illi omnis dolor. Hinc & Chriſtus in omnibus rebus, & in omnibus membris & ſenſibus pati voluit. Nam vt ait D. Thomas par. 3. qu. 46. art. 5. in corpore: *Paſſus eſt Chriſtus in ſuis amicis eũ deſerentibus: in fama, per blaſphemias contra eum prolatas: in honore & gloria, per irriſiones & contumelias ei illatas: in rebus, per hoc quòd etiam veſtibus ſpoliatus eſt: in anima, per triſtitiam, tædium, & timorem in corpore, per vulnera & flagella. Tertiò, poteſt conſiderari quantum ad corporis membra. Paſſus eſt enim Chriſtus in capite, pungentium ſpinarum coronam, in manibus & pedibus, fictionem clauorum, in facie alapas & ſputa, & in toto corpore flagella. Fuit etiam paſſus ſecundùm omnem ſenſum corporeum: ſecundùm tactum quidem, flagellatus & clauis confixus: ſecundùm guſtum, felle & aceto potatus: ſecundùm olfactum, in loco fœtido cadauerum mortuorum (qui dicitur Caluaria) appenſus patibulo; ſecundùm auditum, laceſſitus vocibus blaſphemantium & irridentium: ſecundùm viſum, videns matrem & diſcipulum quem diligebat, flentes.* Longè maiores fuêre in Chriſto dolores animi, præſertim compuncti ob peccata omnia ſingulorum hominum, item dolor de multitudine damnandorum; ad hæc compaſſio Martyrum, & aliorum fidelium, qui dura erant paſſuri, vt dixi c. 26. 38. Ad hos omnes dolores ſubeundos Chriſtũ adegit amor immenſus. Menſura enim doloris eſt amor, quia ſine dolore non viuitur in amore. Vnde illud de Chriſto patienter:

*Cernis vt in toto corpore ſculptus amor?*

TRADIDIT EIS VT CRVCIFIGERETVR] ſcilicet poſt flagellationem & coronationem, quæ ſequitur, vti dixi. Eſt ergo hîc hyſtrologia.

Multa

Multa enim hîc per compendium perſtringit Matthæus, quæ fusè enarrat Ioannes c. 19. à v. 1. vſque ad v. 16.

Porrò Pilatus *tradidit* Iudæis Ieſum, quaſi iudex per ſententiam eum condemnando ad mortem crucis. Sententia verò Pilati ex vetuſtis Annalibus accepta, vti refert Adrichomus in Deſcript. Ieruſalem pag. 163. fuit hæc: *Ieſum Nazarenum ſubuerſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam, vt maiorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite ad communis ſupplicij locum, & cum ludibrio regiæ maieſtatis in medio duorum latronum cruci affigite. I lictor, expedi cruces.* Vbi nota τὸ *vt maiorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt:* hoc enim ſuæ damnationi Chriſti, apud Cæſarem & Romanos quaſi velum ignauię ſuæ & iniuſtitiæ obtendit Pilatus, quòd ſcilicet pontifices teſtati eſſent Ieſum eſſe pſeudochriſtum, cum ipſe contrarium ſciret. Perperam ergò dicit *probatum eſt:* nec enim pontifices id probarunt, ſed tantùm aſſeruerunt, idque falsò & per calumniam.

*Sententiâ lata à Pilato in Chriſtum.*

Quocirca Pilatus rationem ſuæ gubernationis de more Cæſari Tiberio per literas reddens, inter alia ſcribit ſe Ieſum crucifixiſſe ob importunitatem Iudæorum; ceteroqui eum fuiſſe virum ſanctum & diuinum. Audi Paulum Oroſium lib. 7. Hiſtor. cap. 4. *Pilatus ad Tiberium Imp. retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibuſq; virtutibus, quæ vel per ipſum palàm factæ fuerant, vel per diſcipulos ipſius in nomine eius fiebant, & de eo quòd certatim creſcente plurimorum fide Deus crederetur.* Audi & Euſebium in Chronico anno Chriſti 38. *Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad ſenatum, vt inter cetera ſacra reciperetur. Verùm cum ex conſulto patrum* C *Chriſtianos eliminari vrbe placuiſſet, Tiberius per edictū accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem.* Ita Tertullianus ſcribit in Apologet. capit. 5. & 21. Euſebius etiam libr. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 2. Nicephorus lib. 2. cap. 8. Oroſius lib. 7. c. 4. Gregorius Turonenſis hiſt. lib. 1. cap. 24. Regino & Hermannus Contractus in Chronicis, & Chronicorum compilator in ſuo, Ado Viennenſis & alij.

*Pilatus de Chriſto ſcribit Romam.*

Igitur ex ipſius iudicis Pilati teſtificatione, condemnatus fuit ab eo in hoc ſuo iniquiſſimo iudicio Chriſtus Deus noſter, in quo palàm accuſabat inuidia, teſtificabatur odium, crimen erat innocentia, corrumpebat timor, condemnabat ambitio, plectebat crudelitas.

VERS. 27. Mar. 15. 16.

TVNC MILITES PRÆSIDIS SVSCIPIENTES IESVM IN PRÆTORIVM, (Marcus, *in atrium prætorij*) CONGREGAVERVNT AD EVM VNIVERSAM COHORTEM ] *Tunc* refer non ad τὸ *tradidit vt crucifigeretur*, nam ante damnationem & traditionem Chriſti hæc contigêre, vt dixi, ſed ad τὸ *flagellatum*, græcè, φλαγελλώσας, id eſt, *cùm flagellaſſet*. q. d. Milites flagellantes Ieſum, mox ſimul cum ſpinis coronarunt.

CONGREGAVERVNT ] vt eum quaſi fictum pictumque regem Iudæorum per ludibrium regijs inſignibus ornarent, & ſalutarent. Eſt enim militum genus crudele, voluptatem capiens ex contumelijs, ait Chryſoſtomus.

*Cohors quid?*

COHORTEM ] Cohors erat decima pars legionis, continens milites 1250. vel, vt alij 500. dumtaxat. Vide dicta c. 26. 53. Cohors hæc erat Prætoria, quæ ſcilicet prætorem Pilatum ſtipa- A bat, & contra furorem populi & hoſtium inſidias muniebat. Quare cohors hæc erat in arce Antonia; quæ media erat inter prætoriam & templum, vt, ſi alterutro in loco tumultus oriretur, illicò accurreret, eumque compeſceret.

VERS. 28. Mar. 15. 17. Ioan. 19. 2.

ET EXVENTES EVM, CHLAMIDEM COCCINEAM CIRCVMDEDERVNT EI ] *Luſum ſibi Ieſum facientes*, Origenes.

EXVENTES ] Græcè, ἐνδύσαντες, id eſt, cùm exuiſſent: quod referri poteſt tam ad Chriſti flagellationem, quàm ad coronationem. q. d. Cùm exuiſſent Ieſum flagellaturi, mox peracta flagellatione chlamydem coccineam circumdederunt ei. Incertum ergo hîc eſt, an Chriſtus poſt flagellationem reſumpſerit veſtimenta, quibus deinde rurſum fuerit ſpoliatus, vt chlamys coccinea ei inijceretur; B an verò poſt flagellationem ipſi adhuc nudo ſtatim chlamydem hanc impoſuerint. Hinc conſequenter incertum eſt, an Chriſtus ter, an bis dumtaxat, fuerit ſpoliatus veſtibus, vt dixi.

Symbolicè, S. Hieron. *In chlamyde coccinea*, inquit, *Dominus opera Gentium cruenta ſuſtentat.* Et S. Athanaſius: *Geſtabat*, inquit, *in coccinea chlamyde, ſpeciem ſanguinis, quo terra per diabolum funeſtata, & multis cruoris vndis imbuta fuerat.* Et Origenes: *Suſcipiens*, inquit, *Dominus coccineam chlamydem, in ſe ſanguinem mundi ſuſcepit*, hoc eſt, peccata, quæ ſanguinea & rubra ſunt ſicut coccinū: etenim Deus *poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*

Anagogicè, S. Gregorius: *Quid enim purpura, niſi cruor & tolerantia paſſionum, amore regni exhibita.* Et rurſus: *Rex noſter aſcenſum purpureum fecit in ferculo, quia ad regnum quod intus aſpicitur, per tribulationem ſanguinis peruenitur.*

*Chlamydem coccineam induitur Chriſtus Quamnam?*

CHLAMYDEM COCCINEAM ] Dices, Marcus & Ioannes vocant eam purpuram. Reſpondet S. Ambr. in Lucæ c. 23. fuiſſe has veſtes diuerſas, ac vtrâque veſtitum fuiſſe Chriſtum. Meliùs S. Athan. ſerm. de cruce & paſſ. S. Aug. Euthymius. Toletus, Barrad. Gretſerus lib. 1. de Cruce & alij cenſent, fuiſſe eamdem, quia color coccineus ſimillimus eſt purpureo, vnde ſubinde purpureus vocatur, vti docet Lazarus Baiſius de Re veſtiaria: aut veſtis hæc erat *dibapha*, id eſt, bis tincta, ſcilicet ſemel purpura, id eſt murice, & iterum cocco infecta: hinc & *purpurea* & *coccinea* appellari poterat, hæc enim ſic bis tincta acriùs coloratur, quam Lentulus Spinter in ædilitate primus induiſſe fertur, ait Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. c. 18. Ita noſter Salazar in Prouerb. c. 21. v. D 22. nu. 119. Erat hæc veſtis regum, qualem hîc ironicè & per ludibrium creant Chriſtum, quaſi illum ſubſannantes & illudentes: q. d. En tu dixiſti te regem Iudæorum, accipe ergo palliaſtrum, hocque paludamentum regum. Olim enim tale paludamentum fuit chlamys ex purpura: chlamys autem erat veſtis ſtrictior & breuior pallio, quam milites ſuper arma induebant. Videtur autem hæc chlamys fuiſſe vilis & detrita militis alicuius Romani, quæ quia purpurea, ſignum erat & habitus Imperatoris. Chlamyde primus vſus eſt Numa Pompilius, qui Romulo in regno Romæ ſucceſſit, teſte Suida verbo *Chlamys:* & apud Macedones nulla veſtis chlamyde fuit regalior, ait Plutarchus in vita Eumenis. Hinc Claudianus lib. 2. de Rapt. Proſerpinæ, loquens de morte ait:

Sub



*Sed tua purpurei venient veſtigia reges.*

*Purpura notat regnum Chriſti.*

Et Caſſiodorus lib. 2. Variar. epiſt. 2. *Purpura*, ait, *color regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, ne de aſpectu principis poſſit errari.* Et Trebellius Pollio in Saturnino 21. Tyran. *purpuram* vocat, *imperatorum peplum.* Et Silius de Scipione:

*At contra ardenti radiabat Scipio cocco.*

Hinc Symbolicè S. Cyrillus libr. 12. in Ioan. c. 15. *Per purpuream veſtem*, ait, *regnum totius mundi quod per fidem Chriſtus accepturus erat, ſignificatum fuiſſe volunt.* Idem cenſent Origenes, S. Ambr. Auguſt. Theophyl. Euthym. & ceteri hîc. Hoc autem regnum ſibi Chriſtus pugnando, & ſanguinem fundendo comparauit. Nam olim Afri alijque milites in prælio ruſſatas veſtes geſtabāt. Cauſam dat Alex. ab Alexandro lib. 1. c. 10. *Vt eo*, inquit, *argumēto vulnera & ſanguis effuſus haud innoteſcerent, confidentiuſq; & ſine pauore dimicarent. Id quod etiam apud Perſas in vſu fuit; namque Artaxerxes ducturus contra Cyrum, milites ornauit rubro ſagulo; Ageſilaus quoque ita copias inſtruxit armis, vt omnia ærea punicea viderentur.* De Chaldæis etiam habes apud Nahum. c. 2. v. 3. *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis.*

VERS. 29. Matt. 15. v. 17. 18. 19. Ioan. 19. v. 2. 3.

ET PLECTENTES CORONAM DE SPINIS, POSVERVNT SVPER CAPVT EIVS, ET ARVNDINEM IN DEXTERA EIVS, ET GENV FLEXO ANTE EVM, ILLVDEBANT EI, DICENTES: AVE REX IVDÆORVM ] Chriſtus quaſi fictus rex Iudæorum, ad ludibrium & ad tormentum coronatus fuit ſpinis, ex militum petulantia, Pilato non iubente, ſed permittente, vt faciliùs Chriſtum omnino deformatum Iudęorum commiſerationi obijciens, è morte liberaret. Spinas has fuiſſe ex iunco marino, cuius acumina ſunt quaſi ſpinæ longiſſimæ & acutiſſimæ, cenſet Toletus, Pererius & alij, licet id neget Baronius. Ex rhamno verò illas fuiſſe contendit Bellonius, & ex eo Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 12. Fortè in ea ſpinæ iunci, ſpinis rhamni intertextæ fuêre. Vidi duas ſpineæ huius Chriſti coronæ ſpinas Romæ, quas S. Helena ex Ieruſalem Romam in baſilicam S. Crucis tranſtulit: ſunt illæ longæ & acutæ inſtar craſſarum acicularum. S. Brigida lib. 1. Reuel. cap. 10. ſcribit ſibi reuelatum, hanc coronam ſpineam rurſum Chriſto in cruce fuiſſe impoſitam, eamque pertigiſſe ad mediam frontem, ac tantum ſanguinis ex punctura ſpinarum harum effluxiſſe, vt oculos & aures Chriſti impleret, nec potuerit matrem intueri, niſi priùs compreſſis cilijs ſanguinem ex oculis exprimeret. Sic pariter cum corona ſpinea fuiſſe Chriſtum crucifixum, indicant omnes eius picturæ, idemque diſertè docent Origenes, & Tertullianus libr. Contra Iudæos capit. 13. & innuit Matth. hoc cap.

*Corona Chriſti ſpinea.*

*Corona ſpinea qualis?*

*Corona ſpinea acutiſſimus dolor.*

Atrox fuit hæc Chriſti ignominia; qua ipſi quaſi regi ficto corona ſpinea illudunt, æquè ac ingens cruciatus. tum quia ſpinæ erant acutiſſimæ, tum quia infixæ capiti & cerebro in quo eſt omnium neruorum, muſculorum, ſenſuum, ac ſenſationum fons & origo: ibi ergo viget ſenſus tactus, ac intimè ſentit dolores & puncturas, etiam leuiſſimas & minimas. Ex cerebro enim oriuntur ſeptenæ neruorum συζυγίαι, id eſt, coniugia ſiue paria, quæ per totum corpus diſtribuuntur, vt ſentire & mouere ſe poſſit, vti ex Galeno docet Andr. Veſalius Anatomicorum A princeps libr. 4. de Humani corporis fabrica c. 1. & ſeq. vbi & docet inſtrumentum tactus eſſe neruos; quare cerebrum eſſe ſenſus & motus arbitrarij principium, rationis ſedem, membrorum viſcerumque regem, ideoque in altiſſima corporis arce locatum. Vide eumdem lib. 7. c. 4.

Sed audi coronationis Chriſti acerbitatem paucis deſcribentem & reuelatione B. Virginis S. Brigidam lib. 1. Reuel. c. 10. *Quo facto*, ait, *aptauerunt coronam de ſpinis capiti eius, quæ tam vehemēter reuerendum caput filij mei pupugit, vt ex ſanguine fluente replerentur oculi eius, obſtruerentur aures, & barba tota decurrente ſanguine deturparetur.* Et li. 4. c. 70. *Et tunc corona ſpinea capiti eius arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis riuis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per* B *faciem eius, & crines & oculos & barbam replentibus, vt quaſi mihi nil niſi ſanguis totum videretur, nec ipſe me aſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem.*

*Cur Chriſtus ſpinis coronatus? Cauſa literalis.*

Cauſa huius coronæ ſpineæ literalis fuit, vt milites Chriſtum quaſi falſum regem Iudæorum illuderent, & cruciarent. Hæc enim corona Chriſti tempora lancinauit & fœdauit, ait Tertullianus lib. 4. Contra Marc. & vt ait S. Bernardus tract. de Paſſione Dom. *Mille pūcturis ſpecioſum eius caput diuulnerauit.* Moralem & myſticam dat Origenes: *In hac*, ait, *ſpinea corona ſuſcipit Dominus ſpinas peccatorum noſtrorum, intextas in capite ſuo. Peccatorum eſt enim*, ait S. Hilar. *aculeus in ſpinis, ex quibus Chriſto victoriæ corona contexitur.* Sed audi Tertullianum lib. de Corona militis ſub finem: *Chriſtus Ieſus quale, oro te, ſertum pro vtroque ſexu ſubijt? ex ſpinis, opinor, & tribulis in figuram deli-* C *ctorum, quæ nobis protulit terra carnis: abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certè præter figuram, contumelia in promptu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerūt & lancinauerunt.* Hæc ille in capite enim viget tactus reliquique ſenſus. Vnde Varro: *caput* ait dicitur, *quod ab eo nerui initium capiant*, per quos in totum corpus omnes vitæ ſenſus & motus diſtribuūtur. Spinæ ergo pungentes caput Chriſti, acri dolore eum cruciarunt.

*Moralis.*

Tropologicè, ſpinæ hæ nos docent carnem pungere & domare ieiunijs, cilicijs, diſciplinis: *Non enim decet ſub capite ſpinis coronato membra eſſe delicata*, ait S. Bernardus. Hinc Tertullianus libro iam citato c. 14. docet Chriſtianos olim ob reuerentiam coronæ ſpineæ Chriſti, coronis ex D floribus contextis, quibus Gentiles vtebantur, abſtinuiſſe. S. Catharinæ Senenſi Chriſtus obtulit duas coronas, vnam ſpineam, alteram gemmeam, dans ei optionem eligendi vtram mallet, ſed hac lege, vt ſi vnam eligeret in hac vita, alteram eius vice reciperet in futura. Mox illa arripiens ſpineam de manu Chriſti coronam, capiti, ſuo infixit adeò validè, vt per plures dies capitis dolores ſenſerit, ideoque iam pro ſpinea gemmeam in cælis recepit. S. Agapitus Martyr cùm 15. tantùm eſſet annorum, & Capiti eius prunæ ardentes imponerentur, memor ſpineæ coronæ Chriſti, exultās aiebat: *Parū eſt in terra caput aduri, coronandū in cælo. Quàm decorè corona gloriæ ornabit caput afflictum pro Chriſto!* Idem cogita quiſquis capitis dolores, angores, grauedines, moleſtias, tentationes, tribulationes pateris: cogita Chri-

*Coronam ſpineam eligit S. Catharina Senenſis.*

*S. Agapitus Martyr.*

ſtum

ſtum vnam è ſpinis coronę ſpineæ ſuæ tibi communicare.

Anagogicè, S. Ambr. in cap. 22. Lucæ. *Corona*, ait, *de ſpinis quæ capiti Chriſti imponitur, oſtendit, quod de peccatoribus mundi tamquam de ſæculi ſpinis, triumphalis Deo gloria quæreretur.*

*Symbolicè.* Symbolicè, S. Bernardus de Paſſione Domini cap 19. *Licet*, inquit, *in irriſione coronent, tamen ignorantes & irridentes coronatum regem fatetur. Ergo rex eorum, vel ab ipſis neſcientibus demonſtratur.* Et S. Auguſt. tract. 116. in Ioan. *Sic*, inquit, *regnum, quod de hoc mundo non erat, ſuperbumq; mundum non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat, portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, non clarus imperio, ſed plenus opprobrio.* Rurſum *Purpureus color* (ait Elias Cretenſis ad orationem 3. Nazianz. in Iulianum,) *veros Imperatores admonet, vt promptis animis ſanguinem ſuum pro ſubditorum ſalute fundant,* vti fudit Chriſtus. Hinc Cardinalibus data eſt à Pontifice purpura, vt illos moneat pro Chriſto & Eccleſia ſanguinem fundere, cùm opus eſt, vt alibi dixi. Quocirca S. Germanus Patriarcha Conſtantinopol. orat. in ſepult. Chriſti: *Purpura illa*, ait, *& corona ex ſpinis plexa ante crucem, confirmabat victoriam dicentis: Confidite, ego vici mundum mundiq; principem.*

Præclarè S. Athanaſius ſerm. de Cruce & Paſſione: *Cùm exueretur*, inquit, *Dominus, & indueretur purpura, eo ipſe inuiſibiliter trophæum de diabolo erigebatur. Miraculū nouum & incredibile & magnæ ſine dubio victoriæ inſigne: quem per ludibrium ſubſannationemq; pulſabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamidem & coronam ſpineam. Ea de cauſa hoc genere veſtimenti indutus ad mortem proceſſit, vt oſtenderet victoriam de morte non temerè, ſed pro noſtra ſalute portatam eſſe.* Ibidem S. Athanaſius docet Chriſtum ſpinis coronatum, vt nobis lignum vitæ reſtitueret, ac vt noſtras ſpinas, id eſt, ſollicitudines in ſe ſuſcipiens curaret.

*Godefridus Bullonius.* Hac de cauſa Godefridus Bullonius, capta à Chriſtianis Hieroſolyma, cùm ipſe primus eius rex Chriſtianus crearetur, noluit coronari corona regia dicens: *Non decere regem Chriſtianum, corona aurea inſigniri in illa vrbe, in qua Chriſtus geſtaſſet ſpineam,* vti Wilhelmus Tyrius & alij referunt.

*Tonſura ſacerdotum refert coronam Chriſti.* Denique hanc ſpineam Chriſti coronam, velut humilitatis mundique contemptus inſigne, repręſentant ſacerdotes & monachi tonſura ſua, quam inſtar coronæ geſtant in capite. Ita Beda lib. 5. Hiſtor. Angl. cap. 22. & Germanus Patriarcha Conſtantin. in Theoria rerum Eccleſiaſticarum.

*Anagog.* Anagogicè, Tertullian. de Corona mil. c. 14. Indue ſpineam Chriſti coronam, *vt & illam*, inquit, *Chriſti coronam æmuleris, quæ poſtea ei obuenit, quia & fauos poſt fella guſtauit, nec antè rex gloriæ à cæleſtibus ſalutatus eſt, quàm Rex Iudæorum proſcriptus in crucem, minoratus à Patre modicum quid citra angelos, & ita gloria & honore coronatus.* Et S. Hier. *Spinis*, ait, *coronatus eſt Chriſtus, vt nobis regni diadema compararet.*

Et arvndinem in dextra eivs] Vt arundo eſſet quaſi ſceptrum Chriſti Regis Iudæorum, ſed arundineum, id eſt, fragile, inane, vile & ridiculum. Qualis fuerit hæc arundo, deſcribit Læuinus Lemnius de Herbis Biblicis c. 27. *Arūdinis*, ait, *plures ſunt differētiæ: vna ſpecies eſt læuore perpolita, enodis nulliſq; diſtincta geniculis aut internodijs, quæ typha paluſtris vocatur, qualis Chriſto pro ſceptro regali in manum tradita in affectati regni ludibrium. Eſt huic ſtirpi ſceptri regalis aut Imperatorij forma, cuius cacumen duarum ferè palmarum altitudine, & craſſitudine pollicari, denſa compactaq; lanugine ſtipatur, quam ſi manu aut digitis demulceas, holoſericum aut villoſam quamdam cōgeriem contrectare te credas; quæ tamen poſt dies aliquot diſſoluitur in pappos, atque in diffuſam lanuginem euaneſcit.* Rurſum Tertullianus lib. de Corona militis c. 14. *Abſtulit*, ait, *virtus Chriſti omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens.*

*Arundo Chriſti qualis?*

*Symbolicè.* Symbolicè, S. Hieron. & S. Athanaſ. ſerm. de cruce: Arundo, inquiunt, fugat necatque ſerpentes, ſic Chriſtus venenatas concupiſcentias. Audi S. Hieronymum: *Quomodo Caiphas dixit oportere vnum hominem mori pro omnibus, neſciēs quid diceret: ſic & iſti quæcumque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis qui credimus, ſacramenta tribuerunt. In chlamyde coccinea, opera Gentium cruenta ſuſtentat: in corona ſpinea, maledictum ſoluit antiquum: in calamo, venenata occidit animalia: ſiue calamum tenebat in manu, vt ſacrilegium ſcriberet Iudæorum.* Porrò S. Ambroſ. in cap. 22. Lucę: *Arundo*, ait, *comprehenditur manu Chriſti, vt humana fragilitas iam non ſicut arundo moueatur à vento, ſed operibus Chriſti corroborata firmetur: vel ſecundùm Marcum caput eius percutit vt ſolidata diuinitatis attactu noſtra conditio nutare non poſſit.*

Denique arundinem hanc cum columna, & ſpinea corona ac ſpōgia, qua Chriſtus aceto potatus fuit, magna diligentia à Chriſtianis fuiſſe aſſeruata tradit Beda de Locis ſanctis cap. 20. & Greg. Turon. de Gloria Mart. c. 7.

*Inſignia regalia Chriſti.* Et genv flexo ante evm illvdebant ei, dicentes: Ave (græcè, χαῖρε, id eſt, gaude ſalue; Syrus, *pax tibi*) Rex Ivdæorvm] Nota hîc Chriſtum per ludibrium, à militibus quaſi inaugurari regem, cum omnibus regum inſignibus. Nam Primò, totam cohortem, quaſi totum exercitum eum ſtipantem cingentemque adducunt. Secundò. thronus fuit lapis aut ſcamnum, idque in modum tribunalis altum, vt docet Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 8. & alij. Tertiò, corona regalis fuit ſpinea. Quartò, paludamentum fuit chlamys coccinea. Quintò, ſceptrum fuit arundo. Sextò, fauſtæ acclamationes & reuerentia populi, fuêre militum genuflexiones & ſalutationes ludicræ, item ſputa, alapæ, verbera: quæ omnia Chriſtus diuina humilitate & patientia ſuſtinuit, ideoque meruit *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.* Philipp. 2. 9.

*Tropologicè* Tropologicè, Chriſtus voluit hîc Primò, exhibere nobis ideam vanitatis, æquè ac afflictionis regnorum & bonorum mundi, omniumque regum & principum. Secundò, hæc ludibria vertere in arma victoriæ ſuæ, ac præſertim humilitate ſua vincere ſuperbiſſimum Luciferum. Tertiò, docere regnum mundi ſitum eſſe in honoribus, pompis, delicijs; ſuum verò conſiſtere in contemptu honorum, voluptatum & ſui ipſius. Plura vide apud S. Athanaſ. ſerm. de Cruce & Paſſ. Theophyl. & Ianſenium hîc, & Tertullianum de Corona militis c. 14.





*Agrippa vt Chriſtus illuſus.* Denique iuſtâ Dei vindictâ factum eſt, vt paulò pòſt ſimili prorſus illuſione, quâ Chriſtus per ludibrium Rex Iudæorum coronatus eſt. Agrippa rex Iudæorum, licet abſens, Alexandriæ per comœdum, qui eius perſonam ſuſtinebat illuderetur. Rem geſtam multis enarrat Philo in Flaccum, quæ ego in pauca contraham: *Flaccus*, ait, *Ægypti præſes Alexandrinam multitudinem conuitijs paſſus eſt regi maledicere. Erat inſanus quidam nomine Karrabas, puerorum & adoleſcentium ludibrium. Hunc miſerum propulſum ad gymnaſium, in ſuperiori loco ſtatuunt, vt ſpectari poſſet ab omnibus, moxq; capiti diadema impoſuerunt papyraceum, pro paludamento corpori floream induunt, pro ſceptro fruſtum arundinis humo ſublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regijs inſignijs, & in regem transformatum, more hiſtrionico adoleſcētes perticas in humeris geſtantes ſtipabant pro ſatellitio: tum alij ſalutatum accedebant,* &c. Ecce Karrabas hic ſuſtinens perſonam Agrippę, repræſentat Barabbam, quem Iudæi prætulerunt Chriſto.

Vers. 30. Mar. 15. 19. Et expventes in evm, acceperunt arvndinem, et percvtiebant capvt eivs] tamquam ſtulti, ait S. Thomas, qui ſtultè ad regnum Iudææ aſpiraſſet: ſimul coronam ſpineam altiùs firmiuſque capiti eius infigerent. quæ omnia ſummæ erant contumeliæ, & atrociſſimi dolores, non tam ab hominibus, quàm à dæmonibus inuentæ & ſuggeſtæ, ait Origenes. *Non vnum membrum*, inquit Chryſoſt. *ſed vniuerſum corpus atroces has iniurias patiebatur. Caput affli*ctum *corona; calamo, pugnis; facies, ſputis; maxillæ, alapis, reliquum corpus, flagellis, nuditate, amictu chlamydis adoratione ſimulata; manus, calamo; quem pro ſceptro tenere dederunt; os quoque ipſum & lingua, aceti potionē ac fellis.*

Hic ſubnectenda ſunt & ordine hiſtorico intexenda, quæ tacente Matthæo ſupplet Ioannes cap. 19. à v. 1. ad v. 16. ſcilicet Chriſtum ſic flagellatum, ſpinis coronatum & chlamydatum, à Pilato fuiſſe productum, oſtenſumque Iudæis, dicendo, *Ecce homo*, vt eos ad miſericordiam flecteret; Iudæos verò magis in eum efferatos obſtinatè exclamaſſe; *Crucifige, crucifige eum*, quia filium Dei ſe fecit. Id audiens Pilatus, timenſque ne Ieſus Iouis, Herculis, aut alterius Dei eſſet filius, qui eius necem vlciſceretur, ſeorſim rogauit Ieſum: *Vnde es tu?* Ieſu tacente, Pilatus ſubiecit ſe habere poteſtatem necandi ipſum. Chriſtus reſpondit: *Non haberes poteſtatem aduerſum me, niſi tibi data eſſet deſuper.* Poteſtatem, id eſt facultatem, permiſſionem & vires occidendi me: Pilato enim erat à Deo data poteſtas, id eſt auctoritas & iuriſdictio in ceteros Iudæos; in Chriſtum verò dumtaxat permiſſa erat à Deo. Chriſtus enim vt homo, cùm Dei eſſet Filius, liber erat, nullique poteſtati humanæ ſubiectus, imò omnium rex & dominus, vti dixi v. 11. Vnde Pilatus hic iudicando & damnando Chriſtum, peccauit contra iuſtitiam tripliciter: Primò, vſurpatione poteſtatis & iuriſdictionis in Chriſtum; vtpote quam nullam habebat. Secundò, peruertendo ordinem iudiciorum, quia tumultui Iudæorum ceſſit, nec Chriſtum ob crimen, ſed ob tumultum damnauit. Tertiò, peruertendo iuſtitiam, quia Chriſtum innocentem damnauit, ne haberetur inimicus Cæſaris, vt ſubdit Ioannes. Hiſce ex Ioanne ordine intertextis vſque ad Chriſti condemnationem factam à Pilato, iam proximè ſubnectenda ſunt quæ hîc ſubiicit Matthæus dicens:

*Tria peccata Pilati.*

Vers. 31. Mar. 15. 20. Ioan. 18. 16. Et postqvam illvservnt ei, exvervnt evm chlamyde, et indvervnt evm veſtimentis svis, et dvxervnt evm vt crvcifigerent] *Vbi milites*, ait Victor in Marci c. 15. *ad ſatietatem vſque Chriſtum redemptorem noſtrum ludibrio habuerunt, abduxerunt eum vt crucifigerent.*

Exvervnt evm chlamyde] relictâ illi *coronâ ſpineâ ſemel impoſitâ, & numquam detractâ*, ait Origenes. *Exuitur*, ait S. Athanaſ. ſerm. de Cruce, *à carnificibus, quas nos in Adam indueramus pelliceas tunicas, vt pro his poſſimus induere Chriſtum.*

Indvervnt evm veſtimentis svis] tum vt illa ſibi vendicarent crucifixores; tum vt ex illis Ieſus agnoſceretur à populo, & ſubſannaretur ad maiorem eius infamiam.

Et dvxervnt evm vt crvcifigerent] pręeunte, vt videtur, tubicine, qui tubam inflans, ad ſupplicium hoc ſpectandum populum conuocabat. Hoc enim fuiſſe moris apud Romanos docet Gretſerus lib. 1. de Cruce c. 16.

*Quàm longis itineribus fatigatus Chriſtus in die mortis ſua.* Fatigatus erat Chriſtus crebris longiſque itineribus hac nocte & hoc manè peractis: nam à cœnaculo iuerat in montem Oliueti, diſtantem greſſibus ſiue paſſibus minoribus 1500. (minor paſſus continet duos pedes cum dimidio, maior verò ſiue geometricus, eſt duplus, continetque quinque pedes: mille paſſus maiores faciunt milliare Italicum, mille vero minores faciunt dimidium milliare Ital.) Inde eodem ferè ſpatio reductus eſt ad domum Annæ, inde ad domum Caiphę diſtantem greſſibus 330. inde ad domum Pilati diſtantem mille paſſibus; inde ad domum Herodis diſtantem paſſibus 350. inde reductus ad Pilatum; à Pilato denique ad montem Caluarię per greſſus ſiue paſſus minores 1321. Vide Adrichomium in Deſcriptione Ieruſalem num. 118. graphicè ex Geographis deſcribentem viam crucis Chriſti, variaſque in ea Chriſti ſtationes, occurſus & caſus.

Vers. 32. Luc. 32. 26. Mar. 15. 21. Exevntes avtem (ſiue domum Pilati, vt vult S. Hieronym. Adrichom. & Geographi viæ crucis; ſiue vrbem Ieruſalem, vt vult Franc. Lucas & alij) invenervnt hominem Cyrenævm, nomine Simonem: hvnc angariavervht vt tolleret crvcem eivs] *Cyrenæum*, oriundum ex Cyrene, ſiue ea quæ eſt in Lybia, à qua quaſi metropoli tota regio Cyrenaica dicitur, quam ad fidem Chriſti conuertit S. Marcus, vt vult Origen. Franc. Lucas & Gagneius in c. 2. Actor. Siue ex ea quæ eſt in Syria, vt vult Maldon. ſiue ea quæ eſt in Cypro, quæ à Cyro ædificata dicta eſt Cyrene, vt volunt alij. Inde ergo commigrauit in Iudęam. Quare Simō hic origine fuit Gentilis, uti cenſent S. Hilarius, Ambroſ. Beda, S. Leo ſerm. 8. de Paſſ. & alij, licet Maldon. & Franc. Lucas putant fuiſſe Iudæum, fortè quòd in Iudæam veniens factus ſit proſelytus, & in Iudæorum religionem tranſierit, idque ad myſterium, vt ſignificaretur non Iudęos incredulos, ſed Gentes in Chriſtum credentes, fidem & crucem Chriſti amplexuras, ac per illas Iudæos quoque in fine mundi idem facturos.

*Simon Cyrenæus quis.*

Simonem] Traditio eſt ait Pererius, Simo-

*Conuerſus fuit ad Chriſtum.*

nem hunc poſtea ad fidem Chriſti cum filiis eſſe conuerſum. Vnde Marcus addit eum fuiſſe patrem Alexandri & Rufi, qui eo tempore quo hæc Marcus ſcribebat, videntur fuiſſe Chriſtianis noti & celebres diſcipuli Chriſti: nam Rufus hic primò Thebarum, deinde Dertoſæ (Tortoſę) in Hiſpania fuit Epiſcopus, ac proinde Eccleſia eius feſtum celebrat 12. Novembr. De eodem ſic ſcribit S. Polycarpus ad Philippenſ. *Rogo omnes vos inſiſtere verbo iuſtitiæ & patientiæ, quam oculatè vidiſtis non ſolùm in beatiſſimis illis, Ignatio ſcilicet, Zoſimo, & Rufo, ſed & in alijs qui ex vobis ſunt, & in Paulo & in ceteris Apoſtolis.* Alexander verò frater Rufi, & alter filius Simonis, Martyr ponitur in Martyrol. ab Adone & Beda die 11. Martij. Vnde L. Dexter in Chronico ad annum Chriſti 112. n. 10. ſic habet: *Carthagine Spartaria* (ciuitas eſt Hiſpaniæ) *S. Alexander frater Rufi, primi Dertoſanorum Epiſcopi in Hiſpania Tarraconenſi, filius Simonis Cyrenenſis, qui poſt Chriſtum eius crucem baiulauit; patitur cum Candido & Zoſimo & ſocijs martyrium. In religione ſequitur Simon filios, nec fraudatur debita mercede portatæ poſt Chriſtum crucis: nam poſt multa bona opera Hieroſolymis placidè quieſcit.* Et Braulio ſiue Helecas in Addit. ad Chronicon Maximi hæc habet: *Sanctorum Rufi & Alexandri memoria, Simonis Cyrenæi (quibuſdam Niger eſt) filiorum, celebris eſt. Venit cum filijs Simon in Hiſpaniam, comitatus S. Paulum, vbi prædicauit; quam priùs adierat comitatus D. Iacobum, & ibi prædicauit tunc; quem dicitur conſecraſſe cũ alijs S. Petrus in Epiſcopum, obijſſeq; Hieroſolymis, colitur prima Decembris.* Rurſum L. Dexter ad annum Chriſti 100. num. 4. *Rufus*, inquit, *Thebis reuerſus ad Hiſpanias, Dertoſæ Pontifex ſedet.* Vide vtrobique annotationes Biuiarij, qui cenſet Simonem hunc eſſe illum qui Niger dicitur, ſociuſque fuit Pauli & Barnabæ, Actor. 13. 1.

*Rurſus filius Simonis.*

*& Alexander.*

Hvnc angariaverunt] Id eſt, compulerunt. Vide dicta de etymo angariæ cap. 5. v. 41. Magna fuit hęc militum iniuria & ignominia in peregrinum Simonem, quòd eum publicè infamem Chriſti crucem ad locum ſupplicij portare coëgerint. Patienter tamen vtramque tulit Simon, ideoque meruit à Chriſto illuminari, ac Chriſtianus ſanctuſque fieri, vt dixi. Sicut enim ſocius fuit crucis, ſic & gloriæ eiuſdem particeps extitit.

*Symbolicè.*

Symbolicè, S. Gregorius lib. 8. Moral. c. 26. *Crucem Ieſu*, inquit, *in angaria portare, eſt afflictionem abſtinentiæ pro alia quàm neceſſe eſt intentione tolerare. An non Ieſu crucem portat in angaria, qui quaſi ad præceptum Domini carnem domat, ſed tamen ſpiritalem patriam non amat? Vnde & Simon idem crucem portat, ſed nequaquam moritur: quia omnis hypocrita corpus quidem per abſtinentiam afficit, ſed tamen per amorem gloriæ mundo viuit.*

*Quomodo Chriſtus crucem tulerit.*

Vt tolleret crvcem eivs] Chriſtus primò portauit crucem ſuam longam (vt ferunt) 15. pedes, latam octo, idque iam toto corpore & humeris ex flagellatione cruentus, feſſus, fractuſque: ita autem portauit vt partem vnam extremam humero baiularet, alteram per terram protraheret, quam protrahens, ad ſaxa & ſcrobes, vti fit, allidens, concutiebatur continuè, adeò vt flagellorum vulnera hac concuſſione aſſiduè renouarentur; quæ continua & grauis ei fuit afflictio. Chriſtum portaſſe ſuam crucem diſertè ait Ioannes cap. 19. 17. *Et baiulans*, inquit, *ſibi crucem exijt.* Ita Euthymius hîc, & S. Athanaſius ſerm. de cruce. Moris enim erat vt crucifigendi crucem ſuam ferrent, vti docet Plutarch. de Sera numinis vindicta, Lipſius & Gretſerus de Cruce. Deinde cùm Iudæi & milites viderent Chriſtum ſub cruce deficere, impoſuerunt eam Simoni, vt Ieſum viuum ſeruarent maioribus tormentis, ludibrijs & crucifixioni, vtque citiùs peruenirent ad montem Caluariæ, citiuſque Chriſtum crucifigerent, ac deinde domum ad prandium redirent. Erat enim iam meridies, quæ eſt hora prandij.

*Simon geſtauit crucem Ieſu. Cur. Cauſa Prima.*

Vbi Nota, non videri Simonem crucem geſtaſſe cum Chriſto, hac ratione, vt Chriſtus priorem crucis partem, Simon poſteriorem portaret, vti pingunt pictores; ſed ipſum ſolum totam Chriſti præeuntis crucem geſtaſſe. Nam Lucas cap. 23. 26. ait: *Et impoſuerunt illi crucem:* & Matth. & Marcus: *Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* Ita S. Auguſt. Ambroſius, Athanaſ. & paſſim alij Patres, qui varia hic myſteria agnoſcunt. Primò, S. Athanaſ. ſerm. de Cruce: *Nam & ſibi ipſi*, inquit, *Dominus crucem geſtauit, & rurſum Simon homo portauit illam. Primùm igitur portauit veluti trophæum aduerſus diabolum Ieſus, volens autem crucem ſibi ipſi ferebat: neq; enim neceſſitate compulſus acceſſit ad mortem. Rurſus autem geſtauit eam Simon homo, vt omnibus notum fieret, quòd non ſuam ipſius, ſed hominum mortem moreretur Dominus.*

*Secunda.*

Secundò: S. Ambroſ. in ca. 23. Lucæ, *Id factum eſt, vt priùs ipſe*, inquit, *crucis ſuæ trophæum erigeret; deinde Martyribus traderet erigendum. Conuenit enim vt trophæum ſuum priùs ipſe victor attollat;* ac deinde illud idem *Chriſtus in homine, & homo portet in Chriſto.*

*Tertia.*

Tertiò, Origenes: *Non ſolum*, inquit, *eum conueniebat accipere crucem ſuam, ſed & nos conueniebat portare eam, ſalutarem nobis angariam adimplentes.* Sic enim ipſe ſanxit: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, Matth. 10. 38.

*Hæreſes Baſilidis & Marcionis de Chriſto cruci ſubducto.*

Denique Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 46. & lib. 5. contra Marcionem, S. Auguſt. lib. de Hæreſ. & Euſeb. lib. 4. hiſtor. cap. 8. tradunt hæreſim fuiſſe Baſilidis & Marcionis, quòd Chriſtus ita perſtrinxerit oculos Iudæorum, vt relicto Simone ipſe Chriſtus ſe ſubduxerit eorum oculis, & euanuerit; vnde factum vt Iudæi occidentes & crucifigentes Simonem, putarent ſe Chriſtum crucifigere. Ita errant & hodie Mahometani.

*Mulierum Chriſtum ad mortem euntem ſequentium lamenta.*

Hic ordine hiſtoriæ intexenda ſunt, quæ Chriſto eunti in montem Caluariæ in itinere contigerunt, quæ tacet Matthæus, & ſupplet Lucas c. 23. v. 31. ſcilicet Chriſtum, mulieribus pijs ſe ſequentibus & lamentantibus dixiſſe, vt flerent non ſuper ſe, ſed ſuper filios ſuos, qui à Tito & Veſpaſiano ob cædem Chriſti in tantas anguſtias redigendi erant, vt in ſpeluncas ſe abderent, dicerentque *montibus, Cadite ſuper nos; & collibus, Operite nos.* Vide dicta Oſeæ 10. 8. Ita S. Hieron. Cauſam ſubdit: *Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Chriſtus enim quaſi viridis arbor erat, gratiæ frondibus & fructibus ſemper vernans, ac proinde indigna & inepta igne, id eſt, Dei vindictæ & excidio: Iudæi verò erant quaſi arbor arida, quia gratiâ vacui, ac ſteriles bonorum operum; ideo digniſſimi & aptiſſimi foco & vindictæ Dei. Nota τὸ *faciunt*, ſcilicet milites Romani; vel imperſonaliter per hebraiſmum *faciunt*, id eſt, fiunt, facientibus Iudæis ſiue factione Iudæorum.



*Veronica ſudarium Chriſto exhibet.*

Inter has feminas vna fuit Berenice, ſiue Veronice, vulgò *Veronica*, quæ ſudarium Chriſto exhibens, vt faciem ſudore & ſanguine madentem abſtergeret, ab eo illud recepit, cũ impreſſa in illo eiuſdem Chriſti effigie, vt habet Chriſtiana traditio, ac Methodius Epiſcopus apud Marianum Scotum in Chron. anno Domini 39. & ex eo Baronius anno Chriſti 34. cap. 116. Sudarium hoc Chriſti effigie inſignitum, Romam tranſlatum in baſilica S. Petri aſſeruatur, & quotannis in Paraſceue populo religioſè oſtenditur, vti ipſe ſæpius vidi. De eo eiuſque miraculis extat liber vetuſtus in archiuio Biblioth. Vaticanæ. De Veronica ſic ſcribit L. Dexter ad annum Domini 48. num. 2. *Verenice ſancta mulier à Gallia Romam venit, ibiq; diuino relicto vultu miraculis clara migrat ad Dominum, anno ſeptuageſimo, quam dicunt à Chriſto ſanatam à ſanguinis fluxu.* De eâdem ſic habent acta S. Martialis primi Lemouicenſium Epiſcopi: *Venit autem cum B. Petro Apoſtolo Romam, & per eum miſſus fuit in Galliam, habens in comitatu ſuo Amatorem, & coniugẽ eius Veronicam, quæ familiaris & pręcordialis amica fuit Virginis Marię. Sanctus verò Amator in rupe, quæ modo Amatoris dicitur, ſolitariam vitam egit, ibiq; obijt: Veronica autem S. Martialem prædicantem ſecuta eſt in territorio Burdegalenſi, ibique conſenuit.* De eadem vide Bredenbachium, Saligniacum, Paſch. & Adrichomium in Deſcriptione Ieruſalem n. 44. & 118.

*Veronica in territorio Burdigalenſi conſenuit.*

Vers. 33. Luc. 23. 33. Mar. 15. 22. Ioan. 19. 17.

Et vénervnt in locvm, qvi dicitvr Golgotha, qvod est Calvariæ locvs] Caluaria eſt cranium hominis carne nudum, quod & calua dicitur. Vnde Syrus vertit, *Gogoltho, cuius interpretatio eſt cranium*, ſic & Æthiopicus. *Golgotha* ergo idem eſt, quod caput ſiue cranium hominis; quod ita dictum à volubilitate & rotunditate; à rad. *gal* vel *galal*, id eſt, voluit, reuoluit, conuoluit. Vnde *galgal* eſt circulus & cælum. Hebr. dicunt גֻּלְגֹּלֶת *gulgoleth*; Chaldæi & Syri addito *aleph* dicunt *gulgoltha*; quod vulgus more ſuo corruptè effert *Golgotha*.

*Caluaria quid?*

Qvod est, ſcilicet ſi interpreteris, idem quod Calvariæ locvs] putà locus vbi caluariæ hominum apparent. Hinc putant nonnulli Matthæum græcè ſcripſiſſe, ſed non obſtat quin hebraicè ſcripſerit: potuit enim vocem Hebræam *Golghota* aliâ pariter Hebræâ, ſed clariore, interpretari. Alij putant hanc interpretationem nominis *Golgotha*, additam ab Interprete Græco S. Matthæi. Vnde hæc interpretatio non extat in Euangelio Hebraico S. matthæi, quod iam circumfertur.

*Golgotha quanam vox?*

Quæres, vnde hic locus vbi crucifixus eſt Chriſtus, dictus ſit *Golgotha*, ſiue *Caluaria*? Reſp. Communis Origenis, Tertul. S. Athanaſij, Epiphan. S. Auguſtini, Cyrilli, ceterorumq; Patrum, vno excepto S. Hieron. hîc ſententia eſt, ita dictum eſſe ex eo, quòd traditio ſit in *Golgotha* ſepultum eſſe Adamum, quem Chriſtus ibidem ſanguine ſuo è cruce diſtillante redemerit, & ad vitam gratiæ reuocarit, iuxta illud Epheſ. 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Vbi Patres iam dictos citaui.

*Caluaria dicta à cranio Adæ ibi ſepulto;*

Huc facit quod ſcribit Iacobus Orrohaita ſiue Edeſſenus, magiſter S. Ephrem, teſte Andrea Maſio in Ioſue c. vlt. v. 32. ſcilicet Noë oſſa Adami in arcam religioſè ſuſcepiſſe, ac poſt diluuium illa inter filios diſtribuiſſe, ipſiq; Sem, quem anteferebat ceteris, Adami caluariam dediſſe, & cum ea Iudæam. Tanta apud priſcos erat cura honorque ſepulchri, ob animarum immortalitatem. Fortè præſagiebat Chriſtum in Caluaria apud Iudæos, Adamum à morte ſuſcitaturum. Vnde S. Ambroſ. in c. 23. Lucæ docet Chriſtum in Golgotha crucifixum, quia *congruebat*, inquit, *vt ibi vitæ noſtræ primitiæ locarentur, vbi fuerant mortis exordia.*

*& reorum.*

Aliam cauſam magis literalem & obuiam dat hîc S. Hieronym. Beda, Ianſenius, Franc. Lucas & alij; ſcilicet caluarium dici hunc montem, eò quòd in eo locus eſſet ſupplicij, in quo rei plectebantur & decollabantur; vnde ibi multa decollatorum erant crania. Negant hoc Baronius, Lorinus & Gretſerus lib. 1. de Cruce: Quia, inquiunt, apud Iudæos gladij & decollationis non erat vſus, ſed tantùm lapidationis, crucifixionis & combuſtionis: harum enim trium pœnarum tantùm meminit Scriptura. Ita Sigonius lib. 6. de Republ. Hebr. cap. vlt. Verùm gladio in ſuppliciis vſos fuiſſe Iudæos, docet Auctor libri Sanedrim, & Petrus Gregorius lib. 31. Syntagm. c. 16. Certum eſt poſt ſubactam à Romanis Iudæam, reos in ea capite fuiſſe plexos: nam Herodes Antipas decollauit Ioannem Baptiſtam; & eius nepos Herodes Agrippa decollauit S. Iacobum fratrem S. Ioannis Apoſtoli, Actor. 12. Adde, in Golgotha multa ſparſim iacebant crania non ſolùm decollatorum, ſed & lapidatorum, combuſtorum & crucifixorum.

Myſticè Gretſerus: *Propheticè*, ait, *hîc locus dictus eſt Golgotha, eò quod in ea verum caput noſtrum, ſcilicet Chriſtus Dominus, occubuit.*

Voluit Chriſtus in loco ſupplicij publico & infami, qualis erat *Golgotha*, crucifigi, vt infamia & execrabilia noſtra ſcelera lueret & expiaret. Quocirca ipſe locum hunc ſupplicij in locum honoris & adorationis cõuertit. Chriſtiani enim in Caluaria Chriſtum crucifixum reuerentur & adorant: Chriſtus enim vt canit Sedulius,

*——Pœnam veſtiuit honore;*
*Ipſaq; ſanctificans in ſe tormenta beauit.*

Sic de Socrate ait Seneca in Conſolat. ad Heluiam: *Socrates carcerem intrauit, ignomiam ipſi loco detracturus.*

*Caluaria idem quaſi cum monte Moria.*

Notat ex S. Hieronymo & S. Auguſt. ſerm. 71. de Temp. Beda de Locis ſanctis c. 2. & alij, in hoc monte Abraham à Deo iuſſum immolare filium ſuum. Mons enim Moria, in quo id contigit, vicinus eſt monti Caluariæ, adeoque vterque vnus idemque videntur eſſe mons, in duo iuga ſiue duos colles, ſcilicet Moria & Caluariam, diſſectus.

Cur Chriſtus extra Ieruſalem crucifixus ſit in Caluaria, cauſam quadruplicem, ſcilicet Literalem, Allegoricam, Anagogicam & Tropologicã, aſſignat Apoſtolus Hebr. 13. v. 11. & ſeq. Vnde concludit: *Exeamus ad eum extra caſtra, improperium eius portantes.* vide ibi dicta. Primaria cauſa fuit, vt ſignificaret virtutem crucis Chriſti, ſcilicet fidem gratiam, & Eccleſiam à Iudæis transferendam ad omnes totius mundi gentes, *vt crux Chriſti nõ templi eſſet ara, ſed mundi*, ait S. Leo ſerm. 9. de Paſſ.

*Vers. 34. Vinũ Chriſto ante mortem oblatũ.*

Et dedervnt ei vinvm bibere cvm felle mistvm (Arabicus, *acetum cum myrrha* miſtum) et cvm gvstasset, nolvit bibere] Interim dum terebratur & apparatur crux, eiuſque foſſa, Chriſto nonnihil quieſcenti propinatum eſt hoc vinum: quod de more reis damnatis, ad ſitim quâ in tanto angore laborant leuandam, & ad confortationem, vt robur habeant ad ferenda tormenta, dari ſolebat, iuxta illud Prouerb. 31. 6. *Date ſiceram mœrentibus, & vinũ his qui amaro ſunt corde.* Verùm Iudæi inauditâ barbarie, partim ad ludibrium, partim ad tormentum, vinum hoc Chriſti felle amaricarunt & corruperunt. Id factum eſt, partim inſolentiâ militum, partim malitiâ Iudæorum. Vnde queritur Chriſtus dicens: *Dederunt in eſcam* (Tertull. lib. Contra Iud. cap. 10. legit, *in potum*) *meam fel:* quia fel fuit quaſi panis & eſca; vinum verò potus Chriſti. Vnde Euthymius: *Arbitror*, inquit, *fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuiſſe, vt acetum quidem loco vini eſſet: illa verò fragmenta pro buccella panis: & præcipuè ſanè potum dederunt, conſecutiuè verò etiam cibum: his enim qui animo deſtituuntur, vinum præbere ſolemus, iniecto pane, vt primùm bibentes poſtmodum etiam poſſint edere.*

*Potus Chriſto in monte Caluariæ bis oblatus.*

Nota Primò, hanc Chriſti potationem aliam & diuerſam eſſe ab illa, de qua v. 48. & de qua agunt Lucas & Ioannes; quam ſcilicet Chriſto iam crucifixo clamanti, *ſitio* porrexerunt. Hæc enim ante crucifixionem data eſt Chriſto, & hęc fuit vini, illa verò aceti. *Vinum* enim hîc legunt conſtanter omnes codices Latini, ac Origenes, S. Ambroſ. S. Hieron. S. Hilarius, S. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu c. 11. Licet Græca ac S. Chryſoſt. Theophyl. Titus, Euthym. & Syrus pro *οἶνον*, id eſt vinum, corruptè vt videtur, legant ὄξος, id eſt acetum, niſi dicas vinum hoc vocari ὄξος, id eſt acetum, quia erat acerbum & acetoſum. De hac ergo potatione ait Chriſtus: *Dederunt in eſcam meam fel*; de poſteriore verò v. 48. *Et in ſiti mea potauerunt me aceto.* Dicitur *fel* non potus, ſed *eſca*, quia fel hoc videtur integrum iniectum in vinum; nec cum eo commiſtum, vti iam dixi.

*Vinum myrrhatum quid?*

Nota Secundò. Vinum hoc cum felle Marcus vocat *vinum myrrhatũ*: quia ſcilicet vino huic impoſita fuit myrrha cum felle, vel certè myrrha ſola ſine felle, vt myrrha ipſa *fel* dicatur ob amaritudinem; ita paſſim omnes Patres & interpretes, vno dempto D. Baronio, qui anno Chriſti 34. cap. 48. cenſent vinum myrrhatum fuiſſe aromaticum, tam ſapore quàm odore ſuauiſſimum; ita dictum, quòd in vaſis myrrhinis, admixtis variis aromatibus condiretur, quod licèt ipſe acutè & eruditè probet, aliis tamen non perſuadet: nec enim vinum myrrhatum poteſt dici fel, vel felleum, vti hîc illud vocat Matthæus; nec Iudæi Chriſto infenſiſſimi permiſiſſent id dari Chriſto. Vnde v. 48. illi ſitienti propinarunt acetum. Denique Baronius ſuam ſententiam reuocat in fine tomi 10. ac ceteris Interpretibus aſſentitur, qui cenſent vinum myrrhatum fuiſſe acerbum & amarum.

Et cvm gvstasset, nolvit bibere] ſiue quòd auerſaretur malitiam Iudęorum, qui vinum felle corruperant; ſiue quia volebat maiorem pati ſitim in cruce, vt nobis mortificationis gulæ & ſenſuum viuum daret exemplum.

*Palamonis mira auſteritas.*

Quocirca Palamon miræ ſanctitatis vir; cùm in die Paſchatis iuſſiſſet S. Pachomio diſcipulo ſuo apparare cibum feſto tanto congruentem; illeque agreſtia olera, quibus veſci ſolebat, appараſſet, illiſque oleum cum ſale præter morem condimenti vice iniecisset: Palamon frontem pulſans: cum lacrymis dixit: Dominus meus fuit crucifixus, contumelijs affectus, colaphis appetitus, felle & aceto potatus; & ego oleum comedam? Quare illud guſtare noluit, ſolitumque olerum cibum ſibi apponi iuſſit. Ita habet Vita S. Pachomij.

*Vers. 35. Luc. 23. v. 33. 34. Mar. 15. 24. Ioan. 19. v. 18. 23.*

Postqvam avtem crvcifixervnt evm, divisERVNT vestimenta eivs, sortem mittentes vt impleretvr qvod dictvm est per Prophetam dicentem: DivisERVNT sibi vestimenta mea, et svper vestem meam misERVNT sortem] Matthæus partim more ſuo breuitati ſtudens, & geſta Chriſti contrahens, partim horreſcens indignitatem & atrocitatem crucifixionis Chriſti, eam non quaſi præſentem, ſed quaſi præteritam enarrat, ac velut oculis clauſis perſtringit, dicens: *Poſtquam autem crucifixerunt eum.*

Nota Primò. Dogma fidei eſt, Chriſtum non funibus, ſed clauis cruci fuiſſe affixum, quibus perforatæ fuêre manus Chriſti, vt in eas manus ſuas immittere poſſet Thomas, vt patet Ioan. 20. verſ. 25. & ſequ. Vnde pſalm. 21. dicitur: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Fieri tamen poteſt, vt funes quoque adhibiti ſint ad colligandum cruci corpus Chriſti: alioqui enim tota moles corporis à manibus vix pendere & ſuſtentari potuiſſet. Imò S. Hilarius lib. 10. de Trinit. ait Chriſtum cruci clauis affixum, & funibus alligatum fuiſſe.

*Funes crucis Chriſti Romæ.*

Funes oſtenduntur Romæ in templo S. Crucis in Ieruſalem, ædificato à S. Helena. Addit Nonnus Panopolitanus paraphraſtes Euangelij S. Ioannes cap. 19. v. 18. manus Chriſti præter clauos, ferreo vinculo fuiſſe cruci aſtrictas. Sic enim ait: *Illic interfectores ad lignum quadrilaterum ſublimè ſupra terram erectum, extenderunt Chriſtum, adſtringentes vi explicatas vtrimque manus ferreo vinculo, & immenſo ac ſingulari clauo pedis vtriuſque pectuſculum vno impetu perforatum tranſfixêre, pedibus ſibi mutuo impoſitis ac complicatis, inflexibile exitij viculum.*

Addunt S. Irenæus. Iuſtin. & Gregorius Turon. apud Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 29. in cruce fuiſte ſuppedaneum, ſiue aſſerculum, in quo innixi & fixi fuerint Chriſti pedes. Verùm in cruce delicatior hæc fabrica videtur, ait Lipſius de Cruce; nec Chriſtus in cruce ſtetit, ſed ſuſpenſus pepẽdit, vt patet Actor. 5. 30. Galat. 3. 13. Minùs incommodè Franciſcus Lucas & alij cenſent crucem ad pedes Chriſti fuiſſe excauatam, vt calcibus pedum eius in cauo hoc receptis, pedes non incurui, ſed erecti & extenſi penderent in cruce.

*Quot claui in cruce?*

Porrò clauos hos alij tres, alij quatuor fuiſſe autumant, vt ſicut ſingulæ manus, ſic & ſinguli pedes ſuum habuerint clauum. S. Brigida lib. 1. Reuelat. c. 10. aſſerit vnum pedem alteri ſuperpoſitum, cruci fuiſſe affixum duobus clauis, idq; ſibi reuelaſſe B. Virginem. S. Franciſci ſtigmata quatuor clauis repræſentant, ait Lucas Tudenſis lib. 2. contra Albigenſes c. 11. & ex eo Lucas Waddingus in Annal. Minorum anno Chriſti 1224.



1224. num. 19. Minùs probabiliter S. Bernardus ſerm. de triplici cuſtodia, manus, linguæ & cordis, autumat ſex fuiſſe clauos in manibus & pedibus Chriſti.

*Clauus Chriſti in templo S. Crucis in Ieruſalem Romæ.*

Vidi ego Romæ magno animi ſenſu clauum Chriſti integrum, in templo S. Crucis in Ieruſalem, longum, modicè craſſum, quadratum, habentem tuber ingens rotundum, ſed cauum in capite, & ſenſim tendentem in acumen. Latrones quoque cum Chriſto crucifixi clauis cruci affixi ſunt: alioqui enim ex clauis S. Helena dignoſcere potuiſſet crucem Chriſti à ſe inuentam à crucibus latronum: quod tamen non niſi per miraculum fieri potuit. Chriſtus ergo clauis ferreis malleo adactis, fuit cruci affixus; clauis, inquam, per volam manus (vbi viget tactus, ideoque acris eſt dolor) adactis, vti habet communis fidelium ſenſus; itaque paſſim pictores Chriſtum per volam manus crucifixum pingũt. Fauet illud Zachariæ c. 13. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*

Nonnulli tamen cenſent Chriſtum crucifixũ clauis, non per volam manus, ſed per carpum adactis. Carpus vocatur brachij extremitas, vbi eſt pulſus, & vbi brachium iungitur manui. Adactis, inquam, per carpum non directè, ſed tranſuerſim, ita vt per carpum adigerentur in manum, & claui extremitas in extremam manus ſuperficiem deſineret, illamque cruci affigeret. Claui enim valdè fuêre longi, vt patet ex illo quem Romæ conſpicimus. Id ita eſſe liquet clarè, inquit Mallonius, ex ſacra ſindone, cui inuolutum fuit corpus Chriſti à cruce depoſitum, in quo hæc ſacra Chriſti ſtigmata manifeſtè viſuntur. quod religioſè ſeruatur & colitur Taurini apud Allobroges. Fauet illud pſalm. 21. *Foderunt manus meas*, &c. Idem exhibent antiquæ picturæ Chriſti crucifixi. Ita crucifixerunt, inquiunt, Chriſtum, tum vt firmiùs eum cruci affigerent, tum vt maiori eum dolore afficerent: etenim maior fuit dolor, quo longior clauorum fuit per carpum manumque ductus, ideoque longior plaga & vulnus: & quia in carpo viget tactus, vt patet ex pulſu; & quia hoc vulnus tranſuerſum & longum, ex grauitate corporis, & brachiorum carpum manumque degrauantium, iugiter efficiebatur maius & productius.

*Acerbitas crucis Chriſti. Primò. Secundo. Tertiò.*

Secundò, acerbitas crucifixionis Chriſti patet; Primò, ex eo quòd in ea clauis perfoſſæ ſunt manus & pedes; vbi ſenſus tactus eſt acutiſſimus. Secundò, quòd in cruce totum corporis pondus ex manibus transfixis pependerit. Tertiò, quòd dolor hic diuturnus ſit, adeò vt Chriſtus per tres horas viuus in hoc crucis cruciatu vixerit: hinc crux à cruciciando dicta eſt. Vnde myſticè applicatur Chriſto illud de Ieruſalem ad litteram dictum Thren. 1. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.*

*Quarto.*

Quartò, in cruce diſtenſa fuerunt brachia & membra Chriſti, adeò vt ſingula eius oſſa numerari poſſent, iuxta illud: *Foderunt* (q. d. Fodiendo foſſas fecerunt) *manus, meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea*, pſalm. 21.

*Quis ſummus dolor. Chriſti.*

vnde S. Catharina Senenſis dictitabat maximum dolorem, quem Chriſtus ſenſit in cruce, fuiſſe in pectore; ſcilicet in extenſione, indeque conſequente diſiunctione oſſium pectoris, idque ſe experientia didiciſſe, cum à Chriſto omnium eius dolorum particeps facta fuit. Et ratio fauet: illa enim oſſa pectoris data ſunt ad defenſionem cordis, & inde fit immanis dolor. Ita habet eius Vita li. 2. cap. 29. ſcripta per Ambroſium Catharinum. Oret quis extenſis brachijs per duo vel tria *Miſerere*, & ſentiet quantus ſit hic dolor. Notat Genebrardus in pſal. 21. 20. pro *dinumerauerunt*, hebr. eſſe אֲסַפֵּר *aſapper*, id eſt, *dinumerabo*, id eſt, dinumerare poſſim ego, æquè ac quiuis alius me inſpiciens; ideoque Noſtrum vertere, *dinumerauerunt*, id eſt: dinumerare potuerunt: quia Chriſtus inquit, hac diſtenſione & diſtractione artuum tantum cruciatum ſentiebat, vt ipſi non vacaret oſſa ſua dinumerare.

*Crucifixionis Chriſti circumſtantia.*

Tertiò, Chriſtus cum ſpinea corona fuit crucifixus, vti iam dixi. Rurſum inter duos latrones, quaſi eorum princeps. Item nudus more Roman. Imò multi Doctores cum S. Ambroſio & S. Bonauentura docent, ne verenda quidem habuiſſe tecta & velata; licèt id putet Abulenſis, Dion. Carthuſ. & Barradius, quòd id inhoneſtum ſit coram viris & feminis; ſed magis indecora paſſus eſt Chriſtus. Ita Gretſerus libr. 1. de Cruce cap. 22. & Suarez 3. p. q. 46. art. 8. ſect. 4. & Franc. Lucas hîc: qui ſanè Chriſto ſummè pudico & verecundo, ſummus fuit pudor & dolor. Audi S. Ambroſium libr. 10. in cap. 23. Lucæ: *Nudus*, ait, *crucem aſcendit, nudum ecce video. Talis ergo aſcendat qui ſæculum vincere parat, vt ſæculi adiumenta non quærat. Victus eſt Adam, qui veſtimenta quæſiuit: vicit ille, qui veſtimenta depoſuit, & talis aſcendit, quales nos auctore Deo natura formauit. Sed Adam*, inquit D. Taulerus c. 33. Exerc. vitæ Chriſti, *ob amiſſam innocẽtiam tegere ſe, & veſtibus operire feſtinauit; Chriſtus verò nudatus eſt, eò quòd integram & illæſam ſeruarat innocentiæ puritatem, nec vllo ei alio tegmine opus erat.* Hinc Chriſti exemplũ ſequi volens S. Franciſcus in morte nudum ſe in terra proſtrauit, vt dixi Matth. 5. ad illa: *Beati pauperes ſpiritu.*

*S. Flauia virgo & Martyr nuda ſuſpenſa.*

Hæc cogitans S. Flauia virgo nobiliſſima & Martyr, ſororque S. Placidi Martyris, cùm iuſſu Manuchæ tyranni nuda ſuſpenderetur, vt Chriſtum negaret: *Ego*, inquit, *non tantùm nuditatem corporis ſuſtinere parata ſum, ſed etiam gladium & ignem propter eum, qui pro me denudari, flagellari & crucifigi voluit.* Ita habent acta S. Placidi apud Surium ad diem 5. Octobris.

Quartò, paſſim cenſent Chriſtum in cruce humi ſtrata fuiſſe crucifixum: ita enim fiebat in illis qui crucem ſuam ferebant. ſecùs eſt de illis, qui in cruce priùs fixâ, v. g. in patibulo iam erecto ſuſpendebantur. Humi ergo Chriſtum fuiſſe cruci affixum cẽſent S. Anſelmus, Laur. Iuſtinianus, Abulenſis, Gretſerus & alij. Alioqui enim, inquiunt, difficilior fuiſſet Chriſti crucifixio in cruce altâ & erectâ. Contrarium tamen, ſcilicet Chriſtum in cruce erectâ fuiſſe cruci affixum, nimirum ita vt ſtans in ſuppedaneo altiore extenderet manus, vt facile fuerit illas clauis ad crucem iam in terra firmatam configere, docet Nonnus, cuius verba iam citaui, & S. Bonauentura, Lipſius tract. de Cruce, Ioan. Molanus tract. de Imagin. & picturis, Toletus & Ribera in cap. 19. S. Ioan. v. 18. ac S. Brigitta lib. 1. Reuel. c. 15. ac ibidem Conſaluus Durantus, item Daniel Mallonius commentans in Alphonſi Palleotti librum de Stigmat. S. Sindonis cap. 16. Fauet illud Cant. 7. 8. *Aſcendam in palmam, & apprehendam*

*dam fructus eius.* Vide ibi dicta. Nihil in hac quæſtione definiunt Salmeron, Suarez & Lorinus in pſal. 21. v. 17. nec ego definio

*Cur Chriſtus crucifixus. Cauſa litteralis.*

Quæres, cur Chriſtus ſit crucifixus potiùs quàm combuſtus, lapidatus, capite plexus? Reſp. Cauſa litteralis fuit, quòd Iudæi ex odio in Chriſtum, vt eius nomen & ſectam infamarent & planè abolerent, voluerunt eum morte ſummè infami plectere. Talis autem eſt mors crucis. Hac de cauſa crimen ei impoſuerunt, quòd affectaſſet regnum Iudeæ, & Cæſari rebellaſſet: rebelles autem, ſeditioſi & regnum ambientes iure Romano crucifigebantur, vt qui voluerant ceteris eminere in regno ceteris eminerent in patibulo. Adde, videri Iudæos crucis ſupplicium Barabbę, quaſi ſeditioſo & latroni famoſo debitum, voluiſſe in Chriſtum transferre. Vnde electo ab eis Barabba præ Chriſto, illico contra Chriſtum clamare cœperunt, *Crucifige eum.*

*Cauſa Dei.*

Cauſa ex parte Dei fuit, quia placuit Deo per ſtultitiam crucis, ſaluos facere credentes. Crux enim *Iudæis eſt ſcandalum. Gentilibus ſtultitia, ipſis autem vocatis & electis Dei virtus & ſapientia,* vti fusè docet Paulus 1. Cor. 2. Accedit, quòd victimæ olim eleuabantur, vt ſignificaretur eas offerri Deo, deinde igne cremabantur. Sic Chriſtus, qui totum ſe expanſis brachiis Deo Patri in holocauſtum & victimam pro peccatis noſtris obtulit, eleuatus fuit in cruce, ibique dolore, & magis amore hominum, aſſus & toſtus: ſicut eius typus agnus paſchalis, diſtentus in veru per modum crucis aſſabatur.

*Cauſa moralis. Prima.*

Cauſæ morales ex parte Chriſti & hominum fuêre variæ. Prima, vt, ſicut Adam & Eua peccarunt extendendo manus ad lignum vetitum, ſic Chriſtus peccatum hoc lueret extendendo manus ad lignum crucis. Ita S. Auguſt. in Append. de Diuerſis ſerm. 4. Vnde canit Eccleſia: *Per lignũ ſerui facti ſumus, & per ſanctam crucem liberati ſumus.* Et: *Vt unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Et S. Gregorius Nazianz. in orat. de ſeipſo ad Arrianos: *Ad vitæ lignũ vnde excederamus, per ignominiæ lignum reuocati ſumus.* Et S. Ambroſ. in Lucæ cap. 4, *Mors per arborem, vita per crucem.* Imò ipſe Chriſtus Cant. 8. *Sub arbore malo ſuſcitaui te. Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Rurſum crux eſt expiatio & remedium cõcupiſcentiæ ex peccato Adæ contractæ, quę fons & origo eſt omnium peccatorum: quare exemplo crucis ſuæ docet nos Chriſtus, concupiſcentiam noſtram aſſiduè crucifigere & mortificare; ſi peccato cauere & animam ſaluare velimus. Ita S. Athanaſ. de Incarn. Verbi.

*Secunda.*

Secunda, vt pendens in aëre, inter cælum & terram, cælites terrenis reconciliaret. Ita S. Ambroſ. in Lucæ c. 23. *Vt non ſibi ſoli,* inquit, *ſed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, quò omnia ad ſe traheret; vt nodo mortis exuta, iugo fidei ſuſpenſa, cæleſtibus ea, quæ priùs erant terrena, ſociaret.* S. Cyprianus, vel quiſquis eſt auctor. tract. de Paſſione ait: *Conſidero opera tua, & admiror te cruci inter damnatos affixum, iam nec triſtem, nec pauidum, ſed ſuppliciorum victorem eleuatis manibus triumphantẽ de Amalec, & quaſi ſanctificantem de excelſo plebem, & eleuatum in ſublimi, & quaſi cælo proximum, ſuperioribus inferentem conſummati agonis vexillum, & inferioribus erexiſſe ſcalam in Patris occurſum.*

Hinc S. Hieron. hîc docet, Chriſtum in cruce per quatuor eius cornua, quaſi amplecti totum mundum, eiuſque quatuor plagas. *Ipſa ſpecies crucis,* inquit, *quid eſt niſi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens, Arcton dextra tenet, Auſter in læua conſiſtit, Occidens, ſub plantis firmatur. Vnde Apoſtolus dicit. Vt ſciamus quæ ſit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum. Aues quãdo volant ad æthera, formam crucis aſſumũt: homo natans per aquas, vel orans, forma crucis viſitur: nauis per maria, antenna cruci ſimilata afflatur.* Et S. Gregorius Nazianz. in carm. de Virgin.

*Quin etiam expandens ſacratì corporis artus*
*In fines orbis, mortale ex finibus orbis.*
*Collegit genus, atque hominem contraxit in vnum,*
*Et medijs magnæ poſuit deitatis in vlnis.*

Hoc eſt quod ait Chriſtus: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum,* Ioan, 12. 32.

*Tertia.*

Tertiam dat S. Athanaſius de Incarn. Verbi: *Nam ſi ideo venerat: vt noſtra piacula execrationesq́; portaret, quomodo alia ratione execratio aut piaculum fuiſſet, niſi execrabilem mortem in ſe recepiſſet? Eſt autem hoc ipſum crux, quemadmodum ſcriptum eſt: Execrabilis quicumque in ligno pendet,* Deuter. 21. v. 25. Galat. 3. v. 13.

*Martyrum omnium tormenta in cruce ſenſit Chriſtus.*

Accedit, quòd in cruce omnia pœnarum genera concurrunt: quare illa Chriſtus in ſua cruce complexus eſt, vt Martyribus daret exemplum quælibet ſupplicia perferendi. Crux enim manus pedeſque ſecat vt gladius, corpus diſtendit vt eculeus, lacerat vt vngula, laniat vt beſtiæ, vrit cruciatque vt focus, adeoque lento quaſi igne hominem aſſat & necat, &c. Quare Chriſtus omnium Martyrum tormenta ſenſit, illaque ſibi repræſentauit & pro iis afflictus fuit, vt omnibus virtutem illa ſuperandi impetraret: nimirum vt ait B. Laur. Iuſtin. l. de Triumphali Chriſti agone c. 19. *in Stephano lapidabatur, in Laurentio aſſabatur, ſicque in ſingulis ſingula Martyrum ceterorumq́; iuſtorum ſuſtinebat tormenta.*

*Quarta.*

Quartam dat S, Auguſt. Append. de Diuerſis ſerm. 59. *Noluit,* ait, *lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos ſemper nobiſcum lapides aut ferrum ferre non poſſumus, quibus defendamur. Elegit verò crucem quæ leui motu manus exprimitur, qua & contra inimici verſutias munimur.* Hoc eſt quod ait Paulus Galat. 3. *Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui pendet in ligno, vt in gẽtibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu.*

*Quinta.*

Quintam aſſignat S. Anſelm. in ep. ad Philip. c. 2. *Tam peſſimam,* inquit, *mortem Saluator elegit, vt omnem mortem occideret.* Et vt ait S. Auguſt. pſal. 140. *Vt diſcipuli eius mortem non modò non timerent, ſed nec genus mortis horreſcerent.* Idem S. Auguſtin. l. de Agone Chriſtiano c. 11. *Nolite,* ait, *timere contumelias & cruces & mortem, quia ſi nocerent homini, non ea pateretur homo, quem ſuſcepit Filius Dei.* Sic S. Thom. 3. p. q. 48. art. 4.

*Sexta.*

Sextam dat S. Athanaſius de Incarn. Verbi: *Dominus venit,* inquit, *vt diabolum præcipitaret, aeremq́; purificaret, & viam ad cælum nobis inueniret.* Ergo debuit in aëre crucifigi. Eamdem rationem dat S. Chryſoſt. homil. de cruce & latrone. Plures alias cauſas congerit S. Thomas 3. p. q. 40. art. 4. Iac. Boſius lib. 1. de Cruce triumphante c. 10. & Gretſerus lib. 1. de Cruce c. 41. & 42. Denique D. Baſilius homil. de humilit. *Diabolus,* inquit,



*in eo crucifixus eſt, quem ſe crucifixurum; & in eo mortuus, quem morte ſe extincturum ſperauerat.* Accedit D. Leo ſer. 10. de Paſſione: *Claui,* inquit, *Chriſti perpetuis diabolum fixere vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio poteſtatum.*

Porrò in cruce verum fuit illud pſal. 95. iuxta Septuag. olim lectum: *Regnauit à ligno Deus,* quia vt ait Ambroſ. in c. 23. Lucę: *Licet in cruce erat Dominus Ieſus, ſupra crucem tamẽ regis maieſtate radiabat.* Et vt ait S. Auguſt. *Chriſtus domuit orbem non ferro, ſed ligno.* Crux ergo fuit currus triumphalis Chriſti, in quo ipſe de diabolo, peccato, morte & inferno triumphauit, Hinc S. Ambroſ. lib. 10. an. Lucæ cap. 23. crucem vocat *currum triumphatoris, & triumphale patibulum.*

*Crux Chriſti ex quo ligno.*

Hinc & crux dicitur compacta fuiſſe ex cupreſſo, cedro, palma, olea. Vnde carmen:

*Ligna crucis palma, cedrus, cupreſſus, oliua.*

Quod citat Gloſſa in Clement. 1. de ſumma Trinitate. Et, *Corpus tenet alta cupreſſus.* Et: *Pars eſt oliua ſuprema.* Vide noſtrum Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 5. ex S. Chryſoſt. In cruce enim Chriſtus quaſi cedrus exaltatus fuit, quaſi cupreſſus comata pulchruit, quaſi oliua gratiæ oleum fudit, quaſi palma victrix de morte triumphauit. Quocirca S. Cyprianus, vel quiſquis eſt auctor, tract. de paſſione ait: *Aſcendiſti Domine palmam: quia illud crucis tuæ lignũ portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus & poteſtatibus & nequitijs ſpiritualibus victoriam, erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erat fortitudo tua abſcondita & imperium tuum ſuper humerum tuũ: tu ipſe patibuli tui baiulus, hærebas ligno quod tuleras euectionis & paſſionis anxietates ſuſtinens & labores. Conſideraui opera tua & expaui.*

*Crux eſt liber ſapientiæ. Primò.*

Denique Deus voluit crucẽ Chriſti eſſe Primò, pretium redemptionis noſtræ; Secundò, librum ſapientiæ diuinæ; Tertiò, ſpeculum omnis virtutis & perfectionis. Librum ſapientiæ Dei dico, quia in crucis atrocitate Chriſtus Primò, oſtendit ſummum in homines amorem, vtpote pro quibus tam atrociter & ignominiosè crucifixus ſit:

*Secundò.*

Secundò, grauitatem peccati mortalis; vtpote quod non niſi morte crucis ex iuſto Dei decreto expiari potuerit:

*Tertiò.*

Tertio, acerbitatem pœnarum gehennæ. Si enim Deus caſtigauit adeò peccatum alienum in Chriſto filio ſuo, quomodo caſtigabit peccata propria in ipſis viliſſimis peccatoribus in igne gehennæ? *Nam ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

*Quartò.*

Quartò, quanti facienda ſit anima hominis cuiuſlibet, vtpote cuius pretium fuit vita Chriſti, quo ipſe eam appretiauit & redemit; quantoque ſtudio animarum ſalus procuranda ſit, ne ſanguis Chriſti pro illis inaniter ſit effuſus, & quaſi perditus.

*Quintò.*

Quintò, quanta ſit futura felicitas Beatorum in cęlo, vtpote quæ empta ſit tot tormentis à Chriſto in cruce. Iure ergo S. Auguſt. tract. 119. in Ioannem: *Lignum,* inquit, *in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magiſtri docentis.*

*& ſpeculum virtutum omnium.*

Crux quoque eſt ſpeculum omnis virtutis & perfectionis, quia Chriſtus in cruce oſtendit apicem & culmen ſummæ humilitatis, paupertatis, patientiæ, fortitudinis, conſtantiæ, mortificationis, obedientiæ, charitatis, cæterarumque virtutum omnium. *Inſpice* ergo, ô Chriſtiane, *& fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte* Caluarię *monſtratum eſt,* Exodi 25. v. 40. Hoc eſt quod ait Apoſtolus Ephel. 2. *in charitate radicati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum; ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Vide ibi dicta. Quocirca Martyres meditatione crucis Chriſti animabant ſe ad cruces quaſlibet.

*Exempla S. Feliculæ.*

Ita S. Felicula virgo & martyr S. Petronillæ collactanea, cùm in eculeo torqueretur, exultans dicebat: *En Chriſtum ſponſum video, qui prò me tanta ſuſtinuit.*

*S. Ignatij Martyris, SS Marci, & Marcelliani.*

S. Ignatius epiſt. ad Romanos: *Amor meus crucifixus eſt;* SS. Marcus & Marcellianus fratres & Martyres crucifixi: *Numquam,* inquiebant: *tam iucundè epulati ſumus, quàm libenter hæc Chriſti cauſa perferimus, in crucis amore nunc fixi, eſſe cœpimus. Vtinam nos tam diu pati ſinat, quàmdiu corruptibili hoc corpore veſtiti erimus.* Ita crux Chriſti quaſi mel dulcorat cruces Sanctorum.

*SS. Sauini & Cypriani.*

SS. Sauinus & Cyprianus Martyres Brixiani ſuper rotas extenſi & dilacerati, grãtias agentes Deo canebant: *Quam dulcis eſt dilectiò tua Domine?*

*S. Heſteriæ,*

S. Heſteria Bergomas virgo & Martyr: *En,* inquit, *ceruix mea præſto eſt, in hanc ſæuite: hanc pro Chriſti Domini mei fide libenti animo trado.*

*SS. Euſebij Pontiani, Vincentij & Peregrini.*

SS. Euſebius, Pontianus, Vincentius & Peregrinus Martyres ſub Commodo Imper. cùm in eculeo quaſi in cruce diſtenti, neruis & fuſtibus cæderentur, inſultabant tortoribus: *Nolite remittere: ante enim vobis tempus, quàm nobis animus pro Chriſto patiendi deficiet,* Cumque Vitellius præſes tantam in tormentis lætitiam magiæ tribueret; S. Vincentius reſpondit: *Non gaudemus niſi in Domino Ieſu Chriſto.* Hæc omnia recenſet Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

*Martyrum Iaponenſiũ, S. Franciſci.*

Sic hoc ſæculo Chriſtiani pro fide Chriſti in Iapone crucifixi exultabant, quòd ſimiles eſſent Chriſto crucifixo, & crucem cruci rependerent. S. Franciſcus beatum ſe ęſtimabat, quòd per impreſſa cęlitus ſibi quinque vulnerum Chriſti ſtigmata, conformis eſſet Chriſto crucifixo. Gaudeant & Religioſi, quòd per tria vota quaſi per tres clauos Chriſti amore ſuſceptos, cum eo crucifigantur, qua de re vide elegantem & piam orationem Abbatis Pinufij apud Caſſian. l. 4. de inſtit. renunc. c. 34. & ſequ. ac Hieron. Platũ lib. 2. de Bono ſtatus Religioſi cap. 11. Denique piè, verè & patheticè Franc. de Sales nuper Epiſc. Geneuenſis:

*Aut amor, aut furor eſt qui te bone Chriſte peremit:*
*Eſt amor, & furor eſt; hic meus, ille tuus.*

*Chriſtus crucifixus diè 25. Martij.*

Quęres Secundò, quo tempore Chriſtus ſit crucifixus? Reſp. Chriſtus die 25. Martij in vtero Virginis conceptus eſt, & poſt 34. annos eodem die crucifixus eſt in æquinoctio verno, natus vero eſt die 25. Decembris in ſolſtitio hyberno. Vnde & Eccleſia in Martyrologio die 25. Martij recolit memoriam S. Diſmæ latronis, qui cum Chriſto crucifixus ab eo conuerſus audiuit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Idem docet S. Auguſt. lib. 18. Ciuit. cap. vltim. Chryſoſt. Tertull. D. Thomas, S. Antoninus, Platina, & Vſuardus, quos citat & ſequitur Suarez 3. p. diſput. 40. ſect. 5. in fine. Hi omnes docent Chriſtum paſſum die 25. Martij, ita vt illo die præcisè expleuerit 34. annos à conceptione & incarnatione ſua. Hinc L. Dexter in Chronico ad annum Chriſti 34. *Chriſtus Dominus,* inquit, *in crucem actus VIII. Calend. Aprilis* (hoc eſt die 25.



Martij)

Martij) *inuidiæ Iudæorum crucifixus, pro ſalute totius generis humani libẽter mortem oppetit.* Hine rurſum in appendice ad Adonis Martyrol. quam edidit noſter Heribertus Roſweydus, ad diem 25. Martij ſic legimus: *Hieroſolymæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus crucifixus eſt, & in eadem ciuitate paſſio S. Iacobi Apoſtoli, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur. Eodẽ die immolatio Iſaac, & tranſitus filiorum Iſrael per mare rubrum:* quorum vtrumq; fuit typus Chriſti in cruce pro nobis immolati, *Et victoria Michaelis Archangeli contra draconem.* Vnde inferas, eodem die creatum eſſe à Deo mundum: nam ſimul cum eo creati ſunt angeli, qui mox à creatione cœperunt duellare.

*In meridie.*

Reſp. Secundò, Chriſtus die 25. Martij crucifixus eſt in meridie. S. Ioannes enim ait cap. 19. v. 14. *Erat hora quaſi ſexta*, ſcilicet ab ortu ſolis, quæ eſt in meridie. Dices, marcus cap. 15. v. 25. ait: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Reſp. Erat hora tertia non incipiens, ſed finiens: finis autem horæ tertiæ erat initium ſextæ; hæ enim horæ olim apud Iudæos & Romanos ternas modernas continebant. Non aliud velle Marcum patet cap. 15. v. 33. dum ait: *Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram.* Hæ enim tenebræ cœperunt cum crucifixione Chriſti, vti patebit verſ. 45. Cauſam ſiue congruentiam dat Theophylactus: *Sexta die,* inquit, *homo eſt conditus, qui & ſexta hora de ligno comedit: qua igitur hora Dominus hominem condidit, eâdem & lapſum curauit. Sexta die & ſexta hora cruci affixus eſt.* Similiter inter Latinos Beda Marcum enarrans: *Rationis,* ait, *imò diuinæ pietatis ordo poſcebat, vt qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo inuexerat, eâdem hora ſecundus Adam mortem moriendo deſtrueret.* Meridie enim Adam cibum vetitum guſtarat, Geneſ. 3. verſ. 8.

*cur?*

*eâdem die qua creatus eſt Adam.*

Porrò eâdem die creatum eſſe Adam, ſcilicet in æquinoctio verno, & eâdem hora comediſſe pomum vetitum, qua Chriſtus in cruce moriens culpam expiauit, & eum quaſi recreauit, multi cenſent, inter quos Tertull. lib. 1. carmin. contra Marcion. ita canit:

*Qua die, quôve loco cecidit clariſſimus Adam,*
*Hac eâdem redeunte die voluentibus annis,*
*In ſtadio ligni fortis congreſſus athleta,*
*Extenditq; manus pœnam pro laude ſecutus,*
*Deuicit mortem,* &c.

Quod verò attinet ad horam, ita docuit Procopius in ca. 3. Geneſ. *Chriſtus,* inquit, *amaram paſſionem paſſus eſt in ipſis horis, quibus Adam edit; ſcilicet ab hora ſexta ad horam nonam. Adamus enim hora ſexta comedit: eſt enim ea hora quaſi certa regula hominibus conſtituta, vt cibum capiant.*

*facie verſâ ad Occidentem: cur?*

Nota, Chriſtum ita fuiſſe crucifixum, vt facie ab Hieroſolymis auerſâ (quaſi qui eius hoſtis, indignus eſſet eam intueri, ſed reuera quaſi impios Iudæos reprobaturus, & Gentes electurus) Occidentem, putà Italiam & Romam ſpectaret. Inde Chriſtiani ex Apoſtolorum inſtitutione orant ad Orientem, quaſi Chriſti crucifixi faciem intuentes: hinc & templa eorum reſpiciunt Orientem, in quibus imago Chriſti crucifixi Occidentem proſpicit, quam qui adſpiciunt & adorant, neceſſariò Orientem ſpectant. Ita Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 13. S. Hieronymus, Beda, Germanus, Sedulius, Adrichom. & alij, quos citat & ſequitur Alfonſus Paleottus de Chriſti Stigmatibus c. 20. p. 278. num. 27. Hoc eſt quod Iudæis prædixit Ierem. cap. 18. 17. *Dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* Et Dauid pſalm. 65. 7. *Oculi eius ſuper gentes reſpiciunt.*

*Hinc Chriſtiani orantes ad Orientem.*

*Modus crucifixionis Chriſti S. Brigittæ reuelatus.*

Porrò modum crucifixionis, ſibi in monte Caluariæ oranti à Chriſto reuelatum, ſcribit S. Brigitta lib. 7. Reuel. cap. 15. vbi ſic ait: *Non coactus, ſed ſtatim voluntariè extendit brachium ſuum, & aperta ſua dextera manu, poſuit eam in cruce, quam illi ſæui tortores immaniter crucifixerunt, perforabant eam clauo per illam partem qua os ſolidius erat; tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum eius ſiniſtram, cruci affixerunt eam ſimili modo. Deinde extenſo corpore vltra modum, iunctos pedes affixerunt in cruce duobus clauis, & in tantum extenderunt illa glorioſa membra in cruce vehementer, quòd quaſi omnes venæ & nerui eius rumpebantur.* Eadem lib. 1. Reuel. cap. 10. Chriſti in cruce figuram & liuores ex reuelatione B. Virginis ita deſcribit: *Tunc oculi eius apparuerunt ſemimortui, maxillæ eius ſubmerſæ & vultus lugubris, os eius apertum, & lingua ſanguinolenta, vẽter dorſo inhærens conſumpto humore, quaſi non haberet viſcera. Omne corpus pallidum & languidum, ex fluxu & egreſſione ſanguinis. Manus & pedes eius rigidiſſimè extenti erant, & iuxta formam crucis cruci attracti & conformati. Barba & crines ex toto reſperſi ſanguine. Itaque cùm filius meus ſic laceratus & liuidus ſtaret, ſolum cor recens erat, quia optimæ & fortiſſimæ naturæ erat.* lib. 4. cap. 70. *Tunc color mortis in partibus, quibus, præ ſanguine aſpici potuit, acceſſit, dentibus maxillæ inhæſerunt. Coſtæ verò attenuatæ dinumerari poterant. Venter autem conſumptis humoribus dorſo applicatur, & iam naribus attenuatis, cùm cor prope ſciſſionem eſſet, totum corpus eius contremuit, & tunc barba eius ſuper pectus eius cecidit.*

Denique Lactant. lib. 4. cap. 26. *Quoniam,* inquit, *qui in patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & ceteris altior, crux potiùs electa eſt, quæ ſignificaret illum tam conſpicuum, tamq́ue ſublimem futurum, vt ad eum cognoſcendum pariter & colendum, cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent,* &c. *Extendit ergo in paſſione manus ſuas, orbemque dimenſus eſt; vt iam tunc oſtenderet ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum, ſub alas ſuas eſſe venturum, ſignumq́ue illud maximum atque ſublime frontibus ſuis ſuſcepturum.* Iam cetera quæ ad crucem ſpectant, ſcilicet crucis figuras, oracula, vſum, gloriam, adorationem, virtutem, miracula & imitationem vide apud Gretſerum lib. 1. de Cruce cap. 29. & ſequent. ac S. Thomam 3. p. q. 46. & ibi Suarez De cruce morali, id eſt de tribulationum omnium tolerantia, cuique Chriſtiano in omni afflictione patienter, hilariter & fortiter exhibenda, vide Gretſerum lib. 4. de Cruce, qui totus eſt de hac re.

*Crucis elogia.*

Tropolog. fructus & elogia crucis ita recenſet S. Chryſoſt. homil. de Cruce ſub finem tomi 3. *Crux ſpes Chriſtianorum: crux reſurrectio mortuorum: crux cæcorum dux: crux deſperatorum via: crux claudorum baculus: crux conſolatio pauperum: crux refrenatio diuitum: crux deſtructio ſuperborum: crux malè viuentium pœna: crux aduerſus dæmones triumphus: crux deuictio diaboli: crux adoleſcentum pædagogus: crux ſuſtentatio inopum: crux ſpes deſperatorum.*



*crux nauigantium gubernator: crux periclitãtium portus: crux obſeſſorum murus: crux pater orphanorum: crux defenſor viduarũ: crux iuſtorum conſiliarius, crux tribulatorum requies: crux paruulorum cuſtos: crux virorum caput: crux ſenum finis.* Plura deinde conglomerans, ſic proſequitur: *Crux lumen in tenebris ſedentiũ: crux regum magnificentia: crux ſcutum perpetuum: crux inſenſatorum ſapientia: crux libertas ſeruorum: crux Imperatorum philoſophia: crux lex impiorum: crux Prophetarum præconium: crux annuntiatio Apoſtolorum: crux Martyrum gloriatio: crux monachorum abſtinentia: crux virginum caſtitas: crux gaudium ſacerdotum: crux Eccleſiæ fundamentum: crux orbis terræ cautela; crux templorum deſtructio: crux idolorum repulſio: crux ſcandalum Iudæorum: crux perditio impiorum; crux inualidorum virtus: crux ægrotantium medicus: crux emundatio leproſorum: crux paralyticorum requies: crux eſurientium panis: crux ſitientium fons: crux nudorum protectio.* Similia habet S. Ephrem ſerm. de S. Cruce; & Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 12.

*Affectus ſeptem è Chriſto crucifixo.*

Ex dictis collige, verios pios affectus; ſed maximè ſeptem, fideli in lectione, inſpectione & meditatione Chriſti crucifixi, excitandos eſſe. Primus eſt, compaſſio: ſecundus, compunctio; tertius gratiarum actio: quartus, imitatio: quintus, ſpes: ſextus, admiratio: ſeptimus, amor & charitas.

*Primum Chriſti verbum in cruce.*

Intexendum hîc ex Luca cap. 23. 34. Ieſum illico vt fuit crucifixus, oraſſe Patrem pro Iudæis & militibus eum crucifigentibus, dicendo: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt;* hoc enim ante diuiſionem veſtium eius contigiſſe patet ex Luca. Hoc primum eſt verbum inter ſeptem memorabilia, quæ Chriſtus in cruce edidit, quo poſt tot tantoſq́ue dolores, iniurias, illuſiones, quaſi eorũ oblitus, & de ſalute torquentium ſe ſollicitus, ex pectore, ceu ex fornace ardore charitatis æſtuante, vocem hanc igneam in cælum eiaculatur, poſtulans iis ignoſci. Atque exauditus eſt pro ſua reuerentia. Nam multi ex iis in Pentecoſte ad prædicationem Petri pœnitentes, ad Chriſtum conuerſi ſunt, vt patet Actor. 2. Docuit nos Chriſtus pro perſecutoribus orare, malefacientibus benefacere, itaq́ue vincere in bono malum. Chriſtum imitatus S. Stephanus, cùm lapidaretur, flexis genibus orabat: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, & cùm hoc dixiſſet,* quaſi cygnus cygnæa voce emiſſa *obdormiuit in Domino.*

*Non enim ſciunt quid faciunt.* quia neſciunt me eſſe Chriſtum filium Dei: quod ſi ſcirent, vtique non me crucifigerent, nec auderent committere hoc immane ſacrilegium & deicidium. Neſciunt me eſſe ſaluatorem mundi & ſuum, neſciunt me mori pro ipſorum ſalute. Ita *de impietate & malitia Iudæorum ſuauitas pietaſque Chriſti triumphat,* ait S. Cyprianus tractat. de Paſſione Chriſti.

*Emblema dilectionis inimicorum.*

Hieroglyphicum dilectionis inimicorum eſt ſilex, hoc lemmate: *Silex, ex quo ignis excutitur, non ſine ictu* Silex enim lapis durus eſt, ex quo ignis excuti ſolet: & ſic nuncupatur, vel quòd ignis ex eo ſaliat, vel quòd ſilentem intra ſe ignem habeat, qui attritu excitatur; quare à vulgo lapis viuus, ad illorum lapidum differentiam, qui mortui dicuntur, nuncupari ſolet. Silex hic eſt Chriſtus, qui eſt lapis angularis. Chriſtus enim latentem in ſe diuinitatis ignem & charitatem immenſam effudit non cruce, at non ſine ictu, dum ictus à crucifixoribus pro ijs ardenter orauit. Ipſe enim olim dixerat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Lucæ 12. Chriſtum imitetur Chriſtianus, ac ſe faciat ſilicem ignitum, & alios ignientem, & dum iniuriæ alicuius, ceu ferri & chalybis ictu feritur, ſcintillas amoris diuini in ferientes eiaculetur; vti fecit Chriſtus.

*Diuiſio veſtimentorum Chriſti.*

DIVISERVNT VESTIMENTA EIVS, SORTEM MITTENTES] Fuſiùs hoc enarrat Ioannes cap. 19. verſ. 23. dicens: *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius (& fecerunt quatuor partes vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerũt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam ſed ſortiamur de illa cuius ſit.* Vbi S. Cyrillus: *Veſtes damnatorum,* ait, *quaſi hereditatis lege ad ſe pertinentes ſibi vendicant,* quaſi mercedem ſuæ operæ in crucifigendo. Porrò S. Chryſoſtom. *Veſtes,* ait, *inter ſe partiuntur, quod in cõdemnatis vilibus & abiectis fieri ſolet, ac omnino deſtitutis.* Et mox: *Partiuntur ea veſtimenta, per quæ miracula facta ſunt; ſed tunc nihil efficiebant, Chriſto ineffabilem eorum virtutem cohibente.* Fuit hæc inſignis Chriſto ignominia & afflictio, quòd coram ſe videret inſolenter veſtes ſuas à militibus lacerari, & alea iacta ſorte diuidi. Sed nimirum voluit in extrema paupertate, nuditate & opprobrio mori, patiq́ue pro nobis, ac non tantùm veſtes, ſed & corpus vitamq́ue exuere, vt ignominiam nuditatis Adæ & noſtræ tegeret, veſtiretque ſua ignominia, eaq́ue reſtitueret nobis veſtes immortalitatis, *vt nos indueret vitam & immortalitatem,* ait S. Athanaſ. ſerm. de Cruce.

Tropologicè, voluit nos docere, vt nudemur rebus ſuperuacuis huius mundi.

*Tunica inconſutilis qualis.*

Nota Primò. Chriſtus habuit tunicam inconſutilem, quæ, vt ait Ioannes, *deſuper;* græcè, ἐκ τῶν ἄνωθεν, id eſt ex ſummo, contexta erat per totum; hoc eſt tota textilis erat, ſine ſutura, quam idcirco, ait Euthymius, veriſimile eſt fuiſſe quaſi ſubuculam loco camiſiæ proximè corpori adhærentem. Additq́ue veterum opinionem (quã ipſe approbat) eſſe, eamdem à matre B. Virgine Chriſto puero factam textamq́ue fuiſſe. Vnde conſequens videtur, tunicam hanc cum Chriſto creſcente creuiſſe, vti creuêre veſtes Hebræorum per 40. annos peregrinantium in deſerto. Tunica hęc inconſutilis hodie Treuiris religioſè aſſeruatur & viſitur.

*Treuiris ſeruatur.*

Symbolicè, S. Athanaſius ſerm. de Cruce: fuit hęc tunica inconſutilis; *quo vel hinc,* inquit, *credere poſſent Iudæi, quis eſſet & vnde eſſet, qui hæc induit, quòd Verbum erat, non à terra, ſed è cælis veniens; quodq; non diuiſibile, ſed indiuiſibile Verbum eſt Patris, quodq; factus homo non habuit corpus ex viro feminaq; contextum, ſed ex virgine ſola, contextum ſpiritus gratiâ.* Et mox: *Neq; enim hoc illorum, ſed Seruatoris in cruce pendentis factum erat. Suſpenſus enim vt homo, principatus perſequebatur, ipſum diabolum comprehendit, ac milites terruit ne ſcinderent tunicam; vt hac manente, maneret, & quæ paulò pòſt facta eſt aduerſus Iudæos redargutio; quoniam velum quidem ſciſſum eſt, tunica verò Seruatoris ne à militibus quidem ſciſſa eſt,*

ſed

*ſed manſit integra. Manet enim Euangelium ſemper integrum, cùm interim diſsipentur vmbræ.*

*Tres Chriſti veſtes quales?*

Nota. Secundò. Milites ſciderunt alias Chriſti veſtes, eaſque diuiſerunt in quatuor partes pro quatuor militibus Chriſtum crucifigentibus, rurſumque ſortiti ſunt *quis quid tolleret*, vt ait Marcus. Quæ & quot fuerint hæ Chriſti veſtes incertum eſt. Probabile eſt quod ait Euthymius, tres fuiſſe; ſcilicet primam tunicam inconſutilem, quæ intima fuit inſtar induſij; ſecundam tunicam illi iniectam ſimilem illi Eccleſiaſticorum, quam Itali alijque *ſottanam* vocant; tertiam tunicam extimam, quæ exteriùs corpus tegebat & ornabat inſtar pallij. Nam thoracis, femoralium, tibialium, non erat vſus apud Iudæos, vti nec modò eſt apud multos Orientales.

Symbolicè, S. Athanaſ. ſerm. de Cruce: *Milites*, inquit, *veſtes Chriſti diuidunt in quatuor partes, eò quòd pro peccatis mundi quadrifariam diuiſi, ad exortū, occaſum, Septemtrionem ac Meridiem, geſtabat illa: quibus indutum cùm videret eum Ioannes, ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

Vers. 36. Et sedentes servabant evm] Græca addunt ἐκεῖ, id eſt *illic*, ſcilicet in cruce pendentem in monte Caluariæ. q.d. Milites cum Iudæis ſeruabant Ieſum, ne quis è diſcipulis vel fautoribus eum è cruce deponeret, vel ne ipſe per miraculum è cruce deſcenderet. Verùm Dei conſilio id alio fine fiebat, quem ipſi ignorabant. Nam, vt ait S. Hieron. *diligentia militum & ſacerdotum nobis profuit, vt maior & apertior reſurgentis virtus appareat.* Milites enim & Iudæi viderunt eum in cruce morientem: quare cùm poſtea rediuiuus multis apparuerit, neceſſe eſt vt fateantur, eum vi diuina à morte reſurrexiſſe.

Vers. 37. Luc. 23. 38. Mar. 15. 26. Ioan. 19. v. 19. Et imposvervnt svper capvt eivs cavsam (Syrus, *occaſionem mortis ipſius*) ipsivs scriptam: Hic est rex Ivdæorvm] *Impoſuerunt tabellam*, vt vertit Arabicus in qua inſcripta erat cauſa & culpa crucifixionis ipſius: ſcilicet quòd eſſet rex Iudæorum, id eſt, quòd affectaſſet regnum Iudęæ, ideoque rebellaſſet Tiberio Cæſari.

*Titulus crucis Chriſti.*

Vnde pontifices ſuggeſſerunt Pilato, vt ait Ioann. cap. 10. *Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: quod ſcripſi, ſcripſi*, id eſt, quod ſcripſi, rectè & conformiter ſcripſi, nolo id mutare vel reuocare. Intendebat Pilatus idem ſignificare quod ſuggerebant pontifices, ſed Deo manum eius dirigente, aliter alioque ſenſu, eoque vero ſcripſit: *Hic eſt rex Iudæorum*, id eſt, hic eſt Meſſias ſiue Chriſtus. Vnde Syrus vertit *hic eſt rex ille Iudæorum: ille*, ſcilicet per antonomaſiam, purà rex Meſſias; Arabicus, *hic eſt Ieſus rex Iudæorum.* q. d. Hic Ieſus crucifigitur, quia ipſe eſt Meſſias, mundi ſaluator, qui ex Dei decreto crucifigi & mori debet, vt humani generis peccata luat & expiet, hominesq; Deo reconciliet & ſaluet.

*Titulus fuit elogium Chriſti.*

Quare hic titulus, fuit Chriſto ſummi honoris elogium: oſtendit enim eius non tantùm innocentiam, ſed & dignitatem, quòd ſcilicet ipſe eſſet Chriſtus mundi redemptor, quare Iudæos quaſi chriſticidas confundit, & confundet ac condemnabit in æternum, quòd ipſi Pilatum coëgerint vt crucifigeret Chriſtum, qui erat ipſorum Meſſias ad hoc à Deo miſſus, vt ipſos ſaluaret. Hoc ergo eis Pilatus titulo ipſo exprobrat, itaque de eorum peruicacia & importunitate ſe vindicat, traducens & infamans illos quaſi chriſticidas per totum orbem: ſat enim ſciebat Pilatus Ieſum eſſe Meſſiam, hic enim vocabatur ab omnibus illo æuo, *rex Iudæorum*, ab omnibus deſideratus & exſpectatus. Vnde Origenes: Hic titulus *caput Ieſu*, inquit, *inſtar coronæ exornat.* Et Beda vrgens τὸ *ſuper caput eius: Aptè*, inquit, *quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, ſuper crucem tamen regis maieſtate fulgebat.* Hoc enim titulo ſignificabatur Ieſum eſſe Meſſiam, & iam incipere regnare à ligno ſuper Iudæos, id eſt confitentes, purà Chriſtum per fidem. Vnde Pilatus eum ad petitionē Iudæorum mutare noluit. Quo myſticè ſignificabatur, quòd Iudæis incredulis in ſua contra Chriſtum perfidia obſtinatè permanentibus, Gentiles (qualis erat Pilatus) Chriſtum quaſi regem & ſaluatorem ſuum agnoſcerent & colerent.

*Damnatis ad mortem ſolebat præfigi titulus.*

Nota Primò. Solebat titulus damnatis ad mortem more Romano præfigi, qui crimen & cauſam mortis indicaret. Sic S. Attalo Martyri hunc titulum præfixerunt: *Hic eſt Attalus Chriſtianus*, teſte Euſebio lib. 5. ſub initium. Sic hic Chriſto præfixerunt; *Hic eſt rex Iudæorum*, hoc eſt, hic eſt Meſſias, ſiue Chriſtus. Vnde rurſus colligitur, crucem Chriſti non fuiſſe commiſſam, quę habet formam litteræ Gręcæ T, qualis eſt crux S. Antonij, ſed immiſſam ſiue quadragulam, ita vt ſurſum vna quartaque crucis pars emineret, in qua titulus affigi poſſet.

Nota Secundò. Nemo Euangeliſtarum titulum crucis Chriſti integrè pleneque exprimit, ſed ex omnibus inter ſe collatis colligitur fuiſſe hunc: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Franc. Lucas ait, Syra lingua, ſed charactere Hebræo ita ſcriptum fuiſſe: ישוע נצריא מלכא דיהוריא, *Ieſcua Nazeraia malca dihoudaie*, vti habet Syrus Ioan. 19. v. 19. Maldonatus verò & alij cenſent hunc fuiſſe: *Hic eſt Ieſus Nazarenus* (vt habet Matthęus & Marcus) *rex Iudæorum.* Communiter tamen Gretſerus, Boſius, Pagnin. & alij omittunt τὸ *hic eſt*, quia ſatis ſignificatur inſcriptione crucifixo affixa.

*Titulus crucis Romæ in baſilicæ S. Crucis in Ieruſalem.*

Extat titulus hic Romæ in baſilica S. Crucis in Ieruſalem, vbi ſæpiùs eum vidi & veneratus ſum, ſed imperfectus & dimidiatus. In eo enim nil extat niſi τὸ *Nazarenus* ſcriptum litteris Græcis & Latinis, ſcriptum inquam retrogrado ordine, incipiendo à latere dextro & pergendo ad ſiniſtrum, vti ſcribunt Hebræi. Titulus enim hic, vt ait Ioannes, ſcriptus fuit hebraicè, græcè & latinè, ſed ita vt Hebræa ſcriptura, vtpote in Iudæa apud Hebræos ſcripta primum & ſummum in titulo locum obtineret, ſecundum Gręca, tertium Latina: qua de cauſa, cùm in titulo hoc Hebræa ſcripta fuerit more illius linguæ retrogradè, hinc pariter ſimili modo ſcriptæ fuerunt Græca & Latina. Porrò Hebrææ litteræ in titulo, ita vetuſtate exeſæ ſunt, vt apices dumtaxat nonnulli appareant, nulla verò littera integra plenaque cernatur, quæ dignoſci poſſit, vti patet in effigie, qua titulum hunc exactè expingit Iac. Boſius lib. 1. de Cruce triumphante, cap. 11.

Vers. 38. Luc. 23. 33. Mar. 15. 27. Ioan. 19. 18. Tvnc crvcifixi svnt (*aculeis & clauis ſimilibus*, ait Nonnus in Ioan. 19. v. 19.) cvm eo dvo latrones; vnvs a dextris, et vnvs a sinistris]

*Crucifixi cū Chriſto duo latrones.*

Latronum enim ſupplicium erat crux, vt Chriſtus inter eos medius videretur eſſe latronum choragus & princeps. Hoc ſignificare volebant Iudęi, itaque Chriſtum infamare; ſed Deus eorum technas euertit & inuertit. Nam vt ait S. Chryſoſtomus: *Voluit dæmon rem ipſam tegere, non tamen valuit. Crucifixi ſunt tres, claruit vnus Ieſus, vt intelligas eius virtute omnia proueniſſe, atque tribus crucifixis miracula patuerunt; nemo tamen vllum alteri latronum attribuit, ſed ſoli Ieſu. Ita diaboli inſidiæ irritæ factæ ſunt, & in eius caput omni modo irruerunt; nam ex duobus vnus ſaluus factus eſt. Non ſolùm igitur crucifixi gloriam non offendit, ſed non parum auxit: neque enim minus fuit in cruce latronem conuerti & paradiſum intrare, quàm petras collidi.*

Symbolicè, Chriſtus in medio latronum, quorum vnus pœnitens ſaluatus eſt à Chriſto, alter damnatus, reprę́ſentat formam extremi iudicij, in quo Chriſtus iudex electos qui à dextris erunt glorificabit, improbos verò qui à ſiniſtris erunt, damnabit ad tartara. Ita S. Ambroſius in cap. 23. Lucę, & S. Auguſt. tract. 31. in in Ioan. quem audi: *Ipſa crux, ſi attendas, tribunal fuit in medio enim iudice conſtituto, vnus qui credidit, liberatus: alius qui inſultauit, damnatus eſt: iam ſignificabat quod facturus eſt de viuis & mortuis, alios poſiturus ad dextram, alios verò ad ſiniſtram.*

Vers. 39. Mar. 15. 29. Prætereuntes autem blasphemabant evm moventes capita sva] Hoc eſt, maledicebant, conuiciabantur, & exprobrabant Chriſti crucis culpam & pœnam, ac mouendo caput inſultabant & ſubſannabant.

*Prætereuntes blaſphemant Chriſtum in cruce.*

Hæc autem maledicta, conuicia & probra hoc loco propriè dictę erant blaſphemiæ, quia iaciebantur in Filium Dei, & Sanctum ſanctorum, iuxta illud Iſaię 1. 4. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt Sanctum Iſrael.* Et illud Dauidis pſalm. 21. 8. *Omnes videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.* Ingens fuit tormentum Chriſto crucifigi, ſed maius tormentum fuit crucifixo illudi & ſubſannari. Vnde Eccleſiaſt. cap. 7. 12. monet: *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ.* Vnde & queritur Chriſtus pſalm. 68. 23. *Quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt; & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et Pſalm. 21. *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.* Magna ergo fuit hęc Iudęorum in Chriſtum ſæuitia & barbaries.

Vers. 40. Mar. 15. v. 29. 30. Et dicentes: Vah qvi destrvis templvm Dei (Syrus, *diſtractor templi*; Arabicus, *ô deſtruens templum, & ædificans illud*) et in tridvo illvd reædificas: salva temetipsvm: si filivs Dei es, descende de crvce] *Vah* iam non eſt in Gręco, quod aliàs gręcè dicitur, οὐά, Hebr. הֶאָח *heach* (vt habet Euangelium Hebraic. S. Matthæi, quod iam circumfertur) ſed ſubintelligitur. *Vah* eſt interiectio irridentis, obiurgantis, inſultantis, exprobrantis & deteſtantis; qualis apud Flandros eſt *phi*, q.d. Phi, phi, pudeat te Ieſu crucifixe, quòd arroganter & irreligioſè iactaueris te templum Dei deſtructurum, & tertio die illud reædificaturum, oſtende nunc te id facere poſſe, liberando te à cruce. Si enim hoc tam modicum facere non potes, quomodo illud in templo, quod tam magnum eſt & vaſtum, efficere poteris?

Vers. 41. Luc. 23. 35. Mar. 15 v. 31. 32. Vers. 42. Similiter et principes sacerdotvm illvdentes cvm Scribis et senioribvs dicebant: Alios salvos fecit, seipsvm non potest salvvm facere: si rex Israel (Meſſias) est, descendat nvnc de crvce, et credimvs ei] Virulentiores in Chriſtum ſunt pontifices & Scribæ, quàm populus: nam ſubſannant eius miracula, quibus alios ſanos fecit. q.d. Miracula iſta non fuêre facta ope Dei, ſed Beelzebub, ſiue diaboli; aut certè non realia, ſed phātaſtica fuêre, ait Euthym. & Theophyl. quia ſi Dei ope facta eſſent, Deus vtique illum ipſum iam in ſumma afflictione conſtitutum ſaluaret, & à cruce liberaret; quod cùm non faciat, ſignum eſt eum non eſſe ex Deo, ſed eſſe impoſtorem & pſeudoprophetam. *Volebant enim, vt tamquam ſeductor, arrogans & iactabundus, & in cōſpectu omnium vituperatus decederet*, ait Chryſoſt. vt ita planè eius nomen & ſectam obtererent, ne quis diſcipulorum eius doctrinam deinceps ſequeretur, eumque vt Meſſiam coleret ac prædicaret, hoc eſt, volebant Chriſtianorum gentem, religionem & Eccleſiam cum Chriſto abolere.

Rex Israel] Iacobus patriarcha cum angelo, Dei vicario, luctans & prę́ualens, dictus eſt *Iſrael*, id eſt, *dominans Deo*, Geneſ. 32. 28. hinc eius filij & poſteri, purà Iudæi, dicti ſunt Iſrael, id eſt filij Iſrael. Quare *rex Iſrael*, idem eſt quod rex Iudęorum, hoc eſt Meſſias: Iſraeli enim, ſiue Iudęis promiſſus erat Meſſias, quaſi cæleſtis eorum rex futurus.

Audi S. Bernardum ſerm. 1. in die Paſchæ: *Quid*, inquit, *conſequentiæ videtur habere; vt deſcendat de cruce ſi rex Iſrael eſt, & non magis aſcendat? Sic tibi Iudæe excidit quod audiſti, quia Dominus regnauit à ligno: vt regem abneges; quia manet in ligno? Imò quia rex Iſrael eſt, titulum regni non deſerat; virgam imperij non deponat: cuius imperium ſuper humerum eius. Si Pilatus quod ſcripſit, ſcripſit, Chriſtus non perficiet quod incepit?* Subdit S. Bernard. *Hæc planè*, inquit, *ſerpentis aſtutia, hæc adinuentio nequitiæ ſpiritualis. Nouerat impius quantum pro ſalute illius populi zelum gerere videretur: propterea malitioſè nimis, linguas erudiens blaſphemorum, ſuggerebat vt dicerent: Deſcendat, & credimus; quaſi iam nihil poſſet obſtare quin deſcenderet, qui eorum credulitatem tantopere deſideraret. Sed nō mouetur vana pollicitatione, qui nouit omnium corda. Eò quippe tendebat malitioſa ſuaſio, vt non ipſi crederent; ſed noſtra quoque fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim, Dei perfecta ſunt opera*, Deuter. 32. 4. *quando fateremur Deū, qui ſalutis opus reliquiſſet imperfectum?* Tertiam cauſam adiicit S. Bernardus dicēs: *Ne daret occaſionem ſurripiendæ nobis perſeuerantiæ, quæ ſola coronatur. Et ne faceret obmuteſcere prædicatorum linguas conſolantium puſillanimes, & dicentium ſingulis: Tu locum tuum ne deſeras. Quod ſine dubio ſequeretur, ſi reſpondere poſſent: Quia Chriſtus ſuum deſeruit.*

*Cur Chriſtus de cruce non deſcendit.*

Descendat de crvce] Noluit Chriſtus deſcendere (licet id facere potuiſſet) iritatus tot pontificum ſannis, quia ex Patris præcepto in cruce mori debebat, vt nos à morte redimeret. Contempſit ergo impiorum improperia, vt nos idem facere doceret. Ita Theophyl. in Marci c. 15. *Si voluiſſet*, inquit, *deſcendere, neque principio aſcen-*

*aſcendiſſet: ſciens enim per hoc ſaluandos homines, ſuſtinuit vt crucifigeretur.* Non curabat, ait Origenes, *indignum aliquid agere propter deriſionis iniuriam, & facere quod dicebatur ab eis, extra rationem & ordinem.* Et Auguſt. tract. 37. in Ioannem: *Quia patientiā docebat, ideo potentiam differebat: ſi enim commotus ad eorum verba deſcenderet, victus conuiciorum dolore putaretur.* Et rurſum: *Diſtulit potentiam, quia de cruce noluit deſcendere; qui potuit de ſepulchro reſurgere: ſed publicauit miſericordiam, quia pendens in cruce dixit, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Denique S. Gregorius hom. 21. in Euang. *Si,* inquit, *tunc de cruce deſcenderet, nimirum inſultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonſtraret; ſed expectauit paululum, tolerauit opprobria, irriſiones ſuſtinuit, ſeruauit patientiam, diſtulit admirationem & qui de cruce deſcendere noluit, de ſepulchro ſurrexit. Plus igitur fuit de ſepulchro ſurgere, quàm de cruce deſcendere: plus fuit mortem reſurgendo deſtruere, quàm vitam deſcendendo ſeruare.*

Et credimvs ei] Id eſt, credimus eum eſſe regem Iſrael, id eſt Meſſiam noſtrum. Mentiuntur: nam qui non crediderunt Chriſto, Lazarum alioſque mortuos ſuſcitanti, vtique nec crediidiſſent Chriſto ſeipſum à morte liberanti; ſed dixiſſent eum oculos populi ſuis præſtigijs perſtrinxiſſe, ac phantaſticè, non reuera de cruce deſcendiſſe, ideoque eſſe præſtigiatorem & magum, vti aliàs dixerunt Matth. 12. Vnde S. Hieron. *Fraudulenta promiſſio,* ait, *quid eſt plus, de cruce adhuc deſcendere viuentem, an de ſepulchro mortuum reſurgere? Reſurrexit, & non credidiſtis; ergo ſi etiam de cruce deſcenderet, ſimiliter non crederetis.* Sic hodie hæretici dicunt: Crederemus Sanctis, ſi facerent miracula: at cùm eorum miracula afferuntur, illa calumniantur vt ficta, vel magica & phantaſtica.

Vers. 43. Confidit in Deo, liberet nvnc, si vvlt evm (Arabicus, *ſi diligebat eum*) dixit enim, Qvia filivs Dei svm] Vtuntur hîc pontifices & Scribæ ijſdem planè verbis, quibus hoſtes Chriſti vſuros, illique illuſuros prædixit Dauid, & per Dauidem Chriſtus pſal. 21. 8. *Omnes,* inquit, *videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labijs & mouerunt caput. Sperauit in Domino; eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.* Quare ipſo facto teſtantur ſe eſſe hos Chriſti illuſores à Dauide præſignatos, ac Ieſum eſſe verum Meſſiam, ſiue Chriſtum. De Chriſto enim, eiuſque paſſione & illuſione totus hîc pſalmus à Spiritu ſancto Dauidi dictatus eſt. Porrò homini in cruce & agone mortis conſtituto, nulla ſupereſt humana ſpes, ſed tantùm confidentia in Deum: hanc quaſi vltimam ſalutis anchoram Chriſto, pontifices hîc eripere conantur. q. d. Vanè ſperaſti, & ſperas in Deum; iam enim actum eſt de te, iam in cruce moriendum tibi eſt: non eſt ergo quòd ſperes in Deum. Vanè & falsè dixiſti te eſſe filium Dei dilectum: *Si enim Deus vult,* id eſt amat & diligit te, te *liberet nunc* è tantis crucis doloribus. Hoc autem non faciet, ergo ſignū eſt te non eſſe filium Dei, ſed impoſtorem Deo exoſum. Ita ipſi Chriſtum conuiciantur & blaſphemant, ſed ad deſperationem adigere conantur, vti facit diabolus dum tentat homines in agone mortis. Sed errant & paralogizant: Deus enim ſummè diligebat Chriſtum, ideoque volebat eum mori in cruce, vt eum deinde ſummè glorificaret in reſurrectione, ac per eū plurimos ſaluaret. Quare hoc ſciens Chriſtus, nil eorum probris commotus eſt, ſed omnem ſpem ſuam in Deum defigere perrexit, ideoque reipſa vtrumq; à Deo conſecutus eſt. Vnde poſt illuſiones has, nouos validoſque confidentiæ in Deum elicuit actus, vt nos idem facere doceret, quos ſtatim ſubijcit pſalm. 21. 10. dicens: *Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meę: Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me.* Idem dixêre Martyres præſidibus, dum ab eis ad cruces, leones, ignes, beſtias damnarentur; Deum ſcilicet nolle eos liberare, vt meliorem per martyrium eis daret vitam & coronam.

Hæc omnia de pontificibus & Scribis Chriſtum illuſuris, prædixit Sapiens Sapient. 2. 16. dum ex perſona eorum ait: *Filium Dei ſe nominat, & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi; & ſcimus quæ erunt nouiſſima illius: ſi enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, morte turpiſſima condemnemus eum: erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius;* hoc eſt, reſpiciet & eruet eum, Deus, ſicut ipſe ſermone ſuo profeſſus eſt, ſed ſubdit Sapiens: *Hæc cogitauerunt & errauerunt: Excæcauit enim illos malitia eorum & neſcierunt ſacramenta Dei, neque ſperauerunt mercedem iuſtitiæ* (iuſtæ ſanctæque paſſionis & crucis) *nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.* Vide ibi dicta.

Tropologicè, Chriſto exprobrant peccatores, qui ſuis peccatis eum dehoneſtant & blaſphemant, ad quos patheticè Chriſtum loquentem ita inducit S. Bernardus Rhythmo de Paſſione Chriſti:

*Ad te clamo, qui pro te morior.*
*Te exhortor, qui in cruce patior.*
*Vide latus quo aperior,*
*Et cùm tantus ſit dolor intus & exterior;*
*Plus tamen crucior, quòd te ingratum experior.*

Quin & Zacharias cap. 13. 6. rogans Chriſtum *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* audit *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me* Vide ibi dicta.

Vers. 44. Luc. 23. 39. *Latronum in Chriſtum conuitium.*

Idipsvm avtem et latrones, qvi crvcifixi erant cvm eo, improperabant ei] Græci, vt Origenes, S. Chryſoſt. Theophyl. Euthymius, ac ex Latinis S. Hilar. probabiliter putant, vtrumque latronem initio Chriſtum blaſphemaſſe; ſed alterum poſtea visâ Chriſti patientiâ, tenebris, alijſque ſignis & miraculis reſipuiſſe, ac in Chriſtum credidiſſe. Meliùs ceteri Latini, ſcilicet S. Hieron. hîc, S. Ambroſ. libr. 10. in Lucam S. Auguſt. lib. 3 de Conſenſu Euangel. cap. 16. S. Leo ſerm. de Paſſione, S. Cyprian. ſerm. de paſſ. Domini, S. Gregor, 27. Moral. c. 16. Maldon. Franc. Lucas & alij cenſent, per ſynecdochen numerum pluralem poni pro ſingulari: *Latrones,* id eſt vnus latronum. Sic Lucæ 23. v. 36. dicuntur *milites obtuliſſe Ieſu acetum: milites,* id eſt vnus militum. Voluit enim Matthæus per *latrones*, non tam perſonas latronum, quàm conditionem ſignificare, vt oſtenderet Chriſtum in cruce ab omni hominum genere & conditione, etiam latronum, conuicia atrocia pertuliſſe. q. d. Adeò ſæuè & inſolenter certatim omnes Chriſto conuiciati ſunt, vt etiam collateralis eius latro iam cum eo crucifixus, & animā agens, impudenter in illum probra coniecerit. Addit Lucas, alterum latronem ipſum reprehendiſſe, ac Chriſto dixiſſe: *Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum,* ideoque ab eo audiſſe: *Hodie mecum eris in paradiſo,* de quo plura dicenda ſunt Lucæ 23. 40.



Hîc ordine hiſtorico intexenda ſunt dicta Chriſti, ad matrem & ad Ioannem, quæ fuêre tertium Chriſti in cruce verbum, quæ ſic enarrat Ioannes c. 19. 25. *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophę, & Maria Magdalene. Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus; deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eum diſcipulus in ſua.* De quibus ſuo loco in Ioanne dicendum.

Vers. 45. Luc. 23. 44. Mar. 15. 34. *Tenebræ per vniuerſam terram in morte Chriſti.*

A sexta avtem hora tenebræ factæ svnt svper vniversam terram vsqve ad horam nonam] Tenebræ ergo hæ cœperunt in meridie, quando crucifixus eſt Chriſtus, & durarūnt per tres horas, ſcilicet vſque ad horam nonam, id eſt vſque ad tertiam pomeridianam, qua expirauit Chriſtus, quo tempore ſolet eſſe clariſſima & ſumma diei lux: vt manifeſtè appareret has tenebras eſſe inſolitas, prodigioſas & ſupernaturales, nimirum ſol, cælum, omniaque aſtra atrata luxerunt, tam indignam necem Chriſti Dei & creatoris ac domini ſui, ideoque lucem & radios ſuos à terra & terrigenis Deum ſuum occidentibus ſubtraxêre. Ita S. Dionyſ. mox citandus ac S. Hiero. hîc, quia ait: *Videtur mihi,* inquit, *clariſſimum mundi lumen, hoc eſt luminare maius, retraxiſſe radios ſuos.* Et Cyprianus ſerm. de Bono patientiæ: *Cùm ſol ne Iudæorum facinus aſpicere cogatur, & radios & oculos ſuos ſubtrahat.* Item Chryſoſt. in Catena ex ſerm. de Paſſion. Domini: *Non poterat ferre creatura iniuriā creatoris: vnde ſol retraxit radios ſuos, ne videret impiorum facinora.*

Queres, vnde ortæ ſunt hę tenebræ? Reſpondent aliqui, ortas eſſe ex interpoſitione denſarū nubium inter ſolem & terram. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. & Euthym. Verùm S. Dionyſ. Areopagita, harum tenebrarum teſtis oculatus epiſt. 7. ad Polycarpum, docet illas ortas ex eclipſi ſolis; ſcilicet ex interpoſitione miraculoſa lunę inter terram & ſolem. Sic enim ait agens de ſe & Apollophane: *Eramus vnà ambo, & ſtabamus ad Hiliopolin, ac cernebamus, nec opinato, cùm luna ſe ſoli obijciebat (neq; enim coniunctionis tempus erat) rurſuſq; eam eadem ab hora nona ad veſperum, ſe mediæ ſolis lineæ præter naturæ ordinem opponebat. Redige autem etiam aliquid aliud ei* (Apollophani) *in memoriam: ſcit enim etiam obiectum ipſum à nobis viſum eſſe oriri ab ortu ſolis, & ad ſolis extremum peruenire, deinde repedare. Rurſumq; non ab eadem parte ſolis & obiectū & receſſum euenire, ſed ab ea quæ, vt ita dicam, ex diametro erat contraria.*

*Miracula in eclipſi Chriſti. Primum.*

Ex quibus S. Dionyſij verbis liquet, in hac eclipſi ſolari multa cōcurriſſe miracula & prodigia. Primum eſt, quòd ipſa contigerit in Paſchate, hoc eſt, in plenilunio primi menſis Niſan: in plenilunio autem non poteſt fieri eclipſis ſolis, quia tunc luna à ſole longiſſimè diſtat, imò eſt in oppoſito ſolis: quare eclipſis ſolis non fit niſi in cōiunctione ſolis cum luna, quæ fit in nouilunio; tunc enim luna ſoli vicina facilè ſe illi ſupponit, ipſumque eclipſat.

*Secundum.* Secundum, quòd durarit ad tres horas, cùm aliàs eclipſis ſolis parum duret, eò quòd luna ſolem tegens celerrimè moueatur, & ſolem pertranſeat. Hîc ergo luna ſub ſole conſtitit per tres horas: quod ingens fuit miraculum.

*Tertium.* Tertium, luna ſolet moueri ab Occidente in Orientem, ideoque in eclipſi ſolari ab Occidente ſolem ſubingreditur; hîc autem ſubingreſſa eſt ſolem ab Oriente, teſte S. Dionyſio.

*Quartum.* Quartum, luna vltra ſolem non perrexit verſus Occidentem, ſed reſiliit, ſtatimque rediit ad locum ſuum, putà ad Orientem vnde venerat, ita vt veſpere ſoli occidenti ex diametro oppoſita, in Oriente eo loco conſiſteret, ad quem perueniſſet, ſi motu naturali progreſſa fuiſſet, nec ad ſolem eclipſandum acceſſiſſet.

*Quintum.* Quintum, quòd luna cùm ſit minor ſole, non poſſit totum ſolem tegere & obſcurare, vnde in eclipſi ſolis ſol multum apparet, ac multum lucis diffundit in terram: hîc autem ſol planè fuit obſcuratus, ita vt denſæ tenebræ eſſent in terra; quales fuere tenebræ Ægyptiæ inductæ à Moſe, exodi cap. 10. v. 23. & Sapient, c. 17. v. 3. & ſequ. ideoque Matth. hîc eas vocat *tenebras,* non eclipſin. Id autem factum eſt hac ratione, quòd ſol ea parte qua luna non tegebatur, Deo agente ſubtraxerit radios ſuos à terra chriſticida, vti paulò antè audiuimus ex S. Hieronymo, Cypriano & Chryſoſt. Sic & luna non luxit terræ, eò quòd ſuppoſita ſoli ſuperiùs tantùm ab eo illuminaretur, inferiùs verò verſus terram remaneret obſcura: quare cùm nec ſol, nec luna terræ lumen præberent, neceſſe fuit in terra ſummas eſſe tenebras.

*Sextum.* Sextum, quòd ſtellæ in cælo viſæ ſint, & terræ motus acciderint, de quibus ita ſcribit Phlegon Gentilis Olympiadum ſcriptor, libertus Adriani Imper. Sic enim de eo narrat Euſebius in Chron. ad annum Chriſti 33. *Scripſit verò ſuper his & Phlegon qui olympiadum egregius ſupputator eſt, in 14. libro ita dicens: Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderat, defectio ſolis eſt facta. Dies hora ſexta in tenebroſam noctem verſus, vt ſtellæ cælo viſæ ſint, terræq; motus in Bithynia, Nycænæ vrbis multas ædes ſubuerterit.*

*Septimum.* Septimum, quòd hæc eclipſis & hæ tenebræ occuparint vniuerſam terram. Vnde ſequitur.

Svper vniversam terram] Iudęæ, inquit Origenes & Maldonatus, qui hanc eclipſin arctant ad ſolam Iudæam. Meliùs alij cenſent hanc eclipſin fuiſſe vniuerſalem, ac tenebras induxiſſe toti orbi. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. & alij. Hoc enim planè ſignificat *τὸ ſuper vniuerſam terram.* Vnde & S. Dionyſius ait ſe eclipſin hanc vidiſſe Heliopoli in Ægypto, ideoque fertur exclamaſſe: *Aut Deus naturæ auctor mundi patitur, aut mundi machina diſſoluitur;* licet Michael Syngelus in Encomio S. Dioniſij aſſerat eum dixiſſe: *Deus ignotus in carne patitur, ideoq; vniuerſum hiſce tenebris obſcuratur* & concutitur. Idem aſſerit Suidas. Vnde poſtea prædicante Paulo Athenis, ac aſſerente Deum ignotum eſſe Chriſtum, in cuius morte obſcuratus ſit ſol, S. Dionyſius ad Chriſtum fuit conuerſus, Actor. ca. 18. Vide ibi dicta.

*S. Dionyſ. Areopag. eclipſin Paſſionis Chriſti vidit.*

Hinc & Phlegon iam citatus, aſſerit numquã antea talem tantamque viſam eſſe eclipſin. Hæc ergo eclipſis fuit index diuinitatis Chriſti: ſol enim qui oculus eſt mundi obſcuratus, & quaſi emoriens ſignificabat Chriſtum Deum ac Dominum ſuum, qui ſol eſt iuſtitiæ, in cruce emori, ideoque eum morientem, tam ſol & luna, quàm cælum & terra omniaque elementa atrata luxerunt: quare toto tempore quo Chriſtus in cruce patiebatur & agonizabat, obſcurata & concuſſa ſunt; quocirca ſubitò nox atra terris obducta eſt,

*Impiaq; æternam timuerunt ſæcula noctem,*

ait Paulus Oroſius lib. 7. Hiſtor. c. 4.

Symbolicè, hę tenebræ ſignificabant excæcationem Iudęorum. Ita S. Chryſoſt. hom. de cruce & latrone: *Hodie*, inquit, *apud Iudæos tenebræ ſunt, apud nos autem nox in diẽ conuerſa eſt. Etenim pietati hoc proprium eſt, vt in tenebris fulgeat; impietas autem etſi in lumine fuerit, tenebreſcit. Fidelibus nox in diem mutatur, infidelibus autem etiam ipſa lux tenebreſcit. Et de fidelibus quidem Scriptura dicit: Quia tenebræ nõ obſcurabuntur, & nox ſicut dies illuminabitur. Infideli autem & dies in noctem mutatur, dicente Scriptura: palpabunt ſicut cæci parietem, & ambulabunt in meridie ſicut in medio noctis*, Iob. 5.

VERS. 46. Mar. 15. 34. ET CIRCA HORAM NONAM CLAMAVIT IESVS VOCE MAGNA DICENS: ELI, ELI, LAMMA SABACHTANI? (malè quidam legunt, *Sabatani*) HOC EST: DEVS MEVS, DEVS MEVS, VT QVID DERELIQVISTI ME?] Citat Chriſtus pſal. 21. 1. in quo hebr. habetur עֲזַבְתָּנִי *azabtani*; ſed quia Iudæi Babylone redeuntes, corruperunt ſuam linguam Hebræam, & induxerũt Syariacã, hinc Chriſtus pro Hebręo *azabtani* Syriacè more gentis ſuæ dixit, *ſabachtani*. Syra moderna habent, *elmono sbactoni*. Vnde liquet temporum ſucceſſu nonnihil variatam eſſe linguam Syriacam, vti variata eſt lingua Latina, Italica, Gallica, Germanica, & ceteræ.

*Chriſtus in cruce recitauit pſal. 21. Cur?*

Porrò Chriſtus in cruce continuè orans, ſeſeque totum Deo in victimam offerens pro ſalute hominum, ſub finem vitæ iam moriturus recitauit pſal. 21. iam citatum, qui totus eſt de Paſſione Chriſti, vt oſtenderet ſe eſſe illum ipſum de quo pſalmus ille agit, ſcilicet Meſſiam, vt Scribæ & Iudæi ſcrutentur & cognoſcant cauſam, cur è cruce nolit deſcendere, vel liberari, eſſe hanc, quòd ex Patris decreto moriendum illi erat in cruce, pro ſalute hominum. Hoc enim Dauid pſalmo illo fore prædixit.

*Caluinus ait Chriſtum deſperaſſe.*

Impiè ergo Caluinus (ex quo ſimilia hìc in Comment. Ioan. Feri tranſſcripta ſunt) ait hæc eſſe Chriſti deſperantis verba, debuiſſe enim Chriſtum omnem Dei iram peccatis noſtris debitam experiri, ac per conſequens damnatorum pœnas ſentire, inter quas vna eſt deſperatio. Verùm hæc blaſphemia ſeipſum elidit. Si enim Chriſtus in cruce deſperauit: ergo peccauit peccato grãdi: ergo iræ Dei non ſatisfecit, ſed magis eam accendit. Et quomodo dici poteſt deſperaſſe Chriſtus, qui paulò pòſt moriens clamauit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, vt habet Lucas c. 23. 46.

*Chriſtus quomodo à Patre derelictus.*

Igitur clamat Chriſtus ſe deſertum, non à diuinitate & vnione hypoſtatica Verbi, non etiam à gratia & amicitia Dei; ſed eò quòd Pater eum à morte iam inſtante non eripiebat, nec conſolatione vllâ tam diram paſſionem, in carne & parte animæ inferiore mulcebat & mitigabat, ſed eum doloribus & tormentis meris cruciari permittebat; vt oſtendat quàm amara & acerba ſit illi in cruce mors, & animæ à corpore per tantos dolores extorſio, ac tam violenta partium adeò amicarum ſeparatio, ſicut in horto agonizans ſudãſque ſanguinem orauit: *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*. Ita S. Hieron. Chryſ. Theophyl. Euthymius, & paſſim ceteri, nec aliud volunt S. Hilarius, & S. Ambroſius, dum ait: *Clamauit homo diuinitatis ſeparatione moriturus*. Separationẽ enim intelligunt non eſſentiæ & vnionis hypoſtaticę, ſed opis, auxilij & conſolationis: fides enim docet in morte Chriſti animam quidem ſeparatã fuiſſe à corpore; deitatem tamẽ tam animæ quàm corpori hypoſtaticè manſiſſe vnitam, vti erat priùs. Adde, Chriſtum queri hìc ſe deſertum à deitate, quia deitas ad aliud ei non ſuccurrebat, quàm vt eum ſuſtentaret in tormentis, eique ad plura & diriora patienda vitam prorogaret, imò dolores Chriſti augeret, quòd ſe deitati vnitum videret tam indigna & atrocia pati. Ita Laurentius Iuſtin. tract. de Triumphal. agone Chriſti c. 8.

Symbolicè Primò, rogat hìc Chriſtus cauſam, cur à Patre in cruce ſit derelictus. q. d. Quæ eſt cauſa, Pater mi, vt mori debeã in hac cruce, quid culpæ, quid mali commiſi? ſum enim innocentiſſimus, imò Sanctus Sanctorum. Vnde reſponſio ſubditur pſalm. 21. 1. Sibi enim reſpondet Chriſtus: *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*. q. d. Delicta hominum, quæ mihi Pater meus luenda & expianda impoſuit, hæc mihi ſalutem & vitam adimunt, ac ad crucem mortemque adigunt.

Secundò, nonnulli apud Theophyl. cenſent Chriſtum hìc loqui non de ſua, ſed de popoli ſui Iudaici derelictione & reprobatione. q. d. Cur, ô Pater, me, id eſt meam gẽtem, meum populum, id eſt, Iudæos, qui ſecundùm carnem mihi cognati ſunt, deſeris, & à te abdicas?

Tertiò, Origenes cenſet Chriſtum queri de paucitate ſaluandorum, & multitudine damnandorum, in quibus perit fructus paſſionis & mortis Chriſti. q. d. Vt quid, ô Domine, me, id eſt, homines mihi ſecundũ carnem cognatos, pro quibus morior, deſeris, vt paucos ex eis ſalues, plurimos reprobes? Sic enim meipſum quaſi deſeris: facis enim vt fructus meæ paſſionis exiguus, derelictus & quaſi perditus ſit.

Tropologicè, S. Cyprianus tract. de Paſſione, cenſet Chriſtum hoc dixiſſe vt nos inquiramus cauſas, ob quas Pater eum dereliquerit: *Tu*, inquit, *Domine de morte non agis, de opprobriis non contendis; ſed hoc vis intelligi, quæ ſit cauſa mortis, quis quæſtus, vt vtraque recognitâ peccatum appareat & gratia: & quanti ponderis ſit vtrumque, rerum probet effectus, cùm originali morti nullum niſi in Chriſti morte potuerit eſſe remedium, nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos quælibet oblatio, niſi ſanguinis huius ſingulare ſacrificium*. Et nonnullis interiectis: *Derelictus eſt Dominus, ne nos derelinqueremur; derelictus eſt, vt à peccatis æternaq; morte liberaremur; derelictus eſt, vt amorem ſuum erga nos oſtenderet, vt iuſtitiam miſericordiamq; ſuam nobis patefaceret, vt amorem noſtrum ad ſe raperet; denique vt exemplum nobis patiendi exhiberet: patet in cælum via, ſed ardua & difficilis; præire voluit exemplo admirabili ne via terreret, ſed ſtupendum Dei patientis exemplum nos concitaret.* vt ſcilicet nos cum Paulo Rom. 8. in quauis tribulatione fidenter & exultanter diceremus: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Et mox: *In his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.*



Hoc ergo fuit quartum Chriſti in cruce verbum & dictum, quo ſolatur omnes deſolatos, afflictos & mœſtos, ſicut eodem ſolatus eſt S. Petrum Martyrem ex Ordine S. Dominici.

*S. Petrus Martyr Chriſto crucifixo queritur.*

Cùm enim ipſe viſitatus à S. Cęcilia, S. Aguete & S. Catharina, cum eiſque in cubiculo colloquens, à tranſeuntibus auditus & accuſatus foret, quòd feminas in cubiculum admiſiſſet, ideoque infamatus, & ad duram longamque pœnitentiam damnatus, quereretur coram Chriſto crucifixo, diceretque: *Domine tu ſcis innocentiã meam; cur ergo me ſilente tu taces? Cur me non defendis, ſed in hac infamia tamdiu derelinquis?* Reſpondit ei Chriſtus: *Et ego, ô Petre, quid commerui, vt pro te in hac cruce confixus ſim? diſce ex me patientiam exercere in quibuſlibet afflictionibus tuis, quia omnes tuæ meis æquiparari nequeunt.* Qua voce Petrus ita roboratus & exhilaratus eſt, vt plura pati optaret, imò nollet ſuas ignominias cum regum ſceptris & coronis commutare. Quare Chriſtus eius innocentiam tandem patefecit, ac infamiam omnem in gloriam conuertit. ita habet eius Vita apud Surium ad diem 29. Aprilis.

VERS. 47. Mar. 15. 35. QVIDAM AVTEM ILLIC STANTES, ET AVDIENTES, DICEBANT: ELIAM VOCAT ISTE] S. Hier. & alij cenſent hos fuiſſe milites Romanos: nam illi acetum porrexerunt Chriſto, vt docet Lucas c. 23. v. 36. Hi ergo cum Hebręam linguam non callerent, audirentque Chriſtum clamantem, *Eli, Eli*, putabant Eliam vocari & inuocari à Chriſto: Eliam enim rediturum in aduentu Meſſiæ, à Iudęis inaudierant.

VERS. 48. Luc. 23. 36. Mar. 15. 36. Ioan. 19. 29. ET CONTINVÒ CVRRENS VNVS EX EIS ACCEPTAM SPONGIAM IMPLEVIT ACETO, ET IMPOSVIT ARVNDINI, ET DABAT EI BIBERE] Spongiam enim, acetum, & arundinem de more iam parauerant: ſolebant enim ijs potare crucifixos.

ET CONTINVÒ] ſcilicet poſtquam Ieſus clamaſſet: *Sitio*, vt explicat & ſupplet Ioannes c. 19. v. 28. Hoc enim fuit quintum Chriſti in cruce verbum, quod mox poſt quartum, ſcilicet, *Eli, Eli, lamma ſabacthani*, ſubiunxit. Audi Ioannem: *Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt.* Quod fuit ſextum, & penultimum Chriſti in cruce verbum.

SPONGIAM] vt ſcilicet Chriſtus è ſpongia exugeret acetum. Spongia enim cùm ſit poroſa, copioſum humorem cui immergitur, imbibit, quẽ preſſa refundit: nam poculum Chriſto ita in cruce eleuato porrigere non poterant. Spongia hæc religioſè ſeruatur Romæ, & populo oſtenditur in baſilica Lateranenſi.

*Damnatis ad mortem dari ſolebat vinum.*

ACETO] Nota. Crucifixis ceteriſque reis in ſupplicio dari ſolebat vinum, tum ad leuandam ſitim, qua in tanto dolore & angore cruciari ſolent; tum ad confortationem, vt animoſiùs ferant tormenta & mortem. Sed Iudæi & milites, vt gratificarentur Iudęis Chriſto infenſis, pro vino dederunt ei acetum. Vnde queritur Chriſtus pſal. 68. v. 22. *Et in ſiti mea potauerunt me aceto.* Addit Lyran. quia Salomõ dixerat Prouerb. 31. *Date ſiceram mœrentibus, &c. Ideo ex occaſione huius verbi ſeniores Iudęorum ſtatuerũt, vt condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt faciliùs tolerarent paſſionem. In Ieruſalem autem erãt matronæ deuotæ, quæ hoc vinum ex deuotione procurabant; ſed Iudæi tale vinum datum pro Chriſto & alijs duobus acceperunt ſibi, & loco eius poſuerunt acetum cum ſelle mixtum.*

*Acetum datum Chriſto quatuor de cauſis.*

Igitur Primò, acetum ei dederunt ad illuſionem, quia ei *illudebant*, vt ait Lucas ca. 23. 36. Secundò, ad tormentum, vt in ſiti non dulci & ſuaui, ſed acri & acetoſo potu eum cruciarent. Tertiò, vt ſitim eius non tam extinguerent, quàm augerent. Nam acetum licet initio ſitim leuare videatur; mox tamen eam auget, & quia ſiccum eſt, deſiccat valdè. Quartò, Baronius cenſet acetum Chriſto datum vt ſangninem ſtringendo & ſiſtendo, ac ſtomachum ceteraq; membra cũ hyſſopo roborando, Chriſtum diutiùs in vita conſeruaret ad hoc, vt cruciatus eius eſſet productior & vehementior. E cõtrario Theophyl. Caietan. Ianſen. Toletus, Franc. Lucas, Barradius, Emman. Sa, & alij cenſent acetum Chriſto datũ, vt mortem ei acceleraret, idque à cuſtodibus, qui famentes cupiebant domum ad prandium redire. Erat enim iam hora tertia pomeridiana; ſcilicet vt citius eũ conficeret aceti amaritudo, ait Theophyl. acetum enim vim habet penetrandi, ſuamque amaritiem & malignitatem omnibus membris, vulneribus & plagis inſtillandi. Ita S. Hilar. Chryſ. & Nonnus in cap. 19. Ioannis, qui acetum hoc vocat, *acerrimum potum, & ſiticuloſam muriam*, item *acetum exitij permixtum hyſſopo*.

*Symbolicè.*

Symbolicè: acetum ſignificat malignitatem, quam peccatores exhibent Chriſto, vti fecêre Iudęi. Vnde S. Auguſt. in Ioann. c. 19. 29. *Date*, ait, *quod eſtis Iudæi: quippe erant acetum degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum, & tamquam vas plenum aceto habentes, ſcilicet cor plenum iniquitate & velut ſpongiam cauernoſis & tortuoſis latibulis fraudulentum.*

Rurſum Chriſtus bibendo acetum, illud nobis in vinum conuertit, dum per hoc meruit vitia noſtra vertere in virtutes, infirmitates in gloriam. Vnde S. Hilarius: *Vinum*, ait, *quod in Adam coacuit, immortalitatis eſt honor, aut virtus: potauit ergo, ad ſe in communionẽ immortalitatis ea, quæ in nobis erant vitiata, trãsfundens.* Et Remigius: *Acetum, Iudæi à patribus degenerantes; ſpongia, fradulenta corda; arundo, Scriptura ſacra, quæ, hoc facto implebatur.*

*Calamus quid?*

ET IMPOSVIT ARVNDINI] Græcè, καλάμῳ, id eſt, calamo: calamus autem non tantùm arundinem, ſed & culmum, ſiue ſurculum cuiuſuis ſeminis & herbæ ſignificat. Vnde vocatur calamus ſiue culmus tritici, auenæ, hordei, hyſſopi. Hinc S. Ioannes cap. 19. 29, hunc calamum fuiſſe hyſſopi aſſerit, dicens: *Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes*: vbi idem eſt verbum Græcum περιθέντες, quod hìc Interpres vertit, *impoſuit*. Vnde Syrus Ioannis ca. 19. vertit, *impleuerunt*

*uerunt aceto, & poſuerunt ſuper hyſſopum*; & Arabicus, *& impleuerunt ſpongiam aceto, & impoſuerunt ſuper arundinem.* Ergo arundo ſiue calamus quo porrexerunt Chriſto ſpongiā aceti, fuit ipſa hyſſopus. Crux enim non erat alta, hinc calamo exiguo poterat ab homine, brachiis extenſis ſpongia admoueri ori Chriſti. Et in Paleſtina hyſſopus hortenſis altiùs quam in Europa excreſcit: Hortenſis dico, nam in parietibus, vtpote ſiccis, humilis eſt, vt patet 3. Reg. 4. 33. Quin & de vulgari ac noſtrati hyſſopo ſic ſcribit Dodonæus lib. 4. de Stirpibus, cap. 19. in pemptade 1. *Hyſſopus caules erigit dodrantales, aut altiores, duros ac lignoſos, in virgulas aliquot diuiſos, ab imo ad faſtigium vſque foliis circumueſtitos oblongis, veluti polygoni aut lauendulę.* Addit Cluſius, hyſſopos reperiri ſeſquipedales: harum ſummitas in brachiis hominis extenſis, attingere poteſt os crucifixi. Vnde calamum cui impoſita fuit ſpongia aceti, vt ori Chriſti admoueretur, vti aiunt Matthæus & Marcus, non fuiſſe alium quàm hyſſopum, vti explicat Ioannes, cenſent Euthymius, Chryſ. Theophyl. Lyranus, S. Thomas, Titelmannus, Dionyſ. Carthuſ. Barradius, & alij.

*Hyſſopus.*

Nonnulli ſuſpicantur in Ioanne pro ὑσσώπῳ legendum ὑσσῷ, id eſt, pilo vel haſta inſtar calami, quo vtpote longo, facile erat contingere os Chriſti crucifixi, ſed omnia exemplaria habent ὑσσώπῳ non ὑσσῷ. Alij cum S. Auguſtino putāt ſpongiam aceti impoſitam hyſſopo, deinde vtrūque impoſitum fuiſſe arundini. Alij cenſent ſuccum hyſſopo expreſſum, mixtum cum aceto, & ſpongia exceptum, impoſitum fuiſſe arundini. Vt vt eſt; certum eſt ſpongiam fuiſſe impoſitam hyſſopo, ſiue hyſſopus fuerit ipſe calamus, ſiue ab eo diuerſa, & calamo impoſita,

*Hyſſopus ad quid?*

Hyſſopum adhibuere Primò, quia hyſſopus ſolet ad vinum & acetum adhiberi. Vnde Columella libr. 12. capit. 35. & Plinius libr. 14. 16. aſſerunt fieri vinum ex hyſſopo tuſa, & in vinum iniecta, quod hyſſopites dicitur. Secūdò, quia hyſſopus naribus adhibita roborat, & animā fugiētem reuocat. Tertiò, quia hyſſopus ſanguinem ſiſtit. Quartò, quia hyſſopus purgat pectus & fauces, aliiſque morbis & plagis medetur. Nam Galenus docet hyſſopum aceto mixtam, exanimatis animum & vires reddere. Milites ergo hîc ſpongiæ circumligarunt hyſſopum, ne acetum ex ſpongia dilaberetur, ſed ex ea diffluens vel diſtillans hyſſopi faſciculo exciperetur, vt Chriſtus tam hyſſopi quam aceti ſuccum ex ſpongia ſugeret, itaque animum vireſque reciperet, Paſſim enim medici hyſſopo tribuūt vim internam purgandi, præſertim pulmones, & animi deliquium paſſos ad ſe reuocandi, ac pectoris dolores mitigandi. Vide Dioſcorid. li. 3. c. 26. Ioan. Ruellium lib. 3. de Stirpibus cap. 24. Dodonæum pemptade 1. lib. 4. c. 19.

Hac de cauſa olim in lege veteri, per hyſſopū fiebat expiatio in mundatione leproſi, Leuit. 14. 49. Item in ſacrificio pro peccato, & aſperſione luſtralis aquæ per cinerem vitulæ rufæ percolatę, Num. 19. 6.

Hyſſopus ergo fuit typus ſanguinis Chriſti, qui omnes fideles mirè purgat, reficit & recreat Vnde S. Aug. in Ioan. cap. 19. 29. *Hyſſopus*, ait, *herba humilis pectus purgans, Chriſti humilitatem ſignificat: Chriſti enim humilitate mundamur: hanc Iudæi circūdederunt, & ſe circumueniſſe putauerunt.*

Vers. 49. Mar. 15. 36.

CETERI VERÒ DICEBANT: SINE, VIDEAMVS AN VENIAT ELIAS, LIBERANS EVM] *Sine*, id eſt *ſinite*, vt habet Marcus ca. 15. ac Syrus, Arabicus & nonnulli codices Latini hîc. q.d. *Sinite*, hoc eſt, tacete, quieſcite, expectate: ſinite res alias, vt toti attēdatis ad Ieſum, ac videatis an veniat Elias ab eo inuocatus, vt liberet eum. Hærēt & dubitant an Elias vēturus ſit, quia ex tenebris aliiſq; miraculis quæ videbant in paſſione Chriſti, dubitabant an Chriſtus eſſet Meſſias, cuius pręcurſor erit Elias, vti non ſolùm Chriſtiani, ſed & Iudæi credunt, à quibus idipſum intellexerāt hi milites Romani.

Dices, Marcus ca. 15. v. 36. ait non milites, ſed eum qui Chriſto offerebat acetum, dixiſſe, *Sinite*. Sic enim habet: *Potum dabat ei dicens: Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum.* Reſpond. Nonnulli codices Latini & Græci, æque ac Syrus in Marco, pro λέγων, id eſt *dicens*, habent ἔλεγον, id eſt *dixerunt*, *Sine*, vt habet Matthæus, quem Marcus imitari ſolet. Idem ergo dixit Marcus quod Matthæus, ſcilicet milites dixiſſe offerenti acetum, *ſine*, iuxta ſenſum mox dandum.

Verum quia paſſim codices Latini & Græci in Marco habent *dicens Sinite*; veriùs cum Euthym, S. Aug. lib. 3. de Conſenſu c. 17, & aliis dicemus, vtrumque contigiſſe, ſcilicet tam milites, quàm offerentem acetum Chriſto dixiſſe, *ſine*, vel *ſinite*: cùm enim milites acclamarēt offerenti acetū Chriſto, *Sine*, ille reſpondit, *Sinite* & vos, quod Primò, explicari poteſt generatim & planè iuxta ſenſum initio datum. q.d. Sinite alia, & relinquite omnia, vt attendatis & videatis, an veniat Elias liberans Ieſum.

Secundò, magis particulatim milites dixêre offerenti acetum Chriſto, *ſine*, id eſt, ceſſa, noli dare acetum Ieſu, ne ex eo citiùs moriatur, quia acetū mortem reis accelerat; ſed ſine eum viuere, vt videamus an veniat Elias ad eum deponendū, itaque ſatisfaciamus noſtræ curioſitati: offerens viciſſim reſpondet militibus, *Sinite* & vos, me Ieſu ſitienti porrigere acetum, ne ex ſiti moriatur; ſed illud bibēs viuere pergat, vt ſic videamus an veniat Elias ad eum liberandum. Ita Ianſen.

Tertiò, milites dicunt ei qui offerebat acetum Chriſto, *Sine*, id eſt quieſce, noli accedere ad Ieſum illumque vexare, vt videamus ſi veniat Elias liberans eum. Putabant enim Eliam venturum ad Ieſum, ſi is ſolus eſſet; nolle enim Eliam ſe ceteris hominibus miſcere & patefacere. Viciſſim reſpondet offerens acetum Chriſto, *Sinite* & vos, id eſt deſinite clamare, ne veſtro clamore arceatis Eliam ne veniat ad Ieſum; vel *ſinite eum*, vt vertit Arabicus, id eſt ſinite Chriſtum, nolite eum turbare & vexare ne moriatur, vt videamus an Elias venturus ſit ad eum liberandum. Ita Barradius. Aut q.d. Sinite adhuc me hoc modo illudere Ieſu, acetum ſitienti propinando: ita faciliùs videbimus an veniat Elias, quò enim magis Ieſus vexatur, eò citiùs accurret Elias, ſi quidem velit ei auxiliari. q.d. Nihil obſtat id quod facio, quin veniat Elias, imò potiùs hoc accelerabit eius aduentum. Ita Franc. Lucas.

Quartò,



Quartò, alij ſic exponunt: Cum ceteri dicerent offerenti acetum, *Sine*, id eſt, ceſſa, noli ei propinare acetum, itaque mortem accelerare, vt videamus an veniat Elias liberans eum; offerens reſpondit, *Sinite*, id eſt, permittite me Ieſu prębere acetum, ego hac ratione mortem illi accelerabo, & videbimus num Elias liberaturus ſit eum. q. d. Efficiam ne Elias liberet eum, quia cū aceto conficiam. Illuſoriè enim hæc egiſſe & dixiſſe milites, vt Chriſto illuderent, ſignificat Lucas c. 23. 36.

Vers. 50. Luc. 23. 46. Mar. 15. 37. Ioan. 19. 30.

*Septem in cruce Chriſti verba.*

IESVS AVTEM ITERVM CLAMANS VOCE MAGNA, EMISIT SPIRITVM] *Iterum*, quia Ieſus ſepties clamauit in cruce, ſeptemque verba cygnæa edidit; ſcilicet Primò, *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*: Secundò, ad latronem, *Hodie mecum eris in paradiſo*: Tertiò, ad matrem, *Mulier ecce filius tuus*; Et ad Ioannem, *ecce mater tua*: Quartò, *Eli, Eli, lamma ſabactani*: Quintò, *Sitio*: Sextò, *Conſummatum eſt*, q.d. Omnia ſacrificia vetera, omnes prophetiæ, omnes typi de me & mea paſſione iam reipſa in me expleti ſunt, ſupereſt ergo vt moriar. Septimò, *In manus tuas cōmendo ſpiritum meum.*

CLAMANS] Græcè, κράξας, id eſt, *cùm clamaſſet*: nec enim ſimul clamauit, & expirauit, ſed priùs clamauit, deinde expirauit. Clamauit autem dicens, vt habet Lucas: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, id eſt, animam meam cum halitu meo, ô Pater, depono, vel, vt Gręca habent, παραθήσομαι id eſt, iam iam deponam, & velut depoſitam conſignabo in manus tuas, vt illam, velut depoſitum, à te tertiò die reſuſcitandus recipiam. Hinc fideles morientes hunc verſum vſurpant, quem primitus Dauid in ſua tribulatione pſal. 30. ac deinde Chriſtus hîc in morte ſua vſurpauit.

*Clamor Chriſti in cruce fuit miraculum.*

Nota, Chriſtum voce magna clamaſſe per miraculum: moribūdos enim deficit vox, vt vix loqui queant. Licet enim D. Thomas 3. p. q. 47. ar. 1. ad 2. dicat quòd Chriſtus conſeruarit naturæ ſuæ corporeę vigorem & robur vſque ad extremum; tamen veriùs alij cenſent vires Chriſto per tot labores & dolores defeciſſe, vt naturaliter clamare non poſſet: ſed tantùm per miraculum: alioqui enim mortuus fuiſſet non vi dolorum & tormentorum, ſed ex mera voluntate ſua ſeparando animam à corpore, ac conſequenter non fuiſſet occiſus, nec morte hac violenta ſatisfeciſſet Patri pro noſtris peccatis & morte,

*Cur? Cauſa. Prima.*

Clamauit ergo per vires ſupernaturales, quas deitas ei ſuggerebat, idque Primò, vt ſignificaret ſe, vtpote Deum, non coactum ex infirmitate & neceſſitate, ſed liberè ex voluntate mori. Et hoc eſt quod ait Chriſtus Ioan. 10. *Nemo tollit eam* (animam) *à me, ſed ego pono eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* idque ad hoc, vt planè libera & voluntaria eſſet hæc Chriſti oblatio & ſacrificium pro ſalute totius mundi oblatum. Vnde, Victor Antioch. in Marci cap. 15. *Per hoc factum*, ait, *Dominus Ieſus demonſtrabat, ſe totam vitam mortemq; ſuam in libera ſua poteſtate poſitā habuiſſe.* Sic & S. Chryſoſt. Hieronymus, Euthymius. Theophylactus.

*Secunda.*

Secundò, clamauit vt ſe ſupra hominem Deumq; eſſe oſtenderet. Vnde centurio videns quia *ſic clamans expiraſſet*, vt ait Marcus, dixit: *Verè filius Dei erat iſte*; quia ſcilicet clamando oſtendebat ſe eſſe vitæ mortiſque ſuæ dominum, ideoq; Deum.

*Tertia.*

Tertiò, vt clamore hoc vehementem ſuum in Deum amorem, religionem, obedientiam, ac deſiderium ſalutis humanæ declararet. Vnde Paulus Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ*, inquit, *preces ſupplicationeſq; ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cùm clamore valido & lacrymis.* (Vnde patet Chriſtum cum clamore tunc lacrymas quoque fudiſſe) *offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Vide ibi dicta.

*Quarta.*

Quartò, vt ſignificaret ſe confidenter & ſecurè mori, cum certa ſpe reſurrectionis & gloriæ tertio die à Patre ſibi dandę, ac ſuis fidelibus in eum credituris. Ita Origen.

EMISIT (Arab. *tradidit*) SPIRITVM] voluntariè: *quod enim emittitur, voluntarium eſt; quod amittitur, neceſſarium*, ait S. Ambroſ. in c. 23. Lucæ. Et S. Aug. lib. 4. de Trinit. c. 13. *Spiritus mediatoris carnem non deſeruit inuitus, ſed quia voluit, quādo voluit, quomodo voluit; quippe Dei verbo ad vnitatem commixtus eſt homo. Hinc ait: Poteſtatem habeo iterum ſumendi eam; nemo tollet eam à me, ſed ego pono eam à me, & iterum ſumo eam.*

Sic & S. Hieron. Beda & alij. Vnde etiam *inclinato capite emiſit ſpiritum*, ait Ioan. c. 19. ergo inclinauit caput, quaſi dominus mortis, ait Theoph. Nam ceteri homines, dum moriuntur, priùs expirant, ac deinde caput inclinant. Caput enim, præſertim eius qui ex alto pendet, vita & vigore ſuo deſtitutum, pondere ſuo deorſum inclinat. Ita S. Cyrillus lib. 12. in Ioan. c. 76.

Audi S. Chryſ. hom. 84. *inclinato capite tradidit ſpiritum, vt non neceſſitate, ſed voluntariè ſe mori oſtēderet. Quoad voluit, vixit; quādo voluit, tradidit ſpiritū. Inclinato capite*, inquit S. Athanaſ. qu. 6. ad Antiochum, *quia mors Chriſtum metuens, ad ipſum non audebat accedere. Chriſtus autem inclinato capite eam vocauit: antequam enim inclinaſſet caput propiùs accedere verebatur.* Licet enim Chriſti humanitas vi dolorum deficeret, deberetque mori; tamen eius deitas poterat humanitati robur addere, & prorogare vitam, adeoque niſi permittente deitate Chriſti, non potuit mori humanitas eius. Liberè ergo mortuus eſt Chriſtus quà Deus, & etiam quà homo, quia poterat humanitas hoc robur petere à deitate ſua, & petens impetraſſet.

*Moritur Chriſtus feria ſexta circa horam nonam.*

Nota. Chriſtus expirauit feria ſextâ, circa horam nonam, quâ Adam peccauit, vt eius peccatum expiaret. Item quâ occidi ſolebat agnus paſchalis, & quâ iuge ſacrificium Iudæi quotidie in templo immolabant, vt oſtenderet ſe has figuras ſua morte eodem tempore adimplere. Inde Chriſtiani hora nona orare ſolent. Vnde dicta eſt hora orationis nona, Actor. 3.

*Chriſtus inclinato capite expirat. Cauſa. Prima.*

Symbolicè & moraliter Chriſtus *inclinato capite emiſit ſpiritum.* Primò, quia omnium peccata cùm portaret, eorum onere grauabatur, ideoque caput hoc onus ſuſtinens ſeſe inclinabat, vti ſolēt baiuli onerum, ſub iis caput incuruare. Hoc enim onus peccati eſt grauiſſimum.

*Secunda.*

Secundò, vt ſignificaret ſe mori ex obedientia: docuit ergo Religioſos & ſubditos ſuis Pręlatis Inclinare caput, & obedire, iuxta illud: *Humiliauit ſe, &c. factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip. 2. 8.

*Tertia.*

Tertiò, vt Patri ſe humiliaret, illique reuerentiam

tiam exhiberet, ac in eius voluntate caput, id eſt, mentem & voluntatem ſuam in omnibus vſque ad mortem, & mortem crucis reſignaret.

*Quarta.* Quartò, vt vltimum vale diceret mundo; ac præſertim Occidēti, id eſt, Europæ & Italiæ. q. d. En popule meus, en pro te morior, ad quem caput inclino & ſpiritum emitto. Chriſtus enim, vt ſuperiùs dixi, crucifixus eſt facie auerſa à Ieruſalem, & conuerſa ad Occidentem & Italiam, quā ſua fide, pontificatu ac martyrio SS. Petri & Pauli illuſtrare volebat. Relictis enim Iudæis conuertit ſe ad Gentes.

*Quinta.* Quintò, vt annueret & valediceret matri ad crucem adſtanti.

*Sexta.* Sextò, vt locum lanceæ, qua transfigendum erat latus dextrum, & cor, inclinatione capitis deſignaret.

*Septima.* Septimò, vt oſtenderet ſe, & patrem ſuū hac paſſione ſua hominibus eſſe reconciliatum, eoſque quaſi amicos amplecteretur & oſcularetur. Ita S. Auguſt. tract. de Virgin. *Inſpice*, ait, *vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices reſurgentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, totum corpus expoſitum ad redimendū. Hęc quanta ſint cogitate, hoc in ſtatera veſtri cordis appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus eſt in cruce.*

*Octaua.* Octauò, vt oſtenderet ſpiritum ſuum poſt mortem deſcenſurum ſub terram ad limbū Patrum, vt eos inde liberaret.

*Nona.* Nonò, vt viſcera miſericordiæ ſuæ nobis oſtenderet. Ita S. Laur. Iuſtinian. lib de Triūphali Chriſto agone ca. 20. *Caput, hoc*, inquit, *dum paſſionem ludibria & mortis ſupplicia pro hominibus pertulit mediator, liqueſecit ad miſericordiam, flexit ad gratiam, inclinauit ad indulgentiam.*

*Decima.* Decimò, vt S. Ioannem, Magdalenam & ſimiles cruci ſuæ aſtantes complecteretur; ac faciem auerteret ab iis, qui fugiunt crucem.

*Vndecima.* Vndecimò, vt caput à titulo crucis in quo ſcriptum erat: *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum*, deorſum inclinans, oſtenderet ſe declinare regnum, omneſque mundi honores & pompas, nobiſque idem faciendum eſſe innueret.

*Duodecima.* Duodecimò, vt oſtenderet ſuam mortem potiùs eſſe ſomnum quàm mortem, ob futuram tertio die reſurrectionem. Sic enim dormientes caput lecto inclinant & reclinant, iuxta illud: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam*, pſal. 4.

Denique Chriſtus peracto legationis ſuæ officio inclinando caput Patri, quaſi petit ab eo benedictionem, & miſſionem ac facultatem diſcedendi è terra, & redeundi ad Patrem. q. d. Ecce, ô Pater, officium legationis tuæ in terram mihi commiſſum cum fide peregi, opus quod mihi impoſuiſti perfeci, curſum meum conſummaui, feci & paſſus ſum pro ſalute hominum quæcūque iuſſiſti: ſupplex ergo poſtulo, vt mihi des licentiam moriendi, ac per mortem abeundi è terra, & redeundi in cælum, ſimulque peto promiſſum mihi à te præmium conuerſionis & ſalutis omnium gentium, vt illæ per meam paſſionem & mortem ſaluentur, tuaque gratia & gloria donentur, iuxta illud: *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, pſal. 2. feci quod iuſſiſti, da quod promiſiſti.

Hoc imitantur Religioſi & ſacerdotes, qui peracto miſſionis officio ad Prælatos ſuos redeunt, flexaq; ceruice ab eis benedictionem, & gradū, ſtatumque priſtinum poſtulant. Moraliter, ſed neruoſè S. Bernard. epiſt. ad Guarinum: *Quid prodeſt*, ait, *Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? ideò Paulus aiebat? Sic currite vt comprehendatis. Ibi Chriſtiane fige tui curſus profectuſq; metam, vbi Chriſtus poſuit ſuam. Factus eſt, inquit, obediens vſque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, ſi vſque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendes.*

*Vers. 51. Luc. 23. 45. Mar. 15. 38.* ET ECCE VELVM TEMPLI SCISSVM EST IN DVAS PARTES A SVMMO VSQVE DEORSVM, ET TERRA MOTA EST, ET PETRÆ SCISSÆ SVNT] Moriente Chriſto creatore turbantur, indignantur & cōcutiuntur omnes creaturæ, *Et ecce*. Hinc notat S. Aug. li. 3. de Conſenſu Euang. ca. 19. velum templi ſciſſum eſſe mox vt Chriſtus expirauit, vt indicaretur velum ſcindi propter necē Chriſti. Lucas ergo, qui hoc factū tenebris, Chriſto adhuc viuente inductis, iungit, anticipatione vtitur. *Duplex velum templi.* Duplex erat templi velum, vnum ante Sanctum ſanctorum, alterum ante Sanctum; vti diſertè docet Ioſephus li. 6. Belli c. 6. Sanctum erat quaſi nauis templi, in quod ſacerdotes quotidie ingrediebantur: Sanctum ſanctorum erat quaſi chorus, & ſanctiſſima pars tēpli; ideoque ſemper erat clauſum, nec vllus illud ingredi poterat niſi pontifex; idque ſemel dumtaxat in anno, putà in feſto expiationis, Leuit. 16. Putant nonnulli Chriſto moriente velum ante Sanctum fuiſſe ſciſſum, quia illud erat extimum, & populo fortè conſpicuum. Ita S. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam. q. 8. Verùm dico velum ante Sanctum ſanctorū fuiſſe ſciſſum: hoc enim ſanctiſſimum erat, ideoq; abſolutè dicebatur velum, quia ſemper velabat Sanctum ſanctorum: hoc enim ſemper erat clauſum excepto die expiationis, quo pontifex illud expiaturus intrabat. Ita S. Leo ſer. 10. de Paſſione, Cyrill. in ca. 19. Ioannis, Euthym. Caiet. Barrad. & alij hîc.

*Velum templi ſciſſum, Cur? Cauſa literalis.* Quæres, cur ſciſſum fuit hoc velum? Reſp. Varias cauſas dant veteres. Litteralem cauſam dat S. Cyrillus, Theophyl. & Euthym. ſcilicet id factum eſſe quaſi templū lugens mortem Chriſti, qui erat Dominus & Deus eius, veſtem ſuam more Iudæorum ſciderit ob rei indignitatem, quod ſcilicet ſacerdotes & pontifices, qui quotidie Deum colebant in templo, ideoque primi debebant Chriſtum ab eo miſſum agnoſcere, & alijs indicare, eumdem negaſſent & occidiſſent, ideoque eos priuandos ſacerdotio, vita & ſalute portenderit, & quaſi comminatum ſit, Ita S. Leo ſerm. 10. de Paſſ.

*Myſtica.* Myſticam dat Theophyl. ſcilicet vt ſignificaretur templum hoc deinceps fore profanādum, ac cum ſuis ſacrificijs, cæremonijs, ritibus legalibus diſſoluendum & abrogandum, imò & deſolandum, ait Chryſ. *Sciſſum eſt velum*, ait Theophyl. in Marci c. 15. *per hoc manifeſtante Deo, quòd gratia ſpiritus è templo euolet, & quòd Sancta ſanctorum* (antea omnibus inacceſſa & numquam viſa) *omnibus conſpicua & manifeſta fiant. Tunc enim* ait Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 37. *à gratia Dei penitus Iſrael decidit, reſilijtq; longè ab ea, cùm tanto furore ſaluatorem ſuum impiè occidit.* Et S. Hilarius: *Veli honor*, inquit, *cum cuſtodia angeli protegentis aufertur*,



*fertur*. Hinc S. Ephrem ſerm. de paſſ. Domini tradit, tunc cùm velum ſciſſum eſſet, columbam è templo euolaſſe. Columba enim index eſt Spiritus ſancti.

*Allegor.* Allegorica cauſa fuit, vt ſignificaretur velamentum cæremoniarum legalium veteris legis & templi per Chriſtum patefactum eſſe, & impletum, vt iam deinceps non ſoli Iudæi, ſed & Gentiles infideles clarè cognoſcerent Deum & Chriſtum, eiuſque myſteria, quæ Iudæi per tot figuras adumbrabant, imò quòd Dei cultus & Eccleſia è Ieruſalem & templo ad Gentes Romamque tranſiret. Ita Origen. Hieron. Ambroſ. & alij paſſim. Audi S. Leonem ſerm. 17. de Paſſ. *Adeo*, inquit, *tunc à lege ad Euangelium, à Synagoga ad Eccleſiam, à multis ſacrificiis ad vnam hoſtiam, quæ Deus eſt, euidens eſt facta tranſlatio, vt emittente Domino ſpiritum, velum vi ſubita ſcinderetur.* Audi & S. Hieron. *Velū templi ſciſſum eſt, & omnia legis Sacramenta quæ prius tegebantur prodita ſunt, atque ad Gentium populum tranſierunt. Ioſephus quoque refert virtutes angelicas, præſides quondam templi, tunc pariter conclamaſſe: Tranſeamus ex his ſedibus.* Reſpicit locum Ioſphi lib. 7. de Bello cap. 12. Verùm Ioſephus dicit, id contigiſſe non in morte Chriſti ſed poſt 38. annos in excidio Ieruſalem & templi per Titum.

*Anagogica.* Anagogicam cauſam dat Apoſtolus Hebr. 9. 8. ſcilicet iam per Chriſti mortem apertam eſſe viam in cælum, quod prius erat clauſum: quia Sanctum ſanctorum erat typus cæli, velum verò ſignificabat illud eſſe velatum & clauſum, donec Chriſtus morte ſua velum hoc rupit, & viam patefecit.

Notat S. Hieronym. epiſtol. 150. ad Hedibiam quæſt. 8. in Euangelio Nazaræorum addi, quòd tunc ſuperliminare templi infinitæ magnitudinis fractum ſit atque diuiſum, citatque Ioſephū. Verùm Ioſephus hoc factum dicit in excidio vrbis & templi per Titum, quod tamen excidium poſt paucos annos factum eſt in vltionem ſanguinis Chriſti. Et hoc tantùm videtur velle S. Hieronymus.

*Tota terra tremuit in morte Chriſti.* ET TERRA MOTA EST] *Terra*, ſcilicet tota: fuit ergo hic terræ motus vniuerſalis, maximus & vehementiſſimus, ita vt totus terræ globus è centro ſuo conuulſus contremuerit & concuſſus ſit, ſicut eclipſis ſolis fuit pariter vniuerſalis per totum orbem, vt dixi verſ. 45. vti inter alios docet Paulus Oroſius lib. 7. capit. 4. & Didymus in Catena Græca in Iob cap. 9. ait hoc terræ motu terram è centro ſuo fuiſſe conquaſſatam, idque prophetatum fuiſſe à Iob, cùm ait cap. 9. 6. *Qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Vndè & Phlegon libertus Adriani Imp. quem citat Origenes hîc, & Euſebius in Chron. ad annum Chriſti 33. ſcribit hoc terræ motu, extra Iudæam multas domos Nicææ in Bithynia fuiſſe euerſas. Quin & Plinius lib. 2. cap. 84. teſtatur ſub Tiberio (ſub quo paſſus eſt Chriſtus) ingenti terrę motu dirutas eſſe duodecim ciuitates in Aſia. Idem aſſerit Sueton. in Tiberio cap. 48.

*Cauſa literalis.* Cauſa huius terręmotus literalis fuit, vt per eum ſignificaretur diuinitas Chriſti, qui eſt dominus cæli & terræ; hic enim terram concutiebat. Vnde paſſim concuſſio terræ tribuitur Deo, & index eſt diuinitatis, iuxta illud Dei ad Eliam: *Et ecce Dominus tranſit & ſpiritus grandis & fortis, ſubuertēs montes, & conterens petras ante Dominum.* Sic olim mons Sina, cùm in eo Deus daret legem Moſi & Hebręis, totus contremuit, Exodi 19. Similia ſūt pſalm. 17. 8. & Nahum 3. 6. & alibi. In paſſione ergo Chriſti impletum eſt illud Aggæi c. 2. 7. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram.*

*Secundo.* Rurſum ſignificabatur naturalis quaſi terræ ſenſus, ad tantum ſcelus in Dominum ſuum commiſſum, quaſi indignantis, & in Iudæos deicidas inſilire volentis, vt eos abſorberet in tartara.

*Myſticè.* Myſticè, ſignificabatur noua terra & nouus mundus fidelium per Chriſtum inſtituendus, iuxta illud Iſaiæ 65. 17. *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam.* Vetus enim terra hoc motu videbatur abiturire.

*Tropolog.* Tropolog. ſignificabatur per mortem Chriſti commouenda fore terrea & ſaxea hominū corda ad pœnitentiam. Porrò ſi totus terræ globus è centro ſuo conuulſus, concuſſus fuit, ergo & mare ac flumina: mare enim cum terra vnum globum efficit. Quare moriente Chriſto mare fluctibus horrendis inſonuit, æſtuauit, exundauit, vt ſuo fremitu indignitatem necis ſui creatoris loqueretur, ſicut eamdem loquebatur ſol & cælū ſubducendo radios, aër ſui tenebris, terra ſuo terræ motu, petræ ſua ſciſſione.

Vide hîc vt Chriſtus in ſumma ſui abiectione, ſummam ſuam maieſtatem & omnipotentiam more ſuo oſtenderit, ne videretur coactus mori, ac vt homines diſcerent quis & quantus eſſet, qui pro illis tam vilia & indigna tanta dignatione patiebatur, idque obſtupeſcerent & venerarentur. Nam, vt ait S. Ambroſius lib. 5. de Fide capit. 2. *Fatigatur ex itinere Ieſus, vt reficiat fatigatos: petit bibere, ſitientibus potum ſpiritalem daturus: eſurit, cibum ſalutis eſurientibus traditurus: moritur, viuificaturus: ſepelitur, reſurrecturus: tremulo pendet in ligno, cōfirmaturus trementes: cęlum caligine obducit, vt illuminet: terras tremefacit, vt ſolidet: maria conturbat, vt mitiget: reſerat tumulos mortuorum, vt oſtendat domicilia eſſe viuorum: creatur ex virgine, vt ex Deo natus eſſe credatur; neſcire ſe ſimulat, vt ſcire faciat neſcientes: adorare quaſi Iudæus dicitur, vt quaſi verus Dei Filius adoretur.*

*Petræ ſciſſæ in Golgotha.* ET PETRÆ SCISSÆ SVNT] Primò in Golgotha, vbi crucifixus eſt Chriſtus. Vnde Cyrillus Hieroſolymit. catecheſi 13. *Hactenus*, ait, *Golgotha monſtrat, vbi propter Chriſtum petræ ſciſſæ ſunt.* Et S. Lucianus presbyter & Martyr, fidei ſuæ rationem præſidi reddens: *Adſtipulatur*, ait, *his ipſe in Hieroſolymis locus, & Golgothana rupes ſub patibulo onere diſrupta.* Rem plenius narrat Adrichomius in Deſcriptione Ieruſalem nu. 252. dicens: *Cuius rei etiam hoc præclarum in petroſo Caluariæ monte adhuc extat argumentum: ibi enim conſpici etiamnum poteſt illa, quæ ſub manu Chriſti læua, & à ſiniſtris pendentis latronis in cruce, in morte Domini facta eſt ſciſſura, in qua Dominici ſanguinis colorem adhuc deprehendere licet.* Et poſt pauca; *Cuius quidem ſciſſuræ ea eſt latitudo, quod humani corporis craſſitiem facilè capere poſſit; Profunditas verò tanta, quòd ab huius rei curioſis demiſſa bolide nequaquam potuerit inueſtigari, vt veriſimile ſit in infernum vſque patere: & quemadmodum latroni dextero via per Chriſti mortem in cælum reſerata eſt; ita per petræ huius ſciſſuram latroni ſiniſtro (vt olim rebelli Core) viam in infernum aper-*

*tam eſſe. Ex quo patet quàm verum ſit quod de ipſis ait Hieron. Chriſtus,* inquiens, *vnum relinquit ſiniſtrũ, alterum aſſumit dexterum, ſicut in die iudicij faciet: ex ſimili crimine, diſsimiles ſortiuntur fines, alter antecedit Petrum in paradiſum, alter Iudam in infernum. Confeſsio breuis, vitam acquiſiuit longam: & blaſphemia finita, pœnâ plectitur æternâ.* Huc vſq; Hier. in Marci cap. 15. vel quiſquis eſt auctor: non enim videtur eſſe S. Hier. Stridonenſis. Porrò non tantum Hieroſolymis, ait Baron. anno Chriſti 34. num. 107. ſed & in pleriſque alijs orbis partibus ſciſſos montes eodem terræ motu, incolæ firma traditione teſtantur, nempe in Hetruria montem Aluerniæ dictum, & prope littus Campanum Caietæ promontorium, inde horrenda illa vtriuſque montis petrarum præcipitia. Nam ſciſſas tunc eſſe petras montis Aluerniæ, reuelauit angelus S. Franciſco ibidem oranti. Vnde mira fuit S. Franciſci erga hunc montem deuotio, ideoque in eodem quinq; ſacra Chriſti crucifixi ſtigmata accepit. Senſit ergo Chriſti mortem lapidum ſciſſura, vt eam, quæ inter Chriſti animam & corpus adeò crudeliter & inhumanè facta eſt ſciſſio, repræſentaret. Neq; aliquando ad has montis ſciſſiones reſpiciebat S. Franciſcus, quin ſtatim veniret in mentem Chriſti paſſio, ſeque ſcindi, vulnerari & cruciari optaret, vt particeps fieret dolorum crucifixi, quos ſibi obijci videbat in lapide inanimato. Ita Waddingus in Annalibus Minorum anno Chriſti 1215. n. 15.

*Et in monte Aluernia.*

*in quo S. Franciſcus ſtigmata Chriſti recepit.*

Quare meritò exclamat S. Ambroſ. libr. 10. in Lucam: *O duriora ſaxis pectora Iudæorum! ſinduntur petræ, ſed horum corda durantur, horum immobilis duritia manet orbe concuſſo.*

Allegoricè, S. Hieron. ad Hedibiam q. 8. *Petræ ſciſſæ ſunt, id eſt dura Gentilium corda ſiue petræ, vniuerſa vaticinia Prophetarum, qui & ipſi à petra Chriſto cum Apoſtolis petræ vocabulum acceperunt, vt quidquid in eis duro legis velamine claudebatur, ſciſſum pateret Gentibus. Monumenta quoq; de quibus ſcriptũ eſt: Vos eſtis ſepulchra extrinſecus dealbata, quæ intus plena ſunt oſsibus mortuorum, ideo ſunt aperta, vt egrederentur de ijs qui priùs in infidelitate mortui erant, & cum reſurgente Chriſto atque viuente viuerent, & ingrederentur cæleſtem Ieruſalem, & haberent municipatum nequaquam in terra, ſed in cœlo, morienteſq; cum terreno Adam, reſurgerent cum Adam ſupercæleſti.* Addit Euſebius lib. 5. Præparat. Euang. ca. 9. ex Plutarcho, ſub Tiberio, apud Paxas inſulam auditam vocem: *Magnus Pan mortuus eſt*, ideoque magnum multorum fuiſſe vlulatum: quod Euſebius interpretatur de Lucifero, quaſi ille ſit Pan, qui moriente Chriſto quaſi mortuus ſit, eò quòd Chriſtus ei vires & quaſi vitam ademerit. Alij tamen, vt Barradius. Pan, inquiunt, eſt Chriſtus. Pan (πᾶν) enim græcè idem eſt quod omne: Chriſtus autem quia Deus, eſt omne bonum & omnia, iuxta illud: *Deus meus, & omnia*; huius mortem deplorarunt dæmones, eò quòd per illam dominio ſuo in terram ſpoliati ſint.

*Pan mortuus, eſt Chriſtus.*

VERS. 52. ET MONVMENTA APERTA SVNT, ET MVLTA CORPORA SANCTORVM, QVI DORMIERANT, SVRREXERVNT, ET EXEVNTES DE MONVMENTIS POST RESVRRECTIONEM EIVS, VENERVNT IN SANCTAM CIVITATEM, ET APPARVERVNT MVLTIS.

VERS. 53. *Et monumenta aperta ſunt*, ſtatim à morte Chriſti; hoc enim inſinuat hîc Matthæus, idq; decebat, vt ſignificaretur id fieri vi paſſionis Chriſti, ac conſequenter eâdem vi mortem eſſe ſuperatam, & vitam humano generi reſtitutam. Ita Beda, Theophyl. & S. Hier. qui ait: *Monumẽta aperta ſunt in ſignũ futuræ reſurrectionis.* Et S. Ambroſ. li. 10. in Lucam: *Monumentorũ*, inquit, *reſeratio quid aliud, niſi clauſtris mortis effractis reſurrectionem ſignificat mortuorum?* Sic & Hilarius: *Illuminans*, ait, *mortis tenebras, & infernorum obſcura colluſtrans, in ſanctorum ad præſens conſopitorum reſurrectionẽ, mortis ipſius ſpolia detrahebat.* Sed tamen ex monumẽtis non prodierunt Sancti hi, nec reſurrexerunt niſi poſt reſurrectionem Chriſti, vt innuit Matt. v. 53. & Paulus Coloſſ. 1. 18. vbi Chriſtũ vocat primogenitum mortuorum, & primitias reſurgẽtium: Chriſtus enim ſua morte tam ſibi quã nobis meruit reſurrectionem. Par erat ergo vt ipſe deuictâ morte, primus quaſi mortis victor & triumphator reſurgeret, ac poſt eum & per eũ ceteri. Ita Origenes, S. Hier. Beda.

*Sancti poſt Chriſtum reſurrexerunt.*

SVRREXERVNT] à morte & ſepulchro ad vitam. Cauſa Prima fuit, vt Chriſtus fidem reſurrectionis ſuę per hos ſocios ſuos, quaſi pręcones firmaret. Teſtabantur enim hi Sancti, dicebantque: Chriſtus à morte reſurrexit, ac nos ab eâdem reſurgere fecit: credite ergo eum reſurrexiſſe, ſicut nos videtis per eum à morte ſurrexiſſe, eſſeque rediuiuos. Secunda, vt in eis, & per eas Chriſtus virtutem paſſionis ſuæ oſtenderet: ſcilicet quòd per eam animæ patrum ex inferno & limbo eſſent liberatæ: ac quod ſimili modo myſticè animas hominum, quæ per peccata erant mortuæ, iam per Chriſti gratiam eſſent viuificãdæ, & aliquando per gloriam tam in corpore quàm in anima reſurrecturæ ad vitam beatam & æternam, itaque beandæ & glorificandæ in ęternum.

*Cauſa Prima.*

*Secunda.*

Quæres, an hi Sancti poſt reſurrectionem rurſum ſint mortui, & ad ſua monumenta redierint, an verò manſerint viui & glorioſi perpetim? Nonnulli cenſent eos rurſũ eſſe mortuos, ac reſurrecturos cum aliis ad vitam beatam in die iudicij; id enim videtur innuere Paulus Hebr. 11. vltim. dicens: *Vt non ſine nobis conſummarentur.* Ita Theophyl. Euthym. Barradius. Franc. Lucas hîc, & S. Auguſtin. epiſt. 99. ad Euodium, & S. Thom. 3. p. qu. 53. art. 3. ac S. Brigitta lib. 6. Reuelationum cap. 94. & lib. 7. cap. 26. *Scias*, inquit, B. Virgo, *quòd nullum corpus humanum in cælo eſt niſi corpus glorioſum filij mei, & corpus meum.* Veriùs alij cenſent Sanctos hos non ampliùs eſſe mortuos, ſed reſurrexiſſe ad vitam immortalem: tum quia hoc decebat Chriſtum, vt fructum mortis & reſurrectionis ſuæ ſtatim oſtenderet in beata hac Sanctorum reſurrectione: tum quia animæ horum iam erant beatæ, ac proinde par erat eas non vniri corporibus niſi glorioſis & immortalibus: tum quia exigua fuiſſet earum felicitas, ac longè maior fuiſſet eorum miſeria, quòd mox rurſum deberent mori: maluiſſent enim non reſurgere, quã tam citò rurſum mori, tum quia congruebat, vt hi Sancti Chriſtum reſurgentem & ſcandentem in cælum, eiuſque triumphum ſua reſurrectione decorarent, quaſi captiui à Chriſto redempti, & à morte liberati, ac quaſi ſpolia, quæ Chriſtus morti & inferno eripuerat: tum denique quia conuenit vt Chriſtus in cælo habeat Beatos, quorum aſpectu & collocutione externa ſe paſcat eius humanitas, ne alioqui ſolitaria ſit experſque humanæ conſolationis. Ita Origenes, S. Hieron. S. Thomas, Beda, Anſelm. hîc, Clemens Alex. lib. 6. Strom. Euſeb. lib. 4. Demonſtr. Euang. c. 12. Epiphã. hęreſi 75. & paſſim recentiores. Nec obſtat locus Hebr. 11. vlt. quia τὸ *ſine nobis*, non ſignificat ante diem iudicij, ſed ante Chriſtum & Chriſtianos, ſiue ante filios noui teſtamenti, priſcos patres non reſurrexiſſe, vt ibi fuſiùs oſtendi.

*An rurſum ſint mortui?*

*Reſp. negatiuè.*



*Quinam reſurrexerint?*

Porrò quinam fuerint hi Sancti, qui cum Chriſto reſurrexerunt, non planè liquet. Veriſimile eſt inprimis eos fuiſſe, qui peculiarem ad Chriſtum relationem, vel parentelæ, vel promiſſionis ſibi factæ, vel typi & figuræ, vel fidei & ſpei, vel caſtitatis & ſanctitatis habuêre, vti fuêre Adam, Abraham, Iſaac, Iacob, Melchiſedec, Dauid, qui nõ niſi in terra promiſſionis ſepeliri voluerunt, vt reſurrectionis Chriſti forent participes. Item Iob & Ionas, qui reſurrectionem Chriſti in ſe adumbrarunt. Adhæc Moſes, Ioſue, Samuel, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, aliique Prophetæ. Vnde Pineda in Iob cap. 19. verſ. 25. cenſet tunc pariter reſurrexiſſe Danielem, & tres eius ſocios Ananiam, Azariam & Miſaëlem: ſed his obſtat, quòd horum corpora & reliquiæ oſtendantur Romæ in templo S. Adriani, vti obſeruauit noſter Lorinus in Actor. cap. 2. ver. 29. qui & addit nec Euam, nec aliam feminam tunc reſurrexiſſe, quia decebat, inquit ipſe, Deiparam eſſe primogenitam reſurgentium inter feminas, ſicut Chriſtum inter viros. Verùm Euam cum Adamo, quaſi matrem omnium reſurrexiſſe opinatur cum aliis Franc. Lucas hîc, qui & adiicit cum S. Epiphanio in Ancorato, videri potiùs tunc reſurrexiſſe eos qui nuper obierant, erantque teſtes magis noti Apoſtolis ceteriſque Iudæis, vnde iis magis perſuadere poterant Chriſtum reſurrexiſſe, & ſuæ reſurrectionis eſſe auctorem, vti fuêre Zacharias Simeon, Ioan. Baptiſta. Verùm Baptiſtę obſtat, quòd eius caput Romæ & Ambiani, digitus Florentiæ, reliqui corporis cineres Genuæ oſtendantur. Noſter Theophilus Raynaudus opinatur tunc reſurrexiſſe bonum latronem lib. de eo cap. 13. vnde & nullæ eius reliquiæ reperiuntur. Auguſtin. tamen libr. contra Felicianũ ca. 15. ait de eo, *Cuius corpus ad futuram reſurrectionem mors communis concluſit*; ſed obiter & aliud agens id dicit S. Auguſt. Præter iam dictos, plures alij, præſertim ij quos celebrat Apoſtolus Hebr. capit. 11. etiam extra Iudæam mortui & ſepulti, reſurrexerunt: nam Matthæus ait, *Multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Hoc enim decebat liberalitatem & magnificentiam Chriſti, vt ſuam reſurrectionem & aſcenſionem in cælũ, magna Sanctorum ſimul reſurgentium copia & pompa adornaret.

Tropologicè, S. Hieron. *Hæc*, ait, *videntur typũ ferre credentium, quòd priſtinis errorum vitiis derelictis, & cordis emollitâ duritiâ, qui prius erãt ſimiles tumulis mortuorum, poſtea agnouerint creatorem, & ad vitam gratiæ per pœnitentiam ſurrexerint.*

VENERVNT IN SANCTAM CIVITATEM] id eſt, id Ieruſalem, quæ *ſancta* dicitur, quòd in eadem Deus ſanctus ſanctè coleretur in templo ſancto, quodque in ea multi fuiſſent Sancti, præſertim Prophetæ, ac tandem Sanctus Sanctorũ, ſcilicet Chriſtus in eâdem ſanctam ſuam Eccleſiam inſtituiſſet, ac morte ſua ſanxiſſet.

ET APPARVERVNT MVLTIS] purà Apoſtolis & diſcipulis Chriſti aliiſq; Iudæis necdum ad Chriſtum conuerſis, vt eis fidem & reſurrectionem Chriſti perſuaderent, quaſi ejus teſtes & pręcones. *Vt ex eorum reſurrectione*, ait Euthymius, *alij certiores redderentur, & de reſurrectione illius* (Chriſti) *cogitantes, quòd qui hos reſuſcitauit, multò magis ſeipſum reſuſcitauit.*

CENTVRIO AVTEM, ET QVI CVM EO ERANT, CVSTODIENTES IESVM, VISO TERRÆ MOTV ET HIS, QVÆ FIEBANT, TIMVERVNT VALDE, DICENTES: VERE FILIVS DEI ERAT ISTE] Multi cum Baronio cenſent centurionẽ hunc fuiſſe Longinum, cui Chriſti cuſtodia à Pilato ſit commiſſa, quique ex miraculis quæ in morte Chriſti contigerunt, agnouerit Chriſtum eſſe Filium Dei, eiuſque reſurrectionis teſtis & præco extiterit, ideoq; relictâ militiâ ſecedens in Cappadociam, ibiq; Deo vacans, à Iudæis occiſus Martyr occubuerit, cuius vitam ſcripſit Metaphraſtes, & ex eo Surius ad diẽ 15. Martij. Vnde Chryſ. *Quidam*, ait, *dicens centurionem hunc poſtea in fide roboratum adeò fuiſſe, vt etiam martyrio ſit coronatus.* Lucius Dexter verò in Chronico ad annum Chriſti 34 cenſet hunc centurionẽ fuiſſe C. Oppium Hiſpanũ, de quo ita ſcribit: *Floret per id tẽpus in Hiſpania C. Oppius centurio F. Corn. pariter centurionis, qui morientem Chriſtum prædicat Hieroſolymis eſſe Filium Dei, inter fragores ſaxorum mutuo ſeſe collidentium obducto tenebris die: ex Gẽtilibuſq; à Chriſti morte primus hic Chriſtianus, centurio credidit: qui fuit ciuis Romanus, baptizatuſq; à B. Barnaba factus eſt tertius Mediolanẽſis Epiſcopus, vir quidẽ Apoſtolicus, qui Chriſti mortem & eclipſim admirabilem, primus omniũ Hiſpanis, genti ſuæ, cum audientium ſtupore refert.* Penes Dextrum ſit horum fides, quæ qualis & quanta ſit, dixi procemio in Acta Apoſtolorum.

VERS. 54. Luc. 24. 47 Mar. 15. 39.

*Centurio quis.*

*An Longinus?*

*An C. Oppius Hiſpanus?*

VISO TERRÆ MOTV ET HIS QVÆ FIEBANT] ſcilicet ſolem obſcurari, petras findi, monumenta aperiri, ac præſertim quòd Ieſus *clamans exſpiraſſet*, vt ait Marcus: inde enim Deo mentem illuminante, agnouit Ieſum eſſe pluſquam hominem, eſſeque Deum, qui quaſi vitæ & mortis dominus clamans exſpiraſſet, exſpirando omnia elementa totumque orbem concuſſiſſet. Iam audierat centurio Chriſtum à Iudæis & Pilato damnatum, quòd ſe regem Iudæorum, id eſt, Meſſiam Filium Dei, eſſe dixiſſet: nunc videns Deum tot miraculis Ieſu atteſtari, agnouit eum vera dixiſſe, vereque eſſe filium Dei. Voluit hoc Deus, vt Centurio hic Iudæos confunderet, ac irrefragabile Chriſto teſtimonium perhiberet. *Vt ergo infidelitatis facinus Iſraeli accumularetur*, ait Hilar. *centurio & cuſtodes hanc totius naturæ perturbationem cõtuentes, Dei Filium confitentur.* Cenſet S. Auguſtin. libr. 3. de Conſenſu Euangel. centurionem hunc confiteri Ieſum eſſe filium Dei, non naturalem, ſed ſpiritualem, quòd videlicet eſſet valdè iuſtus, vt ait Lucas, ſanctus, Deoque gratus. Melius alij cenſent eum confiteri Ieſum eſſe Filium Dei naturalem, vti iam dixi. Ita S. Hieron. *Ex hoc conſiderandum*, ait, *quòd centurio in ipſo ſcandalo paſſionis verè Dei Filium confiteatur,*

fiteatur, & Arius in Eccleſia prædicat creaturam. Additque: Nouiſſimi autem nunc primi efficiuntur: Gētilis confitetur populus: Iudæa excæcata negat, vt fiat vltimus error peior priore. Et Theophyl. Sic ordo conuertitur, dum Iudæi occidūt, diſcipuli fugiunt, & Gentilis confitetur. Et ruꝛſus: Nunc videtur effectum ſortiri quod Dominus dixerat: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Exaltatus namque in cruce attraxit latronem & centurionem. Beda autē: Gentiles Deum timentes apertæ confeſſionis voce glorificant, Iudæi percutientes ſolùm pectora, ſilentes domum redeunt. Vnde meritò per centurionem fides Eccleſiæ deſignatur, quæ Dei Filium tacente Synagogâ cōfirmat. Denique S. Bernardus ſerm. 2. de Epiphan. Videte, inquit, quàm oculata ſit fides, cognoſcit Dei filium lactantem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt: centurio verò agnouit vitam in morte. Latro regem, centurio Dei filium ſimul & hominem pronunciat.

Non ſolus centurio & milites, ſed, vt addit Lucas, Omnis turba eorum qui ſimul aderant ad ſpectaculum illud, & videbant quæ fiebant: percutientes pectora ſua (in ſignum doloris & pœnitentiæ) reuertebantur. Iam incipiunt producere flores pœnitentiæ, vt prædicantibus Petro & Apoſtolis fructum pariant, Actor. 2.

Hic ordine ſuo intexe quæ habet Ioan. c. 19. verſ. 31. de crurifragio latronum, & lancea latus Chriſti perforante, ac ſanguine & aqua ex eo manantibus. ſic enim ait: Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerūt ei crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. de quibus ſuo loco in Ioanne dicendum.

Vers. 55. Luc. 23. 49. Mar. 15. v. 40. 41. Vers. 56. ERANT AVTEM IBI MVLIERES MVLTÆ A LONGE, QVÆ SECVTÆ ERANT IESVM A GALILÆA, MINISTRANTES EI: INTER QVAS ERAT MARIA MAGDALENE, ET MARIA IACOBI ET IOSEPH MATER, ET MATER FILIORVM ZEBEDÆI] Dicit hoc Matthæus, tum vt mulierum harum præ viris fidem, conſtantiam & pietatem in Ieſu celebret, quòd ſpectantibus Iudæis Chriſti hoſtibus auſæ fuerint cruci eius aſtare, & compaſſionem ſuam in eum teſtari. Vnde Euthymius: Vide, ait, conuerſum ordinem: diſcipuli ſiquidem fugerant, diſcipulæ verò aſſiſtentes permanebant. Solent enim feminæ viris eſſe pientiores: vnde Eccleſia orat pro deuoto femineo ſexu. Tum vt ſignificet illas, vtpote matronas graues & pias, teſtes fuiſſe fide dignas eorum quæ Chriſtus in cruce egit & dixit: tū vt indicet illas officia ſepulturæ, ac præſertim vnguēta ad Chriſtum vnguendum, ſedulò curaſſe; tum denique, vt Ieſu Chriſti in cruce patientiam & ſanctitatem indicet, quæ tanta fuit, vt feminę hę ab eo intuēdo, meditando, & admirando, Iudæorum metu & minis auelli non potuerint.

MVLIERES MVLTÆ] inter quas præcipua erat B. Maria mater Ieſu: huius enim comites & aſſeclæ erant ceteræ, ait Euthym. de qua ait Ioannes capit. 19. 25. Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius. Stabat, ſuſtinens omnes dolores compatiendo, quos Ieſus ſuſtinebat patiendo, idque ſimili conſtantia & fortitudine. Vnde S. Antoninus p. 4. Theolog. tit. 15. c. 41. §. 1. Stabat, ait, Virgo ita diuinæ voluntati conformis, quod (Anſelmus ait) ſi oportuiſſet ad implendam ſecundum rationem voluntatem Dei, ipſa filium in cruce poſuiſſet ac obtuliſſet: neque enim minoris fuit obedientiæ, quā Abrahā &c. Denique gladius illius animam pertranſiuit: illa tamen modeſtiæ metas non tranſiliit.

Dolor B. Virginis quantus? Porrò quàm ingens fuerit eius dolor, indicat Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 15. dicens: Virgo partus dolores quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit. Et S. Anſelm. de Excellen. Virginis cap. 5. Quidquid crudelitatis, ait, inflictum eſt corporibus Martyrum, leue fuit comparatione tuæ paſſionis, ô Virgo. Et S. Laurent. Iuſtin. de Agone Chriſti c. 2. Clariſſimum, ait, paſſionis Chriſti ſpeculum effectum erat cor Virginis. Et c. 17. in corpore filius, in mente erat genitrix crucifixa. Et S. Bernard. ſerm. in illud Apocal. 12. Signum magnum: Tuam, ait, ô Virgo animam pertranſiuit vis doloris, vt pluſquàm Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ ſenſum paſſionis, excesſerit compaſſionis affectus.

De conſtantia verò B. Virginis ita ex antiquis monumentis ſcribit Metaphraſtes ad diem 15. Auguſti, & ex eo Baronius anno Chriſti 34. c. 11. Dicunt hi qui de his rebus tractarunt, eam ab initio vſque ad finem ſe fortiter atque conſtanter geſſiſſe, honeſtè quidem & non indecorè vtentem motu animi, factis etiam oſtendens ſe eſſe matrem; ſed matrem omnino illius, qui motum animi certis finibus continuit: mortuumq; videns filiū, eo motu animi vſa eſt vt oportuit: quin etiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inſeruiuit, & clauos qui extrahebantur, in ſinu ſuo accepit, & membra illius amplexa eſt, partim quidem vlnis aſtringens, partim quidem ſuis lacrymis plagas emūdans, deinde tota toti corpori circumfuſa: Ecce tibi ab omni ſæculo præfinitum myſterium ad finem vſque venit, ô Domine; placida voce dicit. Et Ioſepho in manus tradens ſudarium, ait: Tibi autem deinceps curæ erit, vt ſepulturæ tradens, hoc eum honeſtè componas, myrrhâ condias, & ei iuſta facias.

A LONGE] Dices, Ioannes ait, Iuxta crucem eas ſtetiſſe. Reſp. iuxta, id eſt, ex aduerſo crucis, ſed ita vt non omnino propè, ſed paulò remotiùs ſtarent: Militum enim Chriſtum cuſtodientium excubiæ, item populi affluentis denſitas, nō permittebant eas proximè ad crucem accedere; accedebant ergo tam prope quàm poterant, ita vt Ieſum commodè videre & audire poſſent. Vide Adrichom. in Deſcript. Ieruſalem num. 252. vbi locum ſtationis earum aſſignat à cruce Chriſti diſtantem 15. vlnis, quas nunc octodecim gradibus metiuntur. Alij reſpondent eas aliquando propè acceſſiſſe, aliquando longiùs receſſiſſe, prout ferebat neceſſitas vel occaſio. Addunt græca θεωροῦσαι, id eſt, ſpectantes & ſpeculantes, tum miram Ieſu patientiam, tum prodigia quæ circa eum contingebant, hæcque omnia pia mente & meditatione reuoluentes.

MINISTRANTES EI] ſuis facultatibus eum cum diſcipulis ſuis ſuſtentantes. Ita Euthym. Chorus, ait, diſcipularum apud Dei matrem coniunctarum, & expenſas de ſuis facultatibus ſuppeditantium. Nam vt ait S. Hieron. Conſuetudinis Iudaicæ fuit (nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo) vt mu-



lieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent.

INTER QVAS (primaria, præcipua, & quaſi choraga ceterarum) ERAT MARIA MAGDALENE] quæ liberata per Chriſtum à ſeptem dæmonibus, ac tam corporis quàm animi ſanitati reſtituta, tanti beneficij memor & grata, indiuulsè ei adhærebat.

ET MARIA IACOBI ET IOSEPH MATER] putà Maria Cleophæ, ſiue Alphæi, nimirum vxor. Vnde Salmeron: Maria hæc, inquit, dicta eſt Cleophæ à patre; à filijs dicta eſt Maria Iacobi & Ioſeph, à cognatione dicta eſt Maria ſoror matris Ieſu; à viro dici poterat Maria Alphæi, licèt ita eam nuſquam vocet Euangelium. Alij cenſent Cleopham non fuiſſe patrem, ſed maritum huius Mariæ, qui alio nomine dictus ſit Alphæus, de quo dixi capite 13. v. 55.

ET MATER FILIORVM ZEBEDÆI] ſcilicet Iacobi & Ioannis Apoſtolorum, nomine Salome. vt habet Marcus c. 15. 40. ita Origenes, S. Chryſ. Theophyl. Euthymius, & paſſim ceteri.

Vers. 57. Luc. 23. v. 50. 51. Mar. 15. 42. 43. Ioan. 19. 38. CVM AVTEM SERO FACTVM ESSET, VENIT QVIDAM HOMO DIVES AB ARIMATHÆA, NOMINE IOSEPH, QVI ET DISCIPVLVS ERAT IESV] Narrat ſepulturam Chriſti glorioſam à fidelibus, Dei prouidentiâ procuratam.

SERÒ] durante adhuc die, ſed inclinante in veſperam: nam ante veſperam, in qua incipiebat ſabbatum, quo quieſcendum erat, ſepeliri debuit Chriſtus.

DIVES] quia pauper non fuiſſet auſus ad Pilatum præſidem Romanum accedere, & crucifixi corpus impetrare ait S. Hier.

Arimathæa quænam vrbs? AB ARIMATHÆA] Hæc vrbs eſt, ait S. Hieron. in Locis Hebr. quæ 1. Reg. 1. vocatur Ramathaim Sophim, vbi habitarunt Elcana & Anna, ibique genuerunt Samuelem. Sita eſt in regione Tamnitica iuxta Dioſpolin: poſtea dicta eſt Rama, Aarima, & Memphtis. Vbi ſita? Sita erat in loco alto, vnde dicta eſt Rama, id eſt excelſa. Oriundus ergo erat Ioſeph è Rama, ſed ciuis & ſenator erat Hieroſolymæ. Hinc S. Hieronymus in Nomin. Hebr. Arimathia, inquit, idem eſt quod altitudo eius, vel exaltatus eſt ipſe, vt fuit hic Ioſeph.

NOMINE IOSEPH] Notandum eſt Chriſtum introiſſe in mundum per Ioſeph ſponſum virginis: nam non niſi ex virgine deſponſatâ Ioſeph naſci voluit: ac rurſum exiſſe è mundo ac ſepultum eſſe per Ioſeph ab Arimathia. Ioſeph enim idem eſt quod auctus, ſcilicet gratiâ Dei: ſicut enim Ioſeph patriarcha auctus fuit caſtitate & pietate in patrem, ſic Ioſeph ſpōſus Deiparæ excelluit caſtitate: hic verò Ioſeph eminuit pietate in Chriſtum, quaſi patrem ſuum ſpiritualem iam vitâ functum.

Hunc Ioſephum Marcus vocat nobilem decurionem, vbi græcè eſt βουλευτής, id eſt, conſiliarius, ſenator: qui enim Romæ dicebatur ſenator, in municipiis dicebatur decurio. Hunc autem Ioſephum fuiſſe ſenatorem Hieroſolymitanum coniicitur ex eo, quòd ibi habitabat: ibi enim exciderat ſibi ſepulchrum. Rurſum colligit Maldonatus eum interfuiſſe concilio Iudæorum de capiendo & crucifigendo Chriſto Matth. 26. 4. ſed non voluiſſe aliis ſubſcribere & aſſentiri. Vnde quidam, ait S. Hieron. putant de ipſo primum pſalmum eſſe compoſitum: Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, &c.

QVI ET DISCIPVLVS ERAT IESV] Hæc ergo ratio mouit Ioſephum ad ſepeliendum Chriſtum, vt quaſi diſcipulus magiſtro ſuo ex pietate funeris iuſta perſolueret, & parentaret.

Vers. 58. Luc. 23. 52. Mar. 15. v. 43. 45. Ioan. 19. 38. Ioſeph ab Arimathia petit à Pilato corpus Ieſu. HIC ACCESSIT AD PILATVM: ET PETIIT CORPVS IESV. TVNC PILATVS IVSSIT REDDI CORPVS] Acceſſit audacter, ait Marcus: licet enim ipſe occultus eſſet diſcipulus Ieſu ob metum Iudæorum, tamen animante eum Chriſto, ac hortante B. Virgine, vti dixi v. 55. opus tam arduum ſine formidine audacter aggreſſus eſt. Ex hoc facto, ait Victor Antioch. in cap. 15. Marci, ſummam Ioſephi conſtantiam & fortitudinem ſpectare licet, parum enim aberat quin vitā ipſam Chriſti cauſa impenderet: quippe qui Iudæorum omnium inimicitiam propter illum in ſe ſuſciperet. Et Chryſoſt. Fortitudo, inquit, Ioſeph maximè admiranda eſt, cùm propter amorem Chriſti periculum mortis ſuſceperit, & vniuerſorum ſe odio tradiderit, &c. Cauſam conſtantiæ dat Lucas & Marcus dicendo: Qui & ipſe erat exſpectans regnum Dei. q. d. Credebat in Chriſtum & per eius gratiam ſperabat ſalutem & gloriam cæleſtem, ideoque hac ſpe expoſuit ſe periculo pro Chriſto, eiuſq; corpus petijt.

PETIIT CORPVS IESV] S. Anſelm. dial. de Paſſ. ait ſibi à Deipara reuelatum, quòd cùm Ioſeph ab Arimathia peteret à Pilato corpus Ieſu, hanc in ceteris rationem aſſignaſſet, quia mater eius præ dolore moriebatur. Quaſi dixiſſet: Mater eius ſancta eſt & innocens, caſus grauis & repentinus, crucifixus autē erat vnicus ei filius; rationi autem non eſt conſentaneum, vt ſimul cum filio mater innocens moriatur, erit autem ei aliqua conſolatio eum ſepelire. Cōcede ergo matri afflictiſſimæ, vt eum ſepeliat. Inſuper veriſimile eſt, Ioſeph Pilato allegaſſe innocentiam & ſanctitatem Ieſu, ſat Pilato cognitam, ideoque non videri cum ceteris ſontibus eius corpus in vallem cadauerum, quæ erat iuxta Golgotha, abijciendum, ſed honeſta ſepultura dignum. Daret ergo illud ſibi, ſe funus eius dignè curaturum.

Mira de Ioſepho hiſtoria. Porrò audi quid de hoc Ioſepho Chriſtū ſepeliente ſcribat Gregorius Turon. libr. 1. Hiſtor. c. 21. idque ex actis Pilati, vt ipſe ait, ad Tiberium Romam tranſmiſſis: Apprehenſus, inquit, & Ioſeph, qui eum aromatibus conditum in ſuo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipſis ſacerdotum principibus cuſtoditur, maiorem in eum habentibus ſæuitiam, (vt geſta Pilati ad Tiberium miſſa referunt) quàm in ipſum Dominum, cùm ille à militibus, hîc à ſacerdotibus cuſtodiretur. Sed reſurgente Domino cuſtodibus viſione angelicâ territis, cùm non inueniretur in tumulo, nocte parietes de cellula, in qua Ioſeph tenebatur, ſuſpenduntur in ſublimi, ipſe verò de cuſtodia abſoluente angelo liberatur, parietibus reſtitutis in locum ſuum: cumq; pontifices militibus exprobrarent, & ſanctum corpus ab iiſdē inſtanter requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Ioſeph, & nos reddimus Chriſtum: ſed vt verum cognouimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos Filium Dei reddere nunc valemus. Tum illis confutatis, milites ab hac accuſatione liberantur. Verùm hæc ex Euangelio Nicodemi accepta ſunt, quod apocryphum eſt, quare incertæ & dubiæ ſunt fidei.

Denique hîc Ioſeph fertur à Iudæis naui ſine velis

velis & remis cum Magdalenâ, Marthâ, Lazaro & Maximino impoſitus, Deo remige Maſſiliam appuliſſe, indeque in Angliam nauigaſſe, ibique Chriſtum prædicaſſe ac defunctum eſſe: vnde ab Anglis quaſi Angliç Apoſtolus colitur. Ita Baron. anno Chriſti 35, cap. 4. & Lucius Dexter in Chronico anno Chriſti 48. itemque vetera Hiſpaniæ Breuiaria, præſertim Aſturicenſe & Paléntinum, quæ ibidem citat Franc. Biuarius.

*Pilatus iubet reddi corpus Ieſu.*

Tvnc (auditis & probatis rationibus Ioſephi iam recenſitis) Pilatvs ivssit reddi corpvs] vt hac ratione aliquo modo ſatisfaceret Chriſto, quem iniuſtè ob inſtantiam principum ad mortem damnarat, ac ſuum factum honeſtãdo Chriſti ſepulturâ tegeret, vel excuſaret, quòd ſcilicet coactus eum damnaſſet, vtpote quem honorifica ſepultura dignum iudicabat.

Reddi] dato à Ioſepho pretio & auro, ait Theophyl. ſed hoc parum eſt veriſimile, ob rationes iam datas, & quia Marcus ait *Donauit corpus Ioſeph*: ergo Ioſeph illud gratis dono accepit, non pretio comparauit: nimis enim ſordidæ auaritiæ Pilato præſidi fuiſſet, illud vendere. *Reddi* ergo, id eſt *dari*, vt vertit Syrus; ſed dicit *reddi*, quia corpus Ieſu à Pilato iam traditum erat militibus ad crucifigendum: iubet ergo vt ipſi illud reddant Ioſepho. Addit Marcus capit. 15. *Pilatus autem mirabatur ſi iam obiiſſet*: tum quia conſiderabat ſolos dolores flagellationis & crucis Chriſti, qui latrones Chriſti ſocios necdum occiderant: tum quia, vt ait Euthym. ſperabat Pilatus Ieſum tardè moriturum, tamquam hominem diuinum, qui ceteros excederet. Pergit Marcus: *Et accerſito centurione interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet. Et cùm cognouiſſet à centurione* (eum mortuum) *donauit corpus Ioſeph.*

Vers. 59. Luc. 23. 53. Mar. 15. 46. Ioan. 19. 38.

Et accepto corpore, Ioseph involvit illvd in sindone mvnda] Syrus *in linteo lini mundi*. Mundiſſimum enim corpus decebat munda ſindon. *Sindon* eſt pannus ex lino ſubtiliore & delicatiore textus: hoc ergo quaſi ſubtiliſſimo velo & linteo, Ioſeph corpus Chriſti inuoluit. Dicta *ſindon* à Sidone vrbe Phœniciæ, in qua primò texi cœpit. Vnde Martialis:

*Nec ſic in Tyria ſindone tutus eris.*

*Mos ſepeliendi Hebræorum. Primò.*

Erat enim Tyrus vicina Sidoni. Solebant Iudei defunctos ſepeliendos ſindone inuoluere, manus & pedes ligare inſtitis, id eſt faſciis, faciem velãre ſudario, vti fecere Lazaro Ioan. 11. v. 44. Idem Ioſeph fecit Chriſto, vt patet Ioan. 19. 40. *Acceperunt*, inquit, *corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*. Audi S. Hier. *Ex ſimplici ſepultura Domini ambitio diuitum condemnatur, qui nec in tumulis quidẽ poſſunt carere diuitiis. Poſſumus autẽ iuxta intelligentiam ſpiritualem & hoc ſentire, quòd corpus Domini non auro, gemmis & ſerico, ſed linteamine puro obuoluendum ſit, quamquam & hoc ſignificet, quòd ille in ſindone mũda inuoluit Ieſum, qui pura mente eum ſuſceperit.*

*Corporale in Miſſa ſindonem mundiſſimam repraſentat.*

Hac de cauſa & corpus Chriſti in Miſſa non niſi in ſindone collocatur mundiſſima, quòd vulgò *corporale* vocant à corpore Chriſti, quod ad inſtar ſepulchri in ſe continet, ait Paſchaſius Ratbertus ſcribens in hunc Matthæi locum.

Addit Ioannes capit. 19. 39. Nicodemum vnguenta attuliſſe. *Venit*, ait, *& Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës quaſi libras centum*, vt eo totum corpus Ieſu perfunderet, & quaſi balſamaret. Myrrha enim & aloë ſua amaritie corpora à putrefactione cõſeruant. Myſticè, his nos vnguentis fragrare vult Euthymius, cùm pectore noſtro veluti ſepulchro nouo Chriſti corpus excipimus. *Et nos* (inquit ille) *Domini corpus in altari accipientes, odoramentis illud vngamus ſuauibus, videlicet virtutum operibus, ac opere & contemplatione*, &c.

*Secundò.*

Modum pollincturç corporum deſcribit Baronius ex R. Iacob & R. Moſë. *Solebant*, ait, *viri virorum, feminæ feminarum corpora curare, hoc modo: Oculos inprimis & ora claudebant defunctorum, ſtringebant faſcia, tondebant capillos, lauabant corpus, vnguentis vngebant, linteis inuoluebant, ſicq́ curatum in ſepulchro locabant.*

Et posvit illvd in monvmento svo novo, qvod exciderat in petra, et advolvit saxvm magnvm ad ostivm monvmenti, et abiit] Ioannes cap. 19. 41. addit: *Erat autem in loco vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentũ nouum, in quo nondum quiſpiam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.* Vers. 60. Luc. 23. 53. Mar 15. 46. Ioan. 19. v. 41. 42.

*Cur in monumento nouo poſitus Chriſtus?*

Novo] ne, Chriſto reſurgente, quis alius priùs in eo ſepultus, reſurrexiſſe, ait S. Chryſ. putaretur; vel fingeretur, ait S. Hiero. Myſticè S. Aug. *Sicut*, ait, *in Mariæ virginis vtero, nemo ante illum, nemo poſt illum conceptus eſt: ita in hoc monumento nouo, nemo ante illum, nemo poſt illum ſepultus eſt.*

*Forma ſepulchri Chriſti.*

In petra] *ne, ſi ex multis lapidibus ædificatum eſſet, ſuffoſſis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur*, ait S. Hier. Formã ſepulchri Chriſti fusè deſcribit Beda in Marci c. 15. dicens: *De monumento Domini ferunt, qui noſtra ætate de Hieroſolymis Britãniam venere, quòd domus fuerit rotunda, de ſubiacente rupe exciſa, tantæ altitudinis, vt intro conſiſtens homo vix manu extenta culmen poſſit attingere. Quæ habet introitum ab Oriẽte cui lapis ille magnus aduolutus eſt. In cuius monumenti parte Aquilonari, ſepulchrũ ipſum, hoc eſt Dominici corporis locus, de eadem petra factus eſt, ſeptem habens pedes longitudinis, trium verò palmorum menſura cetero pauimento altius eminens. Qui videlicet locus non deſuper, ſed à latere meridiano per totum patulus eſt: vnde corpus inferebatur.*

Breuiter Adrichomius in deſcriptione Ieruſalem num. 239. *Sepulchrum Dominiglorioſum*, ait, *monumentum erat nouem octo pedes longum, quod à monte Caluariç centum & octo pedibus, à monte autem Sion paſſibus mille diſtabat in horto mõti Caluariç propinquo quòd in petra ſibi Ioſeph exciderat. Ioſeph ergo ſuum ſepulchrum ceſſit Chriſto, & Chriſtus in alieno, ſcilicet Ioſephi ſepulchro conditus eſt.* Cauſam dat Theophyl. dicens: *Qui non habuit domũ in vita neq; ſepulchrum habet, ſed in alieno deponitur, & cùm ſit nudus, à Ioſeph veſtitur.* S. Aug. ſer. 133. de Temp. *Ideo*, inquit, *in aliena ſepultura ponitur, quia pro aliorũ moriebatur ſalute. Vt quid illi propria ſepultura, qui in ſe propriam mortem non habebat?* Addit: *Vt quid ei tumulus in terris, cuius ſedes manebat in cælis? Vt quid illi ſepultura, qui tridui tantùm temporis ſpatio non tam in ſepulchro mortuus iacuit, quàm velut in lecto quieuit?*

Anagogicè, ſignificauit Chriſtus, ſe & Chriſtianos eſſe peregrinos in terra, ac tendere in cælum,



cælum, quaſi patriam, velut ciues Sanctorum & domeſticos Dei. Hâc de causâ S. Antonius, S. Ephrem, S. Franciſcus, & alij proprium noluêre habere ſepulchrum, ſed in alieno ſepeliri voluerunt, exemplo Chriſti.

*Sepulchri Chriſti forma.*

Hîc ergo impletum eſt illud Iſaiæ cap. 11. 10. de Chriſto oraculum. *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Vide ibi dicta. Hinc per tot ſæcula huc vſque frequens & religioſa eſt fidelium ex toto orbe peregrinatio in Ieruſalem, ad viſendum & venerandum S. Sepulchrum Domini. Quàm ergo ignominioſa fuit paſſio & mors Chriſti, tam glorioſa fuit eius ſepultura; hanc enim illa meruit. Vnde à S. Helena matre Conſtantini Magni, hoc in loco condita eſt baſilica, quæ reliquas totius orbis amplitudine atque pulchritudine longè excellit: nam auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus marmoreis ſeptuaginta tribus columnis fulcitur: & tam reſurrectionis quàm crucifixionis locum, ſub vno eodemque tecto comprehendit; quod in ſui medio rotundo patet foramine apertum, ſub quo in inferiori eccleſiæ parte Dominicum conſiſtit ſub dio ſepulchrum: cui paſſionis Chriſti theatrum, mons Caluariæ, tunc viginti octo pedes altus, chori loco adhæret; qui octodecim gradibus, quorum ſinguli pedem & ſemiſſem in altitudine continent, ſui acceſſum præbet. Quocirca in hac baſilica ſepeliri voluit Godefridus Dux Bullonij, è Chriſtianis primus Hieroſolymæ rex, ceterique reges omnes poſt eum. Hic quoque viri inſignes nobilitantur, & equites aurati creantur: ita Adrichom. in Deſcript. Ieruſalem numer. 252.

*Gloria.*

*In horto ſepultus Chriſtus: cur?*

Deniq; ſepulchrum Chriſti fuit in horto, quia in horto paradiſi peccarat Adam, ac mortis ſententiam incurrerat. Hinc in horto paſſionem orſus eſt Chriſtus, in horto conſummauit & ſepultus eſt, vt ſententiam hanc lueret & expiaret; vtq; hortum amœniſſimum floribus & fructibus virtutum omnium vernantem, putà Eccleſiam, inſtitueret, & plantaret. Porrò Chriſti corpus in ſepulchro, ſicut & in cruce, ita collocatum fuit, teſte Beda & Adrichom. vt capite & facie ab Oriente & Iudæa auerſa Occidentem, id eſt Italiam & Romam, reſpiceret.

*Anima Chriſti deſcendit in limbum.*

Nota. Chriſtus mox vt exſpirauit, quoad animam deſcendit in limbum patrum, illiſque ſe, ſuamque deitatem oſtendit; itaque eos beauit. Animas quoque in Purgatorio detentas liberauit, eiſque primum & vniuerſale iubilæum dedit. Vnde eis pariter ſuam deitatem oſtendit, eaſque beatas effecit, vti dixi 1. Petr. 3. 19. dæmones verò & homines impios in inferno, rurſum ad gehennam perpetuam damnauit, tamquam eorum dominus, iudex, victor & triumphator. Manſit anima Chriſti in limbo vſque ad tertiam diem, quâ è limbo cum patribus aliiſque Sanctis egrediens, corpus ſuum, quod triduo iacuerat in ſepulchro, reſumens glorioſè reſurrexit, ac patres deinde corpora ſua reſumere, ſecumque reſurgere effecit. Quo ordine, modo & tempore hæc omnia ſint peracta, dicam initio cap. 28. Porrò Chriſti diuinitas, putà diuina Verbi perſona, in Chriſti morte manſit ſemper tam corpori in ſepulchro, quàm animæ in limbo hypoſtaticè vnita: quod enim ipſa ſemel aſſumpſit, hoc numquam dimiſit, nec dimittet in æternum, vti docent Theologi.

Et advolvit (adiutus à Nicodemo & famulis. Vnde Syrus vertit in plurali, *aduoluerunt*) saxvm magnvm ad ostivm (ingreſſum) monvmenti] ne quis corpus Chriſti auferret, vel ſurriperet. Magis autem conſilio Dei id factum eſt, ne Chriſto reſurgente & vi diuina ſaxum penetrante ac exeunte, Iudæi dicerent Chriſtum non reſurrexiſſe, ſed Apoſtolos corpus eius è ſepulchro clàm furatos, palàm fingere eum reſurrexiſſe. Hâc enim de causâ voluit Deus Chriſti corpus à viris fide dignis, ſcilicet Ioſepho & Nicodemo, ſepeliri; ac triduo in ſepulchro manere, ibique lapide magno claudi, ac a Iudæis obſignari & cuſtodiri, vt manifeſta eſſet omnibus eius mors, & conſequenter è morte reſurrectio tertio die facta. Atq; huius reſurrectionis & gloriæ ſpecimen & præludium dedit Chriſti corpus in ipſo ſepulchro, dum in eo per triduum non computruit, ſed integrum illæſumque permanſit, vtpote virgineum & ſanctum, ac formatum à Spiritu ſancto, taleque in æternum perdurat.

Erat avtem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepvlchrvm] *Altera Maria*, ſcilicet Iacobi & Ioſeph mater: has enim duas dumtaxat nominauit v. 58. Videtur ergo quòd mater filiorum Zebedæi, ſcilicet Salome, quam pariter ibidem nominauit, videns Ieſum à viris ſepeliri, quaſi non habens quod vltrà Ieſu impenderet, mœſta domum redierit, aut B. Virginem domum reduxerit; licet Metaphraſtes ad diem 15. Auguſti, aſſerat B. Virginem perpetim manſiſſe apud Chriſti ſepulchrũ, vſque ad ipſius reſurrectionem, quam ipſa die tertio futuram, vti Chriſtus prædixerat, certò credebat & ſperabat. Vers. 61. Luc. 23. 55. Mar. 15. 47.

*Mariæ ſedent contra ſepulchrũ.*

Sedentes contra sepvlchrvm] Quia, vt dixi, decebat Ieſum, vtpote virum, non à feminis, ſed à viris lauari, & linteis inuolui & ſepeliri. Quare ipſæ, dum viri eum in ſepulchro condunt, ex honeſtate & verecundiâ non auſæ ſunt ſepulchrum ingredi, ſed exſpectant dum viri abeant, itaque ipſæ ſepulchrum intrent, ac videant modum quo conditus ſit Chriſtus; vt inſtante iam ſabbato, quo Iudæis quieſcendum erat, tranſacto, ſummo manè diei Dominicæ redeant, Chriſtumque vngant, vti eas feciſſe patebit cap. ſequ. verſ. 1.

Altera avtem die, qvæ est post Parasceven, convenervnt principes sacerdotvm et Pharisæi ad Pilatvm] *Paraſceue* vocabatur feria ſexta, ſiue dies Veneris, qui proximè ſabbatum præcedit, eò quòd illo die Iudæi pararent cibos, & reliqua neceſſaria pro ſabbato, quo ab opere quieſcendum erat. *Paraſceue* enim græcè παρασκευή, idem eſt quod præparatio. Vers. 62.

*Paraſceue quid? Eius etymon.*

Altera ergo die post parasceven] Id eſt poſtridie feriæ ſextæ, putà in ſabbato, ſimul venerunt principes hi ad Pilatum. *Non nominat ſabbatum*, ait Theophyl. *eò quòd non erat ſabbatum quoad Iudæorum inſaniam.* Furebant enim inſtar rabidorum contra Ieſum, vt eius nomen & memoriam planè abolerent. Et rabiẽ acuebat, quòd vidiſſent Ieſum à Ioſeph & Nicodemo tam honorifi-

*Petunt à Pilato Iudæi vt Chriſti ſepulchrum iubeat cuſtodiri.*

norificè ſepeliri, quaſi id ipſum præludium eſſet A
futuræ reſurrectionis, vel re verâ futuræ, vel à
Ieſu diſcipulis fingendæ.

VERS. 63. DICENTES: DOMINE, RECORDATI SVMVS, QVIA SEDVCTOR ILLE DIXIT ADHVC VIVENS: POST TRES DIES RESVRGAM] *Seductor*, græcè, ὁ πλάνος, id eſt, vt legit S. Auguſt. hom. 36 inter 50. *ille planus*, id eſt, *ille impoſtor*. *Hoc nomine*, ait idē Auguſt. in pſ. 63. v. 7. *vocabatur Dominus Ieſus Chriſtus, ad ſolatium ſeruorum ſuorum quando vocantur ſeductores.*

POST TRES DIES] non finitos, ſed inchoatos, id eſt intra tres dies, vel tertio pòſt die. Ita ipſimet ſe explicant dum ſubdunt: *Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in tertium diem.*

VERS. 64. IVBE ERGO CVSTODIRI SEPVLCHRVM VSQVE IN DIEM TERTIVM: NE FORTE VENIANT DISCIPVLI EIVS, ET FVRENTVR EVM, ET DICANT PLEBI: SVRREXIT A MORTVIS; ET B ERIT NOVISSIMVS ERROR PEIOR PRIORE] *Cupientes*, ait S. Chryſoſt. *oſtendere, etiam antea impoſtorem fuiſſe, ad ſepulchrum vſque malitiam extendunt & producunt.* Videntur hi principes vehementer timuiſſe ne Ieſus reſurgeret, ideóque cuſtodes milites poſcunt, qui reſurrectionem impediant, aut reſurgentem comprehendant, iterúmque occidant. Nam quod de diſcipulis eum furaturis ſubiiciunt, prætextus erat timoris, ſciebant enim diſcipulos planè pauidos & conſternatos fugiſſe, nec tale quid cogitaturos vel auſuros.

ET ERIT NOVISSIMVS ERROR PEIOR PRIORE] *Errorem* vocant doctrinam Euangelicam, quæ docet Ieſum eſſe Chriſtum Dei Filium, & Saluatorem mundi: quod priùs viuens docuerat Ieſus. Hic ergo erat error prior, poſterior ſiue C nouiſſimus, quòd ipſe à mortuis reſurrexiſſet: hunc dicunt fore peiorem priore: tum quia confirmabit priorem: ſi enim Ieſus reſurrexit, ergo fuit Filius Dei, vt ipſe prædicauit: ſi enim falſum prædicaſſet, Deus eum non reſuſcitaſſet: tum quia multos habebit ſequaces & aſſeclas, ſi credatur eum reſurrexiſſe, ac ſemel infixa hæc opinio mentibus hominum, deinceps euelli non poterit: tum denique quia creabit odium & inuidiam pontificibus & Romanis, quòd eum iniuſtè occiderint; quare cauſa erit, vt multi eos auerſentur, ac fortè vt bello vel rebellione necem Ieſu vlciſcantur. Quocirca ſatiùs fuiſſet eum non occidere, quàm permittere vt occiſus reſurrexiſſe putetur. Diabolus enim præuidens futuram Eccleſiam Chriſti, putà multitudinem, D fidem & ſanctitatem fidelium Chriſti ſequacium, eam iam naſcentem per Iudæos hîc quaſi in ſemine elidere & ſuffocare conabatur. Verùm *non eſt conſilium contra Dominum*, Prouerb. 21. v. 30.

VERS. 65. AIT ILLIS PILATVS: HABETIS CVSTODIAM, ITE, CVSTODITE SICVT SCITIS] *Cuſtodiam*, ſcilicet militum, id eſt cuſtodes milites. q. d. Habetis milites à me heri deputatos, vobiſque datos ad Ieſum crucifigendum, eumque in cru- A ce vſque ad mortem cuſtodiendum; nunc concedo vt ijſdem vtamini ad cuſtodiendum eum iam ſepultum. *Cuſtodite* ergo *eum ſicut ſcitis*, id eſt, optimâ ratione & modo, quem noſtis. q. d. Modum cuſtodiendi veſtræ ſcientiæ & prudentiæ permitto, ego ampliùs huic cauſæ immiſcere me nolo: *Tamquam rebus ipſis edoctus*, ait S. Chryſoſt. *ampliùs ipſis cooperari non vult.*

Pro *habetis*, græcè eſt ἔχετε, quod alij vertunt quaſi imperatiuum, *habete*, id eſt accerſite cuſtodes. Neruoſiùs Noſter vertit in præſenti, *habetis*: iam enim habuerant milites cuſtodes Chriſti in cruce, quos Pilatus eis dederat. Vnde Arabicus vertit, *apud vos ſunt cuſtodes, ite & claudite ſepulchrū ſicut ſcitis.*

ILLI AVTEM ABEVNTES, MVNIERVNT (Arabicus, *clauſerunt*) SEPVLCHRVM, SIGNANTES LAPIDEM CVM CVSTODIBVS] Munierunt ergo B Chriſti ſepulchrum duplici munimento, ſcilicet cuſtodiâ militum, quos aſſiduè vigilare & ſepulchrum circumdare iuſſerunt, & obſignatione lapidis. — VERS. 66. *Sepulchrum Chriſti munitur.*

SIGNANTES] Græcè σφραγίσαντες, id eſt, obſignantes, ſigillantes, ſcilicet annulo, non Pilati, vt innuit Chryſoſt. ſed ſuo; ſcilicet annulo vrbis Hieroſolymæ, vel annulo ſummi concilij ipſorum, quod *Sanedrim* vocabatur, ne à quo lapis à ſepulchro amoueri, & corpus Chriſti extrahi poſſet, quin idipſum ex ſigilli violatione deprehenderetur. Simile fecit Darius rex Danieli in lacu leonum; ſcilicet *obſignauerat os laci annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum*, Daniel. 6. 17. Addit Niceph. libr. 1. c. 32. & Beda de Locis ſanctis, Iudæos vtrumque ſepulchri lapidem perforaſſe, & vinculo ferreo conſtrinxiſſe. Ita ipſi dum C Chriſto reſurrecturo omni modo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum & fidem reſurrectionis eius, teſtimonium Deo ab hominibus ipſis extorquente. Ita S. Chryſoſt. *Certa*, ait, *reſurrectionis demonſtratio per ea, quæ vos ipſi procuraſtis, reddita eſt. Si enim obſignatum fuit ſepulchrum, fraudi & dolo nullus locus relinquebatur: quòd ſi nulla fraus admiſſa fuerit, ſepulchrum verò repertum eſt vacuum, perſpicuum eſt, quòd proculdubio & citra controuerſiam reſurrexit. Vides quomodo vel inuiti veritatis adiuuent demonſtrationem.* Et S. Hieron. *Non ſuffecerat*, inquit, *principibus ſacerdotum & Scribis ac Phariſæis crucifixiſſe Dominum Saluatorem, niſi ſepulchrum cuſtodirent, cohortem acciperent, ſignarent lapidem, & quantum in illis eſt, manum opponerent reſurgenti, vt diligentia eorum noſtræ fidei proficeret. Quantò* D *enim magis reſeruatur, tantò magis reſurrectionis virtus oſtenditur.*

Tropologicè, noſter Barradius: *Ex hoc facto impiorum*, inquit, *diſcamus pietatem: poſtquam Chriſti corpus ex altari in pectus velut nouum ſepulchrum excipimus, diligentem adhibeamus cuſtodiam vt in eo ſemper per gratiam permaneat, neq; vmquam nos deſerat. Vigilantes apponamus milites, hoc eſt vigilantes virtutes, quæ ſomnum, id eſt, ignauiam à nobis repellant, pluſquam ferreo inſtrumento nos aſtringamus, hoc eſt adamantino non peccandi decreto pectus muniamus.* — *Tropolog.*

CAPVT



# CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Magdalena cum ſociabus viſit Chriſti ſepulchrum. Angelus ab eo lapidem amouet, ac cuſtodes percellit, mulieribus verò Chriſtum reſurrexiſſe aſſerit. Redeunt illæ idipſum nunciaturæ Apoſtolis. In itinere occurrit illis Chriſtus, iubetque, vt illud ijſdem annuncient. Iudæi datâ pecuniâ perſuadent cuſtodibus, vt dicant ipſis dormientibus, Apoſtolos furatos eſſe corpus Chriſti. Denique, v. 16. Chriſtus apparet diſcipulis in monte Galilææ, eoſq; mittit ad baptizandum & docendum omnes gentes.*

1. VEſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magda-
lene, & altera Maria videre ſepulchrum. 2. Et ecce terræ motus factus
eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens reuoluit lapi-
dem, & ſedebat ſuper eum: 3. erat autem aſpectus eius ſicut fulgur: & veſti-
mentum eius ſicut nix. 4. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & fa-
cti ſunt velut mortui. 5. Reſpondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite
timere vos: ſcio enim, quòd Ieſum, qui crucifixus eſt quæritis: 6. non eſt hîc:
ſurrexit enim, ſicut dixit, venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus. 7. Et
citò euntes dicite diſcipulis eius quia ſurrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam:
ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. 8. Et exierunt citò de monumento cum
timore & gaudio magno, currentes nunciare diſcipulis eius. 9. Et ecce Ieſus oc-
currit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & ado-
rauerunt eum. 10. Tunc ait illis Ieſus: Nolite timere, ite nunciate fratribus meis
vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. 11. Quæ cùm abijſſent, ecce quidam de
cuſtodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus ſacerdotum omnia
quæ facta fuerant. 12. Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam
copioſam dederunt militibus. 13. dicentes: Dicite quia diſcipuli eius nocte ve-
nerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus. 14. Et ſi hoc auditum fuerit à præ-
ſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. 15. At illi, accepta pecunia, fe-
cerunt ſicut erant edocti. Et diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos, vſque in
hodiernum diem. 16. Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in mon-
tem, vbi conſtituerat illis Ieſus. 17. Et videntes eum adorauerunt: quidam au-
tem dubitauerunt. 18. Et accedens Ieſus locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi
omnis poteſtas in cælo, & in terra. 19. Euntes ergo docete omnes gentes, bapti-
zantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: 20. docentes eos ſeruare
omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus,
vſque ad conſummationem ſæculi.

VERS. 1. Luc. 24. 1. Mar. 16. 2. Ioan. 20. 1. VESPERE AVTEM SABBATI, QVÆ LVCESCIT A IN PRIMA SABBATI, VENIT MARIA MAGDALENE, ET ALTERA MARIA (Iacobi, de quâ cap. 27. v. 56. & 61.) VIDERE SEPVLCHRVM] Syrus, *veſpere in ſabbato, cùm exoritura eſſet prima hebdomadis*; Arabicus, *in veſpere vna ſabbatorum, luceſcente prima ſabbatorum, venit Maria Magdalene*, &c.

*Antilogia hîc difficilis ſoluitur. Primò.* Difficilis eſt hîc antilogia: quomodo enim erat veſper vel veſpera, ſi luceſcebat, imò, vt Marcus ait, *orto iam ſole*? Reſpondet Primò, S. Hieronymus, has mulieres ſæpiùs exiſſe ad ſepulchrū, ſcilicet veſpere & manè: quare Euangeliſtas narrare alias & alias earum exeundi vices. *Secundò.* Secundò, S. Ambroſius putat alias fuiſſe mulieres quæ veſpere, alias quæ manè exierint, ac conſequenter alios earum egreſſus, aliaſque hiſtorias ab Euangeliſtis narrari. Sic Nyſſenus orat. 2. de reſurrectio. cenſet mulieres quater adijſſe ſepulchrum: *Matthæus*, inquit, *de ijs feminis loquitur, quæ veſpere ſabbatorum venerunt, Ioannes Magdalenam veniſſe ait in tenebris, Lucas alias circa diluculum; Marcus aliam oriente ſole adiunctis nonnullis, quæ iam antea ad monumentum fuiſſent.* Verùm Euangeliſtas inter ſe conferenti liquet, illos loqui de eodem earumdem egreſſu ad viſendum Chriſti ſepulchrum.

*Tertiò. Veſpera quid?* Tertiò, Baronius per *veſperam* intelligit ſtellam Veneris, quę dicitur Lucifer, gręcè ἕσπερος, latinè *Veſperus*, & à Varrone *Veſperugo*, q. d. Cùm lucifer manè ante ſolem orietur, venit Maria Magdalena ad Chriſti ſepulchrum. Hæc enim ſtella æmula ſolis & lunæ, veſpere ſequitur ſolem occidentem, ac præ alijs ſtellis prima lucet, vnde vocatur Heſperus; manè verò præcedit ſolem orientem, vnde vocatur Lucifer, quia auroram & lucem diei affert. Verùm hanc ſtellam non ſignificat Græcum ὀψὲ, nec Latinum *Veſpere*.

*Quartò genuinè.* Dico ergo, *veſpere*, ſiue veſperam, *ſabbati* eſſe noctem

noctem quæ ſequebatur ſabbatum, quæ nox luceſcit, id eſt terminatur & deſinit in lucem, in prima ſabbati, id eſt manè diei Dominicæ, quæ prima dies eſt poſt ſabbatum. Ita Nyſſen. orat. 2. de Reſurrect. S. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euangel. c. 24. Theophyl. Euthym. S. Thomas & alij. Id ita eſſe patet Primò, ex Marco, qui clarè ita explicat dicens: *Et cùm tranſiſſet ſabbatum.* Secundò, quia ſolet Matth. multa breuiter & paucis perſtringere. Sic hîc perſtringit tempus, quo conuenerunt mulieres hæ amore Chriſti feruentes, ſeſeque compararunt emendo aromata ad viſendum & vngendum Chriſtum iam ſepultum, quod erat veſpera, ſiue ſtatim tranſacto ſabbato, quo ab hoc opere alijsque iuxta legem debuerant quieſcere. Voluit quoque indicare tempus quo ad ſepulchrum venerunt, quod fuit illuceſcente die Dominicâ. Vnde Rabanus: *Veſpere*, ait, *venire cœperunt, parauerunt enim aromata, ſed luceſcente manè peruenerunt.* Nam & ante ſabbatum in fine Paraſceues, ſiue feriæ ſextæ, ſtatim poſt mortem & ſepulturam Chriſti ſe ad eum vngendum comparare incipiebant. Hoc enim eſt quod ait Lucas cap. 23. v. 56. *Et reuertentes* (à Chriſto iam ſepulto) *parauerunt aromata & vnguenta; & ſabbato quidem quieuerunt ſecundùm mandatum, vna autem ſabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata.* Et Marcus c. 16. 1. *Cùm tranſiſſet ſabbatum*, ait, *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum, & valdè manè vna ſabbatorum veniunt ad monumentum orto iam ſole.* Marcus enim ſolet eſſe interpres Matthæi. Tertiò, idipſum patet ex Græco ὄψε σαββάτων, quod dupliciter vertas: Primò, *ſerò ſabbatorum*, ſeu tranſacto iam ſabbato, cùm iam profunda eſſet nox, ita vt inciperet deſinere & luceſcere in manè diei Dominicæ: ὄψε enim ſignificat ſerò, tardè, ad extremum, longè poſt, diu poſt tranſactum ſabbatum. Hebræi enim ſabbatum aliaque feſta inchoabant à veſperâ præcedente, & terminabant in veſperâ ſequente, Leuit. 23. v. 32. quare hæc nox ſequens non erat nox finiens ſabbatum, ſed inchoans diem Dominicam. Rurſum ὄψε, idem eſt quod veſpere, vel veſpera, vt vertit Noſter & alij paſſim. Sic ὄψε ἡμέρας, idem eſt quod veſpere diei, teſte Budæo & alijs. Iam *veſpere*, id eſt nocte. *Veſper enim eſt nox quam lux terminat*, ait S. Auguſt. Vnde S. Proſper in Sentent. ſentent 203. ex S. Auguſt. *Veſpere*, ait, *Dominus in cruce, manè in reſurrectione, meridie in aſcenſione.* Hebræi enim veſperam vocant noctem, quia noctis initium eſt veſpera. Vnde Habacuc 1. lupi veſpertini vocantur lupi nocturni, qui noctu graſſantur. Hinc Hebr. עֶרֶב *ereb*, id eſt veſpera, dicitur ab עָרַב *arab*, id eſt obtenebreſcere, obſcurare, quod facit nox.

Iuxta prius ergo ὄψε ſignificatum ſenſus eſt, q. d. Serò, ſiue diu poſt tranſactum ſabbatum, ſiue profunda iam nocte, cùm illuceſceret dies Dominica, venit Maria videre ſepulchrum. Iuxta poſterius verò idem ferè ſenſus eſt. q. d. Veſpere ſabbati, id eſt nocte, quæ ſequitur ſabbatum, iam valdè procedente ad auroram, cùm ſcilicet illuceſceret dies Dominica, venit Maria, &c. *appetente ſcilicet iam die, proſpectante & oriente*, ait Euthymius, hoc eſt in aurora & diluculo Dominicæ. Audi S. Auguſtinum loco iam citato: *Sic itaque dictum eſt Veſpere ſabbati, ac ſi diceretur Nocte ſabbati, id eſt nocte quæ ſequitur diem ſabbati, quod ipſa verba eius ſatis indicant. Sic enim ait, Veſpere autem ſabbati quæ luceſcit in prima ſabbati, quod fieri non poteſt ſi tantummodo primam noctis particulam, id eſt ſolum initium noctis intellexerimus dicto veſpere ſignificatam. Neque enim ipſum initium luceſcit in prima ſabbati, ſed ipſa nox quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, ſecundæ partis initium eſt; lux autem terminus totius noctis eſt. Vnde poteſt dici veſper luceſcens in prima ſabbati, niſi nomine veſperi nox ipſa intelligatur, quam lux terminat?*

Indicat ergo Matthæus, quòd mulieres hæ nocte parauerint vnguenta, ſed oriente diluculo venerint ad ſepulchrum, vt habet Lucas, Ioannes & Marcus. Dices, Ioannes addit eas veniſſe *manè cùm adhuc tenebræ eſſent.* Reſp. Id quoque verum eſt quia erat aurora ſiue diluculum quando necdum ſole, ſed radijs eius ad montes vel nubes reflexis apparentibus, adhuc aliquæ in aëre reſtant tenebræ. Aurora enim eſt confinium lucis tenebrarum; aut certè tenebræ erant dum domo egreſſæ ſunt, lux autem & ſol ortus, vt habet Marcus, cùm venerunt ad monumentum. Ita Dionyſ. Alexandr. epiſt. ad Baſilidem.

*Sol citiùs oriens Chriſto reſurgente.*

Aliam cauſam, ſed ſymbolicam dat B. Petrus Chryſol. ſerm. de Reſurrect. *Erant*, ait, *iuxta naturam tenebræ, & tamen dicitur orto ſole, quia eo die* (quo Chriſtus reſurrexit) *ſol quaſi Chriſti reſurgenti congratulans, antelucanus fuit, & priùs ſolito exortus eſt.* Ita ipſe penes quem huius rei fides ſit. Fauet Chryſologo Remigius dicens: *Prædicatur noctis illius dignitas: alioqui enim veſpera non luceſcit in diē, ſed obtenebreſcit in noctem: ſed Dominus noctem illam totam luce ſuæ reſurrectionis feſtiuam & coruſcam reddidit.*

*Sabbata id eſt ſabbatum.*

Sabbati] Græcè eſt, σαββάτων, id eſt ſabbatorum, hoc eſt ſabbati, vt vertit Noſter, Syrus, Vatabl. & alij, imò ſic habet Euangelium Hebrēū Matthæi, quod circumfertur ſcilicet שַׁבָּת *ſabbat*, id eſt ſabbati. Nam *ſabbatum* in Scriptura ſæpè vocatur *ſabbata* in plurali, tum quia ſabbatum, crebrò & pluries per ſingulos annos & menſes recurrebat, erantque plura ſabbata, ſcilicet quolibet menſe quatuor, quolibet anno 52. quæq; enim hebdomada ſuum habebat ſabbatum: tum quia in ſabbato multa erant ſabbata, id eſt quietes multæ; quieſcendum enim erat ab omni omnino opere. Sanctiſſimum enim erat feſtum ſabbati. Sic Lucas Actor. c. 13. v. 14. ait: *Ingreſſi ſynagogam die ſabbatorum*, id eſt die ſabbati. Et c. 16. v. 13. *Die autem ſabbatorum* (id eſt die ſabbati) *egreſſi ſumus.* Hinc & omnes quatuor Euangeliſtę hoc loco in Græco v. 1. vel 2. ſabbatum vocant *ſabbata* in plurali, quod aliàs vocatur σάββατον in ſingulari, per ο, non per ω, vti nonnulli putarunt. Adde tertiam rationem huic loco propriam, nimirum ſabbatum hoc vocari *ſabbata* in plurali, quia magnus hic erat dies ſabbati, vt ait Ioannes c. 19. v. 31. tum quia erat hoc ſabbatum paſchale, ſiue incidens in hebdomadam Paſchæ, quæ tota erat feſta: tum quia hoc ſabbato Chriſtus Dominus requieuit in ſepulchro, ac eo exacto reſurrexit.

Qvæ lvceſcit] Dices, Cur dicit *quæ*? dicendum enim erat *qui*, ſcilicet veſper, vt præceſſit. Reſp. Dicit *quæ*, quia reſpicit non ad nomen ſignificans, ſed ad rem nomine ſignificatam. Græcum enim ὄψε, id eſt veſpere, ſerò, tardè, ſignificat veſperam ſiue noctem, quæ terminatur & luceſcit in aurora ſequentis diei Dominicæ: alioqui præcisè loquendo τὸ ὄψε, ſicut & τὸ *veſpere*, non eſt nomen, ſed aduerbium; quod tamen in ſe includit & ſignificat nomen, ſcilicet veſperam & noctem, ad quam refertur pronomen *quæ*. Rurſum τὸ *veſpere* poteſt accipi vt nomen, quod nō tantùm maſculini eſt generis, ſed & feminini, vt patet ex illo Virgilij 1. Georg.

*Illic ſera rubens accendit lumina veſper.*

ita Ambroſ. Calepinus; licet alij τὸ *ſera* referant ad *lumina*. Ergo τὸ *quæ* refert veſperam, id eſt veſperam ſiue noctem, quæ luceſcit, id eſt, deſinit in lucem ſequentis diei.

Hinc liquet has mulieres veniſſe ad ſepulchrum in aurora & diluculo: ad hoc enim vrgebat eas tum amor Chriſti, vt ad eum feſtinarent & diem præuenirent; tùm timor Iudæorum, ne, ſi clarâ luce veniſſent, à Iudæis Chriſto infenſis viſæ, malè ab eis fuiſſent acceptæ. Porrò directè Matthæus hîc narrat tantùm tempus aduentus mulierum ad ſepulchrum: indirectè tamen innuit quoque tempus quo Chriſtus reſurrexit; ſcilicet in aurora paulò ante aduentum mulierum, vti habet communis Doctorum & Eccleſiæ ſenſus, quem S. Hieron. & S. Aug. probant ex illo pſalm. 56. 9. *Exurgam diluculo*, & Euſeb. l. 10. Demonſtr. Euang. c. vlt. titulum pſalm. 21. *pro ſuſceptione matutinâ*: interpretatur de reſurrectione Chriſti, quæ manè eſt peracta.

*Chriſtus reſurrexit in aurora.*

Communis ergo ſententia eſt, Chriſtum poſt mediam noctem ante ſolis ortum die Dominicâ reſurrexiſſe: alioqui enim à mulieribus inuentus fuiſſet mortuus; idque ad hoc, vt, ſicut ante 33. annos eodem tempore erat natus ex B. Virgine, ita & iam renatus per reſurrectionem, notius iuſtitiæ Sol orbi illuceſceret. Vnde & olim Chriſtiani poſt mediam noctem in die Paſchæ, ſoluebant ieiunium & vigiliarum cœtum, ac magna lætitiæ ſigna edebant. ita Euthym.

Porrò non videtur Chriſtus ſtatim à mediâ nocte reſurrexiſſe. Nam Marcus c. 16. v. 9. preſſiùs ait Chriſtum manè reſurrexiſſe, idque plerique Patres docent, quos citat Suarez 3. p. diſp. 46. ſect. 2. imò Eccleſia in hymno Paſchali dum ita orditur: *Aurora lucis rutilat*, &c. *Cùm rex ille fortiſſimus, pede conculcans tartara*, &c. *Victor ſurgit de funere.*

In prima sabbati] Id eſt, die primâ poſt ſabbatum, id eſt, die Dominicâ. Hebræi enim à ſabbato, vtpote ſanctiſſimo, denominabant omnes hebdomadæ dies. Sic ſecunda ſabbati, id eſt poſt ſabbatum, erat feria ſecunda; tertia ſabbati, erat feria tertia, ſiue dies Martis, & ita de ceteris. Hinc tota hebdomada vocabatur quoque ſabbatum, vt *ieiuno bis in ſabbato*, id eſt in hebdomade, Lucæ 18. Sic hîc *prima ſabbati* accipi poteſt prima dies hebdomadæ, putà Dominica, de cuius veneratione & cultu ita ſcribit S. Auguſt. ſerm. 251. de Temp. *Dominicum diem Apoſtoli & Apoſtolici viri, ideò religioſa ſolemnitate habendum ſanxerunt, quia in eodem Redemptor noſter à mortuis reſurrexit. Qui ideo Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus vel mundi illecebris abſtinentes, tantùm diuinis cultibus ſeruiamus, dantes ſcilicet huic diei honorem & reuerentiam, propter ſpem reſurrectionis noſtræ, quam habemus in illa. Nam ſicut Dominus reſurrexit à mortuis, ita & nos reſurrecturos ſperamus*, &c. Item: *Dominicus*, inquit, *dies eſt primus dies ſæculi, in ipſo formata ſunt elementa mundi, in ipſo creati ſunt angeli.* Plura vide apud eumdem ſerm. 254.





Maria Magdalene, et altera Maria] ſcilicet vxor Cleophæ, & mater Iacobi. Hæ fuêre duces & anteſignanæ ceterarum, quæ Chriſtum comitari ſolebant: plures enim alias fuiſſe patet ex Lucâ c. 23. 55. & ſequ. vbi inter alias nominat Ioannam vxorem Chuſæ procuratoris Herodis, & Marcus addit Salomen. Porrò hiſce non aderat B. Virgo Deipara, quia certò ſciebat & exſpectabat Chriſtum eodem die reſurrecturum: vnde ſciebat vnctionem hanc fore fruſtraneam.

Moral. diſce hîc Chriſtum ſe, ſuamque gratiam & gloriam reuelare animabus illis, quæ ipſum bonis operibus orationis, pœnitentiæ, charitatis vngere ſatagunt, vt in iis illas animet & roboret. Vnde S. Gregorius hom. 21. *Illæ mulieres*, ait, *angelos vident, quæ cum aromatibus venerunt, quia videlicet illæ mentes ſupernos ciues aſpiciunt, quæ cum virtutum odoribus ad Dominum per ſancta deſideria proficiſcuntur.*

Videre (græcè θεωρῆσαι, id eſt ſpectare, contemplari) sepvlchrvm] vt ſcilicet Chriſtum vngerent, vti ait Marcus cap. 16. 2. ad hoc enim cum Chriſtus à Ioſepho ſepeliretur, ſpectarant & conſiderarant formam & modum, quo Chriſtus collocatus erat in ſepulchro, ſcilicet vt poſt ſabbatum redeuntes, poſſent commodè & decorè eum vngere. Quare veriſimile eſt, eas neſciuiſſe de cuſtodiâ militum à Iudæis adhibita ſepulchro, deque eius obſignatione, ſed antequam hæc duo fierēt, illas à ſepulchro domum rediiſſe. Nam ſi hæc duo ſciuiſſent, non auſæ fuiſſent venire ad ſepulchrum, ne in cuſtodes inciderent, multo minùs ſigillum effringere. Sed Deus ipſis inſciis ante earum aduentum, vtrumque hoc impedimentum amouit, vt patebit ex ſequent. Hinc diſce heroica opera ambire ad Dei gloriam, ac certo confidere quòd Deus obices omnes obſtantes vel tollet, vel ſuperare nos faciet.

Myſticè, Beda in cap. 24. Lucæ: *Per hoc*, inquit, *quòd mulieres valdè diluculo veniunt ad monumentum, datur nobis exemplum, diſcuſſis vitiorum tenebris, ad Domini corpus accedere. Nam & ſepulchrum hoc figuram Dominici habebat altaris, in quo corporis Chriſti myſteria non in ſerico, non in panno tincto, ſed inſtar ſindonis, quo eum Ioſeph inuoluit, in linteo puro debent conſecrari: vt ſicut ipſe veram terrenæ naturæ ſubſtantiam pro nobis morti obtulit, ita & nos in commemoratione ipſius, purum de terræ germine, candidumque, & multimodo quaſi mortificationis genere caſtigatum, altari linum imponamus. Aromata autem quæ mulieres deferunt, ſignificant odorem virtutum & orationum ſuauitatem, quibus altari appropinquare debemus.*

*Series paſſionis & reſurrectionis Chriſti.*

Nota. Hæc fuit ſeries reſurrectionis Chriſti. Primò, Chriſtus in paſſione fuit per 18. circiter horas. Nam feria quinta ad veſperam comedit agnum, lauit pedes, inſtituit Euchariſtiam, & prolixum habuit ſermonem de charitate Ioann. 13. & ſeq, ac tandem iuit in Getſemani: quæ omnia facilè exigunt tres horas. Quare ſub horam mortis tertiam in Getſemani cœpit contriſtari & orare, vt calix tranſiret à ſe. Inde ſi computes horas

ras omnes vſque ad horam tertiam pomeridianam feriæ ſextæ, qua mortuus eſt Chriſtus inuenies horas 18. vbi moraliter diſce quàm tempus paſſionis Chriſti & Chriſtianorum ſit breue, tempus verò reſurrectionis & gloriæ longum, quia æternum. Tam liberalis eſt Deus, tam modica eſt paſſio, tam longa merces & gloria. *Momentum eſt quod cruciat, æternum quod delectat.* Chriſtus per 18. horas paſſus eſt, ſed in æternum erit glorioſus.

Secundò, Chriſtus moriens hora tertia pomeridiana, illicò quoad animam deſcendit in infernum, corpus verò è cruce depoſitum fuit lotum & ſindone inuolutum, ita vt ante noctem (erat enim nox ſabbati, in qua quieſcendum erat Iudæis ab omni opere) ſepultus ſit. Quare fuit in inferno per 36. circiter horas (in ſepulchro verò 33.) tot enim ſunt ſi numeres tres horas reſiduas à tertiâ pomeridianâ, vſque ad noctem feriæ ſextæ, & horas 24. ſabbati, ac nouem noctis Dominicæ. Videtur enim Chriſtus reſurrexiſſe poſt mediam noctem ante auroram, putà ſub horam nonam noctis: nox enim erat tunc æqualis diei, putà 12. horarum, quia erat circa æquinoctium. Quare mirum eſt S. Auguſt. libr. 3. de Trinit. cap. 6. à morte Chriſti vſque ad eius reſurrectionem numerare 40. horas, à ſepulturâ verò vſque ad reſurrectionem 36.

Tertiò, Chriſtus illicò vt comparuit in inferno, putà in limbo, Adæ, Abrahæ, ceteriſque patribus & Prophetis, oſtendit non tantùm animam ſuam ſed & deitatem ei coniunctam: quare eos viſione diuinitatis ſuæ beauit: tunc ergo infernus erat quaſi cælum. Vnde Chriſtus ait latroni ituro ad Chriſtum in limbo: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Quartò, ſub horam nonam noctis Dominicæ Chriſtus cum patribus egreſſus ex inferno, venit ad ſepulchrum, ibique eis oſtendit corpus ſuum totum deſiguratum, liuidum, cruentum, diſciſſum, &c. pro ipſis, ac mox purgans hoc corpus ab omni liuore, ſanguine, vnguento, &c. rurſumque mittens angelos (licet nonnulli opinentur hæc omnia facta eſſe, non per angelos ſed per ipſam animam Chriſti, quæ hanc vim habuit ex vnione hypoſtaticâ cum Verbo: ita Suarez 3. part. 1. diſp. 45. ſect. 2.) qui ſanguinem ſuum in flagellatione, & per iter ſparſum, item pilos vulſos, &c. colligerent; eum collectum rurſum indidit venis corporis, ac illud anima Chriſti glorioſa introiens ſibique vniens animauit, viuificauit & glorificauit. Gloriam enim ſuam quaſi ſol per radios in illud transfudit, præſertim in quinque plagas, quæ clariùs ceteris membris reſplenduerunt.

Quintò, multis è Patribus, vt Abrahæ, Iſaac, Iacob, Moſi, Dauidi, &c. ſuum corpus reſtituit, vt eos participes faceret ſuæ reſurrectionis & gloriæ, eiuſque teſtes apud Iudæos, vt patet Matth. 27. 53.

Sextò, Chriſtus reſurrexit penetrans lapidem tegentem ſepulchrum. Mox deſcendit angelus terræ motum excitans, lapidemque à ſepulchro remouens, vt cuſtodes excitaret, & mulieribus aditum ad ſepulchrum pateſaceret.

Septimò, mox apparuit glorioſus B. Virgini matri ſuæ eiq; oſtendit Patriarchas, qui iam reſurrexerant, qui omnes eam honorificè ſalutantes miro repleuerunt gaudio. Deinde apparuit S. Magdalenæ perſeueranti apud ſepulchrum, &c.

Tropologicè, diſce hîc, quàm religioſè ſepulchra & reliquias Chriſti, Martyrum, aliorumque Sanctorum venerari, ornare & colere debeamus. Cauſas quatuor punctim aſſignat S. Ambroſ. ſerm. de SS. Nazario & Celſo: *Honoro*, inquit, *in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices. Honoro viuentis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres. Honoro in cineribus ſemina æternitatis. Non ſunt contemnenda,* ait S. Auguſtinus, *corpora iuſtorum, quibus tamquam organis & vaſis ad omnia opera bona ſanctus vſus eſt Spiritus.* Vide S. Chryſoſt. hom. vlt. in epiſt. ad Romanos in Morali.

*Vers. 2. Terræ motus. Cauſa. Prima.*

ET ECCE TERRÆ MOTVS FACTVS EST MAGNVS. ANGELVS ENIM DOMINI DESCENDIT DE CÆLO: ET ACCEDENS REVOLVIT LAPIDEM, ET SEDEBAT SVPER EVM] *Terræ motus.* Cur? Reſp. Primò, vt eo ſignificaretur potentia, gloria & magnificentia Chriſti reſurgentis, quaſi Dei, qui nutu concutit orbem, dominantis inferis, cælo & terræ. Terræ motu enim Deus in Sina & alibi ſuam præſentiam & potentiam oſtẽdit; iuxta illud: *A facie Domini mota eſt terra*; pſal. 113. 7. Et: *Deus cùm egredereris in conſpectu populi, cùm pertranſires in deſerto, terra mota eſt*, pſalm. 67. verſ. 8.

*Secunda.*

Secundò, vt mulieres angelum non tantùm ex ſuâ auguſtâ luce & ſpecie, ſed ex hoc terræ motu agnoſcerent, faciliuſque reſurrectionem Chriſti ab angelo nunciatam crederent; præſertim quia hoc terræ motu angelus reuoluit lapidem ab oſtio ſepulchri, vt mulieres illud ingrederentur, ac vacuum ſepulchrum cernentes Chriſtum reſurrexiſſe ſcirent. Ita S. Chryſoſt. Auguſt. Theophyl. & alij.

*Tertia.*

Tertiò, vt milites ſepulchri cuſtodes nocturno frigore torpentes, vel dormientes excitarentur, ac teſtes eſſent Chriſtum diuinâ virtute reſurrexiſſe, *vt timore terræ motus erecti*, ait Euthym. *& horrore eius qui lapidem reuoluerat, conſternati fugerent, & hæc Iudæis nunciarent, ac teſtes ipſi fierent veritatis.*

*Symbolicè.*

Symbolicè, terra, quæ in Chriſti morte præ horrore contremuit, in eius reſurrectione præ gaudio quaſi ſubſilijt, ac reſurgenti congratulata applauſit. Sic in S. Paulini Nolani Epiſcopi & aliorum Sanctorum felici morte & tranſitu in cælum, legimus terram concuſſam exilijſſe, *Magnus* adeò, *vt cuncta concuteret, & euerſionem terræ funditus minaretur*, ait S. Hieron. Sic in morte Chriſti tota terra contremuit, vti dixi cap. 27. verſ. 51.

ANGELVS ENIM DOMINI] τὸ *enim* ſignificat terræ motum qui præceſſit, factum per angelum, ac cum eo reuolutum fuiſſe lapidem. Franciſcus Lucas & alij cenſent hunc angelum fuiſſe Gabrielem; qui iuxta nomen ſuum adminiſter eſt fortitudinis Dei, ac eius opera exequitur. *Gabriel* enim idem eſt quod fortitudo Dei. Non dubium eſt plures illi angelos adfuiſſe, & per triduum cuſtodijſſe ſepulchrum, ac in eo adoraſſe ſacrum Chriſti corpus, vtpote deitati hypoſtaticè vnitum. Sic naſcente Chriſto, cum angelo nunciante paſtoribus Chriſti ortum, *facta eſt multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium,*



*Gloria in excelſis Deo*, Lucæ 2. 13. Sicut enim ibi Chriſtus ex Virgine natus, ita hîc è ſepulchro reſurgens vi Spiritus ſancti renatus eſt, & quaſi regeneratus.

*Angelus vt iuuenis apparuit: cur? Cauſa Prima.*

Porrò angelus hic apparuit ſpecie iuuenis, vt ait Marcus, Primò, quia iuuentus ſignificat angelorum vigorem, decorem & robur iuge & perennans: quo fit vt numquam laſſeſcant, vel deficiant aut ſeneſcant, ſed ſemper vegeti, viuaces, celeres & agiles perdurent. Hinc pinguntur quaſi iuuenes alati. Ita S. Dionyſ. de Cæleſt. hier.

*Secunda.*

Secundò, quia angelus hic repræſentabat Chriſtum, qui erat iuuenis: mortuus enim eſt & reſurrexit anno ætatis 34.

*Tertia.*

Tertiò, iuuentus ſignificat eum eſſe validum & bellicoſum, vt contra cuſtodes dimicet. Iuuenes enim ſunt optimi, audaciſſimi, expeditiſſimi & robuſtiſſimi milites. Vnde poëta.

Ἔργα ἀνδρῶν, πολεμοί τε νέων, βουλαί τε γερόντων,
id eſt, *Opera ſunt virorum, bella iuuenum, conſilia verò ſenum.*

Denique iuuentus repræſentat pulchritudinem, viuacitatem, immortalitatem, agilitatem, gloriam corporis glorioſi, quod Chriſtus in reſurrectione aſſumpſit.

ET ACCEDENS REVOLVIT LAPIDEM] ſepulchri Chriſti, non vt Chriſtus ex eo reſurgeret: Chriſtus enim iam antè clauſo ſepulchro illud vi diuinâ per dotem ſubtilitatis penetrando, reſurrexerat; ſed vt Chriſtum Deum ac Dominum ſuum iam reſurrexiſſe mulieribus oſtẽderet, dum eis pandens aditum ad ſepulchrum, illud corpore Chriſti vacuum monſtrauit: Chriſtus enim ſicut ex clauſo Virginis vtero natus eſt, ſic & è clauſo ſepulchro reſurrexit.

Audi S. Auguſtinum ſerm. 138. de Temp. *Iudæi perfidi*, inquit, *monumenti lapidem ſignauerant, vt non haberet Chriſtus egreſſum: ſed quomodo de ſepulchro exire non poſſet, qui ex incorruptis matris viſceribus ſaluâ virginitate proceſſit? Fefellit cuſtodes, exiliuit de ſepulchro, apparuit diſcipulis ianuis non apertis: inde clauſus exijt, huc excluſus intrauit.* Sic & Euthymius, Chryſoſt. Theophyl. hîc, ac S. Hieron. ad Hedibiam q. 6. Nyſſen. orat. 2. de Reſurr. Iuſtin. q. 117. ad Orthodoxos, S. Epiphanius orat, de ſepultura Chriſti, Chryſologus ſerm. 75. Nazianz. tragœdiâ de Chriſto patiente, & alij paſſim. Quare quod S. Leo epiſt. 83. ad Monachos Palæſtinos ait Chriſtum *reuoluto lapide* die tertio ſurrexiſſe, τὸ *reuoluto lapide* non cauſam, ſed ſignum, effectum & argumentum non phantaſticæ, ſed veræ reſurrectionis Chriſti ſignificat. Agit enim contra eos, qui Chriſtum phantaſma; ac omnia opera eius phantaſtica fuiſſe dicebant, vti ipſe ſe in ſequenti explicat.

*Hinc contra Caluinum Chriſtum ſub parua hoſtia contineri euincitur.*

Hinc collige contra Caluinum noſtroſque Nouantes, ſimili Dei omnipotentiâ poſſe totum Chriſtum in Euchariſtia contineri ſub parua hoſtia. Si enim Chriſtus penetrando lapidem ſepulchri potuit eſſe in eodem loco cum lapide: ergo & in eâdem hoſtiâ poſſunt ſimul eſſe magna & plura membra Chriſti. Caluiniſtæ, vt hoc telum effugiant, reſpondent lapidem ſepulchri inſtar ceræ mollefactum defluxiſſe, itaque Chriſto reſurgenti locum aperuiſſe & ceſſiſſe. Verùm ridiculum hoc eſt eorum figmentum, ac communi Patrum, Doctorum & Eccleſiæ ſenſui, quòd Chriſtus è clauſo ſepulchro reſurrexerit, ex diametro repugnans. Adde, ſi Deus poteſt lapidem durum in mollem ceram vertere, cur non poteſt & corpori ſpiritualem exiſtendi, & lapidem penetrandi modum tribuere?

*Vnus ſepulchri lapis, non duo.*

LAPIDEM] Putant aliqui duplicem fuiſſe ſepulchri lapidem, primum exteriorem, qui exterius ſepulchri oſtium clauderet; alterum interiorem, qui propriè ipſum ſepulchrum obturaret. Sepulchrum enim Chriſti erat in crypta quaſi in camera ſiue cubiculo, ita vt camera ſuum haberet oſtium, & ſepulchrum quoque ſuum. Ita S. Auguſt. libr. 3. de Conſenſu Euang. cap. 24. Beda Borchardus, & Maldonatus. Verùm Euangeliſtæ non niſi vnius lapidis meminerunt, ſcilicet eius qui exterius cryptæ oſtium claudebat; interius enim ſepulchrum à parte Auſtrali patens erat, ideoque oſtio & lapide carebat, vti liquet ex eius idea. licet Borchard. in Deſcript. terræ ſanctæ contrarium cenſeat; ſcilicet lapidem hunc clauſiſſe ipſum ſepulchrum interius, non cameram exteriorem. Verè Chryſolog. ſerm. 74. *Lapis*, inquit, *aduolutus probauit mortem, reuolutus extitit reſurrectionis aſſertor.* Et Seuerianus in Catena: *Non dicit, Voluit, ſed, Reuoluit lapidem quia lapis aduolutus probauit mortem, & reuolutus extitit reſurrectionis aſſertor. Mutatur hîc ordo rerum. Sepulchrum mortem, non mortuum deuorat: domus mortis manſio fit vitalis, vteri noua forma mortuum recipit, reddit viuum.*

Huius rei typus fuit Samſon, qui ingreſſus Gazam, obſeſſus à Philiſtæis cuſtodientibus portam, mediâ nocte ſurrexit, portaſque abſtulit in montis verticem: quia, vt explicat S. Gregor. homil. 21. *Redemptor noſter ante lucem reſurgens, non ſolùm liber de inferno exijt, ſed & ipſa inferni clauſtra deſtruxit: portas tulit, & montis verticem ſubijt, quia reſurgendo clauſtra inferni abſtulit, & aſcendendo cælorum regna penetrauit.*

*Sedit angelus quatuor de cauſis.*

ET SEDEBAT SVPER EVM] non quaſi feſſus ex labore amouendi lapidem à ſepulchro, ſed vt oſtenderet, Primò, ſe eſſe qui lapidem reuoluiſſet: Secundò, vt mulieres aduentantes placidè exciperet, & contra cuſtodes tueretur: Tertiò, *vt eſſet cuſtos ſepulchri Dominici*, ait S. Hieron. ne quis videns illud vacuum, aliud cadauer in illud inferret, itaque diceret Chriſtum non reſurrexiſſe. Quartò, vt milites cuſtodes terreret. q. d. Vos armati ad ſepulchrum vigilatis, vt illud, & Chriſtum in eo quaſi clauſum, ne reſurgere queat, cuſtodiatis: en ego cælitus miſſus illud reſeraui, ac Chriſtum ex eo clauſo vobis inuitis reſurrexiſſe oſtendi. Accedite ad me, ſi audetis, & in me inſurgite, ego ſedens & ſecurus vos exſpecto, voſque omnes, ſi accedatis, leui attactu proſternam, & quaſi pulices conficiam.

Symbolicas ſeſſionis angeli cauſas dat hîc S. Thom. *Sedebat*, inquit, *cui nulla inerat laſſitudo, vt fidei doctor, vt reſurrectionis magiſter: ſedebat ſupra petram, vt ſoliditas ſedentis daret credentibus firmitatem: ponebat angelus ſuper petram fundamenta fidei, ſuper quam Chriſtus erat Eccleſiam fundaturus. Vel per lapidem monumenti poteſt deſignari mors, qua omnes premebantur: per hoc ergo quòd angelus ſuper lapidem ſedit, ſignificatur, quòd Chriſtus mortem ſuâ virtute ſubiecit.* Audi & Bedam: *Sedebat, vt ſedendo ſignificaret eum ſeparato mortis auctore ſedem regni iam conſcendiſſe perpetui: ſedebat autem ſuper lapidem reuolutum, quo oſtium monumenti claudebatur.*

*tur, vt clauſtra inferorum ipſum ſuâ virtute deieciſſe doceret.*

*Antilogia prima.*

Dices, Quomodo Matthæus & Marcus aiunt angelum ſediſſe, cùm Lucas dicat eum ſtetiſſe? Reſp. Stare, per hebraiſmum competit cuilibet ſitui; tantùm enim ſignificat rem eſſe præſentem, ſiue recta conſiſtat, ſiue ſedeat, ſiue iaceat. Sic de Magdalenâ iacente ad pedes Chriſti, eoſque lauante & vngente, ait Lucas c. 7. 37. *Stans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſuis tergebat; ſtans*, id eſt, iacens. Adde, aliam eſſe narrationem Matthæi & Marci narratione Lucæ, vti mox dicam.

*Secunda.*

Dices Secundò, Quomodo Matthæus ait angelum ſediſſe ſuper lapidem reuolutum, id eſt, extra ſepulchrum, ibique viſum à cuſtodibus, cùm Marcus dicat mulieres non extra, ſed introeuntes in monumentum, id eſt, intra ſepulchrum vidiſſe angelum. Reſp. Angelum primò remouiſſe lapidem, qui oſtium cryptæ, in qua erat ſepulchrum, claudebat exteriùs, & tum intuitum cuſtodes, qui erant exteriùs, eos exterruiſſe, & in fugam compuliſſe, ne ipſi arcerent feminas ab aditu ſepulchri; deinde ingreſſum eſſe ipſum ſepulchrum, ibique viſum à mulieribus, vt eis oſtenderet ſepulchrum vacuum, ideoque Chriſtum reſurrexiſſe. Vnde ait: *Surrexit ſicut dixit: Venite & videte locum vbi poſitus erat Dominus.* Ita Theophyl. Aut potiùs alius fuit angelus, de quo Matthæus, ab angelo de quo Marcus. Angelus enim Matthæi ſedebat ſuper lapidem extra ſepulchrum; ac mulieres iuſſit ingredi ſepulchrum. Ingreſſæ ergo illæ ſepulchrum, viderunt ibidem alium angelum, de quo Marcus qui idem prorſus dixit & confirmauit, quod prior angelus Matthæi dixerat extra ſepulchrum. Ita Barradius.

Verùm dico, idem prorſus dici à Marco cum eo quod dicit Matth. Solet enim Marcus Matthæi eſſe aſſecla & interpres. Quare quod Marcus ait, *Introëuntes in monumentum*, ſic accipe, q. d. Cùm pararent vel inciperent ingredi monumentum: necdum enim illud ingreſſæ erant, ſed adhuc extra illud erant, ibique viderunt & audierunt angelum, vt habet Matthæus. *Introire* enim hîc, vt & alibi ſignificat actum inchoatum, non perfectum. Si velis ſignificare actum perfectum; dicito cum S. Auguſtino l. 3. de Conſenſu Euangel. cap. 24. & Franc. Luca, mulieres introiſſe in monumentum, id eſt, in veſtibulum vel ſeptum quod erat ante monumentum, quodque illud diuidebat & ſeparabat à reliquo horto; ab eo enim decebat ſepulchrum ſepe vel ſepto quopiam ſeiungi. Porrò quod Lucas c. 23. ait, mulieres in monumento vidiſſe & audiſſe duos angelos, alia & diuerſa eſt narratio ab hâc narratione Matthæi & Marci, de quâ inferiùs ſuo loco & ordine dicam.

*VERS. 3. Angelus vt fulgur. Cur? Cauſa Prima.*

ERAT AVTEM ASPECTVS EIVS SICVT FVLGVR, ET VESTIMENTVM EIVS SICVT NIX] *Sicut fulgur.* Cur? Reſp. Primò, quia fulgur affine eſt, & optimè repræſentat naturam & dotes angelorum. Fulgur enim eſt ſplendidiſſimum, celerrimum, efficaciſſimum, & pluſquam igneum omnia peruadit & ſternit. Hâc de cauſâ de Cherubinis Dei currum triumphalem ſtipantibus dicitur Ezech. 1. v. 14. *Ibant & reuertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.* Et pſalm. 102. quem citat Paulus Hebr. 1. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros flammam ignis.*

*Secunda.*

Secundò, fulgur ſignificat gloriam angelorum, quæ diuinæ cognitionis fulgure coruſcat: fulguri enim natura quaſi eſt ſpiritualis & cæleſtis origo, æquè ac angelis, tam quoad naturam, quàm quoad gratiam & gloriam. Rurſum fulgur ſignificat gloriam Chriſti reſurgentis; corpus enim Chriſti glorioſum radiabat vt fulgur. Angeli enim cùm apparent, eâ ſpecie apparent, quæ conuenit rei propter quam apparent. Cùm ergo hic angelus appareat vt repræſentet reſurrectionem glorioſam Chriſti, hinc facies eius fulgurabat. Fulgur enim eſt fulgidiſſimum, fortiſſimum, ſubtiliſſimum & agillimum. Vnde optimè repræſentat quatuor dotes corporis glorioſi, tam Chriſti quàm Beatorum; ſcilicet claritatem, impaſſibilitatem, ſubtilitatem & agilitatem. Per reſurrectionem enim Chriſti *infirmitas*, ait S. Leo ſerm. de Aſcenſ. *in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſiuit in gloriam.*

*Fulgur repræſentat quatuor dotes corporis glorioſi.*

*Tertia. Item zelū, terrorem & iram angeli.*

Tertiò, & magis appoſitè, fulgur repræſentat zelum, terrorem & iram angeli, contra impios Iudæos & milites cuſtodes ſepulchri, volentes impedire Chriſti reſurrectionem: fulgur enim eſt ſymbolum belli acris & celeris, ac bellatorum acrium & ardentium. Fulgur enim iungitur cum tonitru, ex eoque quaſi flamma erumpit. Vnde fulgur dicitur filius tonitrui. Gabriel ergo hîc inducitur vt Mars quidam fulgurans & fulminans, ac ſuo robore quaſi fulmine omnia penetrans, diſijciens, afflans, incinerans, vt cuſtodes percellat. Vnde ijs ſolis apparuit ita effulgurans, vt in eos videretur velle inſilire: mulieribus verò fulgur hoc attemperauit, ac vultum glorioſum quidem, ſed blandum & iucundum oſtendit. Beati enim apparent ſingulis eâ ſpecie & formâ, quâ ipſi volunt: quare mulieribus apparuit dumtaxat candidatus, ſcilicet indutus ſtola candida, vt habet Marcus c. 16. 3. Sic idem Gabriel Danieli cap. 10. 5. repræſentans robur & victorias Machabæorum contra Antiochum Epiphanem, apparuit fulgurans: *Facies eius*, inquit, *velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens.* Audi S. Gregor. homil. 21. in Euangel. *In fulgure etenim terror timoris eſt, in niue autem blandimentum candoris. quia verò omnipotens Deus & terribilis peccatoribus, & blandus eſt iuſtis, rectè teſtis reſurrectionis eius angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonſtratur, vt de ipſa ſua ſpecie terreret reprobos & mulceret pios. Vnde rectè quoque populum per deſerta gradientem, columna ignis in nocte & columna nubis præibat in die. In igne enim terror eſt, in nube autem viſionis lene blandimentum: dies verò vita iuſti, & nox accipitur vita peccatoris.*

*Prædicatores ſint ſicut fulgura & tonitrua.*

Tropologicè, ſancti & angelici prædicatores ſint ſicut tonitrua & fulgura, quæ peccatorum vitia tonando & fulminando conterant, afflent & perdant. Sic de S. Baſilio ait S. Gregor. Nazianz. in eius funere: *Tonitru tuus*, ô Baſili, *erat ſermo, at vita fulgur.* Sic Ioannes & Iacobus à Chriſto vocantur Boanerges Marci 3. 17. id eſt, filij tonitrui, hoc eſt tonantes & fulminantes contra impietatem & impios. Plura hâc de re dixi Apoc. 4. v. 5.

Anagogicè, fulgur repræſentat ignem gehennæ; paratum impijs Iudæis & cuſtodibus Chriſti



ſti hoſtibus: quia fulgura ſunt ſulphurea, olentque ignem & ſulphur; gehenna autem ardet igne & ſulphure, Apocal. 20. v. 9. Iſaiæ 30. v. 33. Hinc & Sibylla prædixit Antichriſtum ab angelo occidendum & afflandum fulmine, vti dixi Apocal. 19. 11.

*Candoris ſymbola.*

ET VESTIMENTVM EIVS SICVT NIX] purum & candidum. Vnde Marcus illud vocat *ſtolam candidam*, Lucas *veſtem fulgentem.* Candor hic & fulgor ſignificat Primò, puritatem, innocentiam & caſtitatem angelorum: Secundò, gaudium & gloriam reſurrectionis Chriſti, ac præſertim dotem claritatis. Audi S. Gregorium homil. 21. in Euang. *Qui ſtola candida coopertus apparuit, quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nuntiauit. Candor etenim veſtis ſplendorem noſtræ denunciat ſolemnitatis. Noſtræ dicamus, an ſuæ? ſed vt fateamur veriùs & ſuæ dicamus & noſtræ. Illa quippe Redemptoris noſtri reſurrectio & noſtra feſtiuitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit: & angelorum feſtiuitas exſtitit, quia nos reuocando ad cæleſtia eorum numerum impleuit. In ſua ergo ac noſtra feſtiuitate angelus in albis veſtibus apparuit, quia dum nos per reſurrectionem Dominicam ad ſuperna reducimur, cæleſtis patriæ damna raparantur.* Vide dicta Eccleſiaſt. 9. 8. ad illa: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida.*

*VERS. 4. Cuſtodes ſepulchri ab angelis exterriti.*

PRÆ TIMORE AVTEM EIVS EXTERRITI SVNT CVSTODES, ET FACTI SVNT VELVT MORTVI] id eſt, attoniti *& ſtupefacti inſtar mortuorum*, ait S. Hier. quia fulminantem angelum ſibi necis fulmen minitantem, & quaſi euibrantem cernebant. Timebant enim ne ab eo quaſi à fulmine afflarentur, necarentur & in cineres redigerentur. Si angelus ſolo vultu fulgureo intuendo cuſtodes, adeò eos perculit & ſtupefecit, quid feciſſet ſi manus in eos inieciſſet, ſuumque robur exeruiſſet? Nam vnus angelus hâc ratione occidit vnâ nocte 185. millia militum in caſtris Sennacherib, Iſaiæ 37. v. 36.

*VERS. 5. Mar. 16. 6.*

RESPONDENS AVTEM ANGELVS DIXIT MVLIERIBVS: NOLITE TIMERE VOS] Dices, quomodo Matthæus & Marcus vnum dumtaxat angelum à feminis viſum dicunt, cùm Lucas duos viſos aſſerat, qui mulieres conſternatas alijs verbis quàm ijs quæ habet Matthæus & Marcus, conſolati ſint? Reſp. aliam eſſe hiſtoriam & narrationem Lucæ ab hâc Matthæi, ac poſteriùs contigiſſe, vti inferiùs oſtendam.

MVLIERIBVS] ſcilicet Magdalenæ, Mariæ Iacobi, Ioannæ, & ceteris, vt habet Lucas c. 24. 10. Falluntur igitur qui putant, Magdalenam viſo ſepulchro vacuo illico recurriſſe ad Apoſtolos, vt eis hoc nunciaret, nec vidiſſe angelos, ſed eos dumtaxat viſos fuiſſe à Maria Iacobi & ceteris. Ioannes ergo c. 20. 1. dum ſolam Magdalenam nominat, eamq; ad Apoſtolos recurriſſe narrat, ſub ea ceteras omnes ſocias intelligit. Magdalena enim erat dux & choraga omnium. Eua cum diabolo colloquens incurrit mortem, hæ verò cum angelo colloquentes inuenerunt vitam. Audi Seuerianum in catena: *Surgente Domino terrenis redditur cæleſte conſortium, & mulieri cui fuerat cum diabolo lethale conſilium, fit cum angelo vitale colloquium.* Euam imitantur magæ & ſagæ, quæ cum diabolo colloquentes hauriunt mortem: Magdalenam verò imitantur pœnitentes, quæ angelos inuocãtes vitam nanciſcuntur.

NOLITE TIMERE VOS] τὸ *vos* habet emphaſin: Cùm ait *Vos*, inquit S. Chryſoſt. *multum id præ ſe fert honoris, & ſimul declarat eos, qui ſumma audacia facinus illud auſi fuerant patrare, niſi reſipuerint extrema paſſuros eſſe. Non enim veſtrum eſt, inquit, metuere, ſed illorum qui crucifixerunt.* Et S. Gregorius homil. 21. in Euang. *Paueant illi*, inquit, *qui non amant aduentum ſupernorum ciuium: pertimeſcant qui carnalibus deſiderijs preſſi, ad eorum ſe ſocietatem pertingere poſſe deſperant. Vos autem cur pertimeſcitis, quæ veſtros conciues videtis?*

SCIO ENIM QVÒD IESVM, QVI CRVCIFIXVS EST, QVÆRITIS] τὸ *enim* dat cauſam, cur angelo viſo non debeant timere, ſed exhilari & gaudere, quia ſcilicet vtrique amant & colunt Ieſum crucifixum, eique famulantur & ſeruiunt, q. d. angelus: *Ad illius obſequium veni, ad cuius vos venitis, & vnum Dominum habemus, & vnam voluntatem*, ait Chriſtianus Druthmarus, qui ante ſeptingentos annos ſcripſit in Matthæum, ſub annum Domini 850. ac Rabano, Angelomo, Simeoni Metaphraſti & Haymoni fuit coæuus.

Nominat *crucifixum*; tum vt oſtendat ſe non erubeſcere, ſed palàm profiteri crucem & crucifixum, ſeque eius eſſe ſeruum, eò quòd crux Chriſto eiuſque aſſeclis ſummo ſit honori & gloriæ, tum vt ſignificet fructum crucis Chriſti ſcilicet quòd ipſa *caput & ſumma* ſit *bonorum*, ait S. Chryſoſtomus, quodque per crucem Chriſtus non ſolas feminas, ceteroſque homines redemerit, ſed & angelos exhilararit, imò eis gratiam & gloriam contulerit, vti cenſent grauiores Theologi cum Franciſco Suarez, ſicut oſtendi cap. 18. verſ. 12. & 13. Denique quòd per crucem angelos hominibus, & cælum terræ reconciliarit, *pacificans per ſanguinem crucis, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt*, ait Paulus Coloſſ. 1. 20.

*VERS. 6. Mar. 16. 6.*

NON EST HIC: SVRREXIT ENIM, SICVT DIXIT: VENITE, ET VIDETE LOCVM, VBI POSITVS ERAT DOMINVS] Syrus, *Dominus noſter. Non eſt hîc per præſentiam carnis*, ait S. Gregor. *qui tamen nuſquam deerat per præſentiam maieſtatis.*

SVRREXIT ENIM] Græcè ἠγέρθη, id eſt, euigilauit, excitatus, expergefactus eſt à morte, quaſi è breui leuique ſomno, ad vigiliam lucis & vitæ: ἐγείρω enim eſt excito, expergefacio, ſuſcito, erigo. Chriſto enim mors fuit inſtar ſomni, in ſepulchro enim per 36. horas quaſi dormiuit, mox manè diei Dominicæ quaſi expergefactus ſurrexit. Sic fiet & nobis. Quare ſicut ſomnus eſt breuis quædam mors, ſic & mors eſt longior quidã ſomnus. Vnde Poëta:

*Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?*

Hinc Paulus 1. Corinth. 15. vita functos non vocat mortuos ſed *dormientes*, quia ſcilicet ex ſomno mortis omnes ſuſcitabimur, & reſurgemus ad vitam in die iudicij.

Rurſum ἠγέρθη, id eſt, euigilauit ſicut arbores in hieme quaſi nudatæ & dormientes, euigilant in vere, cùm frondere, florere & fructus producere incipiunt. Ita S. Hieron. vel quiſquis eſt auctor, in Marci c. 16. *Radix*, ait, *amara crucis euanuit: flos enim vitæ cum fructibus erupit, id eſt, qui iacuit in morte, ſurrexit in gloria*; ac in eadem fideles ſuos reſurgere faciet. Quare, vt ait S. Leo ſerm. 1. de Aſcenſ. *Quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis.* Ipſe enim *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, Philip. 3. 21.

*Semi-*

*Seminatur enim corpus in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale,* 1. Cor. 15. v. 42. Hoc ſibi iugiter propoſuerunt omnes Martyres & Sancti, ideoque hâc ſpe roborati quoſlibet labores, ærumnas, cruces generosè ſuperarunt, quorum primitiæ fuêre Machabæi, lege eorum geſta & dicta. 2. Machab. 7. nimirum *ſpes Chriſtianorum eſt reſurrectio mortuorum,* ait Tertull. lib. de Reſurrect. Et S. Aug. ſerm. 3. de Aſcenſ. *Nos,* ait, *mors Chriſti viuificauit, nos reſurrectio erexit, nos aſcenſio conſecrauit.*

Sicvt dixit ] Vrget angelus oraculum & promiſſum Chriſti. q. d. Chriſtus quem omnes habuiſtis vt ſanctum & diuinum Prophetam, prædixit & promiſit ſe à morte die tertiâ ſurrecturum. Ergo credite eum ſurrexiſſe: nec enim tantus Propheta mentiri potuit aut voluit, præſertim cùm iam videatis corpus è ſepulchro abijſſe & ſurrexiſſe, vti ego qui ſum angelus Dei viui & veri, anuntio & certiſſimè aſſeuero. Idem prædixit ipſe per Dauidem pſal. 15. dicens: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* quia, vt ait S. Petrus Actor. 2. 24. *Impoſſibile erat teneri illum ab eo* (inferno.)

Porrò Chriſtus priùs reſurrexit quàm vngeretur à mulieribus, vt oſtenderet ſe eâ vnctione non egere, vtpote qui propriâ virtute reſurgeret. Aliam cauſam moralem dat S. Bern. ſerm. 12. in Cant. quòd mallet huius vnctionis pretium pauperibus quàm ſibi attribuere. *Proinde,* inquit, *Dominus Ieſus paratam ſibi confectionem expendi noluit in ſuo corpore mortuo, vt ſeruaret viuo, id eſt, Eccleſiæ: ipſa eſt charius corpus Chriſti: quod ne mortem guſtaret, morti illud alterum traditum fuiſſe, nullus Chriſtianus ignorat, ipſum vngi, ipſum foueri deſiderat, ipſius infirma membra cupit fomentis ac curationibus releuari: ipſi ergo pretioſa vnguenta retinuit, cùm anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum deuotionem nõ eluſit, ſed inſtruxit.* Exemplum ſimile recenſet S. Hieron. epiſt. ad Ruſtic. *Exuperius,* inquit, *Toloſæ Epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios, & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena, omnemq; ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro.*

Venite, ingredimini mecum in ſepulchrum; nam propter vos ingreſſuras ego lapidem grandem ab eo remoui: et videte locvm vbi positvs erat Dominvs ] vt per ocularem inſpectionem, ait Chryſoſt. videatis corpus eius hîc non eſſe, ſed ex eo reſurrexiſſe, *vt ſi meis verbis non creditis, vacuo credatis ſepulchro,* ait S. Hieron. Angelus ergo præiuit viam, & quaſi dux introduxit mulieres in ſepulchrum, eiſque illud vacuum oſtendit, vt ex eo Chriſtum ſurrexiſſe non dubitent.

Vers. 7. Et citò evntes dicite discipvlis eivs
Mar. 16. 7. qvia svrrexit: et ecce præcedet vos in Galilæam: ibi evm videbitis, ecce prædixi vobis ] *Citò,* vt citò leuetis & abſtergatis diſcipulorum mœrorem, conceptum ex morte Chriſti magiſtri ſui, ac animos eorum mœſtos erigatis, & gaudio repleatis per nuntium reſurrectionis Chriſti lætiſſimum. Hoc enim accipere præ alijs meruêre hæ mulieres, quia præ alijs Chriſti ſtudioſæ eius ſepulchrum adierunt. Cauſam ſymbolicam dat S. Greg. hom. 25. dicẽs: *Quia enim in paradiſo mulier viro propinauit mortem à ſepulchro mulier viris annunciat vitam: & dicta ſui viuificatoris narrat, quæ mortiferi ſerpentis verba narrauerat. Ac ſi humano generi non verbis Dominus, ſed rebus dicat: De quâ manu vobis illatus eſt potus mortis, de ipſa ſuſcipite poculum vitæ.*

Dicite discipvlis ] Addit Marcus. *& Petro* q. d. Et maximè Petro, & inprimis Petro; tum quia Petrus abſente Chriſto, erat primus & princeps Apoſtolorum; tum quia Petrus vti præ ceteris Chriſtum diligebat, ita & præ ceteris in morte eius mœrebat. Addit tertiam cauſam S. Gregor. hom. 21. in Euang. *Quia,* inquit, *ſi hunc nominatim non exprimeret qui magiſtrum negauerat, venire inter diſcipulos non auderet: vocatur ergo ex nomine, ne deſperaret ex negatione. Quâ in re conſiderandum nobis eſt, cur omnipotens Deus eum quem cunctæ Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere & ſeipſum negare permiſit. Quod nimirum magnæ actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus: vt is qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet. Priùs itaque eum oſtendit ſibi, & tunc præpoſuit ceteris, vt ex ſuâ infirmitate cognoſceret, quàm miſericorditer aliena infirma toleraret.*

Præcedet ] Id eſt, præcedere decreuit, deſtinatque & de facto præcedet per dotem agilitatis, qua omnes anteuertet. Vnde Euthymius *præcedet,* ait, id eſt, *præueniet vos,* priùs ibi erit quàm vos.

In Galilæam ] Cur Reſp. Primò, quia Galilæa erat Apoſtolorum patria, in quam ipſi poſt mortem Ieſu redire cogitabant, vt apud ſuos commodiùs & tutiùs agerent. Secundò, quia in Galilæa volebat ſe Chriſtus omnibus diſcipulis conuocatis & congregatis palàm oſtendere: hos enim Iudæi in Iudæa congregari non permiſiſſent: nam ipſi perpetuò Chriſtum eiuſque Apoſtolos fuerant perſecuti, vt patet Ioan. 11. 8. & ſeq. Vnde Apoſtoli auerſabantur Iudæos & Iudæam, cupiebantque redire in Galilæam, ne in Iudæa Iudæorum metus perturbaret, ait S. Chryſoſt. Tertiò, quia in Galilæa plerumque prædicauerat & miracula plurima patrarat Chriſtus. Iubet ergo Apoſtolos eò redire, vt ex locis ipſis, in quibus prædicauerat, ſuorum dogmatum & miraculorum recordentur. Præcedet vos in Galilæam: cur?

Symbolicè, audi S. Gregor. homil. 21. *Galilæa namque tranſmigrationem à morte ad vitam. Iam quippe Redemptor noſter à paſſione ad reſurrectionem, à morte ad vitam, à pœna ad gloriam, à corruptione ad incorruptionem tranſmigrauerat. Et priùs poſt reſurrectionem in Galilæa à diſcipulis videtur: quia reſurrectionis eius gloriam pòſt læti videbimus, ſi modò à vitijs ad virtutum celſitudinem tranſmigramus. Qui ergo in ſepulchro nuntiatur, in tranſmigratione oſtenditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoſcitur, in tranſmigratione mentis videtur.* Sed de Galilæa rurſum dicendum v. 17.

Apparuit tamen Chriſtus Apoſtolis quoque in Iudæa, ſed clàm & obiter, vti mox videbimus: in Galilæa verò publicè & diu. Audi S. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 7. *In altero* (in Ieruſalem) *pro conſolatione timentium videbatur, & videbatur breuiter, rurſumq; ex oculis tollebatur in altero* (in Galilæa) *autem tanta familiaritas erat, & perſeuerantia, vt cum ipſis pariter veſceretur, Vnde & Paulus Apoſtolus refert eum quingentis ſimul apparuiſſe diſcipulis,* 1. Cor. 15. 6.



Hîc iam ordine hiſtorico intexenda ſunt quæ habet Lucas c. 24. 3. nimirum Magdalenam cum ſociabus, dum inuitante angelo ingreſſæ Chriſti ſepulchrum, viderent illud vacuum, corpuſque Chriſti abeſſe, partim ex eius abſentiâ, partim ex aſpectu duorum angelorum ibi apparentium, vultum deieciſſe & conſternatas fuiſſe: quare angelos earum timorem & conſternationem erexiſſe, & ſimul earum diffidentiam, quòd angelo priori dicenti Chriſtum reſurrexiſſe non planè credidiſſent, duriuſcula increpatione caſtigaſſe. Illam enim Lucæ narrationem non eamdem eſſe cum hâc Matthæi & Marci, vti nonnulli putant, ſed diuerſam, liquet ex ipſis verbis, quæ planè diuerſa ſunt. Item ex eo, quòd in Luca duo angeli apparuiſſe dicuntur, hîc verò in Matthæo & Marco vnus dumtaxat. Audi Lucam: *Et ingreſſæ non inuenerunt corpus Domini Ieſu. Et factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto; ecce duo viri ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti. Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non eſt hîc; ſed ſurrexit: recordamini qualiter locutus eſt vobis, cùm adhuc in Galilæa eſſet, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertiâ reſurgere.* Græcè eſt, ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις, id eſt, in veſtibus fulgurantibus, & inſtar fulguris coruſcantibus, vt ex ijs agnoſcerentur non eſſe homines, ſed cælites, ac ſimul Chriſti reſurgentis & de morte triumphantis gloriam repræſentarent. Vide dicta v. 3.

Vers. 8. Et exiervnt cito de monvmento cvm
Luc. 24. 9. timore et gavdio magno, cvrrentes nvn-
Mar. 16. 8. ciare discipvlis eivs ] *Cum timore,* id eſt, cum
Ioan. 20. 2. ſacro horrore quem ſpirabat tum Chriſti ſepulchrum, tum angeli fulgurantes, tum reſurrectio Chriſti eis ab angelis nunciata, quæ eis vtpote de Chriſti morte mœſtis, deque eo vngendo cogitantibus, vti inopinata, ita penè incredibilis accidit: quare nouus acceſſit timor, ne fortè hæc angelorum viſio phantaſticum eſſet ſpectrum, quod illas deluderet, ac Ieſu corpus furto ſublatum foret.

Et gavdio magno ] quòd angelos vidiſſent, & tam lætum ab eis reſurrectionis nuncium accepiſſent. Habebant ergo alternantes animi motus timoris & gaudij, inter ſe confligentes & dimicantes, vt patebit ex ſequ. Ita S. Hier. *Duplex,* ait, *mentes mulierum tenebat affectus, timoris & gaudij: alter de miraculi magnitudine, alter ex deſiderio reſurgentis.* Et Euthym. *Cum timore,* ait, *ob admiranda quæ viderant: cum gaudio verò, ob lætum nuncium quod audierant.*

Cvrrentes nvnciare discipvlis eivs ] Quomodo & quid nunciarint, tacet Matthæus, ſed explicant Ioannes & Lucas: verùm diuerſimodè. Ioannes enim ait, Magdalenam redeuntem tantùm dixiſſe Petro: *Tulerunt Dominum meum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum.* Lucas verò ait, illas omnia viſa & audita, ac per conſequens etiam viſionem angelorum, narraſſe Apoſtolis.

Dices, Vnde hæc diuerſitas? Reſp. Ex eo, quòd hæ mulieres erant pauidæ & dubiæ vt iam dixi, ideoque nemini in via quidquam dixerunt, vt habet Marcus. Itaque quia ipſæ non certò & firmiter credebant Chriſtum reſurrexiſſe, quod tamen ab angelis audierant; hinc alternantes earum cogitationes, ſimiles & alternantes emittunt voces: modò enim viſionem angelorum referunt, modò ſuam ſententiam eloquuntur, quâ putabant corpus Domini è ſepulchro à quopiam eſſe ſublatum. Hoc poſterius quia ab alijs Euangeliſtis prætermiſſum erat, idcircò ſolus idipſum narrat Ioannes.

Hîc ergo ordine hiſtorico inſerendum eſt, *Ordo rei*
quod recenſet Ioan. c. 20. à v. 2. vſque ad 19. Ver- *geſtæ.*
ba eius in pauca contraham, vt ordinem rei geſtæ aſſignem, per quem inter ſe conciliantur Euangeliſtæ, qui alioqui videntur implexi & inter ſe diuerſi, imò contrarij. Ordo hic fuit: Magdalena cum ſociabus viſis auditiſque angelis, è ſepulchro cucurrit & redijt in Ieruſalem, vt viſa & audita nunciaret Apoſtolis. Ijs auditis mox Petrus & Ioannes cucurrerunt ad ſepulchrum: ſecuta eſt currentes Magdalena cum ſociabus: Petrus & Ioannes ingreſſi ſepulchrum Chriſti, viſis dumtaxat eius linteis, mirantes domum redierunt. Redeuntes ſecutæ ſunt ſociæ Magdalenæ; ſed Magdalena ipſa manſit apud ſepulchrum, plorans ex metu, & deſiderio inueniendi corporis Chriſti. Quare ſubinde reſpectans in monumentum, vidit duos angelos reuerentiam exhibentes Chriſto, qui erat à tergo Magdalenæ. Magdalena ergo vertens ſe vt videret quis eſſet à tergo, cui reuerentiam exhibebant angeli, vidit Ieſum ſpecie hortulani, a e auditâ eius ſolitâ compellatione, *Maria,* eum agnouit, pedeſque eius tenuit, &c. quæ in Ioanne explicanda ſunt.

Prima ergo ſola Magdalena, vt eſt in Marco, vidit Chriſtum reſurgentem, vtpote quæ amore Chriſti præ ceteris ardebat, ideoque eius ſepulchro indiuulſa adhærebat. Mox Chriſto iubente Magdalena ceteras mulieres abeuntes feſtino gradu ſubſecuta & aſſecuta, ibi cum eis rurſum Chriſtum vidit & audiuit ſalutantem. Ita S. Chryſoſt. Hieron. Theophyl. Euthym. & alij. Vnde ſequitur.

Et ecce Iesvs occvrrit illis dicens: Vers. 9.
Avete. Illæ avtem accesservnt et tenvervnt pedes eivs, et adoravervnt evm ] Sicut poſt aulicos ſequitur rex, poſt ſacerdotes, Pontifex: ſic hîc poſt angelos ſequitur Chriſtus, ac reſurrectionem ſuam, quam angeli verbis aſſeruerant, ipſo facto, oſtendens ſe rediuiuum pijs feminis, confirmat. Volebat enim angelos ad hoc ſternere ſibi viam, tum vt faciliùs illæ crederent ipſum reſurrexiſſe, tum ne, ſi ſine præmonitione, ex inopinato ſe glorioſum eis ſpectandum exhiberet, eas percelleret & exanimaret.

Occvrrit ] quia ipſæ præ viris ipſum quærebant magno pietatis affectu & deſiderio. Qui enim Ieſum ardenter quærit, Ieſum ſibi amanter occurrentem inuenit, iuxta illud: *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis,* Matth. 7. 7. Ita S. Hier. *Quæ ſic,* inquit, *quærebant, quæ ita currebant, merebantur obuium habere reſurgentem Dominum, & primum audire Auete, vt maledictum Euæ mulieris in mulieribus ſubuerteretur.* In quam ſententiam & Hilar. *Quòd primùm mulierculæ Dominũ vident, ſalutantur, genibus aduoluuntur, nunciare Apoſtolis iubentur, ordo in contrarium cauſæ principalis eſt redditus, vt quia à ſexu iſtu cœpta mors eſſet, ipſi primùm reſurrectionis gloriæ & viſus, & fructus, & nuntius redderetur.*

Tro-

Tropolog. Rabanus: *Iter virtutum inchoantibus*, ait, *Chriſtus adiuuando occurrit.* Porrò Eua nobis perditionis & ploratus eſt mater. Vnde notant quidam, infantes maſculos qui ex Adam naſcuntur, plorando ingeminare *A*, quæ eſt prima litera Adæ: femellas verò vagiendo ingeminare *E*, quæ eſt prima litera Euæ, quaſi ſuorum parentum lapſum, indeque ſuam ruinam deplorent. Hæ mulieres pro *Eua* audiunt *Aue*, quia reſurrectionis, ſalutis & gaudij ſunt adminiſtræ. Hinc B. Virgini Chriſtiparæ, harum reginæ & principi accinimus: *Aue maris ſtella, Dei mater alma*, &c.

*A, prima vox nati maſculi, E verò femellæ.*

Avete] Græcè χαίρετε, id eſt, gaudete, ſaluete; Syrus, *pax vobis.* Hæc enim eſt Hebræorum propria ſalutatio, quâ nomine pacis omne bonũ omnemque felicitatem apprecantur: Arabicus, *lætamini*, quia me magiſtrum veſtrum quem morientem vidiſtis, iam rediuiuum videtis, vt eamdem, quam priùs, veſtri curam geram, ac ad ſimilem reſurrectionem gloriamque vos perducam. Ita exemplo Chriſti animæ beatæ & angeli, dum apparent hominibus, ingerunt eis lætitiam, fiduciam & gaudium, dæmones verò & animæ damnatæ ingerunt mœſtitiam, pauorem & deſperationem, faciuntque mœſtos, anxios, perplexos & deſperabundos.

Illæ autem accesserunt, tam amica ſalutatione Ieſu allectæ: et tenuerunt (Vatabl. *prehenderunt*) pedes eius] id eſt, ex reuerentiâ & amore tantæ maieſtatis, ac ex gaudio tam nouæ & glorioſæ reſurrectionis Chriſti Domini dilectique ſui complexæ ſunt, conſtrinxerunt, & oſculatæ ſunt pedes illius. Docuit hoc illas facere ſuo exemplo Magdalena, quæ primò pœnitens pedes Ieſu lauit & terſit, deinde poſt reſurrectionem prima eoſdẽ voluit tenere & oſculari, Ioan. 20. 17. Sic Sunamitis apprehendit pedes Eliſæi, orans vt filium mortuum reſuſcitaret, 4. Reg. 4. 27. Sic fideles amplectuntur & oſculantur pedes Pontificis, æquè ac virorum ſanctitate illuſtrium. Chriſtus hîc ſe à feminis tangi permiſit, vt eis ſe verè reſurrexiſſe demonſtraret, easque reſurrectionis ſuæ teſtes & præcones efficeret. Vnde Chryſoſt. *Poſtquam*, ait, *immenſa cum lætitia ad eum accurriſſent, per tactum reſurrectionis documentum & certitudinem acceperunt.* Et Euthym. *Illæ quidem ex deſiderio & reuerentia pedes tenuerunt: ipſe verò non prohibuit, præſtans vt per tactum certiores efficerentur, quòd phantaſma non eſſet.*

Et adoraverunt eum] latriâ, quaſi verum Meſſiam, ſiue Chriſtum Dei Filium: qui vi deitatis ſuæ humanitatem ſuam è morte ſuſcitaſſet, vti ipſe viuens eis prædixerat. Viſio ergo reſurrectionis Chriſti illuſtrauit, confirmauit, auxitque fidem diuinitatis eiuſdem, ac ceterorum myſteriorum, quæ à Chriſto dum viueret docente audierant, ſed non plenè intellexerant. Quare cum Thoma, ſi non ore, certè corde dixerant: *Dominus meus, & Deus Deus.*

Vers. 10. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere; ite, nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt] *Nolite timere*: viſio enim rerum ſupernaturalium & cæleſtium, vti erat reſurrectio Chriſti, naturam ipſam intuentium, eorumque oculos & animos concutit, eiſq; timorem & horrorem ſacrum inijcit. Vnde S. Hieron. *Et in veteri*, ait, *& in nouo teſtamento hoc ſemper obſeruandum eſt, quòd, quando auguſtior aliqua apparet viſio, primùm timor pellitur, vt ſic mente pacata poſſint quæ dicuntur audiri.*

Ite, nunciate fratribus meis] Chriſtus iam glorioſus mirâ benignitate, ad dandum nobis humilitatis exemplum dignatur diſcipulos ſuos vocare *fratres*, ad eorum conſolationem vt eos mœſtos & deiectos in ſpem animumq; erigat. q. d. Dicite Apoſtolis, qui filij ſunt vnius eiuſdem mecum Dei Patris, ſed adoptiui per gratiã, cùm ego ſim filius naturalis per deitatem, quam ab eo accepi quà Deus, & per vnionem hypoſtaticam cum deitate, quam ab eo accepi quà homo. Cauſam dat S. Chryſoſt. & ex eo Euthym. *Mulieribus autem*, inquit, *pro Apoſtolis vſus eſt ad Apoſtolos, honorans genus quod ex ſerpentis ſeductione infame factum fuerat. Et quia mulier viro facta eſt cauſa mœroris, nunc mulieres fiunt viris miniſtræ gaudij.* Perperam ex hoc dicto Chriſti collegit Lutherus, feminis quoque licere concionari: aliud enim eſt nunciare, aliud concionari. Quòd ſi Chriſtus Magdalenæ dixiſſet: Concionare, ipſa concionari potuiſſet & debuiſſet.

Ibi me videbunt] q. d. In Galilæa familiariter, crebrò, diu, palàm & liberè meâ viſione fruentur, mecum ore ad os colloquentur & agent, in Iudæa non ita, etſi ibidem etiam quandoq; eis apparituruſ ſim. Nam in Iudęa Chriſtus ipſo die reſurrectionis, ſiue Paſchatis, ſexies, hoc ordine apparuit. Primò, apparuit matri ſuę Virgini Deiparæ, vt docet S. Ambroſ. lib. de Virgin. poſt principium, S. Anſelm. l. 6. de Excellentiâ Virginis, Rupert. l. 7. Diuin. Offic. c. 25. S. Bonau. in Vita Chriſti c. 87. Eſtque hic communis Doctorum & fidelium ſenſus, quem euincit tum Virginis præcedens dolor de paſſione & morte ſui vnigeniti; item merita & dignitas tantæ matris; tum amor & pietas tanti filij erga talem matrem. Secundò, apparuit Magdalenæ apud ſepulchrum, Marci 16. 9. & Ioan. 20. v. 16. Tertiò, apparuit eidem cũ ceteris mulieribus redeuntibus Ieruſalem in via, Matth. 28. 9. Quartò, apparuit Petro, Lucæ 24. 34. Quintò, duobus diſcipulis euntibus in Emaus ibidem. Sextò, omnibus, putà decem Apoſtolis: Thomas enim aberat, Iudas verò ſe ſuſpenderat: ergo ex duodecim ſoli reſtabant decem, Lucæ 24. 36.

*Chriſtus ſexies die Paſchatis apparuit.*

Poſt diem Paſchatis verò, Primò, apparuit vndecim Apoſtolis præſente iam Thoma ipſa octaua Paſchatis, quæ iam vocatur Dominica in Albis, Ioan. 20. 26. Secundò, apparuit ſeptem diſcipulis, inter quos erant Petrus & Ioannes, piſcantibus in mari Galilææ, Ioa. 21. 1. Tertiò, apparuit in monte Galileę multis, imò pluſquã quingentis fratribus, id eſt fidelibus, Matth. 28. 10. & 1. Cor. 15. 6. Quartò, apparuit Iacobo fratri Domini, ibidem. Quintò, apparuit omnibus Apoſtolis aliiſq; fidelibus in monte Oliueti, aſcenſurus in cælum, Actor. 1. 9. Sextò, apparuit Saulo cùm eum fecit Paulũ, Act. 1. 9. Aliàs ſępiùs apparuit Chriſtus, ſed illas eius apparitiones ſubticuerunt Euangeliſtæ.

Vers. 11. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nunciaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant] Hinc collige milites ſepulchri cuſtodes, viſo angelo fulgureo amouente lapidem, perculſos diffugiſſe, ſeque poſt ſepes abdidiſſe, ibique ſtupefactos & penè





examinatos quaſi immobiles hæſiſſe, vt ſe loco mouere non poſſent, nec auderent, idque Dei conſilio, vt ipſi ex latebris hiſce viderent & audirent omnia, quæ de Ieſu reſurrectione angeli dicebant mulieribus, vt ipſi eadem pontificibus referrent, itaq; fierent nuncij reſurrectionis Chriſti. Quocirca cuſtodes hoſce, vtpote in ſepibus abſconditos, nec viderunt mulieres, nec Petrus & Ioannes à mulieribus adducti ad ſepulchrum. Sed poſtquam omnis illa angelorum viſio diſparuit, cùm iam mulieres è ſepulchro in Ieruſalem abijſſent, vt ait hîc Matthæus; milites hi huc vſque timore & ſtupore quaſi colligati, ſibi redditi ſunt, ad ſe redeuntes adierunt ſepulchrum, illudque vacuum videntes, conſilio inter ſe inito, aliquos è ſuis miſerunt ad pontifices, qui hæc omnia à ſe viſa & audita ijs narrarent: tum vt cuſtodiæ ſuæ rationem ipſis redderent, oſtenderentq; ſuâ incuriâ & culpâ, non accidiſſe, quòd Chriſti corpus è ſepulchro abierit, eò quòd ipſi contra homines pugnare ſoleant; at contra cælites dimicare nequiuerint: tum vt diſpicerent pontifices, quid in futuro hâc in re facto ſit opus.

Vers. 12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus] Vide hîc peruerſitatem pontificum & ſeniorum, qui non contenti Chriſtum viuum occidiſſe, eum poſt mortem perſequuntur, ac reſurrectionem eius abolere conantur; vt ſcilicet tegant ſuum ſcelus & chriſticidium, neúe aliquis in eos quaſi chriſticidas inſurgat, Chriſtique necem vlciſcatur. Fuit hoc diaboli conſilium, qui conabatur Chriſti ſcholam & Eccleſiam, quam fore præuidebat, id eſt, Chriſtianos omnes in Chriſto, ſuffocare. Quare *qui viuentis ſanguinem emerant*, ait Chryſoſt. *eum qui de reſurrectione erat crucifixi, & rediuiui, rurſus per pecunias, ſermonem ſuffocant.* Corrumpunt enim pecuniâ cuſtodes, qui erant teſtes veritatis, ait Euthym. vt fiant teſtes mendacij. Addit S. Hieronym. eos hanc pecuniam ex templi ærario accepiſſe, ideoque illos ſacrilegè ipſa ſacra abuſos ad pretium mendacij & perfidiæ. *Pecuniam*, inquit, *quæ ad vſus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij, ſicuti antea triginta argenteos dederant Iudæ proditori.* Vide hîc gradus peccatorum, quibus peccatores profundiùs deſcendunt aſſiduè, donec in infernum ruant: vnum enim peccatum niſi pœnitentiâ deleatur, trahit ad aliud & aliud, donec hominem trahat, ad tartara, iuxta illud Iſaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Vide ibi dicta de funibus, quibus peccata peccatis colligata ſunt.

Vers. 13. Dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus] Intuere hîc quàm cæca ſit pontificum peruerſitas: nam per eam auxerunt reſurrectionis Chriſti famam & fidem, quam conabantur extinguere, ait S. Chryſoſtom. Dicunt enim ἀδύνατα, & incredibilia. Nam Primò, ait Remig. *Si cuſtodes dormierunt, quomodo furtum viderunt?* Et S. Auguſt. in pſal. 63. *Dormientes*, ait, *teſtes adhibes. Verè tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia feciſti.*

Secundò, diſcipuli Chriſti pauidi fugerant, & de ſuâ ſalute ſolliciti in latebras ſe abdiderant; quomodo ergo auſi fuiſſent Chriſti corpus rapere, quod ſciebant à tot militibus cuſtodiri? Magna ergo cæcaq; fuit malignitas ſeniorũ, qui, vt ait Seuerianus in catena, *non contenti interfeciſſe magiſtrum, diſcipulos etiam perdere moliuntur*, vt ſcilicet in eos quaſi Ieſu; rei à ſe damnati, fures Pilatus pœnâ capitis animaduertat.

Tertiò, incredibile eſt milites Romanos adeò fideles & vigiles, ad vnum omnes apud Chriſti ſepulchrum obdormiſſe, præſertim, cùm ſcirent de capite ſuo agi. Et eſto omnes obdormiſſent; ſanè excitati fuiſſent ſtrepitu lapidis grandis, qui è ſepulchro ab Apoſtolis raptoribus corporis Chriſti amouendus erat, ac corporis Chriſti adeò magni compoſitione, inuolutione & exportatione. Ita S. Chryſoſt. *Quomodo*, inquit, *furarentur qui nec apparere audebant? & ſi viuum adhuc videntes fugerunt, quomodo eo mortuo, milites non timuiſſent? & quare non prima potiùs nocte furati eſſent, quando nemo aderat? & ſi eſſent furati, an ſudarium reliquiſſent? an in exeundo morarentur? Certè confirmant iſti reſurrectionem: confitentur enim corpus non eſſe in ſepulchro: non eſſe autem ſublatum, oſtendit cuſtodia militum, & pauor diſcipulorum.* Ergo *mentita eſt* hîc *iniquitas ſibi.* Quocirca verè & acutè Seuerianus: *Diſcipulorum crimen eſſe faciunt*, ait, *virtutem magiſtri. Planè amiſerunt milites, perdiderunt Iudæi: ſed diſcipuli magiſtrum ſuum non furto, ſed fide; virtute, non fraude; ſanctitate, non crimine; viuum, non mortuum ſuſtulerunt.* Porrò Seuerianus hic fuit Epiſc. Gabalenſis, vir eloquentiſſimus, de quo Gennad. lib. de Viris illuſtr. Fuit coæuus & familiaris S. Chryſoſt. cuius inuitatu ſubinde Conſtantinopoli concionatus eſt. Extat eius concio tom. 5. operum S. Chryſoſt.

Dices, Quomodo cuſtodes non timuerunt Chriſti reſurgentis & angeli fulgurei quem viderant, vindictam tanti ſui mendacij, imò manifeſtam eius confuſionem, quòd ſcilicet Chriſtus ſe rediuiuum publicè oſtenderet? Reſp. Ianſen. Pontifices eis perſuaſiſſe, Chriſtum non reſurrexiſſe ad vitam communem & corpoream, vt hominibus viſibilis appareret, ſed ad ſpiritualem, vt cum angelis ageret: aut certè non in Iudæa, ſed in Galilæa ſuis Galilæis dumtaxat appariturum. Verùm planiùs dicas, milites excæcatos fuiſſe auctoritate pontificum, & ſuâ auaritiâ ſitique pecuniæ, æquè ac Iudas qui erat Apoſtolus Chriſti. Quare in auro præſenti habentes defixos oculos & mentem, non cogitabant, nec metuebant vindictam, præſertim cùm nullam talem vim angeli ad ſepulchrum excubantis experti fuiſſent.

Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus] *Suadebimus*, id eſt, perſuadebimus Pilato, ſomnum & negligentiam veſtram in corpore Chriſti cuſtodiendo eſſe leuem, & veniâ dignam, nec ex eâ quippiam mali accidere poſſe: ſcit enim ipſe noſtram, non ipſius cauſam hîc agi, adeoque ipſe in noſtri gratiam, contra ſuam conſcientiam Ieſum damnauit ad crucem: ſi tam mollis fuit in Ieſu ad noſtram inſtantiam iniuſtè damnando, multò molliorem ſe exhibebit in vobis ad noſtram inſtantiam abſoluendis. Verùm milites hoſce Pilato ſecretò hunc fucum & rem totam detexiſſe, ac Chriſti reſurrectionem confirmaſſe, idque Pilatum ad Tibe- Vers. 14.

rium Cæſarem ſcripſiſſe, qui proinde Chriſtum inter deos referre voluerit, ita ex ipſius Pilati actis narrat Hegeſippus in Anacephalæoſi: *Iudæorum principes*, inquit, *mihi mentientes aſſerebant Ieſum magum eſſe, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita eſſe, & flagellatum tradidi arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & ſepulchro cuſtodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis cuſtodientibus die tertio reſurrexit. In tantum enim exarſit nequitia Iudæorum, vt darent pecuniam cuſtodibus, & dicerent: Dicite, quia diſcipuli eius corpus ipſius rapuerunt: ſed cùm accepiſſent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt; nam & illum ſurrexiſſe teſtati ſunt ſe vidiſſe, & ſe à Iudæis pecuniam accepiſſe. Hæc ideò ingeſſi, ne quis aliter mentiatur, & exiſtimet credendum eſſe mendacijs Iudæorum.*

Pilatum autem hæc retuliſſe ad Tiberium Cæſarem, docent quoque Tertul. in Apolog. c. 5. & Euſeb. in hiſtor. libr. 2. c. 2. & in Chronico anno Chriſti 38. quem audi: *Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad ſenatum, vt inter cetera ſacra reciperentur. Verùm cùm ex conſulto patrum Chriſtianos eliminari vrbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem.* Et Oroſius l. 7. c. 4. *Pilatus*, ait, *ad Tiberium Imp. retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibuſq; virtutibus, quæ vel per ipſum palàm factæ fuerant, vel per diſcipulos ipſius in nomine eius fiebant, & de eo quòd certatim creſcente plurimorum fide Deus crederetur.*

VERS. 15. AT ILLI, ACCEPTA PECVNIA, FECERVNT SICVT ERANT EDOCTI, ET DIVVLGATVM EST VERBVM ISTVD APVD IVDÆOS, VSQVE IN HODIERNVM DIEM] ſcilicet apud plebeios & eos qui parui erant cerebri: nam prudentiores facilè fucum hunc deprehenderunt, & à militibus rem totam ſecretò indagarunt: quin Longinus centurio palàm militibus reſtitit, & Chriſtum reſurrexiſſe aſſeruit, ideoque pro eo Martyr occubuit, vti habet eius Vita die 15. Martij. Maximè verò fucus hic confutatus eſt ab Apoſtolis, affirmantibus Chriſtum rediuiuum ijs apparuiſſe, idque per miracula multa confirmantibus, adeò vt fides reſurrectionis Chriſti à toto quaſi mundo recepta & credita ſit. *Quod enim in Iudæa Iudæus obſcurabat auro*, inquit Seuerian. *fide, toto claruit in mundo.* Idem disertè confutatus eſt à Ioſepho, licet gente & ſectâ Iudæo. Audiant eum Iudæi, ſuoq; Hebræo credant, qui nolunt credere Chriſto. Sic enim ſcribit lib. 18. Antiq. c. 4. *Eodem tempore fuit Ieſus, vir ſapiens, ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator & doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt; plurimoſq; tam de Iudæis quàm de Græcis ſectatores habuit. Chriſtus hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis principibus, Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominùs non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertiâ die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc, & alia multa miranda prædixerant: & vſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit.*

VERS. 16. VNDECIM AVTEM DISCIPVLI (Iudas enim duodecimus iam ſe ſuſpenderat) ABIERVNT IN GALILÆAM, IN MONTEM, VBI CONSTITVERAT ILLIS IESVS] Matthæus, omiſſis ceteris Chriſti apparitionibus, illam dumtaxat recenſet, quæ facta eſt in Galilæa, tum quia illam promiſerat angelus verſ. 7. ac Chriſtus verſ. 10. tum quia illa celebris & publica fuit coram 500. fratribus, vt ait Paulus 1. Corinth. 15. 6. Nam ad eam ex Chriſti præcepto conuocati ſunt omnes diſcipuli, quos plurimos habebat in Galilæa, quia ibi tutiores erant ab odijs & perſecutione Iudæorum, quàm in Iudæa, ait Chryſoſtomus & Euthymius.

IN MONTEM] Certum eſt hunc montem non fuiſſe Oliueti, ex quo Chriſtus in cælum coram diſcipulis aſcendit, ac proinde de illâ apparitione hîc non agi. Nam mons Oliueti in Iudæa eſt, non in Galilæa. Lyran. Dionyſ. Carthuſ. S. Bonauent. Ianſen. & alij veriſimiliter ſuſpicantur montem hunc fuiſſe Tabor, vbi primitus Chriſtus transfiguratus gloriam ſuam oſtenderat Petro, Iacobo, & Ioanni, Matth. 17.

Myſticè, S. Hieron. Galilæa, inquit, erat omnium vitiorum volutabrum, vbi antè error & lubricum; ideoque oportuit eam Chriſti præſentiâ & gloriâ illuſtrari, iuxta oraculum Iſaiæ c. 9. v. 1. & 2. Rurſum Beda in hom. *Iam*, ait, *Dominus de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem tranſierat: Galilæa enim idem eſt quod tranſmigratio.* Vnde Gloſſa: *Nos*, ait, *ſi à vitijs ad virtutes migremus, reſurrectionis gloriam videbimus.*

Allegor. S. Auguſt. lib. 3. de Conſenſu Euang. ſub finem: Galilæa, inquit, idem eſt quod tranſmigratio, à rad. גָּלָה *gala*, id eſt migrauit, quia Chriſti gratia de populo Iſrael tranſmigratura erat ad Gentes. Vnde de eâ ait: *Præcedam vos in Galilæam*: quia Apoſtolis prædicantibus Euangelium non crederetur, niſi eis ipſe Dominus viam in cordibus hominum præpararet. *Ibi eum videbitis*, id eſt, ibi eius membra inuenietis, ibi viuum corpus eius in ijs, qui vos ſuſceperint, agnoſcetis. Hæc ad verbum S. Auguſt. ſed nonnullis breuitatis ſtudio omiſſis.

Anagog. S. Auguſtin. ibidem: Galilæa, ait, hebraicè quoque ſignificat reuelationem, à rad. גִּלָּה *gilla*, id eſt, *reuelauit*: vnde repræſentat cælum & viſionem beatificam. *Illa erit reuelatio*, ait Auguſt. *tamquam vera Galilæa. Conſimiles ei erimus, ibi eum videbimus ſicuti eſt. Ipſa erit etiã beatior tranſmigratio ex iſto ſæculo in illam æternitatem, ſi eius præcepta ſic amplectamur, vt ad eius dexteram ſegregari mereamur: tunc enim ibunt ſiniſtri in combuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam. Hinc illud, Tranſmigrabunt, & ibi eum videbunt.*

ET VIDENTES EVM ADORAVERVNT: QVIDAM AVTEM DVBITAVERVNT] Non ex vndecim Apoſtolis, ſed ex alijs diſcipulis. Apoſtoli enim omnes iam tot viſionibus & argumentis Chriſti erant confirmati, vt non dubitarent eum reſurrexiſſe. Aut certè ſi τὸ *dubitauerunt*, malis referre ad Apoſtolos, de quibus in præced. & ſeq. omnis eſt ſermo, intellige *dubitauerunt*, id eſt, iam antè dubitauerant, nunc autem non dubitabant: ponitur enim præteritum perfectum pro pluſquam perfecto: hoc enim ſignificat aoriſtus, qui eſt in Græco ἐδίςασαν. Voluit enim Matthæus ſummatim perſtringere dubitationem Thomæ, & aliorum Apoſtolorum de reſurrectione Chriſti, antequam ſufficienter à Chriſto apparente, eſſent de eâ inſtructi, quam fuſiùs narrant Lucas, Marcus & Ioannes. Ita Theoph. *Debes*, inquit, *ſic intelligere, quòd, cùm veniſſent in Galilæam, adorauerunt eum. Illi autem qui adorarunt in Galilæa, primùm dubitauerunt in Ieruſalem.* Sic & Barradius, VERS. 17.



Franc. Lucas & alij. Verùm *dubitatio illorum noſtram auxit fidem*, ait S. Hieron.

Porrò Chriſtus apparens, eâdem formâ & figurâ apparuit, quam habuit dum viueret, vt ex ijs ab Apoſtolis agnoſceretur eſſe idem, non alius. Ita S. Cyrillus l. 12. in Ioan. c. 35. Quocirca dotem claritatis ſuæ abſcondit: hanc enim ferre non potuiſſent debiles mortalium oculi. Audi S. Auguſt. 22. de Ciuitate Dei cap. 19. *Claritas in Chriſti corpore cùm reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adſpectus, quando ille à ſuis ita deberet attendi, vt poſſet agnoſci.*

VERS. 18. ET ACCEDENS (viciniùs & familiariùs oſtendens ſe diſcipulis, maieſtatem Chriſti reuerentibus) IESVS LOCVTVS EST EIS, DICENS: DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CÆLO ET IN TERRA] Arabicus, *donatus ſum omni poteſtate in cælo & ſuper terram.* Maldon. & alij probabiliter opinantur hæc non eſſe facta & dicta à Chriſto nunc, hoc eſt cùm appareret ſuis in Galilæa; ſed in vltimâ apparatione quæ facta eſt in monte Oliueti, cùm ex eo glorioſus in cælum aſcendit. Videtur enim hîc Chriſtus Apoſtolis vltimum Vale dicere, vltimaque monita & iuſſa dare, ac eos quaſi legatos ſuos mittere ad euangelizandum per totum orbem, quod fecit in die Aſcenſionis.

DATA EST MIHI] ſcilicet ſoli, idque tum quà Filius Dei & Deus ſum: ſic enim ab æterno data eſt mihi à Patre cùm eſſentia diuina *omnis* eius *poteſtas* & maieſtas; tum propriè quà homo ſum, ait S. Cyril. Nyſſen. Athanaſ. & alij. Data eſt, inquam, mihi inchoatiuè in incarnatione meâ, ob dignitatem vnionis hypoſtaticæ cum Verbo: completè verò omnis poteſtas mihi nunc data eſt à Deo poſt reſurrectionem, ob merita paſſionis meæ, quando deuicta morte, peccato, inferno & diabolo quaſi triumphator & redemptor hominum, plenum & proximum mei ſanguinis pretio, in eos ius & dominium acquiſiui, vt eos propediem & proximè mihi per fidem & gratiam ſubditos in Eccleſiam, quæ meum & ſpirituale regnum, per me & Apoſtolos congregem, regamque in terra & coronem beemque in cælo. Hoc Chriſti vniuerſale dominium & regnum fusè deſcribit Dan. c. 7. 14. & Apoſtolus Epheſ. 1. 20. Philip. 2. 10. & ſeq. & S. Petrus Actor. 10. 36. & S. Ioan. Apocal. 17. 14. Vide dicta cap. 27. 11.

Meminit Chriſtus ſuæ poteſtatis, vt ſignificet ſe ex hâc poteſtate mittere Apoſtolos ad omnes gentes fidei ſuæ ſubiugandas. Vnde ſubdit: *Euntes ergo*, &c. Porrò Suarez 3. part. agens de Chriſti dominio, hunc locum explicat de poteſtate excellentiæ, Chriſto quà homo erat, ratione vnionis hypoſtaticæ, in primo conceptionis inſtanti à Verbo communicatâ, quam ipſe pro temporum commoditate demonſtrauit, & poſt reſurrectionem perfectè pleneque exercuit.

VERS. 19. Mar. 16. 15. EVNTES ERGO DOCETE OMNES GENTES (meam fidem & doctrinam Euangelicam. Hîc ergo Apoſtoli a Chriſto acceperunt tubam Euãgelij, ait S. Leo epiſt. 81. & prædicandi officium) BAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI] Hinc ex Eccleſiæ traditione conſtat hanc eſſe formam Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: in qua fidem S. Trinitatis, & vnius deitatis, dicendo *in nomine*, non, in nominibus, clarè profitemur. *In nomine* enim idem eſt quòd appellato & inuocato nomine, & per conſequens perſonâ, diuinitate & virtute trium perſonarum, quæ ſunt in vna eademque deitate; ſcilicet Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hoc ſignificat Græcum εἰς ὄνομα, id eſt, *in nomen*, hoc eſt, inuocando nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt per baptiſmum corporis, animam à peccatis abluat & ſanctificet per gratiam. Ita S. Hieron. *Nomen Trinitatis*, ait, *vnus Deus eſt, vt, quorum vna eſt diuinitas, vna ſit largitio.* Et Euthym. *Vnum nomen trium*, inquit, *denotat vnam S. Trinitatis naturam.* Hinc S. Iſidor. libr. 7. Etymol. cap. 4. *Trinitas appellatur*, inquit, *quòd fiat totum vnum ex quibuſdam tribus quaſi triunitas, vt memoria, intelligentia & voluntas, in quibus mens habet in ſe quamdam imaginem diuinæ Trinitatis: nam cùm tria ſint, vnum ſunt.* Et S. Bonauent. in 1. diſt. 24. *Trinitas dicitur*, inquit, *quaſi ter vnitas vel trium vnitas.* Vnde contra Arianos, Macedonianos, Neſtorianos, alioſque hæreticos liquet, Filium eſſe verum Deum & ὁμούσιον Patri, æquè ac Spiritum ſanctum, vti paſſim docent S. Athanaſ. Hilar. Auguſt. Ambroſius & ceteri. Hîc ergo clariſſimè exprimit Chriſtus myſterium S. Trinitatis, quod Moſes in veteri teſtamento obſcurè adumbrauit, ne Iudæi rudes, tres perſonas crederent tres eſſe deos, itaque plures deos more ſuo colerent.

Moralit. diſce hîc diſcipuli & Apoſtoli Chriſti, imò ipſius Chriſti, opus diuinum eſſe, docere & conuertere omnes gentes, etiam rudes, ruſticas & barbaras. Vnde S. Gregor. hom. 12. in Ezech. *Nullum*, ait, *omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarũ.* Et Richard. de S. Victore. *Neſcio*, ait, *an maius beneficium poſſit à Deo conferri, quàm vt per eius obſequium alij ſalutem conſequantur.* Celebre eſt illud magni Dionyſij Areopag. *Omnium diuinorum diuiniſſimum eſt, cooperari Deo in conuerſione errantium, & reductione peccatorum ad ipſum; & qui viſceribus charitatis affluentes, ac communicationem bonitatis Dei imitantes, puro amore pro vniuerſorum ſalute laborant, rectè deiformes & diuini, imò diuiniſſimi nuncupantur.*

DOCENTES EOS SERVARE OMNIA QVÆCVMQVE MANDAVI VOBIS] Putà omnia præcepta, quæ in Euangelio mandaui: non enim ſola fides ſufficit ad ſalutem, ſed requiritur obſeruatio mandatorum & aſſidua virtutum operatio. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur*, Rom. 2. & 3.

ET ECCE EGO VOBISCVM SVM OMNIBVS DIEBVS, VSQVE AD CONSVMMATIONEM SÆCVLI] VERS. 20. q. d. Etſi aſcendam in cælum, vos tamen quos mitto, vt peragretis totum mundum, non deſeram. Eſto ergo vbique ex meo hoc præcepto euangelizetis cum magnis laboribus, penurijs, aduerſitatibus, periculis, perſecutionibus, nolite cadere animo, nolite cogitare vos deſolatos & à me deſertos; ecce enim ego ſpondeo me vobiſcum ſemper fore.

*Vobiſcum ſum*, tum quà Deus, tum quà homo per præſentem opem, gratiam, robur, conſolationem, directionem, liberationem, quam vobis & veſtris ſucceſſoribus ſemper afferam per quam vobis omnia difficilia reddam facilia, ait S. Chryſoſt. vt ex omnibus gentibus Eccleſiam, id eſt,

fideles & ſanctos mihi congregetis. Idque *vſque ad conſummationem ſæculi.* Priùs mundus hic deſinet, quàm mea in Eccleſiâ deſinat præſentia. Magno ergo animo opus hoc, munuſque Apoſtolicum quod vobis iniungo, capeſſite: quia vos viſibiliter Eccleſiam regetis, ego verò inuiſibiliter eamdem regam & protegam. *Qui vſque ad conſummationem ſæculi ſe cum diſcipulis futurum eſſe promittit*, ait S. Hieron. *& illos oſtendit ſemper eſſe victuros* (in ſuis poſteris & ſucceſſoribus) *& ſe numquam à credentibus receſſurum.*

*Nolite*, ait Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 1. *de veſtrâ infirmitate trepidare, ſed de meâ poteſtate confidite, qui vos in hoc opere non derelinquam, non ad hoc vt nihil patiamini, ſed, quod multò maius eſt, præſtiturus vt nulla ſæuientium crudelitate ſuperemini.*

B Hoc eſt quod Chriſtus iturus ad mortem Apoſtolis promiſit Ioan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Eadem enim ſunt dona Spiritus ſancti & Chriſti, cùm vtriuſque eadem ſit deitas, & conſequenter eadem operatio. Opera enim S. Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa: & quod vna perſona operatur, hoc & ceteræ duę operantur. Spiritui ſancto tamen qui procedit vt amor, per attributionem congruam appropriantur opera gratiæ & ſanctitatis. Græcè & ſyriacè additur, *amen.* q. d. Ita certò fiet vt dixi & promiſi. Sic Chriſtus etiam viſibiliter adfuit Paulo, Actor. 22. 17. & S. Stephano in martyrio, Actor. 7. Sic adfuit S. Petro ceteriſque Apoſtolis, Martyribus & Doctoribus. Hâc de causâ Chriſtus vocatur *Emmanuel*, id eſt, nobiſcum Deus, Iſaiæ 7. C Et Eccleſia vocatur ciuitas Dei. Vnde Ezechiel. cap. 48. vlt. *Nomen ciuitatis ex illo die*, inquit, *Dominus ibidem.* Vnde Deus per Zachar. cap. 2. Eccleſiæ promittit dicens: *Ego ero murus igneus in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Vide ibi dicta.

Hâc pariter de causâ Chriſtus voluit in V. Euchariſtiæ Sacramento iugiter manere in Eccleſia, imò in eccleſijs omnibus & ſingulis vſque ad finem mundi. Sicut enim Chriſti humanitas & deitas glorioſa eſt in cælo, adoraturque viſibiliter ab angelis & Sanctis, ſic eadem eſt in Euchariſtia, ſed occultata ſub ſpeciebus panis & vini, ideoque inuiſibilis, ibique adoratur, imò manducatur à fidelibus, vt earum animabus omne id præſtet, quod panis & vinum præſtat corporibus, putà omne nutrimentum; omnem vigorem, omne robur, omnem ſuauitatem, omnes delicias, omne gaudium. D Quocirca Chriſtus eſt, qui per ſingulos ſacerdotes dum celebrant, facit quotidie miraculum miraculorum; nimirum admirabilem illam conuerſionem panis & vini in corpus & ſanguinem ſuum, quam Theologi vocant Tranſſubſtantiationem: hanc enim nec homo, nec angelus, nec vis creata efficere poſſet. Ipſe ergo etiamnum actu eſt ſacerdos, dum per ſacerdotes ſingulares Euchariſtiam conficit, ſeque in ea Deo Patri quaſi incruentam victimam in holocauſtum offert, vti dixi cap. 26. 26. ex Conc. Trident.

A Tropol. Chriſtus eſt in anima & cum animâ fideli & ſanctâ, vſque ad finem vitæ, donans ei magnum illud perſeuerantiæ donum, quod electos in cælum perducit: ipſe enim iuſtum non deſerit: niſi priùs à iuſto deſeratur, vt ait ex S. Auguſt. Conc. Trident. ſeſſ. 6. Itaque Chriſtus in anima ſancta. Primò, politicè eſt quaſi rex in regno ſuo, quod ſecundùm leges iuſtitiæ rectè dirigit & moderatur, & quaſi dux in exercitu eum roborans, vt hoſtes omnes, putà mundum, carnem & dæmonem ſuperet & debellet. *Chriſtus eſt in anima quaſi rex.*

Secundò, œconomicè ipſe eſt in anima, quaſi pater in domo & familia, quam ſapienter ille regit, protegit & ditat. *quaſi paterfamilias.* Rurſum ipſe in ea quaſi nauarchus in naui, eam per vndas & fluctus huius maris procelloſi, id eſt, per tentationes huius vitæ B periculoſæ, ſecurè dirigit ad portum ſalutis æternæ. Ipſe eſt in ea ad quod auriga eſt in curru, vt nos quaſi dormientes vehat in vrbem & patriam cæleſtem. *quaſi auriga.* Vnde ei iugiter acclamare debemus, quod Eliſeus ſucclamabat Eliæ, dum curru igneo raperetur in cælum: *Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius*, 4. Reg. 2.

Tertiò, ethicè Chriſtus in anima eſt quaſi ratio & prudentia quæ omnes actiones prudenter dirigit, *quaſi ratio.* iuxta normam rationis diuinæ & legis æternæ, quæ eſt in mente Dei, vt anima non errores ſuæ concupiſcentiæ, ſed dictamina veritatis diuinæ ac rationes æternas quæ ſunt in mentę Dei, eiuſque ſanctam voluntatem in omnibus & vbique ſequatur.

Quartò, phyſicè ipſe eſt in anima, id quod anima eſt in corpore: ipſe enim eſt quaſi animæ *quaſi anima.* C anima, ipſam vitâ gratiæ viuificans, vt anima viuat vitam, non animalem & carnalem, ſed ſpiritalem & diuinam, vtque omnes eius actus ipſius in operatione ſint non naturales, ſed ſupernaturales & diuini, ideoque meritorij vitæ & gloriæ æternæ.

Denique ipſe eſt quaſi ignis diuinus animam flamma charitatis igniens & inflammans. *quaſi ignis & ſol.* Ipſe eſt in anima id quod ſol eſt in mundo; ſcilicet ipſe eſt ſol cæleſtis, totum animæ noſtræ orbem luce gratiæ ſuæ illuſtrans, viuificans, calefaciens, & bonis virtutum omnium operibus fœcundans: iuxta illud, *Operatur in nobis velle & perficere*, Philip. 2. Et, *Qui operatur omnia in omnibus ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ*, Epheſ. 1. Ipſe eſt qui verbis noſtris vim, vigorem & efficaciam inſpirat, vt auditores & proximos noſtros à peccatis ad pœnitentiam & ſanctitatem conuertamus, iuxta D illud Pauli: *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit*, 1. Corinth. 3. 6. Ergo ô anima ſapiens & ſancta, vicario amore & deſiderio occurre Deo tuo; Ieſus tuus cupit eſſe tecum, tu viciſſim non niſi cum Ieſu eſſe cupias. Deliciæ eius ſunt eſſe tecum, deliciæ tuæ ſint eſſe cum illo. Ab illo ergo ſine te regi, flecti & dirigi, vti regnum ſinit ſe regi à rege, exercitus à duce, domus ab hero, nauis à nauclero, currus ab aurigâ, voluntas à ratione, corpus ab animâ, mundus à ſole. *Sufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus tuus*, ait S. Auguſtinus.



R. P.

# CORN. CORNELII A LAPIDE

## COMMENTARIVS IN S. MARCI EVANGELIVM.

# COMMENTARIVS IN EVANGELIVM SANCTI MARCI.

## ARGVMENTVM.

MARCVS, inquit S. Hieron. in A Catal. Script. Eccleſ. *diſcipulus & interpres S. Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit Euangelium. Quod cùm Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legendum ſuâ auctoritate dedit.* Et mox: *Aſſumpto itaque Euangelio, quod ipſe confecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam tanta doctrina & vitæ continentia, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplum ſui cogeret. Denique Philo diſertiſſimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc iudaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſit. Et quo modo Lucas narrat Hieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia: ſic & ille quod Alexandriæ* B *ſub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus eſt autem octauo Neronis anno, & ſepultus Alexandriæ, ſuccedente ſibi Aniano.*

Idem teſtantur Clemens Alex. lib. 6. Stromat. & Papias Epiſcopus Hierapoleos, & ex ijs Euſebius lib. 2. hiſtor. c. 15. qui & addit, S. Petrum Euangelium Marci confirmaſſe, & in perpetuum Eccleſijs legendum tradidiſſe. Idem docent S. Athanaſius in Synopſi ſub finem, S. Epiphanius hæreſi 51. & Euthymius hîc. Quocirca Tertullianus l. 4. Contra Marc. Euangelium S. Marci S. Petro attribuit, quia, vt ait S. Hieronym. epiſt. 150. ad Hedibiam quæſt. 11. *Petro narrante & Marco ſcribente compoſitum eſt.* Idem S. Hieron. vel quiſquis eſt auctor, præfat. Comment. in S. Marcum: *Marcus*, ait, *ſeminat poſt Matthæum, qui fremit vt leo, qui volat vt aquila, qui diſcit vt homo, qui im-* C *molat vt ſacerdos, qui irrigat vt flumen, qui floreſcit vt ager, qui feruet vt vinum. Chriſtus etenim, de quo loquitur, homo naſcendo, vitulus moriendo, leo ſurgendo, aquila eſt aſcendendo.*

Hâc de cauſâ Ezech. 1. & Apoc. Cherubini quatuor faciebus inſtructi ſignificant quatuor Euangeliſtas, ita ſcilicet vt facies hominis ſignificet Matthæum, qui humanitatis Chriſti opera deſcribit; facies aquilæ Ioannem, qui canit diuinitatem Chriſti, dicens: *In principio erat Verbum*, &c. facies bouis notet Lucam, qui incipit à ſacerdotio & victimis Zachariæ; facies verò leonis deſignet Marcum, quia ipſe à terribili & forti rugitu Ioan. Baptiſtæ, quaſi leonis, inchoat ſuum Euangelium, vt in cap. 1. Ezech. docet S. Hier. S. Gregor. & alij paſſim. Hi enim quatuor currum gloriæ Dei, putà quadrigam Euangelij per totum orbem circumegerunt, omneſque gentes illi quaſi triumphanti ſubegerunt.

*Marcus hebr. eſt politus.*

Huic ſymbolo appoſitè congruit nomen Marci iuxta etymon tam Hebræum, quàm Latinum. Marcus enim hebraicè, inquit Pagnin. in Interpret. nomin. Hebr. idem quod *limatus, fricatus, expolitus*, id eſt, *à rubigine abſterſus*, à rad. מָרַק *marac*, id eſt, *tergere, fricare, polire*. Vnde Ierem. c. 46. 4. *State*, ait, *in galeis, polite lanceas, induite vos loricis*, vt vos, ô Ægyptij, præparetis ad inſtans prælium contra Nabuchodonoſor; vbi pro *polite* hebr. eſt מִרְקוּ *mircu*. Sic S. Marcus poliuit lanceam ſui Euangelij & prædicationis, vt ea inſtar leonis Ægyptios aliaſque gentes Chriſto ſubigeret. S. Iſidorus verò libr. 7. Origin. cap. 9. *Marcus*, ait, *idem eſt quod excelſus mandato* (neſcio à quâ radice) *vtique propter Euangelium Altiſſimi quod prædicauit.* Rurſum Marcus hebr. dicitur quaſi כוס מַר *mar cos*, id eſt Dominus calicis, putà paſſionis & martyrij: ipſe enim dira paſſus, nobili martyrio triumphauit de morte, æquè ac de infidelitate.

*Latinè Marcus malleus.*

Latinè verò Carolus Sigonius de Nomin. Roman. ex Valerio: *Marcus*, inquit, *dictus qui menſe Martio natus eſt.* Iſidorus autem lib. 19. Origin. c. 7. *Marcus*, ait, vocatur malleus, & dictus *marcus*, quod maior ſit ad tundendum & fortior: *marcellus*, mediocris: *marculus*, malleus puſillus. Sic S. Marcus malleus fuit magnus & fortis conterens petras, id eſt ſaxea Gentilium corda compungẽs, & ad pœnitentiam vitamque Chriſtianam commouens. Marcus ergo & Marcellus idem eſt quod Martellus, id eſt malleus. Vnde Carolus auus Caroli Magni, ob fortitudinem bellicam, qua quaſi malleus trecenta millia Saracenorum contudit, cognominatus eſt Martellus. Aut Marcus quaſi Martius, & Mars quidam cæleſtis. Vnde Marcia familia Rom. priſca patricia, dicta eſt ab Anco Marcio quarto Roman. rege fortiſſimo. *Ab Anco Marcio ſunt Marcij Reges*, ait Cæſar. orat. in funere Iuliæ amitæ apud Suetonium. Et Ouid. lib. 6. Faſtor.

*Marcus quaſi Martius.*

*Marcia ſacrifico deductum nomen ab Anco.*

Ancus rex vocatur *ſacrificus*, quia, vt Liuius lib. 2. religiones neglectas aut prauè cultas reſtituit. Religio enim eſt parens fortitudinis. Hinc Marciæ gentis ſtemma erat Victoria columnæ impoſita. Ita Anton. Auguſt. in Familijs Romanis. Porrò Marcij dicti ſunt à Marco, vel Mamerco,

ait Plutarch. in Numa. Oſci enim Martem appellabant Mamercum, ait Feſtus. Primus autem Pythagoras, filium ſuum vocauit Mamercum, quem ſecutus Numa, ſecundus rex Roman. filium ſuum nominauit Mamercum, teſte Plutarcho, & ex eo Sigonius. Marcus ergo per craſin idem eſt quod Mamercus ſiue Mamers, id eſt Mars, ait Sigonius: *Quid enim fortius,* ait Scholiaſtes Marci apud S. Hieronym. *quam animas ſaluare, quæ errorum vitijs poterant interire?* iuxta illud Pſal. 67. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.*

Quàm religioſus fortiſque fuerit S. Marcus, liquet ex inſtitutione Eſſæorum, qui primi fuêre Religioſi, & Religioſorum omnium prototypi, de quorum mira ſanctitate paulò pòſt plura. Ioannes Maior & nonnulli alij cenſent, Marcum hunc eſſe mancum illum, qui ex religioſa humilitate pollicem ſibi amputauit, ne fieret ſacerdos. Sed hic fuit Marcus Eremita, non Marcus Euangeliſta, vt patet ex Vitis Patrum.

Denique Romani prænomen *Marcus* dabant ijs, qui erant primogeniti. Vnde Marcus Tullius Cicero vocatur, quia ipſe erat primogenitus, vt notat Aldus Manutius initio Commentariorum in libr. Cicer. ad Herennium. Sic S. Marcus fuit primogenitus vniceque dilectus à S. Petro: vnde ipſe de eo ſolo dixit: *Salutat vos Eccleſia,* &c. *& Marcus filius meus,* ep. 1. c. 5. in fine. Quare ipſe vt filius à S. Petro hauſit tantum ſpiritum, ardorem & zelum, ac expreſſa ſapientiæ & ſanctitatis S. Petri fuit imago: hanc enim ei S. Petrus ceu pater impreſſit.

*Cuias, quis & qualis fuerit S. Marcus?*

Quæres, cuias, quis & qualis fuerit S. Marcus Reſp. Primò, eum natione fuiſſe Hebræum ex tribu Leui. Addit Beda & auctor Comment. in Marcum apud S. Hieron. eum fuiſſe ſacerdotem Aaronicum.

Secundò, Theophylact. Victor Antiochen. & Euthym. hic, atque ex eis Sixtus Senenſis in Biblioth. Sacra in Marco, putant Marcum hunc eumdem eſſe cum Ioanne Marco, qui fuit conſobrinus Barnabæ, cum eoque & Paulo profectus eſt ad prædicandum Gentibus, Actor. 12. & 13. quem proinde Marcum intelligit Paulus epiſt. ad Philem. & Coloſſ. 4. & 2. Timot. 4. Verùm dico Marcum hunc alium eſſe à Ioanne Marco: nam eodem tempore quo Ioan. Marcus adhæſit Paulo & Barnabæ in Græcia, noſter hic Marcus adhæſit S. Petro Romæ, & ab eo miſſus eſt prædicatum, primò Aquileiam, deinde Alexandriam, vti rectè ex Euſebio & alijs oſtendit Baronius.

Tertiò, Origen. libr. de Rectâ in Deum fide, S. Epiphan. hæreſi 51. & Dorotheus in Synopſi cenſent, Marcum fuiſſe vnum ex 72. Chriſti diſcipulis. Sed verius eſt contrarium, ſcilicet eum poſt mortem Chriſti à S. Petro conuerſum & baptizatum eſſe: nam ipſe eum vocat filium ſuum (ſpiritualem) ep. 1. c. 5. 13. dicens, *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone* (Romæ) *coëlecta, & Marcus filius meus.* Ita S. Hieron. Euſeb. lib. 7. hiſt. c. 14. S. Epiphan. hæreſi 51. Theodor. præf. in Hiſtor. S. Patrum, Iren. lib. 3. c. 1. Baron. & alij paſſim, qui tradunt S. Marcum diſcipulum & comitem fuiſſe S. Petri.

Quartò, S. Auguſt. lib. 1. de Conſenſu Euang. c. 2. Marcum vocat breuiatorem Matthæi, non quòd eum in compendium redegerit, vt volunt nonnulli, ſed quòd breuiùs ſecundùm quæ acceperat à S. Petro, narrat ea quæ Matthæus ſæpiùs fuſiùs proſequitur. Dixi ſæpiùs: Nam ſubinde Marcus vberiùs quàm Matthæus, hiſtoriam rei à Chriſto geſtæ enarrat, vti liquet in narratione negationis, qua Petrus ter Chriſtum negauit; quædam etiam clariùs quàm Matthæus explicat. Quare in hiſtorijs Chriſti enarrandis Marcus fuſior eſt quàm Matthæus, ſed in doctrinis parcior. Fuit ergo Marcus verus Euangeliſta, æquè ac Patriarcha & Apoſtolus. Vnde Arabicus Euangelio Marci hunc titulum præfigit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Dei vnius, Euangelium Patris, Patriarchæ, Apoſtoli, S. Mar,* (id eſt Domini) *Marci Euangeliſtæ.*

*Quo anno ſcripſerit Euangeliũ ſuum.*

Quintò, Marcus Romæ rogatus à Chriſtianis conuerſis à S. Petro, vt ſummam eorum conſcriberet, quæ à Petro prædicante audierant, ſcripſit hoc Euangelium anno Chriſti 45. Claudij Imp. 3. ait Euſeb. in Chron. paulò antequam pergeret Alexandriam, vbi Eccleſiam Chriſtianam fundauit, & ſanctiſſimè per nouemdecim annos gubernauit, ac in ea diſcipulos adeò eximios habuit, vt Eſſæi, id eſt ſancti & pij, cognominati ſint. Hi enim quaſi primi Religioſi in tantâ puritate, pietate & ſanctitate vixerunt, vt toti orbi eſſent admirationi, ceteriſq; Eccleſijs eſſent perfectionis exemplar & ſpeculum, adeò vt eos mirificè laudet Ioſephus & Philo libr. de Therapeutis. Vnde S. Hier. & Caſſian. Marcum vocant principem & inſtitutorem Cœnobitarum. Vide quæ de Eſſæis dixi Act. 5. 2. Atque hâc de causâ Eſſæi, ſe ex Alexandria per totam Ægyptum & Thebaidem propagarunt. Vnde factum vt ibi eſſent plurima Monachorum & Anachoretarum examina, qui angelicam in terris vitam agebant, idque durauit per plura ſæcula, vt patet ex S. Hieron. Vitis Patrum, Euagrio, Palladio, Caſſiano & alijs.

Porrò S. Marcus Alexandriæ primam Chriſtianorum ſcholam erexit, ex quâ tot ſancti doctores, Epiſcopi & Martyres prodiêre. Nã ſchola Alexandrina mirè floruit ſub Commodo Imp. anno Domini 180. cùm ei præſedit Pantænus, cui ſucceſſit Clemens Alexandr. Clementi Origenes, cuius diſcipuli fuêre S. Gregor. Thaumaturgus, Athenagoras, & poſteà S. Athanaſius, S. Baſilius, Nazianzenus, &c. Hi omnes ergo S. Marci fuêre ſequaces & diſcipuli.

Denique S. Marcus apoſtolatus, doctoratus & Euangeliſtæ lauream martyrij coronâ decorauit. Vnde de eo in Martyrologio Romano die 25. Aprilis ſic legimus: *Alexandriæ natalis B. Marci Euangeliſtæ,* &c. *qui pro fide Chriſti tentus & funibus vinctus, & per ſaxa raptatus grauiter afflictus eſt. Deinde recluſus in carcere primò angelica viſione confortatus, & demum ipſo Domino ſibi apparente, ad cæleſtia regna vocatus eſt octauo Neronis anno.* Et Gelaſius Pontifex in Conc. Roman. de l. authen. & apocr. *Marcus Euang.* inquit, *à B. Petro in Ægyptum directus fidem veritatis prædicauit, & glorioſè conſummauit martyrium.* Sic & Nicephor. Metaphraſtes, Procopius & alij. Corpus S. Marci Alexandria à mercatoribus tranſlatum eſt Venetias anno Domini 827. vbi ſummâ religione colitur, adeoque ſenatus inſignia S. Marci, putà leonem, pro ſtemmate vſurpat, atque cùm quippiam imperat vel mandat, aſſerit S. Marcum id mandare.

Quæres



*An latinè ſcripſit Marcus?*

Quæres Secundò, quâ linguâ Euangelium conſcripſit Marcus, Latinâ an Græcâ? Multi cenſent eum Latinâ ſcripſiſſe. Et ratio videtur clara: Marcus enim ſcripſit Romæ Romanis, ex S. Petri ibidem prædicantis ore; ergo pariter ſcripſit lingua Romana, putà Latina. Græcam enim Romani non intellexiſſent, vti multis probat Baronius anno Chriſti 45. Licèt enim S. Chryſoſt. in Marcum, aſſerat Marcum Euangeliſtam ſcripſiſſe in Ægypto: tamen Romæ eum ſcripſiſſe aſſerunt S. Hieron. Euſeb. Clemens, S. Epiphan. & alij paſſim; atque auctor comment. in Marcum non fuit S. Chryſoſt. vt inferiùs oſtẽdam. Ita Syrus, qui in fine Euangelij S. Marci hæc disertè addit: *Finit Euangelium ſanctum, Euangelium Marci, quod locutus eſt & euangelizauit Romæ romanè.* Idem docet S. Damaſus Pontifex (vel quiſquis eſt auctor) initio lib. de Romanis Pontif. in Vitâ S. Petri, quæ ponitur ad initium tomi primi Conciliorum. Idem ſatis inſinuat S. Gregor. Nazianz. in Carm. quo recenſet catalogum S. Scripturæ, dum Euangeliſtas per linguas & nationes ita partitur:

*Matthæus Chriſti Hebræis miracula ſcripſit.*
*Auſonibus Marcus, Lucas at doctus Achiuis,*
*Cunctis Ioannes, penetrans cæleſtia mente.*

*Videtur græcè.*

Ex aduerſo Marcum græcè ſcripſiſſe disertè aſſerit S. Hieron. præfat. in Euang. *De nouo,* ait, *loquor teſtamento quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Chriſti Hebraicis litteris edidit.* Additque ſe hâc de causâ iuſſu Damaſi veterem Vulgatam verſionem Latinam noui teſtamenti, ac conſequenter & Euangelij S. Marci, correxiſſe ſecundùm Græcum autographum. Idem expreſsè docet S. Aug. libr. 1. de Conſenſu Euang. cap. 2. *Matthæus,* ait, *Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, ceteri Græco.* Idem fuit communis veterum & recentiorum ſenſus, vt Chriſtiani Druthmari, qui floruit anno Chriſti 800. Iacobi Chryſopolitani, Maldonati præfat. in Matth. Franc. Luc. hîc, Genebrardi in Chronolog. ad annum Chriſti 44. quem audi: *Marcus Euangeliſta Aquileiæ (quæ ſecunda Roma quondam dicebatur) rogantibus Romanis ſuum Euangelium conſcripſit græcè, ſiue etiam latinè, vt volunt Rodulph. & Armacanus.*

Idem ſuadet ratio: nam S. Marcus ſcripſit Euangelium iturus Alexandriam, vt illud ibi prædicaret: Alexandrini autem tunc loquebantur græcè. Alexandria enim condita & dicta eſt ab Alexandro Magno, qui fuit Macedo & Græcus. Quocirca S. Athanaſius, S. Cyrillus, Theophilus, Clemens Alexandr. ceterique Alexandrini ſua græcè ſcripſerunt. Ergo Marcus Græca lingua ſcripſit. Rurſum Marcus peritior erat linguæ Græcæ quàm Latinæ. Vnde & Græcus textus in eius Euangelio politior & elegantior eſt quàm Latinus: nam Iudæi vicini Græciæ, ac ſubiecti Alexandro Magno & Græcis, Græcam linguam perdiſcebant, non ita Latinam; vtpote à Româ & Latinis ſemoti. Adde: Græca lingua tunc latiſſimè patebat, vt ait Cicero: adeò vt Romani, præſertim patricij & honeſtiores, Græcam callerent, imò filios ſuos Athenas mitterent, vt Græcam ſapientiam & eloquentiam perdiſcerent; Marcus autem Euangeliũ hoc ſcripſit Romanis, non plebeijs, ſed patricijs & nobilibus, vti erant S. Clemens, S. Pudens, S. Torpes. Audi Clementem Alexandr. in epiſt. 1. S. Petri (extat tom. 6. Biblioth. S. Patrum in edit. Pariſienſi) *Marcus,* inquit, *Petri ſectator, prædicante Petro Euangelium palàm Romæ, coram quibuſdam Cæſarianis equitibus, & multa Chriſti teſtimonia proferente, petitus ab eis, vt poſſent quæ dicebantur, memoriæ commendare, ſcripſit ex ijs quæ à Petro dicta ſunt, Euangelium, quod ſecundùm Marcum vocatur,* &c. Simili modo S. Paulus epiſtolam ad Romanos ſcripſit græcè, vti oſtendi procœmio in illam epiſtolam.

Denique S. Marcus cum S. Petro verſatus fuit Antiochię, vbi primùm diſcipuli Chriſti dicti ſunt Chriſtiani: Antiochiæ autem loquebantur græcè. Vnde S. Chryſoſt. qui fuit Antiochenus, prædicauit & ſcripſit græcè. Quare Græca lingua S. Marco vſitatior fuit quàm Latina, ac fortè Græca ei fuit vernacula. Licet enim Apoſtoli & primi fideles acceperint donum linguarum infuſum à Spiritu ſancto, tamen illud acceperunt ad ſufficientiam, non ad elegantiam; quare linguâ ſibi propriâ vel vernaculâ meliùs & elegantiùs loquebantur, v.g. Hebraica vel Græca, quam exterâ, vel alienâ, v.g. Latinâ, Illyricâ, Germanicâ.

*& græcè, & latinè.*

Vtramque ſententiam conciliabis, ſi dicas S. Marcum vtrâque linguâ, ſcilicet Græcâ & Latinâ, ſcripſiſſe Euangelium, vti cenſet Genebrard. anno Domini 44. & noſter Barradius tom. 1. l. 1. c. 19. ac Poſſeuinus in Biblioth. in Marco. Audi Petrum de Natal. Aquilinum Epiſc. in Catalogo Sanctorum l. 4. c. 86. *Petrus,* ait, *Marcum Aquileiam Protoëpiſcopum deſtinauit, ibi Euangelium ſuum quod aliàs Romæ Latinis litteris conſcripſerat, iterum Græco eloquio exarauit, quod vſq; hodie in Aquileienſi Eccleſia, cum ſede eburneâ in qua ſedens illud ſcripſerat, demonſtratur.* Idem cenſet Hadrian. Finus lib. 6. Flagelli Iud. c. 80. & Bellarm. l. de Verb. Dei. c. 7.

*Primò, græcè.*

Porrò cenſent nonnulli autographum Marci Latinum, iniuria temporum periiſſe, ſicut perijt Euangelium Hebr. S. Matthæi. Verùm hoc difficile eſt creditu. Quomodo enim Eccleſia Romana tam fida fidei & ſacrorum codicum cuſtos, ac primis illis Marci temporibus vſque ad Conſtantinum, zelo religionis ardentiſſima & conſtantiſſima, permiſiſſet tantum theſaurum ſibi dicatum intercidere? Vtique quæ aliena tam accuratè ſeruauit, ſua non perdidit, nec prodidit. Itane tot codices Euangel. S. Marci, quos nobiles Romani ceteriq; Itali à Petro & Paulo ad Chriſtum conuerſi, certatim ſibi deſcribi curabant, ad vnum omnes interiêre, vt ne vnus quidem ſuperſit? Quare veriſimiliùs dicemus, Marcum primitiùs græcè ſcripſiſſe, ob cauſas iam dictas, ſed illicò vel per ſe, vel per aliquem ſuum interpretem, Græcum in Latinum conuertiſſe, & vtrumque Romanis tradidiſſe, vti S. Paulus ſcripſit epiſtolam ad Romanos græcè, ſed eamdem à tertio ſcribâ & interprete ſuo conuerſam in Latinum, miſit ad Romanos, vti dixi procœm. in illam epiſtolam. Ratio eſt, Prima, quia S. Hieron. & S. Auguſt. affirmant Marcum græcè ſcripſiſſe, non latinè. Vnde Latinam verſionem iuxta Græcum iuſſu Damaſi correxit S. Hieron. Secunda, quia, vt rectè aduertit Bellarm. libr. de Script. Eccleſ. in Marco ex collatione textus Græci & Latini conſtat, Latinam veterem & Vulgatam editionem, tam Matthæi quàm Marci ex Græcâ editione tranſlatam. Idem pluribus exemplis probat Franc. Lucas hîc; quibus adde,

de Latinum Marci interpretem græcizare, vt cùm c.2 2. ait: *Et conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam*: quod obſcurè latinè ex Græco tranſlatum eſt, qui clarè & ornatè ſic habet: ὥςε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, id eſt, *vt non caperent* (turbam affluentem) *neque illa quæ ad ianuam erant loca.* Et c.4.10 *Et cùm eſſet ſingularis*, græcè clarè καταμόνας, id eſt ſolus. Et c.7.v.17.18.20. *Quæ de homine exeunt, illa comunicant hominem*, græcè clarè κοινοῖ, id eſt communem faciunt, hoc eſt, immundum reddunt hominem: Hebræi enim immunda vocant *communia*, quibus ſcilicet communiter & promiſcuè omnes etiam immundi vtuntur. Sic c.1.47. διαφημίζειν ad verbum vertit, *diffamare*, pro diuulgare. Sic c. 15.47. προσάββατον, ad verbum vertit, *ante ſabbatum*, id eſt profeſtum ſabbati, vel vigilia, putà Paraſceue, aut pridie ſabbati.

*Euangelij S. Marci autographum Venetijs ſeruatur.*

Venetijs religiosè ſeruatur Euangelij S. Marci autographum, ſed ob vetuſtatem in eo litteræ ita corroſæ & exeſæ ſunt, vt legi nequeant. Id mihi Romæ inquirenti, Venetijs perſcripsêre nonnulli viri graues, qui idipſum ſtudiosè inueſtigarunt, hancque apud Venetos eſſe traditionem aſſeruerunt. Ferunt Euangelium hoc Aquiléiæ à S. Marco conſcriptum, & relictum, indeq; Venetias tranſlatum: cùm enim Attila rex Hunnorum Aquileiam per triennium obſeſſam cepit, vaſtauitque, tunc multi Aquileienſes Attilam fugientes, conceſſerunt ad vicinas Adriatici maris paludes, ibique Venetias admirabili opere condiderunt, ſub annum Domini 452. ait Baronius. Porrò vir grauis, Canonicus S. Marci Venetijs, qui eius reliquias in manu habet, ideoque oculatus teſtis, meo rogatu, hâc de re ſtudiosè inquirens, hiſce diebus reſcripſit, autographum hoc S. Marci Græca lingua eſſe conſcriptum, ac Aquileia Venetias delatum fuiſſe anno Chriſti 1472. Quare græcè videtur primitus à S. Marco editum.

Scripſit hâc de re diſſertationem ad Magnum Hetruriæ Ducem Pagninus Gaudentius, Profeſſor Piſanus, in quo contendit S. Marcum primitus latinè Euangelium ſcripſiſſe Romę, deinde græcè Aquileiæ, ſed Latinum euanuiſſe: quod enim modò extat Latinum S. Marci Euangeliũ, ex Græco eſſe tranſlatum. Addit Romæ olim magnum fuiſſe vſum linguæ Græcæ, tum quòd multi ſenatores alijque eam diſcerent, tum quòd multi Græci Romam confluerent. Id liquet ex grauiſſimâ querelâ Satyræ 3. Iuuenalis, qui propterea ait ſe odiſſe Romam, quòd Græca eſſet vrbs:

*Multus olim Græcæ linguæ vſus.*

*Non poſſum*, inquit, *ferre Quirites*
*Græcam vrbem, quamuis quota portio fæcis Achææ?*
*Iam pridem Syrus in Tiberim confluxit Orontes.*

q. d. Multi Syri confluebant Romam. Citat Damaſum lib. de Vitis Pontificum in Vita S. Petri, vbi Euangeliſtas ait ſcripſiſſe Latinè (notans Marcum) græcè & hebraicè. Verùm notum eſt hunc librum non eſſe Damaſi, ſed Anaſtaſij Bibliothecarij, ait Ballarm. libr. de Script. Eccleſ. in Damaſo. Quod verò addit Pagninus, S. Petrum Romanis prædicaſſe græcè, S. Marcum verò eius interpretem ea vertiſſe latinè, paradoxum videtur, ac fidem excedere, vti annotauit Baro-

A nius. Porrò alia erant interpretis officia, vti dixi 1. Cor. 12. v. 10.

Porrò Syri, vt teſtatur Guido Fabricius in præfatione noui Teſtamenti Syriaci, aſſerunt Marcum ſcripſiſſe latinè, Latinumque Euangelium Venetijs aſſeruari aiunt, præterea eundem ipſum Marcum lingua patria, id eſt Galilæa, ſiue Syra, tranſtuliſſe, non modò Euangelium ſuum, ſed etiam ceteros omnes noui Teſtamenti libros.

Verùm hoc difficile eſt creditu: nam huius editionis nulla extat mentio apud Clem. Alexandrinum, Origen. Euſeb. Athanaſ. Epiphan. Cyrillum, Theodor. S. Hieron. alioſque Patres, qui vel Syri fuerunt, vel in Syria & Ægypto vixerunt, ac de varijs S. Script. editionibus exactè diſſeruerunt, aut eas accuratè pertractarunt.
B Quæ editio Syriaca noui teſtamenti S. Marco videtur poſterior. Ita Bellarm. l. 2. de Verbo Dei cap. 4.

Denique S. Marci Euangelium ſemper habitum fuit Canonica Script. excepto vlt. c. de quo nonnulli olim dubitarunt teſte S. Hieron. epiſt. 150. ad Hedibiam q. 3. eò quòd in eo inſerta forent quædam manichæiſmum redolentia, quæ recitat S. Hieron. l. 2. contra Pelag. ante medium. Erantque hæc: *Et illi ſatisfaciebant dicentes: Sæculum iſtud iniquitatis & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco iam nunc reuoca iuſtitiam tuam.* Verùm hæc iam ſublata ſunt. Vnde de eius fide ex Conc. Trident. ſeſſ. 4. dubitare non licet. Vide Bellarm. libr. 1. de Verbo Dei c. 16.

*S. Marcus rei geſtæ ordinem non curat.*

C Nota: Marcus totus rei narrandæ intendit: vnde non curat rei geſtæ ordinem, ſed priùs facta poſteriùs enarrat, & vice verſâ. Audi S. Hier. Præfat. in Matth. *Secundus*, ait, *Marcus interpres Apoſtoli Petri, & Alexandrinæ Eccleſiæ primus Epiſcopus, qui Dominum quidem Saluatorem ipſe non vidit, ſed quæ magiſtrum audierat prædicantem, iuxta fidem magis geſtorum narrauit quàm ordinem.*

Extat tom. 2. S. Chryſoſtomi Comment. in S. Marcum, qui licèt ingenio, eruditione ac pietate non careat, genio tamen, ſtylo, ſubtilitate & iudicio S. Chryſoſtomi carere videtur. Vnde Bellarminus de Script. Eccleſ. in Chryſoſt. Commentaria, ait, in Marcum ſine dubio Chryſoſtomi non ſunt, ſed alicuius ſimplicis monachi, qui fratribus ſuis Euangelium explicabat, vt conſtat
D ex hom. 34. 89. & alijs.

Scripſit peculiariter in S. Marcum ex veterum Commentarijs Victor Antiochenus, priſcus auctor, quem ex Græco in Latinum conuertit noſter Theodorus Peltanus.

Auctor Comment. ſiue Scholiaſtes in S. Marcum apud S. Hieronymum, multa eleganter & piè concinnat, ſed non eſt S. Hieron. nec enim eius ſtylum, doctrinam, grauitatem aſſequitur & adæquat: oſtendit enim ſe neque Græcæ linguæ, neque Hebraicæ fuiſſe peritum, & in explicatione c. 14. & 15. multa ſcripta inepta & falſa, vti obſeruauit Bellarm.

Pauca hîc notanda occurrunt, quia pleraque iam dicta ſunt in Matth. ibi inueniet ea Lector locis vbique ad marginem annotatis. Hîc ergo breuis ero.

SAN-



# SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

## CAPVT PRIMVM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, deſcribitur Ioannis Baptiſtæ prædicatio, & vitæ auſteritas. Secundò, verſ. 9. Chriſti baptiſmus, ieiunium & tentationes. Tertiò, v. 14. Chriſti prædicatio ac vocatio Petri, Andreæ, Iacobi & Ioannis. Quartò, v. 23. dæmoniaci curatio, ac v. 30. ſocrus Petri febricitantis, ac aliorum plurium ſanatio. Quintò, v. 40. leproſi mundatio.*

1. INITIVM Euangelij Ieſu Chriſti, Filij Dei, 2. ſicut ſcriptum eſt,
in Iſaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem
tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 3. Vox clamantis in
deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. 4. Fuit
Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœniten-
tiæ in remiſſionem peccatorum. 5. Et egrediebatur ad eum om-
nis Iudææ regio, & Ieroſolymitæ vniuerſi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flu-
mine, confitentes peccata ſua. 6. Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pel-
licea circa lumbos eius, & locuſtas & mel ſilueſtre edebat. Et prædicabat dicens: 7.
Venit fortior me poſt me: cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam
calceamentorum eius. 8. Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu
ſancto. 9. Et factum eſt: in diebus illis venit Ieſus à Nazareth Galilææ, & baptiza-
tus eſt à Ioanne in Iordane. 10. Et ſtatim aſcendens de aquâ, vidit cælos apertos,
& Spiritum tamquam columbam deſcendentem; & manentem in ipſo. 11. Et vox
facta eſt de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui. 12. Et ſtatim Spiritus
expulit eum in deſertum. 13. Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta
noctibus: & tentabatur à ſatana: eratque cum beſtijs, & angeli miniſtrabant illi. 14.
Poſtquam autem traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam, prædicans Euange-
lium regni Dei, 15. & dicens: Quoniam impletum eſt tempus, & appropinqua-
uit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio. 16. Et præteriens ſecus mare
Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare (erant
enim piſcatores) 17. & dixit eis Ieſus: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſca-
tores hominum. 18. Et protinùs relictis retibus, ſecuti ſunt eum. 19. Et pro-
greſſus inde puſillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipſos
componentes retia in naui: & ſtatim vocauit illos. 20. Et relicto patre ſuo Ze-
bedæo in naui cum mercenarijs, ſecuti ſunt eum. 21. Et ingrediuntur Caphar-
naum: & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam, docebat eos. 22. Et ſtupebant
ſuper doctrina eius; erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut
Scribæ. 23. Et erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo: & exclamauit,
24. dicens: Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene: veniſti perdere nos? ſcio qui ſis,
Sanctus Dei. 25. Et comminatus eſt ei Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi de ho-
mine. 26. Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magnâ,
exijt ab eo. 27. Et mirati ſunt omnes, ita vt conquirerent inter ſe dicentes:
Quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in poteſtate etiam ſpiritibus
immundis imperat, & obediunt ei. 28. Et proceſſit rumor eius ſtatim in omnem
regionem Galilææ. 29. Et protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in do-
mum

mum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne. 30. Decumbebat autem ſocrus
Simonis, febricitans: & ſtatim dicunt ei de illâ. 31. Et accedens eleuauit eam,
apprehenſa manu eius: & continuò dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis. 32.
Veſpere autem facto cùm occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes malè habentes,
& dæmonia habentes: 33. & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. 34. Et
curauit multos, qui vexabantur varijs languoribus, & dæmonia multa eijciebat, &
non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum. 35. Et diluculo valdè ſurgens, egreſ-
ſus abijt in deſertum locum, ibique orabat. 36. Et proſecutus eſt eum Simon, &
qui cum illo erant. 37. Et cùm inueniſſent eum, dixerunt ei: Quia omnes quæ-
runt te. 38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædi-
cem: ad hoc enim veni. 39. Et erat prædicans in ſynagogis eorum, & in omni
Galilæa, & dæmonia eijciens. 40. Et venit ad eum leproſus deprecans eum: &
genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. 41. Ieſus autem miſertus eius,
extendit manum ſuam: & tangens eum, ait illi: Volo: Mundare. 42. Et cùm
dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt. 43. Et comminatus eſt ei,
ſtatimque eiecit illum: 44. & dicit ei: Vide nemini dixeris: ſed vade: oſtende
te principi ſacerdotum, & offer pro emundatione tuâ, quæ præcepit Moyſes in te-
ſtimonium illis. 45. At ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ita
vt iam non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet,
& conueniebant ad eum vndique.

Vers. 1. INITIVM EVANGELII IESV CHRISTI, FILII DEI, SICVT SCRIPTVM EST IN ISAIA, &c.] Multi ante *ſicut* ponunt punctum, cenſentes τὸ *initium Euangelij*, &c. eſſe titulum libri. Verùm hæc verba non eſſe titulum, ſed initium & proœmium libri, patet ex nomine *initium*; & quia hæc verba pendent à τῷ *ſicut ſcriptum eſt*, &c. quare ante *ſicut* ponendum eſt comma, non punctum. Vox ergo *Euangelij* hîc non ſignificat ſcripturã Euangelij, quam ſcripſit Marcus, vti ſignificat cùm dicimus, *Euangelium Marci*; ſed ſignificat prædicationem Euangelicam *Ieſu Chriſti*, vt ſequitur. Senſus igitur eſt, q. d. Euangelica Chriſti prædicatio initium habuit tale, quale prædixit Iſaias & Malachias; ſcilicet prædicationem Ioannis Baptiſtæ, eiuſque teſtimonium de Chriſto: Ioannes enim cœpit prædicare regnum cælorum, Chriſti prædicatione & morte reſerandum. Vnde ipſe ſuos ad pœnitentiam induxit, vt per eam capaces fierent gratiæ Chriſti & regni cælorum, dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Hæc ergo eius prædicatio fuit *initium Euangelij*, id eſt, prædicationis Euangelicæ inchoatæ à Ioanne, & perficiendæ per Chriſtum. Moſes enim & lex vetus prædicabant & promittebant terram promiſſam, lacte & melle manantem, ſi Iudæi Dei mandatis parerent: Chriſtus verò & lex Euangelica prædicat, promittitque regnum cælorum, ſi homines de peccatis pœniteant, & Chriſti mandata obſeruent. Prædicatio ergo pœnitentiæ, quam fecit Ioannes, fuit præparatio & initium prædicationis Euangelicæ, quam fecit Chriſtus euangelizans regnum cælorum.

Nota. Matthæus & Ioannes Euangelium ordiuntur à Chriſto ipſo, ſed Ioannes à diuina, Matthæus ab humanâ Chriſti generatione. Marcus verò & Lucas illud auſpicantur à Ioanne Baptiſtâ; ſed Lucas à Ioannis natiuitate, Marcus autem à Ioannis prædicatione.

Vers. 2. Matth. 11. 10. SICVT SCRIPTVM EST IN ISAIA PROPHETA: ECCE EGO MITTO ANGELVM MEVM ANTE FACIEM TVAM, QVI PRÆPARABIT VIAM TVAM ANTE TE.

Vers. 3. Matth. 3. 3. Luc. 3. v. 4. Ioan. 1. 23. VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI.

Prior ſententia v. 2. eſt Malachiæ c. 3. v. 1. poſterior eſt Iſaiæ cap. 40. 3. Vnde Græca habent v. 2. *Sicut Scriptum eſt in Prophetis*, ſcilicet Malachia & Iſaia; ſed Latina Vulgata, ac Græca nonnulla, item Syrus & Arabicus habent, *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta*, & ita Græcos olim legiſſe docet S. Hieron. lib. de Optimo genere interpret. Script.

Dices, Cur Marcus ſolum Iſaiam citat, non Malachiam? Reſp. Quia potior hic eſt Iſaias: nam vox Ioannis in deſerto clamantis. *Pœnitentiam agite*, erat *initium Euangelij*, id eſt, Euangelicæ prædicationis Chriſti: ſed quia Malachias indicat hanc Ioannis vocem, non ab homine, ſed à Deo miſſam, propterea Marcus præmiſit verba Malachiæ, vt per illa excitet attentionem lectoris, ad venerandam & capeſſendam vocem Ioannis ab Iſaia prænunciatam: adde, idem in re dicere Malachiam cum eo quod dicit Iſaias: nam angelus miſſus à Deo ad præparandam viam Chriſto non alius fuit quàm Ioannes voce ſuâ clamans, prædicanſque pœnitentiam, quæ corda hominum præpararet ad Chriſti prædicationem & gratiam. Eſt ergo hoc vnum quaſi duorum Prophetarum idemque oraculum, vno eodemque ſenſu de vno eodemque Ioanne prolatum, licet alijs & alijs verbis, quæ ſe mutuò confirmant & explicant. In Iſaiæ ergo oraculo reipsâ continetur oraculum Malachiæ: quod enim prædixit Malachias, idem clariùs & preſſiùs alijs verbis prædixit Iſaias. Hæc ergo eſt cauſa cur Marcus hîc, ceterique Euangeliſtæ & Apoſtoli, cùm duos Prophetas, vel duas pluresque ſententias eiuſdem libri, vel diuerſi è veteri teſtamento citant, quaſi vnum idemque teſtimonium citent, vt patet 1. Petri 2. 7. collato cum pſal. 117. 22. & Iſaiæ 8. 14. Item 1. Corinth. 15. 54. collato cum Iſaiæ c. 25. v. 8. & Oſee c. 13. verſ. 14. Cauſa, inquam, eſt, quòd vna ſententia alteram confirmet & explicet, adeoque reipsâ idem dicat quod



quod altera: quare vtraque non tam duæ, quàm vna eademque in re ſententia eſſe videtur.

Reliqua quæ hîc de Ioanne dicuntur explicui Matth. 3. 3. & ca. 11. v. 10. ac Malach. 3. 1. & Iſaiæ cap. 40. 3. quare illa hîc non repetam, ne audiam illud vulgò iactatum, *Crambe recocta*.

Vers. 4. FVIT IOANNES IN DESERTO BAPTIZANS, ET PRÆDICANS BAPTISMVM POENITENTIÆ, (id eſt, excitando homines ad pœnitentiam, vt per eam diſponerentur) IN (ad) REMISSIONEM PECCATORVM] accipiendam à Chriſto eiuſque baptiſmo, qui erat perfectio & conſummatio baptiſmi Ioannis. Chriſtus enim quaſi rex cælorum, prædicabat regnum ſua gratia accipiendũ, cuius prima pars eſt remiſſio peccatorum, quam præſtat Chriſti baptiſmus: vtpote Chriſti ſpiritu & gratia inſtructus & quaſi animatus, iuxta illud Ioannis, *Ego baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, &c. ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne*, Matth. 3. Quod repetit hîc Marcus v. 8.

Vers. 12. ET STATIM SPIRITVS EXPVLIT (græcè, ἐκβάλλει, id eſt, emittit, educit, expellit) EVM IN DESERTVM] *Spiritus*, ſcilicet ſanctus, qui paulo antè in baptiſmo ſpecie columbæ in eum erat delapſus. *Expulit*, id eſt, magna vi ſpiritus & ardoris impulit Chriſtum, ut vltrò & ſponte iret *in deſertum*, vt ibi quaſi in palæſtra ſolus cùm diabolo congrederetur: ibi ergo duellum inière Chriſtus & Antichriſtus, putà diabolus, ſiue Lucifer.

Vers. 13. Matth. 4. v. 1. 2. 11. Luc. 4. 2. ET ERAT IN DESERTO QVADRAGINTA DIEBVS, ET QVADRAGINTA NOCTIBVS, ET TENTABATVR (græcè πειραζόμενος, id eſt, tentationem patiens) A SATANA.] Vnde multi putant Chriſtum per 40. dies crebrò tentatum fuiſſe à ſatana, per varia ſpectra & horribilia monſtra, qualia dæmon obiecit S. Antonio, vt eum terreret, ac ab oratione & ſolitudine auocaret. Ita Franc. Lucas. Verùm videtur Marcus vnico verbo πειραζόμενος, id eſt, *tentationem patiens*, tres ſolennes Chriſti tentationes quas recenſet Matt. cap. 4. v. 2. & ſeq. per compendium perſtringere & complecti voluiſſe. Vnde Lucas cap. 4. 2. poſt τὸ πειραζόμενος ſtatim tres haſce tentationes enarrat. Vide dicta Matth. 4. 2. Verum enim hîc eſt illud: *Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio.*

ERATQVE CVM BESTIIS] Græcè, θηρίων, id eſt, *feris*. Innuitur ſumma loci ſolitudo, æquè ac Chriſti innocentia, quòd ſcilicet in loco deſertiſſimo agens cum leonibus, lupis, pardis, ſerpentibus, eos non timeret, nec ab eis læderetur, ſicut Adam quamdiu fuit innocens, cum ijſdem in paradiſo innoxiè egit: omnia enim ipſum, vt dominum ſuum intuebantur & reuerebantur.

ET ANGELI MINISTRABANT EI] non ante tentationem & victoriam, vt vult Beda: ſic enim Ieſus à diabolo fuiſſet agnitus eſſe Filius Dei, ex angelorum famulatu, reuerentia & adoratione: neque eum diabolus aggredi & tentare fuiſſet auſus; ſed poſt tentationem parta iam victoria, vt patet Matth. 4. 11. Idque ad hoc, vt Ieſus ſolus cum ſolo duellans diabolo, eumque vincens & ſuperans, in ſe oſtenderet, tentamenta vincentibus à Deo paratam eſſe conſolationem & conſortium obſequiumque angelorum.

Vers. 14. Matth. 4. v. 12. 17. Luc. 4. 14. POSTQVAM AVTEM TRADITVS EST (carceri ab Herode) IOANNES, VENIT IESVS IN GALILÆAM, PRÆDICANS EVANGELIVM REGNI DEI] Secundus hic fuit Chriſti aduentus è Iudæa in Galilæam, vt fugeret Herodem, ne ſe quoque incarceraret: Iam enim Chriſtus prædicarat & baptizarat in Iudæa; quare ibi inclareſcens incurrit inuidiam Scribarum & Phariſæorum, qui eum quaſi nouatorem ad Herodem detulerunt & accuſarunt. Quare idem hic eſt Chriſti aduentus cum eo, quem recenſet Matth. c. 4. v. 12. & Lucas c. 4. 14. & Ioannes c. 4. v. 3. & 43. (Ioan. 4. 3.) Licèt nonnulli illum Ioannis ab hoc diuerſum, & tertium Chriſti in Galilæam aduentum eſſe autument, eò quòd in eo Chriſtus fugerit Phariſæos, vt ait Ioannes; in ſecundo verò fugerit Herodem, vt ait Matth. & Marcus; ſed vt dixi, Phariſæos fugit, quia Herodem fugit: apud hunc enim eum accuſarunt Phariſæi: quare eadem hæc fuit Chriſti fuga, idemque in Galilæam aduentus.

Nota. Chriſtus in Iudæa baptizatus à Ioanne, ibique familiaritatem contrahens cum Ioannis diſcipulis, Andrea & Petro, inde abijt in Galilæam; ac vocauit Philippum, & in nuptijs Cana Galilææ aquas conuertit in vinum. Hic fuit primus Chriſti è Iudæa aduentus in Galilæam, quẽ enarrat Ioannes c. 1. 43. & ſequ. Verùm inſtante Paſchate Chriſtus è Galilæa redijt in Iudæam, vt iuxta legem ſiſteret ſe templo, Ioan. 2. 13. tumque eiecit ementes è templo, & cum Nicodemo collocutus palàm cœpit baptizare & prædicare, Ioan. 3. 26. quare inclareſcens incurrit inuidiam Scribarum. Vnde metuens ne ipſi ſe accuſarent apud Herodem, vti accuſarant Ioannem Baptiſtam, audiens eum occiſum, ſeceſſit iterum è Iudæa in Galilæam, Ioan. 4. 3. & 43. atq; hic eſt ſeceſſus de quo agit hîc Marcus & Matth. c. 4. 12. vt ibidem dixi. Vnde in Galilæa tunc Chriſtus ad ſe vocauit quatuor piſcatores, ſcilicet Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem, vti narrat Marcus v. 16. & ſeq. ac Matthæus cap. 4.

Vers. 15. ET DICENS: QVONIAM (græcè, ὅτι, id eſt, *quod*) IMPLETVM EST TEMPVS] aduentus Meſſiæ & regni cælorum; vt ſcilicet illud tot millibus annorum clauſum, Chriſtus ſua prædicatione, & morte & gratia reſeret & aperiat.

POENITEMINI] pœnitentiam agite, vt peccata commiſſa deteſtemini, & proponatis vitam in melius commutare. Pulchrè Scholiaſtes apud S. Hieronymum: *Amaritudinem radicis*, ait, *dulcedo pomi compenſat, periculum maris ſpes lucri delectat, dolorem medicinæ ſpes ſalutis mitigat, qui deſiderat nucleum, frangit nucem: ſic qui cupit gaudium conſcientiæ ſanctæ, amaritiem pœnitentiæ*, ceu pilulam, *ſorbeat*.

Vers. 19. Matth. 4. 21. Luc 5. 9. IACOBVM ZEBEDÆI ET IOANNEM] Pulchrè, Scholiaſtes apud S. Hieronymum: *Hac*, ait, *piſcatorum quadraga vehimur ad æthera, ſicut Elias: his quatuor angulis conſtruitur prima Eccleſia. Quatuor virtutibus in imaginem Dei conuertimur, obedientes prudentia, viriliter agentes iuſtitia, ſerpentem calcantes temperantia, & Dei gratiam merentes fortitudine.* Theoph. *Priùs*, ait, *vocatur Petrus, id eſt, actio: deinde Ioannes, id eſt, contemplatio.*

Vers. 23. ET ERAT IN SYNAGOGA EORVM HOMO IN SPIRITV IMMVNDO] id eſt, homo ſpiritus immundi, hoc eſt, habens ſpiritum immundum, puta poſſeſſus à dæmone, Talis enim à dæmone ita agitur & raptatur, vt in dæmone eſſe & habitare videatur. Eſt hebraiſmus: Hebræi enim

enim ב, *beth* id eſt *in*, vſurpant loco regiminis, quo vnum nomen ſubſtantiuum regit aliud in genitiuo.

Et exclamavit] ſpiritus, putà dæmon, per os hominis à ſe poſſeſſi, *quaſi tormenta ſuſtinens*, ait Scholiaſtes apud Chryſoſt. *quaſi in dolore poſitus, quaſi flagella ferre non valens*. Nam, vt ait Beda: *Præſentia Saluatoris tormenta ſunt dęmonum*. Voluit id Chriſtus, vt per hoc publicum dæmonis de ſe teſtimonium, perque eius expulſionem Iudæi in ſynagoga Capharnaenſi (ibi enim hæc contigerunt, vt patet verſ. 21.) congregati agnoſcerent ipſum eſſe Meſſiam. De hoc dæmoniaco nil habet Matth. ſed Lucas c. 4. 33.

Vers. 24. Luc. 4. 34. Dicens] Græca ſubdunt, ἔα, quòd interpres Lucæ 4. 34. vertit, *ſine*, vt ſit imperatiuus verbi ἐάω, id eſt, ſino, permitto, q.d. ait Euthym. *dimitte nos*, noli nos vexare & eijcere. Alij ἔα accipiunt quaſi aduerbium dolentis, ſtupentis & obſecrantis; q.d. Ah, hem, eia Domine, quid tibi nocui? ne me à poſſeſſione mea expellas.

Qvid nobis et tibi Iesv Nazarene? venisti perdire nos? scio qvi sis, Sanctvs Dei] q.d. Quid tibi, ô Ieſu, nobiſcum eſt negotij, quando te ego, alijque dæmones læſimus, vt nos pellere & lædere velis? q.d. Nos non te, ô Chriſte, qui ſanctus es, ſed peccatores velut noſtri iuris inuadimus. Nil ergo nobis tecum eſt litis; tu igitur viciſſim noli nobiſcum litigare, & nos perdere.

Venisti perdere nos] Quidam codices addunt, *ante tempus*; ſed id delent Græca, Rom. Syrus & Arabicus: videtur enim id ex Matth. cap. 9. 29. huc tranſlatum. Iam quoad ſenſum, Primò, Beda, Dominum, ait, in terra cernentes dæmones, ſe continuò iudicandos credebant. q.d. Noli tuo aduentu, ô Ieſu, tam citò inducere diem iudicij, vt nos in tartara ableges ſine vlla ſpe exeundi. Secundò, Scholiaſtes apud Chryſoſt. exponit. q.d. Nobis non das locum in hominibus, dum diuina doces; ſed hoc myſticum eſt. Tertiò, & genuinè, *Veniſti nos perdere*, id eſt, *torquere*, vt habet Matth. cap. 8. 29. ex hominibus eijcere, & in infernum mittere. Vnde Theophyl. *Exire ab homine*, inquit, *ſuam perditionem dicit*. Summa enim dæmonum voluptas eſt, homines poſſidere, vexare, tentare. Hoc eſt quod ait Lucas c. 8. 31. *Et rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyſſum* (infernum) *irent*.

Scio qvi (quis) sis, nimirum Sanctvs Dei] Arabicus, *ſcio quis ſis ſancte Dei*; græcè ὁ ἅγιος, id eſt, *ille ſanctus*, ſcilicet ſingularis & per eminentiam qui adeò es ſanctus, vt tuam ſanctitatem alijs communices, ſiſque quaſi fons, & ſol ſanctitatis, qui omnes Sanctos ſanctificas, putà Meſſias & Dei Filius, quem à tot millenis annis omnes auidiſſimè exſpectant, vti exponunt alij dæmones cap. 3, v. 12. ita Theophyl. Euthym. & alij. Alludit ad illud Daniel. 9. 24. *Vngatur Sanctus ſanctorum*, id eſt, Meſſias. vide ibi dicta. Porrò adulatur hic dæmon Chriſto, ne eum affligat & eijciat, atque vt in vanam gloriam eum inducat. Porrò Gloſſa: *Non eſt*, inquit, *hæc voluntatis confeſſio, ſed neceſſitatis extorſio*.

Scio] Hoc eſt, ſuſpicor, coniecto, opinor, nam vt ait Scholiaſtes apud Chryſoſt. dæmon non habebat firmam & certam aduentus Dei notitiam, quia, vt inquit S. Auguſt. lib. 9. de Ciuitate c. 21. tantùm eis innotuit, quantum voluit: tantum voluit, quantum oportuit: innotuit verò per quædam ſuę virtutis effecta, de quo plura c. 3. 12.

Vers. 25. Luc. 4. 35. Et comminatvs est ei] Græcè ἐπετίμησεν αὐτῷ, id eſt increpauit eum, obiurgauit cum minis ſcilicet minando quòd eum affligeret ni taceret.

*Chriſtus dæmonem ſilere iubet. Cur? Cauſa Prima.* Dicens: Obmvtesce] Arabicus, *claude os tuum*. Cur? Reſp. Primò, quia non decebat Chriſtum, id eſt, Deum, à dæmone laudari, ſicut non decet virginem à meretrice commendari. Ita Tertull. lib. 4. Contra Marcionem.

*Secunda.* Secundò, ne videretur eſſe amicus dæmonis, & cum eo commercium habere: nam poſtea Chriſto id obiecerunt; ſcil. quòd ope Beelzebub eijceret dæmonia, Matth. 12. Quo facto Chriſtus nos docuit vitare omne cum dæmone commercium, eò quòd ipſe iuratus ſit Dei hoſtis, & totus ad nos lædendum & perdendum, etiam cùm aliquam corpori opem promittit, vel affert, intentus. Vnde Scholiaſtes apud Chryſoſt. *Obmuteſce*, ait, *laus mea ſit ſilentium tuum: non me laudet vox tua, ſed tormenta tua: pœna tua laus mea eſt. Non quia laudas gratulor, ſed quia exis gratulor*.

*Tertia.* Tertiò, vt doceret adulationi eſſe reſiſtendũ, ne illa aliquid vanæ gloriæ deſiderium in pectore noſtro excitet. Ita Boſtrenſis in Lucæ c. 8.

*Quarta.* Quartò, Euthymius, *Docuit nos*, ait, *ne dæmonibus vmquam credamus, etiam vera dicentibus: cùm enim ament mendacium, ſintq; nobis inimiciſſimi, numquã vera loquuntur niſi vt ad fallendum, veritate quaſi eſcâ quadam vtantur*. Mendaces enim, vt ſua mendacia colore veritatis celent & perſuadeant, hac arte vti ſolent, vt initio vera quædam narrent, ac ijs deinde falsâ attexant, vt qui prima crediderint, credant & poſtrema. Hac de cauſa Paulus Actor. 16. 18. pythoni ſe laudanti os occluſit, imò eum expulit.

*Quinta.* Quintò, quia dæmon hîc intempeſtiuè, & nimis citò prodebat eum eſſe Meſſiam, quare hoc nocuiſſet Chriſto, & populum ab eo auertiſſet: tam grande enim arcanum ſenſim aperiendum, & per miracula multa populo erat perſuadendum, qui alioqui illud initio capere & credere non poterat; quia necdum ad hoc erat diſpoſitus & præparatus, qua de cauſa c. 8. 30. Chriſtus vetat Apoſtolis quoque, ne ipſum dicant eſſe Chriſtum. Ita Maldonatus Franc. Lucas & alij.

Symbolicè Beda: *Dæmon*, inquit, *quia Euam linguâ ſuâ fefellerat, linguâ punitus eſt, ne loqueretur*.

Vers. 26. Luc. 4. 35. Et discerpens evm spiritvs immvndvs, et exclamans voce magna, exiit ab eo] *Diſcerpens*, non hominem à ſe poſſeſſum lacerando, diſcindendo, mutilando: nam Lucas cap. 4. 35. nihil illi nocuiſſe ait; ſed eius membra contorquendo, collidendo, huc illucque iactando, conuellendo, perinde ac ſi eum dilaniare, & vellicare voluiſſet. Grecum enim σπαράττειν ſignificat laniare, dilaniare & diſcerpere; vnde σπαραγμὸς eſt conuulſio, Hinc S. Auguſt. lib. 4. de Conſenſu Euang. c. 2. & Beda pro *diſcerpens* legunt *conuexans*, id eſt, contorquens; & Marci interpres c. 9. 19. vertit, *conturbans*. *Spiritus*, inquit, *conturbauit illum, & eliſus in terram volutabatur ſpumans*. Fecit id dæmon ex ira & rabie, vt coactus à Chriſto egredi homini noceret, quantum poſſet: nimirum quò vicinior & potentior eſt gratia Chriſti, eò impotentiùs furit dæmon, vt declaret



quàm inuitè à ſe poſſeſſos dimittat & concedat Chriſto. Sed Nota, dæmonem tumultuari tantùm ac tumultus horrendos ciere, ſed vanos & caſſos: nec enim lædere poteſt prohibente Chriſto. Permiſit id Chriſtus tribus de cauſis. Primò, vt pateret hunc hominem verè fuiſſe poſſeſſum à dæmone. Secundò, vt dæmonis malitia & indignatio cerneretur, Tertiò, vt liqueret dæmonem non ſponte, ſed coactum, victumque à Chriſto egredi. ita Theophyl. Euthym. & alij. Hinc

Tropologicè, S. Gregorius hom. 12. in Ezech. docet dæmonem peccatores, dum conuertentur, mirè vexare, tentare & cruciare: *Mox*, inquit, *vt animus amare cæleſtia cœperit, mox vt ad viſionem pacis intimæ totâ ſe intentione collegerit, antiquus ille aduerſarius qui de cælo lapſus eſt, inuidet, & inſidiari ampliùs incipit, & acriores quàm conſueuerat tentationes admouet, ita vt plerumque ſic reſiſtentem animam tentet; ſicut antè numquam tentauerat quando poſſidebat, vnde ſcriptum eſt: Fili, accedens ad ſeruitium Dei, ſta in iuſtitia & timore & præpara animam tuam ad tentationem*. Et paulò pòſt: *Quid eſt enim quod obſeſſum hominẽ antiquus hoſtis, quem poſſeſſum non diſcerpſerat, deſerens diſcerpſit, niſi quod plerumque dum de corde expellitur; acriores in eo tentationes generat, quàm priùs excitauerat quando hoc quietus poſſidebat?*

Et exclamans] cum horrendo eiulatu; incondito ſtridore & tremitu, vt oſtenderet quàm inuitè exiret, quantaque ſibi vis fieret à Chriſto: nihil enim articulatum dixit, aut prolocutus eſt. Nam Chriſtus ei loqui vetuerat, dicens: *Obmuteſce*. ita Euthym, *Clamauit*, ait, *voce magna flagellatus imperio Dominico: non dixit tamen quid clamauerit, eo quòd voces nihil ſignificantes ediderit*. Addit Titus in Lucæ 4. 35. *Etenim animo reſtitutus homo, mentiſq; compos effectus, ſobrij modeſtiq; viri oratione vtebatur*.

Vers. 27. Luc. 4. 36. Qvænam doctrina hæc nova? qvia (quòd) in potestate etiam spiritibvs immvndis imperat.] q. d. Quænam eſt hæc doctrina cæleſtis & diuina, vtpote quam Deus è cælo tot tamque potentibus miraculis confirmat: Chriſtus enim eius doctor non per preces, ſed mera poteſtate, ſoloq; iuſſu dęmonibus imperat vt exeant, et obedivnt ei] Quare neceſſum eſt vt ipſe ſit Meſſias Dei filius, veruſque Deus: hic enim ſolus pro poteſtate ſua imperat dęmonibus.

Vers. 32. Matth 8, 15. Luc. 4. 40. *Sed occumbens mari mergi videtur.* Cvm occidisset sol] Græcè, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, id eſt, cùm ſol quaſi mari abſorptus & merſus eſſet; δύομαι enim eſt abſorberi, mergi, ſubmergi, diciturque de inſulis, quæ à mari ſorbentur & merguntur. Hęc phraſis ergo petita eſt à ſenſu vulgi, qui putat ſolem, dum occumbit, mergi oceano. Vnde Virgil. 7. Æneid. ſic canit;

*—Sol vtrumque recurrens*
*Reſpicit oceanum.*

Et Tibullus lib. 2.

*Solis anhelantes abluit amnis equos.*

Et Boëtius lib. 2. de Conſol.

*Quos videt condens radios ſub vndis,*
*Phœbus extremo veniens ab ortu.*

Et lib. 3.

*Cadit Heſperias Phœbus in vndas,*

Vers. 33. Et erat omnis civitas (Capharnaum, vt patet ex v. 21.) congregata ad ianvam] domus Petri & Andreæ, vbi hoſpitabatur Ieſus, vt patet v. 29.

Vers. 34. Matth. 8. 16 Luc. 4. v. 40. 41. Et cvravit mvltos] ſcilicet omnes qui ipſi offerebantur, vt habet Matth. cap. 8. 26. hi enim erant multi. Ita Theophyl. & Euthym.

Et non sinebat ea loqvi, qvoniam (quòd) sciebant evm] q.d. Non ſinebat dęmones loqui, quòd ipſi noſſent Ieſum eſſe Meſſiam, ob cauſas quas recenſui v. 25. Qualis & quanta fuerit hęc dęmonum notitia, dicam. c. 3. 12. Arabicus, *& non ſinebat dæmonia loqui, quoniam ſciebant quòd ipſe eſſet ipſe*, id eſt, quòd ipſe erat is, qui reipſa erat, ſcil. Meſſias & Saluator mundi.

Vers. 35. Luc 4. 42. Et dilvcvlo valde] Græcè, καὶ πρωῒ ἔννυχον, id eſt, *& manè cùm multa adhuc eſſet nox*. Erat enim diluculum profundum, primum & ſummum, cùm adhuc ſunt tenebræ. Vnde nox vocari potuit à Marco, licet à Luca c. 4. 42. vocetur *dies*, quia ſcilicet erat *aurora diei*, ſiue diluculum quo oriri incipit dies.

Abiit in desertvm] tum vt ibi quietiùs & attentiùs oraret: vnde ſequitur, *Ibiq; orabat*: tum vt poſt tot miracula fugeret hominum laudẽ & plauſum, vt nos idem facere doceret. Simile fecit Matth. 14. 21. Ita Theophyl. & Euthym. Diſce hic à Chriſto auroram dare orationi, ac diluculo ſurgere vt meditationi vaces, & primitias diei Deo tribuas, aurora enim muſis amica, ſed amicior Deo & angelis. Vide dicta Deuter. 6. v. 7.

Vers. 43. Et comminatvs est ei statimqve eiecit illvm] Græcè, *& comminatus ei ſtatim eiecit illum*. q.d. Grauiter & minans iuſſit ei miraculum ſanitatis à ſe patratum celare, ideoque *ſtatim eiecit illum*, id eſt, illum à ſe ablegauit, emiſit, abire iuſſit, ne ſciretur quòd ipſe illum à lepra curaſſet, idque vt daret nobis exemplum fugiendæ vanæ gloriæ & plauſus hominum. Vnde explicans ſubdit: *Vide nemini dixeris*.

Vers. 44. Matth. 8. 4. Luc. 5. 14. Ostende te principi sacerdotvm] Græcè, ἱερεῖ, id eſt ſacerdoti. Non enim ſolus ſummus pontifex, ſed & quiuis ſacerdos iudicare poterat de lepra, num illa eſſet curata, nec ne, vt patet Leuit. 13. 2. Veriſimile tamen eſt, quòd quia cauſa lepræ erat grauis & difficilis, iudicium illius ex pontificum interpretatione & decreto reſeruatum fuerit *principi ſacerdotum*, vt hîc dicitur, hoc eſt, vni è 24. primoribus ſacerdotum, qui viciſſim per hebdomadas ſingulas præerant ceteris ſacerdotibus ac ſacrificijs, ceteriſque templi officijs & ritibus ex ordinatione Dauidis, vt patet 1. Paral. 24. verſ. 3. & ſeq.

Vers. 45. Luc. 5. v. 15. 16. At ille egressvs coepit prædicare et diffamare (diuulgare; Arabicus *promulgare*) sermonem] id eſt, rem & factum, putà miraculum ſanatæ lepræ in ſe à Chriſto patratum: quia ſentiebat hoc eſſe ad Dei & Chriſti gloriam, etſi Chriſtus humilitatis & modeſtiæ ſtudio imperaſſet ei ſilentium; ſed ipſe hoc imperium cenſebat non eſſe præceptum.

Ita vt iam non posset manifeste introire in civitatem] ſine verecundia ob honorem & plauſum populi, Chriſto ob tantum miraculum applaudentis: vel *non poſſet*, id eſt, non vellet. Sic enim accipi ſubinde *poſſe* pro *velle*, multis exemplis docet Nazianz. orat. 4. de Theolog.

# CAPVT SECVNDVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, paralytico ſanitatem, tam animæ quàm corporis reſtituit. Secundò, v. 14. è telonio vocat Matthæum ad ſui ſequelam: Scribis obmurmurantibus reſpondet:* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Tertiò, Phariſæis dat cauſam cur diſcipuli ſui non ieiunent eoſdemq; ſpicas in ſabbato ad famem leuandam vellentes, excuſat.*

1. ET iterum intrauit Capharnaum poſt dies, 2. & auditum eſt quòd in domo eſſet, & conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum. 3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. 4. Et cùm non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat: & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus iacebat. 5. Cùm autem vidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua. 6. Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis: 7. Quid hic ſic loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? 8. Quo ſtatim cognito Ieſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? 9. Quid eſt facilius, dicere paralatico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? 10. Vt autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) 11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam, 12. Et ſtatim ſurrexit ille: & ſublato grabato, abiit coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes; Quia numquam ſic vidimus. 13. Et egreſſus eſt rurſus ad mare: omniſque turba veniebat ad eum, & docebat eos. 14. Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. 15. Et factum eſt, cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius: erant enim multi, qui & ſequebantur eum. 16. Et Scribæ & Phariſæi videntes, quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magiſter veſter? 17. Hoc audito Ieſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores. 18. Et erant diſcipuli Ioannis & Phariſæi ieiunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare diſcipuli Ioannis & Phariſæorum ieiunant, tui autem diſcipuli non ieiunant? 19. Et ait illis Ieſus: Numquid poſſunt filij nuptiarum, quamdiu ſponſus cum illis eſt, ieiunare? Quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt ieiunare. 20. Venient autem dies cùm auferetur ab eis ſponſus: & tunc ieiunabunt in illis diebus. 21. Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri: alioquin aufert ſupplementum nouum à veteri & maior ſciſſura fit. 22. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin dirumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt: ſed vinum nouum in vtres nouos mitti debet. 23. Et factum eſt iterum cùm Dominus ſabbatis ambularet per ſata, & diſcipuli eius cœperunt progredi, & vellere ſpicas. 24. Phariſæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt ſabbatis, quod non licet? 25. Et ait illis: Numquam legiſtis quid fecerit Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant? 26. quomodo introiuit in domum Dei ſub Abiathar principe ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? 27. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt & non homo propter ſabbatum. 28. Itaque Dominus eſt Filius hominis, etiam ſabbati.

VERS. 1. Matth. 9. 1. ET ITERVM INTRAVIT CAPHARNAVM POST DIES] Aliqui codices addunt, *octo*: ſed *τὸ octo* delent Græca, Romana, Arabicus & alij.

*Poſt dies* ergo, id eſt, poſt aliquot dies: non enim definit numerum, vt neſciamus an pauci fuerint, an multi.

Et



VERS. 2. ET CONVENERVNT MVLTI, ITA VT NON CAPERET NEQVE AD IANVAM] Græcè clariùs, *ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν*, id eſt vt non caperent eos loca etiam quæ ad ianuam erant, ſcilicet veſtibulum domus, aut cubicula, fortè etiam platea oſtio vicina. Arabicus, *& confeſtim conuenerunt multi, ita vt non caperet eos locus ad ianuam.*

VERS. 5. Matth. 9. 2. Luc. 5. 20. FILI DIMITTVNTVR TIBI PECCATA TVA] Audi Bedam; Curaturus priùs dimittit peccata, vt oſtenderet eum ob culpam pati. Affliguntur verò homines corporis moleſtijs, aut ad augmentum meriti, vt Iob & Martyres aut ad humilitatis conſeruationem, vt Paulus: aut ad correctionem peccati, vt ſoror Moyſi, & hic paralyticus: aut ad Dei gloriam, vt cęcus natus: aut ad initium damnationis, vt Herodes.

Addit Beda, portari hunc paralyticum à quatuor portitoribus; vt ſignificetur quòd quatuor virtutibus ad promerendam ſoſpitatem homo fiducia mentis erigitur, ſcilicet prudentia, fortitudine, iuſtitia & temperantia.

VERS. 11. Matt. 9. 6. Luc. 5. 24. SVRGE, TOLLE GRABATVM TVVM] Genus eſt lecti, de quo vti & de ceteris dixi Matth. 9. 6.

VERS. 14. Matth. 9. 9. Luc. 5. v. 27. 28. VIDIT LEVI ALPHÆI] Id eſt, vidit Matthæũ, qui alio nomine dictus eſt Leui, antequam à Chriſto vocaretur, nam poſt vocationem nominatur ſemper Matthæus. *Alphæi*, ſcilicet filius, vt habet Syrus. Alius eſt hic Alphæus ab Alphæo, qui fuit maritus Mariæ Cleophæ, ex eaque genuit Iacobum Minorem & Iudam, Matth. 10. 3. Lucas & Marcus vocant eum *Leui*, vt eius honori conſulant, quia hoc nomen paucis erat notum. Matthęus verò ſe *Matthæum* nominat, vt ſeſe humiliet, ac peccatorum & publicanum fuiſſe palam profiteatur.

ET SVRGENS SECVTVS EST EVM] illico relictis omnibus. Vnde Beda: *Reliquit propria*, inquit, *qui rapere ſolebat aliena: Reliquit etiam imperfectas & incompoſitas rationes vectigalium, quia Dominus eum ita accenderat, vt vocantem ſtatim ſequeretur.*

VERS. 26. Matt. 12. Luc. 6. 4. SVB ABIATHAR] Dices, 1. Reg. 21. v. 6. dicitur id factum ſub Achimelech, qui erat pater Abiathar. Reſp. Primò, Abiathar iam tum erat pontifex cum patre Achimelech, quia patre abſente, ægrotante, vel occupato ipſe pontificis munia obibat, eratque patri ſeni breui morituro propediem in pontificatu ſucceſſurus. Hinc ſub Abiathar dicitur contigiſſe, quod propriè ſub patre eius Achimelech contigit. Audi Bedam. Quòd Dominus Abiathar principem ſacerdotum pro Achimelech appellat, nihil habet diſſonantiæ: ambo enim fuerunt illic, cùm veniens Dauid panes petijt & accepit. Occiſo autem Achimelech à Saule, fugit Abiathar ad Dauid, & comes factus eſt totius exilij eius. Poſtea regnante ſummi ſacerdotij gradum accepit, ac toto tempore regni illius in pontificatu perſeuerans, multo maioris excellentiæ quàm pater effectus eſt ideoque dignus fuit, cuius memoriam Dominus etiam viuente patre, quaſi ſummi faceret ſacerdotis.

Secundò, & certiùs, liquet ex Scrip. tam patrē quàm filium fuiſſe binomium, & vtrumque nunc vocari Abiathar, nunc Achimelech, vt patet 2. Reg. 8. 17. 1. Paral. 18. v. 16. & c. 24. 6. Ita Ianſenius, Toletus, Salmeron, Franc. Lucas & alij.

VERS. 27. SABBATVM PROPTER HOMINEM FACTVM (Syrus, *creatum*) EST, ET NON HOMO PROPTER SABBATVM] q. d. Sabbatum ad hominis bonum & commodum inſtitutum eſt, vt ſcilicet homo corpus ſuum labore continuo ſex hebdomadæ dierum fatigatum, quiete ſabbati reficeret & reſtauraret: mentem verò applicaret ad ea quæ ſalutis ſunt æternæ, ſcilicet ad audiendam, conſiderandam & meditandam Dei legem, voluntatem, beneficia, maieſtatem, quibus ſe excitaret ad pœnitentiam, gratiarum actionem & amorem Dei, itaque ſe iuſtificaret & ſanctificaret. Vis argumenti eſt hæc: Sabbatum propter homines inſtitutum eſt, non homo propter ſabbatum. Ergo ſi quies ſabbati valdè homini ſit noxia, relinquenda eſt; & labor capeſſendus, vt homini conſulatur; ideoque rectè ego hic permitto meis diſcipulis modicum laborem vellendi ſpicas in ſabbato, vt fami ſuæ conſulant: præſtat enim ſabbati quietem perire, quàm hominem perire.

VERS. 28. Matth. 12. 5. Luc. 6. 5. ITAQVE DOMIMVS EST FILIVS HOMINIS ETIAM SABBATI] Nonnulli *τὸ itaque* propriè accipiunt, vt illatiuum ex dictis v. præced. q. d. Quia ſabbatum factũ eſt propter hominem: Filius autem hominis, id eſt Chriſtus, eſt dominus omnium hominum, & rerum omnium quæ ad hominum ſalutem pertinent (illius enim cauſa in mundum & carnem venit,) ergo ipſe quoque dominus eſt ſabbati, vt in eo diſpenſare poſſit. Verùm planiùs & ſimpliciùs *τὸ itaque* accipias non vt illatiuũ, ſed vt completiuum pro *denique*. Vnde Arabicus vertit, *&* q. d. Denique Filius hominis, id eſt ego Chriſtus, quia Meſſias, & Deus, ſum dominus ſabbati; qui ſicut illud primitùs inſtitui, ſic pro hominum ſalute illud ad libitum temperare, laxare & abolere poſſum. Eſt noua & vltima ratio, qua Chriſtus Scribis probat, diſcipulis ſuis licere vellere ſpicas in ſabbato, vt fami ſuę ſuccurrant.

Cetera huius capitis explicui Matt. c. 9. & c. 12.

Myſticè, Chriſtus ſabbato ſanans, ſignificat eos qui in paſſionibus habēt requiem, ait Theophyl. poſſe peccatores paſſionibus agitatos curare, & ad virtutem ducere. Pleniùs Beda: Diſcipuli, ait, ſunt doctores: ſata, inſtituti in fide, quos dum illi viſitant, eorum ſalutem eſurientes, à terrenis eruunt, & manibus, id eſt exemplis, à carnis cōcupiſcentia quaſi à folliculis exuunt: manducant autem, id eſt Eccleſiæ membris incorporant: in ſabbato verò, quia pro ſpe futura quietis hoc fit.

# CAPVT TERTIVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, manco manum aridam Chriſtus reſtituit ſabbato, inde cum turbis ſecedit ad mare, vbi multos ægros & dæmoniacos ſanat. Secundò, v. 13. in monte è diſcipulis ſeligit duodecim Apoſtolos, eoſque euangelizatum mittit, cum poteſtate infirmos curandi, & dæmones eijciendi. Tertiò, verſ. 22. Scribas calumniantes quòd in Beelzebub dæmones expelleret, confutat, aitq́ hanc eſſe blaſphemiam in Spiritum ſanctum, quæ numquam remittitur. Denique verſ. 31. docet matrem & fratres ſuos eſſe eos, qui faciunt voluntatem Dei Patris ſui.*

1. ET introiuit iterum in ſynagogam: & erat ibi homo habens manum aridam.
2. Et obſeruabant eum, ſi ſabbatis curaret, vt accuſarent illum. 3. Et
ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. 4 Et dicit eis: Licet
ſabbatis bene facere, an malè? animam ſaluam facere, an perdere? At illi tacebant.
5. Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, di-
cit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus illi. 6. Ex-
euntes autem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant aduerſus eum,
quomodo eum perderent. 7. Ieſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare:
& multa turba à Galilæa & Iudæa ſecuta eſt eum. 8. & ab Hieroſolymis, & ab
Idumæa, & trans Iordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna,
audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. 9. Et dixit diſcipulis ſuis vt nauicula
ſibi deſeruiret propter turbam, ne comprimerent eum. 10. multos enim ſana-
bat, ita vt irruerent in eum vt illum tangerent quotquot habebant plagas. 11. Et
ſpiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes:
12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifeſtarent illum.
13. Et aſcendens in montem vocauit ad ſe quos voluit ipſe: & venerunt ad eum.
14. Et fecit vt eſſent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. 15. Et
dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia. 16 Et impo-
ſuit Simoni nomen Petrus: 17, & Iocobum Zebædei, & Ioannem fratrem Ia-
cobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, Filij tonitrui: 18. & Andream,
& Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi,
& Thaddæum, & Simonem Cananæum, 19. & Iudam Iſcariotem, qui & tradi-
dit illum. 20. Et veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non poſ-
ſent neque panem manducare. 21. Et cùm audiſſent ſui, exierunt tenere eum:
dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt. 22. Et Scribæ, qui ab Hiero-
ſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe
dæmoniorum eiicit dæmonia. 23. Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis:
Quomodo poteſt ſatanas ſatanam eiicere? 24. Et ſi regnum in ſe diuidatur, non
poteſt regnum illud ſtare. 25. Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur, non
poteſt domus illa ſtare. 26. Et ſi ſatanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſperti-
tus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habet. 27. Nemo poteſt vaſa fortis ingreſ-
ſus in domum diripere, niſi priùs fortem alliget, & tunc domum eius diripiet.
28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, &
blaſphemiæ quibus blaſphemauerint: 29. qui autem blaſphemauerit in Spiritum
ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. 30.
Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. 31, Et veniunt mater eius &
fratres; & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum, 32. & ſedebat circa eum
turba: & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. 33. Et re-
ſpondens eis, ait: Quæ eſt mater mea, & fratres mei? 34. Et circumſpiciens eos,
qui in circuitu eius ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. 35. Qui enim
fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.





Vers. 4. Matth. 12. v. 12. Luc. 6. 9. ET DICIT EIS: LICET SABBATIS BENE FACERE, AN MALE? ANIMAM SALVAM FACERE, AN PERDERE?] Legit interpres ἀπολέσαι, id eſt perdere: iam legunt ἀποκτεῖναι, id eſt occidere; ſed *perdere* hoc loco eſt aptius. Agitur enim de manco, qui manum habebat aridam, non de mortuo vel occiſo aut occidendo. De manco hoc curando Scribæ mouerant Chriſto ſcrupulum & dubium: *Si licet ſabbatis curare?* Chriſtus hoc dubium alia interrogatione non dubia, ſed clara reſoluit, dicens: *Licet ſabbatis benefacere, an male? animam ſaluam facere, an perdere? Animam*, id eſt, hominem, ait S. Auguſt. eſt ſynecdoche: à parte enim ſignificatur totum. Senſus eſt. q. d. Si quis ægro vel grauiter afflicto, qualis eſt hic mancus, habens manum aridam, die ſabbati non ſuccurrat & benefaciat, ſi id facere poſſit (vti ego Chriſtus poſſum) hic ei malefacit: negat enim ei opem lege charitatis debitam. Similiter ſi quis hominem in graui neceſſitate conſtitutum, die ſabbati non ſaluet, cùm ſaluare poſſit, hic cenſetur eum perdere; ergo licet mihi ſabbato mancum hunc curare: niſi enim hoc beneficium ei præſtitero, cenſebor ei nocuiſſe & malefeciſſe, ac niſi eum ſaluum fecero, cenſebor eum perdidiſſe, vtpote qui beneficentiam & opem illi afflicto quaſi debitam, ademerim, ac durus & immiſericors in eum extiterim, relinquens eum in ſua afflictione, quam facilè tollere poteram. Simili ſenſu ait S. Auguſtin. *ſi famentem non paniſti, occidiſti*, quia permiſiſti eum fame emori. Sic ſi à latrone perimendum non liberaſti, cùm poſſes, eum occidiſti: eius enim mors & cædes tibi ad culpam & pœnam à Deo imputabitur, perinde ac ſi eum occidiſſes. Significat ergo Chriſtus, ſabbato non benefacere ægro cùm poſſis, eſſe eidem malefacere: atqui numquam licèt malefacere: ergo ſemper licet tali benefacere, adeoque in ſabbato, hoc enim Deo & operibus bonis dicatum eſt. Vnde grauius peccatum eſt, in ſabbato malefacere quàm aliis diebus: ſic enim violatur ſanctitas ſabbati, ſicut benefaciendo illa magis celebratur & ſanctificatur.

Vers. 5. Matth. 12. v. 13. Luc. 6. 10. ET CIRCVMSPICIENS EOS CVM IRA] Incredulitati eorum iraſcens, ait Interlin. nimirum vultu toruo & irato oſtendens ſe indignari Scribarum menti cæcæ, peruerſæ & obſtinatæ, qua Chriſti miracula & beneficia in ſabbato, patrata, quaſi malè & contra legem ſabbati colendi facta accuſabant. Hinc patet, quòd in Chriſto fuerit vera ira, triſtitia, ceteræque paſſiones & affectus, qui ſunt in aliis hominibus, ſed domitæ & rationi ſubiectæ: quare ira erat ei cos virtutis. *Ira*, ait Franc. Lucas, *nobis eſt paſſio, Chriſto tamquã actio erat: nobis ſponte oritur, à Chriſto in ſe excitatur, orta in nobis reliquas corporis animiq́ vires turbat, nec pro arbitrio poteſt reprimi: à Chriſto excitata, mouet quod ipſe moueri velit, turbat nihil, deniq; quieſcit pro volũtate ipſius.* Hoc eſt quod ait S. Leo epiſt. 11. *Senſus corporei vigebant* (in Chriſto) *ſine lege peccati, & veritas affectionum ſub moderamine deitatis & mentis.*

Porrò *ira*, ait Ariſtot. lib. 1. de Anima cap. 1. text. 16. eſt *appetitio doloris viciſſim aduerſario inferendi.* Vnde Nyſſenus (vel potiùs Nemeſius Chriſtianus Philoſ. huius enim nomine extat hic liber tom. 9. Biblioth. SS. Patrum) lib. 4. Philoſ. ca. 13. *Ira*, ait, *eſt recruciationis appetitus.* Et La- A ctantius lib. de Ira Dei ex Poſſidonio: *Ira*, ait, *eſt cupiditas puniendi eius, à quo te iniquè læſum putas.* Vnde ira in aliis hominibus naſcitur ex amore ſui; in Chriſto verò naſcebatur ex amore Dei: quia enim ipſe ſummè amabat Deum, hinc de eius offenſa, per peccata & peccatores facta, ſummè triſtabatur & iraſcebatur, volens illam offenſam compenſare vel puniendo, vel corrigendo peccatores & infideles: Quare ira Chriſti erat zelus, vel zelo condita, vti in angelis & Beatis nõ eſt ira, ſed zelus. Vnde D. Thom. & Scholaſt. 3. p. quęſt. 15. art. 9. An in Deo ſit proprius irę affectus, variant Doctorum ſententiæ. Alij enim cum Suarez opuſc. de Diuina iuſtitia ſect. 5. n. 2. affirmant: alij cum Vaſquez tom. 1. in 1. p. diſp. 84. cap. 4. negant.

CONTRISTATVS SVPER CÆCITATE (Syrus, B *duritie* vel *callo*) CORDIS EORVM] Græcè, συλλυπούμενος, id eſt condolens & cõmiſerans, quòd odio & inuidia excæcati & obdurati, nollent agnoſcere ipſum eſſe Meſſiam, ſed ipſius beneficia ſabbato in ægros collata peruerterent, & vt maleficia calumniarentur. Significat ergo Ieſu iram non proceſſiſſe ex appetitu vindictæ; ſed mixtam fuiſſe commiſeratione, Ieſumque peccatis iratum fuiſſe, ſed peccatoribus condoluiſſe; vtpote quos amabat & ſaluare ſatagebat. Denique omnis ira mixta eſt triſtitia: iratus enim dolet & triſtatur ob malum cui iraſcitur, adeoque triſtitia de malo cauſat acuitque iram, vt ipſa animosè malum hoc contriſtans amoueat. Ita D. Thom. & Scholaſt. loc. cit.

VT NAVICVLA SIBI DESERVIRET] Græcè προσκαρτερῇ, id eſt, vt eſſet præſtò ad manum & C vt Budæus vertit, vt aſſidua eſſet comes, vt irruente turba illico in nauim ſe reciperet, ne ab illa comprimeretur. Vers. 9.

PLAGAS] Græcè μάστιγας, id eſt flagella, putà plagæ & morbi, quibus Deus homines ob peccata caſtigat & flagellat. Significat ergo ſæpè morbos eſſe flagella, ac à Deo ob peccata immitti, vt illa caſtiget. Vers. 10. Matth. 12. v. 15.

ET SPIRITVS IMMVNDI, CVM ILLVM VIDEBANT, PROCIDEBANT EI] id eſt, accedebant ei ad pedes genuflexi, non ex religione & amore, ſed ex metu & timore ſupplicium ſuum deprecaturi, ne ſcilicet eos ex hominibus eijceret & in tartara relegaret. Vers. 11.

ET CLAMABANT] vt ab eis honoratus & laudatus parceret eis.

D DICENTES: TV ES FILIVS DEI] Quæres, an dæmones verè cognouerint Ieſum eſſe Meſſiam, ſiue Chriſtum Dei Filium? Reſp. Ex hoc loco & ex Matth. 8. 29. & ex Lucæ cap. 4. 41. ac ex Patribus & interpretibus communiter in ea loca commentantibus, liquet, dæmones, licèt in baptiſmo Chriſti & ante baptiſmum non planè eum cognouerint: nam poſt baptiſmum tentarunt eum, vt quis eſſet ipſe, agnoſcerent; ipſos tamen poſtea id cognouiſſe ex tot tantiſque miraculis; quæ euidenter videbant eſſe vera miracula, ac ſuam & angelorum omnemque naturalem vim tranſſcendere, & à ſolo Deo ſupernaturali vi patrari, quæque Chriſtus faciebat hoc fine & ſcopo, vt probaret Primò, ſe eſſe Meſſiã Patribus promiſſum: Secundò, ſe eſſe Deum Deique Filium; hinc, inquam, dæmones cognouiſſe Ieſum & eſſe Meſſiam, & eſſe Dei Filium, Vers. 12. *An dæmon agnouerit Chriſtum.*

maximè dum cum miraculis Chriſti conferebat Scripturas & prophetias veteres de Chriſto, quæ ipſum talem fore, qualis erat Ieſus, taliaque miracula patraturum prædixerant.

Vbi tamen aduerte, dæmones non ita clarè & firmiter idipſum cognouiſſe, quin alia ex parte cogitantes magnitudinem myſterij, tantæ dignationis & humiliationis Chriſti incarnati, quod videtur naturaliter incredibile, præſertim ſuperbiſſimo diabolo; ſubinde hæſitarent, & dubitarent an Ieſus verè eſſet Meſſias, & Dei Filius. Magis hæſitarunt, imò ignorarunt finem & fructum huius myſterij, quòd ſcilicet per Chriſti incarnationem, crucem & mortem redimendi eſſent homines, itaque ſuum in eis regnum eſſet euertendum, & regnum Dei erigendum; maximè quia excæcabat eos odium Ieſu, quem quia videbant virum eſſe ſanctiſſimum, & plurimas ſibi animas eripere, hinc eum omnino ſibi oppugnandum euertendumque, & necandum ſumpſerunt. Vnde factum eſt, vt ipſi odio Ieſu excæcati, & S.Scripturas alioqui claras de Chriſti cruce & morte, ac noſtra per eam redemptione, vel non conſiderarent, vel non intelligerẽt: quocirca ipſi Ieſum velut hoſtem iuratum, per Iudæos crucifixerunt & occiderunt, itaq; neſcienter ſuum regnum euerterunt. Ita S.Leo ſerm.9. de Paſſione. *Nec ipſe*, inquit, *diabolus intellexit, quod ſæuiendo in Chriſtum, ſuum deſtrueret principatum; qui antiquæ fraudis iura non perderet, ſi ſe à Domini Ieſu ſanguine contineret. Sed malitiâ nocendi auidus, dũ irruit, ruit: dum capit, captus eſt; dum perſequitur mortalem, incidit in Saluatorem.*

Vers.14. Luc.6.13. Et fecit vt essent dvodecim cvm illo] quaſi eius Apoſtoli, contubernales & legati ex latere. Vnde ſubdit: *Et vt mitteret eos prædicare.*

Vers.15. Matt.10.1. Luc.9.1. Inf.6.7. Et dedit illis potestatem cvrandi infirmitates] *Dedit*, non iam cùm eos deſignauit dumtaxat, & Apoſtolos creauit, ſed poſteà cùm miſit eos prædicatum cap.6.7. tunc enim prædicationem confirmare debebant miraculis. Eſt ergo hîc prolepſis, ſiue anticipatio.

Vers.16. Et impôsvit Simoni nomen Petrvs] Ante hæc verba Græci codices nonnulli habent, πρῶτον Σίμωνα, id eſt *primum Simonem*, ſcilicet conſtituit inter Apoſtolos; ſed hæc verba omittunt ceteri: idipſum tamen ſatis intelligitur ex eo, quòd Petrus hîc primus à Chriſto nominetur, nomenque ei mutetur, vt qui priùs vocabatur Simon, deinde vocetur ſyriacè *Cephas*, græcè & latinè *Petrus*, id eſt petra: quia ipſe à Chriſto conſtituendus erat petra & baſis Eccleſiæ. Quare hoc nomen Cephæ, ſiue Petri, Simoni à Chriſto promiſſum fuit Ioan.1.42, ſed reipſa inditum, Matth.16.18.

Vers.17. Matt.10.2. Luc.6.14. Et Iacobvm Zebedæi, et Ioannem fratrem Iacobi (Iacobus priùs nominatur, quia erat ſenior Ioanne, qui omnium Apoſtolorum fuit iunior, & ætate minimus) et imposvit eis nomina Boanerges, qvod est (ſignificat) filii tonitrvi] *Nomina*, non dicit, nomen, ſed *nomina*, quia plures erant, ſcilicet duo, vnde plura requirebant nomina, ſcilicet Boanerges, quod eſt plurale, & ſignificat non filium, ſed *filios tonitrui*, in plurali, id eſt tonantes, ſcilicet Chriſti Euangelium & dogmata.

Boanerges, *quid?* Boanerges] Sic & Arabicus, Ægyptius; Perſicus; Æthiopicus verò, *Baanerges*. Hoc nomen eſt corruptum; nam hebraicè, vel potiùs ſyriacè dicendum eſſet *Banerges* aut *Bonerges*, quomodo habent quædam exemplaria, teſte Franc. Luca in Notation, hîc notat. 460. Syri enim, vti & Bauari ac Weſtphali, vocalem *a* pronunciant vt *o*, ac *e* pronunciant vt *a*: vnde pro *Semuel* dicunt *Samuel*, pro *Selomon Salomon*, pro *bene* dicũt *bane*, id eſt filij. Fortè *Banerges* corruptum verſumque eſt in *Boanerges* ab imperitis, putantibus *boa* ſignificare boatum tonitrui. Ita Franc. Lucas.

Porrò *Banerges*, vt rectè notat Ianſen. & Angelus Caninius in nomin. Hebr. cap.11. compoſitum & conflatum eſt ex בְּנֵי *bane*, id eſt filij, & רֶגֶשׁ *regeſc*, id eſt fremitus, hoc eſt tonitrui. Sic enim Iupiter à Græcis vocatur ὑψιβρεμέτης, id eſt altifremens, id eſt altitonans. Vnde & Syrus hic vertit, *bane reges*, id eſt filij tonitrui, pro quo Hebrei dicũt בְּנֵי רַעַם *bene raam*; ſed Chriſtus ſyriacè more illius æui locutus eſt. Eſt ergo hîc metatheſis: tranſponitur enim littera r, & præponitur littera e: nam pro *bane reges* dicitur *banerges*. Similes metatheſes in eadem littera r ſunt apud alias nationes, vti multis exemplis oſtendit Angelus Caninius in Helleniſmo pag. 64. Sic Græci Poëtæ pro καρδία, id eſt cor, dicũt κραδίη, pro κρατερὸς καρτερὸς pro πίταρος πίτρατος: Latini pro νεῦρον, dicunt *neruus*, pro ἅρπαξ *rapax*, pro ἁρπάζω *rapio*, pro μορφὴ *forma*, pro καρκῖνος *cancer*, pro κρέας *caro*, pro κρίνω *cerno*; nam qui iudicat, cernere debet. Punicè *geras*, ἄκρα, arx; etruſcè *rocca*, *bigr* virgo, *darag*, gradus, *mecar* marcor, *elmara* mulier, *carmes*, cramesy. Hebr. *arets* (belgicè *aerde*) terra, *ſippor* paſſer, *kebara* cribrum, *cabbirim* Cherubim, *keraim* crura, *kerem* cornu.

Senſus ergo eſt. q. d. Chriſtus Iacobum & Ioannem nomine nouo vocauit *banerges*, id eſt filios tonitrui, quia eos præ ceteris Apoſtolis deputauit ad illuſtrem prædicationem & propagationem ſui Euangelij, vt vitæ ſanctitate & miraculis eſſent quaſi fulmina, & vocis efficacia eſſent quaſi tonitrua, quæ homines etiam infideles & barbaros concuterent, & ad pœnitentiam vitamque ſanctam traducerent. Id patet in Iacobo: quia ipſe ob hanc libertatem & zelum prædicandi, primus inter Apoſtolos Iudæorum & Herodis iram incurrit, ab eiſque capite plexus Martyr occubuit, Actor.cap.12. Idem Hiſpanos & per eos Indos tam Orientales quàm Occidentales conuertit, aliaſque gentes in fide Chriſti vel erudit vel conſeruat. Ioannes verò diutiſſimè & efficaciſſimè prædicauit, vltimuſque Apoſtolorũ vita functus eſt, cùm Aſiam aliaſque prouincias prædicando Chriſto ſubegiſſet. Hinc & Euangelium à tonitru diuino orditur, quaſi Dei tonãtis aquila clangens & fulminans, dum ita intonat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ita S.Epiphan. hæreſi 73. Quocirca dum ipſe Euangelium ſcriberet, è cælo emicuêre fulgura & tonitrua, perinde ac emicuêre è monte Sina, cùm Deus in eo daret legem Moſi & Hebræis, vti ex Prochoro Ioannis diſcipulo, & ex Metaphraſte docet Baronius anno Chriſti 99. in fine.

Vide dicta Ezech.1.verſ.14. ad illa, *Ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*, vbi *de filij tonitrui*, Sic tripliciter explicui. Sic Pericles orator non tam loqui & perorare, quàm fulgurare & tonare videbatur, ait Quintil.lib.2.cap.6. Vnde Olympius, id eſt, cæleſtis, à Poëtis cognominatus eſt.



Vers.21. Et cvm avdissent svi, aliqui è cognatis Chriſti, Syrus, *fratrueles ipſius*. ita Euthym. Theophyl. Beda, exiervnt tenere (ligare) evm: dicebant enim: Qvoniam (quòd) in fvrorem versvs est] Græcè ἐξέστη, id eſt, extra ſe eſt, mente alienatus eſt ex nimia pietate & zelo factus mentis impos, delirus & inſanus. Vide dicta Matth.12.v.46. Arabicus, *dicentes, quoniam ipſe vecors eſſet*; Syrus ad verbum, *dicebant eum extra mentem ſuam exiſſe*; aliter alij, *dicentes. Quòd in deliquium incidit*, ex inedia, eò quòd præ turba non haberet otium manducandi, v.20.

# CAPVT QVARTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Chriſtus Primò, proponit parabolas: primò, ſeminantis; ſecundò, v.21. lucernæ expoſitæ in candelabro; tertiò, verſ.26. ſeminis; quartò, v.31. ſinapis. Secundò, verſ.37. dormiente ipſo oritur tempeſtas in mari, quam à diſcipulis excitatus, imperans ventis & mari ſedat.*

1. ET iterum cœpit docere ad mare: & congregata eſt ad eum turba multa, ita
vt nauim aſcendens ſederet in mari, & omnis turba circa mare ſuper terram
erat: 2. & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina ſua. 3. Au-
dite: ecce exijt ſeminans ad ſeminandum. 4. & dum ſeminat, aliud cecidit cir-
ca viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud. 5. Aliud verò ceci-
dit ſuper petroſa, vbi non habuit terram multam, & ſtatim exortum eſt, quoniam
non habebat altitudinem terræ: 6. & quando exortus eſt ſol, exæſtuauit: & eò
quòd non habebat radicem, exaruit. 7. Et aliud cecidit in ſpinas: & aſcende-
runt ſpinæ, & ſuffocauerunt illud, & fructum non dedit. 8. & aliud cecidit in
terram bonam: & dabat fructum aſcendentem, & creſcentem, & afferebat vnum
triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum. 9. Et dicebat: Qui habet aures au-
diendi, audiat. 10. Et cùm eſſet ſingularis interrogauerunt eum hi qui cum eo
erant duodecim, parabolam. 11. & dicebat eis: Vobis datum eſt noſſe myſte-
rium regni Dei: illis autem, qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt: 12. vt vi-
dentes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: nequan-
do conuertantur, & dimittantur eis peccata. 13. Et ait illis: Neſcitis parabolam
hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis? 14 Qui ſeminat, verbum ſe-
minat. 15. Hi autem ſunt, qui circa viam, vbi ſeminatur verbum, & cùm audie-
rint, confeſtim venit ſatanas, & aufert verbum, quod ſeminatum eſt in cordibus
eorum. 16. Et hi ſunt ſimiliter, qui ſuper petroſa ſeminantur: qui cùm audierint
verbum, ſtatim cum gaudio accipiunt illud: 17. & non habent radicem in ſe, ſed
temporales ſunt: deinde orta tribulatione & perſecutione propter verbum, con-
feſtim ſcandalizantur. 18. Et alij ſunt qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt, qui ver-
bum audiunt, 19. & ærumnæ ſæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua
concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur. 20. Et
hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt,
& fructificant, vnum triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum. 21. & dicebat
illis: Numquid venit lucerna vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto? nónne vt ſu-
per candelabrum ponatur? 22. Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non
manifeſtetur: nec factum eſt occultum, ſed vt in palam veniat. 23. Si quis ha-
bet aures audiendi, audiat, 24. Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua
menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis. 25. Qui enim ha-
bet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo: 26. Et di-
cebat: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, &
dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille.
28. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum
frumentum in ſpica. 29. Et cùm produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quo-
niam adeſt meſſis. 30. Et dicebat: Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut cui para-
bolæ comparabimus illud? 31, Sicut granum ſinapis, quod cùm ſeminatum fue-
rit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra: 32. & cùm ſemina-
tum fuerit, aſcendit, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt
poſſint

poſſint ſub vmbra eius aues cæli habitare. 33, Et talibus multis parabolis loque-
batur eis verbum ; prout poterant audire : 34. ſine parabola autem non loque-
batur eis, ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia. 35. Et ait illis in illa
die, cùm ſerò eſſet factum : Tranſeamus contrà, 36. Et dimittentes turbam, aſ-
ſumunt eum ita vt erat in naui : & aliæ naues erant cum illo. 37. Et facta eſt pro-
cella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. 38. Et
erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens : & excitant eum , & dicunt illi : Magi-
ſter, non ad te pertinet, quia perimus? 39. Et exurgens comminatus eſt vento,
& dixit mari : Tace , obmuteſce. Et ceſſauit ventus : & facta eſt tranquillitas ma-
gna. 40. Et ait illis : Quid timidi eſtis ? necdum habetis fidem? Et timuerunt ti-
more magno, & dicebant ad alterutrum : Quis putas, eſt iſte, quia & ventus & ma-
re obediunt ei ?

Vers.10. Luc.8 9. *Singularis, id eſt ſolus: curè* ET CVM ESSET SINGVLARIS] Græcè κατὰ μόνας, id eſt, *ſolitariè*, hoc eſt *ſolus*, vt vertit Arabicus, ſemotus à turba populi, Syrus; *cùm eſſet ſolus*. Sic ſolus & ſeparatus ab alijs latinè dicitur ſingulus, quaſi ſine angulo, eò quòd illa quæ vnica & ſola ſunt, nequeant conſtituere angulum : à ſingulo dicitur ſingularis, id eſt vnicus & ſolus. Vnde Cicero Academ. quæſt. l. 4. *Omitto*, ait, *Ariſtotelem in philoſophia propè ſingularem.* Et Cæſar libr. 4. de Bello Gallico: *Vbi aliquos ſingulares* (ſolos) *ex naui egredi conſpexerunt, incitatis equis impeditos adoriebantur.* Hinc & illud: *Quoniam tu Domine ſingulareter in ſpe conſtituiſti me*; pſal. 4. 10.

INTERROGAVERVNT EVM (Ieſum) HI QVI CVM EO ERANT DVODECIM] Græcus, Syrus, & Arabicus habent, *cum duodecim*. q.d. Septuaginta diſcipuli, qui cum duodecim Apoſtolis erant aſ- B ſeclæ Ieſu, interrogabant eum ; quis eſſet ſenſus parabolæ ſeminis & ſeminantis. Ita Euthym.

Vers.21. Luc.8.16. NVMQVID VENIT )id eſt adducitur, vel infertur in domum vel cubiculum) LVCERNA VT SVB MODIO PONATVR( ] vt abſcondatur ſub vaſe? q.d. Non ; ſed vt publicè exponatur, omnibuſque luceat. Hac parabola ſignificat Chriſtus nolle ſe myſteria huius parabolæ, ceteraque Euangelij dogmata celari & abſcondi, ſed velle vt diſcipuli eadem ſuo tempore explicent & communicent alijs, qui hoc tempore necdum illa capere poterant: quare illa non ſeruent occulta, ſed vulgent & palàm prædicent. Ita S. Hieron. Beda & alij, & patet ex v. ſequenti, cùm ſubdit.

Vers.22. Luc.8.16. NON EST ENIM ALIQVID ABSCONDITVM, QVOD NON MANIFESTETVR (quod non ſit ma- C nifeſtandum) NEC FACTVM EST OCCVLTVM, SED VT IN PALAM VENIAT] Ita lege cum Græcis & Roman. q. d. Licet doctrina Euangelica, & geſta dictaque mea adhuc arcana ſint & occulta, non volo tamen ea ſemper manere occulta ; ſed opportuno tempore manifeſtè à vobis, ô diſcipuli, omnibus proponi & prædicari. Ita S. Hieron. & Beda. Hoc eſt quod ait Chriſtus Matth. 10. v. 27. *Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.*

Vers.24. ET DICEBAT ILLIS : VIDETE QVID AVDIATIS] q.d. ait Euthym. Attendite ad ea quæ à me auditis, vt illa intelligatis & memoriæ mandetis, ac ſuo tempore opere exequamini, nimirum vt ea alijs communicetis. Cauſam ſubdit : *Nullum ex dictis meis vos effugiat*, ait Theophyl. Audi Bedam: *Inſtanter nos docet verba auſcultare, quatenus & no-* A *ſtro illud pectore continuè ruminare, & alieno ructare ſufficiamus, auditui.*

IN QVA MENSVRA MENSI FVERITIS, REMETIETVR VOBIS ET ADIICIETVR VOBIS] q.d. Si largè & copioſè doctrinam meam alijs communicaueritis & prædicaueritis, ego quoque largè & copioſè longè maiorem eius intelligentiam, ſapientiam, gratiam & gloriam quaſi antidoton & præmium vobis impertiar. Sic fontes quò plus aquæ deorſum effundunt, eò plus ſurſum recipiunt. Diſcant ergo doctores, catechiſtæ, prædicatores, &c. ex hac Chriſti ſententia & promiſſo, quò plura in alios docendo contulerint, eò plus ſapientiæ & gratiæ à Chriſto ſeſe recepturos, iuxta illud ; *Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus* (beneficijs, hoc eſt beneficè, largè, copioſè) *de benedictionibus & metet*; 2. Corinth. 9. 6. Vide ibi dicta.

QVI ENIM HABET , DABITVR ILLI : ET QVI NON HABET ; ETIAM QVOD HABET AVFERETVR AB EO] *Habet*, id eſt, vtitur & vtendo oſtendit ſe habere : hic enim habet in actu, cùm ille qui non vtitur gratia & dono, illam habeat in habitu, & otio dumtaxat: hoc eſt quod Theologi dicunt, vtentem gratia ſua, habere illam in actu ſecundo ; non vtentem verò habere eam dumtaxat in actu primo, hoc eſt, in potentia & habitu. Vide dicta Matth. 13. 12. & Matth. 25. 29. Senſus ergo eſt. q.d. Qui doctrina ſibi à Deo, ſiue per ſtudium, ſiue per infuſionem impertita vtitur, huic dabitur augmentum doctrinæ : ab illo autem qui doctrina ſua non vtitur, Deus illam auferet ab eo, vtpote otioſam & inutilem : Chriſtus enim hîc ſtimulat Apoſtolos ad diligentem & feruentem prædicationem Euangelij, pollicendo eis, ſi id fecerint, maiorem ſapientiæ ſuæ & gratiæ affluxum. Vers.25. Luc.8.18.

ET DICEBAT : SIC EST REGNVM DEI, QVEMADMODVM SI HOMO IACIAT SEMENTEM IN TERRAM] Hæc parabola alia & diuerſa eſt ab illa ſeminantis, quæ præceſſit v. 3. licèt vtraque ab eodem ſemine ſit petita, ſed diuerſimodè applicata & explicata. Porrò per ſemen, vt rectè docet S. Chryſoſt. Beda & Scholiaſt. apud Hieron. hîc, æquè ac apud S. Matth. c. 13. ſignificatur doctrina Euangelica; per agrum auditores; per meſſem conſummatio mundi, aut etiam mors cuiuſque hominis. Vers.26.

ET DORMIAT (ſcilicet homo qui ſeminauit) ET EXVRGAT NOCTE ET DIE, ET SEMEN GERMINET ET INCRESCAT , DVM NESCIT ILLE] Nonnulli τὸ *exurgat nocte & die*, referunt ad ſemen, vt explicans Chriſtus ſubdat, & (Τὸ & accipiunt vt διηγητικὸν, & explicatiuum eius quod præceſſit, ac ſumi putant pro *id eſt*) *ſemen germinet & increſcat dum neſcit ille*, ſcilicet homo dormiens. q.d. Semen iactum in terram ab agricola, germinat & creſcit continuè nocte & die, ac etiam dum agricola de eo non cogitat, ſed quieſcit & dormit. Ita Beda, Scholiaſtes apud S. Hieron. & Gloſſa.

Planiùs, S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Maldon. Franc. Lucas & alij τὸ *exurgat die & nocte*, referunt ad hominem ſeminantem, non ad ſemen, ita vt τὸ *nocte* pertineat ad τὸ *dormiat*: τὸ verò *die*, ad *exurgat*. q.d. Sicut agricola, qui ſeminauit, otioſè per noctem dormiente, & per diem ſurgente, alijſque negotijs vacante, nec de ſemine & agro cogitante, ipſum tamen ſemen vi ſua germinat & creſcit agricola neſciente ; ita vt primò germinet herbam ſiue germen ; deinde ſpicam, ac deinde frumentum in ſpica : ſic pariter ſe habet Euangelij prædicatio & doctrina : hæc enim à Chriſto & Apoſtolis ſeminata, id eſt, prædicata à paruis initijs continuò, ſed ſenſim, ſine ſenſu creſcit in magnas & maturas fidelium fruges, ipſo Chriſto quaſi dormiente in cælis, & velut neſciente, eò quod permittat Iudæos & Gentes infideles ac tyrannos contra Apoſtolos & Euangelium inſurgere, eoſque perſequi & occidere; creſcit, inquam, donec ſenſim ſe propagans totum orbem occupet, quando matura iam meſſe frumentum, id eſt, electi colligentur in horreum cæli, quod fiet in fine mundi & die iudicij.

Hac ergo parabola ſignificatur vis Euangelij, quod ſenſim totum orbem peruaſit, eumque ad ſe & Chriſtum conuertit. Tacitè quoque per illam ſignificatur, non eſſe gloriandum Apoſtolis præconibus Euangelij in ſua prædicatione, quaſi ipſi per eam orbem conuerterint; quia, vt ait Apoſtolus, *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, 1. Corinth. 3. 7. Ex alia parte innuit, nec eos debere cadere animo, ſi videant paruum & lentum eſſe prædicationis ſuæ fructum, quia Deus per paucos ab eis conuerſos multos alios ſenſim conuertet, vti S. Iacobus per ſeptem, vel, vt alij, nouem à ſe conuerſos in Hiſpania, totam Hiſpaniam conuertit.

Vers.28. VLTRO ENIM TERRA FRVCTIFICAT , PRIMVM HERBAM DEINDE SPICAM, DEINDE PLENVM FRVMENTVM IN SPICA] Arabicus, *quia terra ſola profert fructum, primò herbam, & poſt illam ſpicam? deinde impletur ſpica, vt quando perfectus ſit fructus, tunc ponatur falx, quoniam adeſt meſſis.* Sic pariter ſenſim per prædicationem Euangelij creuit Chriſti fides, & Eccleſia per varios incrementorum gradus : creuit, inquam, tum in virtutibus, tum in propagatione per omnes prouincias.

*Moraliter herba, ſpica, frumentum, quid ſignificent?* Moraliter hæc tria, herbam, ſpicam, frumentum triplici virtutum & meritorum cuiuſque incremento adaptant interpretes. Terra enim cordis noſtri germinat Primò, herbam, cùm bona deſideria & opera in ſe concipit & inchoat ; Secundò, ſpicam, cùm ea operando ſtrenuè proſequitur ; Tertiò, frumentum, cùm opera, virtutes, & merita ad plenam maturitatem & perfectionem perducit. Ita Theophyl. *Herba*, ait, *eſt in principio boni, ſpica cùm reſiſtimus tentationibus, fructus perfecta operatio.*



A Audi S. Gregorium homil. 15. in Ezech. & lib. 22. Moral. cap. 14. *Herbam producere, eſt inchoationis bonæ adhuc teneritudinem tenere. Ad ſpicam herba peruenit, cum virtus animo concepta ad profectum boni operis perducit. Plenum verò frumentum in ſpica fructificat, quando iam in tantum virtus proficit, vt eſſe robuſti & perfecti operis poſſit.* Quare *non ſatis eſt ad ſalutem*, inquit Victor Antiòch. *vt inſtar viridis fœni per obedientiam floreamus : ſed quadam præterea maſculâ animi fortitudine, quâ ventorum flatibus, hoc eſt, tentationibus circumacti, erecti culmi inſtar conſiſtamus opus eſt. Tùm etiam vt veluti vberes ariſtæ fructuum, hoc eſt, virtutum granis turgeamus, metentiſq; manum impleamus.*

Innuit ergo hîc Chriſtus ; Apoſtolos, & eos qui animas conuertũt, debere longanimiter expectare laboris ſui fructum & meſſem, vti ex- B ſpectant agricolæ ; ac teneros fideles ſenſim docendo, monendo, exercendo fouere & promouere ad apicem virtutis. *Nullus itaque*, inquit Beda, *qui ad bonum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur, deſpiciatur, quia frumentum ab herba incipit vt granum fiat.* Symbol. Scholiaſtes apud S. Chryſoſt. *Herba*, ait, *fuit in lege naturæ, ſpica in lege Moyſis, frumentum in Euangelio.*

ET CVM PRODVXERIT FRVCTVS, STATIM MITTIT FALCEM] Græcè, ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς, id eſt, cùm verò prodiderit ſe, vel cùm productus fuerit fructus : fructus ergo hîc eſt nominatiui caſus ; vnde alij vertunt ; *cùm prouenerit fructus* ; Euthym. *cùm maturuerit* ; Syrus, *cùm pinguis euaſerit*; Arabic. *cùm perfectus fuerit*. Eſt hebraiſmus. Apud Hebræos enim verba in coniugatione *hitpaël* ſunt paſſiuæ ſignificationis, aut actionis reflexæ, qua agens actionem in ſe C ſuſcipit, vt idem ſit patiens qui eſt agens. Vnde quidam codices legunt : *Cùm ſe produxerit fructus:*; aliter Maldonatus, *Cùm ſe produxerit fructus: Cùm fructus*, inquit, *id eſt ipſum ſemen, quod erat fructus prioris ſeminis, produxerit; ſcilicet alium ex ſe fructum.* Vers.29.

ET TALIBVS MVLTIS PARABOLIS LOQVEBATVR EIS VERBVM, PROVT POTERANT AVDIRE] id eſt, prout digni erant audire, ait Maldon. ex Beda, Euthym. & Clemente Alex. lib. 1. Strom. q.d. Chriſtus volentibus Apoſtolis intelligere & credere, ſine parabolis perſpicuè loquebatur, vt magis & magis intelligerent : Scribis autem & Iudæis nolentibus credere & intelligere, adeò obſcurè & parabolicè loquebatur, vt, etiamſi vellent, intelligere tamen non poſſent. D Simpliciùs & planiùs Theophyl. & Franc. Lucas hîc, ac S. Chryſoſt. in Matth. hom. 45. q.d. Chriſtus *talibus*, putà vulgaribus & facilibus, *parabolis*, quas vulgò omnes noſſent, non verò abſtruſis & turbæ incognitis loquebatur, vt earum corticem intelligeret, ac ſub eis aliquid cæleſte & diuinum latere cognoſceret : quod licet in particulari ipſa non comprehenderet, tamen per parabolam notam ad rem ignotam ſub ea latentem veſtigandam, & perquirendam, à Chriſto incitabatur & ſtimulabatur. Vers.33. Matth 13. 34.

ITA VT ERAT IN NAVI] q.d. Diſcipuli aſſumpſerunt Chriſtum in altum mare, vt illuc cum eo traijcerent ; Chriſtum, inquam, ita vt erat in naui, ſedens ſcilicet, & docens populum in littore ſtantem, vt patet v. 1. nam poſtea v. 38. ſitum hunc mutauit dormiens in naui. Notat celerem diſci- Vers.36.

diſcipulorum obedientiam, ac viciſſim Chriſti facilitatem eorum promptitudini ſe accommodantem, vt turbæ affluentis tumultum vitaret. Paulò aliter Franc.Lucas: *Ita vt erat in naui*, hoc eſt, inquit, citra vllum è naui, in qua erat egreſſum. Vnde Syrus vertit, *cùm eſſet in naui*; Arabi- A cus, *aſſumpſerunt eum in naui.*

Et aliæ naves erant cvm illo] Conſilio Dei factum eſt, vt plurimi qui nauibus iſtis vehebantur, ſpectatores & teſtes forent miraculi proximè à Chriſto patrandi, ſcilicet ſedandæ tempeſtatis.

# CAPVT QVINTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

P*Rimò, Chriſtus ab energumeno eijcit legionem dæmonum, quæ, Chriſto permittente, ingreſſa in porcos, eos in mare præcipitat. Secundò, v.25. hæmorrhoiſſam à profluuio ſanguinis ſanat. Tertiò v.35. Jairi filiam à morte reuocat ad vitam.*

1. ET venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum, 2. Et exeunti ei de naui, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, 3.
qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſquam poterat
eum ligare: 4. quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare: 5. & ſemper
die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus. 6. Videns autem Ieſum à longè, cucurrit, & adorauit eum: 7. & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Ieſu fili Dei altiſſimi? adiuro te per
Deum ne me torqueas. 8, Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.
9. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt,
quia multi ſumus. 10. Et deprecabatur eum multùm, ne ſe expelleret extra regionem. 11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, paſcens.
12. Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: Mitte nos in porcos vt in eos introeamus. 13. Et conceſſit eis ſtatim Ieſus. Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia,
& ſuffocati ſunt in mari 14. Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem, & in agros. Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum: 15. & veniunt ad Ieſum: & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, &
ſanæ mentis, & timuerunt. 16. Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum
eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis. 17. Et rogare cœperunt eum vt
diſcederet de finibus eorum. 18. Cumque aſcenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt eſſet cum illo? 19. & non admiſit eum,
ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi Dominus
fecerit, & miſertus ſit tui. 20. Et abijt, & cœpit prædicare in decapoli, quanta
ſibi feciſſet Ieſus: & omnes mirabantur. 21. Et cùm tranſcendiſſet Ieſus in naui
rurſum trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. 22. Et
venit quidam de archiſynagogis nomine Iairus: & videns eum, procidit ad pedes
eius, 23. & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, Veni, impone manum ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat. 24. & abijt cum
illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. 25. Et mulier quæ
erat in profluuio ſanguinis annis duodecim. 26. & fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis: & erogauerat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magis
deteriùs habebat: 27. cùm audiſſet de Ieſu, venit in turba retrò, & tetigit veſtimentum eius: 28. dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero.
29. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius: & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga. 30. Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat
de illo, conuerſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea? 31. Et dicebant
ei diſcipuli ſui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit? 32. Et
circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. 33. Mulier verò timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem
veritatem, 34. Ille autem dixit ei; Filia, fides tua te ſaluam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua. 35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archiſynagogo,
dicentes: Quia filia tua mortua eſt: quid vltrà vexas Magiſtrum? 36. Ieſus autem
audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere: tantummodo crede. 37. Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem
fratrem Iacobi: 38. Et veniunt in domum archiſynagogi, & videt tumultum,
& flentes, & eiulantes multum. 39. Et ingreſſus, ait illis: Quid turbamini, &
ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit. 40, Et irridebant eum. Ipſe vero
eiectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur vbi puella erat iacens. 41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge. 42. & confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obſtupuerunt ſtupore magno. 43. Et præcepit illis vehementer vt nemo id ſciret: & dixit dari illi manducare.



VERS. 2. Mat.8.28. Luc.8.27. HOMO IN SPIRITV IMMVNDO] Id eſt, homo ſpiritus immundi, ſiue habens ſpiritum immundum, putà poſſeſſus à dæmone, Vide dicta c.1.v.23.

VERS. 7. Mat.8.29. Luc.8.28. ADIVRO TE PER DEVM NE ME TORQVEAS] quia ſciebat dæmon ſibi ſuiſque meritis & precibus nihil tribuendum à Chriſto; hinc interponit nomen Dei, quod ſciebat Chriſtum ſummè reuereri. q. d. Interpoſita & inuocata nominis diuini (quod tibi ſacrum ſanctumque eſſe ſcio) auctoritate te rogo, obteſtor, & quoad poſſum conſtringo ne me ex hoc corpore eijcias, & in infernum ableges: hoc enim ſummum dæmoni eſt tormentum.

VERS. 9. Luc.8.30. LEGIO MIHI NOMEN EST (Syrus, *Legio nomen noſtrum*. q.d. Sumus legio dæmonum, vnde explicans ſubdit: QVIA MVLTI SVMVS] Legio propriè continebat milites 6666. Vide dicta Matt.c.26. 53. ſed hîc ponitur numerus certus pro incerto Nota: Dæmon eſt ſimia Dei, hinc imitatur Deum, qui eſt Dominus exercituum, ſcilicet angelicorum. Simili enim modo dæmon ſe vocat *legionem*, quia plurimos è grege ſuo ſocios in aciem educit, vt Deum Deique fideles oppugnet: quocirca merito eam formidare debent homines, ſcientes ſibi certamen eſſe, non cum hominibus, ſed cum dæmonibus, iiſque plurimis, in perniciem ſuam coniurantibus, ideoque Dei & ſanctorum angelorum opem implorare & obtinere debere, vti obtinuit Eliſeus 4.Regum 6.17. Cetera dixi Matth.8.28.

*Dæmon ſimia Dei.*

VERS. 21. Mat. 9.1. Luc. 8. v. 37.40. ET CVM TRANSCENDISSET IESVS IN NAVI] Græcè, Διαπεράσαντος, id eſt, cùm traieciſſet naui in vlteriorem & aduerſam maris Galilææ ripam.

VERS. 25. Mat.9.20 Luc. 8.43. ET MVLIER QVÆ ERAT IN PROFLVVIO SANGVINIS ANNIS DVODECIM] *Mulier* ex Cæſarea Philippi, quæ priùs Dan, deinde Paneas, deniq; Cæſaræa eſt dicta. Hæc eſt hæmorrhoiſſa illa celebris, quę à fluxu ſanguinis curata à Chriſto, in memoriam tanti beneficij, ſtatuam illius indicem, Cæſareæ Chriſto erexit, è cuius baſi naſcens herba cùm Chriſti fimbriam tetigiſſet, morbis quibuſlibet medebatur, teſte Euſebio lib.7.Hiſtor.c.14. Sozomen. lib. 5. cap.21. & Theophylact.hîc. Iulianus apoſtata hoſtis Chriſti, ſtatuam hanc deiecit, & ſui effigiem eius loco collocauit: ſed hæc fulmine icta diſſilijt, teſte Sozomeno, & Hiſtor.tripart.lib.6.ca.19, Iulianum imitantur noſtri Nouantes, qui Sanctorum reliquias abijciunt, mergunt & comburunt, cùm ſuorum reliquias ſeruent & venerentur. Nā cor Zuinglij combuſti inter cineres repertum, magno cultu ſeruant eius aſſeclæ Zuingliani, ait Capito in Vita Zuinglij.

*Imaginis vis.*



A Quare non eſt veriſimile hæmorrhoiſſam hanc fuiſſe Martham ſororem Magdalenæ, vt opinatur S.Ambroſ.lib.de Salomone c. 5. Martha enim Bethaniæ habitabat iuxta Ieruſalem, non Cæſareæ in Phœnicia. Euangelium Nicodemi hæmorrhoiſſam hanc vocat Veronicam, quæ Chriſto eunti ad crucem velum ad ſudorem tergendum præbuit, in quo Chriſtus vultus ſui effigiem expreſſit. Sed hoc Euangelium eſt apocryphum & incertæ fidei.

DETERIVS HABEBAT] Arabicus, *addiderat, dolorem.*

VENIT IN TVRRA RETRO] quia non audebat coram in manifeſto accedere, tum ex reuerentia Chriſti, tum quia erat immunda ex fluxu ſanguinis, ait Scholiaſtes apud S. Chryſoſt. immunda, inquam, tum legaliter: lex Moſi enim immundos à templo arcendos decernebat eos, B qui ſanguinis fluxu laborabant: tum phyſicè: eſt enim fœdus hic profluuij morbus & tangentes polluit. VERS. 26. Luc.8.43. VERS. 27. Mar. 9.20 Luc.8.44.

ET TETIGIT VESTIMENTVM EIVS.

DICEBAT ENIM QVIA SI VEL VESTIMENTVM EIVS TETIGERO, SALVA ERO] Matthæus cap.9 20. pro *veſtimentum*, habet *fimbriam veſtimenti eius*. *Fimbria* vocatur fila extimæ veſti attexta vel aſſuta, hyacinthini ſiue violacei coloris, quæ iuſſit Deus Iudæos geſtare, vt per ea iugiter refricaretur eis memoria præceptorum Dei, & cęli ipſius; quæ Chriſtus ex lege geſtauit, quaſi inſigne gentis & religionis Iudaicæ. Vide dicta Numer.15.38. VERS. 28. Mat.9.21. Luc.8.44.

*Fimbria quid.*

Eſt hîc exemplum & argumentum ad probandum vim & vſum SS. reliquiarum: talis enim fuit fimbria Chriſti, quæ hæmorrhoiſſam ſanauit. Reſpondet Caluinus, mulierem hanc fuiſſe ſuperſtitioſam, & ſuperſtitionem aliquam ſuo C facto miſcuiſſe. Verùm hoc refellit hîc Chriſtus & Marcus, qui non ſuperſtitioni, ſed fidei ipſius ſanitatem hanc tribuunt, eamque commendant & confirmant. Nam verſ. 30. dicitur: *Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo*, id eſt, de fimbria illius. Et verſ.34. *Filia fides tua te ſaluam fecit: vade in pace.* Rectè S. Hilar. *Sicut*, inquit, *auctor naturæ dat magneti vim attrahendi ferrum, ita Chriſtus dabat veſti ſuæ vim ſanandi ex fide tangentem.* Si veſti, ergo multò magis Euchariſtiæ. Vnde S. Gorgonia tactu Euchariſtiæ à morbo graui ſanata eſt, teſte Nazianz. orat.11. æquè ac S. Catharina Senenſis, alijque permulti. Vide noſtrum Salmeronem tom.6. tract.15. in fine.

ET CONFESTIM SICCATVS EST FONS SANGVINIS EIVS] id eſt, ſtetit profluuium ſanguinis, quod è corpore eius quaſi è fonte per eum VERS. 29. Luc.8.44.

iugiter ſcaturiebat. Vnde Arabicus vertit, *& confeſtim ceſſauit curſus ſanguinis eius.* A

Tropol. fluxus ſanguinis ſunt carnis & ſanguinis delectationes, ait Beda, vti gulæ luxuriæ, &c. has ſanat caro Chriſti puriſſima in pia Euchariſtiæ ſumptione.

VERS. 30. Luc. 8. 45. 46. ET STATIM IESVS IN SEMETIPSO COGNOSCENS VIRTVTEM QVÆ EXIERAT AB ILLO] & ſanauerat hæmorrhoiſſam, non quaſi qualitas aliqua à Chriſti fimbria exierit, aut virtus hæc de loco in locum, putà de fimbria Chriſti, in hæmorrhoiſſam migrarit, ſed ratione effectus, quem in muliere cauſabat. Virtus enim manens in Chriſto, operabatur effectum ſanitatis in muliere. *Sicut*, inquit Theophyl. *doctrina doctorum dicitur communicari diſcipulis, & in eos transfundi*, cùm tamen doctrina ipſa in doctoribus maneat, & ſui effectum dumtaxat, putà cognitionem ſimilem in diſcipulos traducat. B

Nota. Hæc virtus ſanandi & faciendi miracula quælibet indita à Verbo humanitati Chriſti, non erat qualitas phyſica; hæc enim debuiſſet eſſe infinita, vtpote diuinæ & infinitæ efficaciæ, cuius humanitas Chriſti creata non erat capax; ſed erat qualitas moralis, putà virtus inſtrumentaria; agebat enim hæc humanitas Chriſti, quaſi inſtrumentum diuinitatis. Ita Abulenſ. quæſt. 102. in cap. 9. Matthæi, & Salmeron loco citato.

QVIS TETIGIT VESTIMENTA MEA?] *Chriſtus id interrogat*, ait Beda, *vt ſalus quam mulieri dederat, declarata & agnita, fidei virtute multis proficiat; eoſq; alliciat ad credendum in Chriſtum.* Addit Scholiaſtes apud Chryſoſt. vt mulieris fidem prædicet & celebret; Theophyl. verò tertiam cauſam adijcit, vt mulierem à timore ſolueret. C

VERS. 33. Luc. 8. 47. MVLIER VERÒ TIMENS ET TREMENS, SCIENS QVOD FACTVM ESSET IN SE, VENIT ET PROCIDIT ANTE EVM, ET DIXIT EI OMNEM VERITATEM] *Timens & tremens*, non quòd ſuperſtitionem commiſiſſet, vt vult Caluinus; ſed quòd clanculùm acceſſiſſet, & immunda Chriſtum mundum tetigiſſet, vt beneficium ſanitatis Chriſto inſcio quaſi ſuffurata fuiſſet: ideo timebat ne à Chriſto increparetur, aut ne Chriſtus beneficium ſuum repeteret & reuocaret vel grauiori malo eam plecteret. Hinc patet eam necdum perfectam in Chriſtum fidem & ſpem habuiſſe; non enim putaſſet, Chriſtum latère ſe poſſe, nec adeò eum timuiſſet. Quare Chriſtus eam animans dixit: *Confide filia*; vt habet Matth. c. 9. ita Chryſoſt. ibidem.

ILLE AVTEM DIXIT EI: FILIA, FIDES TVA TE SALVAM FECIT] Chriſtus hic mulieri timenti, ne Chriſtus ipſam vt furtim ſanatam, morbi recidiuâ, aliòue malo puniret, ſanitatem acceptam confirmat, ſtabilemque eſſe iubet. q. d. Non nuda fimbria mea, quam magna fide & certa ſpe, ſanitatis obtinendæ tetigiſti, ô mulier, te ſanauit, ſed principaliter omnipotentia mea, ſecundariò verò fides tua: hæc enim vel vt diſpoſitio, vel vt meritum, ſiue cauſa meritoria, te à fluxu ſanguinis liberauit; quam liberationem ego ratam habeo, imò confirmo & roboro. VERS. 34. Mat. 9. 22. Luc. 8. 48.

VADE IN PACE] *Mittit eam in finem bonorum* inquit Scholiaſt. Chryſoſt. *In pace enim Deus habitat, vt cognoſcat ſe etiam à peccatis mundatam.* Nam quos corpore Chriſtus ſanauit, hos etiam in anima ſanctificauit.

PVELLA NON EST MORTVA, SED DORMIT] Licèt enim verè ſit mortua, tamen illicò per me à morte quaſi à ſomno excitabitur: quare non tam mortua, quæ ſemper manet mortua, quàm dormiens eſſe videtur. Vel, vt Scholiaſtes apud S. Hieron. q. d. *Vobis mortua eſt, mihi dormit.* VERS. 39. Mat. 9. 24. Luc. 8. 52.

TALITHA CVMI] Hebræi ילד *ieled*, vocant puerum, pro quo Syri & Chaldæi dicunt *tali*, vnde femininè *talitha*, id eſt puella: *cumi*, id eſt, ſurge, vt è lecto vbi iaces mortua, ſurgas & ſtes viua. Porrò vt ἐμφαλικώτερον (id eſt, maiorem emphaſin) *faceret Marcus, & ſenſum vocantis atque imperantis exprimeret, addidit, Tibi dico*, ait S. Hieron. lib de Optimo genere interpretandi. VERS. 41. Mat. 9. 25. Luc. 8. 54.

ET CONFESTIM SVRREXIT PVELLA, ET AMBVLABAT] vt motu ſe viuam oſtenderet. Myſticè: *quia*, vt ait Beda, *anima à peccatis reſuſcitata, non ſolùm à ſordibus ſcelerum exurgere, ſed & bonis proficere debet operibus.* VERS. 42.

ET DIXIT DARI ILLI MANDVCARE] Arabic. *& dixit, Cibate eam*, vt oſtenderet eam non tantùm verè reſurrexiſſe, ſed & valere & famere. Solent enim pueri & puellæ cùm à ſomno euigilant, famere & cibum petere: ſomno enim omnem cibum heſternum digeſſerunt, ſi ſanæ ſunt & valentes: tunc enim pollent magno ſtomachi calore. Mors enim illi fuit loco ſomni, vt ait Chriſtus v. 39. VERS. 43. Luc. 8. v. 55. 56.

# CAPVT SEXTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, Nazareni Ieſum prædicantem ſpernunt quaſi ciuem ſuum & fabri filium. Secundò, v. 7. Ieſus Apoſtolos mittit binos prædicatum additâ eis poteſtate curandi morbos & dæmones eijciendi. Tertiò, verſ. 14. Herodes auditis miraculis, Ieſu, ſuſpicatur Ioannem Baptiſtam à ſe occiſum in Ieſu reſurrexiſſe: qua de cauſa cædes Ioannis recenſetur. Quartò, v. 30. redeunt ad Chriſtum Apoſtoli, narrantes quæ egerint. Chriſtus mox quinque panibus ſatiat quinque hominum millia. Quintò, v. 47. venit ad diſcipulos ambulans ſuper mare, ac tempeſtatem ſedat, multoſque contactu fimbriæ ſanat.*

1. ET egreſſus inde, abijt in patriam ſuam: & ſequebantur eum diſcipuli ſui:
2. & facto ſabbato cœpit in ſynagoga docere: & multi audientes admira-
bantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia, quæ
data



data eſt illi? & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? 3. Nónne hic eſt
faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? nónne & ſorores
eius hîc nobiſcum ſunt? Et ſcandalizabantur in illo. 4. Et dicebat illis Ieſus:
Quia non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cogna-
tione ſua. 5. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos im-
poſitis manibus curauit: 6. & mirabatur propter incredulitatem eorum, & cir-
cuibat caſtella in circuitu docens, 7. Et vocauit duodecim: & cœpit eos mittere
binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum. 8. Et præcepit eis ne
quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona
æs, 9. ſed calceatos ſandalijs, & ne induerentur duabus tunicis. 10. Et dice-
bat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde: 11.
& quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pul-
uerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis. 12. Et exeuntes prædicabant vt pœ-
nitentiam agerent: 13. & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos
ægros, & ſanabant. 14. Et audiuit rex Herodes, (manifeſtum enim factum eſt
nomen eius) & dicebat: Quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis: & propte-
rea virtutes operantur in illo. 15. Alij autem dicebant: Quia Elias eſt. Alij ve-
rò dicebant: Quia propheta eſt, quaſi vnus ex prophetis. 16. Quo audito Hero-
des ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis reſurrexit. 17. Ipſe enim
Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem
vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. 18. Dicebat enim Ioannes Hero-
di: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. 19. Herodias autem inſidiabatur
illi: & volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim metuebat Ioan-
nem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum: & cuſtodiebat eum, & audito eo mul-
ta faciebat, & libenter eum audiebat. 21. Et cùm dies opportunus accidiſſet,
Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis, & primis Galilææ. 22.
cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimul-
que recumbentibus; rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: 23. & iu-
rauit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium regni mei. 24. Quæ
cùm exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ.
25. Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petiuit dicens: Volo vt
protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. 26. Et contriſtatus eſt rex:
propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare: 27,
ſed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco. Et decollauit eum in car-
cere, 28. & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit
matri ſuæ. 29. Quo audito, diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius: &
poſuerunt illud in monumento. 30. Et conuenientes Apoſtoli ad Ieſum, re-
nuntiauerunt ei omnia, quæ egerant & docuerant. 31. Et ait illis: Venite ſeor-
ſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant & re-
dibant multi: & nec ſpatium manducandi habebant. 32. Et aſcendentes in na-
uim, abierunt in deſertum locum ſeorſum. 33, Et viderunt eos abeuntes, & cog-
nouerunt multi; & pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præue-
nerunt eos. 34. Et exiens vidit turbam multam Ieſus: & miſertus eſt ſuper eos,
quia erant ſicut oues non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa. 35. Et
cùm iam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli eius, dicentes: Deſertus eſt locus
hic, & iam hora præterijt: 36. dimitte illos, vt euntes in proximas villas & vi-
cos, emant ſibi cibos, quos manducent. 37. Et reſpondens ait illis: Date illis vos
manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus
illis manducare. 38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cùm co-
gnouiſſent, dicunt: Quinque, & duos piſces. 39. Et præcepit illis, vt accumbere
facerent omnes ſecundùm contubernia ſuper viride fœnum. 40. Et diſcubue-
runt in partes per centenos & quinquagenos. 41. Et acceptis quinque panibus
& duobus piſcibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipu-
lis ſuis, vt ponerent ante eos: & duos piſces diuiſit omnibus. 42. Et manduca-
uerunt omnes, & ſaturati ſunt. 43. Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorum duo-
decim cophinos plenos, & de piſcibus. 44. Erant autem qui manducauerunt
quinque millia virorum. 45. Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere nauim,
vt præcederent eum trans fretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum.
46. Et cùm dimiſiſſet eos, abijt in montem orare. 47. Et cùm ſerò eſſet, erat


nauis

nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra. 48, Et videns eos laborantes in remi-
gando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad
eos ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos. 49. At illi vt viderunt eum
ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. 50. Om-
nes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit
eis: Confidite ego ſum, nolite timere. 51. Et aſcendit ad illos in nauim, &
ceſſauit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant. 52. non enim intellexerunt
de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. 53. Et cùm transfretaſſent, ve-
nerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt. 54. Cumque egreſſi eſſent de
naui, continuò cognouerunt eum: 55. & percurrentes vniuerſam regionem il-
lam, cœperunt in grabatis eos qui ſe malè habebant, circumferre, vbi audiebant
eum eſſe. 56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in
plateis ponebant infimos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius
tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.

VERS. 1. Matth. 13. v. 53. 64. Luc. 4. 16. ET EGRESSVS INDE (ex vrbe Capharnao, vbi filiam Iaïri ſuſcitarat) ABIIT IN PATRIAM SVAM] in Nazareth, vbi Chriſtus non natus quidem, ſed educatus fuerat, & vbi eius fratres & ſorores, id eſt, cognati & cognatæ habitabant, vt patet v. 3. ita Beda.

VERS. 2. Mat. 13. 54. Luc. 4. v. 16. 22. ADMIRABANTVR DE DOCTRINA EIVS] Id eſt, admirabantur doctrinam eius tam ſanctam, ſublimem & diuinam, tamque efficacem; vtpote quam Chriſtus per tot virtutes, id eſt miracula confirmabat. Eſt Hebraiſmus. Hebræi enim vſurpant ב *beth* contactus, ſiue corporalis ſiue mentalis, loco accuſatiui, vt dicant, Tango in manu, id eſt, tango manum; credo in Deo, id eſt, credo Deum; admiror in ſapientia, id eſt admiror ſapientiam.

VERS. 5. Mat. 13. 58. ET NON POTERAT IBI VIRTVTEM (miraculum) VLLAM FACERE] *Non poterat*, id eſt, non volebat, quia cenſebat non decere, vt ſanctum daretur canibus, ac incredulis & ingratis ciuibus ſuis obtruderet miracula ſua. Sic *non poſſe* pro *non velle* ſumitur Geneſ. 37. 4. & Ioan. 7. 7. Sic vulgò dicimus. Non poſſum mihi imperare, vt illi indigno hanc gratiam præſtem; non poſſum, id eſt, difficulter poſſum, quia nolo & voluntas reluctatur. *Quia enim*, ait hîc Victor Antioch. *ad impetrandam ſanitatem vtrumque coire debet, nimirum eorum qui cura egēt, fides, & illius rurſum qui curaturus eſt, virtus: ſi alterum horum defuerit, non temerè ſanitatis beneficium obueniet.* Vt ergo miraculum conuenienter fiat, duo requiruntur, ſcilicet potentia in patrante, & fides in patiente; cùm alterutrum deeſt, dicitur illud fieri non poſſe. Ita Theophyl. & Euthym.

VERS. 6. Mat. 13. 58. ET MIRABATVR PROPTER INCREDVLITATEM EORVM] Videtur huic dicto repugnare Lucas c. 4. 22. dicens: Et *omnes teſtimonium illi dabant & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius.* Reſp. Nazarenos quidem miratos fuiſſe, quòd Ieſus; cùm eſſet filius fabri ſibi noti & vicini, foret tamen tam ſapiens, diſertus & efficax in prædicando; ſed eoſdem tamen incredulos fuiſſe eius doctrinæ & perſonæ, quòd ſcilicet ipſe eſſet Meſſias ſiue Chriſtus. Id ita eſſe patet ex ijs quæ ſubijcit Lucas.

VERS. 13. *Apoſtoli vngebant ægros.* ET VNGEBANT OLEO MVLTOS ÆGROS, ET SANABANT] Opinantur nonnulli hanc vnctionem eſſe eamdem cum illa, de qua S. Iacobus in epiſt. ſua cap. 5. 14. ſcilicet Sacramentum Extremæ vnctionis. Ita Beda Theophyl. Lyranus, Dionyſ. Carthuſ. Franc. Lucas & alij, qui cenſent iam à Chriſto inſtitutum fuiſſe Sacramentum Extremæ vnctionis, illudque hîc infirmis contuliſſe Apoſtolos iuſſu Chriſti, eſto necdum ab eo ordinati eſſent ſacerdotes. *An ſacramentaliter.*

Verùm contrarium videtur verius, Primò, quia ſolus ſacerdos eſt miniſter Sacramenti Extremæ vnctionis: Apoſtoli autem necdum erant ſacerdotes, nam in vltima cœna eos Chriſtus creauit ſacerdotes, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Secundò, quia Apoſtoli hîc quoslibet infirmos vnxerunt; ergo etiam non baptizatos, non moribundos: atque Extrema vnctio confertur tantùm baptizatis & moribundis.

Tertiò, omnes vncti hîc ab Apoſtolis ſanabantur; hoc autem non fit in Extrema vnctione, quæ primariò ad ſanitatem & robur mentis dirigitur.

Quartò, quia Concil. Trident. ſeſſ. 14. ait Sacramentum Extremæ vnctionis apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum fuiſſe. Fuit ergo hæc vnctio typus, & quaſi præludium inſtituendi Sacramentum Extremæ vnctionis, non ipſum Sacramentum. Erat igitur hæc vnctio miraculoſa, ſeu donum miralorum datum Apoſtolis ad tempus, vt eo ſuam de Chriſto prædicationem confirmarent; non ſacramentum ſemper duraturum: ſicut S. Genouefa, & multi ſancti Anachoretæ oleo à ſe benedicto, & ad infirmos miſſo, eos ſanabant, vt patet ex Vitis Patrum, Cauſam cur oleo potiùs quàm vino vterentur, dat Victor Antiochen. dicens: *Oleum inter alia & laborum moleſtiam mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat.* Oleum ergo quod in ſacra vnctione adhibetur, & Dei miſericordiam & morbi ſanationem, & cordis illuminationem denotat. Idem aſſerunt Theophyl. & Euthym. Simili modo baptiſmus Ioannis non fuit Sacramentum, ſed typus & præludium Sacramenti Baptiſmi à Chriſto mox inſtituendi. Ita paſſim interpretes.

VERS. 16. Mat. 14. 2. QVO AVDITO HERODES AIT: QVEM EGO DECOLLAVI IOANNEM, HIC A MORTVIS RESVRREXIT] in Ieſu patrante tot miracula. q. d. Anima Ioannis tranſijt in Ieſum, ideoque ibi quaſi reſurgendo diuinior facta, tanta & tot ſtupenda in eo operatur. Lucas cap. 9. 7. ait Herodem



dem initio hæſitaſſe; poſteà tamen ob communem celebremque tot miraculorum Ieſu famam credidit Ioannem in Ieſu reſurrexiſſe; vt ait Marcus hîc & Matth. c. 14. Ita S. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. S. Auguſt. & alij; vigebat, enim tūc Pythagoræ ſententia de μετεμψυχώσει, id eſt, tranſanimatione, ſiue de animarum ex vno corpore in aliud tranſmigratione. Vnde ipſe Pythagoras de ſeipſo aiebat: *Metempſychoſis Pythagoræ.*

*Ipſe ego me memini, Troiani tempore belli*
*Pantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam*
*Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ,*

putà Menelai, qui fuit frater Agamemnonis regis, & filius Atrei. Portentoſum planè & inauditum eſt, quod tradit S. Athanaſius primus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, creatus à S. Iacobo Apoſtolo, de S. Petro primo Bracarenſi Epiſcopo, condiſcipulo ſuo; ſcilicet Petrum hunc eſſe eumdem cum Samuele filio Vriæ. Vrias enim Propheta occiſus à Ioakim rege Iuda ſub tempus captiuitatis Babylonicæ, teſte Ieremia c. 26. v. 20. reliquit filium Samuelem, qui cum alijs Iudæis veniens in Hiſpaniam, ibi mortuus & ſepultus eſt, quem poſt ſexcentos ſepulturæ annos S. Iacobus veniens in Hiſpaniam è ſepulchro ſuſcitauit, nominauitque Petrum, ac primum Bracaræ Epiſcopum creauit, qui deinde pro Chriſti fide martyrij lauream obtinuit. Ita refert B. Caledonius Bracaræ Epiſcopus, qui obijt anno Chriſti 260. Vide Franciſcum Biuarium commentantem in Chronicon L. Dextri ad annum Chriſti 37. nu. 2. comment. 1. Quid mirum ergo ſi Herodes putauit Ioannem recens à ſe occiſum reſurrexiſſe in Chriſto? Vide hîc quàm ſanctus fuerit Ioannes Baptiſta, & quanta de ſanctitate eius fuerit opinio, vtpote quem Herodes ex communi fama cenſuerit reſurrexiſſe in Chriſto, adeoque Ioannem eſſe Meſſiam ſiue Chriſtum, ideoque eum iam à ſe occiſum timuit, ne reſurgens necem ſuam vindicaret. Vnde S. Chryſoſt. in Matth. cap. 14. *Magnum quid*, inquit, *eſt virtus: nam & defunctum Herodes timet.* Nam, vt ait ibidem Rabanus: *Omnium ſententia eſt maiorem fore potentiam Sanctorum vbi reſurrexerint.* Sic & Beda.

VERS. 17. Mat. 14. 3. Luc. 3. v. 19. 20. IPSE ENIM HERODES MISIT (ſatellites) AC TENVIT IOANNEM, ET VINXIT EVM IN CARCERE, PROPTER HERODIADEM VXOREM PHILIPPI FRATRIS SVI, QVIA DVXERAT EAM] Hic Herodes non fuit primus, ſiue magnus, patriâ & cognomento Aſcalonita, ſub quo natus eſt Chriſtus, qui infantes in Bethlehem occidit; ſed fuit eius filius cognomento antipas; qui Chriſtum veſte alba indutum illuſumque ad Pilatum remiſit. Hic enim incarcerauit & occidit Ioannem Baptiſtam.

Dices, Herodes Antipas fuit tetrarcha dumtaxat: ſic enim vocat eum Matth. c. 14. 1. Quomodo ergo Marcus hîc v. 14. vocat eum regem? Reſp. Vocat eum regem, quia ipſe in ſua tetrarchia ſummus erat princeps, qualis eſt rex in regno: vnde regis nomen aſſumpſit, illudque ei ab alijs tributum fuit, etiam ab ipſo S. Matthæo c. 14. v. 9.

*Hiſtoria S. Ioannis Baptiſtæ ab Herode decollati.* IN CARCERE] Addit Ioſephus Ioannem fuiſſe incarceratum in arce Macheruntina, ſita in finibus Galilææ & Arabię, ibique fuiſſe decollatum. Carcerem ergo hunc nobilitauit S. Ioannes. Iam locus, inquit Philo lib. de Ioſeph, non tam carcer erat, quàm diſciplinæ meditatorium. Seneca in Conſolatione ad Albinam: *Carcerem*, inquit, *intrauit Socrates, ignominiam ipſi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.* Vnde D. Cyprian. lib. 4. epiſt. 1. ad Martyres, ex veteri editione: *O beatum*, inquit, *carcerem, quē illuſtrauit veſtra præſentia! O tenebras ſole ipſo lucidiores, vbi conſtituta ſunt Dei templa!* Idem lib. 3. epiſt. 25. de Martyrum vinculis: *Ornamenta ſunt iſta, non vincula: nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam.* Quocirca S. Ambroſ. lib. de Ioſeph, cap. 5. *Non turbentur*, inquit, *innocentes, cùm falſis criminibus appetuntur: viſitat Deus & in carcere ſuos, & ideo ibi eſt plus auxilij, vbi plus eſt periculi. Sed quid mirum ſi viſitat Deus in carcere poſitos, qui ſeipſum in ſuis in carcere incluſum memorauit? In carcere, inquit, eram, & non veniſtis ad me*, Matth. c. 25. v. 44.

PROPTER HERODIADEM] Herodias hæc fuit filia Ariſtobuli, fratris Herodis Antipæ: ipſe igitur eam duxit, quæ erat ſibi ex fratre neptis. Ita Ioſephus. Fuit ergo Herodias ſoror Herodis Agrippæ, qui Iacobum occidit, & ab angelo viciſſim cæſus occubuit, Actor. 12. Quare errant Ruffinus, & ex eo S. Hieron. Euſeb. & Beda, dicentes illam fuiſſe filiam Aretæ regis Arabum: confundunt enim primam vxorē Herodis, quæ fuit filia Aretæ cum ſecunda, quæ fuit Herodias. Nam Herodes filiam Aretæ repudiauit, vt duceret Herodiadem, ideoque Aretas ei bellum intulit, eiuſque exercitum ad internecionem deleuit, teſte Ioſepho lib. 18. Antiq. cap. 7. qui & addit: Apud Iudæos fuit opinio, iuſta vltione Numinis deletum fuiſſe Herodis exercitum, propter Ioannem Baptiſtam virum ſanctum ab eo occiſum.

VXOREM FRATRIS SVI] Dices Ioſeph. lib. 28. Antiq. c. 6. 7. & 9. ait eam fuiſſe vxorem alterius Herodis, qui fuit frater Philippi & Herodis Antipæ. Reſp. Errat Ioſephus in hoc, vti & in multis alijs: niſi dicas Herodiadem primò nupſiſſe Herodi Antipæ. Sic pariter errat ibidem Ioſephus, quòd dicat Ioannem occiſum non ob Herodiadem, ſed quia Herodes timebat ne per populi ad eum concurſum, ſeditio quæpiam oriretur.

An viuo marito Philippo Herodias nupſerit Herodi, an vero eo mortuo, diſſentiunt interpretes. Certum eſt enim vtrumque fuiſſe illicitum & peccatum inceſtus, inſuper & adulterij, ſi Philippus adhuc viuebat. Nam Leu. 18. v. 16. vetatur, ne frater ducat vxorem fratris, ſi is ex ea reliquerit prolem, vti Philippus reliquerat filiam hanc ſaltatricem, quam Ioſephus vocat Salomen. Verùm dico, Herodem viuo Philippo & inuito duxiſſe Herodiadem; ideoque peccaſſe tripliciter. Primò, adulterio; Secundò, inceſtu; Tertiò, raptu. Probatur Primò, quia id diſertè aſſerit Ioſephus lib. 18. Antiq. c. 7. Secundò, quia eam duxit ſub annum 15. Tiberij Cæſaris: tunc enim prædicare cœpit Ioannes, vt patet Lucæ 3. 1. Philippus autem mortuus eſt anno 20. Tiberij, vti affirmat Ioſeph. lib. 18. c. 6. vbi eumdem à modeſtia & iuſtitia commendat. Tertiò, quia paſſim Patres Herodem accuſant adulterij, quòd fratri viuo, ſed manſueto, vxorem abſtulit: nimirum eius lenitate abuſus eſt Herodes. *Herodes tripliciter peccauit.*

VERS. 20. HERODES ENIM METVEBAT IOANNEM SCIENS EVM VIRVM IVSTVM ET SANCTVM] Initio ergo ſola Herodias voluit occidere Ioannem, vtpote ſui adulterij & inceſtus reprehenſorem, diſſentiente Herode, vt ſignificat hic Marcus & Lucas c. 9. Poſtea tamen Herodias idem perſuaſit Herodi marito, idque facilè, quia Herodes, teſte Ioſepho lib. 19. Antiq. c. 7. malignæ erat indolis, malitioſus & procliuis ad ſæuitiam, ac infenſus Ioanni ob crebras eius reprehenſiones. Ipſe enim erat *vox clamantis in deſerto*, Iſaiæ 40. 3. Matth. 3. 3. *Timebat enim Herodias*, ait Beda, *ne Herodes ad increpationem Ioannis aliquando reſipiſceret, & nuptias ſolueret, ac Herodiadem fratri Philippo ablatam reſtitueret.*

VERS. 22. Mat. 14. v. 6. 7. CVMQVE INTROISSET FILIA IPSIVS HERODIADIS (ex Philippo priore marito) ET SALTASSET ET PLACVISSET HERODI] Saltatrices olim conuiuijs adhibitas apud Iudæos ad luxum, patet ex Ioſepho lib. 12. Antiq. c. 4. Idem de Græcis liquet ex Xenophonte in Sympoſio, & Luciano Dialogo de ſaltatricibus, vbi multis exemplis æquè ac philoſophorum ſententijs docet, quòd animum etiam virilem & durum emolliat, & ad libitum inflectat ſcita ad modos muſicos ſaltatio. *Saltatricũ vis molliẽdi animos.* Verè Eccleſ. cap. 9. *Cum ſaltatrice*, ait, *ne aſsiduus ſis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Verè Remig. in cap. 14. Matth. *Impudica mulier*, ait, *impudicam filiam nutriuit, non pudorem docens, ſed ſaltationem. Nec minùs reprehendendus Herodes, qui paſſus ſit regiam aulam fieri à muliere theatrum.*

VERS. 25. Mat. 14. 8. VOLO VT PROTINVS DES MIHI IN DISCO CAPVT IOANNIS BAPTISTÆ) Dices, Ergo Ioannes Baptiſta non eſt Martyr, quia Herodes occidit eum non ob fidem, nec ob reprehenſionem ſui adulterij, ſed vt placeret puellæ ſaltatrici, & promiſſo ſuo illi facto ſatisfaceret. Reſp. Nego conſequentiam: nam Primò, puella hæc petijt caput Ioannis ex inſtinctu matris Herodiadis, quę Ioannem ſui adulterij caſtigatorem ſic è medio tollere volebat. *Ioan. Baptiſta verè Martyr. Prob. Primo.* Herodias ergo quaſi cauſa moralis per ſe occidit Ioannem, impellendo Herodem vt eum decollaret, itaque eum Martyrem fecit. *Secundò.* Secundò, Herodes illi aſſenſit: ſciens enim malignum ſuæ vxoris animum, illi obſecutus eſt, & Ioannem peremit. *Tertio.* Tertiò, Herodes quoque volebat Ioannem occidere, vt diſertè ait Matth. c. 14. v. 5. ſed propter metum populi Ioanni quaſi viro ſancto applaudentis, id facere non audebat. *Quartò.* Denique, multi probabiliter putant, hæc omnia ex colluſione & ex compoſito eſſe facta, ſcilicet Herodem ſuggeſſiſſe Herodiadi, vt filiam ſaltatricem in cœnam immitteret, illaque peteret caput Ioannis: ſic enim ſeſe honeſtam ex promiſſo ſuo occaſionem, vel excuſationem occidendi Ioannem habiturum, atque hac de cauſa Herodes à Chriſto vocatur *vulpes*, Lucæ 13. 32. Fuit ergo S. Ioannes victima caſtitatis, quia pro ea Martyr occubuit, æquè ac S. Paulus, S. Matthæus, S. Clemens, S. Lambertus, alijque plures.

Porrò cauſam ſublimiorem præproperæ mortis S. Ioannis ex parte Dei, & arcano eius conſilio aſſignat S. Gregorius Nazianz. orat. 20. *Quis*, inquit, *præcurſor Ieſu? Ioannes, vt vox ſermonis, & vt lucerna luminis, ante quem & in virtute exiliit, & ad inferos per Herodis furorem tranſmiſſus eſt, vt illic quoque mox venturum prædiceret.* Idem Nazianz. orat. 39. docet S. Ioannem ſpiritu prophetico præcognouiſſe ſuum hoc martyrium. *Præſciuit ſuam necẽ.* Ait enim: *Ego à te* (ô Chriſte) *baptizari debeo. Adde & pro te. exploratum enim habebat fore, vt martyrio baptizaretur. Futurum enim norat, vt, ſicut poſt Herodem Pilatus fureret, ità eum quoque priùs vita functum Chriſtus ſequeretur.*

VERS. 26. ET CONTRISTATVS EST REX] Id eſt, contriſtari ſe finxit, inquit S. Hilar. & S. Hieron. in cap. 14. Matth. quia reuera volebat Ioannem occidere, vt ait Matth. Vnde Gloſſa in cap. 14. Matth. *Talis*, ait, *Herodis triſtitia fuit, qualis pœnitentia Pharaonis.* Et Interlin. *Simulator triſtitiam præferebat in facie, cùm lætaretur in mente.*

Simpliciùs S. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. cenſent, Herodem verè contriſtatum fuiſſe, vt habent Matth. & Marcus: licèt enim vellet Ioãnem occidere, tamen de tam crudeli & ſibi probroſa eius nece doluit, quòd ſcilicet Prophetam tantùm occideret in gratiam puellæ ſaltantis.

PROPTER IVSIVRANDVM] Neci Ioannis Herodes prætendit ſuum iuramentum filiæ datum, quia licèt ſciret illud hoc caſu, ſcilicet in petitione filiæ tam indigna, iniqua & ſacrilega, non obligare; tamen regale eſſe cenſebat id coram primoribus non retractare, iuxta illud: *Verbum regis eſt rex.* Ita iſte mundanus. Vnde S. Auguſt. ſerm. 116. in nouis: *Puella ſaltat*, ait, *& mater ſæuit, & inter delicias & laſciuias conuiuantium temerè iuratur, & impiè quod iuratur impletur.* Nam vt ait S. Iſidor. *In malis promiſsis reſcindenda fides: impia promiſsio eſt quæ ſcelere adimpletur.* Et S. Hieron. *Sub occaſione pietatis impius fuit, dum iuramento ſcelus excuſat.*

VERS. 27. SED MISSO SPICVLATORE] id eſt, carnifice, quia carnifices erant milites, & ſtipatores prætorum geſtantes ſpicula. Vnde dicti ſunt *ſpiculatores*, ait Calepinus. Verùm noſter Iacobus Gretſerus lib. 1. de Cruce cap. 25. ex Suida, ex Iulio Firmico, carnifices vult dici *ſpeculatores* (græcè enim eſt σπεκουλάτωρα, quod nomen vtique eſt Latinum, idemq; quod *ſpeculator*) græcè ὀπτῆρας, eò quòd eorum munus eſſet hoſtium conſilia & facta ſpeculari, cuſtodiæ cauſa principes ſtipare inſtar ſatellitum, ac damnatos ab eis plectere. Sic & Franc. Lucas hîc, ac Lipſius in Tacitum, Briſſonius & aliqui alij, qui aſſerunt Suetonium & Tacitum *ſpeculatorem* vocare carnificem: ſed nullum ex eis locum citant, nec ego vllum inuenire potui, in quo vox *ſpeculator* à Latinis, vel Græcis vſurpetur pro carnifice, niſi hunc Marci in Græco. Hic ergo idem eſt *ſpiculator* latinè, qui σπεκουλάτωρ græcè: Græci enim mutantes vocalem i in e (vti faciunt ſæpè Itali) pro *ſpiculator* dixerunt *ſpeculator*, vti cenſet Lexicographus.

PRÆCEPIT AFFERRI CAPVT EIVS IN DISCO] vt epulas crudelitate & horrendo hoc ſpectaculo barbarus condiret. Addit Beda: Vult omnes conuiuas ſceleris ſui eſſe conſortes, vt in luxurioſo conuiuio cruentæ epulæ deferrentur. Porrò S. Greg. lib. 3. Moral. ca. 4. *Premit*, inquit, *Deus ſuos in infirmis, quia videt quomodo remuneret in ſummis: quid illi paſſuri ſunt quos Deus reprobat, ſi hîc cruciat quos amat.*

ET DECOLLAVIT EVM IN CARCERE] ſcilicet



licet ſpiculator ad hoc miſſus ab Herode. Vnde Græca & Syrus habent, *qui cùm abiiſſet, decapitauit eum.*

*Septẽ laureæ Baptiſtæ.* Habet ergo S. Ioannes laureas multas. Primò doctoris; Secundò, virginis; Tertiò, Martyris; Quartò, Prophetæ; Quintò, eremitæ, Sextò, Apoſtoli; Septimò, præcurſoris, indicis & baptiſtæ Chriſti. Verè S. Auguſt. ſerm. 36. de Sanctis. *Ioannes*, ait, *propter iuſtitiam perdit vitam, ſed lucratus eſt gloriam, quia plena & perfecta libertate maluit iniuſta ſuſtinere, quàm iuſta non dicere.*

*Quando occiſus Ioannes? Reſp. Primo.* Quæres quo tempore occiſus ſit S. Ioannes? Primò, Abulenſ. ait id definiri non poſſe. Ita ipſe in c. 14. Matth. 4.

*Secundo.* Secundò Beda & ex eo Baron. anno Chriſti 33. num. 8. Maldon. Barradius (ac fauere videtur S. Auguſt. lib. 2. de Conſenſu Euang. c. 45.) cenſent Ioannem occiſum circa Paſcha currente anno 33. ætatis Chriſti. Probant ex eo quòd Matthæus c. 14. 13. ait Chriſtum auditâ morte Ioannis ſeceſſiſſe in deſertum, vbi pauit quinque millia hominum: id autem contigit circa Paſcha, Ioan. 6. 4.

*Tertio.* Tertiò, valdè probabiliter noſter Salianus in Annal. tomo 6. in fine ad annum Chriſti 32. nu. 20. cenſet Ioannem occiſum in fine anni 32. ætatis Chriſti, putà in Decembri. Probat, quia Nicephorus l. 1. cap. 19. in fine ait, Ioannem occiſum cùm ageret annum ætatis 32. cum dimidio, id eſt, cùm Chriſtus expleret annum ætatis 32. Natus eſt enim Ioannes 24. Iunij, & dimidio anno ſiue ſex menſibus ſenior fuit Chriſto: hic enim natus eſt 25. Decembris eiuſdem anni. Secundò, quia, licet ſeceſſio Chriſti in deſertum de qua Matth. cap. 14. contigerit circa Paſcha, tamen mors Ioannis diutiùs præceſſit hunc ſeceſſum: ſeceſſit enim Chriſtus, non tam ob mortem Ioannis, quàm quòd iam increbreſceret fama miraculorum ſuorum, vt multi putarent Ioannem in eo reſurrexiſſe, vt diſertè dicit Theophyl. & Ianſen. hoc autem factum eſt longiuſculè poſt mortem Ioannis, ita vt Decembri videatur occiſus Ioannes, ſeceſſio verò Chriſti facta ſit in Martio, ſub Paſcha ſequens: tempus enim intermedium depoſcunt ſibi miracula, quę Chriſtus poſt mortem Ioannis patrauit, item fama eorumdem vbique ſparſa, ita vt ex ea Herodes ſuſpicatus ſit Ioãnem in Ieſu reuixiſſe: quod vbi audiuit Ieſus, metuens ne Herodes ſe quoque interficeret, ſeceſſit in deſertum.

Denique nonnulli congruè opinantur Ioannem occiſum 29. Auguſti: hoc enim die Eccleſia celebrat feſtum decollationis Baptiſtæ: quãquam illo die celebrari potiùs ab Eccleſia memoriam inuentionis capitis S. Ioannis Baptiſtæ, ex Beda cenſeat Baron. in Martyrol.

VERS. 28. Matth. 14. v. 10. 11. ET ATTVLIT CAPVT EIVS IN DISCO, ET DEDIT ILLVD PVELLÆ, ET PVELLA DEDIT MATRI SVÆ] Indignitatem huius homicidij, imò ſacrilegij, multis oſtendunt S. Chryſoſt. in Matth. hom. 49. S. Auguſt. ſerm. 36. de Sanctis & ſerm. 116. in nouis, S. Ambroſ. lib. 3. de Virgin. ſub initium, vbi inter alia ait: *Præmium ſaltatricis mors eſt Prophetæ. &c. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur.* Et mox: *Cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes, auerſantes conſpectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exſangue, cuius ſententiam ferre non poteras, conticeſcit, & adhuc timetur.*

*Herodias linguam Ioannis perforauit.* Inſultaſſe Herodiadem præciſo capiti, atque acu diſcriminali ſanctiſſimam illam linguam perforaſſe. S. Hieron. in Ruffinum agens tradit, ſic dicens: *Ne magnopere glorieris, ſi feceris quod faciunt ſcorpiones, atque cantharides fecerunt: hæc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem, quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam diſcriminali acu confoderunt.* Hæc S. Hieron. in fine Apologiæ contra Rufin.

*Vltio Dei in Baptiſticidas.* Quocirca iuſta Dei vltio in omnes deſæuijt. Nam Herodes victus fuit ab Areta, deinde in exilium cum Herodiade pulſus Lugdunum, tetrarchia & bonis omnibus ſpoliatus eſt à Caio Caligula Imper. idque agente & accuſante eum Agrippa fratre Herodiadis, vti narrat Ioſephus l. 18. 10. Porrò filiæ ſaltatrici caput per glaciem amputatum, in ipſa glacie ſaltitauit. Audi Nicephorum lib. 1. cap. 20. *Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluuius traiiciendus, qui cùm glacie conſtrictus coagmentatuſq; eſſet, pedes eum tranſibat: glacie autem ruptâ, idq; non ſine Dei numine, demergitur illa ſtatim capite tenus, & inferioribus corporis partibus laſciuiens molliuſq; ſe mouens ſaltat, non in terra, ſed in vndis: caput verò ſceleſtum frigore & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum, & à reliquo corpore non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa ſaltationem lethalem exhibet, ſpectaculoque eius omnibus præbito, in memoriam ea quæ fecerat ſpectantibus reuocat.* Audi & L. Dextrum in Chron. anno Chriſti 34. *Herodes Antipas cum Herodiade pellice inceſta, tota Iudæa pulſus primùm ad Gallias, deinde Ilerdæ in Hiſpania exulat, ibiq; infeliciter moritur, Herodias verò ſaltans ſuper Sicorim flumen Ilerdæ concretum, ſubmerſa miſerabiliter periit.*

VERS. 29. Mat. 14. 12. POSVERVNT ILLVD IN MONVMENTO] S. Hieron. loco iam citato tradit, corpus S. Ioannis ſepultum in Sebaſte, quę priùs Samaria fuit dicta, vbi pariter Eliſeus & Abdias Prophetæ ſepulti ſunt. Porrò tanta miracula faciebat S. Ioannes in Sebaſte, vt Iulianus Apoſtata iuſſerit eius corpus comburi; ſed reliquias eius clàm ſuffurati ſunt Chriſtiani. De reuelatione capitis S. Ioannis vide hiſtoriam Eccleſiaſticam lib. 11. cap. 28. Baron. & alios. Eſt & inter opera S. Cypriani tract. de Reuelatione capitis ſancti Ioannis. Denique Sozomenus libr. 7. cap. 24. narrat Theodoſium Imper. proficiſcentem in bellum contra Eugenium tyrannum, adiiſſe templum S. Ioannis, eique pro victoria ſupplicaſſe: quare dæmonem è templo exiiſſe vociferantem: *Tu me vinces, tu meum exercitum proſternes*, itaque factum eſt.

# CAPVT SEPTIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, Chriſtus Phariſæorum criminationes, quòd Apoſtoli illotis manibus manducarent in ipſos eorumque ſcelera rotorquet. Secundò, v.25. Syrophœniſſa filiam à dæmone liberat. Tertiò, v.32. ſurdo & muto auditum & loquelam reſtituit.*

1. ET conueniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis, venientes ab Ieroſolymis. 2. Et cùm vidiſſent quoſdam ex diſcipulis eius, communibus manibus, id eſt non lotis, manducare panes, vituperauerunt. 3. Phariſæi enim & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum: 4. & à foro niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum, 5. & interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ: Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem? 6. At ille reſpondens, dixit eis: Bene prophetauit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. 7. in vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. 8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis ttaditionem hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum: & alia ſimilia his facitis multa. 9. Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis. 10. Moyſes enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam: Et, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me, tibi profuerit: 12. & vltrà non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo, aut matri. 13. reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis: & ſimilia huiuſmodi multa facitis. 14. Et aduocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. 15. Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ communicant hominem. 16. Si quis habet aures audiendi, audiat. 17. Et cùm introiſſet in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli eius parabolam. 18. Et ait illis: Sic & vos imprudentes eſtis? Non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare: 19. quia non intrat in cor eius, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas? 20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. 21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, 22. furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. 23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem. 24. Et inde ſurgens abijt in fines Tyri & Sidonis: & ingreſſus domum neminem voluit ſcire, & non potuit latere. 25. Mulier enim ſtatim vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius: 26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœniſſa genere. Et rogabat eum vt dæmonium eijceret de filia eius. 27. Qui dixit illis: Sine priùs ſaturari filios: non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. 28. At illa reſpondit, & dixit illi: vtique Domine, nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum. 29. Et ait illi: Propter hunc ſermonem vade, exijt dæmonium à filia tua. 30. Et cùm abijſſet domum ſuam, inuenit puellam iacentem ſupra lectum & dæmonium exijſſe. 31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. 32. Et adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. 33. Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens tetigit linguam eius: 34. & ſuſpiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod eſt, adaperire. 35. Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. 36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant: 37. & eo ampliùs admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & ſurdos facit audire, & mutos loqui.

COM-



VERS. 2. COMMVNIBVS MANIBVS, ID EST, NON LOTIS, MANDVCARE] *Manus communes* vocantur non lotæ, id eſt immundæ, quia ſcilicet res immundæ, profanæ & pollutæ erant communes Iudæis & Gentibus, mundis & immundis.

Nota, Apoſtolos non fuiſſe tam ruſticos, vt pranſuri vel cœnaturi manus non lauarent, cùm & agricolæ & opifices ante cibũ eas lauent; ſed abſtinuiſſe à lotione religioſa vel potiùs ſuperſtitioſa Phariſæorum, quam ipſi ex maiorum ſuorum ritu & traditione acceptam ſcrupuloſè ſeruabant. Ritus autem eorum, inquit Theophyl. erat hic, vt ad cubitum vſque lauarentur.

VERS. 3. CREBRO] Syrus, *betilaith*, id eſt, diligenter vel curioſè, græcè πυγμῇ, id eſt *certatim*, hebr. כף אל כף *caph el caph*, id eſt, manum ad manum, ſcilicet ſæpè confricando, vti faciunt qui manus fœdatas depurare volunt. Phariſæi enim cum vel minimum quid impuri attigiſſent, aut ſe attigiſſe ſcrupuloſè metuerent, illicò lauabant manus, idque toties quoties hic eis metus vel ſcrupulus occurrebat.

VERS. 4. ET A FORO] ſcilicet venientes, & domum redeuntes lauant manus, quia ſcilicet in foro eſt omne genus, vti rerum, ſic & hominum mundorum & immundorum, quorum attactu ſe pollutos verebantur, ideoque immunditiem hac lotione non manuum, ſed totius corporis abſtergere ſeſe debere putabant: vnde ſequitur:

NISI BAPTIZENTVR] Hoc eſt, niſi totum corpus aquis immergant & abluant, vti etiamnum ſæpe faciunt Iudæi. Plus enim eſt *baptizari* quàm manus abluere: quia ergo in foro Gentiles attingere & alloqui, quædam etiam immunda attrectare cogebantur, hinc redeuntes domum totos ſe abluebant, ait Vatablus.

CALICVM] Græcum, ποτηρίων, id eſt, *poculorum*.

VRCEORVM] Græcè, ξεστῶν, id eſt, ſextariorum: ξέστης enim eſt ſextarius, vel cyathus; Syrus, *œnophororum*, id eſt vaſorum quibus vina afferuntur vel effunduntur. Vatabl. intelligit vaſa lignea, quæ ξεστὰ dicuntur, eò quòd torno poliantur, aut ſculpturis ornata ſint: ξέω, enim eſt frico, polio, rado, ſculpo: vnde ξεστὸς, id eſt politus, raſilis, excultus. Vrceus propriè eſt vas, quo aqua in vrnam vel ahenum infunditur, ait Paulus Iureconſultus; inde ad vaſa quælibet ſimilia transfertur.

ÆRAMENTORVM] vaſorum æreorum, quibus cibi vel coquebantur, vel in menſam inferebantur.

VERS. 15. Mat. 15. 11. ET LECTORVM] quibus ad menſam accumbebant; Vatabl. vertit, *ſpondarum*. Cetera expoſui Matth. 15. & ſeq.

VERS. 19. Mat. 15. 17. COMMVNICANT] Id eſt, *coinquinant*, vt legunt alij codices. Idem eſt v. 18. & 20.

QVIA NON INTRAT IN COR EIVS, id eſt, in animam eius, ac proinde eam coinquinare nequit; SED IN VENTREM, ſcilicet ſtomachum; VADIT, vbi factâ ſecretione purioris cibi, ad iecur & cor pergit: reliquum verò, quod impurum & fæculentum eſt, IN SECESSVM EXIT, PVRGANS exitu ſuo, id eſt, puras relinquens, OMNES ESCAS] quia ſcilicet ipſum eſt cibi fæx & purgamentum quare eo ipſo quo exit, alimentum reliquum depurat & expurgat.

VERS. 26. Mat. 15. 22. GENTILIS] Græcè, ἑλληνὶς, id eſt, *Græca*, vt vertit Arabicus: Græcis enim dominantibus, omnes Gentiles vocabantur Græci; hinc illud Rom. 1. *Iudæo primùm & Græco*, id eſt Gentili.

SYROPHOENISSA] Græcè, *Syra Phœniciſſa*; Syrus, *ex Punicia Syria*, id eſt, ex illa Phœniciæ parte, quæ ad Syriam ſpectat. Matthæus Chananæam vocat.

VERS. 32. ET MVTVM] Græcè μογιλάλον, id eſt, ægrè loquentem, impeditæ linguæ, balbutientem: nam ſanatus à Chriſto *loquebatur rectè*, id eſt, expeditè, vt dicitur v. 35. Non ergo erat omnino mutus, vti ſunt ij qui à natiuitate ſunt ſurdi, qui græcè ἄλαλοι dicũtur. Sic enim duo fuiſſent hîc Chriſti miracula, ſcilicet ſolutionis linguæ & inditæ ſcientiæ vocum. Contrarium tamen quoque eſt probabile.

VERS. 33. ET EXPVENS, TETIGIT LINGVAM EIVS] Congruè fecit id Chriſtus, quaſi ſaliua ſua ſaluifica, os ſiccitate mutum & ligatum humectaturus & ſoluturus: ſaliua enim eſt in lingua, & illi ſe aſſimulat, ait Galenus aphor. 39.

Expuit autem non in os muti, ſed in ſuum ipſius digitum, ac digito ſaliuam ori muti admouit, vt colligitur ex Græco: hoc enim honeſtas & decor exigebant. Porrò Chriſtus aperiendo aures & linguam corporis, aperuit pariter aures & linguam mentis, vt inſpirationes ipſius audiret, ac crederet ipſum eſſe Meſſiam, ab eoque peccatorum ſuorum veniam poſceret & impetraret. Quos enim Chriſtus corpore, hos & mente ſanauit.

Tropolog. idem cuique poſcendum, ac dicendum cum Pſalte: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, pſal. 50. 17. Idẽ de auribus, vt poſſimus cum Iſaia c. 50. 4. Iubilare: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt, verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum, Dominus Deus aperuit mihi aurem*; hoc autem fit cùm ipſe digito ſuo, id eſt, Spiritu ſancto (hic enim eſt digitus Dei, Exod. 8. 19.) & ſaliua cæleſtis ſapiẽtiæ, quæ eſt ipſemet ex ore Altiſſimi prodiens, linguam mentis tangit.

VERS. 34. ET SVSPICIENS IN CÆLVM (quia inde verba mutis, auditus ſurdis, medela cunctis infirmis, ait Beda) INGEMVIT] tum condolens miſeriæ muti & ſurdi, tum cum gemitu orans, & impetrans illi ſanitatem à Deo. *Expendebat enim*, ait Victor, *in quantam calamitatem & miſeriam, omnis bonæ, honeſtæque actionis hoſtis diabolus, primorumque parentum incuria & lapſus ipſum deiecíſſet.*

EPHPHETA, QVOD EST (quod ſignificat) ADAPERIRE] id eſt, aperiantur tibi aures & os: vbi *vtraque*, ait Beda, *vnius eiuſdemque mediatoris Dei & hominum natura manifeſtè deſtinata eſt. Suſpiciens enim in cælum quaſi homo, Deum precaturus ingemuit; ſed mox vno ſermone, quaſi diuinâ potens maieſtate curauit.* Omnes enim habemus oculos, ſed cæci clauſos & obſtructos, qui Syriaca phraſi eleganter dicuntur aperiri, cùm tegmina illa recluduntur, ait Angelus Caninius in Nomin. Hebræis cap. 10. Porrò Hebr. פתח *patach*, eſt aperire: vnde in imperatiuo paſſiuo *niphal* הִפָּתַח *hippateach*, & craſi *hippatach*; pro quo Syri dicunt *Ephpheta*, idem eſt quod aperire, hoc eſt aperitor, vel eſto apertus.

ET

VERS. 36. ET PRÆCEPIT ILLIS NE CVI DICERENT] Pręceptum hoc fuit, non propriè dictum, quod ad culpam obligaret, ſed vrbanitas dumtaxat, & modeſtiæ indicium, vt ſcilicet ſignificaret ſe nolle ſua miracula oſtentare, & ex ijs aucupari vanam hominum gloriam. Quare non peccabant, qui eo non obſtante illa diuulgabant. Vnde ſequitur; *Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant. Docemur hoc loco*, ait Theophyl. *quòd quando benefacturi ſumus, ne plauſus vel celebritates ex beneficijs quæramus: cùm autem beneficia acceperimus, vt benefactores, licet ipſi recuſent, laudemus & prædicemus.* Vt enim illud eſt hominis benefi- A ci, ita hoc grati, ait Franc. Lucas. Et S. Auguſt. de Conſenſ. Euang. Voluit Dominus, ait, prohibendo docere, quantò feruentiùs eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent, quando illi qui prohibebantur tacere, non poterant.

BENE OMNIA FECIT] Græcè, *καλῶς*, id eſt, bellè, decorè, concinnè, congruè, irreprehenſibiliter. q. d. Nil fecit Chriſtus, quod Phariſæi, vel ſimiles momi iure culpare queant. Rurſum *bene* hebr. היטיב *heteb*, id eſt, beneficè, quia ſurdo auditum, muto loquelam reddidit. Tota enim vita Chriſti, fuit aſſidua beneficentia, Actor. 10. 38. VERS. 37.

# CAPVT OCTAVVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, Chriſtus ſeptem panibus paſcit quatuor hominum millia. Secundò, v. 15. docet cauendum à fermento Phariſæorum. Tertiò, v. 22. curat cæcum, qui homines vidit ſicut arbores ambulantes. Quartò, v. 31. prædicit ſuam paſſionem & mortem, Petrumq; illi renitentem quaſi ſatanam reijcit. Denique v. 34. iubet cuique tollere ſuam crucem, & animam ſuam ſaluare.*

1. IN diebus illis iterum cùm turba multa eſſet, nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis: 2. Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam
triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent, 3. & ſi dimiſero eos ieiunos
in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt. 4. Et
reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vnde illos quis poterit hîc ſaturare panibus in ſolitudine? 5. Et interrogauit eos: Quot panes habetis: Qui dixerunt: Septem.
6. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias
agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent: & appoſuerunt turbæ. 7. Et
habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & iuſſit apponi. 8. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem
ſportas. 9. Erant autem qui manducauerant, quaſi quatuor millia: & dimiſit
eos. 10. Et ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha. 11. Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab
illo ſignum de cælo, tentantes eum. 12. Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.
13. Et dimittens eos, aſcendit iterum nauim, & abijt trans fretum. 14. Et obliti ſunt panes ſumere: & niſi vnum panem non habebant ſecum in naui. 15. Et
præcipiebat eis, dicens: Videte, & cauete à fermento Phariſæorum, & fermento
Herodis. 16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.
17. Quo cognito, ait illis Ieſus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum
cognoſcitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? 18. oculos
habentes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini, 19. quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos
do quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos
ſuſtuliſtis? Dicunt ei: Duodecim. 20. Quando & ſeptem panes in quatuor millia: quot ſportas fragmentorum tuliſtis? & dicunt ei: Septem. 21. Et dicebat eis:
Quomodo nondum intelligitis? 22. Et veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. 23. Et apprehenſâ manu cæci, eduxit
eum extra vicum: & expuens in oculos eius impoſitis manibus ſuis, interrogauit
eum ſi quid videret. 24. Et aſpiciens, ait: Video homines veluti arbores ambulantes. 25. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eis: & cœpit videre,
& reſtitutus eſt, ita vt clarè videret omnia. 26. Et miſit illum in domum ſuam,
dicens: Vade in domum tuam: & ſi in vicum introieris, nemini dixeris. 27. Et
egreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius, in caſtella Cæſareæ Philippi: & in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: Quem me dicunt eſſe homines? 28. Qui reſponderunt illi, dicentes: Ioannem baptiſtam, alij Eliam, alij verò quaſi vnum de
prophetis. 29. Tunc dicit illis: Vos verò quem me eſſe dicitis? Reſpondens Petrus, ait ei: Tu es Chriſtus. 30. Et comminatus eſt eis, ne cui dicerent de illo.
31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à ſenioribus, & ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & occidi: & poſt tres dies reſurgere. 32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. 33. Qui conuerſus, & videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens: Vade retro me ſatana, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt
hominum. 34. Et conuocata turba cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult me
ſequi, deneget ſemetipſum: & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. 35. Qui enim
voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam
ſuam propter me & Euangelium, ſaluam faciet eam. 36. Quid enim proderit
homini, ſi lucretur mundum totum: & detrimentum animæ ſuæ faciat? 37. Aut
quid dabit homo commutationis pro anima ſua? 38. Qui enim me confuſus
fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera & peccatrice: & filius hominis
confundetur eum, cùm venerit in gloria patris ſui cum angelis ſanctis. 39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.



VERS. 10. Mat. 15. 39. DALMANVTHA] Matth. c. 15. 39. habet *Magedan*, quia ſcilicet hæc duo loca ſibi erant vicina, vt ibi dixi.

VERS. 15. Mat. 16. 5. CAVETE A FERMENTO PHARISÆORVM, ET FERMENTO HERODIS] *Fermentum* eſt doctrina, qua Phariſæi docebant filios dicere parentibus *corban*, aliaque legi Dei contraria. *Fermentum Herodis*, eſt doctrina Sadducæorum; cum his enim proximè fuerat Chriſto lis & diſputatio, vt patet ex Matthæo cap. 16. v. 1. & 12. Herodes enim vti & multi primores tunc erant Sadducæi, teſte Ioſepho 18. Antiqu. cap. 2. qui negabant animæ immortalitatem, viuebantque quaſi athei, vti Herodes viuebat in adulterio, Ioannem B occidit, aliaque ſcelera commiſit viuens ſine numinis metu. Licèt enim ipſe cap. 6. 16. opinatus ſit Ioannem reſurrexiſſe in Chriſto; tamen iſta opinio non tam ipſius fuit quàm vulgi, nec tam à fide quàm à pauore eius expreſſa fuit & extorta. Denique Ioanni, vtpote viro ſanctiſſimo, reſurrectionem conceſſit, ſibi verò & ſibi ſimilibus eamdem negauit, vt liberè carnis voluptatibus indulgeret. Alij ex Origene & S. Hieronymo, per *fermentum* accipiunt ſectam Herodianorum, qui adulantes Herodi, aiebant eum eſſe Meſſiam. Verùm hæc ſecta fuit Herodis Aſcalonitæ, non Antipæ, de quo hîc, vti dixi Matt. 22. 16.

VERS. 22. ADDVCVNT EI CÆCVM, ET ROGABANT EVM VT ILLVM TANGERET] *Scientes*, ait Beda. *quia tactus Domini ſicut leproſum mundare, ita etiam cæcos illuminare valeret.* C

ET APPREHENSA MANV CÆCI, EDVXIT EVM EXTRA VICVM] extra Bethſaidam, vt patet v. 22. extra quam eum eduxit eâdem de cauſa, qua cap. 7. 33. mutum ſurdumque curaturus eum à turba ſemouit; ſcilicet Primò, orationis cauſa, vt ſcilicet ſolus animum colligens, totum ſe Deo vniret, & intentiùs attentiuſque oraret. Secundò, vt fugeret vanam gloriam & plauſum hominum; eumque nos vitare doceret. Tertiò, quia ciues Bethſaidæ indigni erant hoc Chriſti miraculo: viſis enim tot eius ſignis in eum credere noluerant. ita Theophyl. & Euthymius. Vide Matth. c. 11. v. 21.

Myſticè, Scholiaſtes apud S. Hieron. educit A Chriſtus peccatorem extra vicum, id eſt, inquit, extra ſocietatem malorum. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.

ET EXPVENS IN OCVLOS EIVS] ſaliua matutina oculos lippientes purgat, at cæcos non illuminat. Chriſti ergo ſaliua medicina fuit cæco non naturalis, ſed ſupernaturalis, quia erat inſtrumentum deitatis Chriſti.

Hoc Chriſti cæcum illuminandi miraculum imitatus eſt S. Hilarion, teſte S. Hieron. in eius Vita, quem audi: *Cæca mulier adducta eſt ad B. Hilarionem, quæ omnem ſe ſubſtantiam expendiſſe ait in medicos. Cui reſpondit; Si quæ in medicis perdidiſti, dediſſes pauperibus, curaſſet te verus medicus Ieſus. Clamante autem illâ, & miſericordiam deprecante, expuit in oculos eius; ſtatimque Saluatoris exemplum virtus eadem proſecuta eſt.* *S. Hilarion cæca viſum reſtituit.*

Tropologicè, ſaliua eſt gratia Spiritus ſancti, ait Beda: hæc homines illuminat, vt videant voluntatem Domini per flatum Spiritus ſancti, ait Scholiaſtes apud S. Hieron.

IMPOSITIS MANIBVS SVIS] Id eſt, cùm impoſuiſſet manus ſuas ſuper oculos cæci, ac deinde illas ab oculis remouiſſet. Nam improbabile eſt quod ait Scholiaſtes apud S. Chryſoſt. hunc cæcum per manus Chriſti oculis ſuis ſuperpoſitas, vidiſſe homines v. 24. hoc enim nouum & impertinens fuiſſet miraculum.

Tropologicè, Scholiaſtes apud Chryſoſt. Chriſtus, ait, expuit & manus imponit, volens oſtendere diuinum verbum operationi adiunctum mirabiliter perficere.

ET ASPICIENS, AIT: VIDEO HOMINES VELVT ARBORES AMBVLANTES] q. d. Video aliquid obſcurè & confusè, non clarè & diſtinctè: video enim homines ambulantes, ita vt non poſſim diſtinguere an homines ſint an arbores: vti nobis ſolet fieri eminùs homines cernentibus, dum non facilè diſtinguere poſſumus, an homines ſint an arbores, (ait Beda) niſi ex motu, eò quòd homines ambulent: arbores non: *τὸ ambulantes* enim ad homines referendum eſt, non ad arbores, vt patet ex Græco. Poſſet tamen in Latio textu ad arbores quoque referri, hoc ſenſu, q. d. Video homines quaſi arbores bifidas, & quaſi bipedes, ideoque ambulantes. VERS. 24.

Vide-

Videbat ergo hic cæcus adhuc cæcutiens homines quaſi per caliginem & nebulam, in qua ſpecies denſatæ repræſentabant homines maiores, quàm in ſe erant, ſcilicet craſſos & altos inſtar arborum, vti per conſpicilia litteræ maiores apparent, quàm reuera ſint.

*Analogia hominis & arboris nouem.*

Porrò homo ſimilis eſt arbori, Primò proceritate & altitudine; Secundò, rectitudine; Tertiò, rotunditate; Quartò, cortice & coma: quod enim in arbore eſt cortex & folia, hoc in homine eſt pellis & pili crineſque; Quintò, ramis: homo enim expanſis brachijs eſt quaſi arbor expanſis ramis; Sextò, vitâ & venis. ſicut enim homo viuit aliturque cibo, chilo & ſanguine per venas in totum corpus diſtributis; ſic arbor viuit aliturque ſucco per fibras in omnes partes diſpartito; Septimò, arbor è parua frutice ſenſim creſcit in altum, ſic & homo *creſcit occulto velut arbor æuo*: adeoque ſicut homini ſua eſt pueritia, adoleſcentia, virilis ætas, ſenium & mors; ſic eſt & arbori; Octauò, arbor bona producit bonos fructus, mala malos: ſic homo bonus bona opera profert, malus mala: quare ſicut ex fructibus cognoſcitur arbor, ſic ex operibus homo, vti docet Chriſtus Matth. 7. 17. Denique arboribus, ſicut animalibus, ſua eſt cutis, ſanguis, caro, nerui, venæ, oſſa, medullæ, ait Plinius lib. 16. cap. 38. Vnde & ex arboribus naſci animalia, ac præſertim anates, in inſulis Scotiæ vicinis, experientiâ conſtat.

Porrò arbores videntur ambulare in inſulis & ſiluis, quę in flumine vel mari mouentur & fluitant, quales videre eſt Audomaropoli in Belgio. Idem fit cùm ventis agitantur. Iam Aquilone gaudent arbores, illoque firmantur & optimè germinant, Auſtro verò blandiente fatiſcunt, ait Plinius lib. 17. cap. 2. ſic homines per aduerſa in virtute roborantur & proficiunt, per proſpera ſoluuntur & deficiunt.

*In arboribus quibuſdam mares & feminæ.*

Addit Plinius lib. 13. cap. 4. arboribus, pręſertim palmis, ſexum ineſſe ſicut hominibus, vt aliæ ſint mares, aliæ feminæ: *Mas*, ait, *in palmite floret, femina citra florem germinat tantùm ſpinæ modo.* Idem lib. 17. c. 24. aſſerit arbores ſicut homines laborare fame, cruditate, peſte, ceteriſque morbis ægrotare. Idem lib. 17. cap. 25. docet arbores ſubinde inſtar hominum eſſe locutas; ſed hoc vel fictitium eſt, vel per angelos aut dæmones factum. Idem lib. 23. c. 1. docet primum hominis cibum, eumque paratum & illaboratum fuiſſe ex arboribus, & ſic indutos homines cælum ſpectare: quare arborem ſic inducit loquentem: *Plurimum homini voluptatis ex me eſt: ego ſuccum vini, liquorem olei gigno, ego palmas & poma totq; varietates, neque vt tellus per labores aranda tauris, &c. at ex me parata omnia, & ſeſe porrigentia vltro, & ſi pigeat attingere, etiam cadentia.* Meritò ergo cæcus hic videre incipiens, dixit: *Video homines velut arbores ambulantes.*

*S. Gregorius viſus vt arbor.*

Simili modo S. Gregorius Thaumaturgus fugiens perſecutionem Decij, deceſſit cum Diacono in collem, cumque proditor quidam id perſecutoribus renunciaſſet, illique totum collem perſcrutarentur, vt Gregorium comprehenderent; ipſe magna in Deum fide, immotis oculis & paſſis manibus in oratione conſtitit: quare Deus perſecutores aoraſia, ſiue cæcitate percuſſit. Redeuntes enim dixerunt, ſe in colle nil niſi duas arbores paululum inter ſe diſtantes vidiſſe: quibus digreſſis proditor in collem conſcendẽs, non duas arbores, ſed duos homines, putà Gregorium cum Diacono conſpexit. Vnde vi diuina id factum agnoſcens, vt illi perſequentibus arbores eſſe viderentur, procumbit ei ad pedes, & ex proditore fit fidei confeſſor. Ita S. Gregorius Nyſſenus in eius Vita.

*Homo eſt arbor inuerſa.*

Denique tritum eſt illud Philoſophi: *Quid eſt homo? eſt arbor inuerſa*, quia pedes quaſi ramos deorſum, caput verò & cerebrum quaſi radicem ſurſum mittit; eò quòd homo ex cælo cæleſtem vitam ducere, ac cæleſtes virtutum fructus proferre debeat.

Myſticè, Scholiaſtes apud S. Hieron. Cæcus, ait, id eſt peccator pœnitens, videt homines ſicut arbores ambulantes, quia omnes exiſtimat ſuperiores ſibi, indignum ſe iudicans vt David, vocari hominem, æſtimans ſe canem mortuum & pulicem vnum, 2. Reg. 16. Hinc talis per humilitatem ſuam meretur illuminari & exaltari.

VERS. 25.

DEINDE ITERVM IMPOSVIT MANVS SVPER OCVLOS EIVS, ET COEPIT VIDERE, ET RESTITVTVS EST ITA VT CLARE VIDERET OMNIA] Voluit Chriſtus non ſubitò, ſed ſenſim hunc cæcum perfectè illuminare. Primò, vt omnis generis miracula ederet: Secundò, vt pluris miraculum hoc fieret: Tertiò, & maximè, vt imperfectæ cæci eumque offerentium fidei, ſenſim cum miraculo creſcenti ſeſe attemperaret, eiuſque perficiendi fidem, ſpem & deſiderium in eis magis accenderet. *Primò, cæcum hunc imperfectè curauit*, inquit Euthymius, *vtpote imperfectè credentem, vt qui parum adhuc reſpiciebat, per modicum aſpectum crederet perfectius: ac ſanaretur perfectius: ſapiens enim erat medicus.* Et mox: *Augmentum fidei augmentum promeruit ſanitatis.* Et Victor: *Ipſum viſionis incrementum*, inquit, *& acceſſio, fidei incrementum & acceſſionem confirmat.*

Tropologicè voluit Chriſtus nos docere, ſenſim infidelem & peccatorem à Deo illuminari, ac proinde eum ſenſim in Dei cognitione & cultu proficere debere. *Vt magnitudinem*, ait Beda, *humanæ cæcitatis oſtenderet, quæ quaſi pedetentim, & per quoſdam profectuũ gradus ad lucem diuinæ viſionis* (cognitionis) *ſolet peruenire.* Nã vt ait Scholiaſtes apud Chryſoſt. *Scientiæ profectus ſunt, nec poteſt aliquis vna hora perfectam ſapere ſapientiam: non niſi multo tempore ad perfectam ſcientiam poteſt quis peruenire.* Experimur hoc in pueris & ſcholaſticis, qui pedetentim erudiendi & edocendi ſunt; alioqui ſi magiſter moræ & laboris impatiens omnia eis ſimul tradere velit, mentem & memoriam eorum obruet, vt nihil capiant, ſicut vinum cùm in vas anguſti oris infunditur, ſi totum ſimul effundatur, nil ferè infunditur, ſed totum quaſi effunditur. Notum eſt illud Italorum: *Piano piano ſi va lontano.* Et illud Philoſophi: *Succeſſiuè fit motus.*

Symbolicè, Scholiaſtes apud S. Hieronymũ: *Manus*, ait, *Chriſtus impoſuit ſuper oculos eius, vt videret clarè omnia, id eſt, per opera viſibilia inuiſibilia intelligeret, & quæ oculus non vidit; & clarè animæ ſuæ ſtatum poſt rubiginem peccati, mundi cordis oculo contueretur: Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*





VERS. 26. ET SI IN VICVM] Id eſt, in Bethſaidam ciuitatem, quæ parua erat inſtar vici vel pagi, ex qua v. 23. eum eduxerat, niſi malis per *vicum* accipere ſuburbium, vel vicum Bethſaidæ annexum, vel adiacentem.

VERS. 34. Matt. 16. 42. DENEGET] id eſt, *abneget ſemetipſum*, vt vertit Interpres Matth. 16. 24.

Luc. 9. 23. VERS. 38. Matt. 16. 27. QVI ENIM ME CONFESSVS FVERIT] Græcè, ἐπαισχυνθῇ, id eſt, *erubuerit*, ſcilicet me meamque doctrinam, vitam & profeſſionem paupertatis humilitatis & crucis.

Luc. 9. 26. IN GENERATIONE ISTA ADVLTERA] Iudæorum prauorum, qui ſunt fideles & filij Dei; at non genuini, ſed ſpurij & adulterini, quia à fide patrum & Patriarcharum ſuorum degenerant, dum me Meſſiam eis promiſſum recipere nolunt: ideoque non tam Dei quàm diaboli ſunt filij Hebr. vocantur בְּנֵי נֵכָר *bene nechar*, id eſt, filij alieni, ſcilicet patris, hoc eſt ab alieno & adultero geniti, ideoque à vero patre, ſcilicet à Deo, degeneres, illique moribus diſſimiles. Vide dicta Matth. 10. 33.

VERS. 39. REGNVM DEI] Id eſt, gloriam regni Dei, in mea transfiguratione mox futura.

VENIENS, id eſt apparens, ſeſeque oſtendens Petro, Iacobo & Ioanni, IN VIRTVTE] id eſt, cum magna potentia, efficacia, claritate, ſplendore & maieſtate,

# CAPVT NONVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò Chriſtus transfiguratur coram Elia & Moſe, vnde Eliam rediturum prædicit, vt aduentum ſuum ad iudicium præcurrat. Secundò, v. 16. energumenum ſurdum & mutum ſanat. Tertiò, v. 32. contentionem diſcipulorum de primatu ſtudio humilitatis, vt fiamus ſicut pueri, curat. Quartò, v. 37. vetat prohiberi eum, qui in nomine ſuo eijciebat dæmonia, licèt eius non foret aſſecla. Quintò, v. 41. docet quod grande malum ſit ſcandalum, quod v. 48. igne mortificationis & ſale diſcretionis tollendum docet.*

1. ET poſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem: & ducit illos
in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis. 2. Et
veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non
poteſt ſuper terram candida facere. 3. Et apparuit illis Elias cum Moyſe: & e-
rant loquentes cum Ieſu. 4. Et reſpondens Petrus, ait Ieſu: Rabbi, bonum eſt
nos hîc eſſe: & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ v-
num. 5. Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. 6. Et
facta eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus
chariſſimus; audite illum. 7. Et ſtatim circumſpicientes, neminem ampliùs vi-
derunt, niſi Ieſum tantùm ſecum. 8. Et deſcendentibus illis de monte, præce-
pit illis ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent: niſi cùm Filius hominis à mortuis re-
ſurrexerit. 9. Et verbum continuerunt apud ſe, conquirentes quid eſſet: Cùm
à mortuis reſurrexerit. 10. Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt
Phariſæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm? 11. Qui reſpondens,
ait illis: Elias cùm venerit, primò reſtituet omnia: & quo modo ſcriptum eſt in
Filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur. 12. Sed dico vobis quia &
Elias venit (& fecerunt illi quæcumque voluerunt) ſicut ſcriptum eſt de eo. 13. Et
veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquiren-
tes cum illis. 14. Et confeſtim omnis populus videns Ieſum ſtupefactus eſt, & ex-
pauerunt, & accurrentes ſalutabant eum. 15. Et interrogauit eos: Quid inter vos
conquiritis? 16. Et reſpondens vnus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum
ad te, habentem ſpiritum mutum: 17. qui vbicumque eum apprehenderit, al-
lidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis vt eijce-
rent illum, & non potuerunt. 18. Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incre-
dula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. 19. Et
attulerunt eum. Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum: & eliſus
in terram volutabatur ſpumans. 20. Et interrogauit patrem eius: Quantum tem-
poris eſt ex quo èi hoc accidit? At ille ait: Ab infantia: 21. & frequenter eum
in ignem, & in aquas miſit, vt eum perderet: ſed ſi quid potes, adiuua nos, miſer-
tus noſtri. 22. Ieſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt cre-
denti. 23. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Do-
mine: adiuua incredulitatem meam. 24. Et cùm videret Ieſus concurrentem
turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego
præcipio tibi, exi ab eo: & ampliùs ne introeas in eum. 25. Et exclamans, &

multùm diſcerpens eum , exijt ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus eſt. 26. Ieſus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & ſurrexit. 27. Et cum introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eijcere eum? 28. Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio. 29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam ſcire. 30. Docebat autem diſcipulos ſuos & dicebat illis: Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget. 31. At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum. 32. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi eſſent interrogabat eos: Quid in via tractabatis? 33. At illi tacebant: ſiquidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet. 14. Et reſidens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter. 35. Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum, quem cum complexus eſſet, ait illis: 36. Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me. 37. Reſpondit illi Ioannes, dicens: Magiſter, vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum. 38. Ieſus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit citò malè loqui de me. 39. qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt. 40. Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. 41. Et quiſquis ſcandalizauerit vnum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur. 42. Et ſi ſcandalizauerit te manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem. 43. vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 44. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: 45. vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 46. Quòd ſi oculus tuus ſcandalizat te, eijce eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: 47. vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 48. Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur. 49. Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

Vers. 11. Matt. 17. 11. ET CONTEMNATVR] Græcè, ἐξουδενωθῇ, id eſt, exinaniatur, nihili fiat, ſubaudi, ſimili modo continget Eliæ, vt cùm magnis laboribus fidem collapſam reſtaurarit, pro tantis meritis & beneficijs ab ingratis & impijs maledicta & maleficia recipiat, ac tandem ab eis occidatur, Apoc. 11. v. 7. & 8.

Vers. 13. SCRIBAS CONQVIRENTES; græcè, συζητοῦντας, id eſt diſputantes, altercantes, CVM ILLIS] ſcilicet diſcipulis Ieſu, an videlicet ipſe eſſet Propheta & Meſſias, veraque eius dogmata.

Vers. 14. ET CONFESTIM OMNIS POPVLVS VIDENS IESVM STVPEFACTVS EST, ET EXPAVERVNT] quòd ſcilicet videret Ieſum abſentem tam inopinatò & opportunè adeſſe, vt diſcipulos ſuos contra Scribas tueretur & defenderet. Rurſum quòd viderent in vultu Ieſu paulò antè transfigurato, reliquos adhuc aliquos ſplendoris radios; ſicut Moſi poſt Dei colloquium in vultu adhæſerunt radij, & quaſi cornua lucis, Exodi 34. 29. Vnde ſequitur: *Et accurrentes ſalutabant eum.* Ita Franc. Lucas.

Vers. 15. QVID INTER VOS CONQVIRITIS] Græcè, συζητεῖτε, id eſt diſputatis, altercamini.

Vers. 19. Luc. 9. 42. CONTVRBAVIT] græcè, ἐσπάραξεν, id eſt colliſit, lacerauit, diſcerpſit) ILLVM, id eſt totum eius corpus conuulſit & diſtorſit: vnde explicans ſub-

A dit: ET ELISVS IN TERRAM, VOLVTABATVR SPVMANS] quia ſcilicet dæmon hic ſentiebat vim Chriſti, ac mox ab eo ſe eijciendũ præſentiebat, hinc indignans & frendens energumenum grauiſſimè affligebat & contorquebat.

PRÆTERGREDIEBANTVR GALILÆAM, NEC VOLEBAT QVEMQVAM SCIRE] ne ſcilicet à Galilæis eum eiuſque beneficia amantibus detineretur, quia feſtinabat Hieroſolymam ad crucem & mortem, de qua etiam ſecretò loquebatur cum diſcipulis, vt Patris voluntati ſatisfaceret, ac genus humanum ſua morte redimeret. Ita Maldon. Franc. Lucas & alij Vers. 29.

B AT ILLI IGNORABANT VERBVM] quomodo ſcilicet, & qua de cauſa Chriſtus eſſet moriturus, ac quomodo hæc eius de morte ſibi inſtante verba conſentirent cum ijs, quibus ſæpè eis dixerat regnum ſuum appropinquare: nam alioqui Apoſtolos intellexiſſe & crediſſe Chriſtum moriturum, patet Matth. 17. 23. vbi dicuntur ex hoc Chriſti de morte ſua verbo & oraculo fuiſſe contriſtati. Niſi malis eos dici mortem Chriſti ignoraſſe, quia de ea hæſitabant & fluctuabant, ob diuerſa Chriſti dicta in ſpeciem contraria, ac proinde eos inclinaſſe potiùs in partem mitiorem, ſibique gratiorem, ſcilicet, Chriſtum non moriturum: hoc enim ipſi opta- Vers. 31. Luc. 9. 45.



optabant & verum eſſe cupiebant: quia *amantes ſibi ſomnia fingunt*: perſuadere ergo ſibi conabantur verba Chriſti de morte ſua alium habere ſenſum occultum, eſſeque myſticè accipenda, non ad litteram vti ſonabant.

Vers. 57. Luc. 9. 49. RESPONDIT ILLI IOANNES, DICENS: MAGISTER VIDIMVS QVEMDAM IN NOMINE TVO EIJCIENTEM DÆMONIA, QVI NON SEQVITVR NOS, ET PROHIBVIMVS EVM] q. d. Fecimúſne bene an malè? Quærit hoc Ioannes, non ex inuidia, vt vult Caluinus; ſed ex amore & ſtudio honoris Chriſti; idque occaſione eius quod v. 36. dixerat Chriſtus. *Quiquis vnum, &c. receperit in nomine meo.* q. d. Si te & patrem ſuſcipit, qui paruulum in nomine tuo ſuſcipit, quid ergo ſentiendũ de eo, qui in nomine tuo virtutes, id eſt miracula, facit, & tamen non ſequitur nos, hoc eſt, non eſt tui aſſecla & diſcipulus, vti nos ſumus? *Quia tradiderat*, inquit Cyrillus in Catena Lucæ 9. v. 49. *Saluator poteſtatem Apoſtolis, vt ſpiritus immundos eijcerent, putauerunt nulli alteri quàm ſibiſolis licere conceſſam gerere dignitatem.* Sic & Theophyl. Victor. & Titus in c. 9. Lucæ.

*Quinam erant ij, qui dæmonia eijciebant in nomine Chriſti.* Vbi Nota, hoſce qui dæmonia hîc eijciebant in nomine Chriſti, nec tamen eum ſequebantur, fuiſſe fideles, ſed imperfectos, vtpote abhorrentes ab aſpera paupertate & rerum ſuarum abdicatione (quam fecerant Apoſtoli) ac ſequela Chriſti ad Euangelicos labores, perſecutiones & cruces: habuiſſe tamẽ aliquam fidem in Chriſtum, cuius virtute pellebant dæmones. ita S. Ambroſ. in cap. 9. Lucæ verſ. 49. idque agente & cooperante eis Chriſto, vt eò maior oſtenderetur virtus & gloria Chriſti, quæ per tam imperfectos & quaſi alienos tanta operabatur. ita Theophyl.

Nota Secundò, Apoſtoli prohibuerunt ipſos non ex odio, ſed ex zelo Chriſti, quaſi qui gloriæ Chriſti eiuſque inſtitutioni cap. 3. 15. (vbi Chriſtus ſolis Apoſtolis dat poteſtatem pellendi dæmones) officerent; ſed zelus hic fuit indiſcretus, præſertim quia temerè incõſulto Chriſto ipſos prohibuerant; idque eis oſtendit Chriſtus duplici ratione. Prior eſt, quam effert v. ſequ. Simili modo Ioſue videns Eldad & Medad prophetantes, voluit eos prohibere, quaſi gloriæ Moſis officerent, eò quòd à Moſe ſpiritum prophetiæ nõ accepiſſent, ſed reſtitit ei Moſes dicens: *Quid æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?* Num. 11. 29. Hic eſt Spiritus Chriſti, ſpiritus Charitatis & Spiritus ſancti, qui cor dilatat & nulli inuidet, ſed bonis omnibus, per quoſcumque & quomodocumque fiant, congaudet. 1. Cor. 13.

Vers. 38. Luc. 9. 50. IESVS AVTEM AIT: NOLITE PROHIBERE EVM: NEMO EST ENIM QVI FACIAT VIRTVTEM IN NOMINE MEO ET POSSIT CITÒ (græcè ταχὺ id eſt, ῥᾳδίως id eſt facilè) MALE LOQVI DE ME] q. d. Nolite eum ab opere bono mihique honorifico impedire, quia etiamſi ipſe me non ſequatur, tamen idem agit quod vos, ſcilicet celebrare nomen meum, illudque per eiectionem dęmonum hominibus apprędicare: quare ipſe nomini meo non officit, ſed potiùs illud propagat & illuſtrat.

Vers. 39. Luc. 9. 50. QVI ENIM NON EST ADVERSVM VOS, PRO VOBIS EST] q. d. Hic ideò vobis non aduerſatur, vt idem agat quod vos: pro vobis ergo ſtat, voſ-



A que adiuuat, non oppugnat. Vide dicta Matth. 12. 30.

QVISQVIS ENIM POTVM DEDERIT VOBIS CALICEM AQVÆ IN NOMINE MEO, QVIA CHRISTI ESTIS (diſcipuli, aſſeclæ & Apoſtoli) AMEN DICO VOBIS, NON PERDET MERCEDEM SVAM] Eſt hæc poſterior Chriſti ratio, probans eum non eſſe prohibendum ab expulſione dæmonum. q. d. Si is qui vobis dat potum aquę meo nomine & reſpectu, bene facit, & mercedem à Deo recipiet: ergo etiam is qui in nomine meo dæmones pellit. Tam enim hic quàm ille mei intuitu & reſpectu bonum opus operatur, & in proximos beneficus eſt; ſed hic tantò magis, quantò nocentior eſt dæmon quem pellit, quàm ſitis, quæ potu aquæ leuatur ab illo. Ità Theophyl. Ianſen. & alij. Vers. 40. Matt. 10. 42.

B ET QVISQVIS SCANDALIZAVERIT VNVM EX HIS PVSILLIS CREDENTIBVS IN ME, BONVM EST EI MAGIS SI CIRCVMDARETVR MOLA ASINARIA COLLO EIVS, ET IN MARE MITTERETVR] Eſt antitheſis oppoſita verſui 36. eò enim redit Chriſtus poſt quæſtionem à Ioanne interpoſitam de eo, qui in nomine Chriſti dæmones eijciebat, qua ipſe ſermonem Chriſti abruperat, vbi ait Chriſtus: *Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit*, &c. q. d. Sicut qui paruulos in me credentes recipit, fouet & promouet, me recipit, ideoq; à me gloria æterna in cælo præmiabitur: ſic ex aduerſo quiſquis vnum ſcandalizauerit ex hiſce paruulis, me offendit, ideoque à me ad gehennam damnabitur: quare præſtaret eum in mare mergi quàm paruulum ſcandalizari, quia præſtat mari quàm gehenna ſorberi. Vers. 41. Matt. 18. 6. Luc. 17. 2.

C ET SI SCANDALIZAVERIT TE MANVS TVA, ABSCIDE ILLAM] q. d. Scandalum adeò eſt perniciosum, vt non tantùm agenti noceat, ſed & patienti: quare ſi à manu tua ſcandalum pateris, abſcide eam. q. d. Si aliquis tibi cognatus vel amicus qui tibi vtilis vel charus eſt, ſicut manus, pes, vel oculus tuus, te ſcandaliſat, & ad peccatum pertrahit, abſcinde, eum à te tuoque conſortio, ne te ſecum pertrahat in gehennam. Vide dicta Matth. 18. v. 6. & ſeqq. Vers. 42. Matt. c. 5. v. 31. c. 18. A. 8.

VBI VERMIS EORVM NON MORITVR, ET IGNIS NON EXTINGVITVR] Citat Iſaiæ c. 66. v. 24. vbi hæc verba explicui. Damnati enim in gehenna cruciantur horrendis vermibus & ignibus perpetuis. Quocirca tertiò Chriſtus hanc ſentẽtiam repetit, vt terribiles hoſce vermes & ignes nobis inculcet, vt eorum horrore ſcandalum & peccatum omne fugiamus. Vers. 43.

D OMNIS ENIM IGNE SALIETVR, ET OMNIS VICTIMA SALE SALIETVR] Primò, Maldonatus & Franc. Lucas ignem gehennæ accipiunt, vt Chriſtus det cauſam eius quòd proximè dixit: *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Cauſa eſt, *omnis enim*, ſcilicet talis qui gehennæ adiudicandus eſt *igne* eiuſdem *ſalietur*, id eſt igne vretur & cruciabitur; ſed ita vt eodem igne quaſi ſale, ſeruetur incorruptus, ad perpetua tormenta; ignis enim erit ei tamquam ſal, velut ſi ſale perfrictus ſit, vt incorruptus perpetim in ignis cruciatibus perduret: ſal enim & vrendi & conſeruandi vim habet: vrit & cruciat aduſtione, acredine ſua ſeruat à corruptione, idem facit ignis gehennæ, quare appoſitè comparatur ſali. Vers. 48. *Igne ſaliri quid? Reſp. Primò.*



Et

ET OMNIS VICTIMA SALE SALIETVR ] *Et*, id eſt, ſicut. q.d. Sicut omnis victima Dei ſolet ſale ſaliri ex lege Leuitic. 2. 13. ſic quilibet gehennæ adiudicandus, erit quaſi victima iuſtitiæ & vindictæ Dei in perpetuum, ideoque igne inextinguibili velut ſale ſalietur, id eſt vretur & cruciabitur, ac ſimul incorruptus in igne perdurabit. Sic impios in tormentis eſſe victimas vindictæ Dei, docet Iſaias c. 34. 6. Ezechiel cap. 39. v. 17. & 19. Ierem. cap. 46. 10. impij enim mactātur quaſi hoſtiæ ad Dei iuſtitiam honorādam & celebrandam. Hic ſenſus valdè planus, connexus, & appoſitus eſt.

*Secundò.* Secundò, alij hęc referunt remotiùs ad ea quę Chriſtus v. 42. & ſeq. dixit de cauendo ſcandalo, ac propter illud abſcindenda manu, pede & oculo. q. d. Ideo abſcinde abs te hominem tibi charum & neceſſarium inſtar manus, pedis & oculi, ſi te ſcandalizet, quia omnis qui cupit placere Deo, illique ſe offerre, ac fieri victima ſpiritualis, neceſſe eſt vt igne mortificationis, qua à ſe hominem charum, ſed ſcandaloſum abſcindat, & tribulationis idcirco ſubeundæ, *ſaliatur*, id eſt crucietur & purgetur, atque vt quaſi Dei victima myſtico ſale prudentiæ, diſcretionis & ſapientiæ Euangelicæ (quæ docet ſatius eſſe abſcindere à ſe manum quàm ire in gehennam) *ſaliatur*, id eſt cōdiatur. Alludit, imò citat in ſenſu myſtico Leuit. 2. 13. *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies.* Vide ibi dicta. Ita Theophyl. hîc, ac Theodor. Procopius Beda, Radulphus, Rupertus in Leuit. ca. 2. ac Cyrillus lib. 15. de Adoratione. Vnde ſequitur, *Bonum eſt ſal.* Audi Gloſſam igne ſaliri eſt ob Chriſti amorem proximos nobis, & dilectos inſtar manus vel oculi, abnegare. Audi & Bedam; Altare, eſt electorum cor, hoſtiæ, bona opera; ſal, ſapientia. Opponit Chriſtus ignem mortificationis igni gehennæ, ſal verò vermi non morienti, q.d. Vt euadatis ignem & vermem gehennæ quē generat concupiſcentia, ſtudete igni mortificationis & ſali ſapientiæ; hic enim tollet omnem putredinem concupiſcentiæ, ex qua vermes naſcuntur perennes, igne gehennæ vrendi.

*Tertiò.* Tertiò, Beda per *ignem* accipit charitatem, vel Spiritum ſanctum, eiuſque gratiam & donum diſcretionis, qua nos ad omne bonum dirigit, *Sal*, inquit, *vermis putredinem arcet, quod verò igne ſalitur, id eſt ignibus ſale aſperſis reconditur, non ſolùm vermes abijcit, ſed & carnem conſumit. Condiendum ergo corpus continentia, & mens ſapientia: ſal enim eſt ſapientia, ignis Spiritus ſancti gratia.*

*Quartò.* Denique Scholiaſtes apud S. Hieronymum per ſalem accipit quoque ignem purgatorium. Audi eum: *Victima Domini eſt genus humanū, quod hic ratione ſapientiæ ſalitur, dum corruptio ſanguinis cuſtodia putredinis, id eſt mater vermium conſumitur, & illic purgatorio igne examinatur.*

BONVM EST SAL ] q.d. Vtile eſt ſal, id eſt vtiles orbi eſtis vos, ô Apoſtoli à me electi, vt ſitis ſal terræ, Matth. 5. 13. vt veſtra ſapientia & doctrina Euangelica quaſi ſale condiatis omnes gentes. Audi Scholiaſten apud S. Hieronymum: *Bonum eſt verbum Dei audire, ſale ſapientiæ cor condire, imò cum Apoſtolis ſal eſſe, id eſt alijs ſapientiam miniſtrare.* Et Theophyl. *Conſeruat ſal carnes, ſic ſermo doctoris non ſinit in hominibus carnalibus extinguibilem ignem generari.*

QVÒD SI SAL INSVLSVM ( græcè eſt elegans paronomaſia ἅλς ἄναλον, id eſt ſal inſalſum, vel ſal ſine ſale) FVERIT IN QVO (quo alio ſale) ILLVD CONDIETIS? ] q. d. Si vos ô Apoſtoli, qui eſtis ſal terræ, vim hanc ſalis perdatis, ac fiatis inſulſi & inſipientes, vt ob amorem vel timorem hominum, ob cupiditatem vel ambitionem, à doctrina mea vitaque Euangelica deſciſcatis, quis vos priſtinæ ſapientiæ, vigori & ſanctitati reſtituet? Ludit Chriſtus in voce ſal: nam ſal Leuit. 2. 13. propriè accipitur, hîc verò myſticè pro ſapientia, & metonymicè pro Apoſtolis, qui in ſe habebant myſticum hoc ſal. Audi Scholiaſten apud S. Hieron. *Sal inſulſum eſt, qui amat principatum, & qui increpare non audet nec confiteri, diligens gloriam hominis magis quàm Dei.* Et Theophyl. *Sal inſulſum eſt, ſi virtutem deſiccatiuam & conſeruatiuam non habet.* Notat Chriſtus Iudam, qui philargyria corruptus factuſq; inſulſus, & apoſtolatum perdidit, & Dominum tradere non dubitauit, ait Gloſſa.

HABETE ERGO IN VOBIS SAL ſapientiæ ſcilicet & vitæ Chriſtianæ, v.g. humilitatem, charitatem, mundi contemptum ac præſertim pacem, vt ſubdit Chriſtus, dicens: ET PACEM HABETE INTER VOS ] ne ambitioſè de primatu inter vos contendatis, vti contenditis verſ. 33. eò enim reſpicit Chriſtus: hæc enim contentio futura eſt ſcandaloſa toti mundo, eaque de cauſa de ſcandalo vitando ſermonem ſubiunxit Chriſtus v. 36. & 41. Si verò pacem & mutuam concordiam ſeruetis, ædificationi eritis toti mundo, ac iuncti inuicem charitatis vinculo eritis inſuperabiles, omneſque ad vos & ad Chriſtum trahetis. Vnde Interlin. per *pacem* accipit dilectionem. Magnes enim amoris eſt amor. Hinc Scholiaſtes apud S. Hier. ſic exponit: *Habete in vobis ſal.* q.d. Sal correctionis amor proximi temperet, & dilectionem ſal iuſtitiæ conſeruet.

ET PACEM HABETE INTER VOS ] q. d. Qui ſapienter loquitur magnopere metuat, ne eloquio eius vnitas rumpatur: nam vt ait Beda, *habere ſal ſine pace, non virtutis eſt donum, ſed damnationis argumentum: quò enim melius quiſque ſapit, eo deteriùs delinquit*, ſunt enim multi, ait Gloſſa, *quos dum maior ſcientia erigit, ab aliorum ſocietate diſiungit; & quò plus ſapiunt, eo plus à concordiæ virtute deſipiunt.* Et S. Gregorius lib. 1. epiſt. 24. *Per ſal*, inquit, *ſapientia deſignatur. Qui igitur loqui ſapienter nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur.*

Denique Gloſſa ſic exponit: *Habete in vobis ſal*, id eſt diſcretionem: *Et pacem habete inter vos.* q.d. Per ſapientiam & diſcretionem pax inter homines acquiritur, & pariter conſeruatur: prudens enim & diſcretus nil facit quod alios offendat, & pacem turbet. Idem aliorum infirmitates diſſimulat & tolerat, ob quas alij impatientes iraſcuntur, rixantur & pugnāt: quia nihil in mundo amat niſi Deum, vnde ad cetera videtur ἀπαθὴς, & quaſi inſenſibilis.

Audi Climacum gradu 30. *Firmamentum quidem pro ornatu habet ſtellas; animi verò tranquillitas virtutes. Ego enim ἀπάθειαν, ſiue tranquillitatem animi, nihil aliud eſſe exiſtimo, quàm mentis in corde cælum, quod omnes improbas dæmonum artes deinceps pro ludo & ludibrio habet.* Addit deinde eamdem eſſe *palatium ſupremi regis, ac corporis quaſi mortalem quamdam immortalitatem.*

CAPVT



# CAPVT DECIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, *Chriſtus tollit libellum repudij, ſancitque primeuam matrimonij inſolubilis firmitatem, Secundò, v. 13. paruulos ad ſe aduocat & benedicit. Tertiò, v. 17. adoleſcenti diuiti ſalutis auido ſuadet diuitijs abdicatis ſe pauperem ſequi; abnuit ille triſtis; vnde Chriſtus docet diuites difficile ſaluari. Petrus autem aſſerens ſe cum ſocijs opes abdicaſſe vt Chriſtum ſequeretur, ac præmium poſcens; accipit à Chriſto promiſſionem centupli & vitæ æternæ. Quartò, v. 32. ait ſe aſcendere Hieroſolymam ad crucem & mortem, ac Iacobo & Ioanni primas in regno eius petentibus calicem paſſionis propinat, ipſoſque & ceteros fugere ambitionem, & ſectari humilitatem docet. Denique v. 46. Bartimæo cæco viſum reſtituit.*

1. ET inde exurgens venit in fines Iudææ vltra Iordanem: & conueniunt iterum
turbæ ad eum: & ſicut conſueuerat, iterum docebat illos. 2. Et accedentes Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere: tentantes eum.
3. At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes? 4. Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere. 5. Quibus reſpondens Ieſus, ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud. 6. ab
initio autem creaturæ, maſculum & feminam fecit eos Deus. 7. Propter hoc,
relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit ad vxorem ſuam: 8. &
erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. 9. Quod ergo
Deus coniunxit, homo non ſeparet. 10. Et in domo iterum diſcipuli eius de eodem interrogauerunt eum, 11. Et ait illis: Quicumque dimiſerit vxorem ſuam,
& aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. 12. Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur. 13. Et offerebant illi paruulos vt tangeret
illos. Diſcipuli autem comminabantur offerentibus. 14. Quos cùm videret Ieſus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos:
talium enim eſt regnum Dei. 15. Amen dico vobis; Quiſquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. 16. Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos. 17. Et cùm egreſſus eſſet in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magiſter bone, quid faciam vt
vitam æternam percipiam? 18. Ieſus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi vnus Deus. 19. Præcepta noſti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum
& matrem? 20. At ille reſpondens, ait illi: Magiſter, hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea. 21. Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi
deeſt: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me. 22. Qui contriſtatus in verbo, abijt mœrens: erat enim habens multas poſſeſſiones. 23. Et circumſpiciens Ieſus, ait diſcipulis ſuis:
Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! 24. Diſcipuli
autem obſtupeſcebant in verbis eius. At Ieſus rurſus reſpondens ait illis: Filioli,
quàm difficile eſt, confidentes in pecunijs, in regnum Dei introire! 25. Facilius
eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.
26. Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſaluus fieri?
27. Et intuens illos Ieſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum:
omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum. 28. Et ei cœpit Petrus dicere: Ecce
nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. 29. Reſpondens Ieſus, ait: Amen dico
Vobis: nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut
matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter euangelium. 30. qui non
accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, &
matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam.
31. Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. 32. Erant autem in
via aſcendentes Hieroſolymam; & præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant: & ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ eſſent ei euentura. 33. Quia ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & ſenioribus, & damnabunt eum morte,

& tradent eum gentibus: 34. & illudent ei,& conſpuent eum,& flagellabunt eum,
& interficient eum:& tertia die reſurget. 35. Et accedunt ad eum Iacobus & Io-
annes filij Zebedæi,dicentes: Magiſter,volumus, vt quodcumque petierimus,facias
nobis. 36. At ille dicit eis:Quid vultis vt faciam vobis? 37. Et dixerunt. Da nobis,
vt vnus ad dexteram tuam,& alius ad ſiniſtram tuã,ſedeamus in gloria tua. 38. Ie-
ſus autem ait eis:Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibo; aut
baptiſmo,quo ego baptizor,baptizari? 39. At illi dixerunt ei,Poſſumus: Ieſus au-
tem ait eis: Calicem quidem,quem ego bibo, bibetis,& baptiſmo,quo ego baptizor,
baptizabimini: 40. ſedere autem ad dextram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt
meum dare vobis,ſed quibus paratum eſt. 41. Et audientes decem cœperunt in-
dignari de Iacobo & Ioanne. 42. Ieſus autem vocans eos,ait illis:Scitis quia hi,
qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum poteſtatem
habent ipſorum. 43. Non ita eſt autem in vobis, ſed quicumque voluerit fieri
maior, erit veſter miniſter: 44. & quicumque voluerit in vobis primus eſſe,erit
omnium ſeruus. 45. Nam & Filius hominis non venit vt miniſtraretur ei,ſed vt
miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis. 46. Et veniunt
Iericho, & proficiſcente eo de Iericho,& diſcipulis eius,& plurima multitudine, fi-
lius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat iuxta viam mendicans. 47. Qui cùm au-
diſſet quia Ieſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere, Ieſu fili Dauid, miſerere
mei. 48. Et comminabantur ei multi vt taceret. At ille multò magis clamabat:
Fili Dauid miſerere mei. 49. Et ſtans Ieſus præcepit illum vocari. Et vocant cæ-
cum dicentes ei: Animæquior eſto:ſurge,vocat te. 50. Qui proiecto veſtimento
ſuo exiliens,venit ad eum. 51. Et reſpondens Ieſus dixit illi:Quid tibi vis faciam?
Cæcus autem dixit ei:Rabboni,vt videam. 52. Ieſus autem ait illi: Vade, fides
tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit,& ſequebatur eum in via.

VERS. 21. Matt 19. 21. Luc. 18. 22.

IESVS AVTEM INTVITVS EVM, vultu ſuaui,benigno & blando, DILEXIT EVM] putà ſigna dilectionis illi oſtendit v. 18. manum eius apprehendens, illi innuens & arridens, illum amplexãs & exoſculans. A

ET DIXIT EI: VNVM TIBI DEEST] Arabicus interſerit: *Et dixit ei:Viſne fieri perfectus? vnum deeſt tibi*, &c. ſcilicet ad perfectionem vitæ ſanctæ & Euangelicæ.

SEQVERE ME] Græca addunt, *Tollens crucem tuam*. Vnde Syrus, *& accipe crucem tuam,& veni poſt me*; Arabicus, *veni, ſequere me, & porta crucem*.

VERS. 24.

FILIOLI] Syrus, *filij mei*, Blanda compellatione mollit rei difficultatem, velut qui eos vt filios chariſſimos amet, ac vt talibus veritatem ſincè rè dicat, & diuitias velut ſalutis obices abdicare ſuadeat.

CONFIDENTES IN PECVNIIS] Diuites enim confidunt in ſuis diuitijs potiùs quàm in Deo: B iuxta illud: *Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius*, Prouerb. 10. 15. ideoque difficilè ſaluantur, quia ſalus non niſi à Deo obuenit: quare ſaluari volentes in Deum ſperent, ab eoque ſalutem poſtulent & expectent oportet, vti faciunt pauperes, qui cùm non habeant diuitias in quibus confidant, omnem ſpem ſuam in Deo collocare coguntur, iuxta illud pſal. 13. 6. *Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes eius eſt*. Diuites ergo ſi ſaluari volunt, ſpem, cor & amorem ſuum auocent à diuitijs, illumque in Deum transferant.

VERS. 30. Matt. 19. 29. Luc. 18. 30.

QVI NON ACCIPIAT CENTIES TANTVM, NVNC IN TEMPORE HOC, DOMOS, ET FRATRES, &C. CVM PERSECVTIONIBVS] Centuplum hoc expoſui Matth. cap. 19. verſ. 29. Addit Marcus illud reddendum *cum perſecutionibus*; Arabicus, *in tribulationibus*. q. d. Eſto fidelis; qui amore Chriſti ſua & ſuos reliquit, in medijs verſetur perſecutionibus & vndequaque eis valletur, tamen non deerunt ei centum, id eſt plurimi; qui ei ſuccurrant, eumque foueant vt fratres, patres & matres. Ita S. Hier. Beda, Franc. Lucas, Emm. Sà Varabl.

Addit hoc, tum quia in perſecutionibus maximè fidelis eget ope & auxilio aliorum, tum quia hoc, mirum eſt & rarum vt in perſecutione, quando homo ſolet deſtitui auxilijs & amicis, cumque omnes metuentes periculum ab eo ſe ſubducunt, ſequaces tamen Chriſti contrarium planè experiantur, & centum, id eſt plurimos, inueniunt qui illis opitulentur.

Rurſum poteſt τὸ *cum perſecutionibus*, ſic accipi, quaſi perſecutiones & tribulationes obitæ vel obeundæ pro Chriſto, ſint pars mercedis dandæ ſequentibus Chriſtum vnà cum centuplo. Magnum enim Dei donum eſt pati pro Chriſto, vti docet Apoſtolus Philip. 2. verſ. 19. Ita Ianſen. Sà & alij.

VERS. 32. Matt. 20. 17. Luc. 18. 31.

ERANT AVTEM IN VIA (ex Iericho) ASCENDENTES HIEROSOLYMAM ad inſtantem Chriſto crucem & mortem, vti prædixerat Chriſtus, ET PRÆCEDEBAT ILLOS] alacer, præbẽs ſe viæ ducẽ Apoſtolis timidis, qui abhorrebant ab Hieroſolyma eò quòd ſcirẽt Ieſum ibidem à primoribus quæri ad necem, imò illam ipſi decretam eſſe à magno concilio Sanedrim, Ioan. 11. 52. Vnde ſequitur.

ET STVPEBANT, ET SEQVENTES TIMEBANT] id eſt timide ſequebantur Ieſum. Arabicus, *& ipſi attoniti ſequebãtur eum timentes*, græcè, ἐθαμβοῦντο, id eſt, ex ingenti metu & pauore ſtupebant. Cauſa pauoris indeque ſtuporis erat, ait Beda, inſtans mortis periculum: ſtupebant enim quòd Chriſtus animo tam alacri & reſoluto, ſe ſuoſque in apertũ necis diſcrimen conijceret, timebant enim ne ipſi cum Chriſto paterentur & occiderentur.

AVT



VERS. 38. Matt. 20. v. 22. 23.

AVT BAPTISMO, QVO EGO BAPTIZOR, BAPTIZARI] *Baptiſmum* Chriſtus vocat paſſionem ſuam, quia in illam planè erat immergendus & demergendus, iuxta illud Dauidis de ſe, & multò magis de Chriſto, pſal. 68. v. 1. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ* (tribulationum) *vſque ad ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia* (locus in quo ſubſiſtam) *Veni in altudinem maris & tempeſtas demerſit me*. Vide dicta Matth. 20. 22.

VERS. 42. Matt. 20. 25.

SCITIS QVIA HI QVI VIDENTVR PRINCIPARI GENTIBVS, DOMINANTVR EIS] Græcè, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, id eſt dominantur in eas, vel contra eas. Pro *qui videntur*, græcè eſt, οἱ δοκοῦντες. id eſt, qui ſibi placent, gaudentque imperare & dominari. Nulli enim imperioſiùs & duriùs regunt, quàm illi qui regimine & imperio delectantur. Vnde Arabicus vertit, *qui putant ſe eſſe principes populorum, ſunt domini eorum*, id eſt, dominationem quaſi tyrannicam in eos exercent.

VERS. 46. Matt. 20. v. 29. 30. Luc 18. 35.

FILIVS TIMÆI BARTIMÆVS] Syrus, *Timæus filius Timæi*; Arabicus, *Bartimæus filius Timæi*. Cæcus ergo hîc vocatur quaſi nomine proprio *Bartimæus*, id eſt, filius Timæi, ſicut Bartholomæus idem eſt quod filius Tholomæi, Matth. 10. v. 3. Idem à patre dictus eſt *Timæus*. Sic *Timæus* dictus eſt Philoſophus ille Pythagoricus, qui vitam Pythagoræ ſcripſit, cuius nomine Plato ſcripſit dialogum, quem Timæum indigitauit, quia in eo tractat de natura & rerum vniuerſitate, eiuſque partibus, præſertim de homine, in qua materia Timæus ille Pythagoricus erat verſatiſſimus. Vnde eum in dialogo hoc interloquentem inducit Plato. A

*Bartimæi triplex etymon.*

Porrò *Bartimæus*, Pagnin. in Nomin. Hebraicis tripliciter interpretatur. Primò, ex S. Hieronymo, vt *Bartimæus* ſit idem quod filius cæcus, aut cæcitatis, vt ſit nomen Syrum, ſed corruptum quod propriè dici deberet *Barſemia*, aut *Barſamæus*: *bar* enim eſt filius, *ſemaia* cæcitas.

Secundò, vt idem ſit quod filius honoris, vt ſit compoſitum conflatumque ex Syro *bar*, id eſt filius, & Græco τιμή, id eſt honor; inde philoſophus ille Pythagoricus dictus eſt Timæus, id eſt honorandus, ob ſcientiam. Sic cæcus hic ſequens Chriſtum, ipſi fuit honori & laudi.

B Tertiò, vt ſit idem quod filius admirantis, aut frumentum admirabile, vel puritas admirabilis; hanc enim hic cæcus adeptus eſt à Chriſto: quia illuminatus in corpore, magis illuminatus eſt in mente: *bar* enim eſt filius, vel far & frumentum, vel puritas: *tamah* eſt admirari.

VERS. 52. Matt. 20. 34. Luc. 18. v. 42. 43.

ET SEQVEBATVR EVM IN VIA] Moral. Gloſſa: Conſideremus, ait, qua via graditur, & ſequamur per humilitatem & labores. *Via*, quæ dicit: *Ego ſum via, veritas & vita*. Hæc eſt via anguſta, quæ ducit ad ardua Hieroſolymæ & Bethaniæ, ad montem Oliuarum, qui eſt mons luminis & conſolationis, imò ad Sion & Ieruſalem cæleſtem. Cæcus ergo videt & ſequitur, quia qui Chriſti vitam probè intelligit, eam opere ſequi & imitari debet.

# CAPVT VNDECIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, Chriſtus aſina vectus cum palmis Ieruſalem, quaſi Meſſias rex & triumphator ingreditur. Secundò, v. 13. ficui ficubus carenti maledicit: vnde ipſa exaruit. Tertiò, v. 15. ementes & vendentes è templo exturbat. Quartò, v. 22. hortatur ad magnam in Deũ fidem, quod illa ab eo omnia impetret. Quintò, verſ. 27. Scribis rogantibus in qua poteſtate hæc faciat, os claudit, viciſſim interrogando eos, in qua poteſtate Ioannes Baptiſta baptizarit & prædicarit.*

1. ET cùm appropinquarent Hieroſolymæ & Bethaniæ ad Montem oliuarum,
mittit duos ex diſcipulis ſuis, 2. & ait illis: Ite in caſtellum, quod contra
vos eſt, & ſtatim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo
adhuc hominum ſedit: ſoluite illum,& adducite. 3. Et ſi quis vobis dixerit: Quid
facitis? dicite, quia Domino neceſſarius eſt: & continuò illum dimittet huc. 4. Et
abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio: & ſoluunt eum.
5. Et quidam de illic ſtantibus dicebant illis: Quid facitis ſoluentes pullum?
6 Qui dixerunt eis ſicut præceperat illis Ieſus & dimiſerunt eis. 7. Et duxe-
runt pullum ad Ieſum: & imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum. 8. Mul-
ti autem veſtimenta ſua ſtrauerunt in via: alij autem frondes cædebant de arbori-
bus,& ſternebant in via. 9. Et qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant,
dicentes: Hoſanna: 10. Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum
quod venit regnum patris noſtri Dauid. Hoſanna in excelſis. 11. Et introiuit
Hieroſolymam in templum: & circumſpectis omnibus, cùm iam veſpera eſſet ho-
ra, exijt in Bethaniam cum duodecim. 12. Et alia die cùm exirent à Bethania,
eſurijt. 13. Cumque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè
inueniret in ea, & cum veniſſet ad eam, nihil inuenit præter folia: non enim erat
tempus ficorum. 14. Et reſpondens dixit ei: Iam non ampliùs in æternum ex
te fructum quiſquam manducet. Et audiebant diſcipuli eius. 15. Et veniunt

Hieroſolymam. Et cùm introiſſet in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes in
templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.
16. & non ſinebat vt quiſquam transferret vas per templum: 17. & docebat,
dicens eis: Nonne ſcriptum eſt. Quia domus mea, domus orationis vocabitur om-
nibus gentibus? Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. 18. Quo audito,
principes ſacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant e-
nim eum, quoniam vniuerſa turba admirabatur ſuper doctrina eius. 19. Et cùm
veſpera facta eſſet, egrediebatur de ciuitate. 20. Et cùm manè tranſirent, vide-
runt ficum aridam factam à radicibus. 21. Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi,
ecce ficus, cui maledixiſti, aruit. 22. Et reſpondens Ieſus ait illis: Habete fidem
Dei. 23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mit-
tere in mare; & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixe-
rit, fiat, fiet ei. 24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis,
credite quia accipietis, & euenient vobis. 25. Et cùm ſtabitis ad orandum, dimit-
tite ſi quid habetis aduerſus aliquem: vt & Pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis
peccata veſtra. 26. Quòd ſi vos non dimiſeritis: nec Pater veſter, qui in cælis eſt,
dimittet vobis peccata veſtra. 27. Et veniunt rurſus Hieroſolymam. Et cùm am-
bularet in templo, accedunt ad eum ſummi ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores. 28. &
dicunt ei: in qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem, vt iſta fa-
cias? 29. Ieſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo vos & ego vnum verbum,
& reſpondete mihi, & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam. 30. Baptiſmus Io-
annis de cælo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi. 31. At illi cogitabant ſe-
cum, dicentes: Si dixerimus, De cælo, dicet: Quare ergo non credidiſtis ei? 32. Si
dixerimus, Ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Ioannem quia
verè propheta eſſet. 33. Et reſpondentes dicunt Ieſu: Neſcimus. Et reſpondens Ie-
ſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam.

VERS. 10. Matt. 29. 9. BENEDICTVM QVOD VENIT REGNVM PATRIS NOSTRI DAVID] q.d. Ex Dei benedictione & beneficentia *benedictum*, id eſt, felix, fauſtum, florens, firmum, auctum, boniſque omnibus cumulatum ſit, *regnum patris noſtri Dauid*, id eſt, regnum Iſrael, quod ſub Dauide & Salomone eius filio fuit ampliſſimum, florentiſſimum & feliciſſimum, *quod* in captiuitate Babylonica, & deinceps collapſum iam *venit*, id eſt redit, & reſtauratur à noſtro hoc Meſſia Dauidis filio, qui illud priſtino flori, decori & robori reſtituet, imò longè florentius, pulchrius & robuſtius efficiet.

VERS. 16. ET NON SINEBAT VT QVISQVAM TRANSFERRET VAS PER TEMPLVM] *Vas*, ſcilicet vtenſile inſtrumentum, vel ſupellectilem ad vſus profanos, v.g. ſportam, cacabum, lagenam, ſarcinam, &c. *Transferret per templum*, id eſt, per extimum templi atrium, quod erat Gentium, in quo A ſcilicet Gentiles degere & orare poterant, & ſolebant. Nam illis quibus ex foro pecuario, dicto *Betheſda*, corruptè *Bethſaida*, tranſeundum erat in ſuperiorem vrbem, vel in regiam Salomonis, compendioſiſſima erat via per hoc atrium & porticum Salomonis: alioqui enim totum hoc atrium exterius circuire debebant. Quare mirum non eſt ſi ancillæ, ſerui, pueri re aliqua onuſti, compendiariam hanc viam per atrium ingreſſi, longiorem extra atrium fugerent. Chriſtus verò eos inhibuit, & voce iubendo, ac manu eos ſiſtendo & redire cogendo. Quid ergo de Sancto ipſo, quid de templo noſtro feciſſet? Vide Vilalpandum to. 2. in Ezech. l. 3. c. 9.

HABETE FIDEM DEI] id eſt, fidem in Deum plenam, perfectam, ardentem & efficacem, ſimilem grano ſinapis. Vide dicta Matth. capit. 21. verſ. 21. VERS. 22. Matt 22. 21

# CAPVT DVODECIMVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

P*Rimò, Chriſtus obijcit Scribis parabolam vinitorum, filium ſui heri, qui erat dominus vineæ, occidentium, vineamq́ ſibi arrogantium. Secundò, v. 13. Herodianis quærentibus, an liceat Judæis tributum dare Cæſari? reſpondet,* Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. *Tertiò, verſ. 18. Sadducæis probat reſurrectionem. Quartò, v. 28. docet maximum mandatum eſſe de diligendo Deo ex toto corde. Quintò, v. 35. rogat quomodo Dauid Chriſtum filium ſuum vocet Dominum? Sextò, v. 38. monet vt vitent faſtum & auaritiam Scribarum. Denique v. 41, docet viduam dantem templo duo minuta, plus ceteris dediſſe.*

ET



1. ET cœpit illis in parabolis loqui: Vineam paſtinauit homo, & circumdedit ſe-
pem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & pere-
grè profectus eſt. 2. Et miſit ad agricolas in tempore ſeruum, vt ab agricolis
acciperet de fructu vineæ. 3. Qui apprehenſum eum ceciderunt, & dimiſe-
runt vacuum. 4. Et iterum miſit ad illos alium ſeruum: & illum in capite vul-
nerauerunt, & contumelijs affecerunt. 5. Et rurſum alium miſit, & illum occi-
derunt: & plures alios: quoſdam cædentes, alios verò occidentes. 6. Adhuc er-
go vnum habens filium chariſſimum: & illum miſit ad eos nouiſſimum, dicens:
Quia reuerebuntur filium meum. 7. Coloni autem dixerunt ad inuicem: Hic
eſt heres: venite, occidamus eum: & noſtra erit hereditas. 8. Et apprehenden-
tes eum, occiderunt, & eiecerunt extra vineam. 9. Quid ergo faciet dominus
vineæ? Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam alijs. 10. Nec ſcripturam
hanc legiſtis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput
anguli? 11. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? 12. Et
quærebant eum tenere: & timuerunt turbam, cognouerunt enim quoniam ad eos
parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. 13. Et mittunt ad eum quoſ-
dam ex Phariſæis & Herodianis, vt eum caperent in verbo. 14. Qui venien-
tes dicunt ei: Magiſter, ſcimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim
vides in faciem hominum, ſed in veritate viam Dei doces, licet dari tributum Cæ-
ſari, an non dabimus? 15. Qui ſciens verſutiam illorum, ait illis: Quid me
tentatis? afferte mihi denarium vt videam. 16. At illi attulerunt ei. Et ait il-
lis: Cuius eſt imago hæc, & inſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. 17. Reſpondens au-
tem Ieſus dixit illis: Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.
Et mirabantur ſuper eo. 18. Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt reſurre-
ctionem non eſſe: & interrogabant eum dicentes, 19. Magiſter, Moyſes nobis
ſcripſit, vt, ſi cuius frater mortuus fuerit, & dimiſerit vxorem, & filios non reliquerit,
rit, accipiat frater eius vxorem ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo. 20. Septem
ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus eſt non relicto ſemine.
21. Et ſecundus accepit eam, & mortuus eſt: & nec iſte reliquit ſemen. Et ter-
tius ſimiliter. 22. Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem: & non reliquerunt ſe-
men. Nouiſſima omnium defuncta eſt & mulier. 23. In reſurrectione ergo cùm
reſurrexerint, cuius de his erit vxor? ſeptem enim habuerunt eam vxorem. 24. Et
reſpondens Ieſus, ait illis: Nonne ideo erratis, non ſcientes Scripturas, neque vir-
tutem Dei. 25. Cùm enim à mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nu-
bentur, ſed ſunt ſicut angeli in cælis. 26. De mortuis autem quod reſurgant,
non legiſtis in libro Moyſi, ſuper rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: E-
go ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? 27. Non eſt Deus mor-
tuorum, ſed viuorum. Vos ergo multùm erratis. 28. Et acceſſit vnus de Scri-
bis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis reſponderit, in-
terrogauit eum quod eſſet primum omnium mandatum. 29. Ieſus autem reſpon-
dit ei: Quia primum omnium mandatum eſt: Audi Iſrael, Dominus Deus tuus,
Deus vnus eſt. 30. & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex to-
ta anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum manda-
tum. 31. Secundum autem ſimile eſt illi: Diliges proximum tuum tamquam te-
ipſum. Maius horum aliud mandatum non eſt. 32. Et ait illi Scriba: Bene Magi-
ſter, in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum. 33. Et vt
diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudi-
ne: & diligere proximum tamquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocautomati-
bus, & ſacrificijs. 34. Ieſus autem videns quòd ſapienter reſpondiſſet, dixit illi:
Non es longè à regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare. 35. Et reſpon-
dens Ieſus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum filium
eſſe Dauid? 36. Ipſe enim Dauid dicit in Spiritu ſancto: Dixit Dominus Domino
meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.
37. Ipſe ergo Dauid dicit eum Dominum, & vnde eſt filius eius? Et multa turba
eum libenter audiuit. 38. Et dicebat eis in doctrina ſua: Cauete à Scribis, qui
volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro, 39. & in primis cathedris ſedere in
ſynagogis, & primos diſcubitus in cœnis: 40. qui deuorant domos viduarum
ſub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius iudicium. 41. Et ſedens Ie-
ſus contra gazophylacium, aſpiciebat quo modo turba iactaret æs in gazophyla-
cium,

ciū, & multi diuites iactabant multa. 42. Cùm veniſſet autem vidua vna pau-
per, miſit duo minuta, quod eſt quadrans, 43. & conuocans diſcipulos ſuos, ait il-
lis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt
in gazophylacium. 44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miſerunt: hæc
verò de penuria ſua omnia quæ habuit miſit totum victum ſuum.

VERS. 1. Matt 21. 33. Luc. 20. 9. VINEAM PASTINAVIT] Græcè ἐφύτευσεν, id eſt, *plantauit*, vt vertit Interpres Matth. 21. 33. *Paſtinare* propriè tribuitur vitibus, idemque eſt quod agrum vineæ fodere, vt vites inſerantur. Vnde *repaſtinare* vites idem eſt quod illas cùm ſterileſcunt refodere. Modum paſtinandi tradit Columella lib. 3. c. 13.

ET FODIT LACVM] lacunam, in quam muſtum ex vuis in torculari expreſſum defluit. Vnde græcè eſt ὑπολήνιον, id eſt, *ſubtorculare*: ληνὸς enim eſt *torcular*. Hinc Arabicus vertit, *& fodit in ea torcular*; & ſic habet Matth. cap. 21. 33. vbi per *torcular* non ſolùm prælum, quo vuæ premuntur vt liquor exprimatur, ſed etiam ipſum vas, ſiue lacuna prælo ſubiecta, quâ liquor preſſus excipitur, ſignificatur: hæc enim propriè fodi, vel, vt habet Iſaias c. 5. 1. exſcindi dicitur.

VERS. 14. Matt. 22. v. 16. 17. Luc. 20. v. 21. 22. LICET DARI TRIBVTVM CÆSARI, AN NON DABIMVS?] Hoc eſt, an ſuades nobis vt non demus? Rogant hoc modo, vt eum grauiùs accuſent, quòd non tantùm negati Cæſari vectigalis fuerat conceſſor ſiue permiſſor, ſed & ſuaſor. Græca & Syrus habent, *licet cenſum Cæſari dare, an non? demus, an non demus?* id eſt, dare debemus, an non dare? Arabicus, *doce nos an liceat nobis tributum dare Cæſari, an non dabimus?*

VERS. 33. ET DILIGERE PROXIMVM TAMQVAM SEIPSVM, MAIVS EST OMNIBVS HOLOCAVSTOMATIBVS] id eſt holocauſtis, in quibus tota victima Deo cremabatur, & per ignē ſacrificabatur. Hoc eſt quod ait Deus: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei, pluſquam holocauſta.* Oſee 6. 6. Vide ibi dicta. Tacitè hic adoleſcens aſſentiens ſententiæ Chriſti taxat Scribas, qui ſacrificia in ſuum lucrum cedentia præferebant miſericordiæ & dilectioni proximorum, ideoque filijs iubebant vt parentibus egentibus dicerent, *corban*, id eſt, oblatio. q. d. Rem tibi dandam ô pater, voui & obtuli Deo, quare illi danda eſt, non tibi, Matth. 15. 6.

VERS. 34. Matt. 22. 46. Luc. 20. 40. NON ES LONGE A REGNO DEI] non longè abes à via ſalutis: per dilectionem enim Dei & proximi itur in cælum. Rurſum non longè es ab Eccleſia mea, per quàm hîc militantem itur ad triumphantem in cælis. Sed adhuc tibi deeſt fides, vt credas in me quaſi Meſſiam mundi ſaluatorem, meiſque præceptis obedias, vt ſcilicet fias Chriſtianus; ac ſi vis eſſe perfectus, relictis omnibus ſequaris me, vti fecerunt Apoſtoli. Dicens ergo, *Nō es longè, diſtantem adhuc oſtendit*, vt ad anteriora contenderet, *& quæ adhuc ipſi deerant ſtudiosè inquireret*, inquit Victor. Antioch.

VERS. 38. Matt. 23. 7. Luc. 11. v. 43. & 20. v. 46. IN STOLIS AMBVLARE] Stola erat veſtis elegans polita, & ad talos demiſſa: vnde Scribæ illa ad pompam vtebantur. *Nolite*, ait Victor Antioch. *eos æmulari, neque oculis in externam illorum ſpeciem coniectis, felices fortunatoſq; illos prædicetis. Sunt hæc omnia idonea ſuperbæ cuiuſdam oſtentationis inſtrumenta, humanæq; laudis aucupia, quos inutilis honoris præmium apud homines ferant.*

VERS. 40. Luc. 20. 47. QVI DEVORANT (græcè, οἱ κατεσθίοντες, id eſt, qui planè & omnino abſumunt & abliguriunt) DOMOS VIDVARVM] tum per lauta conuiuia quæ ab illis poſtulant, tum potiùs per dona & opes, quas ab eis per auaritiam extorquent, prætextu orationis pro ipſis faciendæ. *Cùm itaque*, ait Beda, *porrecta manus pauperi, preces iuuare ſoleat: hi vt nummum tollant pauperi, in prece pernoctant.*

HI ACCIPIENT PROLIXIVS IVDICIVM] q. d. Scribis hiſce incumbet ſeuerior Dei in die iudicij ſententia, & grauior condemnatio, tum quia ſimulatione probitatis ad improbitatem tendunt, ac Dei veſtibus amicti diabolo militant: *Simulata enim ſanctitas duplex eſt iniquitas*, ait S. Chryſoſt. hom. 74. in Matthæum: tum quia Scribæ auaritiam ſuam pro pietate venditabant, eamque religionis colore depinxerat, ait auctor Imperfecti in Matt. c. 23. 6.

QVOMODO TVRBA IACTARET ÆS] id eſt, pecuniam quamlibet ſiue æream ſiue auream, ſiue argenteam: quia enim prima pecunia fuit, ærea, hinc omnis illa deinceps vocata eſt æs, etiamſi ſit ex auro vel argento. VERS. 41. Luc. 21. 1.

IN GAZOPHYLACIVM] Erat arca in quam donaria à populo conijciebantur, & cuſtodiebantur ad vſus templi, & ad alendos ſacerdotes & pauperes: *gaza* enim perſicè ſignificat diuitias: φυλάττειν ſignificat cuſtodire. Hinc etiam porticus, in qua illa ſeruabantur, eodem nomine vocatur. Vnde dicitur Ioan. 8. 20. *Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazophylacio, docens in templo.* ita Beda. *Gazophylacium quid?*

VIDVA VNA PAVPER MISIT DVO MINVTA, QVOD EST QVADRANS] non quaſi vnum minutum ſit quadrans, vt vult Euthymius nixus Matt. 5. 26. ſed quòd duo minuta eſſent vnus quadrãs, vt clarè hîc dicitur. Quadrans erat quarta pars parui aſſis, id eſt, baioci: decem enim aſſes parui, putà decem baioci, faciebant denarium, id eſt regalem Hiſpanicũ, ſiue Iulium Italicũ: quadrans ergo erat vnus quatrinus cum $\frac{1}{4}$ nam 5. quatrini faciunt baiocum, ac conſequenter minutum erat dimidius quatrinus cum $\frac{1}{8}$ quatrini. Belgicè quadrans erat quod vulgus ibidem vocat *een negemanneken*, cuius proinde dimidium erat vnum minutum, vulgò *een myte* cum $\frac{1}{4}$ quod minimũ & viliſſimum eſt oboli pretium. Vide ibi dicta Matth. 5. 26. VERS. 42. Luc. 21. 2. *Minuta duo quid?* *Quadrans quid?*

Minùs rectè Beda per quadrantem accipit quartam partem ſicli, id eſt, vnum Iulium vel Regalem: ſiclus enim appendebat quatuor Iulios.

VIDVA HÆC PAVPER PLVS OMNIBVS MISIT] Licèt enim per ſe & ceteris partibus, eleëmoſyna vel oblatio maior & melior ſit illa, quæ plus dat & offert; tamen per accidens ſi cetera non ſint paria, maior eleëmoſyna & oblatio eſt, quæ maior affectu charitatis & religionis ſiue pietatis, datur vel offertur: Deus enim non tam penſat donum, quàm donantis affectum. Rurſum maior eſt ea, non quæ in ſe maioris eſt valoris & pretij, ſed quæ maior & difficilior eſt VERS. 43. Luc. 21. 3.



reſpectu dantis: vidua ergo hæc dans quadrantem, plus omnibus dedit, quia totum quod habebat dedit, licet ſibi ad vitam neceſſarium; plus datura ſi plus habuiſſet, confiſa in Domino, quòd ipſe viciſſim in ſe liberalem eſſet liberalior, ac neceſſitati ſuæ deinceps prouideret, iuxta illud: *Da Deo ouum, vt recipias ouem:* ceteri verò dabant ſuperflua, quibus abundabant, vti ait hîc Chriſtus: nam vt ait Titus Boſtrenſis in Lucæ 21. v. 3. *Ea magnanimitate & deuotione duos obolos, hoc eſt, omnia quæ habebat obtulit, ac ſi vitam propriam pro nihilo duceret.* Cauſam à priori dat Paulus 2. Cor. 8. 12. dicens: *Si voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.* Et Victor. Antioch. hîc: *Neque enim Deus*, ait, *tam munerum magnitudinem conſiderat, quàm animi alacritatem & magnitudinem ponderat.* Et Beda: *Non ſubſtantiam offerentium, ſed conſcientiam penſat; nec perpendit quantum in eius ſacrificio, ſed ex quanto proferatur.*

Nam vt inquit D. Thomas 2. 2. qu. 32. art. 4. ad 3. quia vidua plus dedit ſecundùm ſuam proportionem, inde penſatur in ipſa maior charitatis affectus. Idemque ſenſit Ambroſ. lib. 2. Offic. c. 30. dicens: *Duo æra viduæ illius diuitum muneribus prætulit, quia totum illa quod habebat, contulit, illi autem ex abundanti partē exiguam contulerunt.* Vnde infert: *Affectus igitur diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit.* Idem ſenſit libro de Viduis, ante med. dicens: *Vberior eſt nummus è paruo, quàm theſaurus è maximo, quia nō quantum datur, ſed quantum reſideat expenditur.* Vnde inferiùs colligit: *Non ergo quod faſtidio expuas, ſed quantum deuotione conferas æſtimandum eſt.*

# CAPVT DECIMVMTERTIVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus dat ſigna præuia excidio vrbis (Hieroſolymæ) & orbis: vrbis, abominationem deſolationis, v. 14. orbis prædicationem Euangelij per totum orbem: v. 10. ac ſolis & lunæ obſcurationem, ac caſum ſtellarum de cælo, v. 24. Denique, v. 32. docet diem hunc eſſe omnibus incognitum, ideoq; ſingulos vigilare, & ad illum aſſiduè ſe comparare debere.*

1. ET cùm egrederetur de templo, ait illi vnus ex diſcipulis ſuis; Magiſter aſpi-
ce quales lapides, & quales ſtructuræ. 2. Et reſpondens Ieſus, ait illi:
Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem,
qui non deſtruatur. 3. Et cùm ſederet in Monte oliuarum contra templum,
interrogabant eum ſeparatim Petrus & Iacobus & Ioannes, & Andreas. 4. Dic
nobis quando iſta fient? & quod ſignum erit quando hæc omnia incipient con-
ſummari? 5. Et reſpondens Ieſus, cœpit dicere illis: Videte, ne quis vos ſedu-
cat: 6. multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum, & multos
ſeducent. 7. Cùm audieritis autem bella & opiniones bellorum, ne timueritis:
oportet enim hæc fieri, ſed nondum finis. 8. Exurget enim gens contra gen-
tem, & regnum ſuper regnum: & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium
dolorum hæc. 9. Videte autem voſmetipſos. Tradent enim vos in concilijs, &
in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides & reges ſtabitis propter me in teſtimo-
nium illis. 10. Et in omnes gentes primùm oportet prædicari euangelium.
11. Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: ſed
quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos eſtis loquentes,
ſed Spiritus ſanctus. 12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater fi-
lium: & conſurgent filij in parentes, & morte afficient eos. 13. Et eritis odio o-
mnibus propter nomen meum. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſaluus erit.
14. Cùm autem videritis abominationem deſolationis, ſtantem vbi non debet:
qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes; 15. & qui ſuper
tectum, nec deſcendat in domum, nec introeat vt tollat quid de domo ſua: 16. &
qui in agro erit, non reuertatur retro tollere veſtimentum ſuum. 17. Væ autem
prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. 18. Orate verò vt hieme non fiant.
19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creatu-
ræ, quam condidit Deus, vſque nunc, neque fient. 20. Et niſi breuiaſſet Domi-
nus dies, non fuiſſet ſalua omnis carò: ſed propter electos, quos elegit, breuiauit
dies. 21. Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic, ne credi-
deritis. 22. Exurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna &
portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos. 23. Vos ergo videte: ec-
ce prædixi vobis omnia. 24. Sed in illis diebus, poſt tribulationem illam, ſol
contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum: 25. & ſtellæ cæli erunt
deci-

decidentes, & virtutes, quæ in cælis ſunt, mouebuntur. 26. Et tunc videbunt Fi-
lium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria: 27. Et tunc
mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ,
vſque ad ſummum cæli. 28. A ficu autem diſcite parabolam. Cùm iam ramus eius
tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas: 29. ſic &
vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quod in proximo ſit in oſtijs. 30 Amen dico
vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant. 31. Cælum
& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. 32. De die autem illo vel
hora nemo ſcit, neque angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater. 33. Videte, vigilate,
& orate: neſcitis enim quando tempus ſit. 34. Sicut homo, qui peregrè profectus
reliquit domum ſuam, & dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſque operis, & ianitori præ-
cepit vt vigilet. 35. Vigilate ergo, (neſcitis enim quando dominus domus veniat:
ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè.) 36. ne, cum venerit repentè, inue-
niat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate.

VERS. 1. Luc. 21. 5. QVALES STRVCTVRÆ] Quàm magnifica fuerit templi & columnarum eius ſtructura, vide apud Ioſephum lib. 15. Antiq. c. 14. & Bedã, Riberam ac Vilalpandum de Templo.

VERS. 6. Matt. 24. 5. Luc. 21. 8. DICENTES, QVIA (quòd) EGO SVM] ſcilicet Meſſias ſiue Chriſtus, vt habet Matth. c. 24. 5.

VERS. 11. Matt. 10. v. 19. 20. Luc. 12. v. 11. 12. NOLITE PRÆCOGITARE QVID LOQVAMINI] Græcè, μὴ προμεριμνᾶτε, id eſt, ne præanxiemini, ne antè ſolliciti & anxij ſitis, ne anxiè præcogitetis. Græca & Syrus addunt: *Neque meditemini*, qua arte, modo, concinnitate, ratione A loquamini & reſpondeatis præſidibus & tyrannis, *ſed quod datum* (ſuggeſtum à Spiritu ſancto) *vobis fuerit in illa hora, id loquamini*; Arabicus, *quoniam vos donabimini in illa hora eo quod loquemini*: Spiritus ſanctus enim vobis ſuggeret & animos, & libertatem, & rationes & modos dicendi quibus nemo reſiſtere aut contradicere valeat.

VERS. 32. Matt. 24. 36. DE DIE AVTEM ILLO VEL HORA NEMO SCIT, NEQVE ANGELI IN CÆLO, NEQVE FILIVS, NISI PATER] Quomodo hoc intelligendum ſit, explicui Matth. 24. 36.

## CAPVT DEGIMVMQVARTIVM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

P*Rimò, Magdalena vnguentum pretioſum effundit in caput Chriſti: vnde murmurans Iudas, de Chriſto vendendo cum Iudæis pontificibus paciſcitur. Secundò, v. 12. Chriſtus celebrat conuiuium agni paſchalis, in eoq; Euchariſtiam inſtituit, ac Apoſtolos eâdem nocte ſcandalizandos & fugituros, Petrum verò ter ſe negaturum, prædicit. Tertiò, v. 32. in horto ter orat, capitur, fugientibus Apoſtolis ſolus ligatur, & ducitur ad Caipham, ibiq; falsò accuſatur, reus mortis iudicatur, conſpuitur, colaphizatur, & à Petro ter negatur.*

1. ERat autem Paſcha & Azyma poſt biduum: & quærebant ſummi ſacerdotes,
& Scribæ, quomodo eum dolo tenerent & occiderent. 2. Dicebant au-
tem: Non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo. 3. Et cùm eſſet Be-
thaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet: venit mulier habens alabaſtrum
vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius.
4. Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Vt quid
perditio iſta vnguenti facta eſt? 5. Poterat enim vnguentum iſtud venumdari
plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremebant in eam. 6. Ieſus
autem dixit: Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me.
7. ſemper enim pauperes habetis vobiſcum; & cum volueritis, poteſtis illis be-
nefacere: me autem non ſemper habetis, 8. Quòd habuit hæc, fecit: præuenit
vngere corpus meum in ſepulturam. 9. Amen dico vobis: Vbicumque prædi-
catum fuerit Euangelium iſtud in vniuerſo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur
in memoriam eius, 10. Et Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, abijt ad ſummos
ſacerdotes, vt proderet eum illis. 11, Qui audientes gauiſi ſunt: & promiſerunt
ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet. 12. Et
primo die Azymorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quò vis
eamus, & paremus tibi vt manduces Paſcha? 13. & mittit duos ex diſcipulis ſuis,
& dicit eis: Ite in ciuitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, ſe-
quimini eum: 14. & quocumque introierit, dicite domino domus, quia magi-
ſter dicit: Vbi eſt refectio mea, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? 15. Et
ipſe



ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum: & illic parate nobis.
16. Et abierunt diſcipuli eius, & venerunt in ciuitatem: & inuenerunt ſicut dixe-
rat illis, & parauerunt paſcha. 17. Veſpere autem facto, venit cum duodecim.
18. Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Ieſus: Amen dico vobis, quia
vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. 19. At illi cœperunt contri-
ſtari, & dicere ei ſingulatim: Numquid ego? 20. Qui ait illis. Vnus ex duode-
cim, qui intingit mecum manum in catino. 21. Et filius quidem hominis vadit,
ſicut ſcriptum eſt de eo; væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur:
bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. 22. Et manducantibus illis, accepit
Ieſus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc eſt corpus meum:
23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. 24. Et
ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. 25.
Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, vſque in diem illum,
cùm illud bibam nouum in regno Dei. 26. Et hymno dicto exierunt in Mon-
tem oliuarum. 27. Et ait eis Ieſus: Omnes ſcandalizabimini in me in nocte
iſtâ: quia ſcriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues. 28. Sed poſt-
quam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam: 29 Petrus autem ait illi: Et ſi
omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego. 30. Et ait illi Ieſus: Amen dico
tibi, quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es ne-
gaturus. 31. At ille ampliùs loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimul commori ti-
bi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant. 32. Et veniunt in præ-
dium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: Sedete hîc donec orem. 33.
Et aſſumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem ſecum: & cœpit pauere, & tædere. 34.
Et ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hîc, & vigilate. 35.
Et cùm proceſſiſſet paululùm, procidit ſuper terram, & orabat, vt, ſi fieri poſſet,
tranſiret ab eo hora: 36. & dixit: Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer
calicem hunc à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu. 37. Et venit, & inuenit
eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? Non potuiſti vna hora vigilare?
38. Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus
eſt, caro verò infirma. 39. Et iterum abiens orauit, eumdem ſermonem dicens.
40. Et reuerſus, denuò inuenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum graua-
ti) & ignorabant quid reſponderent ei. 41. Et venit tertiò, & ait illis: Dormite
iam, & requieſcite: Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus pec-
catorum. 42. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, propè eſt. 43. Et adhuc
eo loquente, venit Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, & cum eo turba multa, cum
gladijs & lignis, à ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & ſenioribus. 44. Dederat
autem traditor eius ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, te-
nete eum, & ducite cautè. 45. Et cùm veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait:
Aue Rabbi: & oſculatus eſt eum. 46. At illi manus iniecerunt in eum, & tenue-
runt eum. 47. Vnus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, per-
cuſſit ſeruum ſummi ſacerdotis: & amputauit illi auriculam. 48. Et reſpon-
dens Ieſus, ait illis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladijs & lignis compre-
hendere me? 49. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenui-
ſtis. Sed vt impleantur Scripturæ. 50. Tunc diſcipuli eius relinquentes eum,
omnes fugerunt, 51. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſin-
done ſuper nudo: & tenuerunt eum. 52. At ille reiectâ ſindone, nudus profu-
git ab eis. 53. Et adduxerunt Ieſum ad ſummum ſacerdotem: & conuenerunt
omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores. 54. Petrus autem à longè ſecutus eſt
eum, vſque intrò in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem,
& calefaciebat ſe. 55. Summi verò ſacerdotes, & omne concilium, quærebant
aduerſus Ieſum teſtimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant. 56. Mul-
ti enim teſtimonium falſum dicebant aduerſus eum: & conuenientia teſtimonia
non erant. 57. Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant aduerſus
eum, dicentes. 58. Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego diſſoluam
templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.
59. Et non erat conueniens teſtimonium illorum. 60. Et exurgens ſummus ſa-
cerdos in medium, interrogauit Ieſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea,

quæ tibi obiiciuntur ab his? 61. Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? 62. Ieſus autem dixit illi: Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. 63. Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes? 64. Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis. 65. Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & miniſtri alapis eum cædebant. 66. Et cùm eſſet Petrus in atrio deorſum, venit vna ex ancillis ſummi ſacerdotis: 67. & cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Ieſu Nazareno eras. 68. At ille negauit, dicens: Neque ſcio, neque noui quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantauit. 69. Rurſum autem cùm vidiſſet illum ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt. 70. At ille iterum negauit. Et poſt puſillum rurſus qui aſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es. 71. Ille autem cœpit anathematizare, & iurare: Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis. 72. Et ſtatim gallus iterum cantauit. Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus: Priùs quàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

*Vers. 3. Matth. 26. v. 6. 7. Ioan. 12. v. 1. 2. 3.* MVLIER HABENS ALABASTRVM VNGVENTI NARDI SPICATI] *Nardus*, ait Plinius libr. 12. cap. 12. frutex eſt graui & craſſâ radice, ſed breui & nigra, fragilique, quamuis pingui, ſitum redolente, vt cyperi, aſpero ſapore, folio paruo denſoque: cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideo gemina dote nardi ſpicas ac folia celebrant. Vnde ex nardi folijs fit vnguentum, quod foliatum dicitur, & ex ſpicis quod ſpicatum nuncupatur; ſed ſpicatum foliato eſt præſtantius, quia plus habet ſubſtantiæ & medullæ, quod Galenus & ex eo pharmacopœi nardiſpicam nuncupant. Hinc Beda: *Nardus*, ait, *eſt frutex aromaticus, redolet vt cupreſſus*, &c.

Pro *ſpicati* Syrus habet, *capitalis*, id eſt primarij, præſtantis, principalis: ſpicatum enim præſtat foliato, vt dixi, Græcè eſt *πιστικῆς*, quod Interpres Ioan. cap. 12. v. 3. vertit, *piſtici*: *piſtici* ergo idem eſt quod *ſpicati*, vt ibi oſtendam. Vnde Arabicus ibidem vertit, *optimi*.

*Vers. 5. Matth. 20. 8. Ioan. 12. 4.* TRECENTIS DENARIIS] Denarius eſt Iulius Romanus, vel Regalis Hiſpanicus. Trecenti ergo denarij faciunt 30. aureos Romanos, qui 75. florenis Belgicis æquiualent. Vnde miſer & impius Iudas Chriſtum vendidit 30. argenteis, vt pro 30. aureis, quos in hoc vnguento effuſo in Chriſtum perdiderat 30. argenteos, id eſt ſeptem cum dimidio florenos Brabanticos ſiue Belgicos, Chriſtum vendendo reciperet. Liberalior ergo fuit Magdalena in Chriſto vngendo, quàm Iudas in prodendo. Vide hîc quàm vilis & ſordida ſit auaritia. Quocirca Victor Antioch. *Cùm diſcipuli*, inquit, *vnguentum illud plus trecentis denarijs diuendi potuiſſe aſſerunt, quantum mulier illa in vnguentum illud inſumpſerat, quamtamque ex conſequenti animi alacritatem & pietatem erga Chriſtum declararit, nobis diuinandum relinquunt.*

*Vers. 8. Matth. 26. Ioan. 12. 7.* IN SEPVLTVRAM] Syrus, *tamquam in ſepulturam*; Arabicus, *ad ſepeliendum me*.

*Vers. 11. Matth. 26. v. 15. 16.* GAVISI SVNT] *Non ſolùm quia ipſum ſine tumultu comprehenſuri erant opportunè à Iudâ traditum, ſed etiam quia à ſuis diſcipulis odio haberi* A *inciperet*, ait Euthymius. *Luc. 22. 6.*

*Vers 13. Marth. 26. 18. Luc. 22. v. 8. 10.* OCCVRRET VOBIS] *Maieſtatem diuinitatis aduerte*, ait S. Ambroſ. in Lucæ cap. 22. verſ. 8. *cum diſcipulis loquitur, & iam nouit, quid alibi ſit futurum.*

*Vers. 14. Matt. 26. 18. Luc. 22. v. 10. 11.* VBI EST REFECTIO MEA?] Id eſt locus refectionis meæ, ſiue refectorium meum, in quo cum diſcipulis reficiar, & agno paſcar. Græcè *κατάλυμα*, id eſt *diuerſorium*; Syrus, *domus habitationis*; Arabicus, *locus in quo manducem paſcha*.

*Vers. 15. Luc. 22. 12.* STRATVM] inſtructum menſis, lectulis, ſiue toris, & tapetibus, frondibus inſuper & floribus decoratum, omnique ſupellectile & ornatu ad celebrandum paſcha apparatum, vt nil deſit niſi agni aſſatio, illatio & comeſtio. Græca, Syrus & B Arabicus addunt *ἕτοιμον*, id eſt *paratum*. Deus enim hanc mentem ſternendi cœnaculum hero domus indiderat in gratiam Chriſti, vt ipſe locum ad paſcha celebrandum planè adornatum inueniret, ne moras pateretur inſtante veſperâ, quâ aſſandus & comedendus erat agnus, ceteraque à Chriſto peragenda.

*Vers. 18. Matt. 26. 21.* VNVS EX VOBIS TRADET ME] Syrus, *vnus ex vobis comedens mecum, ipſe prodet me*.

*Luc 22. 21. Ioan. 13. 21* GRATIAS AGENS] Syrus, *gratias egit & benedixit*.

*Vers. 23. Matt. 26. 27. Luc. 22. 20.* ET BIBERVNT EX ILLO OMNES] ſcilicet poſtquam Chriſtus calicem conſecrauit, dicens: *Hic eſt ſanguis meus*, vt ſequitur. Eſt ergo hîc prolepſis ſiue anticipatio, qua vtitur Marcus, vt o- C ſtendat diſcipulos impleſſe præceptum Chriſti, quo iuſſerat, dicens: *Bibite ex eo omnes*, vt habet Matthæus cap. 26. 28.

*Vers. 33. Matt. 26. 37.* COEPIT PAVERE ET TÆDERE] Græcè, *ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν*, id eſt, *expaueſcere & angi*; Arabicus, *contriſtari & pauere*.

*Vers. 36. Matt. 26. 39. Luc. 22. 24.* ABBA PATER] Græcè, *ἀββᾶ ὁ πατήρ*, vbi *πατήρ* eſt nominatiuus, vt Marcus interpretetur nomen *Abba* Syriacum per Græcum *πατήρ*. q.d. Abba, quod græcè dicitur *πατήρ*: aut potiùs nominatiuus *ὁ πατήρ* accipitur pro vocatiuo *ὦ πάτερ*. Blandientis enim affectu ex intimo cordis



dis ſenſu Chriſtus geminauit vocem *Abba*, id eſt A pater. Vnde Syrus habet, *abba, abi*, id eſt, *pater, pater mi*; Arabicus, *ô pater*. Imò S. Auguſt. l. 3. de Conſenſu Euang. c. 4. cenſet Chriſtum hîc ſyriacè ſimul & græcè locutum, ac præcisè dixiſſe *ἀββᾶ ὁ πατήρ*, vt habet Marcus. Sic enim Apoſtolus ait: *In quo clamamus, Abba pater*, Rom. 8. 15. Galat. 4. 6. *Credendum eſt*, ait S. Auguſtinus, *Dominum dixiſſe, Abba pater, ad intimandum ſacramentum Eccleſiæ ſuæ, ex Iudæis & Gentibus congregandæ.* Et Scholiaſtes apud S. Hieron. *Hebraicè*, inquit, *& græcè loquitur, quia non eſt diſtinctio Iudæi & Græci.*

*Vers. 38. Matt. 26. 41.* SPIRITVS QVIDEM PROMPTVS EST] Syrus, *voluntarius & promptus*.

*Vers. 41. Matt. 26. 45.* VENIT HORA] Syrus, *aduenit finis* (vitæ meæ) *venitque hora*; Arabicus, *præſens eſt finis, & venit hora*.

*Vers. 44. Matth. 26. 48.* CAVTE] Græcè, *ἀσφαλῶς*, id eſt ſecurè, tutè, certò; Arabicus, *timete de illo*, ne ſcilicet è manibus veſtris elabatur, vti aliàs elapſus eſt.

*Vers. 47. Marth. 26. 51. Luc. 22. 50. Ioan. 18. 10* VNVS AVTEM] ſcilicet Petrus: *Tacet nomen Petri Marcus*, ait Theophylactus, *ne videatur laudare præceptorem ſuum, Petrum, maioris pro Chriſto zeli.*

*Vers. 51.* ADOLESCENS AVTEM QVIDAM SEQVEBATVR EVM, AMICTVS SINDONE SVPER NVDO, ET TENVERVNT EVM] id eſt, amictus linea vel lintea veſte ſuper nudo corpore: fuiſſe enim ſindonem genus veſtis lineæ corpori aptatæ, ſed ita vt facilè dorſo inijci & eximi poſſet inſtar tunicæ, patet ex voce *amictus*, & ex Polluce, qui ſindonem vocat *περιβόλαιον*, id eſt, operimentum, amiculum, ſtragulum, velamen, pallium, operculum.

*Adoleſcens ſindonites quis? Reſp. Primò.* Quæres, quis fuit hic adoleſcens? S. Epiphan. hæreſi 78. & S. Hieron. (vel quiſquis eſt auctor) in pſalm. 37. putant fuiſſe Iacobum fratrem Domini.

*Secundò.* Secundò, Beda & Gloſſa hîc, & S. Chryſoſt. in pſal. 13. & S. Ambroſ. in pſal. 36. & S. Gregor. 14. Moral. cap. 23. ac Baronius opinantur fuiſſe S. Ioannem: hic enim inter Apoſtolos erat adoleſcens & natu minimus. Verùm non fuiſſe Ioannem, nec Iacobum, nec aliquem ex Apoſtolis liquet ex eo, quòd immediatè præmiſit Marcus v. 50. dicens: *Tunc diſcipuli* (Apoſtoli) *eius relinquentes eum, omnes fugerunt.*

*Tertiò.* Tertiò, Theophylactus, Euthymius & Victor A cenſent, adoleſcentem hunc fuiſſe aliquem è domo Ioannis Marci, in quâ Chriſtus comederat paſcha.

*Quartò optimè.* Quartò, veriſimiliùs Caietan. in Ientaculis, & alij coniectant adoleſcentem hunc fuiſſe filium vel ſeruum villæ, horto, in quo orans captus eſt Chriſtus, adiacentis, qui rumore & ſtrepitu tranſeuntium ſatellitum Chriſtum capientium excitatus, è lecto ſurgens accurrit, vt videret quid ageretur. Fuiſſe Chriſti fautorem vel diſcipulum, liquet ex eo quod ait Marcus, *Sequebatur eum*: vnde & ſatellites *tenuerunt eum*, id eſt apprehenſâ veſte tenere voluerunt. Verba enim Hebræorũ actiua ſæpè inchoationem & conatum ſignificant, non actum perfectum. Nam ſequitur.

*Vers. 52.* AT ILLE RELICTA SINDONE, NVDVS PRO- B FVGIT AB EIS] Sicut Ioſeph, ait Scholiaſtes apud S. Hieronymum, *relicto pallio nudus de manibus impudicæ dominæ effugit*, Geneſ. 39. 12.

Addit hoc Marcus, vt ex præpropera & violenta fuga huius adoleſcentis liqueat, quanta fuerit circa Chriſtum trepidatio, & quàm nemo auſus fuerit apud Chriſtum conſiſtere; quamque graue fuerit Iudæorum odium in Chriſtum & furor, qui etiam tentarint adoleſcentem hunc alienum, Chriſtum ſequentẽ inuadere. Vnde liquet, eos multò magis comprehenſuros fuiſſe Apoſtolos, niſi ipſi illicò aufugiſſent.

*Vers. 68. Matth. 6. v. 70 71. Luc. 22. 57. Ioan. 18. 17.* ET GALLVS CANTAVIT] Audi S. Chryſoſtomum in Matth. 26. 70. *Significat Marcus, quia nec voce quidem galli in memoriam adductus, nec ſe à negatione retinuit.* Addit Chryſ. *Hoc ſolus Marcus ſcripſit, ita exquiſitè explicans & piam magiſtri ad diſcipulum* C *curam, & imbecillitatem Petri. Vnde maximè ipſum admirari debemus, quia non ſolùm magiſtri delictum nõ occultauit, ſed exquiſitiùs etiam quàm ceteri, hoc ipſo quia diſcipulus erat, conſcripſit.*

*Vers. 70. Matth. 26. v 72. 73. Luc. 22. 59. Ioan. 18. v. 25. 26.* NAM ET GALILÆVS ES] Id eſt, Galilæorum idiotiſmo loquens oſtendis te eſſe Galilæũ. Vnde Græca & Syrus addunt, *Et locutio tua congruit* Galilæorum locutioni; Arabicus, *Et loquela tua ſimilis eſt loquelæ eorum.*

*Vers. 72. Matt. 26. v. 74. 75. Luc. 22. v. 60. 61. Ioan. 18. 27.* ET COEPIT FLERE] Græcè, *ἐπιβαλὼν ἔκλαιε*, hoc eſt ad verbum, *adijciens flebat*; quod Primò, vertas, *cœpit flere*; Secundò, *adiecit flere*, id eſt magna vehementia cœpit flere, ait Theophyl. Arabicus, *& conuertit ſe ad lacrymas*, non in atrio coram Iudæis, ne ijs ſe proderet, ſed ex eo egreſſus dum ſolus eſſet, vt patet Matth. 26. 75.

# CAPVT DECIMVMQVINTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*PRimò, Chriſtus à pontificibus traditur Pilato, accuſatur, Barabbæ poſthabetur, flagellatur, ſpinis coronatur, illuditur. Secundò, v. 21. in Golgotha crucifigitur inter duos latrones: veſtes eius ſorte diuiduntur: à prætereuntibus blaſphematur, quin & à latronibus. Tertiò, v. 33. tenebræ totam terram operiunt, Ieſus à Patre ſe derelictum queritur, ac clamans exſpirat; vnde Centurio ait,* Verè hic homo Filius Dei erat. *Quartò, v. 42. à Ioſepho ſepelitur.*

1. ET confeſtim manè conſilium facientes ſummi ſacerdotes, cum ſenioribus, & Scribis, & vniuerſo concilio, vincientes Ieſum, duxerunt, & tradiderunt Pilato. 2. Et interrogauit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? At ille reſpondens,

dens, ait illi: Tu dicis. 3. Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis. 4. Pilatus autem rurſum interrogauit eum, dicens: Non reſpondes quidquam? vide in quantis te accuſant. 5. Ieſus autem ampliùs nihil reſpondit, ita vt miraretur Pilatus. 6. Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcumque petijſſent. 7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium. 8. Et cum aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. 9. Pilatus autem reſpondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? 10. Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes. 11. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. 12. Pilatus autem iterum reſpondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? 13. At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. 14. Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. 15. Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabbam, & tradidit Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur. 16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, 17. & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes ſpineam coronam. 18. Et cœperunt ſalutare eum: Aue rex Iudæorum. 19. Et percutiebant caput eius arundine: & conſpuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum. 20. Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum veſtimentis ſuis: & educunt illum vt crucifigerent eum. 21. Et angariauerunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villâ, patrem Alexandri & Rufi, vt tolleret crucem eius. 22. Et perducunt illum in Golgotha locum: quod eſt interpretatum Caluariæ locus. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit. 24. Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret. 25. Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum. 26. Et erat titulus cauſæ eius inſcriptus: REX IVDÆORVM. 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones; vnum à dextris, & alium à ſiniſtris eius. 28. Et impleta eſt Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt. 29. Et prætereuntes blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: 30. ſaluum fac temetipſum deſcendens de cruce. 31. Similiter & ſummi ſacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. 32. Chriſtus rex Iſrael deſcendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. 33. Et facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt per totam terram vſque in horam nonam. 34. Et hora nona exclamauit Ieſus voce magnâ, dicens: Eloi, eloi, lamma ſabacthani? quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? 35. Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat. 36. Currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum. 37. Ieſus autem emiſſa voce magnâ exſpirauit. 38. Et velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo vſque deorſum. 39. Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. 40. Erant autem mulieres de longè aſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater, & Salome: 41. & cùm eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam. 42. Et cùm iam ſerò eſſet factum (quia erat paraſceue, quod eſt ante ſabbatum) 43. venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat exſpectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. 44. Pilatus autem mirabatur ſi iam obijſſet. Et accerſito centurione, interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet. 45. Et cum cognouiſſet à centurione, donauit corpus Ioſeph. 46. Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento, quod erat exciſum de petra, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti. 47. Maria autem Magdalene, & Maria Ioſeph, aſpiciebant vbi poneretur.

Vers. 25. ERAT AVTEM HORA TERTIA: ET CRVCIFIXERVNT EVM] *Tertia*, non inchoans, ſed finiens, ac deſinens in ſextam. Sexta enim hora A crucifixum eſſe Chriſtum, putà in meridie; patet ex v. 33. Aliqui ſuſpicantur eſſe mendum, & pro *tertia* ponendum eſſe *ſexta*. Hebræi enim diem



diem æquè ac noctem in quatuor partes, ſiue horas, diuiſerant, ſcilicet primam, tertiam, ſextam & nonam, quarum quælibet ternas noſtrates horas complectebatur. Prima enim incipiebat ab ortu ſolis, durabatque tres horas, quibus finitis incipiebat tertia, ac totidem horis durabat, ſcilicet vſque ad meridiem, quando inchoabat ſexta & finiebatur tribus poſt meridiem horis, cùm incipiebat nona durabatque vſque ad veſperam: incipiente ergo hora ſexta crucifixus eſt Chriſtus, inchoante verò nona mortuus. Hâc de re plura dicam Ioan. 19.14.

Vers. 28. Luc. 22. 37. ET CVM INIQVIS REPVTATVS EST] Hebr. נִמְנָה *nimma*, id eſt, numeratus, recenſitus eſt. Vide A dicta Iſaiæ 53. 12. Cauſa fuit, quia Chriſtus noſtrum locum, numerum & cenſum in ſe recepit; nos autem eramus iniqui: ipſe ergo cum iniquis accenſus eſt, vt nos ex iniquis faceret æquos, iuſtos & ſanctos.

QVIA ERAT PARASCEVE, QVOD EST ANTE SABBATVM] Græcè, *quod eſt proſabbatum*. Vers. 41. Matt. 27. 57. *Paraſceue* idem eſt quod præparatio; vnde ſic vocabatur feria ſexta, quia in ea præparabantur cibi & neceſſaria pro ſabbato, quo operari non licebat; hinc vocatur ipſa *proſabbatum*, ſiue pridie ſabbati, aut vigilia ſabbati. *Anteſabbatum* ergo vnica eſt dictio reſpondens Græco προσάββατον.

# CAPVT DECIMVMSEXTVM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*CHriſtus Primò, apparet Magdalenæ ceteriſque pijs feminis. Secundò, v. 12. duobus diſcipulis euntibus in Emaus. Tertiò, v. 14. vndecim Apoſtolis quos mittit per totum orbem euangelizatum, additque ſigna & miracula credentibus concedenda. Denique, verſ. 19. in cælum aſcendens ſedet ad dexteram Dei.*

1. ET cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum. 2. Et valdè manè vna ſabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam ſole. 3. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? 4. Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè. 5. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. 6. Qui dicit illis: Nolite expaueſcere: Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum? ſurrexit, non eſt hîc, ecce locus vbi poſuerunt eum. 7. Sed ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galileam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. 8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaſerat enim eas tremor & pauor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim. 9. Surgens autem manè, prima ſabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ eiecerat ſeptem dæmonia. 10. Illa vadens nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. 11. Et illi audientes quia viueret, & viſus eſſet ab eâ, non crediderunt. 12. Poſt hæc autem duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in aliâ effigie, euntibus in villam: 13. & illi euntes nunciauerunt ceteris: nec illis crediderunt. 14. Nouiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. 15. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. 17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: 18. ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. 19. Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. 20. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

Vers. 1. Luc. 23. 56. ET CVM TRANSISSET SABBATVM] putà inchoante nocte diei Dominicæ: *Poſt triſtia ſabbata felix irradiat dies*, ait Scholiaſtes apud S. Hieronymum.

MARIA IACOBI] ſcilicet Minoris & Iudæ mater, vt habet Arabicus, vxorque Cleophæ.

ET SALOME] vxor Zebedæi, mater Iacobi Maioris & Ioannis Apoſtolorum.

B VT VENIENTES VNGERENT IESVM] ſecundùm conſuetudinem Iudæorum, ait Theophyl. vt odoriferum maneret corpus, & conſeruaretur: aromata enim deſiccant: non ſapiebant enim dignitatem diuinitatis Chriſti, nec reſurrectionis eiuſdem, ſed amabant tenerrimè Ieſum, vt hominem & Prophetam, licet iam mortuum.

Tropologicè, vngunt Ieſum qui eius amore exercent opera pietatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, ac præſertim miſericordiæ & charitatis erga proximos, qui ſunt membra Ieſu myſtica: quare hi merentur primi videre Ieſum reſurgentem, vt ſcilicet in eius cognitione, gratia, meritis & gloria nouo feruore quaſi reſurgendo roborentur, proficiant & perficiantur. Ita S. Gregorius & alij. Vide dicta Matth. c. 26. v. 7.

Vers. 2. Matt. 28. 1 Luc. 24. 1. Ioan. 20. 1. VNA SABBATHORVM] Id eſt, prima ſabbati, vti explicat verſ. 9. putà die Dominica. Vide dicta Matth. 28. v. 1.

Vers. 6. CRVCIFIXVM: SVRREXIT, NON EST HIC] *Non erubeſcit angelus crucem*, ait Theophyl. *in hac enim ſalus hominum*. Addit Interlin. *Radix amara crucis euanuit, flos vitæ cum fructibus, qui iacuit in morte, ſurrexit in gloria.*

Vers. 7. Matth. 28. 17. ITE, DICITE DISCIPVLIS] *Mulieribus*, ait Interlin. *dicitur vt nuncient Apoſtolis, quia per mulierem* (Euam) *mors nunciata eſt, per mulierem vita reſurgens.*

ET PETRO] *vt quem femina fecerat negare, femina faceret confiteri*, ait Druthmarus. Addit Scholiaſtes apud S. Hieron. Petrum præ ceteris nominari, *qui ſe indignum indicauit diſcipulatu, quòd ter Dominum negaſſet magiſtrum; ſed peccata præterita non nocent, quando non placent.* Et S. Gregorius homil. 21. in Euang. *Si angelus Petrum non nominaſſet, venire inter diſcipulos non auderet: vocatur ergo ex nomine, ne deſperet ex negatione.* Cetera expoſui Matt. 28. 1. & ſeq.

Vers. 8. INVASERAT ENIM EAS TREMOR, corporis; ET PAVOR] animi; græcè ἔκστασις, id eſt, *ſtupor*, ait Theophyl. *in ſpectaculo angeli, & in horrore reſurrectionis.* Verè hic ſtupor mixtus erat ingenti gaudio: ſtupebant enim & gaudebant ſe tam mira & iucunda audire, ſcilicet Ieſum dilectum ſuum à morte reſurrexiſſe. Id patet ex Matth. c. 28. v. 8.

TIMEBANT ENIM]. non ſolùm ob viſionem angelorum, ſed etiam *propter Iudæos*, ait Euthym. *ne conſpectæ viderentur ipſæ furari Ieſum: ne ipſas occiderent, audito quòd Chriſti prædicarent reſurrectionem*, vt paulò pòſt Magdalenam, Martham & Lazarum cum ſocijs naui ſine velo & remis impoſuerunt, ad certum omnium exitium, niſi Deus eos ſaluos Maſſiliam perduxiſſet.

Vers. 9. Ioan. 20. v. 14. 16. PRIMA SABBATI] id eſt primâ die poſt ſabbatum, putà Dominicâ.

MAGDALENE, DE QVA EIECERAT SEPTEM DÆMONIA] Lucæ 8. 2. Addit hoc Marcus, vt oſtendat vim pœnitentiæ & amoris, per quem Magdalena peccatrix ita exarſit, vt prima meruerit videre Chriſtum reſurgentem: vt ex eâ diſcant peccatores, non deſperare, ſed vehementer amare; ſic enim Sanctos innocentes in gratia & gloria ſuperabunt. Ita Beda: *Quia vbi ſuperabundauit peccatum, ſuperbundauit & gratia*, Rom. 5. Addit Beda: *Mulier* (Eua) *culpæ inductrix: quæ primò mortem guſtauit, primò reſurrectionem vidit* (in Magdalena) *ne perpetui reatus apud viros opprobrium ſuſtineret.* Porrò *ſeptem dæmonia*, ſunt ſeptem vitia capitalia ſeptem virtutibus primarijs contraria, quibus præſident dæmones. Ita S. Gregorius, Theophyl. & alij. Hanc Chriſti apparitionem Magdalenæ factam fusè enarrat Ioannes c. 20. v. 11. Vide dicta Lucæ 8. 2.

Vers. 12. Luc. 24. v. 13. 15. 16. POST HÆC AVTEM DVOBVS EX HIS (diſcipulis) AMBVLANTIBVS OSTENSVS EST IN ALIA EFFIGIE (Arabicus, *veſte*, ſcilicet peregrini) EVNTIBVS IN VILLAM] Arabicus, *in caſtellum*; græcè *in agrum*; id eſt, in domum ruri ſitam in Emaus: nam, vt ait S. Auguſt. de Conſenſu Euang. *Agri nomine non caſtella tantùm, verùm etiam municipia & colonia ſolent vocari extra ciuitatem, quæ caput & quaſi mater eſt ceterarum.* Hi ergo diſcipuli ex vrbe Hieroſolyma ibant rus, putà in pagum vicinum Emaus, qui poſteà à Romanis in monumentum victoriæ de ſubacta Hieroſolyma, factus eſt ciuitas inſignis, dicta Nicopolis. Ita Adrichom. & alij. Hæc Chriſti apparitio eſt eadem cum illâ, quam narrat Lucas c. 24. 13. vt patet ex circumſtantijs, quæ vtrobique ſunt eædem. Ita communiter interpretes. Solus ferè Euthym. putat eſſe diuerſam ab illâ Lucæ, eò quòd Marcus ſubdat, Apoſtolos eis nunciantibus Chriſtum reſurrexiſſe, non crediḋiſſe; cùm Lucas contrarium, ſcilicet crediḋiſſe inſinuet. Verùm facilis eſt reſponſio, aliquos crediḋiſſe, alios non crediḋiſſe: vel, vt Theophyl. Apoſtolos crediḋiſſe, ſed alios diſcipulos non crediḋiſſe.

Vers. 13. NEC ILLIS CREDIDERVNT] Dei permiſſione & prouidentia id factum. Hæc enim eorum incredulitas *non tam eorum infirmitas, quàm noſtra futura firmitas fuit*, ait S. Greg. hom. 29. in Euang. *Ipſa namq; reſurrectio illis dubitantibus per multa argumēta monſtrata eſt: quæ dum nos legentes agnoſcimus, quid aliud quàm de illorum dubitatione ſolidamur?*

Vers. 14. Luc. 14. 36 Ioan. 20. 19. NOVISSIME RECVMBENTIBVS (ad menſam) ILLIS VNDECIM APPARVIT] *Nouiſſimè*, græcè ὕστερον, id eſt poſtea, deinde poſtremò: fuit enim hæc vltima Chriſti apparitio facta ipſo die Paſchatis, ſiue reſurrectionis, cùm veſpere apparuit vndecim Apoſtolis: has enim ſolas illo die factas commemorat hîc Marcus, reliquas verò poſteriùs factas omittit. Dices, Tunc non apparuit vndecim Apoſtolis, ſed decem dumtaxat: aberat enim Thomas. Quocirca Maldon. hanc apparitionem cenſet eſſe illam quæ octauo poſt die facta eſt, præſente iam Thoma. Verùm dico vndecim hîc vocari, licet abſens eſſet Thomas, qui erat vndecimus, quia collegium Apoſtolorum poſt Iudæ proditionem & ſuſpendium, redactum erat ad vndecim, quare *vndecim* vocantur, licet vnus Thomas deſit. Sic decem viri dicuntur congregati, etiamſi vnus vel alter abſit. Simile eſt in Luca c. 24. 33. ita Beda & S. Auguſt. l. 3. de Conſenſu Euang. c. 25.

RECVMBENTIBVS] Hinc colligit S. Bernardus ſerm. de Aſcenſione Domini, obſeruans: *Multam*, inquit, *fiduciam præſtat quòd libentius adſit orationi incumbentibus, quando ne recumbentibus quidem dedignatur adeſſe.*

NON CREDIDERVNT] S. Hier. libr. 2. Contra Pelag. ſcribit poſt hæc verba, in quibuſdam Græcis codicibus iſta addi: *Et illi ſatisfaciebant dicentes: Sæculū iſtud iniquitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco iam nunc reuela iuſtitiam tuam.* Verùm Eccleſia hæc omnia reſecuit: olent enim hæreſim Manichæi aut Montani.

EXPROBRAVIT INCREDVLITATEM] Syrus, *exiguam fidem*; Arabicus *exprobrauit eos propter paruitatem fidei eorum.*





Vers. 15. Matth. 28. 19. ET DIXIT EIS: EVNTES IN MVNDVM VNIVERSVM, PRÆDICATE EVANGELIVM OMNI CREATVRÆ] *Et dixit*, non ipſo die Paſchatis, cum recumbentibus vndecim apparuit, ſed poſtea cùm in monte Galilææ ſe ijs alijſque videndum exhibuit, vt habet Matth. cap. 28. 16. & ſeq. Vel certè hoc maximum euangelizandi munus propriumque Apoſtolis eis ſæpiùs Chriſtus iniunxit, vt ipſo die Paſchatis illud eis primò inſinuarit, vt innuit Lucas cap. 24. 47. deinde in monte Galilææ iterarit, ac vltimo die aſcendens in cælum confirmarit.

IN MVNDVM VNIVERSVM] q. d. Non in ſola Iudæa, vti hactenus feciſtis, & vti olim vobis iuſſi Matth. 10. 5. ſed paſſim per totum mundum euangelizate. Nam non videtur veriſimile, quòd pauci Apoſtoli per ſe totum orbem luſtrarint & conuerterint, præſertim quia in America nuper inuenta, nulla fidei Chriſtianæ reperta ſunt veſtigia.

OMNI CREATVRÆ] Id eſt, omnibus gentibus, vt habet Matth. cap. 28. 19. Eſt ſynecdoche: nam genus appropriatur nobiliſſimæ ſpeciei, putà creatura homini. Homo enim eſt nobiliſſima creatura, ad ipſius Dei creatoris imaginem creata.

Vers. 16. QVI CREDIDERIT, ET BAPTIZATVS FVERIT, SALVVS ERIT: QVI VERÒ NON CREDIDERIT, CONDEMNABITVR] Hac Chriſti ſententia ad ſuam hæreſim abutuntur Primò, Lutherani, vt probent fidem ſolam ſufficere ad ſalutem, nec requiri bona opera. Verùm reſpondeo, ſenſus Chriſti eſt, vt rectè annotarunt Euthym. Theophyl. & alij *Qui crediderit*, &c. q. d. Qui credendo in Chriſtum, eiuſque baptiſmum ſuſcipiendo, à peccatis ablutus, & gratia Dei imbutus, ſanctificatus fuerit, hic ſaluus erit, ſubaudi, ſi ita moriatur, ſi in iſto ſtatu gratiæ & ſanctitatis decedat, ſi gratiam Dei vſque ad mortem retineat, nec per peccatum aliquod deperdat. Retinere autem gratiam hanc baptizatus nequit, ſi bona opera non faciat quæ lex Chriſti præcipit. Adde, nomine credulitatis, ſiue fidei & baptiſmi, velut principiorum maximè neceſſariorum, & quæ initio Eccleſiæ maximè Gentilibus inculcari debebant, ſubintelligi reliqua omnia inde conſequentia, ac in eis velut in radice latentia, vti ſunt ſpes, charitas, bona opera, &c. vti fusè oſtendi procœmio in S. Paulum. Vide S. Auguſt. libr. de Fide & operibus.

Secundò, Anabaptiſtæ ex hâc Chriſti gnome inferunt non eſſe baptizandos paruulos, eò quòd credere nequeant. Sed reſpondeo Chriſtum loqui de adultis: hi enim ſoli credere poſſunt; & adultos ſolos omnia præcedentia Chriſti verba denotant. Paruulos enim eſſe baptizandos liquet ex perpetuâ traditione, & praxi Eccleſiæ, ac ex illo Ioan. 3. 5. *Amen, amen dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Addit S. Auguſt. idque varijs locis iterat, hæc verba Chriſti ad paruulos quoq; ſuo modo pertinere, eò quòd illi ſicut aliena voluntate Adæ peccauerunt, & peccatum originale cōtraxerunt, ſic pariter alienâ fide Eccleſiæ, & parentum vel offerentium credant.

Tertiò, Caluiniſtæ ex hiſce Chriſti verbis colligunt, baptiſmum non eſſe ad ſalutem neceſſarium, ſed ſufficere ſolam fidem; quia de eâ ſolâ, inquiunt, Chriſtus ſubijcit, *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Reſp. ſub τῷ *crediderit*, id eſt ſub fide, intelligi baptiſmum, qui eſt Sacramentum fidei, & cetera omnia quæ ex fide naſcuntur & ſequuntur, vti paulò antè dixi. Marcus enim breuitati ſtudens, ex ijs quæ immediatè antè dixerat, lectori relinquit ſubintelligendum τὸ *aut non fuerit baptizatus*: alioqui enim non conſtat antitheſis, eſtque mutila & imperfecta: vt enim perfecta ſit, ſic dicendum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, aut non fuerit baptizatus, condemnabitur.* Nam baptiſmum requiri ad ſalutem, patet ex verbis Chriſti Ioan. 3. 5. iam citatis.

SERPENTES TOLLENT] ex locis quæ illi infeſtabant, &, vt ait Euthym. *delebunt, occident, aut etiam in manibus abſque periculo tenebunt*, vti Paulus tenuit viperam, Actor. 28. v. 3. & ſeq. Vnde Arabicus vertit, *tollent manibus ſuis ſerpentes.* Vers. 18.

ET SI MORTIFERVM QVID BIBERINT, NON EIS NOCEBIT] vt bibant venenum illæſi, vti Apoſtoli & Sancti plures fecerunt.

SVPER ÆGROS MANVS IMPONENT, ET BENE HABEBVNT] Nota hæc ſigna fuiſſe neceſſaria in primitiua Eccleſia, ad probandam & firmādam Chriſti fidem: vnde tunc omnes ferè Chriſtiani faciebant miracula, ſaltem aliqua, v. g. vt dæmones ab energumenis depellerent, vt patet ex Iuſtino Dial. contra Tryphon. Tertull. in Apolog. Lactantio, & alijs: plerique etiam in Baptiſmo tunc accipiebant donum linguarum, vt patet Actor. 10. v. 49. & c. 19. v. 6.

Myſticè, S. Bernardus ſerm. 1. de Aſcenſ. *Primum*, inquit, *opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio eſt; in qua ſine dubio eijciuntur dæmonia, cùm eradicantur è corde peccata. Exinde qui in Chriſtum credunt, linguis loquuntur nouis, cùm iam recedunt vetera de ore eorum, nec de cetero vetuſta protoparentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis: vbi verò compunctione cordis, & oris confeſſione priora ſunt delata peccata, ne recidiuum patiantur, & iam ſint poſteriora peiora prioribus, ſerpentes tollant neceſſe eſt, id eſt vt venenatas ſuggeſtiones extinguant*, &c. *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, id eſt cùm ſenſerint ſtimulos concupiſcentiæ, nolent conſentire. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*, id eſt, ægras affectiones bonis operibus *operient, & hoc remedio curabuntur.*

Paulò aliter S. Gregorius homil. 29. in Euang. *Fideles quique*, ait, *qui iam vitæ veteris ſæcularia verba derelinquunt, ſancta autem myſteria inſonant, conditoris ſui laudes & potentiam quantū præualent, narrant, quid aliud faciunt, niſi nouis linguis loquuntur? qui dum bonis ſuis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, ſerpentes tollunt; & dum peſtiferas ſuaſiones audiunt, ſed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur, mortiferum quidem eſt quod bibunt, ſed non eis nocebit. Qui quoties proximos ſuos in bono opere infirmari conſpiciunt, dum eis totâ virtute concurrunt, & exemplo ſuæ operationis illorum vitam roborant*

*rant, qui in propriâ actione titubant; quid aliud ſaciunt, niſi ſuper ægros manus imponunt, vt benè habeant? Quæ nimirum miracula tantò maiora ſunt, quantò ſpiritalia: tantò maiora ſunt, quantò per hæc non corpora, ſed animæ ſuſcitantur.*

VERS. 19. ASSVMPTVS EST IN CÆLVM] à ſuâ diuini- A tate mediante dote agilitatis, ab ea corpori indita, quadrageſimâ die à reſurrectione, putà in feſto Aſcenſionis. De aſcenſione Chriſti fusè egi Actor. 1. v. 9.

SEDET A DEXTRIS DEI] Quâ ratione ſedeat, multis explicui Coloſ. 3. v. 1.

*O regnum beatitudinis ſempiternæ, vbi iuuentus numquam ſeneſcit, vbi decor numquam palleſcit, vbi amor numquam tepeſcit, vbi ſanitas numquam marceſcit, vbi gaudium numquam decreſcit, vbi vita terminum neſcit!* S. Aug. in Soliloq. cap. 35.




INDEX

# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ

## QVÆ IN HOC PRIMO COMMENTARIORVM VOLVMINE EXPLICANTVR.

*Prior numerus paginam, ſecundus columnam, litteræ adiunctæ eas quæ columnis interpoſitæ ſunt, deſignant: ſi vnicus tantùm occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio eſt.*

### EX GENESI.

CAp. 4. v. 24. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties. *pag. 356. col. 2. litt.* d
v. 9. Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis. 44.2.a
8.8. Non reuertebatur donec ſiccarentur aquæ. 58.2.a
15.5. Numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum. 61.2.b
v. 16. Necdum completę ſunt iniquitates Amorrhæorum. 429.1.a
26.12. Seuit Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum. 238.2.b
47.9. Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali. 174.1.a
49.10. Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt. 47.1.d. 51.1.b.c
v. 11. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. 525.1.a

### EX EXODO.

*Cap.* 7. *v.* 12. Deuorauit virga Aaron virgas eorum. 24.2.d
20.7. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. 134.1.c
21.17. Qui maledixerit patri ſuo, vel matri morte moriatur. 134.2.c
33.19. Oſtendam omne bonum tibi. 92.1.c

### EX LEVITICO.

*Cap.* 2. *v.* 13. Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies. 604.1.a.b
11.40. Sancti eſtote, ſicut ego ſanctus ſum. 303.2.b
19.17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum. 351.1.a
20.9. Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur. 302.1.d
21.12. Nec egredietur de ſanctis, quia oleum ſanctæ vnctionis Dei ſui ſuper eu eſt. 76.2.c

### EX NVMERIS.

*Cap.* 24. *v.* 17. Orietur ſtella ex Iacob. 62.2.d. 64.2.c
30.36. Reddes Domino iuramenta tua. 142.2.c

### EX DEVTERONOMIO.

*Cap.* 6. *v.* 4. Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt. Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex

*Cornel. in Marcum.*

tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. 418,1.b.c
8.3. Sed in omni verbo quod egredietur de ore Dei. 103.1.a
33.29. Beatus es tu Iſrael: quis ſimilis tui popule, qui ſaluaris in Domino? 116.2.d
34.10. Et non ſurrexit vltrà Propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem. 244.2.b

### EX LIBRO IVDICVM.

*Cap.* 13. *v.* 7. Erit puer nazaræus Dei ab infantia ſua, ex vtero matris ſuæ. 49.1.b

### EX LIBRO I. REGVM.

*Cap.* 20. *v.* 21. Vade & affer mihi ſagittas. 238.2.c

### EX LIBRO II. REGVM.

*Cap.* 6. *v.* 23. Michol filiæ Saul non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ. 58.1.b

### EX LIBRO III. REGVM.

*Cap.* 19. *v.* 18. Septem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal. 156.2.d

### EX LIBRO IOB.

*Cap.* 16. *v.* 15. Concidit me vulnere ſuper vulnus. 524.2.d

### EX LIBRO PSALMORVM.

*Pſal.* 8. *v.* 3. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem. 402.2.a.b 403.1.a d
20.9. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis. 238.2.c
21. *Totus hic pſalmus à Spiritu ſancto de Chriſto dictatus eſt.* 540.1.d
v. 1. Deus, Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? longe à ſalute mea verba delictorum meorum. 542.2.b
v. 17. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerũt omnia oſſa mea. 533.1.c. & ſeq.
22.1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. 171.1.a
34.42. Retribuebant mihi mala pro bonis, &c. & oratio mea in ſinu meo conuertetur. 227.2.a
54.23. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. 172.2.b
57.5. Sicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas. 229.2.a
v. 2. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. 607.1.a

v.22. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti potauerunt me aceto. 532.1.c

70.15. Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini. 44.1.d

71.7. Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna. 133.1.d

v.10. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. 50.1.d 2.b.d

72.25. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, &c. 119.2.d

77.2. Aperiam in parabolis os meum, enuntiabo abſcondita à conſtitutione mundi. 285.1.b.c

79.9. Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. 406.1.d

88.13. Tabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. 329.1.c

v.38. Et thronus eius ſicut ſol in cõſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum. 133.1.d

90.11. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. 105.1.b

95.10. Quia Dominus regnauit à ligno. 535.1.a

103.17. Herodij domus dux eſt eorum. 67.1.c

v.19. Sol cognouit occaſum ſuum. 177.1.c

108.8. Et epiſcopatũ eius accipiat alter. 477.2.c

109.1. Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis. 419.2.d.420.1.a.b

v.2. Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. 58.1.b.420.2.a.b

v.4. Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum. 419.2.d

111.5. Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio. 464.1.c

117.21. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. 398.2.c

v.25. O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini. 398.2.b

128.3. Super dorſum meum fabricauerunt peccatores. 525.2.a

132.1. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. 174.1.a

136.1. Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. 243.2.a


EX CANTICO CANTICORVM.


Cap.5.v.14. Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. 68.2.b.242.2.a


EX ISAIA.


Cap.5.v.1. Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. 406.1.c

6.9. Incraſſatum eſt cor populi huius. 277.2.b.c

v.10. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude. 488.1.c

9.8. Verbum miſit Dominus Iacob, & cecidit in Iſrael. 227.2.b

11.2. Et flos de radice eius aſcendet. 77.1.c.2.c

19.1. Dominus ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulacra à facie eius. 69.2.d

28.1. Væ coronæ ſuperbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius. 221.1.c

53.4. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. 196.1.d.2.a

61.1. Ad annuntiandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. 242.2.b


EX IEREMIA.


Cap.2.v.18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti? 221.2.d

3.17. Congregabuntur ad eam omnes gentes in nomine Domini. 399.2.d

9.17. Vocate lamentatrices, & veniant, &c. & deducant ſuper nos lamentum. 213.1.a

14.16. Locutus es ad nos in nomine Domini. 399.2.d

22.30. Scribe virum iſtum ſterilem, &c. nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid. 46.1.d


EX MICHÆA.


Cap.5.v.2. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda. 66.1.b.d.2.a

7.6. Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurgit aduerſus matrem ſuam, &c. 237.1.c.d


EX ZACHARIA.


Cap.9.v.9. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem. 396.2.b

11.13. Decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium. 518.1.d


EX MALACHIA.


Cap.4.v.5. Ecce ego mittam vobis Eliam Propheram, antequam veniat dies Domini magnus. 337.2.a.b






# EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.


Cap.1.v.20. NOli timere accipere Mariam coniugem tuam. 52.2.a

5.1. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. 21.1.c

v.15. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. 20.1.a

v.26. Non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. 58.1.b

6.1. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. 132.2.a

8.22. Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. 23.1.d

9.13. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. 23.1.b

11.16. Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: Clamauimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. 24.1.b

v.23. Quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſque in hanc diem. 21.1.a

13.24. Simile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. 24.1.c

18.8. Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & proijce abs te, &c. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, &c. 22.1.b

v.24. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum. 20.1.b

25.15. Vnicuique ſecundùm propriam virtutem. 24.1.d


EX S. MARCO.


Cap.4.v.11. Illis qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt. 276.1.d

v.12. Vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, &c. 276.2.a

v.26. Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet. 22.2.d

9.49. Omnis enim igne ſalietur. Et omnis victima ſale ſalietur. 23.1.a

13.27. A ſummo terræ vſque ad ſummum cæli 447.1.a

14.17. Veſpere autem facto venit cum duodecim. 477.1.b

15.25. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. 536.1.b

v.32. Erat paraſceue, quod eſt ante ſabbatum. 476.1.a

v.36. Potum dabat ei, dicens, Sinite, videamus, ſi veniat Elias ad deponendum eum. 544.2.b

16.16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. 21.1.d


EX S. LVCA.


Cap.1.v.30. Inueniſti gratiam apud Deum. 238.2.b

7.3. Et cùm audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & ſaluaret ſeruum eius. 25.2.a

v.73. Stans retro ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius. 560.1.a

v.50. Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. 21.1.b

9.34. Facta eſt nubes, & obumbrauit eos, & timuerunt intrantibus illis in nubem. 334.2.d. & ſeqq.

10.20. Nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubijciuntur, gaudete autem quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. 23.1.c

12.44. Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me. ibid.

17.22. Venient dies quando deſideretis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis. 441.2.d

19.9. Quia hodie ſalus huic domui facta eſt. 25.2.b

v.38. Pax in cælo, gloria in excelſis. 400.1.b

21.24. Cadent in ore galdij, captiui ducentur in omnes gentes, & Ieruſalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tempora nationum. 439.2.a.b


EX S. IOANNE.


Cap.1.v.14. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre. 405.1.b

v.15. Qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt. 245.1.d

v.20. Tu quis es? non ſum ego Chriſtus. 22.2.b

v.43. In craſtinum voluit exire in Iudæam, & inuenit Philippum, & dicit ei Ieſus, Sequere me. ibid.a

2.11. Crediderunt in eum diſcipuli eius. 21.1.c

v.19 Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: ille autem dicebat de templo corporis ſui. 504.2.d

v.23. Multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat: ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis. 23.2.a

v.32. Quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. 21.2.b

3.3. Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. 22.2.b

4.24. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. 117.2.d

6.36. Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis. 22.2.c

v.54. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. 134.1.c

11.28. Magiſter adeſt, & vocat te. 22.2.c

v.40. Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei. ibid.c

12.1. Ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, & fecerunt ei cœnam. 471.1.c.d

v.3. Vnxit pedes Ieſu, & exterſit pedes eius capillis ſuis. 2.d

v.7. Sinite illam, vt in diem ſepulturę meæ ſeruet illud. 473.1.a.b

v.14. Et inuenit Ieſus aſellum, & ſedit ſuper eũ. 22.2.b

v.39. Proptérea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum. 44.2.a

13.1. Ante diem feſtum Paſchæ. 475.2.b

16.32. Modò creditis: ecce venit hora, & iam

venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis. 487.2.a
17.3. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 20.2.b
18.21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus ſum ipſis. 504.1.c
v.22. Vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu. ibid.
19.14. Erat hora quaſi ſexta. 536.1.b
v.25. Stabat autem iuxta crucẽ Ieſu mater eius. 550.1.d
20.17. Noli me tangere. 21.1.d

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

*Cap.*12.*v.*8. Calcea te caligas tuas. 225.2.a
20.35. Beatius eſt magis dare quàm accipere. 125.1.b

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

*Cap.*1.*v.*9. Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo. 117.2.d
4.1. Quid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum? 238.2.b
15.16. Vt ſim miniſter Chriſti in Gentibus, ſanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto. 8.1.d

EX I. AD CORINTHIOS.

9.5. Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli? 224.1.c
10.16. Calix benedictionis cui benedicimus, *&c.* nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? 480.1.d

EX II. AD CORINTHIOS.

*Cap.*5.*v.*21. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. 23.2.a

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

*Cap.*4.*v.*9. Deus pacis erit vobiſcum. 126.2.d

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

*Cap.*3.*v.*15. Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris. 147.2.b

EX I. AD TIMOTHEVM.

*Cap.*3.*v.*26. Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum: quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu. 249.1.a

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

*Cap.*11.*v.vlt.* Vt non ſine nobis conſummarentur. 548.2.c.549.1.c

EX APOCALYPSI.

*Cap.*1.*v.*8. Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus. 8.2.c
3.14. Hæc dicit Amen, teſtis fidelis. 133.1.b
4.7. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti. 10.2.b
v.8. Et in circuitu & intus plena ſunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. ibid.
11.4. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini, *&c.* 132.1.d

INDEX

# INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ HOC PRIMO VOLVMINE CONTINENTVR.

*ABa Salama monachus Æthiops Abyſſiam ad fidem Chriſtianam conuertit.* pag.12.col.1.litt.*b*
*Abbacyrus diu à ſocijs vexatus omnia patienter tulit.* 148.1.*c*
*cur* Abba pater *Chriſtus dixerit.* 615.1.*a*
*Abdias, qui Prophetas ſub Achab latitantes aluit, an idem cum Abdia Propheta quarto inter Minores* 239.2.*a*
*Abel fuit typus Chriſtianorum, Cain Iudæorũ.* 430.1.*c*
*ſub Abiathar pontifice contigiſſe dicit Marcus, quod verè ſub Achimelech patre contigit: fuit vir excellens.* 581.1.*c.d* *fuit tam ipſe, quàm pater, binomius.* 2.*a*
*Abnegare ſeipſum quid ſit.* 323.1.*c*.2.*b*.324.1.*a*
*Abnegationis definitio.* 324.1.*b*
*Abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto quæ ſit.* 437.2.*a*
*Abraham eremita perpetuò geſtauit cilicium.* 81.1.*b.c*
*ex Abraham natus eſt Chriſtus.* 45.1.*a* *fuit Synagogæ fundator, & pater fidelium.* *ibid.b* *eius filij ex Cetura fuere incolæ Arabiæ.* 59.2.*c* *eius filiatione gloriabantur Iudæi.* 85.2.*d* *veri eius filij ſunt, qui eius fidem & ſanctitatem imitantur.* 86.1.*a*.2.*d* *cur Abraham, Iſaac & Iacob præ ceteris patriarchis nominentur & celebrentur.* 192.1.*d* *cur his tribus Deus gloriaretur.* 417.1.*d*
*Abyſſini vnde hauſerint cognitionem Dei, an à Salomone deſcenderint.* 270.1.*a.b* *crebrò dimittunt vxores.* 361.2.*c*
*Accumbebant veteres menſæ ſtrati in thoris.* 477.1.*b*
*Acedia eſt ſpiritualis paralyſis, & vtriuſque analogiæ.* 207.1.*a.c.& ſeqq.* *eius remedia.* 2.*c.d*
*Acedus in bono manum quodammodo habet aridam.* 259.2.*d*
*Acetum datum Chriſto in cruce ſitienti loco vini à milite.* 543.2.*a* *idq; quatuor de cauſis: acetum ſitim adauget.* *ibid.b* *vim habet penetrandi.* *ibid.c* *quomodo id datum Chriſto.* 544.1.*a.b*
ἀχεράδες *ſunt pyra ſilueſtria.* 81.2.*b*
ἀκρίδες *græcè ſunt propriè locuſtæ.* *ibid.c*
*omnem actionem Chriſtus ad ſpiritualem finem exercebat.* 112.1.*c* *actiones humanæ debent dirigi à recta ratione.* 266.2.*c* *ex merito actionum noſtrarum, habitus earum ſupernaturales ſtatim Deus auget & intendit.* 459.2.*c*
*ne Actus ſit otioſus, debet referri ad finem honeſtum.* 266.1.*d.& ſeqq.* *actus charitatis feruentes excitati adaugent meritum & gloriam.* 383.1.*b*
*Adagia Euangelica omnia recenſentur.* 36.1.*b*
*Adam fuit typus Chriſti.* 42.2.*a* *triplici tentatione fuit à diabolo tentatus.* 102.2.*c* *ipſe vitiatus totam ſuam progeniem vitiauit.* 259.2.*c* *dictus eſt homo abſolutè, & quia Chriſtus ex eo natus per matrem eſt, huic dicitur Filius hominis.* 198.1.*b.c* *non fuit hermaphroditus.* 361.2.*c* *innocens, innoxiè cum beſtijs in paradiſo egit.* 577.1.*d* *qua die creatus, & qua hora pomum vetitum comedit, eadem Chriſtus moriens, & culpam expians, eum quaſi recreauit.* 536.1.*c*.545.2.*c* *è carne eius non trahunt omnes homines aliquam carnis particulam.* 305.1.*b.c* *an eius cranium in monte Caluariæ ſepultum.* 531.1.*d* *eius peccatum extenſione manuum Chriſti ad lignum crucis fuit expiatum.* 534.1.*b*
*Adamas ſymbolũ aduerſa patienter ferentis.* 509.1.*a*
*S. Aderitus columbæ aduolatu deſignatus eſt ſucceſſor S. Apollinaris in ſede Rauennate.* 95.1.*b*
*nihil Admirari, eſt magni animi.* 56.2.*c*
*cur Admiratio propriè & abſolutè in Chriſto non fuerit.* 191.2.*c.d*
*Adoleſcens in Naim à Chriſto reſuſcitatus quos peccatores denotet.* 214.1.*c* *adoleſcens amictus ſindone quis fuerit.* 615.1.*c*.2.*a*
*Adrianus Imp. Iudæos omnes Iudæâ exire iuſſit, imò vetuit ne quis eam vel eminus aſpiceret.* 439.2.*d* *eius comitas & facilitas.* 366.2.*c*
*Adriani II. Papæ pecunia in pauperes erogata fuit multiplicata.* 295.2.*a*
*Aduentus Chriſti exſpectabatur deficiente ſceptro de domo Iuda.* 51.1.*b.c* *eius aduentum primum à ſecundo non diſtinguunt Iudæi.* 337.2.*c* *quomodo vterque differat.* 446.2.*b.* *eius aduentus ad iudicium fulgure repræſentatur.* 442.1.*b* *apertus erit & omnibus manifeſtus, vnde ad eum iuſti properabunt.* 2.*b.c*
*quis ſit Aduerſarius cui beneuoli eſſe iubemur.* 139.1.*c.d*.2.*b*
*in Aduerſis non eſt cadendum animo.* 234.1.*a.b*
*Adulteræ per vrbem mediam in Creta traducebantur.* 56.1.*a*
*ab Adultero coniuge diuertere licet innocenti.* 142.1.*c.d*
*Adulterium ſoluit matrimonium quoad thorum, non quoad vinculum.* 363.2.*a*
*Ædificare Eccleſiam ſuper Petrum, vel hanc petram, quid ſit.* 318.2.*b*
*B. Ægidij ſocij S. Franciſci paradoxa, quoad abnegationem ſenſuum & cupiditatum.* 324.1.*d* *vox eius de pœnitentia Ioannis.* 81.1.*a*
*Ægroti vltra ſeptiduum ſine cibo omni eſſe poſſunt.* 100.2.*c*
*Ægyptij multi, viſâ ſanctitate B. Virginis & Ioſephi apud ſe habitantium, verum Deum cognouere.* 70.2.*c* *eorum portentoſa numina.* 233.2.*b*
*cur in Ægyptum fugerit Chriſtus, & non aliò.* 69.2.*b* *eius idola ad Chriſti ingreſſum corruerunt.* *ibid.d* *balſamum ab eo tunc recepit.* 70.1.*c* *poſtea fuit*

feraciſſima virorum ſanctorum. ibid.b & monachus abundauit. 572.2.b eſt lepræ obnoxia. 187.2.b
Ænigmata Euangelica omnia enumerantur. 37.1.d
in Aere condenſato varia poteſt dæmon repræſentare. 106.2.d per aëra raptatus eſt Chriſtus à diabolo in pinnaculum templi. 103.2.c.d aëris rubor veſpere indicat nubes eſſe raras, ideoque noctu diſsipandas, ac conſequenter manè fore ſerenum. 311.2.a.312.1.a
Ærumnas, quas anima in corpore habitura eſt, Deus abſcondit ab ea, quia perhorreſceret corpus ingredi. 173.2.b
vnde Æthiopes hauſerint notitiam Dei. 270.1.a VI. Ianuarij aquis ſe immergunt in memoriam baptiſmi Chriſti. 93.1.b
Æthiopia Scripturæ nota, fuit pars Arabiæ. 60.2.a
Æthiopica S. Scripturæ verſio cum Arabica, velut matrice ſua conſentit. 12.1.b
Affabulatio in parabolis quid ſit. 24.1.a
Affectiones bonæ bona proferunt verba, malæ mala. 265.2.b
Affectus pius eſt anima orationis. 157.2.a affectus maximè eleëmoſynam commendat. 610.2.c.611.1.a affectus ſyncerus meretur à Deo vlteriùs illuſtrari. 276.2.d affectus ſeptem è Chriſto crucifixo nobis eliciendi. 537.1.b
Afflictiones varijs de cauſis homini immittuntur. 581.1.a ſimus in ijs adamãtes & inſuperabiles. 509.1.a
Agape olim erat epulum omnibus fidelibus commune, in ſignum & fomentum charitatis. 479.2.a
S. Agapitus Martyr prunas ardentes capiti impoſitas cõſideratione ſpineæ coronæ Chriſti pertulit. 527.2.d
Ager in ſepulturam peregrinorũ emptus pecuniâ à Iuda relatâ, Chriſti teſtatur innocentiam. 517.2.a mira de hoc agro. ibid.c ager etiam opidum vocatur. 618.2.a quid denotet ager & villa, in quem abiere inuitati, & ideo venire negligentes. 410.1.b
ἄγιος deriuatur ab α & γῆ, q.d. ſine terra. 77.2.d
Agnoëtæ hæretici docebant Chriſtum diem iudicij ignorare. 449.1.b
Agnus paſchalis decimo die menſis primi in vrbem ſolemni pompa inducebatur, ſic & Chriſtus. 397.1.d.398.1.b domi à quolibet patrefamilias immolebatur. 476.1.c.d quomodo ederetur, qua hora mactaretur. ibid.d quomodo aſſaretur. 2.d edebatur à ſtantibus. 477.1.a
Agon Chriſtianorum eſt conatus ad ſalutem vel gehennam. 179.1.c.d
Agonia Chriſti in horto qualis fuerit. 490.1.c.d
Agrippinæ matris Neronis ambitio. 387.2.a
Alabaſtrum vnguenti Mariæ Magdalenæ quod fuerit. 471.2.a
Alapa quomodo à colapho differat. 507.2.d quæ fuit Chriſto à miniſtro impacta, quàm atrox fuerit. 504.1.d
Alauda ſymbolum eſt Religioſi, maximè Minoritæ. 170.2.c.d
S. Albertus Carmelita ſua patientia dæmonem ex energumena pellit. 147.1.a
Alexander Alenſis nihil vmquam negabat quod B. Virginis nomine ab eo petebatur. 149.1.c
Alexander fil. Simonis Cyrenæi Martyr occubit. 530.1.a
Alexandri Seueri Imp. moderatio. 366.2.d
ſchola Alexandrina quàm præclaros habuerit viros. 572.2.c
Alexandrini loquebantur græcè. 573.1.c
S. Alexius fuit ſpiritu pauper. 120.1.c
Aliena non ſunt danda in eleëmoſynam, ſed propria. 148.2.b
Aloe præſeruat corpora à putrefactione. 552.2.a
Alphæus pater S. Iacobi Minoris, fuit coniux Mariæ Cleophæ. 220.2.c genuit ex ea Iacobum & Iudam Thaddæum. ibid.
Altilia ſunt animalia quæ ſaginantur. 409.2.c quid ea denotent ſymbolicè. 410.1.a.b
mons Aluerniæ ſciſſus eſt moriente Chriſto, mirè erga hunc S. Franciſcus afficiebatur. 548.1.a
S. Amandi gloriam adauxere omnes, quos conuerſos cælo aſſeruit. 451.2.c.d
Ambitio vt euehatur, priùs ſe deijcit. 107.2.b cælo excludit. 344.2.a.c quàm audax & inſatiabilis ſit. 387.1.a.2.a eſt pernicies rerum public. 390.1.b parit inuidiam, hæc indignationem aduerſus competitores. ibid. ambitio clericorum & Religioſorum de honore contendentium ſcandalizat ſæculares. 347.1.a
S. Ambroſij lucta cum Arrianis de baſilica illis tradenda iubente Valentiniano Imp. iuniore. 320.1.b
Ambroſii Catharini error circa prædeſtinationem. 385.1.b.c
Amen eſt vox non iurantis, ſed affirmantis rem à ſe dicendam, vel confirmantis iam dictam. 133.1.a
in America ſenſim propagatur Euangelium. 437.1.c
Amici Chriſti è principibus an interfuerint cõcilio quod Chaiphas ad eum damnandũ conuocarat. 515.1.a
Aminadab princeps tribus Iuda primus mare rubrum ingreſſus dicitur. 45.2.b
Amitæ tres S. Gregorij, Tharſilla, Æmiliana, Gordiana; duæ priores feliciter mortuæ, tertia Religione excidit. 411.2.d
Amor terrenorum exuendus Chriſtum ſequi volentibus. 371.2.c amor proprius non intelligit ea quæ ſunt Dei. 322.2.d.323.1.c amor inordinatus erga terrena mortificandus. 323.2.a.324.1.a amoris inimicorum nouem ſunt gradus. 149.2.d amor Chriſti erga ſuos & Eccleſiam ex Euchariſtiæ inſtitutione colligitur, & ipſi viciſſim ad eum amãdum per eam alliciuntur. 484.2.a.b amor B. Virginis in filiũ, & Chriſti in eam, maior fuit, quàm aliarum matrum & filiorum. 50.1.b
ἂν eſt particula expletiua & confirmantis, non dubitantis. 21.1.a
Anabaptiſtæ ne à iudice quidem coacti, volunt iurare. 143.1.b bellum omne illicitum putant. 145.2.b & Chriſtianos omnes eſſe debere ab omni tributo liberos. 342.1.c malè pueros arcent à baptiſmo. 367.2.d
Anachoretæ veteres veſtiebantur cilicio. 81.1.a.b ante veſperam cibum non ſumebant. 193.1.b vnde in Ægypto ita increuerint. 572.2.b Anachoreta de adultero temerè iudicans, quomodo ab angelo correptus. 175.2.d
S. Anatolia virgo audito angelo virginitatem extollente, pro eadem obijt agonem. 454.2.b
Ancilla oſtiaria vnde Petrum agnouerit eſſe diſcipulum Chriſti. 509.2.c.d
Ancus rex vnde dicatur ſacrificus. 571.2.c
S. Andreas quando & quomodo à Chriſto vocatus ſit. 111.2.c.112.1.a quid nomen eius ſonet. 112.1.d.220.1.a eius elogium. 220.1.b
Anethum quales habeat effectus. 426.2.d
Angariare eſt cogere, eſt vox Perſica. 147.2.d
Angelus idem eſt quod angarus, per commutationem litteræ



litteræ r in l. 147.2.d angelo Cuſtode caruit Chriſtus, cur. 105.1.a angelus vnde cognouerit Herodis intentionem de necando Chriſto recens nato. 70.1.a angelus terræmotum circa ſepulchrum Domini excitauit, & cur. 558.2.b. & ſeqq. apparuit mulieribus vt iuuenis. 559.1.a cur lapidem rouoluerit. ibid.b & ſuper eum ſederit. 2.c cur Lucas eum ſtetiſſe dicat. 560.1.a an ſederit extra ſepulchrum ſuper lapidem, an verò intra ipſum viſus ſit. ibid.a.b cur aſpectus eius fuerit vt fulgur. ibid.d cur veſtis candida. 561.1.a terruit cuſtodes ſepulchri. ibid.b quid dixerit mulieribus. ibid.c. & ſeqq.
Angelos omnes Chriſtus obſequentes habuit. 105.1.a ei in Euangelio ſubſeruierunt. 3.2.b & in deſerto poſt victoriam de tentatione miniſtrarunt. 577.1.d tuentur iuſtos in bono, non temerarios. 105.1.a.b cur, cùm careant manibus, eæ tamen ijs attribuantur. ibid.c lapides in panes conuertere non poſſunt ſubitò & immediatè. 102.1.b Chriſtum è monte in ſuum deſertum, in quo ieiunarat, tranſtulere, velut dominum ſuum. 108.2.d ita conſolantur omnes qui fortiter vincunt diabolum. ibid. voluntati Dei pleniſſimè obediunt. 161.2.b omnes ſunt beati, ideoq; impeccabiles. 348.1.a.d curant paruulos. 2.a & humiles. ibid.b eorum humilitas & charitas. ibid.c dantur in cuſtodes hominibus, tam infidelibus & improbis, quã fidelibus & iuſtis. 347.2.c ſunt hi ex infimo ordine, nonnullis tamen perſonis eximijs & eminentibus dantur ex ordine Archangelorum. ibid.d eorũm varia munia. 348.1.b.c ſunt ſupremi in ſuo choro. ibid.c.d tria ijs debemus. 2.c cum iis crebrò agamus. 348.1.a ſemper Deum vident facie ad faciem. 349.1.a etiam dum cælo exeunt. ibid.b an rectè denotentur per nonaginta nouem oues. 349.2.c.d eſt eorum nobis perfectio imitanda. 348.2.c per aquilam denotantur. 443.2.b adſtant Euchariſtiæ. 485.1.b.c ſunt innumeri, ſuperantq; numerum hominũ omnium. 501.1.a ſunt in omni periculo & afflictione in auxilium inuocandi. ibid.b eſt ijs data gratia & gloria ſecundum naturam. 459.1.b dum apparent, animum exhilarant & gaudio replent. 564.1.b in die iudicij mortuos excitabunt tubæ ſonitu, eoſq; corporatos iudicio ſiſtent. 446.2.d erunt tunc velut meſſores. 286.1.c & cum Chriſto cælo exibunt, eumq; in corporibus ſplendidis comitabuntur. 462.1.c.d angeli cælos mouentes ſunt virtutes cælorum. 445.1.a
Anima tentationibus pulſata eſt velut nauis in medijs fluctibus. 200.2.b templum eſt Dei. 401.2.b eſt velut vinea cuique excolenda. 381.2.c. & ſeqq. huius cultores æſtimantur diligentiâ, feruore & ſpiritu. ibid.d anima peccatrix opem diuinam quamprimùm imploret. 308.1.c dum conuertitur, quodammodo transfiguratur. 331.1.d anima Chriſti primo conceptionis inſtanti fuit impleta gratiâ capitis, vidit Deum per viſionem beatificam, vſa quoque ratione eſt, etiam extra viſionẽ beatificam. 56.1.c non fuit ſeparata ab eius corpore poſtquam Euchariſtiam inſtituit. 268.2.b.c animam ſeruare volens, perdet eam, duplici ſenſu: qui eam perdet, inueniet eam. 325.2.a.b animæ iactura nulla ratione recuperabilis eſt. ibid.c.d.326.1.a eius pretium & dignitas. 326.1.a.b.348.2.c eius immortalitas. 417.2.a.b animas conuertere, Deo gratiſſimum eſt, & opus diuiniſſimum. 567.2.b.572.1.a animæ beatæ ducuntur ad cælum per angelos, reproborum ad tartara per dæmones. 467.2.b animæ eorum qui ad vitam ſuſcitantur, non ſunt iudicatæ. 213.1.c
Animalia quatuor Ezech. denotant quatuor Euangeliſtas. 10.1.d. & ſeqq.
S. Anna nonniſi vnicum habuit maritum Ioachimum, & ex ea prolem ſolam B. Virginem. 271.2.d
ad Annam ne, an ad Caipham, primùm ductus fuerit Chriſtus. 503.1.b.c
quot Anni fluxerint ab Abraham & Dauide vſque ad Chriſtum. 45.1.a quo anno mundi hic ſit incarnatus. 13.1.a
S. Anſelmus vidit quæ poſt murum agebantur. 106.1.c
Anteſabbatum erat idem quòd paraſceue. 617.2.a
an Antichriſtus ſit Babylone, an in Corozain naſciturus. 249.2.b etiam ſuum habebit angelum Cuſtodem. 347.2.d ſummus erit impoſtor & ſeductor. 435.1.c à Iudæis recipiendus, denotatur in electione Barabbæ, repudiato Chriſto. 522.2.a
Antigoni regis Macedonum de regno dictum. 390.2.a
Antiocheni loquebantur græcè. 573.2.a
Antoninus Caracalla Imp. fratrem ſuum Getam à ſe occiſum inter deos retulit. 428.2.a
S. Antonius aurum fugit velut peſtem. 223.1.c quantopere ad martyrium anhelarit. 236.1.d cognouit dæmonis imbecillitatem. 262.2.d.264.1.c audit in ſpiritu ab humilibus mundi laqueos poſſe euitari. 345.1.b auditâ Chriſti voce in Euangelio de omnibus relinquendis, ea reliquit, & Chriſtum ſecutus eſt nudus. 7.1.a.369.1.d paupertas ei fuit cauſa virtutum. 370.1.c
ἄνθρωπος vox vnde deriuetur. 198.2.b
Aperire oculos cæci, eſt ijs videndi facultatẽ dare. 215.1.a quo ſenſu aperiuntur muti & ſurdi. 597.1.d
Apes hieme non comedunt. 100.2.d
Apex vnus à lege non præteribit, quid ſit. 133.2.a
ἀφανίζω quid propriè ſit. 166.2.d
Apollonius Tyraneus eiecit dæmones arte magicâ. 261.2.c
Apoplexia & hemiplexia quî differant. 190.1.c item apoplexia & paralyſis. & ibid. 207.2.b.c
Apoſtaſia à fide ſignum reprobationis. 441.1.b
Apoſtatæ ſunt ceteris peccatoribus deteriores. 271.2.a.b
Apoſtolici hæretici omnibus Chriſtianis neceſſariam eſſe dicebant paupertatem. 197.2.a
viri Apoſtolici excellant in inimicorum dilectione. 151.2.a ſunt velut faces. 132.1.d omnibus ſine diſcrimine opem ferant. 216.1.b caueant munera & aurum. 223.1.b.c ſint oues. 228.2.d & vitæ prodigi. 229.1.a.b & prudentes ſicut ſerpentes. ibid.c.d. & ſeqq. ijs vnum relinquentibus è rebus & amicis carnalibus, centum meliores reddentur. 376.2.b.c
Apoſtoli à Chriſto fuere baptizati. 91.1.b quomodo primùm ab eo ſint vocati. 111.2.c. & ſeq. 112.1.c 2.a.113.1.a.2.a & quando. 112.2.a ſunt velut piſcatores hominum. ibid.2.b.c relictis omnibus Chriſtum ſecuti ſunt. 113.1.a.b.d debebant habere paupertatem ſpiritus. 120.1.a eam Chriſto docente ſectati ſunt. ibid.b fuere terræ vtiles. 130.1.a ſua ſapientia inſulſos mundi mores ſapidos effecerũt. ibid.b terram fœcundarunt. ibid.c errores hominum correxerunt: homines incorruptioni ſeruarunt. 2.a excitarunt ſitim rerum cæleſtium: vitia hominũ momorderunt, pupugerunt & exuſſerunt. ibid.b animas vitijs corruptas perſanarũt. 2.d poſt Chriſti mortem ſæpè ieiunarunt. 210.2.b

non priùs. 211.2.b.c.212.1.a eorum electio & auctorizatio. 218.1.a.b eorum dignitas, & tria munia ibid.c in quo pares eſſent Petro & ſubeſſent. 2.a data iis poteſtas eiiciendi dæmones, & curandi omnem languorem. ibid.a.b cur præciſè ſint duodecim electi. ibid.c eorum ordo ſubinde ab Euangeliſtis variatur. 219.2.b denotantur per duodecim gemmas Apocal. ibid.c.d ſunt à Chriſto. eorum ſinguli combinati. 221.1.d ſunt in iis tria fratrum paria. 2.a cur multi inter eos Chriſti conſanguinei fuerint. ibid.b inter eos ſunt tres primarij. ibid.d quæ præcepta ipſis Dominus dederit. 222.1.a.b.d.223.2.a.226.2.c.227.1.b.228.1.b gratis accepta dona, gratis iubentur præſtare. 222.2.a.b cur pecuniam geſtare vetentur, & quidquam pretio æſtimabile poſſidere. 223.2.a.c an ſemper mendicato vixerint. 224.1.a.& ſeqq. 2.c qualem virgam geſtare prohibeantur. 226.1.a.& ſeqq. apud quos hoſpitari debeant. 2.a pacem hoſpiti apprecentur. 227.1.b.& ſeqq. cur puluerem de pedibus excutere iubeantur. 2.c.d eos reiicere quam ſit graue ſcelus. 228.1.b.c mittuntur vt oues inter lupos. 2.b.d iubentur eſſe ſimplices & prudentes. 229.1.c.& ſeqq. fuere flagellati, & apud reges & præſides accuſati. 230.1.c.d ſua morte & perſecutione teſtificati ſunt Iudæis & Gentibus, & quid. 2.b vetantur eſſe ſolliciti quid apud iudices reſponſuri ſint. ibid.c.d quomodo exſtimulentur ad conſtantiam in perſecutione. 232.2.d.& ſeqq. 233.2.d qui eos recipit, recipit Chriſtum. 238.2.d myſteria regni cæleſtis oculis & auribus mentis capiebant. 277.2.c.d ſunt Eccleſiæ & totius mundi fermentum. 284.1.d ſciebant, poſtquam aliquouſque cum Domino vixerant, eum eſſe vnigenitū Dei filium. 299.2.a.315.2.a Petrus primum id clarè & disertè confeſſus eſt. 315.2.a cur vetentur à Chriſto prædicare quòd ipſe eſſet Meſſias, at illo mortuo id luculentè fecerunt. 321.2.b.c eos Chriſtus alloquio ſuo recreat. 336.2.b de Domini reſurrectione diu dubitarunt. 341.1.c ſunt vocati in ſuſpicionem ſectæ Galilæorum. 341.2.c.413.1.a an ſoluerint tributum Capharnai, & vnde. 342.2.b.c cur quærant à Chriſto quis ſit maior in regno cælorum. 344.1.a.b.2.a vndenam petitionem duorum filiorum Zebedæi intellexerint. 389.2.d erunt iudices cum Chriſto, ſed non ſoli. 374.1.b ad Iudæos miſſi, ab eis occidendi prædicuntur à Domino antequam gens excidatur. 429.2.a putabant vrbis & orbis excidium & diem iudicij pariter imminere. 435.1.a.2.b contriſtati ſunt audientes ab vno è ſuo cœtu Chriſtum prodendum. 478.1.b cur non ſint turbati ad inſtitutionem Euchariſtiæ. 480.1.b ſunt conſecrati ſacerdotes in vltima cœna. 481.1.b.592.2.a quomodo in Chriſto nocte paſſionis ſint paſſi ſcandalum. 487.1.b.c cur id Deus permiſerit. 2.d fugientes pro ſe quiſque, receperunt ſe in cœnaculum vbi paulò antè paſcha cum Chriſto ederant, & ibi eis Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit. 488.1.d quomodo non crediderint Chriſto eorum lapſum prædicenti. 489.1.a eo capto illicitè fugerunt. 502.2.d quid eos hîc facere oportuiſſet. 503.1.a etſi donum linguarum accepiſſent, lingua tamen ſua propria meliùs loquebantur. 573.2.b iis in Galilæam profectis apparuit Dominus à reſurrectione. 596.1.d ægros vngebant oleo, non tamen ſacramentaliter. 592.1.c.2.a quomodo mortem Chriſti ignorarent. 602.2.b eorum zelus indiſcretus in prohibendis illis qui dæmonia in Chriſti nomine eiiciebant. 603.1.c per totum mundum non euangelizarunt. 619.1.a.b

Apoſtoli reliqui videntes Petrum pro Chriſto animosè depugnare, idem tentare voluere, ſed ab eo inhibiti ſunt. 500.2.c nulli tamen eorum tunc à Iudæis ſunt comprehenſi, id inhibente Chriſto. 498.2.c Apoſtoli tres qui transfigurationi interfuere, quid myſticè denotent. 328.2.b.c cur timeant in Chriſti transfiguratione. 336.2.a cur hi ſilere iubeantur geſta in ea. 337.1.a.b cur Dominum hîc de venturo Elia interrogent. ibid.d cur hi ab eo aſſumpti in teſtes ſuæ triſtitiæ. 490.1.b Apoſtoli quoque ſunt Paulus & Barnabas. 220.1.a Euangelium facit Apoſtolos. 7.2.c cùm ſcribentes, duos citant Prophetas ſimul, quaſi vnum eumdemq; citant. 574.2.c

Apparitionis ab angelo mulieribus factæ narratio & ordo. 503.2.a.b apparitiones Chriſti variæ poſt reſurrectionem. 564.2.b.c

S. Apronianus qua voce è cælis audita ad Chriſtum ſit conuerſus. 464.1.a

Aquæ potus naturalis eſt & ſalubris. 295.2.d aquas ſuo baptiſmo Chriſtus ſanctificauit. 90.2.c 96.2.b

Aquila S. Ioannem deſignat. 10.2.c eſt ſymbolum Chriſti, cur. 442.1.d.2.a aquilarum variæ ſunt ſpecies. 2.a.443.1.a per eam iuſti & ſancti repræſentantur, per varias analogias. 443.1.a.& ſeqq. denotat quoque agilitatem Beatorum, eorum item beatam æternitatem. 2.a.b eſt ſymbolum veritatis & angelorum. ibid.b

Aquileienſes ab Attila ſubacti, Venetias condiderunt. 574.1.b

S. Aquilinus maluit cæcus eſſe, quàm videndo diſtractiones pati. 141.2.d

Arabes fuere tres Magi Chriſtum puerum adorantes. 60.1.c.d cur hi dicantur Æthiopes. 2.a

Arabia Felix auro, thure & myrrha abundat. 60.2.b 67.2.d Arabia Sabæa quantum diſtet à Ieruſalem, eſt extrema regio terræ ad mare Indicum. 270.1.b

Arabica Euangeliorum verſio Romæ eſt impreſſa cum traductione Latina. 11.2.c

homo habet liberum Arbitrium. 181.2.d

Arbor è fructu cognoſcitur. 265.1.b.c arboris & hominis analogiæ nouem. 600.1.a.b arbores Aquilone firmantur, Auſtro fatiſcunt: in iis aliæ ſunt mares, aliæ feminæ. ibid.c laborant morbis vt homines, dant homini cibum illaboratum. ibid.

Archelaus filius Herodis ſæuus erat, ideo pulſus ab Auguſto in exilium. 75.2.c.d cum fratre Antipa de regno contendit. ibid.c

Archidami regis de parua vxore gnome. 365.1.a

Areſactionē licitè Chriſtus ficui imprecatur. 403.2.a

Arena dicitur ab arido, vel hærendo. 185.1.b eſt ſymbolum hominis inconſtantis. ibid. item vanæ gloriæ. ibid.d

Aretas rex Arabum ſocer fuit Herodis Antipæ, quem & bello vicit. 593.2.b

Argentei triginta quibus venditus Chriſtus, cuius ſint pretij. 474.1.a.& ſeqq. argenteus fuit dimidius ſiclus, id eſt decem ſtuferi. ibid.c.d eos retulit Iudas ad principes, ſed illis admittere nolentibus, proiecit eos in templo. 516.1.2.b

Argentum ad certum pondus olim appendebatur. 471.2.c

Arimathæa quænam vrbs, & vbi ſita. 551.1.c

cur

cur Ariſtoteles ſua ſcripſerit inuolutè. 23.2.c



Arma geſtare Apoſtolis vetat Chriſtus. 226.1.d arma priſcorum erant fuſtes & tela. 496.2.b

Arrius docebat Chriſtum Patre eſſe minorem. 188.2.b

Arrogās quidā quomodo humiliatus à Deo ſit. 425.1.a

Ars eſt naturæ ſimia. 172.1.a.b

Artemia ſoror Maximiani Imp. quia Chriſtiana, ab eo occiſa. 231.2.a

Arundo eſt inconſtantiæ & inconſtantis typus. 243.1.d item aliorum. ibid.& 2.a.b arundo Chriſto in manus tradita qualis fuerit. 518.1.d.2.a quid ea ſymbolicè deſignet. 2.a.b cur arundine caput Chriſti fuerit percuſſum. 529.1.b

As quid ſit, triplex eſt. 139.2.d vide Denarius.

Aſcenſus Chriſti vltimus in Ieruſalem fuit, vt in ea poteretur. 385.2.a.b

Aſinus vocatur lapis molaris inferior. 346.2.d vel meta. 347.1.a aſini Iudaici noſtris ſunt valentiores & meliores. 396.2.a

Aſpectus mulieris quatenus peccatum ſit. 140.2.d

Aſſarion idem quod quarta ſtuferi pars. 235.1.c

Aſſeuerandum ſimpliciter ſine iuramento. 145.1.a.b

Aſſurgitur, dum legitur Euangelium. 3.2.d

Aſtrologorum præſagia fiunt ex experientia. 62.1.d

S. Athanaſius fugiens Catholicis conſuluit. 232.1.b

Atrium ſacerdotum non intrauit Chriſtus, ſed atrium Gentium, cùm vendentes templo eiecit. 400.2.d quale hoc eſſet. 401.1.a

Attentio ſumma in oratione requiritur. 156.2.c.d

Attributa Dei in Chriſto attribuenda ſunt homini, & hominis, Deo, cur. 19.1.d attributa Dei omnia idem ſunt reipſa cum ſimpliciſſima eius natura. 22.1.a omnia in eo ſunt paria. 188.1.b eadem ſunt eius ſanctitas. 159.1.a attributa eſſentialia ſunt tribus perſonis SS. Trinitatis communia, at non notionalia. 448.2.c

Auaritia mentem excæcat & obnubilat. 168.2.a.b cauſa eſt inopiæ. 171.1.b Iudā perdidit. 517.1.a

Auarus auri eſt ſeruus. 169.2.a non habet aurum, ſed ab eo habetur. 461.2.c

Auctoris ſcopus & methodus in hoc commentario. 12.2.b.c

Auditor legis diuinæ qualis eſſe debeat. 116.1.a auditor bonus verbi Dei totum ſe ei attemperat. 280.2.b

Auditus eſt ſenſus diſciplinæ. 215.1.c

S. Audomarus maluit in cæcitate eſſe, quàm oculos habere. 141.2.d

Auena vnde dicatur. 281.2.a

Aues docent hominem vt cæleſtibus intendat. 170.2.b

S. Auguſtini tria deſideria. 278.1.a hereditates à nonnullis Eccleſiæ ſuæ oblatas recuſabat, vt inde eorum parentes alerentur. 302.2.c

Auguſtus Imp. videtur Herodi veniam dediſſe infantes occidendi. 72.2.c eius filium Archelaum miſit in exilium. 75.2.c.d obtrectantium ſibi linguas ſpernebat. 123.1.d.

Aureliano Imp. ſcabelli loco vſus eſt Sapor rex Perſarum 420.2.a

Aures audiendi habens, audiat: quid per hoc denotare velit Chriſtus & quis is ſit. 276.1.a.c

Aureus Francicus valet 12. regales Hiſpanicos. 357.2.a aureus Romanus quanti ſit pretij. 458.2.a

cur Aurum Magi Chriſto obtulerint. 68.1.a.d.& ſeqq. eo denotatur charitas & paupertas. 2.b.c auri cupiditas mentem degrauat. 208.1.b aurum templi vocatur quod gazophylacio iniiciebatur. 426.1.c

Auſteritas vitæ nonniſi perfectis conuenit. 22.1.b

Aut pro an ponitur, cùm eſt nota efficacis interrogationis. 177.2.d

Autographum S. Marci Latinum an iniuriā temporum perierit. 573.2.c ſed autographum Græcum Venetiis aſſeruatur. 574.1.b

Azymorum vſus incipiebat cum Paſchate. 475.1.a 2.a dies Azymorum qui dicantur. 2.a

Babylas mimus per verba Euangelij eſt conuerſus. 110.2.c tres pueros à ſe in pietate educatos ante ſe capite plecti voluit, ne ſeducerentur. 367.2.a

Baculus & virgæ arma ſunt ruſticorum. 226.1.c

Baiazetes ſubſternitur Tamberlano equum ſcandenti. 420.2.a

Baiocus Romanus quanti ſit pretij. 235.1.c vide Denarius.

quæ lateant myſteria in Baiulatione crucis facta à Simone Cyrenæo. 530.2.b

Balaam de ſtella appritura ſub ortum Chriſti prædixit. 63.1.a.b

Balſamum ſecum in Ægyptum traxit, eò fugiens Ieſus, & quomodo id illic proueniat. 70.1.c

Baptiſmus triplex fluminis flaminis & ſanguinis. 88.2.c baptiſmus aſcribit in Eccleſiam, eſt teſſera Eccleſiæ. 90.2.b quando ſit à Chriſto inſtitutus. ibid.c eum inſtituit Chriſtus iam à Ioanne baptizatus, eius ſuſcipiendi neceſſitatem indixit poſt mortem in Pentecoſte. 96.2.a.b. 97.1.a cur dicatur regeneratio. 373.2.c eius forma. 567.1.d eſt ad ſalutem neceſſarius. 619.2.a baptiſmus Ioannis qualis eſſet, & in quo à Chriſti baptiſmo differret. 82.2.a ille huic præludebat. 88.1.a.b.2.c illius quæ fuerit forma. 91.2.b denotat doctrinam & omnem prædicationem ipſius. 404.2.a.b

Barabbas inſignis fuit latro, huic tamen Chriſtus poſtponitur. 520.2.d.& ſeqq. 522.1.c.d quid vox ſonet. 521.1.a.522.2.a per culicem à Phariſæis excolatum denotatur. 427.1.d

Barba Chriſti fuit à miniſtris in paſſione vellicata. 507.2.b

S. Barbara à proprio patre interfecta eſt. 231.2.

Barchocabas, id eſt filius ſtellæ, fuit inſignis ſub Adriano Imp. impoſtor, ad rebellandum Romanis Iudæos excitauit. 61.2.b finxit ſe eſſe Meſſiam. 440.2.c

S. Barlaam oblatam à Ioſaphat pecuniam reiecit. 223.1.c

S. Barnabas S. Matthæi Euangelium propria manu deſcriptum circumtulit. 8.1.c.40.2.d

S. Bartholomæus Apoſt. Euangelium S. Matthæi ſecum ad Indos detulit. 8.1.c.40.2.c nominis eius etymon. 220.2.a non fuit ſponſus in Cana, nec ortus è regibus Ægypti. ibid.

Bertimæus vocatus eſt cæcus ille iuxta Iericho. 607.1.b triplex vocis huius etymon. 2.a.b

Βάσανος quid ſit. 113.2.d

Baſilides docebat non Chriſtum, ſed Simonem pro eo eſſe crucifixum. 530.2.c

S. Baſilio viſus eſt Spiritus ſanctus inſidere in ſpecie columnæ igneæ. 95.1.d eius efficacia in docendo. 186.2.a

Beatus dictus quaſi bene auctus. 117.1.a

Beati in cælo ſunt reges totius orbis. 121.2.b non ſunt in globum transformandi. 286.2.c eorum quanta futura ſit charitas. 331.1.c eorum gloria & gaudium per eſcam & potum corporalem deſignatur. 486.1.d eorum ira propriè zelus eſt. 583.

583.2.a apparent ea ſpecie & forma qua volunt. 560.2.c poſt reſurrectionem in cælo erunt ſimiles angelis. 416.1.b.c item Deo. ibid.d
Beatitudo huius vitæ in Euangelio inuenitur. 6.1.c beatitudo viæ conſiſtit in fide & amore Chriſti. 315.2.c vera in quo ſita ſit. 116.2.c eſt dos Dei. ibid.d cur beatitudo cæleſtis dicatur regnum. 121.2.b cur terra. 122.2.a.c conuiuij lucidiſſimi nomine indicatur. 193.2.a.c Beatos abſorbet. 334.2.c
Beatitudines octo, ſunt quaſi octo paradoxa mundi. 117.1.b in earum ſingulis intelligitur vox, ſpiritu. 118.1.b cur duabus primæ & vltimæ, regnum cælorum promittatur. 128.1.a ipſum tamen omnibus præmium eſt, ſed alio & alio nomine & titulo. ibid.b.c earum octo ſcalæ. ibid.d ſunt eæ omnes inter ſe connexæ. 2.a earum inter ſe ordo. ibid.b.c omnibus iuſtis conueniunt ſuo quodam modo & gradu. ibid.d
Ven. Beda Euangelio S. Ioannis immortuus eſt. 8.1.a
Beelzebub erat idolum Accaronitarum, vnde ita dictum. 233.2.a
Belli Iudaici hiſtoria. 437.2.d
S. Benedictus totum mundum vidit in globo. 106.1.c
Benedixit Chriſtus in panum miraculo primò Deum, deinde panes. 294.2.d cur in inſtitutione Euchariſtiæ panem benedixerit. 480.1.c benedictio hæc non fuit conſecratio, ſed præuia oratio. ibid.d
Benefacere iniurianti difficilius eſt quàm ab eo acceptam iniuriam ferre. 148.2.a.c.d benefacere poſſe & nolle eſt malefacere. 250.1.c proximo benefacere negligens, ei nocet. 583.1.b
Beneficentia oſtendebat Chriſtũ eſſe Meſſiam. 242.1.d
Beneficia Eccleſiæ non cognatis, ſed dignis dãda. 387.1.d
Berenice, vide Veronica.
S. Bernardo familiare erat ſedere. 116.2.b paralyticum cruce ſignatum ſanitati reſtituit. 206.2.c
Bethabara quis locus in Iordane. 86.1.d
duæ fuere ciuitates dictæ Bethleem. 59.1.a Bethleem alio nomine dicta eſt Ephrata. 66.1.b cur ibi natus ſit Chriſtus. ibid.c eius celebritas. 2.a.b in ea fuit vnum tantùm diuerſorium. 67.1.d
Bethleemitæ ob inhumanitatem in Deiparam prægnantem oſtenſam puniti ſtrage puerorum. 73.2.c
Bethphage quis locus & vnde vox deriuata. 395.1.b.c
Bethſabee poſtea Dauidis fuit vxor. 45.1.d & claruit ſpiritu prophetico. 2.d eius pro Adonia petitio à Salomone filio, quomodo adornata fuerit. 386.2.b
Bethſaidæ vrbis deſcriptio, etymon, quid in ea Chriſtus fecerit. 249.2.b.c modò ſummè deſerta eſt. ibid.d quid ei interminetur Chriſtus. 250.1.a.c
Biſarion ex Euangelio didicit ſe denudare & pauperes veſtire. 5.1.a
Blaſphemia in Spiritum ſanctum quæ ſit. 263.2.c.d & ſeqq. vix remittitur. 264.2.b blaſphemiam Iudæi mirè exhorrebant. 506.2.b
Blaſphemus lapidabatur apud Iudæos. ibid.c
Bombyces frixi olim cibus Germanorum erant. 81.2.d
Boanerges, id eſt filij tonitrui, dicti duo filij Zebedæi: quid ea vox ſit, & vnde formetur. 584.1.d.2.a.b
S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus Euangeliorum codicem vbique ſecum circumferebat, & hoc enſe diſſecto nulla tamen eius littera læſa fuit. 8.1.c
Bonum idem eſt quod perfectum. 368.2.a bonum omne eſt in Deo. ibid. & ſeqq. quæ ſint vera bona. 117.1.a bona Dei alia ſunt externa, alia interna. 451.2.d bona naturæ & fortunæ, ſunt indifferentia. 165.2.d non eſt neceſſe hæc à Deo petere, quia vltrò nobis adijcientur, ſi primùm regnum Dei quæramus. 166.1.a.173.1.d
Booz tantùm fuit vnus, non plures. 45.2.c
Brachiorum extenſio eſt menſura ſtaturæ cuiuſq; hominis. 171.2.a
Breuiarium vnde dictum ſit. 156.1.a

S. CÆcilia Euangelium ſemper circumferens, quid ex eius lectione ſit aſſecuta. 7.1.c vnà cum ſponſo Valeriano caſtitatem ſeruauit. 53.2.a
Cæcitas dolor eſt aſſiduus. 393.1.c cæcitas ſpiritualis eſt error in fide vel moribus. 215.2.a.392.1.d 393.2.a.b ea eſt pœna præcedentium peccatorum. 276.2.a.d. & ſeqq.
Cæci oculis, vident mente. 214.2.b cæcos duos an vnum, Chriſtus veniens è Iericho curarit. 392.1.a & an is idem cum eo, quem Lucas ab eo Iericho ingrediente curatum ait. ibid.b horum cæcorum allegoria & tropologia. ibid.c.d eorum importunus clamor. 2.b.c ſex cæcos curauit Chriſtus. 393.2.b
Cæleſtia ſectanda & ambienda ſunt. 404.2.d cæleſtis gloria promiſſa miſericordibus eſt. 125.1.c eius intuitu omnia acerba generosè ſubeunda ſunt. 327.1.a.2.a
Cælibatus eſt homini poſſibilis. 365.1.b.2.d item facilis. 2.a conſulitur, non præcipitur. 266.1.c d.2.a
Cælicolæ dicti ſunt Chriſtiani ad Iudæos deficientes. 404.2.c
Cæli etymon: ipſum vt Deum multæ gentes coluerunt. ibid.c.d cæli empyrei altitudo. 246.2.a cælum & terra quomodo tranſibunt. 447.2.d cælum & terra myſtica quid ſint. 161.2.d. & ſeqq. nomine cæli & terræ ſignificantur omnes creaturæ, ideoq; omnes homines & angeli. 251.1.d cælum hæreditant mites ob toleratas iniurias. 122.2.a.c ipſum terra viuentium eſt. ibid.a in eo terra ſubtilis, lucida & cæleſtis eſt. ibid. eius amœnitas. ibid.b in eo non iuratur. 143.2.c nec per id eſt iurandum. 144.2.a quare in cælo Deum eſſe in oratione dicamus. 158.2.b quomodo vim patiatur. 245.2.c.d.246.1.a cælum centuplo meliora habet, quàm terra. 377.2.a ibi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi. 377.2.d.378.2.a.b cælum quot habeat bona. 463.2.c eſt id creatum propter Beatos, & ab æterno eis paratum. ibid. via in ipſum per Chriſti mortem nobis aperta fuit. 547.1.b eius porta eſt arcta, & quæ ſit illa. 178.2.d. & ſeqq.
Cæli in fine mundi è ſuis polis & cardinibus conuellentur. 445.1.b viſi ſunt aperiri poſt baptiſmum Chriſti à Ioanne. 93.2.d cur & quomodo. 94.1.a.b
Cæſaris etymon quod ſit. 413.2.b
Cæſarea Philippi eſt eadem cum Dan & Paneas. 212.2.d Cæſarea Philippi, & Cæſarea Paleſtinæ, diuerſæ ſunt vrbes, & vnde ſic dictæ. 313.2.c.d
Caiani hæretici laudarũt fratricidium Caini. 430.1.c
Cain fuit ſymbolicus Iudæorum pater, ſuos fratres Chriſtum & Prophetas occidentium. 430.1.a idem eorum fuit auus. ibid.b item typus. ibid.c
Caiphas verè non prophetauit, dicens expedire vt homo vnus moreretur, etſi Spiritus ſanctus id per os eius inſinuarit. 183.2.b ad eius domum primùm ductus videtur Chriſtus, quòd in ea conueniſſent Scribæ. 503.1.c.d cur auditis falſis teſtibus, ſurgeret. 505.1.c adiurat Chriſtum, vt dicat an ipſe ſit Dei filius. 2.a.b cur & quomodo veſtes ſuas ſciderit,



derit, aliàs id ei erat illicitum. 506.1.d blaſphemiæ crimen Chriſto impingit. 2.b non iudicem agit, ſed accuſatorem. ibid. manè conuocat concilium ad Chriſtum damnandum. 507.1.c.514.1.a
Calamus idem eſt quod arundo, & culmus herba. 543.2.d & hic fuiſſe videtur, quo Chriſto porrectum in cruce acetum. 544.1.a
cur Calceamenta prohibita Apoſtolis. 225.1.c.d eorum tropologia. 2.d
Calceus, quem Ioannes ſoluere ſe indignum reputat, denotat humanitatem Chriſti. 88.2.a
Calecutij rex an fuerit vnus è tribus Magis. 60.1.b
Calix aquæ frigidæ remunerationem meretur. 239.2.d vt calix paſſionis tranſiret à Chriſto abſolutè erat poſſibile, ſed impoſſibile poſito Dei decreto de redimendo homine per mortem Chriſti. 492.2.d quis ſit iſte calix. 493.1.a.b calicis conſecratio facta eſt immediatè à Chriſto poſt conſecrationem panis. 482.1.d.2.a ex eo primò bibit Chriſtus, dein vicino porrexit. 2.c circa conſecrationis eius formam quædam notanda. 483.1.b.c. & ſeqq. calix ſignificat cuiuſque hominis ſortem, ſiue bonam, ſiue malam, ei à Domino decretam. 388.1.b.c
Caluaria eſt cranium hominis carne nudum. 531.1.c Caluariæ mons vnde ita dictus ſit. 531.1.d videtur quaſi idem cum monte Moria. 2.d is terræ motu fuit diſciſſus moriente Chriſto. 547.2.d
Caluiniſtæ cenſent Eliam, quem in fine ſæculi venturum prædixit Malachias, eſſe Ioan. Baptiſtam. 337.2.b peccantes ſuos publicè in Eccleſia infamantes, grauiter contra charitatem peccant. 354.1.a menſæ benedicentes pileo os contegunt, quaſi ſecreto orantes. 157.1.d
Caluinus miraculum facere volens, è viuo fecit mortuum. 183.2.a eius impia dogmata. 180.2.d & quæ ex ijs ſecuta ſint mala. 181.1.a eius error de opibus retinendis, non abdicandis. 370.2.c dixit ſe eſſe lapidem reprobatum factum in caput anguli, in quo ſe Chriſto æquiparat. 407.2.b eius argumenta negantis veritatem corporis Chriſti diſſoluuntur. 479.2.d eius effugium negantis Chriſtum clauſo ſepulchro reſurrexiſſe. 559.1.d eius blaſphemia de Chriſti reſponſo. 368.2.c item in eum agonizantem. 492.1.b.493.1.a ait eum in cruce deſperaſſe. 542.1.d eſt in D. Petrum iniurius. 297.2.b.c eius in eum pœnitentem ſtomma. 512.1.c eſt iniurius in mulierem hæmorrhoiſſam. 589.2.b.c.590.1.c cum Iuda Magdalenæ factum improbat. 472.1.d
Calumnias æquo animo ferre, docet nos Chriſtus. 507.1.a
Camelus per foramen acus quomodo tranſeat. 372.2.a.b quid hoc myſticè denotet. ibid.d quid allegoricè. 373.1.a quid ſymbolicè. ibid.b camelum glutire, & culicem colare, quid ſit. 427.1.b
Campus ſanctus Romæ eſt terra aduecta ex agro Ieruſalem in ſepulturam peregrinorum comparato: eius mira potentia. 517.2.d
Cancri marini non fuit cibus Ioannis Bapt. in deſerto. 81.2.b
Candor ſæpè ſplendet, & ſplendor candet. 332.1.d candor eſt color perfectiſſimus. 2.a
Canes ſunt ſymbolum obſtinatorum. 176.2.d.177.1.c
Canere hymnos erat vſitatũ olim in Eccleſia. 486.2.c
Canones facem Euangelio intelligendo præferentes. 19.1.c. & ſeqq.
Capacitas intelligendi & capiendi verbum Dei eſt à Deo ſuppliciter petenda. 276.1.c
Capharnaum ciuitas erat Galilææ ſuperioris, cur dicta Gentium. 110.1.a erat emporium totius Iudææ celeberrimum: nominis eius etymon. ibid.b ibi incepit Chriſtus prædicare, multaq; patrauit miracula. ibid.c.d cur vocetur ciuitas Chriſti. 204.1.a quid ei interminetur Chriſtus. 250.2.a.d quàm ea modò deſerta ſit. 251.1.a
Capillus dicitur quaſi capitis pilus. 235.2.a capillos Deus habet in numerato, eoſq; cuſtodit. ibid.b quid tropologicè & allegoricè denotent. ibid.
apud Captioſos ſapienter loquendum eſt. 415.b.d
Captiuitas Babylonica fuit triplex. 46.2.a
Capturæ Chriſti ordo & ſeries. 501.2.c.d
cur per Caput ſuum nefas eſt iurare. 144.2.d caput nudare apud Sinas inhoneſtum eſt. 157.1.c caput inclinando mortuus eſt Chriſtus. 545.2.b.c quæ eius inclinationis cauſæ morales. ibid.d. & 546.1.a. & ſeqq.
Caracalla Imp. fratrem Getam à ſe occiſum inter diuos retulit. 66.2.c
Carcer Ioannis Baptiſtæ fuit in arce Macheruntina. 593.1.d
Cardinales cur purpurâ veſtiantur. 528.1.b
Carnales tentationes ſunt velut flumina ingruentia. 185.2.b carnales voluptates ieiunio & oratione ſuperantur. 340.2.c.d eæ ſunt veluti fluxus ſanguinis. 590.1.a
Carnibus ante diluuium homines non veſcebantur. 296.1.a eas non prohibet Eccleſia die ieiunij quia malæ ſunt, ſed ad refrænandam gulam, & exercendam mortificationem. 303.2.d caro & carnalis affectus infirma ſunt ad reſiſtendum perſecutioni. 494.2.d caro mortificanda auſteritatibus. 527.2.c quomodo caro non reuelarit S. Petro Chriſtum eſſe Dei Filium. 316.1.b cur caro Chriſti in Euchariſtia vocetur panis. 24.2.d
S. Carolus Borromæus in cinere & cilicio eſt mortuus. 81.1.c eius labor aſſiduus in diuino obſequio 309.1.b
Carolus Magnus ſub obitum dedit ſe ſtudio ſacrarum Litterarum. 8.1.b
Carolus Martellus vnde dictus ſit. 571.2.c eius arrogans reſponſum offerentibus ei regnum Franciæ. 387.1.a
Carolus V. Imp. è triplici P. de ſtatu reip. vel vrbis coniciebat. 130.2.c
Carpocratiani Euangelium S. Matthæi deprauarunt. 9.2.d
Caſtellum eſt minus opido, & ſubinde etiam vicus & pagus. 216.1.b
Caſtitas myrrhâ denotatur. 68.2.d nos angelis aſſimilat. 416.2.a eſt homini poſſibilis. 365.1.b eſt magna virtus. 366.1.b
Catena aurea è cælo demiſſa orationis eſt ſymbolum. 161.2.c
S. Catharina Senenſis diu ſine omni vixit cibo. 103.1.b pauperi quidquid habebat donans, amplam à Deo ecepit mercedem. 155.2.d voluntati diuinæ ſe in omnibus conformabat. 162.1.d ſpineam coronam elegit præ aurea. 527.2.d
Cathedra S. Iacobi à Chriſtianis Hieroſolymis Pellam eſt tranſlata ante vrbis excidium. 437.2.b cathedra Moyſis eſt auctoritas docendi & iubendi. 422.1.b
Catomari quid ſit. 523.2.c.d
Cedendum omnibus. 92.1.b
Cenſus Iudæis indictus à Romanis, erat didrachma: quæ illius cauſa & origo. 341.2.a.b
quod

quod Centuplum promittatur aliquid propter Chriſtum relinquentibus. 376.1.b. & ſeqq.

Centurio, cuius puerum Chriſtus ſanauit, quis fuerit: an fuerit Hiſpanus cognomento C.Cornelius. 190.1.a primo per Iudæos & amicos Chriſtum compellauit, tandem ipſe eum adijt. ibid.b difficultas occurrens in eius petitione & ſeniorum ab eo miſſorum, enodatur. 2.a.& ſeqq. Chriſtum credidit eſſe Deum, ideoque ſe coram eo humiliter geſſit. 191.1.a.b.d eius heroicæ virtutes. ibid.d.2.b quomodo eius fides maior omnium fuiſſe à Chriſto dicatur. 192.1.a.b eius domum non videtur Chriſtus ingreſſus, ſed in loco vbi ei centurio occurrit, ſeruum curaſſe. 194.1.c.d centurio qui Chriſtum mortuum confeſſus eſt eſſe Filium Dei, quis fuerit. 549.2.a.b quid de eo confeſſus ſit, & qua occaſione. ibid.c.d

Cephas eſt petra, vel petrus: ſic dictus Simon. 112.1.d 219.2.a

in Cerebro maximè viget ſenſus tactus. 527.1.d.2.c

Cerei accenduntur in templis ad recitationem Euangelij. 2.1.b

Ceremoniæ veteris legis finem in Chriſto acceperunt, & hoc denotat veli templi ſciſſio. 547.1.a

Certantibus datur brauium, non otioſis. 389.1.c.d.2.b.c

Ceruical myſticum hominis in afflictione quid. 201.1.b

an è Chaldæa venerint Magi Chriſtum adorantes. 60.1.a.b

Camæleon non viuit ex aëre, ſed ex rore & muſcis in aëre volantibus. 84.1.a

Chananæa mulier quomodo Chriſtum ad filiæ ſuæ energumenæ miſerendum excitauit. 306.2.b.c vnde nouerit eum eſſe Meſſiam. ibid.b tam in via, quàm in domo Chriſto ſupplicauit. 307.1.a ab eo ſemel repreſſa fortiùs inſtitit. ibid.b.c comparat ſe cani. 2.a & Chriſtum ſuâ ipſius ſententiâ ſtringit. ibid.b docet illa nos orare. ibid.c magna eius fides à Chriſto celebratur. 308.1.b

Chananæi non fuere vmquam penitus ab Hebræis exciſi. 306.1.c

Charitas auro denotatur. 68.2.a.b optat pro Deo dura pati. 146.2.a eſt monile Chriſti & pretioſa margarita. 287.1.d.2.a eſt regina virtutum. 418.2.a eſt flamma animarum, eius oleum ſunt bona opera. 455.2.a.456.2.b.c eius gradus quomodo adaugendi ſint. 459.2.b ei reſpondet gloria. 239.1.b iubet diligi amicos & inimicos. 150.1.d.2.c ea in correptione peccantis requiritur. 352.1.c

Cherubini Ezechielis denotant quatuor Euangeliſtas. 10.1.d.& ſeqq.

chet Hebraicum latinè non ſemper vertitur per ch. 110.1.c

Chiliaſtæ mille annos voluptatis confingunt fore poſt reſurrectionem. 376.1.b

in China olim prædicatum fuiſſe Euangelium probabile eſt. 437.1.d

Chlamys fuit olim veſtis regia. 526.2.d quam chlamydem coccineam Chriſtus fuerit indutus, fuit eadem quæ purpurea, ibid.c quid ſymbolicè & anagogicè denotet. ibid.b.527.1.a.528.1.a.b.d

Chriſtianiſmus non aduerſatur regimini politico. 342.2.a

Chriſtianus Druthmarus quando floruerit. 561.2.b

Chriſtianus æmulari debet diuina attributa. 152.1.b ei fas eſt iurare. 143.1.b.d.2.a.d.144.1.b agonizet pro cælo. 179.1.c.d ei datum, ſibi datum Chriſtus reputat. 239.2.d Chriſtianus minimus in Eccleſia, dignior & ſublimior eſt Ioan. Baptiſta. 245.2.b Chriſtianus philoſophus aduerſis ſolidatur. 184.2.d

Chriſtiani ſunt velut piſces. 112.2.b eorum virtus langueſcit in pace, creſcit in perſecutionibus. 127.2.c.d tendere debent ad perfectionem ſui ſtatus & officij. 150.2.d.& ſeqq. ſunt in hac terra velut peregrini. 552.2.d finito chriſtianiſmo beabuntur. 447 2.d orant genuflexi. 156.2.a.b & ad Orientem conuerſi, quia Chriſtus crucifixus faciem conuerſam habuit ad Occidentem. 536.1.d Chriſtiani omnium gentium in duodecim Iſraelis tribus diſtributi ſunt. 375.2.a Chriſtiani in Tartaria precibus ſuis montem tranſtulerunt. 340.1.a Chriſtiani Hieroſolymitani inſtans vrbis excidium metuentes, in Pellam vrbem ſe contulere. 437.2.b Chriſtianorum priſcorum ieiunium. 109.1.c.d 210.2.c vſque ad veſperam ieiunabant. 193.1.b fuere pauperes. 120.1.b caruere calceis ſed vtebantur pallio. 225.2.b.c poſt Euchariſtiam ſumptam hymnos canebant. 486.2.c oſculo ſancto ſe inuicem ſalutabant 497.1.b cur coronas ferre recuſarent. 527.2.c poſt mediam noctem in die Paſchæ ſoluebant ieiunium, & lætitiæ ſigna dabant. 557.1.c

S.Chriſtina Martyr à proprio patre interfecta eſt, 231.2.a

S.Chriſtina Mirabilis in voluntate Dei mirabiliter conquieuit. 161.1.c

Chriſtus eſt nomen officij Ieſu. 39.2.a

CHRISTI IESV incarnatio, natiuitas, infantia, fuga, nomen.

Aduentus Chriſti exſpectabatur deficiente ſceptro in domo Iuda. 51.1.b.c cur ex Virgine deſponſata natus ſit. 53.1.b.c ex vi conceptionis fuit ſanctus. 54.2.c quo anno Herodis Magni natus. 59.1.c eſt dupliciter natus rex Iudæorum. 61.1.c naſcens non fuit colligatus ſtellis, nec ſub earum fato. 62,2.b naſcens in Bethleem docuit nos humilitatem. 66.1.c an è ſtabulo poſt diſceſſum turbæ, in domum aliquam honeſtam tranſlatus ſit, dum à Magis eſt inuentus. 67.1.b non videtur id veriſimile. ibid. eum natum Magi adorarunt vt Deum latriâ. 2.c quando & quare fugerit in Ægyptum. 69.2.a.b quid illo eam ingrediente contigerit. ibid.d traxit ſecum balſamum in Ægyptū, dum eò fugeret. 70.1.c quando inde redierit. 2.c necem euaſit fugiendo in Ægyptum & eius nomen & gloria ſenſim creuit. ibid.c.73.2.d eius in ſtrage paruulorum dolor & gaudium. 74.1.a quando ex Ægypto redierit. 75.1.d cur dictus Nazaræus, id eſt ſanctus. 76.1.d.2.a. & ſeqq.77.1.b.c cur dictus Nazarenus, id eſt floridus. 77.1.c.d

Eius baptiſmus, ieiunium, tentatio.

Chriſtus quo anno cœperit prædicare. 79.1.a.b cur tam diu obſcurus delituerit. ibid.b in quo fuerit Ioanne Baptiſtâ fortior. 88.1.c.d venit ad Ioannem vt ab eo baptizaretur. 90.1.b venit in Iudæam. ibid.c cur à Ioanne baptizari voluerit. ibid.& ſeqq. quomodo ſit à Ioanne agnitus. 2.d.& ſeqq. non ſuſcepit baptiſmum à ſe inſtitutum. 91.1.b fuit à Ioanne baptizatus. ibid.d idq; die VI. Ianuarij. 93.1.b quotidie magis & magis ſe humiliabat. 92.2.b toto corpore fuit nudatus & ablutus in baptiſmo. 93.2.a baptizatus, ſæpiùs



ſæpiùs poſtea Ioannem adijt. ibid.b columba capiti ipſius inſedit dum baptizatur. 95.2.a.b Deo Patri in ipſo complacet. 96.1.b.c baptizatus baptiſmi Sacramentum inſtituit. 2.a cœpit ieiunium VI. die ianuarij. 98.1.a actus eſt à ſpiritu in deſertum. ibid.a.b.& ſeqq. cur fuerit tentatus. 2.b.c diabolum & omnes eius potentias debellauit. 2.d plures quàm tres tentationes diaboli paſſus eſt. 99.1.b.577.1.c egit inter feras ibi innoxius. 577.1.c quadraginta diebus & noctibus ſine omni prorſus cibo & potu ieiunauit. 99.2.a.b idq; virtute ſupernaturali. 100.2.b.c.101.1.d cur poſtea eſurierit. 101.2.a quando eius tentatio contigerit. 102.1.a eius manſuetudo erga dæmonem tentantem. 103.1.c.d fuit ſecundo tentatus ad vanam gloriam. 2.a quomodo à diabolo aſſumptus. ibid.b.c illuſit eum. ibid.d fuit tentatus per omnia genera tentationum. 108.1.a ſatanam à ſe repulit. ibid.b quomodo è monte, in quem hîc eum tranſtulerat, in ſuum redierit locum. 2.c

Eius prædicatio, geſta, miracula, vita, transfiguratio.

Chriſtus Ioanne incarcerato publicè prædicare cœpit. 109.1.d è Iudæa ſucceſſit in Galilæam, fugiens Herodem. 2.a.b fuit hic ſecundus eius in Galilæam tranſitus. ibid.c cur in Nazareth non inceperit prædicationem. ibid.d quæ & qualis fuerit eius prædicatio. 110.2.b.c cur in Capharnao prædicationem ſuam orſus ſit. 1.c quæ eius rei myſticæ ſignificatio. 111.1.a quomodo Apoſtolos vocarit. 2.c.d.112.1.a.b.& ſeqq.113.1.a.2.a. quo fine miracula patraret. 113.2.b.c eius indefeſſum prædicandi ſtudium. ibid.c in ſuis miraculis initio fidem non requiſiuit. 114.1.b cur in monte docuerit turbas ſequentes. 115.1.a cur montem frequentarit: 116.1.b docuit facto ſuo paupertatem. 120.1.b corrigit legem repudij. 142.1.c cur iurare vetet, cum ſubinde id ſit licitum. 143.1.c.d legem talionis reſtringit. 145.2.b.c eius doctrina quàm præſtans. 185.2.c modus docendi eius. ibid.d.& ſeqq. an in loco campeſtri longum illum ſermonem habuerit. 187.1.a vbi leproſum & quando ſanarit. 2.a ſanat eum tangendo. 188.1.c.d plus ei tribuit, quàm peteret. 2.c ſanauit eum vi ſuâ diuinâ confeſtim. ibid.c.d puerum centurionis ſanat. 189.2.d plura offert ei quàm fuerat rogatus. 190.2.d curat eum non in domo, ſed in via. 194.1.d ſocrum Petri febricitantem curat & quomodo. 196.1.a.b ægros omnes tactu ſanat. ibid.c & quare eam poteſtatem haberet. 2.b cur transfretaret ſtagnum Geneſareth. ibid. Scribam auarum perſtringit. ibid.d cur vetuit diſcipulum volentem ſequi ſe, ſepelire patrem ſuū. 199.2.a.b excitauit tempeſtatem, cùm ipſe naui veheretur. 200.1.d.2.a & ipſe dormiebat, cur. 201.1.a.b tempeſtatem ſedat verbo, vt Deus. 2.b.202.1.a eius ciuitas vocatur Capharnaum. 204.1.a quos corporaliter ſanauit, etiam ſpiritualiter ſanauit. 205.1.b potenter vocauit ad ſe Matthæum. 208.1.c.d cur cum peccatoribus ſe agere & conuerſari diceret. 209.1.b.c vocatum venit peccatores, attamen etiam aliquos iuſtos. 2.a filiam Archiſynagogi ſuſcitat à morte. 212.1.d 213.1.d.2.b cur eam reſuſcitationem euulgari vetuerit. 213.2.c tres mortuos ad vitam reuocauit. 214.1.b cur cæcis duobus in via viſum non reſtituerit, ſed domi ſuæ Capharnai. 2.c cur miracula ſua taceri voluerit. 245.1.a.b curauit dæmoniacum mutum ad preces eum efferentium, ex mera benignitate. 2.a etiam in pagis docuit & benefecit. 216.1.b poſt ſe miſit Apoſtolos in meſſem. 2.b.c habuit in ſuo comitatu mulieres à quibus alebatur. 224.1.c Apoſtolos miſſos ad prædicādum præmonuit de inſtante perſecutione. 228.2.b.c idq; ſecundò. 231.2.b è miraculis cognitus eſt eſſe Meſſias. 242.1.c cur laudarit Ioannem poſt abitum diſcipulorum eius. 243.1.a cur vitam egerit communem, non auſteram. 248.2.b Apoſtolis duarum SS. Trinitatis perſonarum cognitionem reuelauit, tertiæ fidem nonniſi cùm iam iret ad mortem. 252.2.b liberè veritatem prædicauit. 258.2.d cur miracula ſua taceri iuſſerit. 260.1.c oſtendit ſe dæmones non pellere ope dæmonis. 261.1.d.2.b.c. 262.1.a.b.c.2.a.263.1.b.c argumentum eius cornutum in Scribas. 265.1.b iudicatus eſt à ſuis inſanus. 272.1.c eius facta fuere velut parabolæ. 276.1.d cur dicatur granum ſinapis. 282.1.d.& ſeqq. cur fermentum. 284.2.a cur margarita. 287.2.b.c item gemma gemmarum. ibid.d videtur cum patre ſuo Ioſeph artem fabrilem exercuiſſe vſque ad annum quo cœpit docere. 289.1.c an vixerit vſque ad annum trigeſimum abſtractus inſtar religioſi. ibid.d eius humilitas. 291.1.a cur in Nazareth non fecerit miracula. 2.c cur poſt mortem Baptiſtæ in deſertum conceſſerit. 293.1.c quomodo panes quinque in deſerto multiplicarit. 294.2.b.c.295.1.a.296.1.a.b cur ibi non dederit vinum. 295.2.d.309.2.c cur transfretarit poſt hoc miraculum. 296.1.c.d cur in ſolitudine orarit ibid.d quare diſcipulos permiſerit tempeſtate iactari. 297.1.a quomodo ſuper mare ambularit, & diſcipulos timore percelli permiſerit. ibid.c.d ſua voce eos recreauit. 2.a cur Petrum diffidentem ob vim ventorum mergi permiſerit. 298.1.d quatuor in hac nauigatione trans fretum contigerunt miracula. 299.1.c eius tactus omnes morbidos ſanabat. 300.1.b cur adierit ſubinde Gentiles, neglectis Iudæis. 306.1.b cur in monte ſederit. 308.2.a.d. cur deinde in ſeptem panibus miraculum fecerit. 309.2.a eos benedixit, orans Deum. ibid.c.d habetur à Phariſæis pro mago, hinc petunt ab eo ſignum de cælo. 311.1.a.b cur putatus fuiſſe Ioannes Bapt. aut Elias, aut aliquis è priſcis Prophetis. 314.1.c.2.a cur Apoſtolos vetuerit cuiquam reuelare, quòd ipſe eſſet Meſſias. 321.2.b cur eos de morte ſua præmonuerit. 322.1.a transfigurationem ſuam ijs prædixit. 326.2.d cur eam ad ſex dies diſtulerit. 328.1.a.b cur Apoſtolos eam ſilere iubeat. 337.1.a.b lunaticum quomodo curarit. 338.2.d.& ſeqq. ſuam paſſionem prædicit. 341.1.a cur dæmonem in dæmoniaco clamantem tacere iuſſerit. 2.a.b ſenſim aperiri voluit ſe Meſſiam eſſe. ibid.c cur permiſerit dæmonem, antequam exiret, energumenum contorquere & vexare. 579.1.a ſolo iuſſu dæmones pellit. ibid.c cur petat ab hæmorrhoiſſa, quis veſtimenta eius tetigerit. 590.1.b cur cæcum curaturus, eum extra turbam duxerit. 599.1.c cur ſenſim eum curarit. 600 2.b non ſinebat, vt quis onuſtus vaſe vel ſarcina extimum atrium templi tranſiret. 608.1.a.2.a

Eius triumphus, paſſio, tormenta,
crucifixio, mors.

*Chriſtus in paſſione fuit rex & dominus tormentorum
& dolorum.* 146.1.d.2.a.b *tria in ea notanda
ſunt.* 496.1.b *cur in ea leproſi formam
aſſumpſerit.* 189.2.c *voluit pati omne genus
tormentorum, & ab omni hominum genere.* 221.
1.c *ipſe diuerſimodè exagitatus à Phariſæis, exemplo
eſt ſuis ſectatoribus, vt in perſecutione non deficiant.*
233.1.a *vocatus fuit à Iudæis Beelzebub.*
ibid.b.2.c *ipſe eſt dux Martyrum.* 236.2.c
*Patri potiùs ſuo voluit obſequi quàm matri.* 272.
2.a *in cruce velut triumphum egit.* 385.1.c
*quibus traditus fuerit.* ibid. *cur Apoſtolis ſuam
mortem prædixerit.* ibid.d.386.1.b
*cur paſſio eius vocetur calix.* 388.1.a.b *cur baptiſmus.*
2.a *eſt mortuus pro omnibus.* 391.2.a
*cur ex Bethphage eum triumpho per portam auream
in Ieruſalem & templum deduci voluerit.*
395.2.a.400.2.c *cur tranſire vallem Ioſaphat.*
ibid. *inſedit tam pullo quàm aſinæ viciſſim.*
397.1.a *cur cum pompa in vrbem ingredi
voluerit.* ibid.b.c.& ſeqq. *fauſtis acclamationibus
turbæ excipitur.* 2.d.398.1.d.399.1.a.b.
400.1.a.b *agnoſcit hæc eum pro Meſſia.* 398
2.b.399.1.b.c.d.2.a *regnum ſuum adijt in
cruce.* 399.2.c *effecit vt nemo Iudæorum &
Romanorum hoc eius triumpho iritatorum manus
in eum miſerit.* 400.1.d *cur vrbem ingreſſus
primò adierit templum.* 2.b.c *vendentes &
ementes ex eo eiecit.* 401.1.b *& quare.* ibid.c
*menſas & cathedras ſubuertit.* ibid.d.2.b *strauit
ſibi viam paulatim ad paſſionem per Scribarum
reprehenſiones.* 408.2.a *ob eum crucifixum
euerſa fuit Ieruſalem.* 439.1.c.d. *paſſionem
ſuam prædixit.* 470.1.a.d *biduo ante eam
egit in Bethania.* 2.a *cur in Paſchate ſit mortuus.*
471.1.a *excuſat & defendit Magdalenam à qua
inunctus erat quòd ad ſepeliendum eum id fecerit.*
472.2.b.c *eſt volens & conſcius mortuus.* ibid.
c.478.1.a.488.2.a.496.1.b.498.1.c. 545.1.
d.2.a.b.c *venditur triginta argenteis.* 474.
1.a *vili pretio venditus meruit fieri pretium
mundi.* 2.c *in agno paſchali ſe velut in cruce
intuebatur.* 477.1.a *cur Iudæ peccatum nollet
diuulgare.* 2.b.c *proditionem ſui Apoſtolis
detexit.* ibid.d *cur Iudam tunc nominarit.*
478.1.a *eius quinque actiones in inſtitutione
Euchariſtiæ.* 479.2.d *quomodo eam dederit.*
480.1.a.c.d.482.1.d.2.b.c *ſuis valedicit
dicendo ſe non ampliùs in hac vita cum eis comeſturum.*
487.1.c.2.a *cur in Montem oliueti
exierit.* 487.1.a *cur ſucceſſerit in villam Gethſemani.*
489.2.b.c *eius triſtitia in horto.* 490.
b.c *ſimul dolebat & gaudebat ſummè de ſua
paſſione.* 2.b *triſtatus eſt vſque ad mortem.*
492.1.c *cur Apoſtolos ſuſtinere iuſſerit.* ibid.d
*fuit in paſſione portentum virtutum.* 2.a *quinque
ob cauſas procidit in terram orans.* ibid.b.c
*cur ad diſcipulos dormientes venerit.* 494.1.d
*eos acerbè non increpat.* 2.a *ſecunda eius oratio
in horto, & tertia.* 495.1.b.c *cur tertiò orarit.*
ibid.d *quo ſenſu dixerit diſcipulis* Dormite
iam 2.b.c *obuiam prodeundo hoſtibus tria notanda
nobis dedit.* 496.1.b *oſculantem Iudam
non reſpuit, ſed amicè reoſculatur.* 497.1.c *&
blandè compellat.* ibid.d.& ſeqq. *quæ miracula
patrarit iam comprehendendus.* 498.1.c.2.d
*aurem Malcho reſtituit.* 2.d.499.1.500.1.a.b
*Petri gladium ſtringentis temeritatem caſtigat.*
500.1.c *cur ſe defendi vetet.* ibid.d.2.c.500.
1.c.2.a *angelorum ope ad ſui defenſionem non
habebat opus.* 500.2.c.d *paſſionem ſuam vt
melleum calicem amplectitur.* 501.2.a *ipſius
capturæ ordo.* ibid.c.d *& atrocitas.* 502.1.c
*ad quem primùm ductus fuerit.* 503.1.b.c. *interrogatur
à Caipha.* 504.1.a *animosè & intrepidè
ei reſpondet.* ibid.b *alapâ illic percutitur.*
ibid.d *quare à teſtibus accuſatus tacuerit.*
505.1.d *adiuratur à Caipha per Deum viuum.*
2.a *eiq́; tum reſpondet clarè.* ibid.c *eius
medios inter iudices magnanimitas.* 506.1.b. *blaſphemare
cenſetur à Caipha.* 2.b *hinc tamquam
blaſphemus à concilio reus mortis iudicatur.* ibid.c
*ob noſtra peccata reus erat.* ibid.d.& ſeqq. *bis
examinatus & rogatus in concilio fuit.* 507.1.c.d
*quomodo à miniſtris & ſenatoribus fuerit illuſus.*
ibid.d *eius facies fuit conſputa.* 2.a *&
barba vellicata.* ibid.b *palmis facies eius cæditur.*
ibid *& illuditur quaſi ſcurra & ludio.* 508.
1.a.b *velata fuit facies eius, duabus de cauſis.*
ibid.c *quid ea velatio myſticè & tropologicè
denotaret.* ibid. *ſua paſſione Deum honorauit,
eiuſq́; iniuriæ ſatisfecit.* 2.b *apicem patientiæ
& reliquarum virtutum expreſſit.* ibid.c *Martyres
ad approbria, tormenta & mortem animauit.*
ibid.d *fuit adamas patientiæ.* 509.1.a *Petrum
negantem reſpexit & ad pœnitentiam adduxit.*
511.2.b.c *vinctus ad Pilatum trahitur, vt ab eo
damnaretur ad mortem.* 515.1.c.d *cur huic traditus
ſit.* 2.b.& ſeqq. *tria crimina ei coram
illo obiecta.* 518.2.c *quid ei de ſuo regno reſponderit.*
519.1.a.b *cur tacuerit accuſatus apud
Pilatum.* 2.c.d *veſte alba ab Herode illuditur.*
520.1.c *cum Barabba componitur & poſtponitur.*
2.d.522.1.c *per Pilati vxorem innocens
declaratur.* 521.1.c.2.a.b *ab eo iubetur flagellari.*
523.2.b.c. *fuit flagellatus antequam ad
mortem damnatus.* ibid.d *idq́; ſemel tantùm,
ſed atrociter ad columnam ligatus.* 524.1.a.2.a.
& ſeqq. *quibus inſtrumentis fuerit flagellatus.*
525.1.a.b *cur tam atrociter voluerit cædi.*
ibid.d *ipſius in ea flagellatione patientia, &
conſtantia.* 2.a.b *paſſus eſt per omnia.* ibid.c.
529.1.b *morti à Pilato adiudicatur.* 526.1.a
*à militibus ſpineâ coronâ coronatur.* ibid.d.527.1.b
*cur.* 527.a.b *chlamydem coccineam induitur per
ludibrium.* 526.2.c.d *arundo ei in manus
datur per contemptum.* 528.1.d *eius regia inſignia
ſimul referuntur.* 2.c *cur caput eius percuſſum
arundine.* 529.1.b *ad populum in hoc
ſchemate producitur.* ibid.c *cur cùm educeretur
ad crucifigendum, ſuis ſit veſtimentis indutus.* 2.a
*quàm longis itineribus fatigatus ſit in die mortis
ſuæ.* ibid.b *quomodo crucem ſuam portarit.* 530.
1.d *quid dixerit ad mulieres ſuper ſe lamentantes.*
2.d *cur in loco infami & ſupplicij voluerit
crucifigi.* 531.2.c *cur extra Ieruſalem.* ibid.d
*vinum felle mixtum ei propinatur ante mortem.*
532.1.a *bis ei potus oblatus in Caluariæ monte.*
ibid.b *cur guſtatum bibere noluerit.* ibid.d
*clauis cruci ſuæ fuit affixus, ſed & funibus ſimul
alligari potuit.* 2.b.c *quot clauis fuerit affixus.*
ibid.d *ſunt ij per volam manus adacti, vel per
carpum brachij, & cur.* 533.1.a.b.c *quem cruciatum
ſenſerit in ea fixione.* ibid.c.d. *maximè
in pectore* ibid.d *crucifixionis huius circumſtantiæ.*
2.a.b *an pependerit nudus.* ibid.b
*an fuerit humi cruci affixus.* ibid.c.d *cur fuerit
crucifixus, variæ dantur cauſæ.* 534.1.a.& ſeqq.
*in cruce pendens luit Adæ peccatum.* ibid.b. *&
ſic cælum terræ reconciliauit.* ibid.d *ſenſit in ea
omnium martyrum tormenta.* 2.b *XXV. die
Martij eſt crucifixus.* 535.2.d *& in meridie, facie
verſa ad Occidentem.* 536.1.b.d.545.2.c.
546.1.a *pro crucifigentibus Patrem rogauit.* 537.
1.b.c *vidit veſtes ſuas ſorte diuidi.* 2.b *fuit in
cruce ſeruatus à militibus.* 538.1.b *medius pependit
inter latrones.* 539.1.a *blaſphematur à
prætereuntibus.* ibid.b.c *maximè à principibus.* 2.a
*ſi rex Iſrael, de cruce deſcendere eum nefas, potiùs in
eam aſcendere.* ibid.c *cur de ea non deſcenderit.*
ibid.d.542.1.c *etiam à latrone crucifixo conuitia
atrocia pertulit.* 540.2.d *in cruce pſalmum
XXI. recitauit & cur.* 542.1.c *quomodo à Patre
fuerit derelictus.* ibid.d.& ſeqq. *datum ei pro
vino acetum.* 453.2.a *ſeptem eius in cruce verba.*
545.1.a *clamauit antequam exſpirauit, idque
magna voce, & qua de cauſa.* ibid.b.& ſeqq.
*emiſit ſpiritum capite inclinato.* 2.b. *idque feria
ſexta, circa horam nonã.* ibid.c *quid eo mortuo contigerit.*
546.2.b.547.1.c.2.c.548.1.d.& ſeqq.

Eius ſepultura, reſurrectio, apparitiones.

*Chriſtus eſt primitiæ reſurgentium.* 548.2.a *mortuus
multorum corda mouit.* 550.1.a *cur in monumẽto
nouo ex petra exciſo ſepultus ſit.* 552.2.b.c
*cur poſitus in alieno ſepulchro.* ibid.d *cur in horto.*
553.1.c *eius anima in limbum deſcendit.* ibid.
558.1.a *quomodo in ſepulchro fuerit tribus diebus,
& tribus noctibus.* 268.2.a.b.& ſeqq.269.1.
b *cur triduo in ſepulchro manſerit.* 269.2.a *reſurrexit
in aurora.* 557.1.b.558.1.b.c *paſſionis
& reſurrectionis eius ſeries.* 2.d.558.1.a.& ſeqq.
*reſurrexit clauſo ſepulchro.* ibid.d.559.1.b.c *reſurrexit
antequam vngeretur cur.* 562.1.b *quare
in Galilæa ſæpiùs ſuis apparuerit.* 2.d *cur ſe mulieribus
rediuiuum exhibuerit.* 563.2.d *quid ijs
dixerit.* 564.1.a.d *cur diſcipulos vocet fratres.* 2.
a *ſexies in Iudæa ipſo die paſchatis apparuit.* ibid.b
*deinde & alijs.* ibid.c *ipſius apparitio in Galilæa.*
566.1.d.2.a *quomodo poſt reſurrectionem cũ ſuis
comederit.* 486.2.a *apparuit eadem forma & figura
quam habuit viuens.* 567.1.a *quomodo
aſcenderit in cælos.* 620.2.a

Eius deitas, dignitas, vita, officia, iudicandi
poteſtas, virtutes, alia.

*Chriſtus etiam Propheta eſt: eſt auctor Euangelij.* 3.2.a
*multa legis decreta reformauit, & ad meliorem virtutis
ac pietatis formam reuocauit.* 5.2.c
*quid in Euangelijs doceat ac præſcribat.* 6.2.a.b
*in terras venit vt nobis eſſet redemptor, doctor, &
vitæ exemplar.* ibid.c *eſt velut angelus cælo delapſus.*
8.2.d *quatuor habet ſtemmata, leonis,
vituli, hominis aquilæ.* 10.2.d.& ſeqq. *eius
geſta & vita per annos ſuccinctè digeruntur.* 13.1.
a.& multis ſeqq. *ſermonem ſuum magis ad mentem
& ſenſa eorum qui ſecum agebant, quàm ad interrogationem
& verba externa accommodabat.*
20.1.c *eſt verus Deus.* 21.2.c *cur vocetur*
filius Dauid. 44.2.c *per Ioſeph ſucceſſit in
regnum Iuda.* 47.1.a.b. *habuit erga eum
ius filiale.* ibid.c *cur verè filius Ioſeph fuerit.*
2.a.& ſeqq. *ſolùm natus eſt ex matre, non genitus
fuit à patre.* 49.1.c *eſt finis totius legis,
& populi & mundi captiui liberator.* 51.1.c
*eſt cum Eccleſia ethicè.* 17.2.a *eſt rex cælorum.*
61.1.d *eſt ſtella ſplendida & matutina.*
64.1.b *eius opera erant perfecta.* 68.2.b
*vocatur fortis.* 88.1.c *eum audire Deus Pater
iubet.* 96.1.c *caruit angelo cuſtode.* 105.1.a.b
*& quare.* 348.1.a *vocatur piſcis.* 112.2.b
*homines reconciliat Deo, eſtq́; princeps pacis.* 127.
1.a *legem non diſſoluit, ſed impleuit.* 132.2.c.d
*vocatur* amen. 133.1.b. *priùs opere præſtitit
quæ alios edocuit.* 134.2.b *perfecit non tantùm
Scribas, ſed & legem.* 135.1.b *præceptum charitatis
ſanxit.* 138.2.a. 146.1.c.145.2.c *fuit rex
Martyrum, & dux patientium.* 146.1.d *pro
inimicis rogauit.* 151.2.a *an in eo fuerit admiratio.*
191.2.c *habuit præter diuinam ſcientiam,
triplicem aliam quà homo.* ibid. *habuit
bona in communi.* 197.2.b *vnde dicatur filius
hominis.* ibid d.& ſeqq *cur ex Adam naſci
voluerit.* 198.1.c *eius immenſa humilitas &
cum hominibus charitas.* ibid.c.d.2.a.b *ſuis eſt
pater.* 199.1.a *eius benignitas in compellendis
ægris.* 204.2.b *eius diuinitas probatur è peccatorum
remiſſione, & humanarum cogitationum
cognitione.* 205.1.c.d, 2.a *in quo fuerit maior*
Prophetis. 2.a.b *poteſtas excellentiæ eius eſt
quadruplex.* 206.1.d *peccata remiſit non
tantùm quà Deus per omnipotentiam, ſed etiam
quà homo auctoritatiuè & meritoriè.* ibid.c
*fulgor faciei eius omnes ad ſe rapiebat.* 208.1.d
*eſt medicus peccatorum.* 209.1.b *eſt velut ſponſus.*
210.1.b *eſt ſalutis & lætitiæ publicæ
totius mundi auctor.* 211.1.a *eius facilitas &
promptitudo ad benefaciendum.* 212.2.c.215.2.a
*cur ſit maior ceteris Prophetis.* 215.2.b.c *eſt
dominus Eccleſiæ tam quà Deus, quàm quà homo.*
216.2.b *nulla ſanxit noua præcepta poſitiua,
niſi fidei, & Sacramentorum.* 223.1.a *pecuniam
non habuit, ſed Iudas pro eo.* 224.1.d *vnicam
tantùm externam tunicam habuit.* 225.1.a
*magis diligendus eſt, quàm filij aut parentes.* 237.
2.b *etſi iunior fuerit Ioanne, eo tamen maior eſt.*
245.1.d *quo ſenſu omnia ei ſint tradita à
Patre.* 252.1.a.b *omnes ad ſe inuitat.* 2.d.
253.1.a *quomodo laborantes reficiat.* 253.
1.b.c *eius iugum clemens eſt & benignum.* 2.c
*eius manſuetudo in ſufferendis Scribis, diſcipulis,
turbis, & iniurijs.* ibid.d *eſt auctor totius legis
Moſaicæ.* 258.2.a.c *paſſim omnibus benefacere
ſtudebat.* 260.1.b.c.d *eius lenitas & manſuetudo.*
2.a.b *aſſumpſit ad tempus dotes corporis
glorioſi.* 297.1.c *non habuit peccatum
originale.* 305.1.c *miſſus eſt ad ſolos Iudæos.*
307.1.a.c *eſt doctor, pontifex, Propheta, &
vt talem eum confeſſus eſt S. Petrus.* 315.1.
a.b.2.a *eius diuinitas probatur.* 1.c *eam
carnis velo texit.* 328.1.d.331.1.a *eius nomen
in Scriptura eſt petra.* 318.1.c *eſt dilectus Dei
Patris filius.* 336.1.b.c *cur ſoluerit didrachmam,
etſi à tributo immunis.* 341.2.c.d.342.1.b.d
*cur pro ſe ſolo & Petro.* 342.2.b.c *eius paupertas.*
ibid.d *pueris delectabatur quòd eſſent ſimplices*

& innocentes. 346.1.b.367.1.b.c meruit angelis gratiam & gloriam. 349.2.d ſi vel vnus homo periiſſet, pro eo redimendo mortem oppeteret. 350.1.b de puſillis errantibus ſingularem habet curam. ibid.c.d.2.c matrimonium ad primæuam ſuam inſtitutionem reuocauit. 363.1.d.2.c vitam actiuam contemplatiuæ iunxit. 371.2.b. in cælo eſt primus, quia in terra nouiſſimus. 378.1.b quomodo ſuum eſſe neget dare ſeſſionem ad dexterã vel ſiniſtram ſuam filijs Zebedæi. 389.1.b.c cur Patri ſuo hoc aſsignet. 2.a ipſius in omnibus actibus humilitas. 391.1.b.d eius liberalis oblatio & liberalitas. 393.1.c curauit ſex cæcos. 2.b.c videt & nouit abſentia. 396.1.a.b eſt rex Iſrael. 399.2.d fuit maximus Prophetarum. 400.2.a non erat ſacerdos Leuiticus. ibid.d zelus eius pro honore Dei. 401.2.c eſurijt vt malediceret ficui. 403.1.c. & ſeqq. cur Iudæorum quæſtioni de ſua poteſtate non reſponderit. 405.1.c eſt prima Eccleſiæ petra. 407.2.a eſt fidelibus perenne pabulum. & gaudium. 410.2.a quid reſponderit Phariſæis de tributo Romanis ſoluendo rogantibus. 414.1.d.2.a eſt verus pater & magiſter. 424.1.c.2.a.b eius pathos & compaſsionis affectus erga Ieruſalem. 431.1.a in quo ſit gallinæ ſimilis. ibid.c. & ſeqq. eius cum fulgure analogiæ. 442.1.b.c comparat ſe aquilæ. ibid.d. & ſeqq. item cadaueri, & corpori rediuiuo. 2.c eius exprobratio ad impios in die iudicij. 446.1.b cur in nubibus cæli venturus ſit, & in gloria & maieſtate magna. 2.a.b quatenus diem & horam conſummationis ſæculi nouerit. 448.2.b.c cur furi comparetur. 450.2.a eſt Eccleſiæ ſponſus. 454.2.a quando venturus ſit ad iudicium, nocte an manè. 456.1.a.b terribilem vultum tunc oſtendet reprobis. 457.2.a. quando peregrè profectus dici poſsit. 458.1.a.b.459.1.d. quando inimicos ſuos interfecerit. 2.a eius iudicantis maieſtas in quo ſita ſit. 462.1.a.b. quomodo reprobis ſua tunc beneficia, quibus abuſi ſunt exprobraturus ſit. 465.2.d. 467.1.a ſummus eius erga ſuos amor in Euchariſtia apparet. 484.2.a fuit ſimul viator & comprehenſor. 490.2.b quomodo à nobis amandus ſit. 493.2. duas habuit voluntates, humanam & diuinam. ibid.d eius clementia erga Iudæos in ſe tam atroces. 495.2.d an vultus eius habuerit aliquid ſidereum. 498.2.a ſedet ad dexteram Dei etiam quà homo. 506.1.a quomodo eum in die iudicij viſuri ſint Iudæi & pontifices, qui eum damnarunt. ibid. cur vocetur ab ancilla oſtiaria Galilæus. 509.2.d eius charitas erga animam peccantem. 511.2.c à primo conceptionis ſuæ inſtanti habuit propriè dominium totius mundi, quoad ius & poteſtatem. 519.1.d eius amor erga genus humanum omnem ſuperabat dolorem. 525.2.b.c quidquid egit & paſſus eſt, pro nobis fuit. 547.2.c quid de eo Pilatus ad Tiberium Imp. ſcripſerit. 566.1.a.b data ei quà homini poteſtas in cælo & in terra, & quando. 567.1.b.c.d ſuis ſemper ſe adfuturum ſpondet. 2.d Eccleſiam ſuam ſemper proteget vſque ad finem mundi. 568.1.a.b.c eſt in anima quaſi rex, paterfamilias, auriga, ratio, anima, ignis & ſol. 2.a.b.c ſemper nobiſcum corporaliter eſt in Ven. Euchariſtia. 1.c.d eſt Sanctus Sanctorum. 578.1.d eſt dominus ſabbati. 581.2.c fuerunt in eo paſsiones, ſed domitæ. 583.1.c quomodo ira in eo ſe exeruerit. 2.a

S. Chryſanthus & Daria lectione Euangelij ad Chriſtũ conuerſi ſunt, & alios conuerterunt. 7.2.d

Cibus omnis quem Deus præſcriberet, alere poſſet. 103.1.a cibus per cor animam non inquinat, vt volebant Iudæi. 305.1.b.2.d cibi triplex digeſtio & egeſtio. 304.2.d quæ eius pars per poros euaneſcat, & in ſeceſſum abeat. ibid.c cibus delicatiſsimus peſsimè poſt egeſtionem fœtet. 305.2.a cibi immundi immunditiem non afflant animæ. 303.2.b.305.2.d

Cilicium erat veſtis S. Ioannis Baptiſtæ. 80.2.d eius vſus erat frequens apud Anachoretas. 81.1.a.b

Cimices ſunt typus hæreticorum, quia viui mordent, mortui fœtent. 131.1.b

Cinctio veſtium docet compoſitos mores, & contra. 81.2.a

Circuli lineis ad centri punctum deductis oſtenditur Chriſti exiſtentia in quolibet hoſtiæ puncto. 372.2.c

Circulari figura oſtenditur veritas corporis Chriſti. 481.2.b

Ciues ſemper inuident ciuibus. 291.1.c ciues Chriſti ſunt Iudæi, qui eum agnoſcere noluerunt, & illo mortuo fidem ipſius prædicari vetuerunt. 459.2.a

Ciuitates Iſrael ab Apoſtolis non conſummandas antequam veniat Filius hominis, quomodo intelligatur. 232.2.a

Clamor de nocte in nuptijs ſponſi denotat clamorem & tubam Archangeli fideles mortuos excitantis. 455.2.d. 456.a.b clamor Chriſti in cruce fuit miraculoſus. 545.1.c cur in ea clamarit. ibid.d & ſeqq.

S. Clara geſtauit per XXVIII. annos cilicium è ſetis porcinis, licet infirma. 81.1.b

Claritatis dotem Chriſtus ſemper habuit, ſed repreſsit, at in transfiguratione reprimere deſiit. 330.2.b.c claritatis ſuæ dotem abſcondit Chriſtus poſt reſurrectionem apud ſuos. 567.1.a

Claudia Procula Pilati vxor. vide Vxor.

Claues regni cælorum Petro ſunt datæ, non Eccleſiæ. 319.1.d & in eo Romanis Pontificibus Petri ſucceſſoribus. 2.a quid per has denotetur. ibid.b.c per eas denotatur ſumma eorum poteſtas. ibid.c.d & quidem in ſpiritualia. 320.1.a quid claues tropologicè denotent. ibid.d

Clauis fuit Chriſtus cruci affixus, & quot. 532.2.c.d clauus vnus deſcribitur. 533.1.a per quam partem manus ij ſint adacti. ibid.b

Clauſula poſt Amen in oratione Dominica videtur additiția. 165.2.d

Cleophas fuit frater S. Ioſephi. 272.1.a.290.2.a alio nomine dictus eſt Alphæus. 290.1.d fuit Martyr. 2 b

Clerici iure humano ſunt immunes ab omni tributo. 342.1.b.c

Clinias maluit damnum graue ſubire, quàm iurare. 143.2.b

Coccineus color & purpureus propè idem eſt. 526.2.c

Cœna triplex Chriſti, agni paſchalis, ciborum communium, & Euchariſtiæ. 479.1.c.d cœnam vocant hæretici perperam Euchariſtiam. 479.2.a





Cœnabant priſci, non prandebant. 192.2.b

Cœnaculum, in quo Chriſtus paſcha edit, fuit planè accommodatum. 614.2.a.b id fuit typus Eccleſiæ. 476.2.c

Cogitationes hominum nouerat Chriſtus. 205.1.d eæ per capillos denotantur. 235.2.b

Cognati etiam cognatos ob fidem perſequuntur. 231.1.d cur cognati Chriſti eum abducere in Nazareth vellent. 272.1.b.c

Cognitio Dei mundis corde præ alijs addicitur. 126.1.d

Cognoſcere, ſignificat copulam coniugalem. 57.2.d

nemo Cogitur à Chriſto ad ſui ſequelam. 323.1.b

Cohors quot eſſet militum. 502.2.a erat decima pars legionis: quæ cohors prætoria diceretur: hæc agebat in Ieruſalem in arce Antonia. 526.2.d.2.a

Colaphus & alapa qui differant. 507.2.d colaphis fuit Chriſtus à miniſtris percuſſus. ibid.d

Collyba & collybiſtæ quid ſint. 401.1.d

Coloni vineæ Eccleſiæ quos denotent. 406.2.b

Columba in Chriſti baptiſmo apparens an vera fuerit. 94.2.a fuit index & ſymbolum Spiritus ſancti. ibid.b columbæ proprietates. ibid.b.d. & ſeqq. auctorauit Epiſcopos & Doctores. 95.1.b eius ſimplicitas. 229.2.c.d earum venditores myſtici qui ſint. 401.2.c

Columba Hebræos per deſertum ducens, fuit figura ſtellæ ducentis Magos. 64.1.a.65.1.c cur columnæ fuerit Chriſtus alligatus, vt flagellaretur. 524.1.a ea deſcribitur. ibid.b.c

Combinatio Apoſtolorũ cur ſit facta à Chriſto. 221.1.d

Cometæ dum in Libra apparent, denotant rebellionem populi. 62.1.c

Commentarius Chryſoſtomi in S. Marcum non eſt eius genuinus partus. 574.2.c vti nec alius S. Hieronymo adſcriptus, huius. ibid.d

Commiſſura panni rudis, & veſtis veteris quo modo intelligatur. 211.1.b.c. & ſeqq.

Commune idem erat quod immundum. 303.1.d 597.1.a

Communicantes qua ſe cogitatione paſcere debeant 485.1.c omnem ſimultatem priùs deponant. 128.2.b

Comparationem duorum exprimunt Hebræi per affirmationem maioris, & negationem minoris. 23.1.b

Comprehenſionis Chriſti ordo & narratio. 497.2.c.d. 501.2.c.d ea atrox fuit. 502.1.c.d

Compunctio affert animi gaudium. 123.2.c

Computus dierum qualis eſſet apud Romanos. 269.1.b

nemo poteſt Conari facere id, quod ſibi putat impoſsibile. 489.1.d

Concilium Baſileenſe Eugenium IV. deponens peccauit. 354.1.c concilium Sanedrin conuocat manè Caiphas, ad Chriſtum damnandum: qui ei interfuerint. 514.2.a.515.1.a.b errauit hoc, in facto & fide 515.1.b Concilia Oecumenica codicem Euangelicum in ſui medio ſtatuebant. 2.1.c totam Eccleſiam repræſentantia, errare non poſſunt. 515.1.b ea, vti & prouincialia, à Spiritu ſancto diriguntur. 356.1.c

Concio Chriſti in monte continet ſummam legis Euangelicæ. 116.1.c.d concionem audientes, non omnes inde capiunt fructum. 276.1.a.b

Concionatores Chriſtiani quales eſſe debeant. 186.2.a ante concionem orent & ſtudeant. 231.1.c ſunt velut galli. 512.1.b docturi alios, priùs in ſecreto vacent orationi, & in ea ſpiritum hauriant, quem dein in auditores effundant. 79.2.a.98.2.c vide Prædicator.

Concordia Deo placet præ ſacrificio. 138.1.d. vnit familias, & munit vrbes. 261.2.a quantum ſit bonum, Deoq; quàm gratum. 355.2.c.356.1.a concordia Euangelica eſt opus è quatuor Euangelijs contextum. 12.2.c

Cõcubitus omnis illicitus cauſa eſt iuſta diuortij. 142.1.d

Concupiſcentia nobis innata domari quidem, ſed exſtirpari non poteſt. 153.2.a per febrim denotatur. 195.1.d.2.b. & ſeqq. eam mortificare quàm difficile ſit. 141.2.d quatenus ab ea liberari petere liceat. 165.2.b.c concupiſcentia carnalis deliberata, eſt peccatum mortale. 140.1.c.d

in Confeſsione falſum dicens in re parua, peccat venialiter 165.1.b confeſsio generoſa Petri quòd Chriſtus ſit Meſsias, & Filius Dei viui. 315.1.a confeſsio Iudæorum & Chriſtianorum quomodo differat. 82.2.b

Confiteri ſumitur ſubinde pro laudare & gratias agegere. 251.1.c confitentes Chriſtum ab illo honorabuntur. 236.1.a

in Conformatione voluntatis noſtræ cum diuina ſanctitas & quies noſtra conſiſtit. 162.1.a.b

Congregatio ad pacificandum diſcordes, eſſet Eccleſiæ vtilis. 126.2.c

Coniuges imitentur coniugium pacificum S. Ioſephi & Deiparæ. 53.2.d ſunt duo in carne vna. 362.1.c ſe mutuo amare debent: habent alter in alterius corpus ius & poteſtatem. ibid.d coniuges multi in coniugio caſtè vixerunt. 53.1.d

Coniugium ſolius hominis eſt à Deo inſtitutum inter vnum maſculum & vnam feminam. 361.2.d

Conſanguinei Chriſti tam Apoſtoli, quàm alij, fuere ſanctitate inſignes. 221.2.b.c

Conſcientia cuique ſua eſt velut gallus aſsiduè cantans. 512.1.d eius mundities magis curanda, quàm diſcorum. 427.2.a.b.d.428.1.a conſcientia pura eſt magna cordis mundities. 125.2.d mala ſemper timet. 293.1.b conſcientiæ omnium in die iudicij patebunt, vt videant tum ſua, tum aliorum peccata. 463.2.a

Conſilium doloſum de capiendo Chriſto. 470.2.c conſilia Euangelica ſimul omnia recẽſentur. 26.1.a item alia quæ ſimul ſunt præcepta. 27.1.c item conſilia ſolis data Apoſtolis. ibid.d ea ſeruantes faciliùs vitam æternam conſequuntur, quàm ſeruantes præcepta. 377.2.c ea non tenemur adimplere, neque ipſe Deus ad ea nos obligat. 160.1.d

Conſtantia omnia aduerſa ſuperat. 436.2.c

Conſtantinus Magnus Imp. miſit codicem Euangeliorum ornatum auro S. Nicolao. 2.1.b. Eccleſiæ negotijs ſe immiſcere noluit. 414.2.d

Conſtitutiones monaſticæ omnes ex Euangelio acceptæ ſunt. 7.1.d

Conſuetudo praua vix admittit verbum Dei, & non ſinit fructum agere. 279.2.b

Conſummari ciuitates ante aduentum Chriſti, quomodo intelligendum. 232.2.a

Contemplantes attentè, diu ſine cibo viuere poſſunt. 101.1.b.c

Contemplatio conſumit ſpiritus animales, hinc eget cibo. ibid.c

Contemplatiuam vitã Chriſtus iunxit actiuæ. 371.2.b

Contentio omnis eſt Chriſtiano cauenda. 148.1.a

Continentiæ donum quomodo ſit in hominis poteſtate. 365.1.b.2.d.366.1.c eſt ingens virtus. 366.1.b

Contubernia quid eſſent in panum miraculo. 294.2.c

Contumelia quando ſit peccatum veniale, quando mortale. 137.2.c.d

Conuerſatio quotidiana deterit de fama. 291.2.a.b
veræ conuerſionis ſignum eſt zelus animarum. 208.2.c
conuerſio animæ quomodo peragatur. 214.1.a
conuerſio peccatoris adumbratur in duobus diſcipulis miſsis ad adducendam aſinam. 396.1.b.c
Conuerſi magis iam gaudent de virtute, quàm priùs de vitio. 377.1.d
Cooperans virtuti, eodem quo operans præmio donabitur, & vice verſa cooperans crimini. 239.1.c
Conuitij grauitas metienda ex affectu conuitiantis, & dignitate perſonæ cui conuitiaris. 137.2.c.d
Conuiuarum numerus ſunt decem. 454.2.c
Conuiuia olim vnguento condiebantur. 471.2.b
conuiuium opiparum ſpirituale in Eccleſia Chriſtus nobis iugiter apponit. 410.1.c
Cephini olim familiares Iudæis, quantæ ſint capacitatis. 296.1.b
Cor vt eſt, ita loquitur lingua. 265.2.a eſt inſcrutabile. 155.1.b.c quo pacto eius puritas paretur. 126.1.b id diligentiſsimè cuſtodiendum eſt. 306.1.a cor Zwinglij combuſti inter cineres repertum Zwingliani magno cultu aſſeruant. 589.1.d cor vſurarij mortui in ſuo theſauro repertum. 168.1.a
Corban, ſiue corbona, idem eſt quod oblatio. 517.1.c quale genus oblationis eſſet. 303.2.c dicere corban, Scribis quid eſſet. ibid.d
Cornelius Ianſenius interpretandi ſoliditate excellit. 12.1.d.2.c
Coronâ ſpineâ Chriſtus coronatur, an ea ex iunco marino? an rhamno fuerit contexta. 527.1.b.c an ea bis ei impoſita? fuit cum ea crucifixus. ibid.c.d hæc ei acerbiſsimum inflixit dolorem, & ſummam ignominiam. ibid.d.2.a cur fuerit ea coronatus. 2.b.c quid moraliter denotet. ibid.c.528.1.a.b cur coronis olim Chriſtiani abſtinerent. 527.2.c
Corozain vrbis deſcriptio, ſitus, celebritas. 249.2.a poſt mortem Chriſti euerſa & deſerta fuit. ibid.b quid ei exprobret Chriſtus. ibid. & 250.1.a.c.d
Corporalibus rebus ſpirituales exponunt Chriſtus, Apoſtoli, & Prophetæ. 21.2.c
Corporale in Miſſa repræſentat ſindonem mundam cui corpus Chriſti fuit inuolutum. 552.1.d
Corpus Chriſti primo conceptionis inſtanti fuit perfectũ, animatum anima rationali. 56.1.b id totum in transfiguratione reſplenduit. 330.1.d non ſemper habuit ſplendorem cæleſtem, quem viſus humani imbecillitas videre non potuerit. 2.d id verè eſt in Euchariſtia. 480.2.a.b idq́; demonſtratur theologicè, phyſicè & mathematicè. ibid.& ſeqq. id ibi à nobis in ſe non diuiditur, nec alteratur, nec concoquitur. 305.2.a corpora damnatorum in igne manebunt incorruptibilia. 467.1.d
Correptio fraterna à Chriſto præcipitur. 350.2.d lex de ea lata. 351.1.a quomodo ea in praxin redigenda. ibid.b nec ſolùm ea locum habet in iniurijs priuatis, ſed etiam in alijs peccatis in Deum admiſsis. ibid.a an ea ſit præcepti, an dumtaxat conſilij. ibid.d quos obliget, an omnes fideles, an ſolos ſacerdotes & Superiores. 2.a.& ſeqq. ad eam fideles omnes tenentur. ibid.c.d. & 352.1.b hæc de priuata, non de publica correptione intelligenda ſunt. 352.1.b ad eam requiritur charitas & diſcretio. ibid.c quanta eius ſit neceſsitas. ibid.d eam docent elementa. 2.b obligat ſolùm in peccato mortali. ibid.c quis in ea ſeruandus ordo. 353.1.a is tamen certis caſibus non debet exactè ſeruari. ibid.b.c tres in ea notandi canones, qui ſi ſeruentur, non peccabitur in eius ordine. 2.c
Corripientium peccantes exempla. 352.2.b
Cranganoris rex an vnus è tribus Magis fuerit. 60.1.c
Craſis nominum apud multos vſitata eſt. 315.2.d
de Craſtino ſolliciti eſſe vetamur. 163.2.a.b ſed craſtinum de ſeipſo ſit ſollicitum. 173.2.a.b
Crates opes in mare abiecit, quaſi philoſophiæ impedimenta. 117.2.b
per Creaturam iurans tenetur iuramento. 142.2.d non licet per eam iurare. 143.1.d.144.2.a creaturæ non ſatiant. 185.1.d turbantur moriente Chriſto. 546,2.a
Credere & non credere prædicationi Euangelij, eſt opus gratiæ & iuſtitiæ Dei. 251.2.c credita olim ſunt multa, quæ nunc deprehenduntur eſſe falſa. 84.1.a
Critici ſibi ſunt cæci, alijs oculatiſsimi. 176.1.c & apologus de iiſdem. ibid.d
Crucifigendi olim crucem ſuam portabant. 530.2.a
Crucifixionis Chriſti modus S. Brigittæ fuit reuelatus. 536.2.a.b
Crudelitas Herodis in necandis iis, quos ad regnum ſuũ ius habere norat, illiq́; inhiare. 65.2.d
Crux erat proprium ſupplicium ſeditionis & affectati regni, & ignominioſa. 518.2.b.522.2.b.534.1.a hinc ad eam pontifices damnari Chriſtum vrgent ibid. crux eſt velut nauicula. 201.2.d & velut pretioſa margarita. 287.2.b eius varia elogia. 536.2.d.& ſeqq. cruce ſignaſſe videtur Chriſtus panem, ex quo Euchariſtiam conſecrauit. 480.2.a crux Chriſtianis propter Chriſtum animosè ferenda eſt. 238.1.a eam quotidie quiſque tollere debet, & qua in re id ſitum ſit. 324.2.c quiſque ſuam habet. ibid.d.& ſeqq. in ea per totam vitam vſque ad mortem perſeuerandum eſt. 325.1.c crucem Domini portare in angaria, ſymbolicè quid ſit. 530.1.c quomodo ſuam Dominus portarit. ibid.d an ea habuerit ſuppedaneum cui pedes innìterentur? videtur inferne fuiſſe excauata, vt calces pedum in cauo hoc reciperentur. 532.2.c.d erat quadrangula. 538.2.b acerbitas eius. 533.1.c.d ex quo ligno fuerit cõpacta. 535.1.a.b eſt liber ſapientiæ. ibid.c.d eſt ſpeculum omnis virtutis & perfectionis. ibid.d cur de illa Chriſtus non deſcenderit. 539.2.c.d fuit eius currus triumphalis. 535.1.a eſt ſignum Chriſti incarnati: cur illa in die iudicij apparitura ſit. 445.1.d idque ad conſolationem piorum, exprobrationem impiorum an ipſiſsima crux in qua is pependit. 4.2.a.b portabitur ea ab angelis. ibid. crux Chriſto futura ſcandaloſa, ſæpè ab eo ſuis erat inculcanda. 341.1.a.b quæ ab illa bona prouenerint. 561.2.b prouocat nos ad amandum. 386.1.b.c
Cubicularia hæreſis, omnia templa reiiciens, in Hollandia orta. 157.1.c
cur in Cubiculo orare Saluator iubeat. ibid.a
Cubitus eſt propria mẽſura ſtaturæ humanæ. 171.1.d
Culicem colare, camelum glutire, prouerbium eſt: quid innuat. 427.1.b.c
Culpa ob ingratitudinem peccatoris erga Deum planè non reuocatur. 358.2.d.& ſeqq.
Cupiditas radix eſt omnis peccati. 118.1.d.119.2.a cupiditatibus ſuis vim faciens, coronam in cælo promeretur. 246.1.b ſunt eæ nobis abnegandæ. 323.2.a.b.& ſeqq. vide Concupiſcentia.
Cura temporalium ſpinæ ſunt. 280.1.b.c
Cuſtodes ſepulchri ſunt ab angelis exterriti. 561.1.b & diffugerunt. 564.2.d quid pontificibus nunciarint. 565.1.a.b eos fallere erat impoſſibile. 2.a corrumpuntur auro à pontificibus. ibid.c.1.c omnem tamen fucum & rem totam Pilato aperiũt. 2.d ſed plebi aliud perſuaſerunt. 566.1.b.c
S.Cyprianus carnifici ſuo iuſsit dari 20. aureos. 148.1.c
Cyrene variæ ſunt vrbes. 529.2.c.d
Cyrillus quidam S. Anaſtaſiæ Martyri aquam dans ſitienti, martyrio affectus eſt. 240.1.a
DÆmon iuratus hominis hoſtis eſt. 149.2.b gaudet immunditie. 171.1.b cur agat in deſertis: nuſquam habet quietem. ibid.b ideo nocet homini, quia nequit Deo. ibid.c eum vi ſua ſpoliauit Chriſtus, poſtquam in mundum venit. 462.2.a.b.d eius fortitudo & poteſtas. ibid.b hinc non poteſt nocere per ſuos quantum vellet. ibid.c cur hominem quem occupat, mutum reddat & excæcet. 260.2.c.d hinc eo pulſo, homo loquitur & clarè videt. 261.1.a.b cur energumenos dirè torqueat. 306.2.c omne cum eo commercium vitandum. 578.2.a nec ei vllatenus credendum, etiam vera dicenti. ibid.b ægerrimè deturbatur poſſeſsione quam ſemel occupauit. 579.1.a.b eſt Dei ſimia. 589.1.b cur eum de ſe teſtimonium ferre Chriſtus permiſerit. 578.1.a.b dæmon lunaticũ affligens, non erat ex minimis, ideo ab Apoſtolis eiici non potuerat. 339.1.c.d dæmon ſuperior rarò eiicit inferiorem. 261.2.c.d Dæmones Euangelia perhorreſcunt. 2.1.d ſtatim poſt ſuum peccatum igne gehennæ ſunt cruciati: eò cruciantur etiam abſentes. 202.2.a tormentum eis eſt relegari in infernum, cur. ibid.b ſunt ſpiritus immundi. 218.2.a in terra inter ſe concordant. 262.1.a dum apparent homines reddunt mœſtos & anxios. 564.1.b eorum ſumma voluptas & homines torquere & vexare. 578.1.c hinc Chriſto adulantur, ne ab eo eiiciantur. ibid.d.589.1.a inter eos alij ſunt principes, alij inferiores. 215.2.c cognouerunt Chriſtum eſſe Meſsiam Dei Filiũ. 583.2.d tamen non ita clarè & firmiter id cognouerunt, quin alia ex parte ſubinde dubitarent. 584.1.a adhæc ignorarunt finem & fructum myſterij incarnationis: excæcabat eos quoque odium Chriſti. ibid ideo eum velut hoſtem iuratum per Iudæos occiderunt. ibid.b qui dæmones difficiliùs expellantur. 340.1.c ſunt aliqui minùs validi, & minùs maligni. ibid.d hi ieiunio & oratione pelluntur. 2.a iudicio extremo intererunt in tetris corporibus. 462.2.a dæmonia eiicientes in nomine Chriſti, nec tamen eũ ſequentes, quinam eſſent, & cur ab Apoſtolis prohiberentur. 603.1.b vide Diabolus, Lucifer.
Damnandi ſunt plures quàm ſaluandi. 180.1.b.c
Damnati nil niſi malum amare poſſunt. 193.2.d eorum pœna damni. ibid.c ſummus eorum cruciatus. 194.1.a an lacrymentur & ſtrideant dentibus. ibid.a.b ſunt ab Eccleſiæ regno excluſi. 454.1.b ſunt velut victimæ iræ Dei. 604.1.a non poſſunt reſiſtere Dei ſententiæ, nec quidquam boni deinceps agere. 411.2.b Damnati ad mortẽ flagellabantur priùs. 523.2.d iis ſolebat præfigi titulus. 538.2.b iis quoque dari vinum. 543.1.d
Dan vrbs vnde dicta, vocata dein Paneas & Cæſarea Philippi. 82.1.d.313.2.b.c cur in eam Chriſtus ſeceſſerit. 313.2.d
Danda Dei Deo, Cæſaris, Cæſari. 414.2.a.415.1.b.c dare beatius eſt quàm accipere. 125.1.b.c
Dauidi facta promiſsio de Chriſto è poſteris eius naſcituro. 44.2.c.214.2. qua de cauſa ederit panes ſanctos. 258.1.b
Dauid Georgius inſignis impoſtor. 440.2.d
Debiles in tentatione & perſecutione fugiant oportet. 503.2.d
Debitores olim à creditoribus in carcerem trudebantur, ibiq́; à tortoribus excruciabantur. 358.2.c
Decapolis eſt regio decem vrbium, & quæ hæ eſſent. 114.2.a
Decimæ lege præſcriptæ erant, ſed eas etiam ex herbis Phariſæi exigebant. 426.2.d
Defodere talentum in terram quid ſit. 460.1.a
Defuncti non excommunicantur, nec ab excommunicatione abſoluuntur, directè, ſed indirectè. 321.2.a
Delectatio non eſt regula noſtrarum actionũ. 266.2.b
Demiſsio eſt via ad ſublimia. 345.1.d
Demoſthenis de actione oratoria iudicium. 92.2.c
Denarius eſt numerus vniuerſitatis. 454.2.c
Denarius nummus valet regalem Hiſpanicum & Iulium Romanum, vnde ſit dictus: multas ſub ſe continebat ſpecies nummorum. 140.1.a.294.1.d 358.1.d.380.1.a.b.c.d.582.1.c.474.1.a.d.614.1.b is erat pro cenſu ſoluendus, ſed duplex. 413.1.d.2.a
ter fuiſſe Denudatus in paſsione Chriſtus videtur. 524.2.a.526.2.a
quomodo à Patre Chriſtus Derelictus fuerit. 542.1.d
Deſertum orationi & paci ſpiritus accommodum eſt. 98.1.b.d in eo ſe diſponit homo ad cum proximo agendum. 2.c deſertum habitatio dæmonis eſt. 271.1.b deſertum in quo Chriſtus ieiunauit, deſcribitur. 98.1.c vt & deſertum Ioannis, eius celebritas. 79.2.b deſertum Bethſaidæ fuit iuxta Bethſaidam in eadem ripa. 263.2.b.c
Deſiderium proficiendi in melius ſemper habet iuſtus. 124.2.a.b deſideria carnalia cogitationes noſtras perturbant. 392.2.b ſed ea obtundenda ſunt. ibid.c
Deſperatio in cruce à Caluino Chriſto affingitur. 542.1.d
Detectio proditionis Iudæ quomodo facta ſit. 478.1.d
Detractorum virulentia viperâ denotatur. 84.1.b eorum linguæ dentes dicuntur. ibid.c
Deucalione & Pyrrhâ iacientibus poſt tergum lapides, homines reparatos eſſe dicunt poëtæ. 86.2.b
Dei nomen ſemper in ore habẽs, non propterea cælo donabitur. 182.1.d.2.a Deo nihil eſt fortuitum ſed omnia prouiſa & præuiſa. 20.2.d eum per rerum corporearum imagines repræſentat Scriptura. 21.2.c eius attributa idem ſunt reipsâ cum ſimpliciſsima eius natura. 22.1.a nomina eius erant varia apud Hebræos, & quid ſingula ſignificent. 57.1.d eius robur elucet in incarnatione Chriſti. ibid.d eſt nobiſcum in Chriſto quadrupliciter. 2.a ex lapidibus quomodo ſuſcitare poſsit filios Abrahæ. 86.1.d at ſaxa in homines mutare. 2.a non ſinit ſe vinci liberalitate. 125.1.c.d.2.a eius viſio promittitur mundis corde. 126.1.c.d eſt pacis amans. 2.d in iudicio omnia exactiſsimè inquiret & rigidiſsimè puniet. 140.1.b quatenus olim iurarit, & iurare poſſet. 144.1.a impiis etiam benefacit. 150.1.b eius ſanctitas & bonitas. ibid. 151.2.b.c ad eius perfectionem attingere non poſſumus. ibid.c ea tamen nobis imitanda eſt. 152.1.b.2.a deteſtatur hypocriſin & hypocritas. 155.1.b eſt pater noſter quintupliciter. 158.1.b.& ſeqq. eius in nos dignatio. ibid.c.d.348.2.b ipſo dante habemus quidquid habemus. 162.2.b.c dicitur ſubinde facere quod tantùm permittit fieri. 165.1.c filiis ſuis prouidere non ceſſabit. 1722..b.c peccata



punit

punit citra condignum. 176.1.b audit orationes non ad voluntatem noſtram, ſed ad ſalutem. 177. 2.b non faciet miracula ad confirmationem falſæ doctrinæ contrariæ ſuæ. 182.2.d.183.1.b eius iuſsio eſt efficax. 188.2.c.d non patitur ſe fiduciâ noſtrâ vinci. 194.1.d eſt vita animæ. 199. 1.d imperat ventis & mari. 201.2.b.202.1.a.b eius prouidentia erga homines. 235.1.d.2.b.c vnde cognoſcat futura conditionata. 250.1.a.b eſt pater, & ſimul dominus. 251.2.a iam nihil de nouo creat ex nihilo. 295.1.a quæ facit, perfecta facit. 295.1.b ſuccurrit ad neceſsitatem, non ad voluptatem. 2.d poteſt menti cui illabitur. certa ſuæ præſentiæ ſigna dare. 298.1.a.b ſæpè initio preces non exaudit, ſed perſeuerantiâ vincitur. 307.1.b.d cur dicatur viuus. 315.1.b.c id quod Pōtifex iuſsit aut vetuit, ratum habet. 321. 1.a.b eius ampliſsima in peccātes benignitas. 264. 2.c.357.358.1.a.359.1.b.c peccata dimittit irreuocabiliter. 359.1.a.b.360.2.a ſolus bonus eſt per eſſentiam. 368.1.d.& ſeqq. eſt fons omnis boni. 2.a.b omnia ei ſunt poſsibilia. 188.1.b.373. 1.d ſuis eſt centuplum, & quomodo. 377.1.a.b eum ſonat prima vox infantilis. 402.2.d cur vocetur cælū. 404.2.b Eccleſiam vineam plantauit. 406.1.c.407.1.a impios damnabit non ex odio, ſed zelo iuſtitiæ. 411.1.d ei reddenda quæ ſunt eius. 414.2.a.d eſt omnipotens. 415.2.d ſummè meretur diligi. 418.2.a eſt ſolus verè & plenè pater omniū. 424.1.d eſt verus magiſter. 2.b ſtatuit hominibus & regnis certam menſuram peccatorum, quâ impletâ eos puniat. 429.1.a eius erga quaſlibet gentes affectus. 437.1.b maximè erga electos. 440.2.a reprobos in die iudicij à ſe repellet exprobrans. 457.1.d rerum naturalium ordinem poteſt inuertere & euertere. 480.2.b per ſtultitiam crucis voluit credentes ſaluos facere. 534. 1.b ei tribuitur concuſsio terræ. 547.1.d an in eo ſit proprius iræ affectus. 583.2.a

Deus Pater quomodo ſubinde in Euāgelio dicatur vnus & ſolus. 20.2.b in Chriſto filio ſibi complacet. 96.1.a.b eum audiri iubet. ibid.c communicat ei omnia ſua. 252.1.a.& ſeqq. eum nemo nouit niſi Filius. 2.a quomodo ſit faber. 289.1.d ab æterno decreuit Chriſto filio ſuo quà homo eſt, ſummam poteſtatem & regnum tam in cælo, quàm in terra. 420.1.b.c ſummè diligebat Chriſtum, ideoq; eum mori in cruce volebat, vt eum in reſurrectione honorificaret, & plurimos per eum ſaluaret. 540.2.a an ipſe ſolus ſciat diem & horam conſummationis ſæculi, non Deus Filius. 448.2.b.c

Dextræ & ſiniſtræ occupatio in regno Chriſti, quam filij Zebedæi petebant, præeminentiam aliquam ſignificat. 389.2.c cuius rei ambæ ſint ſymbolūm. 463.1.a dexter oculus & manus ſcandalizantia, & erui iuſſa, quid ſint. 141.2.a.b

Diabolus eſt accuſator & calumniator. 97.1.b.466. 1.d antonomaſticè ſignificat Luciferum. 99.2.d impeditus eſt videre quid inter B. Virginem & Ioſephum ageretur. 53.1.c teneris inſidiatur. 71.1.d eos ſolet tentare grauiter, quos præuidet fore eximios in Eccleſia. 99.1.d tentauit Chriſtum & Adamū aſſumptâ corporis formâ. 101.2.b omnis tentatio ab eo propriè non oritur, ſed ſæpè à mundo & concupiſcentia, etſi ille ſubinde hanc & mundanos homines ſuſcitet vt nos tentent, hinc quaſi auceps cuique ſuam obijcit eſcam. ibid.d dubitabat an Chriſtus eſſet Dei filius, ideo eū tentatū venit. 102. 1.b.c origo tentationis huius. ibid.c quomodo eum aggreſſus ſit primò. ibid.d voluit eum pellicere ſimul ad vanam gloriam, & gulam & auaritiam. 2.a.b.c quos gulâ ſuperare non potuit. tentat ad vanam gloriam. 103.2.a aſſumpſit Chriſtum raptatum per aëra. ibid.c non potuit illudere eius phantaſiæ. ibid.b fuit ab ipſo illuſus. ibid.d ſuadet ei vt ſe è pinnaculo deorſum mittat. 104.1.c.2.c ſemper hominem trahit deorſum. 2.c quomodo fallatur. ibid.d ipſe in nolentem nihil poteſt. 105.2.d Chriſtum in montem excelſum rapiens, oſtendit ei omnia regna mūdi, quomodo. 106.1.a.& ſeqq. quo pacto hæc ei repræſentarit. 2.d taliter quoque ea depingere poteſt in hominis phantaſia. 107.1.a quomodo potuerit dicere, ſe regna omnia mundi ei daturum, quaſi propria. ibid.b.2.b ſimulat ſe eſſe Filium Dei, atque vt talis cupit à Chriſto adorari. 1.b.c in hac tentatione eum ſollicitat ad auaritiam, ambitionem, & idololatriam; tacitè verò explorat an ipſe verus ſit Dei filius. ibid.d ipſius faſtus. 2.a quia ipſe è cælo cecidit, hinc omnes ad caſum ſollicitat. ibid. eius pollicitatio Chriſto facta, fuit mendax, falſa, arrogans, doloſa. 2.c ſemel fortiter victus in aliqua tentatione, ad tempus diſcedit, ſed datâ occaſione, iterum ad ſimiliter tentandum redit. 109.1.b quomodo homines decipiat. 107.2.d ſæpè ſe immiſcet morbo lunatico. 114.1.a eſt deus diſſenſionis. 126.2.d in iudicio nos accuſabit. 139.2.c non fert humilitatem. 146.2.c.d & ſeqq. nihil poteſt in tentando, niſi Deo permittēte. 165.1.d vocatur malus antonomaſticè. 2.a quomodo hominem exagitet. 185.2.b ſectatur immunditiam. 233.2.c ſingulis multos ſpondet annos. 450.1.a quomodo in Iudam dicatur intraſſe. 473.2.b.c peccatorem, commiſſa peccato in deſperationem præcipitat. 516.1.b an per vxorem Pilati Chriſti necem impedire voluerit. 521.1.c cur diaboli in hoc aëre vagari gaudeant. 202.2.a poſt diem iudicij omnes in infernum compingentur. ibid.c vide Dæmon, Lucifer.

Didrachma erat medius ſiclus : ipſum ſoluerunt Iudæi tēplo in populi cenſu. 341.1.d.413.2.a.414.2.a

Didymus cæcus oculis mente acutum videbat. 214.2.b quomodo eum ſit S. Antonius in cæcitate conſolatus 142.1.a

Diei primitiæ Deo & orationi dandæ. 579.2.b dies quiſque ſuam homini adfert moleſtiam & curam. 174.1.a dies triplex apud Iudæos erat. 460. 1.b quomodo diem computarent Romani. 269.1. a.b.c quomodo aliæ nationes. ibid.c.d eum Hebræi in quatuor partes diuidebant. 617.1.a quo die Chriſtus Euchariſtiam inſtituerit. 475.1.d.& ſeqq. dies decimus quartus eſt criticus in morbis. 51.1.a dies prima azymorum quando inciperet. 475.1.d dies cladis Hieroſolymitanæ breuiati ſunt propter electos. 440.1.b dierum vltimorum vitæ Chriſti acta recenſentur. 401.1.b.c.403.1.c.d.2.c.471. 1.b.c.475.1.a.b diem conſummationis ſæculi quatenus ſciat & non ſciat Chriſtus. 448.2.b.c.& ſeqq. cur diem iudicij nobis incertum eſſe voluerit Deus. 450.1.a inter illum, & ſigna præuia intercedet aliquod quieti temporis ſpatium. 449.2.a vide Iudicium.

è nimia Diffidentia Dei prouidentiæ naſcitur anxia dominum de cibo & veſte ſolicitudo. 172.1.d.2.a

Dilectio proximi Dei dilectionem includit. 178.2.c hac continētur omnia decalogi præcepta. 419.1.b.c

Dilectio



dilectio ſui ipſius omnibus innata eſt. 418.2.c & talis proximo impendenda. ibid.d.419.1.a.b dilectio inimicorum ſignum eſt ſummæ perfectionis. 151.1.d.2.a mandata eſt ea in veteri lege. 149. 2.a & à Chriſto. ibid.c.d eius nomen ſunt gradus. ibid.d.& ſeqq. vide Amor, Charitas.

Diligitur Deus ex toto corde tripliciter. 418.1.c diligentia procurandi vitæ neceſſaria à Chriſto non vetatur. 170.1.b

ante Diluuium nullus erat vſus vini aut carnis. 296. 1.a

Dimiſſam ab altero ducere nefas eſt. 142.2.b

an proximo Dimittere nolentes peccent recitando, Sicut & nos dimittimus. 165.1.a

Dimittendum peccantibus in nos, quoties nos offendent. 356.2.a

Diocletianus vxorem Serenam, nec non cognatos Caium Pontif. eiuſq; fratrem Gabinium cum filia S. Suſanna, quia Chriſtianos, iuſsit necari. 231.2.b

Dionyſia matrona filium expalleſcentem ad tormenta metu gehennæ, ſpeq; gloriæ Martyrē fecit. 235.1.a

S. Dionyſij Areopag. opera tria primaria. 2.2.d. & ſeqq. ad martyrium anhelauit. 236.1.d eclipſin paſsionis Chriſti vidit in Ægypto, & quid eâ viſâ dixerit. 541.2.d

Diſciplina flagellabantur olim pœnitentes. 111.1.d

Diſcipulorum eſt ſtare vel aſsidere in ſcamno. 116.2.b ſuperant in vitijs magiſtros ſuos. 426.1.a diſcipuli 72. ſubinde Apoſtoli vocantur. 218.1.a hi de panibus vel omiſsis, vel corporalibus, inter ſe agentes à Domino corripiuntur. 313.1.b.c.d quare non potuerint dæmonem eijcere è lunatico. 338.2.a.b.339.1.c.d qui diſcipuli & Apoſtoli de Chriſti reſurrectione dubitarint, & quando. 566. 2.c.d diſcipuli duo miſsi ad aſinam adducendū qui fuerint. 395.2.c diſcipuli Ioannis ad Chriſtum tranſiere. 293.1.b eorum ieiunium. 208.2.c 210.1.c.d diſcipulus patrem ſepelire volens quis fuerit. 198.2.d & an pater hic fuerit viuus, an mortuus. ibid. an diſcipulus cum Petro Ieſum captum ſequens, fuerit S. Ioannes. 503.2.b

Diſcordiam ſeminantes ſunt filij diaboli. 126.2.d ea perdidit Rom. rempubl. 261.2.b

Diſcretio in correptione fraterna inprimis neceſſaria eſt. 352.1.c pacem inter homines conſeruat. 604. 2.d

Diſſenſionibus offenduntur angeli. 348.2.d

Diſtractiones in oratione cauendæ. 156.2.c.213.2.a

Diues ægrè Deo ſeruire poteſt. 370.1.d & ægrè ſaluari, cur. 372.1.a.b d.606.1.a quia in pecunijs ſuis, non in Deo confidit. 606.1.b ſaluatur tamen per Dei gratiam. 373.1.d diuites ſunt triplices, cenſu, ſpiritu, cenſu & ſpiritu. 117.2.c

Diuinitatem ambit diabolus. 107.1.b.c diuinitas Chriſti oſtenditur. 188.2.b.c ipſe eam Apoſtolis in transfiguratione non oſtendit. 330.1.b hæc eum in tormentis ſuſtentabat. 542.2.b. ea manſit vnita corpori in ſepulchro iacenti, & animæ in limbo agenti. 553.1.d

Diuitiæ dictæ quòd mentem diuidant. 170.1.a.b ſpinis comparantur. 280.1.a.& ſeqq. ſunt fallaces. ibid.c.d ſunt cauſa multorum malorum. 117.2.a eas reipſa relinquere, maius longè eſt quàm affectum ab ijs auellere. 370.2.a eas partim relinquere partim retinere non oportet. ibid.d

Diuortium niſi cauſa fornicationis non licet. 142.1. c.d quamquam etiam ob alias cauſas, tamen fornicatio eſt matrimonio propria. 2.a eſt contra naturam & contra Dei inſtitutionem. 362.2.d id licet in adulterio alterutrius coniugis quoad thorum, non autem quoad vinculum. 364.1.b.c

Doctoris eſt ſedere, cur. 116.2.b doctor aliorum qualis eſſe debeat. 115.2.a docens non eſſe mandata ſeruanda, etiamſi ipſe ea obſeruet, caſtigabitur. 134.1.b doctor priùs faciat, quòd alios docturus eſt. 2.b.186.1.a.2.a cur vocetur propheta. 180.2.b cur apud ſuos ſoleat vilipendi. 291. 1.b.c doctor bonus non poteſt niſi bona opera proferre. 181.1.d non verò praua. 2.b doctor bonus vel malus deſignatur per arborem bonam vel malam. 181.1.c doctores ſunt velut ſtellæ. 64.2.a

Doctoratus gradum, velut teſtimonium ſcientiæ, non vetat Dominus. 424.1.a

Doctrina Chriſti & Scribarum quomodo inter ſe differret. 185.2.d.& ſeqq. Chriſti qualis eſſet. 186. 2.a cur doctrinæ Euangelicæ ſummam Matthæus initio prædicationis Chriſti propoſuerit. 116. 1.c.d ea non parem in omnibus profert fructum. 274.2.b.& ſeqq.

Dogmata ſublimia Euangelij. 6.2.a.b

Dolorū præuiſio, quos paſſuri erant fideles ſinguli, Chriſto fuit cauſa triſtitiæ in horto. 491.1.a

Dominica dies cur dicatur prima ſabbati. 557.1.a cur dicta Dominica. ibid. in eâ oramus ſtantes. 156.2.a

S. Dominicus Euangelium S. Matthæi ſemper circumferebat. 8.1.a martyrij fuit cupidiſsimus. 236. 2.d ipſe & S. Franciſcus de humilitate inter ſe contendebant. 91.2.b

S. Dominicus Loricatus loricâ ferreâ carnem domuit. 81.1.a

Dominium eſt triplex, ſummum & diuinum, infimum & humanum, & medium, quod eſt Chriſti quà homo eſt. 519.2.a hoc ſuperat cetera regna & dominia. ibid. dominium cordium promittitur viris Apoſtolicis. 375.1.a

Dominis duobus ſeruire nemo poteſt. 168.2.c.169. 1.a.b

qui Domum relinquere intelligantur. 375.2.d domus, in qua Chriſtus agnum paſchalem edit, videtur fuiſſe Ioannis Marci. 476.2.b domus B. Virginis eſt ab angelis Lauretum tranſlata. 404. 1.b domus S. Petri erat Bethſaidæ vel Capharnai. 195.1.a domus vocatur ſtabulum in quo natus Chriſtus. 67.1.b domus ſpiritualis animæ è virtutibus conſtruitur, & quæ eius partes. 184.1.b

ob Donatarij ingratitudinem reſcindi poteſt à donatore donatio vel promiſsio iam facta. 358.2.d

Donati in Religionibus vocantur conuerſi 365.1.a

Donec apud Matth. ſignificat conceptionem Chriſti ſine patre, ex ſola matre virgine. 58.1.a donec ſæpè non ſignificat finem, ſed continuationem rei. 420.2.b

Donum, quia Deo oblatum, ſanctificatur extrinſecè. 416.2.a dona Magorum qualia fuerint. 61. 1.a.b ea ſymbolicè exponuntur. 68.1.a.c.d & allegoricè & tropologicè. 2.a.b.69.1.a ſeptem dona Spiritus ſancti in columba repræſentantur. 94.2.d.& ſeqq. ea appropriantur ſeptem beatitudinibus. 129.1.a dona ſua inæqualiter diſpertit Deus. 458.2.b ſunt ea varia, gratiæ, naturæ, fortunæ. ibid.a.b nemo tamen eſt qui nullum habeat. ibid.b dat ea vnicuiq; ſecundùm propriam virtutem, robur & vires. ibid.d cùm alicui

cui donum aliquod permanens dare decernit; priùs ei dat capacitatem, aut meritum. 459.1.a  dona gratiæ gratis datæ ſubinde diſtribuit ob arcana ſua iudicia. ibid.c  ſingulis non confert ſua dona ſecundùm meriti ſui modum. ibid.  ijs abutentes graui digni ſunt caſtigatione. 460.1.b  at ijs rectè vtens, meretur alia accipere. 461.2.b.c
Dotes glorioſæ repreſſæ ſunt à Chriſto dum in terra viueret. 330.2.b  quæ repreſſio continuum fuit miraculum. ibid.c
Drachma auri vel argenti quanti pretij eſſet. 458.1.d
Duodenarij numeri perfectio & ſymbolum. 218.2.c
Durities mentis per petroſam terram denotatur. 275.2.b  ea vix admittit bonas admonitiones. 279.1.c.d  durities Iudæorum. 548.1.b.c

E Prima vox femellæ in mundo natæ. 564.1.a
Ebionitæ deprauarũt Euangeliũ S. Matthæi. 9.2.d
Ecce in Script. notat ſemper rem nouam & inauditam. 496.2.a
Eccleſiæ eſt definire quæ ſint genuinæ Scripturæ, quæ falſæ. 40.1.c.d  ſimilis eſt areæ, in qua plures ſunt paleæ, quàm tritici grana. 89.2.a.180.1.c  nauis eſt in medijs tentationum fluctibus. 200.2.b  eius regimini neceſſaria eſt ſubordinatio Epiſcoporũ, ſacerdotum & fidelium omnium ſub vno Pontifice. 219.1.d  in ea ſunt tam boni quàm mali. 288.1.d  cur comparetur grano ſinapis, & dicatur regnum cælorum. 282.2.c  aduerſis & perſecutionibus promouetur. 299.2.b  ſuper Petrum fundata & ædificata eſt. 318.1.d.2.c  eſt ſemper inuicta. 319.1.b  eſt regnum Chriſti. 344.1.c.d.519.1.d  eius regnum adijt Chriſtus in cruce, dum de morte, & inferno, peccato & mũdo triumphauit. 399.2.c  producit bonos fructus, etiamſi malos habeat paſtores & doctores, 407.1.b.c  eſt velut vinea. 406.1.c  item regnum Dei. 245.2.b.407.2.c  eius fabrica ſæpè in Script. comparatur fabricæ domus. 407.2.a  habet ſemper inſtructum conuiuium. 410.1.c.& ſeqq.  eſt corpus Chriſti. 443.1.d  per omnes gentes fundanda aliquanto tempore apud eas ſtare debet, antequam veniat mundi finis; ſed quamdiu, incertum eſt. 437.1.c  duplicem habet poteſtatem, ſpiritualem & temporalem. 499.1.d  cur dicatur ciuitas Dei. 568.1.c  eſt velut Ieruſalem. 396.2.c  nomine Eccleſiæ, cui peccantes obſtinati denunciari iubentur, intelliguntur eius paſtores & Prælati. 353.2.d.354.2.d. & ſeqq.  Eccleſia Sion, omnium Eccleſiarum matrix eſt & ſanctiſſima. 476.2.b  in primitiua Eccleſia omnes ferè Chriſtiani faciebant miracula. 619.2.b
Eccleſiaſtici caueant auaritiam & ſimoniam. 222.2.a
Eclipſis ſolis facta moriente Chriſto viſa eſt à S. Dionyſio Areopag. 65.1.d  quæ in ea ſint miracula. 541.1.d.& ſeqq.  fuit ea per totam terram. 2.d  eclipſis nulla fit in plenilunio. ibid.1.d
S. Eduardus Angliæ rex cum coniuge ſua Editha vixit pudicè. 53.2.a
Eleazarus filius Simonis, dux Zelotarum, templum inſedit in vrbis obſidione. 440.2.c.441.2.d
Electio Dei eſt planè contraria electioni mundi. 251.2.b.c  electio certa facienda cuilibet per bona opera. 411.2.d
Electi ſunt duplices: ad gratiam omnes, ad gloriam ſoli ſaluandi. 440.1.b  electi poſſunt peccare, ſed reſurgunt. 441.1.c  fieri non poteſt vt damnentur in ſenſu compoſito, non in diuiſo. ibid.d. & ſeqq.
an in eorum frontibus apparitura ſit crux in die iudicij. 445.2.c  tum illi gaudebũt plangentibus impijs. 446.1.a  poſt patientiam aduerſitatum dabitur ijs corona gloriæ, & beatitudo æterna. 447.2.c  ouibus comparantur. 462.2.d  vocantur benedicti Dei. 463.1.d  excipiunt magnâ lætitiâ & dimiſſione ſententiam Chriſti Iudicis. 2.d  non flectentur tunc miſeriâ reproborum, ſed ijs exprobrabunt negligentiam. 456.2.c.d
Eleëmoſyna eſt ingens fœnus. 125.2.a.b  eius emblema. ibid.c  eſt ſubinde conſilij, ſubinde præcepti. 148.1.b  ſecreta ſit. 155.2.a.b  ea etiam reprobis & infidelibus fieri poteſt. 465.1.b  illa magna eſt, quæ magno datur affectu pietatis. 610.2.c  & quæ dat neceſſaria. 611.1.a
S. Eleuchadius indicio columbæ Rauennatium ordinatus eſt Epiſcopus. 95.1.b
Elias adhuc viuit, & veniet contra Antichriſtũ. 333.1.c  ſecundum Chriſti aduentum præcurret. 337.1.d.2.a  non eſt idem cum Ioanne Baptiſta. 2.b  ſed Ioannes eſt Elias myſticus. ibid.c.d.& ſeqq.  eum Iudæi magni faciunt, & venturum exſpectãt. 247.2.a  Chriſtus creditus eſt eſſe Elias. 314.2.a  eum vocari à Chriſto moriente & dicente Eli, putarunt milites Romani. 543.1.b.544.2.a.c.d  cur ipſe & Moyſes apparuerint in Chriſti transfiguratione. 332.2.b.& ſeqq.  idq; in propria perſona. 333.1.c.d  & glorioſa. 2.b  quid cum eo ſint locuti. ibid.c.d
S. Eligius Epiſcopus Nouiom. quãdo floruerit. 467.1.a
S. Eliſabethæ Lãdgrauiæ pietas erga pauperes. 346.1.d  bonis omnibus ſpoliata, Deo gratias egit. 147.2.b
S. Elzearius Comes Arriani, omnes iniurias illatas meditatione paſſionis Dominicæ ſuperabat. 123.1.d
Emaus poſtea à Romanis dicta Nicopolis eſt, & cur. 618.2.a
Emblemata omnia Euangelij recenſentur. 361.b.c
Eminentes in ſæculo, erunt in cælo vltimi. 377.2.d 378.2.a.379.1.b  non tamen omnes. 378.1.a
Emmanuel eſt nobiſcum Deus. 57.1.a.b
S. Ephrem in omnibus ſuis ſcriptis luget. 123.2.d  vidit columnæ ſpecie Spiritum ſanctum capiti S. Baſilij inſidentem. 95.1.d
Epilepſia communis dæmoni eſt aſcribenda. 338.1.b
Epileptici ſunt, qui nati ſunt in interlunio. 114.1.a
ἐπιούσιος panis quis dicatur. 162.2.c.& ſeqq.  & quis is ſit. 163.2.b
cur Epiphania tantâ ſolemnitate celebretur. 65.2.a  in eius vigilia Chriſtiani Græci aquas haurire ſolebant, eæq; diu manebant incorruptæ. 93.1.b  quin & fontes in vinum tunc conuerſi. ibid.c
Epiſcopus vigil & prudens beatus à Domino dicitur, & ideo maiore gloriâ donabitur, quàm priuati fideles. 451.2.a.b.452.1.a  Epiſcopi etiam ſurgere tenentur in Euangelij recitatione. 4.1.a  ſæpè à columba deſignati fuere. 95.1.b  ſunt dignitate inferiores Apoſtolis. 218.1.c  in quo ijs ſucceſſerint, & non ſucceſſerint. 219.1.d  ſint vigilantes, prudentes & fideles. 451.1.c  tales rari ſunt. ibid.d  malorum Epiſcoporum caſtigatio. 452.2.a.b
ἐπιτιμάω diuerſimodè ab Interprete Latino vertitur. 25.1.b.c
Eraſmus Roterod. iecit ſemina arrianiſmi. 315.1.c
Error in fide vel moribus, eſt ſpiritualis cæcitas. 215.2.a
Eſſæi Chriſtianis fauebant, imò Chriſtiani effecti ſunt. 83.1.c  primi fuere Religioſi. 572.1.a.2.b  eſt potius, non Eſſe, quàm malè eſſe. 478.2.c





an Eſurierit Chriſtus ſæpiùs tempore ieiunij ſui, an nonniſi poſt XL. ieiunij dies exactos. 100.2.a  cur tunc eſurierit. 101.2.a
Eſuries iuſtitiæ quæ ſit. 123.2.d.& ſeqq.  quatuor eius gradus. 124.1.b
Et ſæpè capitur pro aut 134.1.c
an Eua reſurrexit reſurgente Chriſto. 549.1.b.c  mater fuit ploratus & perditionis. 564.1.a
Euangeliſtæ quatuor, quatuor repræſentantur Cherubinis. 10.1.d.& ſeqq.  quo ordine & tempore illorum quiſque ſcripſerit. 11.1.b.c  omnes inter ſe conſentiunt, quod eorum habet vnus, habet & alius; quod hic ſubticet, ille ſupplet; quod hic obſcurè, ille clarè enuntiat. ibid.a.d  cur ſubinde inter ſe diſſonent. 2.a  narrant geſta & dicta Chriſti pauca p̃ multis, ſed non ſeruant ordinem temporis in ijs recẽſendis. 19.1.c.d  verbis diſcordant, ſenſu concordant. 2.c  quæ ſit ſingulorum in ſcribendo proprietas. 21.2.b.c  ſæpè ludunt in verbis elegantiæ causâ & idem nomen vel verbum ſtatim aliter atque aliter accipiunt. 23.1.d  citantes Scripturam veteris Teſtam. ſæpè illam non verbo tenus, ſed quoad ſenſum citant. 25.1.a  quia breuitatis ſtudio rem geſtam inuoluunt, hinc ſubinde repugnãtia dicere videntur. ibid.c  ſæpè nouas formant voces, vbi res eſt noua. 163.2.a  eorum differentia quoad initium Euangelij. 576.1.c
Euangelium propriè eſt lætum nuntium, item merces pro eo. 39.2.a.b
Euangelij præcellentia, & dignitas, & elogium. 1.2.d 2.2.a.b.3.1.c.2.c.d  dum id recitatur, cerei accenduntur, eius reuerentia. 2.1.b  per ipſum ſolenniter iuratur. ibid.c  eſt in honore hæreticis & dæmonibus: per id plurima patrata miracula. ibid.d  eius materia eſt Chriſtus, tum quà Deus, tum quà homo. 2.b  eſt compendium totius Theologiæ, & doctrinæ vitæq; Chriſtianæ. ibid.b.c  eius materia, auctor, methodus. ibid.b.c.d  continet doctrinam ſymbolicam. 3.1.a  in eo rudiores inueniunt quo doceantur, ſublimia ingenia quod ſpeculentur. ibid.b  ad ipſum omnes alij noui Teſtamenti libri referuntur, vt ad baſin: eſt velut ſol inter planetas. ibid.b  eius & legis Moſaicæ antitheſes. 2.a.4.1.b.d.2.b.5.1.b.c.2.c.6.1.b.2.d.7.2.c  dũ id in templo legitur, omnes aſſurgunt. 3.2.d & ſeqq.  eſt eâdem reuerentiâ audiendum, quâ Chriſtus ipſe. ibid.  idem ei honor deferendus qui cruci Chriſti. 4.1.b  eius doctrina quàm præſtans ſit. ibid.  eſt ipſa veritas, cuius lex tantùm fuit vmbra. ibid.d  eſt nuntius amoris, lex libertatis & charitatis. ibid.c  promittit cæleſtia, non terrena: eſt onus leue. 5.1.b  eſt terminus legis. ibid.c  datum eſt omnibus gentibus, & durabit ſemper. ibid.d  cuique hominum ætati, ſexui & gradui conuenit. 2.a  eſt integrum & perfectum. ibid.c  tradit præcepta ſimul & conſilia, & ex vtriſque mixta. 6.1.b  eius ſublimia dogmata. 2.a.b  eſt Dei ad nos epiſtola. ibid.c  vnà cum præcepto proponit voluntati gratiam ad id implendum. ibid.d  eius vis & efficacia ad animos permouendos. 7.1.a.b  facit Apoſtolos. 2.c  eſt velut ſpeculum, ad quod ſuam quiſque faciem & alienam intueatur, & poliat. 8.2.b  cur dicatur ſanctum. 39.1.b  eius perfectio. ibid.c  cur grano ſinapis comparetur. 282.2.d.& ſeqq.  cur fermẽto 284.1.a  cur theſauro abſcondito. 287.  facit reges cæleſtes. 110.2.c  id per omnem terram diffundendum, oſtenditur per lucernam ſuper candelabro poſitam. 132.1.b  cur ſagenæ comparetur. 288.1.c  ipſum prædicandum in deſerta Gentium multitudine, repræſentat Ioannes in deſerto prædicans. 79.2.a  ipſum prædicare & conſcribere, & miraculis confirmare, munus eſt Apoſtolorum. 218.1.c  eius prædicatio ſemini comparatur. 274.1.b.2.a  cur non pariat vbique & in omnibus fructum proferat. 2.b & ſeqq.  eius prædicatio & doctrina ſenſim creuit, Chriſto in cælis quaſi dormiente & neſciente. 587.1.b.c.d  ante excidium vrbis, per omnes prouincias non fuit prædicatum. 437.1.a  ſed id fiet ante finem orbis. ibid.
Euangelium regni quid dicatur. 113.2.c  Euangelium ſecundùm Hebræos cum ſit auctoritatis. 9.2.a  non eſt Canonicum. ibid.c  idem quoque dicitur Nazaræorum, quia hi eo vtebantur. ibid.
Euangelium Nicodemi apocryphum eſt. 589.2.a
Euangelium S. Matthæi ſcriptum primò hebraicè. 40.2.b  conuerſum mox eſt in linguam Græcam ab aliquo Apoſtolorum. 41.1.b  eius partitio. 2.d  in quo id alijs Euangelijs præcellat. 42.1.a.b  id iam hebraicè non inuenitur. 40.2.c.d.41.1.d.42.1.a  id ſemper habitum fuit pro Scriptura Canonica. 574.2.b  Euangelia olim varia ſcripta ab hæreticis, & adſcripta Apoſtolis. 9.1.c  quatuor tantùm ſunt legitima: ſunt ea probata ab Apoſtolis & Eccleſiæ auctoritate. ibid.d  cur ſint quatuor. 2.d
Euangelica doctrina de moribus, tradita à Chriſto eſt per breues gnomas. 20.1.d
Euangelizare per totum mũdum Apoſtolis ſæpiùs Chriſtus iniunxit. 619.1.a
cur Euchariſtia dicatur communio, eſt Sacramentum vnionis. 138.2.c  eſt panis ſuperſubſtantialis & diuinus. 163.2.d  dignior eſt mannâ. ibid.  æſtum concupiſcentiæ reſtinguit. 195.2.b  eſt conuiuium pinguium. 410.1.d.2.a  quo die ſit à Chriſto inſtituta. 475.2.a.b  eam vnà cum ceteris ſumpſit Iudas. 477.1.c.d.& ſeqq.  eſt inſtituta poſt cœnam agni & vſualem, & cur. 479.1.c.d.2.c  idque ſub horam noctis ſecundam. 2.b  ſumenda eſt à ieiunis. ibid.a  puritatem requirit conſcientiæ. ibid.b  in ea eſt verè corpus Chriſti, ſecùs ac ſentiant hæretici. ibid.d  diu data fidelibus eſt in manus, iam datur in os. 480.1.c  cur dicta Euchariſtia. ibid.c  verè in ea eſſe corpus Chriſti demonſtratur ratione Theologica, phyſica, mathematica. 2.b.c.d. & ſeqq.  dat nobis ius ad hereditatem æternam in cælis. 483.1.b  non tantùm eſt Sacramentum, ſed & ſacrificium. 2.b.& ſeqq.  eſt ipſa triplex ſacrificium. 484.1.a  impetrat mediatè culparum lethalium remiſſionem. ibid.  per eam Deo ſummus exhibetur cultus. ibid.b.c  eſt idea vitæ & paſſionis Chriſti. ibid.d  animat Chriſtianos ad mortem pro Chriſto oppetendam, hinc omnes olim quotidie communicabant. ibid.c  eſt ipſa virtutum multarum exercitium. ibid.d  debent eam ſumentes vitam viuere cæleſtem. 485.1.a  ei adſtant angeli. ibid.b  datur in ea nobis pignus gloriæ cæleſtis. ibid.d  effectus eius varij. ibid.  eſt alimentum immortalitatis. 2.a  quanta ad eam ſumendam requiratur vitæ puritas. ibid.b  in ea Chriſtus iugiter nobiſcum eſt. 568.1.c.d
S. Eulogij presbyteri & Martyris Cordubenſis patientia in iniurijs: columba eius corpori inſedit. 147.1.b
Eunuchi triplices à Chriſto aſſignantur. 365.2.c

S. Euſebius Vercellenſis Epiſcopus ab Arrianis occiſus eſt. 75.1.c alius Euſebius Martyr tortoribus ſuis inſultat. 535.2.c

cur Exactores tributi à Chriſto didrachma non petant, ſed ab Apoſtolis. 341.2.d

duplex Examen Chriſtus in nocte paſſionis ſubijt. 507.1.c

Excæcatio tribuitur tum Deo hominem excæcatum deſerenti, tum homini ſeipſum propriè excæcanti. 277.2.b excæcatio Iudæorum myſticè fuit denotata in velatione faciei Domini. 508.1.c

de quo Exceſſu Chriſti loquerentur Moyſes & Elias in monte Tabor. 333.2.c.d

Excidium orbis Prophetæ & Chriſtus ſemper iungunt cum alijs excidijs, quæ eius fuere tantùm præludia, & ab his ad illud ſaliunt. 443.2.d.444.1.a.b.2.a excidium Ieruſalem per Titum quàm fuerit atrox & horrendum. 439.1.a.b.c cauſa huius atrocitatis fuit chriſticidium. ibid. c.d.268.1.d eſt id præludium & typus excidij orbis. 438.1.b.439.1.a.b

Excommunicatio peccanti infligitur non vt pereat, ſed vt emendetur. 354.2.b eius & peccati analogia. 355.1.c in ea defunctus, non poteſt ab Eccleſia vel Pontifice abſolui. 321.1.c hæc gladio Petri denotatur. 499.2.a

Exemplum plus mouet quàm verba. 423.1.a

Exorciſtæ Iudæi arte à Salomone tradita pellebant dæmones. 262.1.b

Extrema cæli & terræ, quæ dicantur. 447.1.a

Extremæ vnctionis Sacramentum quando à Chriſto ſit inſtitutum. 590.2.a eius proprietates & effecta. ibid.a.b

FAber lignarius videtur fuiſſe Chriſtus. 289.1.c hinc ſæpè à re lignaria petijt ſimilitudines. ibid.

S. Fabianus indicio columbæ electus in Põtificẽ. 95.1.c

Facienti quod in ſe eſt, non deeſt Deus. 461.2.d

Faciei Chriſti fulgor omnes rapiebat. 208.1.d hæc in transfiguratione aſſumpſit ingentem ſplendorẽ quaſi diuinum. 330.1.b.c duplici de cauſa fuit à Iudæis velata. 508.1.c & palmis cæſa. 507.2.d

Facta præclara ſunt occultanda. 213.2.c facta Chriſti, etiam parabolæ fuere. 276.1.d

Factiones tres Hieroſolymis fuere tempore obſidionis. 440.2.c

Falſi fratres Chriſtianos produnt. 436.2.a

Fames Chriſti quatriduo ante mortem erat ſponte excitata. 403.1.d fames ſuadet violare ſabbatum. 258.1.c.d

Familia S. Ioſeph refert imaginem SS. Trinitatis. 53.2.a ea erat cælum terrenum. ibid.c

Familiaritas parit contemptum. 291.1.c.2.b

Faſciculus myrrheus contexitur ex illuſionibus Chriſti. 509.1.d

Fatum non noſcitur ex aſtris. 62.1.b & præſertim Chriſti ex ſtella, quæ Magis apparuit. ibid.d.& ſeqq.

Fatuus dicitur, cibus inſipidus. 131.1.a fatuum vocare proximum, quàm ſit graue peccatum. 137.2.b.c

Fax vocatur in Script. etiam lampas. 132.1.c faces in nuptijs præferebantur ſponſis. 454.1.c.455.1.a

Febris dicitur à feruendo, eſt typus ignis concupiſcẽtiæ. 195.1.d.2.b eius proprietates. 2.b febres ſunt variæ. 196.1.a

Felle potatus fuit Chriſtus ante crucifixionem. 532.1.a

S. Felicula in tormentis ſe Chriſti paſſi conſideratione animabat. 535.2.a

an Feminæ in ſexu virili reſurrecturæ ſint. 416.2.d feminæ apud Iudæos quando viro contribuli, quando alteri nubere potuerint. 46.2.d vide Mulieres.

Femoralibus non vtebantur Iudæi. 538.1.a

Feriæ quartæ ieiunium vnde cœperit. 470.2.b

Fermentum dicitur à feruendo. 284.1.b eius & Euangelij analogia. ibid.c fermentum Phariſæorum & Herodis, erat eorum doctrina legi diuinæ contraria. 599.1.a ab hoc cauere ſuos iubet Chriſtus. non quatenus legem docebãt, ſed quatenus eam ſuis vanis traditionibus vitiabant. 313.1.a

Feſtuca quid ſit, & ad res minimas refertur. 176.1.c

Feſto die malè faciens grauiùs peccat quàm alijs diebus. 583.1.c feſtum decollationis S. Ioannis quando celebrandum. 595.1.b.d feſtum Luminum quod ſit apub Græcos. 96.2.d

Ficti pauperes, mites, lugentes & pacifici, qui ſint. 127.1.c

Ficus nonniſi inſtante calore frondes emittit & groſſos, eius dulcor. 447.1.b.c.2.b aliæ eius proprietates. 1.b.c.& ſeqq. fuit cauſa excidij Carthaginis. 2.a cur ficus Dominus maledixerit. 403.2.a quid ea areſacta denotet. ibid.c.d ex ficu ſe Iudas ſuſpendit, & an ex ea comederit Adam. 517.1.a

Fidelis in Chriſto, eiuſq́ lege & amore ſtabilitus, non curat perſecutiones nec vllas minas. 184.2.b ſed in ijs gaudet. 129.2.a Deo obediens eſt Chriſti frater adoptiuus. 272.2.b ſit velut granum piperis vel ſinapis. 283.2.d. fidelium plures videntur ſaluandi quàm damnandi. 180.1.c ſæpè ab infidelibus cognatis & conſanguineis ratione fidei exagitantur. 237.2.a fideles omnes habent potentiam remotam ad continendum. 366.1.d hi dicuntur filij Iſrael. 375.1.d & ſub virginibus ſponſo occurrentibus intelliguntur. 454.2.a.455.1.d ſi careant operibus, ſunt ficus foliatæ ſine fructibus. 403.2.d

Fides comparatur grano ſinapis. 282.2.c.d eſt donum Dei. 276.1.d eam oblatam reſpuere graue eſt ſcelus. 228.1.b.c.d meretur cognitionem myſteriorum regni Dei. 276.2.c non denotatur veſte nuptiali. 411.1.c in Apoſtolis defecit in nocte paſſionis. 487.1.c.d cur id factum ſit. 2.d ipſa ſine bonis operibus non prodeſt, nec ad ſalutem ſufficit. 184.1.d.368.2.d.455.1.d.456.2.a.619.1.b.2.a.567.2.c qualem fidem Chriſtus, ſanaturus ægros priùs ab eis ſoleret requirere. 252.b.c quomodo ei tribuatur ſalus animæ & corporis. 21.1.a.2.a tunc ſub ea omnes aliæ virtutes intelliguntur. 1.b eſt ea neceſſaria aliquid à Deo impetrare volentibus. 404.1.a. fides Chriſti quia initio noua erat & paradoxa, hinc à Iudæis & Gentibus exagitati fuere eius præcones. 231.2.b fides miraculorum quæ ſit. 204.1.c.2.b eſt de Dei omnipotentia. 214.2.c hæc requiruntur ad dæmonem eijciendum. 338.2.b.339.1.c.d & hæc fides, eſt fiducia opis diuinæ impetrandæ. 339.2.a & vnde hæc oriatur. ibid.& ſeqq. poteſt hæc eſſe ſine charitate. ibid.c debet eſſe humilis, ſed acris ac vehemens: & talis transfert montes. ibid.d fides centurionis magna fuit, ſed habuere alij maiorem. 192.1.a fides hæreticorum, qua ſibi remiſſa credunt peccata, eſt vana imaginatio. 214.2.d

Fiducia magna, magna impetrat. 194.1.d ea eſt excitanda in malis ac tentationibus. 201.1.d

quod fieri vis tibi honeſtè & rectè ab hominibus, id ipſum ijs præſtandum. 178.2.a.b





Filia Iairi an defuncta ſit patre adhuc domi agente. 212.2.a.b denotat peccatores lapſos ex ignorantia, vel infirmitate. 214.1.c cur eam dormire dixerit Chriſtus. 213.1.b.c

Filius Religionem ingredi non poteſt in graui parentum neceſſitate. 302.2.b lege naturæ eos alere tenetur. ibid. verus Ioſephi filius fuit Chriſtus. 47.2.a. & ſeqq. filio ſuo communicat Deus Pater omnia. 252.1.a.2.a Patrem nemo nouit niſi Filius, & Filium nemo niſi Pater, quid ſit. 2.a.b eſt ei in dominio & poteſtate æqualis. ibid.b.c filius Dei viui eſt Chriſtus, ex confeſſione S. Petri. 315.1.b.c cur Filius hominis dicatur. 197.2.d.198.1.a.b plus eſt filius hominis, quàm homo. 198.1.c filij ob Euangelij profeſſionem contemnent parentes ſuos, imo vitam & omnia pro pietate exponent. 237.1.d filij ſæpè luunt ſua ſimul & parentum peccata. 429.1.b non tamen puniuntur grauiùs quàm propria peccata mereantur. ibid.c filij vocantur ab Hebræis omnes deſcendentes in recta linea. 44.2.b nos ſumus filij Dei, maximè imitatione eius. 151.1.d cur tres filios ſuos Herodes occiderit. 73.1.b.75.1.d.2.a aliorum filiorum ſuperſtitum diſſenſio. 75.2.c.d filij alieni dicuntur ſpurij. 268.1.a filios Abrahæ de lapidibus ſuſcitare poteſt Deus. 86.1.c.d.& ſeqq. qui filij Orientis dicantur. 59.2.d filij regni dicuntur Iſraëlitæ. 192.2.a vox filij quid denotet Hebræis cum aliquo addito. ibid. qui filij ſponſi vocentur. 210.1.b

Fimbrias quales in veſtibus geſtarent Iudæi. 589.2.b fimbriæ Chriſti tactũ ægri ſanabantur. 300.1.b

Finis mundi quando futurus ſit. 448.1.c.& ſeqq.

Flagella olim multiplicia erant. 525.1.b

Flagellatus eſt Chriſtus antequam damnaretur ad mortem. 523.2.d idq́ tantùm ſemel, ſed ad columnam ligatus. 524.1.a.b. idq́ atrociter. 2.a.b.& ſeqq.

Flagellatio apud Romanos fuit vile ſeruorum ſuppliciũ. 523.2.b flagellatio Chriſti quàm fuerit atrox. 524.2.a.& ſeqq. eius modus fuit S. Brigittæ reuelatus. 525.1.b.c

Flagitium aliquod conſuli aut iuberi dum videtur in Script. id non propriè, ſed figuratè & myſticè accipiendum eſt. 22.1.b

S. Flauia Domitilla, quia Chriſto velata vt virgo à S. Clemente ſuaſu SS. Nerei & Achillei, idcirco fuit cum his martyrio affecta. 234.2.b.c alia S. Flauia virgo & Martyr nuda ſuſpenſa fuit. 533.2.c

S. Flauianus Martyr ſpe gloriæ tormenta contempſit. 235.1.b

Flauius Clemens patruelis Domitiani Imp. & Flauia Domitilla cognata, ob Chriſtianam fidem interfici ab eo iuſſi. 231.2.a

Fœnum à Deo venuſtè veſtitur, quanto is magis veſtiet homines. 172.1.d

Fontes nonnulli in feſto Epiphaniæ in vinum conuerſi. 93.1.c

Forma conſecrationis calicis expenditur. 483.1.b.c.& ſeqq.

Fornicatio eſt cauſa diuortij. 142.1.c non tamen fornicatio ſpiritualis, id eſt peccatum. ibid.d

Forſitan quomodo addat Chriſtus in rebus certò futuris. 20.2.c hoc vt & fortè ſæpè accipitur pro vtique. 20.2.c.250.2.b

Fortitudine animi omnes dæmonis tentationes vincuntur. 105.2.c

Franciſcani ſine cenſu, Deo prouidente, commodè tamen ex eleëmoſynis fidelium viuunt. 121.1.d

S. Franciſcus ſuos à feminis voluit cauere. 147.1.c ad mortem vſque fuit pauper, & in paupertate mortuus eſt. 120.1.d.& 2.b.c.197.1.c.465.1.c eius de paupertate elogium. 121.1.b.c miraculum continuum in eius Ordine. ibid.d eius de perſecutione ſententia. 129.2.c à patre ob datam eleëmoſynam apud Epiſcopum accuſatus, etiam veſtes ei ceſſit. 147.2.b hinc vouit ſe numquam petenti eleëmoſynam negaturum. 149.1.c concinnauit paraphraſin orationis Dominicæ. 166.1.b.c delectabatur auibus, præſertim alaudis, vnde ei mortuo hæ etiam parentarunt. 170.2.c eius gnome de pecunia. 223.1.c ſuos ſine viatico prædicatum mittebat. 172.2.b 124.2.d ſuum inſtitutum hauſit ex Euangelio. 225.1.b c intrepidè fidem Chriſti coram Sultano Babylonio prædicabat. 231.1.a mirè ad martyrium anhelauit, hinc ter in Orientem eius potiundi ſpe profectus eſt. 73.2.c.236.2.d inſtantem mortem militi, ſuo hoſpiti prædicit. 239.2.c horrebat veſtis mollitiem, aſperitatem verò amabat. 244.1.b eius viſio de micis panum. 320.1.b orans eleuabatur in cælum. 331.1.d quomodo ſocium ſuum Bernardum ad omnia ſua relinquenda induxerit. 369.1.d delectabatur pueris & agnis ob innocentiam. 346.2.b eius ſuos ad paupertatem adhortantis oratio. 377.1.c.d ei humili glorioſa in cælo ſedes parata. 345.2.a.378.2.a cur Ordinis ſui Superiores vocari voluerit Miniſtros. 391.1.a doctor fuit humilitatis. 424.2.d quemdam è ſuis mendico detrahentem ſeuerè corripuit. 466.2.d in morte nudum ſe in terra proſtrauit. 533.2.c per impreſſa ſibi ſtigmata Chriſto crucifixo conformis effectus eſt. 535.2.c cur tantopere erga montem Aluerniæ afficeretur. 548.1.b cur in alieno ſepeliri voluerit. 553.1.a

B. Franciſcus Borgia Societ. Ieſu Generalis primo doctus eſt loqui Ieſus Maria. 402.2.c eius humilitas. 478.2.d

Franciſcus Lucas linguarum cognitione excelluit. 12.1.d

S. Franciſcus Xauerius ſine vllo viatico in Indias profectus eſt. 224.1.d vitæ ſuæ prodigus erat. 229.1.b eius humilitas & modeſtia. 391.1.a

Frater quis quadrupliciter dicitur natura, gente, cognatione & affectu. 54.1.b fratri in nos peccanti ſemper dimittendum eſt. 356.2.a.b fratres inuicem ſumus. 158.1.d fratrum paria tria inter Apoſtolos fuerunt. 221.2.a qui fratres Chriſti dicantur. 271.2.c.& ſeqq. hi ſunt eius patrueles. 289.2.b

Frigus ſit in inferno, propter quod dicatur futurus ſtridor. 194.1.b.c

Fructus digni pœnitentiæ qui ſint. 85.1.c.& ſeqq. fructus ſeminis diſpar vnde proueniat. 274.2.d & ſeqq. fructus Spiritus ſancti aſcribens ſpiritui immundo, blaſphemat in Spiritum ſanctum. 264.2.a quid fructus verbi Dei centeſimus, ſexageſimus & trigeſimus denotet. 280.2.d quos denotet ſtatus. 281.1.a.b

Frumentum & ſpica quid moraliter denotẽt. 587.1.d

Fuga perſecutionis ſæpè eſt occaſio fidei propagandæ. 232.

232.1.a eam ſugere quando ſit præceptum, quando permiſſio, quando conſilium. ibid.& ſeqq. an id præceptum fuerit perpetuum. ibid.c.d quando ſuga Chriſti in Ægyptum contigerit. 69.2.a non fuit ea formidinis, ſed fortitudinis. 70.1.d ſuga Apoſtolorum capto Chriſto. 502.2.b an ea licita. ibid.c.d
cur Fugere quàm citiſſimè ſuos Chriſtus iubeat excidium Ieruſalem. 437.2.c.d.438.1.a.c.2.b.c
per Fulgur videtur cælum aperiri. 94.1.c.d fulguris deſcriptio. 560.1.d.2.a.b optimè angelorum naturam & dotes repræſentat. 1.d item eorum gloriam: item quatuor dotes corporis glorioſi. 2.a item zelum, terrorem & iram ipſius angeli contra impios Iudæos & milites ſepulchri cuſtodes. ibid.b item ignem gehennæ. ibid.d vnde fiat, & tam citò videatur. 442.1.c eius & Chriſti analogiæ. 442.1.b
Fundamentum Eccleſiæ eſt Petrus. 316.2.a.& ſeqq. 317.1.c.318.1.a.2.b.c
Fundatores Religionum voluêre ſuos habere bona in communi. 197.2.c
Funibus adſtrictum fuit corpus Chriſti in cruce. 532.2.c
Fur dicitur à furuo, id eſt atro. 450.2.a veniet Chriſtus ſicut fur, dum minimè exſpectatur. ibid.c
Futura conditionata nouit Deus. 250.1.a.b

GAbriel idem quod fortitudo Dei. 558.2.d an is per triduum cuſtodierit cum alijs Dominicum ſepulcrum. ibid.560.2.b
Galilæa vox idem ſonat quod volubilis, vel tranſmigratio. 111.1.a.566.2.b & reuelatio. 566.2.c erat duplex, ſuperior & inferior. 110.1.a erat valdè populoſa. 2.d in ea Dominus transfiguratus eſt. 329.1.a cur in eam poſt reſurrectionem ire Apoſtolos iuſſerit. 562.2.b.c.564.2.b quæ fuerit eius rei cauſa ſymbolica. 562.2.c.d
Galilæorum ſecta omne vectigal & dominium Cæſaris abnuebat. 341.2.c
Gallinæ ſollicitus amor in pullos. 431.1.c infirmatur pro iiſdem. ibid.d voce ſe ijs accommodat. 2.b ramum rutæ ſub alis habens tuta eſt à fele: eſt fœcunda & vigilans. ibid.c eſt typus Eccleſiæ & ſacerdotum. ibid.d eius oua ſalubria ſunt & medica. 432.1.a pro pullis toto corpore dimicat. ibid.
Gallus bis de nocte cantat. 488.2.b
S. Gallus incendium per Euangeliorum codicem exſtinxit. 2.2.a
Gaſpar Barzeus Societ. Ieſu diſcordes ad vnionem redigere inprimis ſtudebat. 126.2.c
Gazophylacium erat arca pecuniaria templi: ſic quoque dicta porticus, in qua illa ſeruabatur. 610.2.b
Gehenna vox vnde dicta ſit. 137.2.d cur dicatur habere caminum. 286.2.a vide Infernus.
Gemmæ duodecim in cæleſtis Ieruſalem fundamento poſitæ quos quæque Apoſtolos deſignent. 219.2.c
cur per Genealogiam Ioſeph texatur Chriſti genealogia. 46.2.d.47.1.a.b genealogiarum libros exactiſſimè conſcribebant Hebræi, idq; die circumciſionis cuiuſque infantis. 73.1.a
Generatio Chriſti à S. Matthæo texitur vſque ad Abraham. 42.1.a.b generatio Chriſti ex Virgine fuit ſupernaturalis ſimul & naturalis. 50.1.d generationes ab Abraham vſque ad Chriſtum ſunt XLII. diuiſæ in tres teſſeradecades. 50.2.b.c & cur. ibid.d.51.1.a.b aliæ earum rationes. ibid.d cur generatio vna Iechoniæ ſit omiſſa in genealogia Chriſti. 46.2.c
Geneſareth eſt alius locus à Geraſa. 299.2.c eſt idem qui Ceneret, vel Ceneroth: ab ea dictus eſt lacus illi adiacens ſtagnum vel mare Geneſareth. ibidem d
quod dixit Dominus, ſe non bibiturum ampliùs de hoc Genimine vitis, non dixit in cœna Euchariſtica; ſed in agni paſchalis. 486.1.a.b.c
Gentiles orantes multa verba effutiunt. 157.2.a.b poſt epulas libabant dijs, & in illorum honorem pæana cantabant. 486.2.d etiam inimicos dilexerunt. 150.1.d iniurias illatas condonarunt. 148.1.a ſæpè meliùs viuunt quàm Chriſtiani. 161.1.d Gentium vocationem inſinuat Chriſtus. 192.1.c eas adiri ab Apoſtolis ſe viuente vetuit Dominus, cur: ſed poſt paſſionem paſſim ipſis euangelizatum eſt. 222.1.a ipſæ omnes priùs ſunt conuertendæ, quàm ſit futura orbis conſummatio. 232.2.b.c habebantur à Iudæis vt canes. 307.1.c quomodo his in regno cælorum ſint præponendæ. 379.1.d.& ſeqq. 380.1.d.2.a.b Gentilibus Chriſtianis laborantibus promiſſa merces ſpiritualis: longè nobilior, quàm fuit promiſſa Iudæis. 380.1.d laboratum venerunt horâ vndecimâ, Iudæi vocati horâ primâ. 382.2.c.383.1.b quomodo dicere queant ſe à Deo non fuiſſe vocatos. 382.2.d cum Iudæis in vna Eccleſia mixti fuere, id denotatum in aſina & pullo eius. 397.1.a ſunt in Eccleſiam admiſſi, Iudæis venire renuentibus. 23.2.d.97.2.a.308.1.d 405.2.d.407.2.a.410.2.c.d.411.1.c cur vocarentur Græci. 597.2.a
Genu vtrumque in oratione flectendum. 156.1.c 2.a
Genus humanum in Adamo peccans eſt velut ouis centeſima errans. 349.2.c.350.1.b
Geraſa alia eſt à Geneſareth. 299.2.c
Germen ſubinde dictus eſt Chriſtus, & cur. 77.1.d
S. Gertrudis voluntatem ſuam diuinæ ſemper accommodabat. 162.1.b
Geſta Chriſti ſuccinctè per annos digeſta. 13.1.a.& ſeqq.
Gethſemani quis locus, quod eius etymon, eius diſtantia à cœnaculo: cur eò Chriſtus ſeceſſerit. 489.2.b
Gladio vſi ſunt Iudæi in ſupplicijs reorum. 531.2.a gladio aliquem mutilantes gladio peribunt. 500.1.d gladius Petri non fuit culter, ſed enſis. 459.1.b.c.& ſeqq.2.a.b quem gladium venerit Chriſtus in terram mittere. 237.1.c
Glires hieme non comedunt. 100.2.d
in Globum transformanda non ſunt Beatorum corpora poſt reſurrectionem. 286.2.c
Gloria filia laboris. 334.2.c eius fuga eſt via ad gloriam. 66.1.c.d gloria mundi vana eſt & fugax. 397.2.a vana gloria non ſemper eſt peccatum lethale. 152.2.b vim virtutis erodit. 154.1.c ſecùs, ſi pòſt clàm irrepat & ſe ingerat. 2.a eius damna. ibid.b.c per eam tentat diabolus eos, quos gulâ ſuperare non potuit. 103.2.a gloriæ octuplicis ſcala. 128.2.a cur gloria cæleſtis conuiuio exprimatur. 192.1.c.d

per



per denarium omnibus æqualiter datum intelligitur. 381.1.a ſed non eadem datur omnibus. ibid.b.382.1.c vide Cælum.
Gnoſtici deprauarunt ſuis additionibus Euangelium S. Matthæi. 40.1.d docebant Chriſtum in tormentis poſſe ore negari, modò eius fides corde retineatur. 236.2.a.b quomodo parabolam decem virginum exponerent. 455.2.b Godefridus Bullionus rex Ieruſalem noluit ibi regiâ coronâ coronari. 528.1.c
Golgotha petra ſciſſa eſt moriente Chriſto. 547.2.c.d Golgotha quænam vox, vnde deriuetur. 531.1.c. vnde locus vbi crucifixus eſt Chriſtus, dictus ſit Golgotha. ibid.d
Gomor erat menſura diurni victus ſufficiens cuique. 173.1.a
Gordiana amita S. Gregorij à Religione defecit. 411.2.d
Gorgonia ſoror S. Gregorij Nazianz. tactu Euchariſtiæ ab incurabili morbo fuit curata. 300.2.a.589.2.c
Grabatus erat exiguus lectus. 206.2.a
Græci plerumque cœnabant, non prandebant. 192.2.d cur Gentiles dicerentur Græci. 306.2.a ſæpè mutant i in e in verbis Latinis. 594.2.d negant Græci Chriſtiani primatum Petri. 219.1.a cur ſacrificent in fermentato. 475.2.a.b
Græca lingua olim latè ſe extendit. 306.2.a.573.1.d 574.1.c eius erat olim magnus vſus Romæ. 574.1.c eâ S. Marcus Euangelium ſcripſit. 573.1.b.c
Granum ſinapis quid parabolicè ſignificet. 282.1.d. & ſeqq. eius & Euangelij analogia. 2.d
Gratis accepta, gratis alijs exhibenda. 222.2.a.b gratis dare ſummi eſt momenti, cur. 223.1.b
Gratia creſcit per actus remiſſiores. 240.1.b.& ſeqq. pro menſura gratiarum neglectarum quiſque acriùs in die iudicij caſtigabitur. 270.2.a.b idem gratiæ gradus in diuerſis diuerſos operatur effectus. 459.2.c gratia Dei & electio præſeruat electos à lapſu in grauiſſima tentatione. 441.2.b ei ex æquo & totis viribus cooperandum eſt. 459.2.b eam ſæpè nonnulli in vacuum recipiunt. 460.1.a eam ſemper poſtulantes, ſunt pauperes ſpiritu. 118.2.b talis paupertas quatenus ambienda & agnoſcenda ſit. ibid.d gratia gratum faciens tollitur peccato mortali. 461.1.d gratia potens neceſſaria eſt ad quærendum Chriſtum. 65.1.d gratiæ Dei donum eſt vita æterna. 384.2.a gratia prima non datur ſecundùm naturales vires & merita. 458.2.a
S. Gregorio libros ſcribenti dictauit Spiritus ſanctus ſcribenda per ſpeciem columbæ ad aures eius ſedentis. 95.1.c mortuum ab excommunicatione abſoluit. 320.2.d ſuâ tacitâ eleëmoſynâ meruit ſummum Eccleſiæ Pontificatum. 155.2.d tres habuit amitas quarum diſpar fuit exitus. 411.2.d
S. Gregor. Nazianzenus omnem terram pro patria habebat. 70.2.b ſimilis fuit Ioanni Bapt. 80.1.a
Gregorius Thaumaturgus fide ſuâ montem templi fabricam impedientem tranſtulit aliò. 339.2.d in monte orans, viſus eſt velut arbor. 600.1.d
S. Guilielmus Dux Aquitaniæ conuerſus lorica ferrea carnem domabat. 81.1.c quid ſenſerit de pœnitentia vitæq; circumſpectione. 179.2.a

HAbena dicitur ab habere, 281.2.b
Habere pro vti ſumitur interdum. 277.1.b habenti dabitur, non habenti etiam quod habet auferetur, quomodo intelligendum. 276.2.b.& ſeqq. 461.2.b
Haceldama quid ſonet & qualis vox. 517.2.b
Hæmorrhoides communis Hebræorum morbus. 523.1.d.2.a
Hæmorrhoiſſa fuit è Cæſarea Philippi: fuit ibi à Chriſto ſanata & in miraculi memoriam ei imaginem erexit quotidianis illuſtrem miraculis. 314.1.a. 589.1.c non fuit Martha, nec Veronica. 589.2.a eius fides & reuerentia. ibid.a.b. 590.2.a cur tremens ante Chriſtum prociderit. 590.1.b non habebat adhuc perfectam fidem in eum. ibid.
Hæreſiarchæ ſimiles ſunt cimicibus quia viui mordent. mortui fœtent. 131.1.b ſunt pſeudochriſti & ſeductores. 440.2.d
Hæreſis eſt lepra. 189.2.a
Hæretici codicem Euangeliorum deprauarunt. 2.1.c hæretici iudaizantes vinum & carnes dicebant à dæmone creata. 303.2.c hæretici ſunt lupi ſub veſte ouilla. 180.2.b.c eorum fructus eſt duplex, primus prauæ doctrinæ, ſecundus prauorum morum & ſcelerum. ibid.d ſi faciant bona opera, ea non faciunt ratione fidei ſuæ, ſed ex naturali propenſione. 181.2.a.b. ſæpè meliùs viuunt quàm Catholici. 161.1.d ad confirmationem ſuæ doctrinæ nullum hactenus edidere miraculum. 183.2. zizanijs denotantur. 281.2.d cur vocentur zizania. 285.2.d ſunt exſtirpandi & plectendi. 286.1.a ſunt portæ inferi. 319.1.a cenſent impoſſibilem eſſe continentiam. 366.2.a argumenta noua producunt, dum argumentis obiectis reſpondere nequeunt. 404.2.a ſunt velut corui atri, garrulæ picæ, & talpæ terreſtres. 443.1.d Sanctorum miracula calumniantur. 540.1.c
Hebdomada eiuſq; dies omnes à ſabbato denominabantur. 557.1.d
Hebræi celebrant conuiuia veſperi, non de die. 192.2.b dies ciuiles ab vno ortu ſolis ad alterum, ſacros à veſpera in veſperam computabant. 269.1.a.475.1.d.2.c.d.556.1.c pueris benedicere ſolebant. 367.1.a

## Hebræorum idiotiſmi.

Hebræorum verba actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc conſummatum ſignificant. 21.1.c 312.2.d antecedentia & cauſas tacent, conſequentia & effectus narrant. 22.2.a ex reſponſione colligendam relinquunt præuiam interrogationem. ibid.b ſilent nonnulla quæ tamen dicta eſſe, vel ipſi poſtea, vel alij dicunt aut inſinuant. ibid.c ſæpè verbum ponunt ſine ſuppoſito, quaſi hoc ex circumſtantijs, & antecedentibus & conſequentibus facilè intelligi poſſit. ibid.d exprimunt numerum, etſi aliquid ei deſit aut ſuper ſit itē numerum ponunt definitum pro indefinito. 23.1.a.b comparationem duorum denotant per affirmationem maioris, & negationem minoris. ibid.b per verbum ſimplex ſignificant omnia compoſita. 84.1.d.247.2.b inſtrumentum denotant per præpoſitionem in. 88.1.b idem habent pronomen abſolutum & reciprocum. 95.2.a per timorem ſignificant omnem Dei cultum. 108.1.c





vſur-

vſurpant imperatiuum pro futuro. 227.1.d verba contactus tum corporalis, tum mentalis conſtruunt cum propoſitione in. 236.1.a pronominis relatiui vel demonſtratiui antecedens non exprimunt diſertè, ſed illud ex circumſtantijs intelligendum relinquunt. 241.1.b ponunt relatiuum cum ſuo antecedente in nominatiuo. 265.2.c in vſurpant loco regiminis. 578.1.a & loco accuſatiui. 592.1.a vide Iudæi.

Hebraicus S. Matthæi, qui extat textus, eſt ſuppoſititius 40.2.d.41.2.a

S. Hedwigis Duciſſa Poloniæ mirè erga miſeros & abiectos afficiebatur. 346.2.a

Heluidius hæreticus docebat Deiparam alios è Ioſepho filios ſuſcepiſſe. 4.1.b.271.2.c

Hemerobaptiſtæ erat genus quoddam Phariſæorum quotidie ſeſe lauantium. 302.1.a

S. Henricus Imp. cum coniuge ſua Cunegunde in matrimonio, caſtitatem ſeruauit. 53.2.a

Henrici II. Imperatoris pœnitentia. 111.1.c

Henricus II. Angliæ rex cædis S. Thomæ Cantuarienſis reus, quam pœnitentiam ſubierit. ibid,d

Herba, ſpica, frumentum adaptatur profectui virtutum. 587.1.d

Hereditas vitæ æternæ quàm ſit ampla. 377.2.b

Hermiani hæretici ſuos igne baptizabant. 88.2.d

Hero anachoreta miſerè à diabolo illuſus ſe in puteum præcipitat. 104.2.c

Herodes Aſcalonita voluit haberi pro Meſsia. 59.1.a 71.1.a & fuit habitus à nonnullis. 412.1.c in eo defecit ſceptrum de Iuda. 59.1.a cur turbetur nato Chriſto. 65.2.c eius ambitio & crudelitas. ibid.c cur clàm ad ſe vocarit Magos. 66.2.b cur ſtellæ apparitionis tempus ex ijs didicerit, fingit ſe Chriſtum velle adorare, ſed necare deſtinat. ibid.c erat ſuſpicax & crudelis. 70.1.a videns ſe illuſum à Magis, iram in infantes effudit. 71.1.a quas pœnas dederit ob eos necatos. ibid.b.c cur occiderit eos à bimatu & infra. 2.1.d & quomodo id tempus intelligatur. 72.1.b.c cur tamdiu cædem hanc diſtulerit. ibid.d.2.d inter ceteros occidit & filium quintiduo ante ſuam mortem. 73.1.b ac paucis ante mortem diebus iuſsit occidi primates Iudææ, alios in carcerem coniecit, occiſurus ſi diutiùs vixiſſet. ibid.d mox Dei ſenſit vindictam. 74.1.a.b.75.1.d cur eum fugerit Chriſtus poſtquam Ioannem incarceraſſet. 577.2.a.c

Herodes Antipas fuit filius Aſcalonitæ. 59.1.c ei ab Auguſto conceſſa Galilæa. 75.2.c.d & poſtea datum nomen regis cum diademate. 76.1.b.2.b inſtigatione Phariſæorum Ioannem incarcerauit. 109.2.a.b ab Areta rege Arabiæ ſocero ſuo victus eſt. 293.1.c Chriſtum illuſit veſte alba velut fatuum, 520.1.c.d putabat Ioannem in Chriſto reſurrexiſſe, audiens eius miracula & geſta. 593.1.a.c cur vocetur rex, cùm eſſet tantùm tetrarcha. ibid.d habuit duas vxores. 2.b Herodiadem ducendo tripliciter peccauit. ibid.d erat malignæ indolis, & Ioanni infenſus. 594.1.a iuſsit eum decollari. 2.c.76.2.b ob iuſiurandum contriſtatus eſt, ſed fictè, quia volebat eum perire. 594.2.a.b pulſus eſt in exilium à Caio Imp. Lugdunum. 595.2.b.c erat atheus. 599.1.a.b

Herodes Agrippa fuit nepos Aſcalonitæ, & huius filius Agrippa iunior, coram quo S. Paulus cauſam ſuam perorauit. 59.1.c ille illuſus eo modo eſt quo aliàs Chriſtus à Iudæis. 529.1.a

Herodiani vnde dicti: fauebant hi Romanis tributum exigentibus. 412.1.c

Herodias concubina Herodis Antipæ, qualis fuerit, & cuius vxor. 593.2.b.c commiſit ei nubendo, inceſtum. ibid.c.d molita necem Ioanni, etiam Herodem ad eam induxit. 594.1.a petijt eius caput in diſco. ibid.b.c & eius linguam acu perforauit. 595.2.a ſed punitionem Dei ſenſit. ibid.b.c cur Ioannis caput reliquo corpori mortuo coniungere ſit verita. 293.1.a

Heri ſeruis magnam curam impendant. 194.2.a

Heſperus eadem ſtella, quæ lucifer & Venus. 555.2.a

S. Heſteria virgo in tormẽtis læto animo fuit. 535.2.b

Hiems incommoda fugæ eſt. 438.2.b

S. Hieronymus nouum Teſtamentum Latinum correxit ad Græcum autographum, at non vertit id, ſed tantùm vetus. 41.1.c

S. Hilarionis diuitiæ erat codex Euangeliorum. 7.1.c ab ijs quos curabat, nulla admittebat dona. 222.2.c hinc aurum ſibi ab Oriono oblatum vt in pauperes diſtribueret, admittere noluit. 371.1.a fide ſua mare intumeſcens ſtitit. 340.1.a cæcæ viſum ſputo reſtituit. 599.2.a

Hippone poſt mortem S. Auguſtini à VVandalis fuit capta & incenſa. 434.1.c

Hirundines hieme non comedunt. 100.2.d

Hiſpani moribundi olim monaſticen profitebantur, & cur. 111.1.b

Hœdi typus ſunt reproborum, & quare. 462.2.d

Homeritæ ſunt incolæ Arabiæ Felicis. 60.1.c

Homicidæ puniendi morte, niſi neceſsitate, vel fortuitò mortem intulerint. 135.1.d iuſto Dei iudicio pereunt gladio, ictu ſerpentum, aut morſu ferarum. 500.2.a

Homicidium, eiuſq; præludia etiam lege vetantur. 135.1.d.2.a.136.1.b

Homo S. Matthæi eſt ſymbolum. 10.2.c homo ſeptem dies ieiunans emoritur. 100.2.c eſt velut centurio, qui præeſt ſenſibus, viribus & potentijs ſuis, velut militibus. 194.2.b.c homo mutandus, vt eius opera mutentur. 265.1.c eius in operando continuò infirmitas. 347.1.c.d eius & arboris nouem analogiæ. 600.1.b.2.a eſt omnis creatura, cur. 619.1.b homo ex Deo natus poteſt peccare. 181.2.c homo immiſericors eſt, reſpectu Dei ſummè miſericordis. 358.1.d.2.a homo præſidens ſibi, fragilis eſt ac labitur. 509.2.c homines aliqui non ſunt ex natura boni, aliqui mali. 181.2.c omnes ſunt Dei mendici. 162.2.b & inuicem fratres. 149.2.b ac plantæ à Deo plantatæ. 304.1.c omnes habent angelum ad ſui cuſtodiam ab ortu vſque ad mortem deputatum. 347.2.c & cum Dei notione in mundum veniunt. 402.2.d ſunt ſerui Chriſti, duplici titulo. 461.1.b.c omnes coram Chriſto in die iudicij cõparebunt. 462.2.b homo omnis nobis eſt proximus & quaſi frater. 418.2.d

Honor ſequitur fugientes. 294.1.a eius ambitus à Chriſto vetatur. 424.1.b honor parentibus debitus tria continet. 302.1.c.d.303.1.a ad honorem Dei referenda ſunt omnia verba noſtra & opera. 267.1.b in templum Honoris non patebat aditus niſi per templum Virtutis Romæ. 387.2.b vide Gloria.

Horæ diei quibus vinitores illi Euangelici laborarunt, quid myſticè ſignificent. 381.2.a hora quælibet Iudæorum tres noſtrates complectebatur. 617.1.a cur hora nona mortuus ſit Chriſtus. 545.2.c


Horoſco-




Horoſcopus Chriſti naſcentis quis fuerit. 62.1.c

Hortus vicinus Gethſemani villæ deſcribitur. 498.2.d cur in eo Chriſtus ſuam paſsionem ſit orſus. 490.1.a.553.1.b

Hoſanna quid ſit. 398.1.c.d.& ſeqq. vnde deſumptum. 2.b.c.d hoſanna filio Dauid. quid ſibi velit, & quò referatur. 399.1.a.b.c hoſanna feſti Tabernaculorum quid ſit. 398.2.d.399.1.d

quid Hoſius Cordubenſis Antiſtes Conſtantio Imp. Arriano reſponderit. 320.1.c.415.1.a

Hoſpes Prophetæ, eius & prophetiæ meritum accipiet, 239.1.c.d hoſpes Martyris fit Martyr. 2.b

Hoſpitentur viri Apoſtolici apud probos. 226.2.c.d hoſpitium ne facilè mutent. ibid.d

Hoſtes etiam diligi iuſsit lex vetus. 149.2.a etiam Chriſtus. ibid.c

ſub parua Hoſtia totus cõtineri Chriſtus poteſt. 559.1.d

S. Hubertus martyrij fuit auidiſsimus. 236.2.d

Humanitas Chriſti fuit exemplar ſanctitatis. 54.2.c ex vnione cum Verbo ſummæ & quaſi immenſæ erat dignitatis. 88.2.a eſt in cælo & Ven. Euchariſtia. 568.1.c.d

Humilians ſe exaltabitur. 424.2.d

Humiles ſolent eſſent mites. 121.2.d humiles mente & voluntate ſunt pauperes ſpiritu. 118.1.c cælo apti cenſentur. 344.2.a.345.1.b Deum ſummè honorans ſe demittendo. 345.2.a amantur ab angelis. 348.2.b

ex Humilitate agnoſcitur aliquis ſanctus ſeu perfectus. 92.2.a eius ſigna. 92.2.d ea dicitur omnis iuſtitia. 91.2.d.& ſeqq.92.2.c eſt gratiæ, gloriæ, regnique cæleſtis initium. 118.1.d eſt honor Chriſtiani. 92.1.b in ſuperba mente habitare nequit. 197.2.c eſt omnium animi & corporis morborum medicina. 253.1.d.2.a.254.1.b eius dignitas & effectus. 253.2.b cur ipſa Chriſto chara ſit. ibid.d.& ſeqq. eſt ſedes pacis. 254.1.a tollit omnem laborem. ibid. eſt virtus Chriſti. ibid.b. facit iugum Chriſti ſuaue. 254.1.c eſt ſoror manſuetudinis. ibid. eſt pretioſa margarita. 287.2.a via eſt ad cælum. 345.1.b.d.390.2.d tres ad eam ſtimulos dat Chriſtus. 345.1.b eius elogia. 2.a gnomæ de eadem. ibid. dat homini cognitionem ſui. 345.2.c

quem Hymnum Chriſtus poſt cœnam dixerit. 486.2.b.d ſic & priſci Chriſtiani hymnos canebant. ibid.c

Hypocrita eſt quaſi biſtrio: eſt bicors & bilinguis: eſt Deo exoſus. 155.1.b eius deſcriptio. ibid.c eſt falſus doctor. 181.1.c ſæpè denotat impium. 452.2.b

Hyſſopus herba deſcribitur, huic circumpoſitum fuit acetum quod Chriſto propinatum. 544.1.a.b eius vires & potentia. ibid.c.d eius vſus in mundatione leproſorum. ibid.d

IAcabi etymon. 113.1.c an Iacob Patriarcha in vtero matris fuerit ſanctificatus. 49.1.a

S. Iacobus Maior filius Zebedæi, Hiſpaniæ Apoſtolus fuit. 220.1.b interfuit transfigurationi Domini. 328.2.b in quo fuerit tonitru. 584.2.c

an S. Iacobus Alphæi, vel Minor, in vtero fuerit ſanctificatus. 45.1.a cur dicatur frater Domini. 220.2.c eſt alius à Maiore filio Zebedæi. 289.2.b fuit auunculus Maioris. ibid.d vnde dicatur Minor. ibid.220.2.c

Idololatria vocatur in Script. adulterium. 267.2.d

Iechonias tam dictus eſt pater Ioakim, quàm eius filius Ioachin, vterque rex Iuda. 46.1.d.2.b.c

Ieiunabant olim in luctu. 210.1.c.d ieiunans vultus mœſtitiam diſcutiat. 166.2.d

à Ieiunis ſumenda Euchariſtia eſt. 479.2.a

cur Ieiunium vocetur ſtatio. 99.2.d potens eſt ad pellendos dæmones. 340.2.a quomodo inſtitui debeat. 166.2.b facit homines melancholicos & bilioſos. ibid.c eſt id diſsimulandum coram hominibus. 167.1.a.b.c ieiunium priuatum ſoluere licet ob hoſpites. 210.2.b in die ieiunij carnes comedens peccat, quia inobedientiâ & intemperantiâ inquinat animam. 304.1.a ieiunium diſcipulorum Ioannis quale eſſet. 209.2.c ieiunium Eliæ per XL. dies ſupernaturale fuit. 101.1.d ieiunium priſcorum Chriſtianorum quàm eſſet rigidum. 100.1.d quando ieiunium ſuum Chriſtus cœperit. 98.1.a quæ eius fuerit cauſa. 99.2.a.b.& ſeqq. id fuit ſupernaturale. 100.2.b.c vt & aliorum, qui ita ieiunarunt. 101.1.d

Ieremias putatus eſt venturus cum Elia in fine mundi. 314.2.b

Iericho quantum diſtet à Ieruſalem. 391.2.c Iericho etymon. ibid. quid ſymbolicè deſignet ibid.d

cur Ieruſalem primò adierint Magi Chriſtum ſtellâ duce quærentes. 59.2.b.c cur ea turbetur audiens natum regem nouum Iudæorum. 65.2.c cur vocetur filia Sion. 396.2.c & ciuitas ſancta. 549.1.d fuit Prophetarum carnifex. 431.1.a.632.1.b quia Chriſtum interfecit, relicta, deſerta & à Romanis expilata & exciſa eſt. 432.1.b.c.434.2.a.b quæ eius excidium ſigna præceſſerint. 535.2.c.d à Tito ſolo æquata fuit, & poſtea facta eſt vrbs Gentium, dein Chriſtianorum, ac poſtea Turcarum. 439.2.c futura eſt ſedes regni Antichriſti. ibid. dicta deinde ab Hadriano Impr. Ælia. ibid.d tempore obſidionis tres in ea fuere factiones, & ſingulæ ſuos habebant duces. 440.2.c

Ieſſe ſuo nomine præfigurauit Chriſtum. 45.2.c

Ieſus idem eſt quod Saluator. 39.1.c & quod Emmanuel. 57.1.b.c vide Chriſtus.

S. Ignatius Antioch. quantopere ad martyrium anhelarit. 236.1.c eius conſtantia. 129.2.a.b

S. Ignatius de Loyala in continua vixit quaſi perſecutione. 129.1.b.c eius ſermo efficax erat. 186.2.b

Ignem compeſcuit Euangeliorum codex. 2.2.a quos habeat effectus. 89.1.b quid myſticè denotet. 604.1.b.c quo ſenſu ſuos igne Chriſtus baptizet. 89.1.a.b igne vero ſuos baptizabant Hermiani & Seleuciani hæretici. 88.2.d ignis gehennæ eſt inexſtinguibilis. 89.2.c idem numero durat in æternum. ibid.d.& ſeqq.456.b.467.1.c.d in diſtantiſsima agere poteſt. 202.2.b qualis ſit. 465.2.b primò & per ſe paratus fuit dæmonibus, poſtea conſequenter etiam hominibus eos imitantibus. 466.1.b quomodo is dæmones cruciet. ibid.c reprobos non abſumet. 467.1.d 2.a.b erit velut ſal, corpora à corruptione præſeruans. 603.2.d. & ſeqq. ignis cælo delapſus impediuit Iudæos templum ſuum Hieroſolymæ reſtaurare. 440.1.a

quinque Illuſiones Chriſto à pontificum famulis per tres noctis horas illatæ. 509.1.c

Imaginis ab Hæmorrhoiſſa erectæ vis: eâ euersâ ſuam eius loco poſuit Iulianus Apoſtata, ſed hæc fulmine icta diſsilijt. 589.1.c

Immiſericordes ob opera miſericordiæ neglecta damnantur. 466.2.a.b

Immiſericordia nolentis proximo offenſam dimittere,


 

eſt

eſt peccatum mortale, ideoq; culpam remiſſam reuocat. 359.1.d.2.a.b

Immundorum contactus, quia inquinabat, hinc crebrò ſe Iudæi lauabant. 301.1.b.2.a

qui Imperare vult, diſcat priùs obedire imperanti. 191.2.a

Imperatores non ſe immiſceant rebus ſacris. 414.2.d

Imperio delectati durè regunt. 607.1.b

Impij vocantur paleæ. 89.2.c  ſubinde prophetant, ſed non ad hæreſim ſtabiliendam. 182.2.c  poſſunt abuti gratiâ miraculorum. 183.1.b  cur dicantur filij diaboli. 285.2.d  cur ſcandala. 286.1.d  ſi in peccatis perdurent, reſurgere nequeunt. 498.2.b  ſub finem ſæculi, etiam poſt tot ſigna viſa, non reſipiſcent, ſed genio indulgebunt. 449.2.a.b

Implere omnem iuſtitiam, quid ſit. 91.2.c.d

Impoſſibile ſæpè vocat Scriptura, quod admodum eſt difficile. 372.2.b  Deo nihil eſt impoſſibile. ibid.

Impoſtores Iudæorum varij enumerantur. 440.2.b.c

Incarnatio Filij Dei, fuit omnium Dei operum ſummum, & maximè ſtupendum. 50.1.d  quas in ea oſtenderit virtutes. 2.a  eius myſterium optimè per modum ſtuporis conſideratur. 56.2.d  per illam Deus nobiſcum eſt. 2.a  magis ſtupendum eſt opus quàm mundi creatio. 61.2.a

Incipientibus in via perfectionis, quæ ſectanda. 369.2.d

Inconſtantes ſunt velut lunatici. 114.1.b  & ſimiles arenæ. 185.1.b.c

Inconſtantiæ typus & adagia. 243.1.d

an Magi Chriſtum puerum adorantes fuerint ex India. 60.1.b.c

Indulgentiæ dantur defunctis per modum ſuffragij. 320.2.d.321.1.d

Infantes omnes recèns nati dicunt a vel e. 564.1.a  infantes in peccato originali mortui mediam ſententiam accipient. 462.2.d  infantes loqui neſcij Chriſto triumphanti etiam acclamarunt. 402.2.b  prima infantium vox ſit pia. ibid.c  omnes primò Deum ſonant. ibid.d  infantes Bethlehemitici cur cæſi à bimatu. 71.2.a.d  quantum hîc tempus complectatur. 72.1.b  eorum cædes contigit decimo quinto menſe à nato Chriſto. ibid.c  quo pacto omnes necati. 2.d.73.1.a  idque circa Paſcha. 73.1.c  occiſi ſunt XIV. millia. 2.a.b  ſunt Martyres. ibid.b.d.1.a.75.1.a  ijs non eſt acceleratus vſus rationis. 74.1.d  fuere quaſi agni paſchales, quia circa Paſcha cæſi. 74.1.b.c  & flores Martyrum. 2.a

Infernus vnde ſit tenebroſus. 193.1.  & quare vocetur tenebræ exteriores. ibid.& ſeqq.  eius capacitas. 180.1.b  eius pœna duplex. 286.1.d.2.b  eius cogitatio ſtimulus eſt ad vitiorum fugam, & ſtudium virtutum. 467.2.d  eius obliuio cauſa damnationis eſt multorum. 468.1.a  cur in eum relegari timeant dæmones. 202.2.b.c

Infideles ab Eccleſia puniri vel excommunicari nequeūt. 352.1.a  propriè non pertinent ad fideles: in die iudicij non iudicabuntur. 375.2.b

Infidelitas dicitur in Script. adulterium. 267.2.d

Ingratitudo poſt acceptam remiſſionem valdè peccatum adauget: quomodo præterita peccata reuocet. 359.2.b  ea maximè æſtimatur in quatuor peccatis: eſt cauſa peccatorum mortalium. ibid.c  hæc fuit ex parte cauſa triſtitiæ quam Chriſtus in horto paſſus eſt. 491.1.b.493.2.a

Inimicos diligi iubet lex naturæ. 149.2.a  etiam lex Euangelica. ibid.c  in eorum dilectione ſita eſt perfectio, & quare. 151.1.d  eam docet Chriſtus patiens. 497.1.c.2.d  eius emblema. 537.1.d  pro inimicis orare nos oportet exemplo Chriſti. ibid.c.d

Iniurias non dimittens non obtinebit peccatorum remiſſionem. 164.2.b.c

Innocentiæ ſilentium, vocalius eſt omni defenſione. 520.1.b

Inſidiatores cauendi ſunt. 229.2.d  & quare. 230.1.a

quæ Inſignia regalia milites Chriſto exhibuerint. 528.2.c

Inſolubilitatis matrimonij quæ ſint cauſæ. 362.2.d  id inſolubile primitus eſt inſtitutum. 363.1.c

Inſpirationes ſanctas reſpuere graue eſt ſcelus. 228.1.c.d  inſpiratio diuina tropologicè ſtella eſt. 64.1.d

Inſuperabilia tria, Deus, angelus, vir Chriſtianus. 185.1.a

Intellectus eſt animæ oculus. 168.1.d

Intentio mentis oculo repræſentatur. 168.2.b  eius effectus, tam puræ quàm impuræ. ibid.  intentio bona abſolutè non requiritur, ne verbū ſit otioſum. 266.1.c  intentio bona ex actionibus indifferentibus facit bonas. 267.1.d  at mala totum opus bonum deſtruit. 154.1.c.2.a

Interpres Euangeliorū non eſt S.Hieronymus, ſed alius minùs Latinus. 41.1.c  ille idem verbum Græcum diuerſimodè vertit, præſertim dum vna vox Latina vim verbi Græci non adæquat. 25.1.b  in Marco græcizat. 574.1.a  qui ſint interpretes Euangeliorum. 12.1.b.& ſeq.  qui interpretes in quo excellant. ibid.d  etiam hæretici. 2.a

Intrare in tentationem, quid ſit. 494.2.c

Inuenio ſæpè idem eſt quod impetro, eruo, comparo, aſſequor. 238.2.a  inuenire animam, quid ſit. ibid.b.1.c.d  inuenire ſubinde idem quod quærere. 2.c

Inuidiæ damna & remedia. 390.1.c

Inuitantur omnes ad Chriſtum. 253.1.a.b

Ioannis etymon 113.1.d  & quid ſonet. 315.2.d

Ioannes vocatus eſt pater S.Petri, & craſi Ionas. 315.2.d  vel fuit binomius. 316.1.a

S.Ioãnes Abbas triēnio ſolâ vixit Euchariſtiâ. 103.1.b

S.Ioannes Euangel. aquilâ denotatur. 10.2.c  ſolus narrat geſta anni primi prædicationis Chriſti 109.1.d.111.2.d  dilectus Domini fuit. 220.1.c  cur cum calice pingatur. 388.1.d.2.d  an verè fuerit Martyr. 2.c.& ſeqq.  non perdidit fidem in Chriſti paſſione. 487.2.d.488.2.a  non eſt cum Petro Chriſtum captum ſecutus. 503.2.b.c  in quo fuerit tonitruum. 584.2.d  eo Euangelium ſcribente, viſa fulmina, & audita tonitrua. ibid.

Ioannes Baptiſta fugiens Herodis perſecutionem bimulus ſeceſſit in eremum. 72.2.a.b  in ea vixit vſque ad ætatis annum trigeſimum. 79.1.c  & qua de cauſa: fuit princeps monachorum & anachoretarum. ibid.d  habitus & vocatus fuit angelus. 2.a.244.2.a  in deſerto egit in ſpelunca, & ibi prædicauit pœnitentiam. 79.2.d  fuit vox Dei. 80.2.b  eius veſtis fuit vilis, aſpera, & cilicina. ibid.d  cur tam auſteram ageret vitam. 81.1.a  cinxit lumbos zonâ pelliceâ. ibid.d  comedit locuſtas. 2.c.& ſeqq.  & licet cibus hic noxius ſit, ipſi tamen non nocuit: non bibit niſi aquam. 81.1.a  edit quoque ſilueſtre mel. ibid.b  magnus ad eum fiebat hominum ex vrbibus confluxus. ibid.c.d  baptiſmus eius qualis eſſet. 2.a  Phariſæos acriter increpabat. 84.1.d.& ſeqq.  negat ſe eſſe Meſſiam, etſi vt talem eū populus haberet. 88.1.a.b







eius humilitas. 2.a.b  cur baptizaret. 90.1.c  an fuerit à Chriſto baptizatus. 91.1.b.c  ipſe baptizauit Chriſtum, ab eo iuſſus id facere. 2.a.b  quare diſcipulos ſuos ad Chriſtum miſerit. 241.2.a 242.1.b  non dubitauit num Ieſus eſſet Meſſias, nec an ſit iturus ad limbum. 242.1.a  ipſius prudentia. ibid.c  laudatur à Chriſto à conſtantia in dictis. 243.1.b  à victus aſperitate. 242.1.a  fuit pluſquam Propheta. ibid.c.d  omnium veteris teſtamenti fuit maximus. 2.b  in quibus maior fuerit Moyſe. ibid.c.d  fuit quaſi continuum miraculum, alia eius elogia. 245.1.a.b  viam aperuit ad regnum cælorum. 2.c  fuit quaſi lucifer Euangelij. 247.1.b.c  cur dicatur Elias. ibid.d  cur & vbi in carcerem ſit coniectus. 593.1.d  fuit verè Martyr. 594.1.c.d  præſciuit ſuam necem. 2.a  eius caput in diſco epulis illatum. ibid.d  ſeptem eius laureæ. 595.1.a  quando ſit occiſus, & quo menſe. ibid.a.b  ſepultus eſt in Sebaſte, vbi plurima patrauit miracula. 2.d

S.Ioannes Calybita librum Euangelij pro cenſu habuit. 7.1.d  ſuper S.Ioannis Chryſoſtomi ordinandi in ſacerdotem caput aduolauit columba. 95.1.d  numquam iurauit. 143.2.c  in exilium actus, ſui oblitus, curam habuit ſuorum. 511.2.d

Ioannes Eleëmoſynarius ad eleëmoſynas faciendas accenſus fuit exemplo Spiridionis. 4.2.c  priùs cum Clerico, à quo offenſus erat, in gratiam redijt, quàm ſacrificium Miſſæ perageret. 138.2.d  omnibus egentibus dabat. 149.1.b  quid egerit vt principem iræ tenacem ad reconciliationem adduceret. 164.2.c.d

Ioannes Fernandez illatam à Iapone iniuriam patienter excipiens, cauſa fuit, vt Iapones eius doctrinam ſint amplexi. 146.1.a

Ioannes Gerſon ſtudioſè pueros docuit. 367.2.a

Ioannes Laydanus rex Anabaptiſtarum Monaſterij. 440.2.d

Ioannes Marcus alius eſt à Marco Euangel. 572.1.c

è littera iod maximam hæreſin confinxit Valentinus. 133.2.a

Ioiada ſacerdos alio nomine dictus Barachias. 430.2.b

Ionas abſorptus & eiectus à ceto, eſt ſignum Chriſti mortui & reſurgentis. 268.b.c.2.a  quo tempore Niniuitis prædicarit. 269.2.b  eius & Chriſti antitheſes. ibid.2.c

Iordanis fluuius vnde diceretur. 82.1.d  eius aqua à Chriſti baptiſmo non corrumpitur. 93.1.d  vbinam eius origo. 313.2.c

S.Ioſaphat Eremita duro carnem ſtrinxit cilicio. 81.1.c

per Ioſeph ſucceſſit Chriſtus in regnum Iuda. 47.1.b  eius pater & aui fuere maximi natu, vt ius regni Dauidici ad eos deuolueretur. ibid.c  fuit iure & verè Chriſti pater. 2.a  habuit in eum paternam auctoritatem. ibid.d  ei debetur ſumma dulia. 48.1.a  eius dignitas & prærogatiua: fuit maritus B. Virginis, pater Chriſti: & vterque eum ſummoperè amauit & coluit. ibid.b  eius officium & miniſterium fuit nobiliſſimum. ibid.c  factus eſt ſecretorum diuinorum particeps, & ſummarum Chriſti & B. Virginis virtutum quotidianus inſpector: fuit eximiæ ſanctitatis, & raris naturæ & gratiæ dotibus à Deo inſtructus. ibid.d  in gratia & gloria antecellit Apoſtolos & Ioan. Baptiſtā: eſt vita functus ante mortem Chriſti: poſt mortem vna cum ipſo reſurrexit. 2.a  ſua virginitate meruit vt fieret coniux B. Virginis. ibid.b  multum ſanctitatis è quotidiana eius conuerſatione accepit. ibid.c  creuit in amore & reuerentia Chriſti: fuit angelus potiùs, quàm homo: à S.Thereſia magno in honore habitus fuit. ibid.d  an fuerit in vtero matris ſanctificatus. 49.1.a  fuit vir & coniux Deiparæ. 52.1.a.b.c  fuit virgo, & B.Virginis famam & virginitatem tutatus eſt. 53.1.a.b 271.2.c  eius magna virginitas. 53.1.c  eius familia fuit ſymbolum SS. Trinitatis, & cælum terrenum. 2.a.b  neſciebat initio B. Virginem de Spiritu ſancto concepiſſe. 54.1.c  cur eam voluerit dimittere. 55.1.b.c  non comitatus eſt eam, dum Eliſabeth viſitauit. 2.c  cur eius nulla fiat mentio in adoratione Magorum. 67.2.a  cur Archelaum declinarit. 75.2.b.c  iuſſus ab angelo ex Ægypto in terram Iſrael redire, Iudæam intellexit, ſed audito ibi Archelaum regnare, ſeceſſit in Galilæam, cur. 75.2.b.c.76.1.c  non aliam habuit vxorem, quàm B.Virginem. 271.2.c  per eum Chriſtus in mundum intrauit, & per alium Ioſeph exiuit, & ſepultus eſt: Ioſeph quid ſignificet. 551.1.c.d

Ioſeph ab Arimathæa erat ſenator Ieruſalem, & ibi habitabat, noluit ſubſcribere ſentētiæ collegarum damnantium Ieſum. 551.1.d  erat Chriſti diſcipulus, petijtq; eius corpus à Pilato audacter. 2.a  quid Pilato allegarit ad ipſum impetrandum. ibid.b.c  mira de eo hiſtoria. ibid.c.d  è Iudæa ablegatus, in Anglia Chriſti fidem prædicauit. 552.1.a  corpus Chriſti gratis à Pilato accepit. ibid.b  id ſepulturus inuoluit in ſindone munda. ibid.c

Ioſephus hiſtoricus putabat concupiſcentiam internam non eſſe peccatum. 140.2.a  eius de Chriſto teſtimonium. 566.1.c  eius errores aliquot. 593.2.c

Ioſeph vel Ioſes frater Iacobi Minoris fuit è LXXII. diſcipulis Chriſti. 289.2.c

Ioſue, tranſito Iordane, in eius medio alueo duodecim erexit lapides. 86.1.a

Ira in corde ſupprimenda eſt. 123.1.c  ira externa & interna vetatur præcepto homicidij. 135.2.a.136.1.a  quæ ira ſit licita, quando ſit peccatum, quando non. 135.2.a  aliquando eſt laudabilis. ibid.c  quomodo à Deo puniatur. 136.1.b.c  iræ prauitas. ibid.c  eſt aliquando leuis, aliquando grauis. 137.1.b  & iuxta eius grauitatem punitur minùs vel grauiùs. ibid.c.d  ea fuit in Chriſto, ſed domita. 583.1.c.d.2.a  eius diffinitio. 1.d  ea aliter in hominibus eſt, aliter in Chriſto fuit. 2.a  omnis ira mixta eſt dolore. ibid.b  ira iudicis Dei timenda. 84.2.a.b  hæc cauenda per præſentem pœnitentiam. 85.1.a.b.c.87.1.c

Iritare alium non oportet, vt tuam ab eo læſus exerceas patientiam. 147.1.d

Irriſionibus excipiendis ſe paret, qui ſe dat pietati. 233.1.d

Iſaac figura fuit Chriſti. 45.1.c

Iſrael dicebantur omnes Hebræi. 539.2.b  Iſraelis regimen tertiò fuit mutatum. 50.2.d

Iſraëlitæ cur dicantur Filij regni. 192.2.a

Iuda vocabatur tribus Iuda, quæ regum fuit. 59.1.a

Iudææ regnum mortuo Herode diuiſum in tetrarchiam: ſed Iudææ propriè dictæ præfuit Archelaus. 75.2.c.d  eo in exilium acto ſuffecti præſides Romani. 76.1.a  in ea Chriſtus à reſurrectione non niſi obiter apparuit. 562.2.d.564.2.b

Iudæi in cloacam delapſi, & ſabbato extrahi nolentis, exemplum lepidum. 259.2.a  Iudæi longas ſuas veſtes zona ſuccingebant. 81.1.d  gloriabantur quòd eſſent filij Abrahæ. 85.2.d  in ceteris caſibus

debebant peccata ſua ſacerdoti confiteri. 82.2.b frequenter Græca nomina aſſumebant. 112.1.d. 220 1.b.d orabant tum ſtantes, tum genuflexi. 156.1.b.c Gentiles æſtimabant viles & impuros velut canes. 190.2.d.413.1.a vocabant ſe populum ſanctum. 209.1.a cælum & aſtra pro Deo coluere. 404.2.c legis diuinæ obſeruantiam & memoriam externis quibuſdam ſignis indicabant. 423.1.d non habebant vſum ceræ ad lumina. 454.1.c ſubacti à Romanis etiam vſi gladio in reorum ſupplicijs. 531.2.c linguam Græcam perdiſcebant. 573.1.d diem & noctem in quatuor horas diuidebant. 617.1.a eorum ſepeliendi ritus. 552.1.d.2.a eorum doctores manu ferebant virgam. 226.1.b promiſſa ijs olim fuit merces temporalis. 380.1.d non libenter ſoluebant vectigalia Romanis, nec tributa. 208.2.d.413.1.a an iuſtè fuerint Romanis ſubiecti. 413.2.d ſponte ſe Romanis dediderunt. 414.1.b iam à Romanis ſubacti, vtebantur computu eorum in die & nocte diſterminanda. 269.1.b.c.d didrachmam cenſus ipſis pendebant, & qua occaſione. 341.2.b eam ſoluebant inuiti, ſed à Veſpaſiano ſubacti ipſum quod templo aliàs pendebant, in Capitolium ferre iuſſi ſunt. ibid.c habebant ius aliquem crucifigendi. 515.2.c

Iudæi diſſoluti, qui Gentilibus familiares erant, & gentiliter viuebant, vocantur in Euangelio peccatores 208.2.d nam tempore Chriſti ſceleſtiſſimi erant. 495.2.d non tamen omnes erant mali, ſed multi ex ijs erant eius diſcipuli, vel in fide patrũ firmi. 515.1.c eorum incredulitas in Chriſti actis. 338.2.b.c eorum diuerſa de ipſo opinio: alij credebant eum eſſe vnum è priſcis Prophetis, pauci eſſe Meſſiam. 314.1.c.d qui neſciebant Chriſtum eſſe Dei filium, eum crucifixerunt. 537.1.d in quo Cainum ſint imitati, & eum vt patrem habeant. 430.1.a.b adimplentes Scripturas de occidendo Chriſto, an peccarint. 501.1.c venientes ad Chriſtum capiendum, vno verbo poſternuntur in terram. 498.1.d eorum cæcitas. 2.d eorum Chriſtum ad necem præ Barabba petentium punitio durat vſque hodie. 522.1.d.523.1.b.c.& ſeqq. imprecantur ſibi & poſteris culpam & vindictam effuſi à ſe ſanguinis Chriſti. 523.1.b inſtanter eum in crucem agi petunt. 522.2.c voluerunt eum infami morte ex odio afficere. 534.1.a ei crucifixo probra ingerunt. 539.1.b.c & quæ: ibid.d eorum multi conuerſi ob Chriſti mortui reſurrectionem. 268.1.c

Iudæi & Galilæi, aduentantibus Romanis, turmatim Ieruſalem confugerunt, putantes ibi ſe fore tutos. 437.2.c eorum clades per Titum contigit ob Chriſtum occiſum. 439.1.c atque inde conuinci poſſunt Meſſiam iam veniſſe, & eſſe illum quem ipſi occiderunt. ibid. quot eorum in vrbis obſidione perierint, & eâ captâ diuenditi & necati fuerint. 2.a.b quot eorum millia excidio ſuperfuerint, & ſaluata ſint. 440.1.d eorum multi tempore obſidionis in templo flammis vel gladio Romanorum ſunt abſumpti. 441.2.d in talionis pœnam, quia Chriſtum Romanis tradidere vt ab eis necaretur, Romanis & Tito traditi ſunt, vt ab eo vaſtarentur & exſcinderentur. 515.2.d iam perperam Scripturam legunt & intelligunt. 499.2.d eorum hodierna excæcatio. 542.1.a ea repræſentata fuit in facie Moyſis de monte deſcendentis velata. 508.1.c ob opprobria Chriſto illata omnium facti ſunt probrum. 509.1.b ob incredulitatem à fide ſunt reiecti, & Gentiles ad eam adoptati. 87.2.a.c Euangelium repellentes ingratitudinis arguuntur. 228.1.a.b ſunt vocati horâ primâ, Gentes vndecimâ. 382.2.c.383.1.b ægrè tulerunt Gentes ſibi æquari in Dei cultu, Eccleſia, chriſtianiſmo, gratia & gloria Chriſti. 257.1.b 380.2.a.b.383.2.b arrogabant ſibi ſolis Meſſiã quaſi ſibi ſolis à Deo per Prophetas promiſſum. 383.2.b Euangelio erant increduli vſque ad finem mundi. 232.2.c ſed tunc Chriſtum agnoſcent, quem eorum patres agnoſcere noluere. 432.2.c ſuper Iudæos nouiſſimos venêre ſupplicia priorum. 429.2.d.430.1.b.2.d ſunt à Deo impediti templum ſuum Hieroſolymis ſub Iuliano Apoſtata reſtaurare. 440.1.a

Iudas Galilæus negabat Iudæos debere Romanis vectigal pendere. 341.2.c.342.1.d.413.1.a.b

Iudas Iſcariotes vnde dictus ſit: cur ſit à Chriſto electus, cùm ſciret eum fore proditorem. 221.1.b quam occaſionem captarit ad Chriſtum Iudæis prodendum. 385.2.a.471.1.b.d & ipſe murmurauit de profuſione vnguenti, & alios ad indignationem ex auaritia excitauit. 472.1.c deſtinauit Chriſtum Iudæis prodere. 473.2.a quomodo ſatanas in eum intrarit. ibid.b pactus eſt de pretio venditionis cum principibus. ibid.d eius pretij vilitas. 474.1.a.614.1.b.c accepit quintam partem pretij vnguenti Magdalenæ. 474.2.b triginta eius maledictiones. ibid.c quæſiuit opportunitatem Chriſti tradendi. ibid.d interfuit cœnæ paſchali, & cum ceteris Apoſtolis communicauit, & creatus eſt ſacerdos. 477.1.c.d.2.a.c intinxit ſæpiùs manum in patinam iuſculi. 478.1.d detectum ſe palàm videns, conſcientiâ ſceleris egreditur ad proditionem perficiendam. 2.b.479.2.b rogat quoque an ipſe eſſet proditor. 479.1.a.b 478.1.c.2.b hæc proditio quàm grauе fuerit ſacrilegium, & ideo ſumma eius damnatio. 478.2.d factus eſt dux Latronum. 496.2.a eius veſania. ibid.c cur oſculum dederit in ſignum, ad Chriſtum agnoſcendum. ibid.c.d oſculatur eum, & oſculo ab eo excipitur. 497.1.a.& ſeqq. poſt oſculum Chriſtum non agnouit percuſſus ἀορασίᾳ. 498.1.b repulſus ab eo, iuit ad cohortem, & proſtratus fuit in terram. ibid.c malè pœnitens retulit argenteos, & contractum reſcidit. 516.1.a.b deſperans de Ieſu vita, & de ſalute ſua, laqueo ſe ſuſpendit, proiectis priùs argenteis in templo ad pedes ſacerdotum. 2.a.b.& ſeqq. eſt è ſuſpendio mortuus. ibid.c auaritia eum perdidit. 517.1.a ſuſpendium fuit eo dignum ſupplicium. ibid.b

S. Iudas Thadæus trinomius fuit. 220.2.d vide Alphæus.

Iudicum eſt ſedere. 374.1.a iudex Deus omnia quàm exactiſſimè inquirit, & iudicat diſtrictè. 140.1.b iudices Chriſti quomodo eum viſuri ſint in die iudicij. 506.1.a

Iudicantes temerè, ſæpè etiam ab alijs ſiniſtrè iudicantur, ſed non ſemper. 175.1.c.d.2.b.c.167.1.b

Iudicium pro condemnatione ſæpè ſumitur. 135.2.c iudicium quod aduerſus Chriſtum formant Scribæ, caruit forma veri iudicij. 504.2.b.c iudicium temerarium hominum priuatorum vetat Chriſtus. 175.1.a & quare. ibid.c

Iudicium vniuerſale dependet à particulari. 449.2.d an id de nocte fiet. 456.1.a fiet ſupra vallem Ioſaphat. 442.2.d.462.1.a non peragetur in momento.



momento. 463.2.a cur eius dies imminere dicatur. 89.2.b hæc eſt velut dies meſſis. 286.1.c ea imminens ſecuri ad radicem poſitâ denotatur. 87.1.b.c item ventilabro. 89.1.d in ea ne vnus quidem impius abibit impunè. 411.1.d non erit tunc excuſationi locus. 2.a in ea grauiùs punientur qui maiorem Dei cognitionem & gratiã habuere ſed ea vti noluere, & qui maiora beneficia & gratias acceperunt. 250.1.d.270.2.a

Iugum Chriſti eſt lex Euangelica, gratiæ & charitatis. 253.1.d.254.2.a eſt id ſuaue. 254.2.b ipſe illud portantes iuuat. ibid.d eſt id molle. 255.1.b & ſeqq. ſed hominibus carnalibus & ſuperbis videtur graue. 2.b.c

Iulianus Apoſtata Chriſtum per contemptum vocabat Galilæum & Nazarenum. 77.2.d ſtatuam Chriſto ab hæmorrhoiſſa erectam euertens ſuam ſubſtituit, ſed hæc fulmine icta diſſilijt. 589.1.c

S. Iulianus & Baſiliſſa in coniugio caſtè vixere. 53.1.d

Iulius Romanus idem valet, quòd regalis Hiſpanicus. 235.1.c vide Denarius.

Iulius Cæſar iuuenis diſcinctus caueri iubebatur à Sylla, cur. 81.2.a

B. Iuniperi in conuitijs patientia. 148.1.b

Iuniperus arbor à S. Franciſco maledicta hactenus non excreuit quòd fuiſſet cauſa inobedientiæ. 403.2.b

Iurandi conſuetudo cur iam paſſim inualuerit. 145.1.c.d licet iurare Chriſtiano. 143.1.b.2.d non tamen debet iurare, niſi coactus. 1.c.d in cælo non iuratur. 2.c iurandi conditiones. 1.b 2.b 144.1.c per cælum & terram nefas iurare. 2.a

Iuramentum omne vetitum, non tantùm periurium. 143.1.a iuramentum ſubinde licitum. quia eſt honor Dei. ibid.b eius debitæ conditiones. ibid.2.b ſed temerarium illicitum. ibid.d iuramentum extorquere ab eo quem ſcis peieraturum, graue ſcelus eſt. 143.2.c nullum exſtât de eo præceptum affirmatiuum in Scriptura. 144.1.b per Sanctos iuramentum eſt licitum. 2.c iuramentum iniquum licet reſcindere. 594.2.b per creaturas factum etiam obligat. 426.1.b.c etiam per templum. ibid.c.d.2.b & per cælum. 2.c

Iura ciuilia non repugnãt diuinis, nec hæc illis. 414.2.b

Iuſtificare difficilius eſt quàm creare. 205.2.c.d

Iuſtitia duplex eſt prima virtus, quæ cuique ſuum tribuit: qui eam ſitiant: & ſecunda complexio omnium virtutum. 124.1.d.2.a iuſtitia omnis, eſt humilitas. 91.2.c.d alia eſt iuſtitia ima, alia media, alia ſumma. 92.1.c iuſtitiam eſurire, quid ſit. 123.2.d.& ſeqq. & qualis ea ſit. 124.1.c.d propter iuſtitiam pati quid ſit, idq́ beatum eſt, ob tres cauſas. 127.2.b.c iuſtitiæ rigor poſt hanc vitam. 140.1.b

Iuſtus ſemper deſiderat fieri iuſtior. 124.2.a.b eius ſaturitas in cælo. ibid.d nihil timet aduerſi. 201.1.a aliquando peccet venialiter neceſſe eſt in genere. 347.1.c iuſtum in nomine iuſti recipiens, mercedem iuſti recipit. 239.2.c

Iuſti aliquando adhuc animales ſunt. 210.1.a cur dicantur filij regni. 285.2.b cur dicantur ſemen. ibid. iuſti veteris teſtamenti eguerunt etiam fide & gratiâ Chriſti. 209.2.a

Iuuentus quid in angelis repræſentet. 559.1.a.b

K

Ἀπομειδιάω quid ſignificet. 56.2.a

Kepha ſyriacè petram ſonat, & S. Petri nomen. 316.2.d.317.1.c.2.a non deriuatur à Græcò κεφαλή. 318.1.b

κωφὸς tam mutum quàm ſurdum in Script. ſignificat. 215.1.c

L

L Sæpè mutatur in r & in alias litteras. 148.1.a

Lacrymarum in pœnitente vis. 512.2.a ſunt opus ſatisfactorium. ibid.b lacrymas non fundent damnati. 194.1.a lacrymæ S. Petri. 512.2.a

Lacus eſt vas, quo vinum prælo expreſſum excipitur. 610.1.a

Lætitia maxima eſt pro Deo ſuſtinere opprobria. 129.2.c lætitia ſpiritualis optimum contra tentationes eſt remedium. 108.2.b ea præferenda eſt in omni opere bono. 167.c.d

Laicis ſufficit vna ſpecies Euchariſtiæ, cur. 482.2.c

Lampas pro face vſurpatur. 132.1.c lampades in Italia ſunt turritæ. ibid.b.c lampades ſunt virginum, tædæ virorum. 455.1.a

Λαός, id eſt populus, dicebatur à λᾶας, id eſt lapis. 86.2.c

cur Lapis magnus ſepulchro Dominino aduolutus ſit. 553.2.a lapis reprobatus, in caput anguli factus, quis ſit. 407.2.a lapides igniferi in Oriente docent cauendam vicinitatem feminæ. 141.1.b lapides in panes conuertere, Chriſti eſt, panes in lapides, diaboli. 102.2.c.d

Latinâ linguâ non ſcripſit Euangilium Marcus. 573.1.a quædam Latinæ voces in Græco Euangeliorũ textu vſurpantur. 179.2.c Latina verſio vetus tam Matthæi quàm Marci ex Græca editione tranſlata eſt. 41.1.d.573.2.d

Latronis quod ſit etymon. 401.2.d latrones duo cum Chriſto crucifixi ſunt. 539.1.a horum vnus damnatus, alter ſaluatus, quid ſymbolicè denotent. ibid.b eorum vnus Chriſtum in cruce blaſphemauit. 540.2.d

S. Laurentius Martyr fuit granum ſinapis. 283.2.c.d

S. Laurentij Iuſtiniani morituri votum. 308.1.a & vltima verba. 455.2.d

Lauretanæ domus trãſlatio per angelos facta. 404.1.b

Lazarus ad vitam à Chriſto reuocatus, denotat peccatores inueteratos ægrè conuerti. 214.1.c

Lebbæus quid hebraicè ſonet. 220.2.d

Legalia quando mortua, & mortifera eſſe cœperint. 438.2.c

Legio quot contineat capita. 500.2.d.589.1.a

Lemures ſunt dæmones minùs maligni & minùs validi. 340.1.d

Leo S. Marci eſt ſymbolum. 10.2.b

Lepra quàm grauis & contagioſus ſit morbus, eſt incurabilis. 187.2.b quædam tamen eius remedia. 188.1.a de ea iudicare poterat quiuis ſacerdos. 579.2.c

Leproſus à Chriſto curatus, vbi fuerit curatus. 187.2.a quomodo eum adorarit. 188.1.a credidit eum eſſe Deum. ibid.c cur à Chriſto ſit tactus. ibid.d

Leproſi in ciuitatibus habitare non poterant. 187.2.a eorum tactus inficiebat. 188.1.c

Leui erat aliud nomen S. Matthæi. 581.1.b

Legis doctor rogat Chriſtum de mandato magno legis, & quorſum. 417.2.d

Lex ciuilis non punit animum, ſed tantùm opus externum. 140.1.d lex poſitiua in neceſſitate cedit legi naturæ. 258.1.b Superiori legi diuinæ contraria iubenti non eſt parendum. 422.2.a lex diuina non tranſibit. 133.1.b.c ſæpè vocatur teſtimonium. 189.1.c eius præuaricatores punientur, ergo ipſa obſeruanda eſt. 133.2.b.c eius vel minimum mandatum violans, caſtigabitur. ibid.d eam

eam Chriſtus non venit ſoluere, ſed perficere & adimplere. 132.2.c.d. 135.1.a lex vetus & noua editæ ſunt in monte. 115.2.a diuerſa bona ſui obſeruatoribus promittunt. 576.1.b illa fuit timoris, hæc amoris & libertatis. 4.2.b. 411.2.c vtriuſque antitheſes variæ. 3.2.a. & 4.1.b.d. 5.1.a & ſeqq. 2.c. 5.1.b.c. 2.c. 6.1.b. 2.d. 7.2.c lex vetus per angelum data eſt Moſi. 3.2.a fuit velut vmbra 4.1.d promittit terrena & caduca. 5.1.a erat onus graue. ibid.b erat via ad Chriſtum. ibid.c data fuit ſolis Iudæis, & erat temporaria. ibid.d fuit rudis & imperfecta. 135.1.c obligare deſiit in Pentecoſte. 247.1.c eius abrogatio in transfiguratione Chriſti repræſentatur. 336.1.d.2.c eius myſteria à Iudæis ad Gentes migrarũt. 547.1.a.b cur lex noua ſuauis ſit. 254.2.b

Libamen, vel libatio, in ſacrificio quid eſſet. 482.2.a. 483.2.a

in Libano transfiguratus non eſt Dominus. 329.1.a

Libellus repudij permiſſus tantùm fuit à Moyſe, non præceptus. 363.1.a.b per eum licebat aliam vxorem ducere. 2.b

Liber Hebræis idem ſonat quod catalogus. 44.1.c.d quid ſit liber generationis Ieſu Chriſti. ibid.d 2.a

vnde mos Liberandi captiuum aliquem in Paſchate ortum habuerit apud Iudæos. 520.2.b

Libertas hominis in rebus agendis non repugnat præſcientiæ Dei. 20.2.d

Libra auri continet vncias auri XII. 458.1.d & quot libra argenti. 474.1.b

Lictores faſces & virgas alligatas ſecuri geſtabant. 226.2.b. 523.2.d

Ligandi poteſtas in Rom. Pontifice quintuplex eſt. 320.2.a quouſque ſe extendat. ibid.b.c. & ſeqq.

in Ligno crucis ligni peccatum expiatum eſt. 534.1.c

Liliorum commendatio. 171.2.b.d ea erant in veſte Salomonis acu picta, vti & aliorum. ibid.c ſunt ſymbolum gloriæ cæli. ibid.c cur ſint pulchriora veſte Salomonis. 172.1.a

in Limbum deſcendit anima Chriſti mox vt exſpirauit. 553.1.c quamdiu ibi manſerit. ibid.d. 558.1.a.b

vt Lingua & aures ſpiritualiter aperiantur orandus eſt Deus. 597.2.c donum linguarum olim plerique in baptiſmo accipiebant. 619.2.a

Litteræ ſæpè in alias mutantur. 148.1.a

Locus in quo Chriſtus baptizatus fuit, nobili monaſterio & templo fuit decoratus. 93.2.a quis fuerit ille locus. ibid.b.c locus horti, in quo Chriſtus orauit Patrem dum pauere deſcribitur. 492.2.c.d

Locuſtis veſcebantur multi Orientales. 81.2.d earum nonnulla canunt vt cicadæ. ibid.c quomodo coquerentur. 82.1.a

Lolium idem eſt, quod zizania. 281.2.a.c

Longinus centurio morte Chriſti viſâ eum Dei filium confeſſus eſt. 549.2.a & eum reſurrexiſſe aſſeruit. 566.1.c

Lotiones crebræ Phariſæorum ſuperſtitioſæ. 301.1.b. 2.a. 597.1.a.b & ritus earum. 2.b

S. Lucas vitulo denotatur. 10.2.b ſæpè negligit ordinem rei geſtæ. 103.2.a

Lucernæ ſunt etiam lampades, faces, tedæ. 132.1.b ſunt ſymbolum virorum Apoſtolicorum. ibid.c lucernæ conſpectæ omen dedêre martyrij ſocijs S. Cypriani. 456.1.c

S. Lucia Syracuſana Martyr quàm intrepidè Paſchaſio præfecto loqueretur. 321.1.a

Lucifer à Chriſto ad duellum in deſerto prouocatus eſt 98.2.d tentauit Chriſtum & Adamum. 99.1.c.d in cælo ambiuit vnionem hypoſtaticam cum Verbo. 102.1.c princeps eſt dæmonum. 215.2.d in cruce à Chriſto victus detruſus eſt in tartara, vt ibi ligatus maneat vſque ad diem iudicij. 262.2.c vocatur draco, ſerpens antiquus, ſatanas antonomaſticè. ibid. eſt criminator & accuſator hominum, etiam ſanctorum. 466.1.d

Lucrari talenta quid ſit. 459.2.b

quis luctus ſit beatus. 123.2.a ſuos habet gradus. ibid.b

S. Lutgardis omnem cibum humanum faſtidiuit. 103.1.b

S. Ludouici regis Franciæ pietas in egenos. 465.1.b.c

Lud. Alcazar multa excidij orbis ſigna non litteraliter, ſed ſymbolicè interpretatur, non rectè. 444.1.b 446.2.a

S. Ludouico Toloſano Epiſcopo apparuit Chriſtus in forma leproſi. 189.2.d

Ludus puerorum lamentantium & canentium. 247.2.c

Lugentes prout oportet conſolabuntur. 123.2.c cur lugere pro ieiunare ſumatur. 210.1.c quia lugentes abſtinent cibo. ibid.d

cur Lumbos zonâ pelliceâ Ioan. Baptiſta cingeret. 81.1.d

Luna neceſſario obſcuratur ſole obſcurato. 444.2.b an in ea habitent homines quidam. 122.1.b

Lunatici ſunt ægri qui lunæ & lunationibus ſubiacẽt. 113.2.d. 338.1.b.c in lunatici curatione modicæ fidei Dominus arguit non Apoſtolos, ſed lunatici patrem & Iudæos. 338.2.a.b

Lutheri impia dogmata. 180.2.d

Luxuriæ motus ſanat ſacra Synaxis. 590.1.a

Lycurgus in iniurium beneuolus extitit. 150.1.d

S. Lydwinæ burſa, è qua pauperibus ſuccurrebat, nunquam euacuabatur. 295.2.b

M Sæpè liqueſcit in L. 310.2.a

S. Macarius ſuos identidem ad luctum excitabat. 123.2.c

Μακάριος derivatur à χαίρειν, beatus à gaudere. 117.1.b

Macedonij monachi ſenis humilitas. 148.1.d

Maches Abbas de quibus alios iudicarat, in eos defectus incidit. 175.2.d

cur Madianitæ dicantur Æthiopes. 60.2.a

Magedan erat opidum vltra mare Galilææ. 310.2.a an idem cum Dalmanutha: non eſt Medan, nec Mageddo. ibid.b

Magia eſt aſtrologia naturalis, & licita ſcientia; ſed iam abuſiuè ad incantationem & veneficia vox traducta eſt. 59.2.a

Magi vox eſt Perſica ſignificans ſapientes. 59.1.d idipſum & in alijs linguis Orientalibus ſonat. 2.a

Magi Chriſtum adorantes fuere ſapientes. 59.2.a.b cur adierint Hieroſolymam. ibid.b venerunt ab Oriente, an è Perſide. ibid.c.d quota die à natiuitate Chriſti Bethlehem venerint. 60.1.a an fuerint Chaldæi, aut Meſopotamij, aut Indi. ibid.b fuiſſe Arabes verius eſt. ibid.c.d & regulos, & numero tres. 2.c.d fuerunt à S. Thoma Apoſtolo conuerſi: eorum nomina & dona: fuere prædicatores & Martyres: quomodo eorum corpora Coloniam tranſlata ſint. 61.1.a eorum fides & magnanimitas. ibid.b quomodo viſâ ſtellâ, ex ea cognouerint natum Chriſtum. 62.1.a ex oraculo Balaam & Sybillis in ſtella eum cognouere. ibid.d ſed maximè inſtinctu & reuelatione Dei. 63.1.c.d vocantur per ſtellam quia aſtrologi. 65.2.a ſunt primitiæ Gentium. ibid. Chriſtum adorarunt in ſtabulo. 67.1.b.c quid cum B. Virgine & quâ linguâ fuerint locuti: quid à Chriſto pro donis ſuis in ſpiritu receperunt. 2.b eum adorarunt cultu latriæ vt Deum. ibid.c ſinguli non ſingula, ſed tria ſimul dona dederunt. 68.1.c eum odorarunt decima à natiuitate die. 2.a quo pacto per aliam viam redierint ad propria. 69.1.b eorum fides & conſtantia. ibid. viſâ ſtellâ quamprimùm profectionem adornarunt. 72.1.d

Magiſtri ſententiarum error circa peccatum originale. 305.1.b

Magiſtri reliqui quomodo à Chriſto magiſtro differant. 424.2.a

Magnanimitas in proſperis æquè atque aduerſis nobis habenda. 152.2.c non ſumere vindictam, magnanimitas eſt. 146.1.d

Magnanimus iniurias obliuiſcitur & contemnit. 148.1.b

Magnus Pan mortuus eſt, vox audita ſub Tiberio Imp. quid innuat. 548.1.c.d

Mahomet impoſtor, columbæ id facere edoctæ aduolatu populo perſuaſit, ſibi Spiritum ſanctum familiarem eſſe. 95.2.a epilepticus erat, & inde Turca epilepticos venerantur. 338.1.c

Maieſtas Chriſti ad iudicium venientis in quo apparebit. 446.2.c. 462.1.a.b.d

S. Malachias vno verbo furibundam mulierem manſuefecit. 186.2.b

Malcho aurem amputatam Chriſtus reſtituit. 498.2.d. & 499.1.a.2.d cur in eum potiùs quàm in alios Petrus inſilijt. 2.d an ſit à Chriſto conuerſus. 500.1.b

Malitia ſumitur ſubinde pro afflictione. 174.1.a

Malum quatenus deprecari liceat. 165.2.a mala quæ Deus fieri permittit, quatenus fieri velle poſſimus. 160.2.d. 161.1.a.b.d quomodo dicantur homines mali. 178.1.b. vide Impij.

Mamercus Oſcis idem quod Mars. 572.1.a

Mammona difficilis eſt dominus. 168.2.d mammonæ etymon. 169.1.d.2.a

Mandatum maximum legis eſſe ſacrificia docebant Phariſæi, dilectionem Chriſtus. 418.1.a.b vide Phariſæi, Præceptum. 456.1.b

Mania ex melancholia maximè vexat in plenilunio. 338.1.c ſed ex pituita in nouilunio. ibid.d

Manichæi docebant Chriſtum veram carnem non habuiſſe, ſed phantaſticam. 188.2.b & carnem & vinum creata eſſe à diabolo. 303.2.c.d

Manſiones multæ & variæ ſunt in cælo. 381.1.b.c. 382.1.c.d manſiones XLII. Hebræorum in deſerto reſpondent totidem generationibus vſque ad Chriſtum. 51.1.d

quæ Manſuetudo beata ſit. 122.1.a eius effectus, & quinque gradus. ibid.b eius elogia. ibid.c eius acquirendæ media. 123.1.c manſuetudo Chriſti in ſufferendis Scribis, diſcipulis, turbis, probris, iniurijs. 253.2.c.d eſt humilitatis ſoror. 254.1.c reddit hominem longæuum. ibid.b eius natura & proprietas. ibid.d & effectus. 2.a

Mantica vtrimque geſtata ſymbolum temerarij iudicij. 176.1.d

Manus dicta à manando. 188.2.a manus vocatur brachium à ſcapulis vſque ad digitos protenſum: eas homo habet exporrectas. 259.1.b ijs carent angeli propriè, ſed eas ſubinde cum corpore aſſumunt. 105.1.c manus illotæ hominem non coinquinant. 205.2.d cur tamen eas lauare expediat & decens ſit: eas lauabant olim oraturi. ibid. eas lauari à ſumpturis cibum vſitatum. 597.1.a manuum impoſitio eſt ſignum poteſtatis & dominij, tum voluntatis propenſæ ad ſanandum. 212.2.b 213.2.b quid ea denotaret. 366.2.d hanc Eccleſia vſurpat in Baptiſmo, Ordine, Pœnitentia. 367.1.b manus Chriſti erant viuificæ & ſaluificæ. 368.1.a

S. Marcellinus deſignatus eſt Epiſcopus Rauennæ iudicio columbæ. 95.1.c

S. Marcellinus Pontif. metu tormentorum, non peccauit contra fidem, ſed contra eius profeſſionem. 487.1.c cur eum iudicare non præſumpſit Concilium Sinueſſanum. 354.1.d

Marcia familia dicta ab Anco Marcio rege Rom. 571.2.c vnde dicti ſint Marcij. ibid.

Marcion docebat Chriſtum ſe cruci ſubduxiſſe. 530.2.c

Marci nomẽ imponebatur Romæ primogenitis. 572.1.b quid id hebraicè ſonet. 571.2.a quid latinè. ibid.b

SS. Marcus & Marcellianus fratres in tormentis exultarunt. 535.2.a

Marcus Eremita ſibi pollicem amputauit ne fieret ſacerdos. 572.1.b

S. Marcus Euangel. leone denotatur. 10.2.b. 571.1.b eius breue elogium & vita. 571.1.a ſcripſit Euangelium Petro narrante & confirmante. ibid.b ei adaptantur nominis Marci etyma. 2.b eius religio & fortitudo. 572.1.a fuit S. Petro carus, ceu filius. ibid.b fuit natione Hebræus ex tribu Leui, alius fuit à Ioanne Marco. ibid.c fuit poſt mortem Chriſti à S. Petro conuerſus. ibid.d eius cum Matthæo æquatio. 2.a quo anno Euangelium ſcripſerit. ibid.b quàm piam Alexandriæ Eccleſiam fundarit, & ſcholam erexerit. ibid.b.c poſtea martyrio coronatus eſt. ibid.d Venetias eius corpus tranſlatum eſt. ibid. qua lingua Euangelium ſcripſerit. 573.1.a putatur Græcâ ſcripſiſſe. ibid.c.d idq; patricijs & nobilibus. ibid.d forte & græcè & latinè ſcripſit. 2.b non curat ordinem rei geſtæ. 574.2.b.c

Mare moriente Chriſto fluctibus horrendis inſonuit. 547.2.b mare Tiberiadis & Galilææ, & Stagnum Geneſareth, eſt idem. 112.1.c quàm id latum & longum ſit. 296.2.d

Margarita ſymbolum regni cælorum vel Euangelij. 287.1.c margaritarum pretium. ibid.d

S. Maria Ægyptia per annos XLVII. in deſerto ſine cibo terreſtri vixit. 103.1.b cur per XVII. annos à conuerſione ſenſerit acres luxuriæ ſtimulos. 206.2.d

Maria Alphæe & Cleophæ vxor, vna & eadem eſt: modò dicta Maria Cleophæ, modò mater Iacobi & Ioſeph: quatuor habuit filios. 290.1.c.d. 551.1.a ſanctè eſt mortua in Iudæa, inde tranſlata Verulas in Italiam. 290.2.b ſedebat contra ſepulchrum. 553.2.b venit vnctum Dominum ſepultum. 557.2.a

S. Maria Magdalena pœnitens ſolo cantu paſta fuit angelico. 103.1.b bis vnxit Ieſum. 471.2.a & quomodo. ibid.d ab eo excuſatur. 472.2.b & ſeqq. cur mortuum Chriſtum vngere non potuerit. 473.1.a eius factum ſemper in Eccleſia recolendum promittitur. ibid.d indiuiſè abſtabat cruci. 551.1.a venit vnctum Chriſtum ſepultum. 557.2.a quin etiam dux fuit aliarum ſepulchrum adeuntium. 561.1.c.d. 563.2.a.b. 564.1.c

S. Maria Oigniacẽſis diu ſine omni vixit cibo. 103.1.b

audiens

audiens à Deo matrem ſuam eſſe damnatam, eius voluntati acquieuit. 161.1.c

B. Maria Virgo in conceptione fuit in vtero ſanctificata. 49.1.c  concepit filium ſine opera viri. ibid. c.d  peperit virgo. ibid.2.a  eſt verè mater Dei. ibid.b  habuit in Chriſtum ius & auctoritatem maternam. ibid.c  quænam per eam conſecuta ſit priuilegia. ibid.d  magis eſt mater Chriſti, quàm ſint aliæ matres ſuorum filiorum. 50.1.b  concurrit ad generationem filij ſui vt cauſa ſecunda, non tantùm paſſiuè, ſed & actiuè. ibid.c  cur deſponſata ſit Ioſepho. 52.1.2.a  afuit cum eo coniugata. ibid.c.& ſeqq.  eius cum eo matrimonium verum fuit.2.c.d  nonniſi vnicum filium, Chriſtum ſcilicet, peperit, nec vllos poſt eum ex Ioſepho. 54.1.a.b.58.1.a.2.a  materiam filio concipiendo ipſa ſola ſubminiſtrauit. 2.a.55.1.a  effectiuè etiam concurrit ad generationem eius. 55.1.a  cur Ioſepho non dixerit ſe de Spiritu ſancto concepiſſe. 2.a  eius reſignatio & confidentia in Deum. ibid.b  eſt Deipara. 56.2.a  ſemper etiam poſt partum manſit virgo. 57.2.d.58.2.b.271.2.c  eſt ſtella maris mundi huius. 64.1.c  quid cum Magis ſit locuta. 67.2.b  per Nazareth repræſentatur. 78.2.a  fuit à Chriſto baptizata. 91.1.b  cur venerit cum cognatis, vt Chriſtum in Nazareth abducerent: 272.1.b.c  eius cuſtos fuit S.Gabriel ex ordine Seraphinorum. 347.2.d  eius afflictio fuit vna ex cauſis triſtitiæ, quam Chriſtus in horto paſſus eſt. 491.1.b  an inter fuerit flagellationi eius. 525.1.b  adſtitit cruci eius. 550.1.d  quantus eius hîc fuerit dolor. 2.a.b  quæ mentis conſtantia. ibid.b.c  an apud Domini ſepulchrum triduo manſerit. 553.2.c  ideo non venit ad vngendum eum, quia ſciebat eum die illa reſurrecturum. 557.2.a  qui ei & primò ante alios apparuit. 564.2.b

Maritimæ vrbes maiorem habēt peccandi occaſionem. 250.1.d

Maritis licitum erat vxores adulteras apud iudices accuſare. 55.2.d

Marius & Martha cum filijs martyrium adepti ſunt, quòd Martyres captiuos viſitaſſent & aluiſſent. 239.2.a.b

Martha cur miniſtraret conuiuio Simonis Leproſi. 471.2.a  non fuit hæmorrhoiſſa à Chriſto curata. 589.2.a

an S.Martialis Epiſc. fuerit puer ille quem Chriſtus in medio ſtatuit, aut puer habens quinque panes hordeaceos & duos piſces. 344.2.b

S.Martianus ignem à templo S. Anaſtaſiæ arrepto codice Euangeliorum compeſcuit. 2.2.a

S. Martinus in cinere & cilicio mortuus eſt. 81.1.c  eius eleëmoſynam Deus euulgauit. 155.2.c  calumniantem clericum Britium ſuſtinuit & beneficijs affecit. 497.2.b

Martyr dum occiditur, in ſanguine ſuo baptizatur. 88.2.d  in quæſtionibus & tormentis aſſiduè Deum inuocet. 230.2.d  eſt velut granum ſinapis. 283.2.c  Martyr quilibet eſſe poteſt. 230.1.b  Martyrum tres ſunt claſſes. 73.2.c  eorum eſt non reſiſtere malo, nec ſe defendere. 146.1.c  eorum hoſpites ſiunt Martyres. 239.2.b  Euchariſtiæ ſumptione ad certamen ſe comparabant. 484.2.c.  ad ignominiam flagellabantur. 523.2.b  conſideratione crucis Domini animabant ſe ad quælibet tormenta. 535.2.a  tamen nihil tale paſſi ſunt, quale Chriſtus. 502.2.a  eorum omnium tormenta Chriſtus in cruce ſenſit. 534.2.b  hinc eorum dux eſt. 236.2.c  Martyres Africani plurimi fœtore ſtercorum enecti. 137.1.a

Martyrium ex opere operato dat gratiam: operatur idem quod baptiſmus. 73.2.c  eſt baptiſma. 129.2.a  & recta via in cælum. 179.1.d  eius excellentia. 236.1.c.2.b  id ipſum ſummopere deſiderarunt viri Apoſtolici. 1.c  cur vocetur calix. 388.1.c.d

Martyrius monachus Chriſtum in leproſi ſpecie humeris portauit. 189.2.c

Maſculus ſeptimus continua generatione prognatus qua vi ſtrumas curet. 183.1.d

Matrem ſe habere non negauit Chriſtus, nec illius eum puduit, dum ait, Quænam eſt mater mea? 272.2.a  cur humilem eam elegerit. 289.2.b  mater quædam ad filij, quem mortuum credebat, conſpectum præ gaudio moritur. 350.2.a  mater filiorum Zebedæi, dicta Salome, quando acceſſerit ad Chriſtum primas cathedras filijs ſuis ab eo poſtulās. 386.1.d  idq; inſtinctu filiorum. 2.a  cur primo petijt aliquid in confuſo. ibid.b  quæ fuerit occaſio petitionis eius. ibid.d  videtur excuſanda. 387.1.b  matrum ploratus in cæde paruulorum. 74.2.d

Maternitas Dei quantæ ſit dignitatis. 49.2.c  quæ ex ea conſequantur priuilegia. ibid.d.& ſeqq.

in Matrimonio ius vir & femina par habent. 142.1.c  eſt inſolubile. 362.1.a.2.b.c.363.1.c  & quare 362.2.c.d  inter Ioſeph & B.Virginem matrimonium verum, licitum & ſanctum fuit. 52.2.c.& ſeqq.  matrimonij virginalis tres effectus. 2.d

Matthæi etymon. 42.2.a.220.2.b  S.Matthæus Euangel. homine denotatur. 10.2.c  primus ſcripſit Euangelium. 40.2.a  non ſcripſit græcè, ſed hebraicè. ibid.b.c  Hebræus tamen textus modò intercidit. ibid.d  ſcripſit iuſſu Apoſtolorum, & quando. 41.1.a  videtur ſententias vet. Teſtamenti iuxta Hebraicam veritatem citaſſe, ſed interpres Græcus in ſua tranſlatione ſubſtituit verſionem Septuag. 2.a  in quo eius Euangelium præcellat alijs. 42.1.a.b  fuit Æthiopiæ Apoſtolus, & virginitatis victima. ibid.b  voce Chriſti vocatus eum ſecutus eſt. ibid.208.1.d  eius abſtinentia: quid S.Brigittæ reuelarit de ſuo Euangelio. 42.2.b  item modum vocationis ſuæ. 208.2.b  in quo Moyſen ſit imitatus. 43.1.a  Capharnai videtur vectigalia redemiſſe, & in telonio ſediſſe. 208.1.a.b  eius humilitas & gratitudo. ibid.c  quomodo à Domino vocetur. ibid.  inuitauit alios publicanos ad conuiuium præſente Chriſto. 2.c  eius modeſtia. 219.2.c.220.2.b  idem dictus eſt Leui. 220.2.b  ſæpè ordinem rei geſtæ in ſuo Euangelio immutat. 194.2.c.d.216.2.d  plerumque in eo ſeruando accuratus. 231.2.b  ſæpè multa ſimul conglobat. 502.1.b.c  in quo à S. Luca differat. 116.2.a.123.2.d

Mauri numerant annos ab ortu mahometiſmi. 11.2.d

Maxillam alteram præbere percutienti, ſubinde conſilij, ſubinde præcepti eſt. 146.2.b.c.147.1.c

S.Mechtildis doloribus capitis preſſa, in vulnere lateris Chriſti leuamen ſenſit. 255.1.a  moriens cæleſti voce in cælum euocata eſt. 464.1.a

Medan non eſt idem locus cum Magedan. 310.2.b

Medici priùs curent ſalutem animæ, quàm corporis. 205.1.a

Mel, quod edebat S.Ioannes in deſerto, quale eſſet. 82.1.b.c  mel nouum vino veteri miſcendum, vt fiat mulſum.



mulſum. 212.1.c  mel nouum eſt optimū. 288.2.c

Membrum nullum nobis licet reſecare. 141.2.c  niſi corpus periclitetur. 142.1.b

Mendici docēt nos orare & opē Dei poſtulare. 118.2.b

Mēſurā peccatis & peccatoribus ſtatuit Deus. 429.1.a

Mentha qualis ſit herba. 426.2.d

Merces ſupponit meritum. 129.1.d  merces boni operis ad Deum relati eſt diuina & æterna. 154.2.c  at vana intentione facti perit. 155.1.d.2.a  merces reſpondet merito, hoc autem facit gratia. 383.1.b  mercedem Prophetæ accipere, quid ſit. 239.1.b.c  mercedis in cælo inæqualitas. 280.2.d

in Meridie adam peccauit, & Chriſtus in cruce fixus. 536.1.b.c.545.2.c

μεϱιμνᾶν quid ſit. 170.1.b.230 2 d

Meritum maius facit non maior labor, ſed gratia maior. 380.1.c.d  ſine præuijs meritis homo iuſtificatur. 54.2.b.c  merita vel demerita parentum in filios redundant. 429.1.b

an è Meſopotamia venerint Magi Chriſtum natum adorantes. 60.1.b

Meſſiam qualem Iudæi expectarent. 314.1.c  eum eſſe Chriſtum confitetur S.Petrus. 315.1.a  Meſſias nō erat purus homo, ſed etiā Deus. 419.2.a.b.420.1.a  eius eſt miſerorum miſereri. 392.2.a

Meſſis vocatur multitudo populi parata ad recipiendam ſalutarem doctrinam. 216.2.a  dominus meſſis eſt Chriſtus. ibid.b

Metatheſis in littera R. frequens eſt in varijs linguis. 584.2.b

Metempſychoſis Pythagorica qualis eſſet. 593.1.a

Micas quare colligi iuſſerit Chriſtus poſt multiplicationem panum: eas etiam colligunt morati Religioſi: quæ miracula circa eas ſint facta. 310.1.a.b

S. Michael cuſtodit ſummum Pontificem. 348.1.c  eius etymon. 2.b

cur Milites olim ruſſatis vterentur veſtibus. 527.1.a  milites qui ad Chriſtum capiendum venerant, percuſſi ſunt ἀοϱασίᾳ. 498.1.a.b.c  vno eius verbo in terram proſternuntur. ibid.d  cur milites ſeruarint Chriſtum in cruce fixum, ea cuſtodia confirmauit reſurrectionem. 538.1.b  milites inhibentes volentem dare acetum Chriſto, an dixerint ſine; vel hic illis, ſinite. 544.2.a.& ſeqq.

Mina ſiue mna, vnde dicatur, quod eius pretium. 458.1.c.d

Minæ Euangelicæ iunctim omnes recenſentur. 30.1.b

Minimum mandatum decalogi, etiam eſt maximum. 133.2.d.& ſeqq.  quis minimus in regno cælorum vocari dicatur. 134.1.d

Miniſter colaphum Chriſto impingens, quis fuerint. 504.1.d  miniſtrorum barbara ſæuities Chriſto illudentium. 507.1.d.509.1.c  quot miniſtri eum flagellarint. 524.2.c

Minor in regno cælorum, maior eſt Ioanne Baptiſta. 245.1.b.c.& ſeqq.

Minuta duo cuius eſſent pretij. 610.2.b.c

Miraculum eſt certum ſignum veritatis & rectæ fidei. 182.2.d  miracula malo fine facere aliquis poſſet: tunc Deus concurrit quidem ad miraculum, at non ad malum finem. 183.1.b.c.d  quæ ſit diſpoſitio ad impetrandum miraculum. 204.2.a  vt conuenienter fiat, requiritur potentia in patrante, & fides in patiente. 592.1.b  id patraturus ieiunet & oret. 340.2.b  miraculum quinque panum & duorum piſcium. 294.2.c  miracula Chriſti ordine temporis quo patrata ſunt, ſigillatim digeſta. 31.1.a  miracula non neceſſaria petens à Deo, eum tentat. 105.1.d  quorſum Chriſtus ea faceret. 113.2.b.c  cur ea diuulgari nollet. 598.1.a  ea diuulgantes tamen non peccabant. ibid.  ea etiam per malos fiunt. 182.2.b  eorum fides includit fiduciam ſanitatis conſequendæ. 204.1.c.2.b  cur eorum poteſtas Apoſtolis à Chriſto data ſit. 222.1.d  ea arguebant Chriſtum eſſe Meſſiam. 242.1.c  miracula Chriſti crucifixi ſubſannant pontifices. 539.2.a  quæ ſint myſtica miracula fidelium. 619.2.c.

Miſericordiæ ſex ſunt gradus. 125.1.d  ipſa eſt ſumma, ſed pia vſura. 2,a  præſtat ſacrificio. 209.1.d.258.2.b  intuitu Dei facta ampliùs meretur, quàm quæ intuitu affectus naturalis. 240.1.a  tegit culpas miſericordis. 464.2.c

Miſericordes in alios, miſericordem experientur Deum. 125.1.b.c  cur præ alijs cælo adiudicentur. 464.1.b

è Miſſa non recedendū niſi poſt actas gratias. 486.2.c

Mites plerumque ſunt pauperes. 121.2.d  ſunt domini terræ & cæli. 1.d.2.a  & cordis ſui. 123.1.a  poſſident in cælo corpus ſuum per gloriam, & Chriſti per configurationem: animos omnium ſua manſuetudine ſibi conciliant. ibid.a.b  ſunt longæui, cur. 254.1.b

Mœchatur quiſquis vxorem inſontem dimiſerit. 364.1.a.d  item qui noxiâ dimiſſâ aliam ducit. ibid.c.d

Moyſes eſt auctor legis. 3.2.a  in quo fuerit minor Ioanne Baptiſta. 244.2.c.d  cur apparuerit cum Elia in Chriſti transfiguratione. 332.2.b.& ſeqq.  idque in propria perſona. 333.1.c.d  & in gloria 2.b.  quid ſint cum eo locuti. ibid.c  vnde ſint à S.Petro agniti. 334.1.b.c  non veniet in fine mundi contra Antichriſtum. 332.2.b  non vidit Dei eſſentiam. ibid.d  non mandauit repudium, ſed permiſit tantùm. 363.1.a.b  ſummæ apud Iudæos erat auctoritatis. 417.1.d  cur eius teſtimonio potiùs ſit vſus Chriſtus contra Sadducæos, quàm aliorum Prophetarum. ibid.c

Molæ truſatiles olim erant in vſu. 449.2.c  quæ dicatur mola aſinaria. 346.2.d

Mollibus veſtiri eſt delicioſè viuere & epulari. 243.2.d

Momus optabat hominū pectus eſſe feneſtratū. 155.1.c

Monachus percutienti alteram maxillam præbens ab energumena dæmonem pepulit. 146.2.d.147.1.a  item alij. 147.1.b.c  monachus qui micas menſales non collegerat in morte terriculamentis vexatur. 310.1.b  monachorum elogia. 117.1.c

Monothelitæ vnam ſolùm in Chriſto ſtatuebant voluntatem. 493.2.d

cur in Monte Chriſtus turbas docuerit. 115.1.a  quis fuerit hic mons. 116.1.a  quare montem aſcenderit transfigurandus. 328.2.c  & quis mons hic fuerit. ibid.d. 329.1.a  mons in quem diabolus Chriſtum aſſumpſit, deſcribitur. 106.1.a  quis ſit mons Chriſti, eius deſcriptio. 116.1.b  mons Oliueti fuit initium certaminis Chriſti. 487.1.a  hic Chriſti agoniâ, & aſcenſu in cælos celebris. 489.2.d  in quo monte Chriſtus apparuerit à reſurrectione diſcipulis. 566.2.a

S. Montanus & ſocij vnde acceperint omen martyrij. 456.1.c

Montani hæretici Quadrageſima poſt Paſcha. 210.2.d

cur Monumenta aperta mortuo Chriſto. 548.2.a.b  cur Chriſtus in monumento nouo & è petra exciſo tumulatus ſit. 552.2.b.c

Mons moria penè idem cum Caluaria. 531.2.c

Morbi ſæpè ſunt animæ ſaluti vtiles. 188.1.c  varijs de cauſis homini immittuntur. 581.1.a.583.2.c

& ſæpè ob peccata. 205.1.a.b morbos nullos habuit Chriſtus, ſed portauit eos per compaſſionem in alijs. 196.2.a.b

Mors pro Chriſto generosè ſubeunda eſt. 237.2.d mors in vita ſita eſt quo ſenſu. 238.1.d cur vocetur ſomnus. 213.1.b.562.2.c homines opprimuntur ab ea inopinatò. 450.2.b dilata eſt velut mora ſponſi Chriſti. 455.2.c claudit tempus merendi. 257.1.a vt eam non horreamus, ſuâ triſtitiâ nos docuit Chriſtus. 491.2.b.c mors gehennalis atrocior eſt quàm corporalis. 234.2.a mortis Dominicæ commemoratio fit in Miſſæ ſacrificio. 482.1.c hæc fuit velut ſomnus. 546.1.c. 561.2.c

Mortificatio myrrhâ denotatur. 68.2.c.d eius elogium. 81.1.a eſt via arcta ad ſalutem ducens, 178.2.d.& ſeqq. animosè excipienda eſt. 238.1.b ea ſectanda, & mundus ac caro relinquenda ad Chriſtum tranſeuntibus. 69.1.c mortificanda praua deſideria. 323.2.a.b.324.1.a

Mortui, ſunt alij corporaliter, alij ſpiritualiter. 199.1.c.2.d.200.1.a mortui etiam in fama & corpore plecti poſſunt. 321.1.c mortui tres ad vitam à Chriſto reuocati cuius rei ſint ſymbolum. 214.1.c.d

Morus arbor vnde dicta fatua. 447.2.b

Motus primi & inuoluntarij concupiſcentiæ non ſunt peccata, ſed voluntarij, & deliberati. 140.2.c

Mulierum etiam piarum contubernium ſacerdoti declinandum. 131.1.d earum viſio quatenus ſit peccatum. 140.2.d ſunt illecebroſæ. 141.1.b.c mulier infidelibus malum neceſſarium, fidelibus liberum. 364.2.d mulieris tam nuptæ quàm innuptæ concupiſcentia vetatur. 140.2.c cur in genealogia Chriſti non niſi mulieres nominentur meretrices. 45.1.c hæ miro modo viris ſuis copulatæ ſunt. ibid.d mulieres piæ lamentabantur ſuper Chriſtum euntem ad ſupplicium. 530.2.d earum fides & conſtantia in aſtando cruci Ieſu. 550.1.c. cur earum meminerit Euangeliſta. ibid.c.d ſtabant nec procul, nec omnino propè, ſed paulo remotiùs. 2.c quid ſpeculatæ ſint. ibid.d erant hæ quæ eum de ſuis facultatibus aluerant. ibid. cur ab eo ſepeliendo abſtineant. 553.2.c vncturæ eum ſepultum in ſine paraſceues inceperunt comparare aromata, vt ſummo manè diei Dominicæ ad ſepulchrum venirent. 556.1.b.2.a.557.1.a.b cur in aurora venerint. 557.1.b neſcierunt de cuſtodia militum & ſepulchri obſignatione. 2.b ſed Deus vtrumque impedimentum ijs amouit. ibid.c viſo ſepulchro vacuo ad Apoſtolos recurrerunt. 561.1.d cur ipſæ præ alijs de reſurrectione inaudierint. 562.1.d à ſepulchro redeuntes partim timuere, partim gauiſæ ſunt. 563.1.c.618.1.c quid diſcipulis de reſurrectione nuntiarint. 563.1.d cur ijs Ieſus ſe ſpectandum dederit. 2.c.d cur tenuerint pedes eius apparentis, & eum adorarint. 564.1.b.c.d fuerunt apoſtolæ Apoſtolorum. 2.a non attendebant ad Chriſti diuinitatem, nec reſurrectionem. 617.2.b vide Femina.

Multi ſunt vocati, pauci electi, quomodo ſit intelligendum. 384.2.c.d.& ſeqq.411.2.c multi ſæpè capitur pro omnes. 391.2.a

Multiloquium in oratione reprehenditur. 157.2.a

Mundities cordis eſt triplex. 125.2.d quod eius ſit indicium. 126.1.a quomodo ad eam perueniatur. ibid.b ei viſio Dei promittitur. ibid.c.d

Mundus totus Dei eſt, non diaboli. 107.2.b.c poſt iudicium vniuerſale innouabitur. 122.1.d tribus fulcitur. 258.2.c eſt velut ager in quo verbum Dei ſeminatur. 285.2.b quamdiu durabit. 448.1.b.& ſeqq. non ſtatim finietur ſignis præuijs iam ceſſantibus. 449.2.a mundus vniuerſus S. Petro regendus commiſſus eſt. 320.1.a eius quatuor plagas Chriſtus in cruce fixus eſt complexus. 534.2.a

Mundi tentatio pluuiâ denotatur. 185.2.a eius iudicia peruerſa ſunt. 522.1.c

vnde Murmur vocatorũ primò contra vocatos vltimò in vineam natum ſit. 380.2.a.381.2.b.384.1.a

Muſtelas edunt Itali. 81.2.d

Mutuanda ſunt propria, non aliena. 148.1.b

Mutus non ſemper eſt ſurdus. 215.1.c mutus in ſpiritu quando curetur. 215.2.b

Myrrham Magi Chriſto obtulere velut homini, morituro & ſepeliendo. 68.1.a.d.& ſeqq. cadauera à putrefactione præſeruat. 552.2.a

Myrrhatum vinum idem eſt quod felle mixtum, & tale Chriſto propinatum ante mortem. 532.1.c

Myodes erat deus Arcadum. 233.2.b

Myſteria fidei apertiſſimè docentur in Euangelio. 4.1.c.d ea abſconduntur ſuperbis & prudentibus. 251.1.d.2.a.b & reuelantur paruulis, imperitis, ſimplicibus. 2.b

Μῦθος, προμύθιον ἐπιμύθιον, quid ſit in parabolis. 24.1.a.b

N Sæpè liqueſcit in L. 310.2.a

Nardus frutex deſcribitur, eius ſpicæ & folia vnguentum dant. 614.1.a ex ea vnguentum fiebat odoratiſſimum. 471.2.c

Narratio S. Lucæ de angelis Magdalenæ & mulieribus apparentibus, an alia ſit à S. Matthæi. 560.1.d 563.1.a.b

Natura perfectior eſt arte. 172.1.a.b

Nautæ quid faciant in tempeſtate. 200.2.c.d

Nazaræus, id eſt conſecratus, ſeparatus, cur & vnde dictus Chriſtus. 76.2.b.c.77.1.a. nazaræi tales fuere Samſon & Ioſeph. 76.2.b non talis Chriſtus. ibid.c idem dictus eſt Nazaræus, id eſt floridus & germinans. 77.1.c.d vtraque ſententia conciliatur. 2.c.d.78.1.a.b

Nazarenus idem eſt quoque quod cuſtos vel cuſtoditus. 78.2.a Nazareni nomen Gentibus & Iudæis videbatur vile & exile, ideò multi nolebant Chriſtum vt Meſſiam agnoſcere. 77.2.d

Nazareni olim ad Chriſti fidem conuerſi legem Moſis quoque ſeruabant, ideoque ab Eccleſia eiecti, Euangelium S. Matthæi deprauarunt. 9.2.d quomodo Chriſtum mirarentur, & ſimul eſſent increduli. 592.1.c

Nazareth ciuitatis deſcriptio & elogium. 76.1.d.77.2.d cur ibi ſuam prædicationem non inceperit Chriſtus. 209.2.d etſi ibi natus non eſſet, putabatur tamen patria Chriſti. 400.2.a

Negationum Petri ordo. 510.1.a.d.2.d.511.1.c

Nequam vox vnde formetur. 285.2.d

Nero primã in Chriſtianos perſecutionẽ mouit. 436.1.d

Neruorum à cerebro ortorum contractio grauis dolor. 190.1.d nerui ſunt inſtrumentum tactus, eorum fons in cerebro. 517.1.d

Neſcientia Dei qua neſcit reprobos, ſummum malum eſt. 457.1.d

Nicodemus attulit vnguenta ſepeliendo corpori Chriſti. 552.1.d

S. Nicolaus Ep. an in vtero matris ſanctificatus. 49.1.a

Nicolaus V. Pontifex promiſit 5000. ducatos adſerenti ad ſe Euangelium Hebraicum S. Matthæi. 42.1.a

S. Nicolaus Tolentinas ſub mortem miro perfuſus fuit gaudio. 460.2.c

Niniuitæ ad prædicationem Ionæ egerunt pœnitẽtiam, ſed mox relapſi exciſi ſunt à Medis. 269.2.a.b

Nix fulget & candet. 332.1.b

Nobilitatis vanitas: ea in ſola ſita eſt virtute. 45.2.a

Nomina Dei varia apud Hebræos, & quid ſingula notent. 57.1.d quod nomen Dei in oratione Dominica ſanctificari petamus. 158.2.c.d in nomine Chriſti quidquid fit, bene fit. 603.1.c.d.2.a

Notitia Dei, quâ quem nouit, aut non nouit, non eſt ſpeculatiua, ſed practica & affectuoſa. 183.2.d

Noua & exotica delectant. 291.1.d

Nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi, qui ſint. 377.2.c.d.& ſeqq.379.1.a.b.381.2.c.384.2.c.d

Nouitas rei magnæ & difficilis præſertim inopinatæ, ingens ciet in mente pathos. 350.2.b

Nouitij in Religione & fide primò tentari ſolent gulâ & carnis ſtimulis, & his ſuperatis, ad vanam gloriam. 103.2.a ſunt leuiter tractandi. 210.2.d 211.1.a.2.b.c

quomodo tribus Noctibus Chriſtum in ſepulchro fuiſſe comprobetur. 269.1.a.b noctem Hebræi in quatuor partes diuidebant. 617.1.a

Nubes eſt velum Dei gloriæ. 335.1.d nubes lucida in monte Tabor quos & cur obumbraret. 334.2.d vndenam & cur illa facta ſit. 335.1.c.d.2.a.b cur fuerit lucida. 2.c.d cur in nubibus venturus ſit Chriſtus ad iudicium. 446.2.b

Nubo propriè mulieris eſt, apud antiquos etiam viri. 416.1.b in cælo non nubitur. ibid.c

Numa Pompilius primus vſus eſt chlamyde. 526.2.d

Numerus integer ſolet in Script. exprimi, etiamſi aliquid deſit aut ſuperſit. 23.1.a item ponitur in ea definitus pro indefinito. ibid.b

Numularij ſunt campſores & vſurarij. 461.1.b

Nuptias olim à ſacrificio inchoabant. 410.1.a ijs comparatur cæleſtis electorum felicitas. 457.1.b nuptiæ ſecundæ olim licitæ repudianti & repudiatæ, ſed non iam. 142.1.c nuptiæ Chriſti cum Eccleſia inchoatæ ſunt in incarnatione, in cælo conſummabuntur. 409.2.b aliæ nuptiæ ſpirituales. ibid.b.c

O Bduratos homines poteſt Deus emollire. 86.2.d

Obedientia per thus repræſentatur. 68.2.d

Obediendum malis Prælatis iuſta iubentibus. 442.2.a

Obliuio propoſiti ſui ſæpè lapſus eſt occaſio. 512.2.c

Obſtinati ſunt porcis & canibus ſimiles, nec corripiendi. 176.2.d niſi ad aliorum bonum. 177.1.a

Occaſiones peccati, etiam cariſſimæ, reſcindendæ. 141.2.b.c

cur Occidentales Chriſtiani feria VI. & ſabbato carnibus abſtineant. 210.2.c

cur Ochozias, Ioas & Amaſias in Chriſti genealogia ſint prætermiſſi. 46.1.a.b

Oculi maximè ſunt coërcendi caſtis. 140.2.d quis oculus ſimplex dicatur, quis oculus nequam. 168.1.b.c oculus mentem & ſenſum internum denotat. ibid.c.d

Odio nemo habendus, etiam inimicus. 149.1.d odium Iudæorum in Chriſtum quantum fuerit. 615.2.b

Offendens ſimul & offenſus, ſiue iure, ſiue iniuria reconcilientur inuicem, antequam adeant communionem 138.2.c

Offenſa omnis proximo remittenda. 356.2.b.357.1.d.358.1.c idq; ex animo. 360.1.a

Oleo Iudæi ad lumina vtebantur. 454.1.c oleo à ſe benedicto multi Sancti infirmos ſanabant. 592.2.b

Omnis ſæpè ſignificat multos. 231.2.c

Onus Chriſti leue eſt & ſimile plumis auium. 255.1.b.c onera legis importabilia Phariſæi populo imponebant, quæ ipſi non ſubibant. 423.1.b.c

Opes relinquere affectu & effectu debent Religioſi, eſtq; id conſilij, non præcepti. 115.1.a.b cur eæ relinquendæ. 167.2.a opes diuiti non tam commodo ſunt, quàm oneri & impedimento ad virtutem. 372.2.d veræ opes quæ ſint. 167.2.a opes cæleſtes ſunt veræ, ſtabiles, & æternæ. ibid.b vide Diuitiæ.

S. Opileus à puero, Deo dilectus fuit. 367.1.d

C. Oppius an fuerit centurio qui Chriſtum morientem confeſſus eſt eſſe Deum. 549.2.b

S. Opportunæ Abbatiſſæ feliciſſima mors. 457.1.b

Opus nullum licet minimum, prædicatori impenſum, carebit ſua mercede. 240.2.b opus ſecretum Deus publicat. 155.2.c operum in die iudicij exacta ratio à Deo exigetur. 460.1.c.d ea etſi exigua tunc magni fient. 464.2.d opera bona quomodo occultanda ſimul, & oſtentanda. 132.2.a eorum vim elidit vana gloria. 154.1.c ſunt ad Dei gloriam facienda. 2.a.b talia rarò proferunt falſi doctores. 181.1.d omnia non ſunt paria. 382.1.c.2.b ad ſalutem requiruntur. 455.1.c.456.2.b.619.1.c ijs iugiter eſt incumbendum ob incertitudinem mortis. 457.2.b.c his incumbentes merentur videre angelos. 557.2.b tria bonorum operum genera per tria dona Magorum deſignantur. 68.2.d opera Chriſti erant perfecta. ibid.b opera miſericordiæ corporalia & ſpiritualia ſunt ſeptem. 464.2.b ea omittentes damnantur. 466.2.a.b ea proxima exhibita ſunt velut vnguenta quibus vngitur Chriſtus. 618.1.a.472.1.a.b propter opera electi cælo adiudicantur. 464.2.a opera manifeſtè diuina & miraculoſa calumniari, eſt blaſphemia in Spirit. ſanctum. 264.1.c.d

Orabant Iudæi ſtantes ſimul & genuflexi. 156.1.b.c orandum fidenter, diligenter & perſeueranter. 177.1.c orantes captent ſolitudinem. 296.1.d cur oraturi olim ante orationem lauarent manus. 305.2.d.& ſeqq.

Oratio thure denotatur. 68.2.c cibus eſt animæ. 100.2.a eâ vti & inſpiratione Dei viuit homo. 103.1.c oratio latenter & in abdito fiat. 156.1.b per catenam auream denotatur. 161.2.c ſenſim creſcere, ſuumq; affectum debet augere. 177.1.d cur ſæpè non exaudiatur à Deo. 2.b.c eius menſura eſt ſpes. 204.2.a ei decem virtutes ſunt neceſſariæ. 307.2.c.d omnia à Deo impetrat. 308.1.c in ea luce cæleſti perfundimur quæ ſæpè in facie exteriùs elucet. 329. eſt animæ transfiguratio. 331.2.b.c per eam pellitur dæmon, maximè accedente ieiunio & carnis afflictione. 340.2.a.b ea remedium eſt in afflictione. 494.1.c.2.b in ea maximè requiritur perſeuerantia. 495.1.c.d oratio publica in templo commendatur. 157.1.b.c oratio conſentientium quæcumque impetrat. 355.2.c.356.1.a.b orationis Dominicæ commendatio. 157.2.d diſtinctio. 158.1.a eius paraphraſis ex S. Franciſco. 166.1.b

Ordo in Matthæo aliquando non ſeruatur. 261.1.c ordo duodecim Apoſtolorum. 219.2.b.c Ordo militaris ſtellifer in Gallia à Roberto rege inſtitutus, mutatus eſt à Ludouico XI. in Ordinem S. Michaëlis 61.2.c

Orientem reſpiciunt templa Chriſtianorum, & ipſi Orientem verſus orant. 536.1.d

Orientalis Eccleſia ieiunabat feria IV. & VI. 210.2.c

Origenes putauit pœnas infernales non fore perpetuas. 89.2.c.264.2.d cenſuit angelos cuſtodes aliquando per negligentiam peccare. 348.1.a caſtrauit ſe, non rectè. 22.1.c.366.1.a

Os aperire idem eſt Hebræis quod incipere loqui. 116.2.b

Oſculum olim in Miſſa dabatur à Chriſtianis ante communionem. 138.2.d & cùm ſibi inuicem occurrerent. 497.1.b oſculi ſignum quare Iudas dederit Iudæis in Chriſti captura. 496.2.d oſculum olim fuit mos ſalutandi apud Hebræos. 497.1.a cur Chriſtus Iudæ dederit oſculum. ibid.c.d

Oſtentatio vana ſui in opere bono ipſum enecat. 154.1.c oſtentatio Phariſæorum in bonis operibus. 423.1.d

de Otioſo verbo reddenda Deo eſt ratio in die iudicij. 265.2.c.267.2.a quod dicatur verbum otioſum. 265.2.d.& ſeqq. non requiritur abſolutè bona intentio, ne ſit otioſum. 266.1.c.d eius remedia. 267.1.c eius auctor eſt diabolus. ibid.d

Otioſitas verborum, cogitationum & operationum eſt quædam prodigalitas temporis. ibid.a

Otto Martyr Franciſcanus in vna maxilla percuſſus præbuit alteram. 147.1.a

Ouis eſt animal ſimplex & incurium. 216.1.d oues ſint viri Apoſtolici, & qua in re. 228.2.b.d

Oua gallinæ ſalubria ſunt & medica. 432.1.a

S. PAchomius nouitios ſuos triennio inſtruxit. 210.2.a

Pacifici ſunt beati, eorum tres ſunt gradus. 126.2.b vocantur Dei filij. ibid.d. & ſeqq.

cur Palæſtini vngerentur, & faciem lauarent frequenter. 167.1.b vtebantur frequenter parabolis & prouerbijs. 23.2.b

Palamonis Eremitæ auſteritas in cibo. 532.2.a

Paleæ typus ſunt damnandorum. 89.2.b

Pallium eſt veſtis extima. 147.2.a erat veſtis priſcorum Chriſtianorum. 225.2.b

Palmarum rami de arboribus cæſi, & Chriſto ſubſtrati, erant ſignum triumphi eius, quem de morte, dæmone, peccato & inferno erat relaturus, 398.1.a

Pambo Abbas pecuniam oblatam repudiauit. 223.1.c

Pan vide Magnus.

Panem noſtrum petere & edere debemus, non alienum. 162.2.a.c quis panis ἐπιούσιος. ibid.c.d. & ſeqq. panis nomine petimus à Deo quidquid nobis ad vitam neceſſarium eſt. 164.1.a.b panes propoſitionis quinam eſſent, & ad quid offerrentur. 258.1.a.b panem, Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, vnum accepit, & fregit in duodecim partes, quarum vnam ſingulis dedit. 480.1.a cur eum benedixerit. ibid.c panum quinque miraculum expenditur. 294.2.c an ad hanc eorum multiplicationem Chriſtus aliquid crearit. 295.1.a hi fuere ſapidiſſimi: fuit hæc multiplicatio præambula tranſſubſtantiationis in Euchariſtia. ibid.b de his plus ſuperfuit quàm initio fuit allatum. 296.1.a quare ſemel quinque panes, ſemel ſeptem multiplicati. 309.2.a panes ſeptem ſunt myſticè ſeptem Dei dona. ibid. item ſeptem eius miſericordiæ. ibid.b

in Parabolis ſæpè non perſonæ perſonis, nec partes partibus rei ſignificatæ, ſed tota parabola toti rei comparatur. 24.1.b earum finis & ſcopus ſpectandus eſt. ibid.b earum ſenſus ex prologo & concluſione venandus eſt. 2.a in ijs Chriſtus aliqua inſinuare volunt myſteria, quaſi ſenſu tropologicò, vel allegorico. ibid.b eæ frequentes ſunt Syris & Paleſtinis: cur ijs obſcuris & ambiguis vtatur Chriſtus coram Scribis. 23.2.b ſæpè proponebat faciles & vulgares. 587.2.d quis parabolarum ſenſus litteralis ſit. 23.2.c ſingulæ tres habent partes, profabulationem, fabulam, affabulationem. 24.1.a Euangelicæ omnes ordine hiſtorico diſpoſitæ. 35.1.c ipſe non poſſunt per omnia adaptari. 24.1.d.139.2.a 182.1.a cur Dominus in parabolis ad turbas & Phariſæos loqueretur. 276.1.b.c.277.1.b.c parabola ſeminis per omnes partes accommodatur. 274.2.b.& 275.1.a.b.& ſeqq. parabola de zizanijs. 281.1.c.& ſeqq. per hanc Scribas perſtringit. 2.d de grano ſinapis. 282.1.d de fermento. 284.1.a parabola zizaniorum exponitur. 285.2.a.b.& ſeqq. de theſauro abſcondito in agro. 386.2.d.287.1.a de margarita inuenta. 287.1.c.d de ſagena miſſa in mare. 288.1.a.b ouis centeſimæ errantis tripliciter applicari & explicari poteſt. 349.2.c.d de rege rationem volente ponere cum ſeruis ſuis. 357.1.b.c patrisfamilias conducentis operarios in vineam ſuam. 379.1.a eius ſcopus. ibid.b partium eius applicatio. 380.1.a. & ſeqq. 2.c.d 381.2.a.c de filijs in vinea laborare volentibus & nolentibus. 405.2.a.b de vinea plantata, & ſeruis malè habitis, & filio necato ab agricolis. 406.2.c.d item de lapide reprobato facto in caput anguli. 407.2.a.c.d de rege ad nuptias filij ſui inuitante. 409.1.a.b.2.a.& ſeqq. parabola decem virginum applicatur. 454.1.c.2.a.b.455.1.a.b d.456.1.d.2.c.457.1.a.2.b talentorum ſeruis datorum, & eius ſcopus. 457.2.d eius applicatio. 458.1.a.b.2.d.459.1.d.2.a.460.1.a.d.2.d. 461.1.b.& ſeqq.

Paradoxa omnia Euangelica referuntur. 34.1.c

Paralyſis quis ſit morbus. 190.1.c eſt ægrè curabilis. ibid.d.204.1.b eius proprietates. 207.1.c & ſeqq. eius remedia. 2.d

Paralyticus à Chriſto ſanatus, magnam habuit fidem, ideoq; curationem meruit. 204.1.c.2.a cur priùs ei remiſſa ſint peccata. 2.c cur eius ſanatio videatur difficilior, quàm peccatorum remiſſio. 205.2.d.& ſeqq. paralyticos duos Chriſtus ſanauit. 207.1.a

Paraſceue quid, & eius etymon. 553.2.d.617.2.a in die paraſceues nati qua vi curēt ſtrumas. 183.1.d

Parentes magis amant filios, quàm ab ijs amētur. 306.2.a.b affectus erga parentes nocet viris Religioſis. 199.2.d

Paropſides ſunt diſci quibus cibus in menſam infertur. 427.2.a

Particulæ excluſiuæ additæ vni perſonæ diuinæ in attributis eſſentialibus, non excludunt ceteras duas. 252.2.a.b

cur ſicut Paruulos eſſe nos iubeat Chriſtus. 344.2.d paruuli curantur ab angelis. 348.2.a non ſunt ſcandalizandi, pro quibus Chriſtus ſe adeò deiecit. 349.1.d.603.2.b.c cur ijs manus impoſuerit.







366.2.d eos amat, cur. 367.1.b.c paruuli quoque in iudicio apparebunt, & quare. 462.2.b.c paruuli ſunt baptizandi, non adulti contra Anabaptiſtas. 619.1.d quomodo dici poſſint credere. ibid.

Paſcha ſiue phaſe non deriuatur à Græco, πάσχειν. 318.1.c paſchatria ſignificat. 475.1.a paſchæ etymon. 470.1.c erat Iudæis feſtum gaudij. 471.1.a celebrabatur in plenilunio menſis Niſan. 475.1.a cur in eo Chriſtum noluerint principes capere & occidere. 470.2.d tamen in eo eſt occiſus. 515.2.d cur in eo oramus ſtantes. 156.2.a

Paſchalis agnus non poterat comedi niſi in Ieruſalem. 476.1.c

Paſſeres Deo curæ ſunt. 235.2.a.c.d

Paſſio Chriſti per articulos digeritur paucis. 18.1.a.b & ſeqq. 557.2.d eam ipſe ſæpiùs prædixit. 341.1.a.b ea inſtans cauſauit in Chriſto triſtitiam & ſudorem ſanguineum. 490.2.c eius tres fuere partes primariæ. 386.1.a fuit fornax amoris. 386.1.b an omnia eius inſignia in die iudicij apparitura ſint. 445.2.a.c ea in Euchariſtia recolitur. 484.1.d vocatur calix. 388.1.a.b fuit Chriſto calix ſuauiſſimus. 501.2.a ipſe eam baptiſmum vocat. 388.2.a.607.1.a

Paſſiones nobis mortificandæ ſunt. 152.1.c eæ fuere in Chriſto, ſed domitæ. 583.1.c

Paſſus minor & maior quot contineant pedes. 529.2.b

Paſtinare propriè vitibus competit. 610.1.a

qualis Paſtor, talis populus. 130.2.c.131.1.q paſtor, præceptor & prætor ſunt ſal reip. 130.2.c paſtores vigiles ſint ſuper gregem ſuum. 281.2.a cur paſtores in Bethleem ſint vocati per angelos. 65.2.a

Pater noſter eſt Deus quintupliciter. 158.1.b.c patres filijs inſolenter imperare non debent. 424.1.d

S. Patres fuere pauperes ſpiritu. 120.1.c quomodo iuramentum illicitum eſſe cenſeant. 143.2.d 144.1.d

Pati dura & fortia, perfectius eſt quàm agere. 127.2.a pati propter iuſtitiam quid ſit. ibid.b idque beatum eſt. ibid.c pati pro Chriſto ſumma beatitudo eſt. 129.1.b eſt hoc inſignis conſolatio. 230.2.a

Patiens vincit iram & hoſtem malum inferentem. 146.1.b neminem ad impatientiam prouocat. 147.1.d

Patientia in iniurijs melior eſt quàm de aduerſario vindicta. 145.2.c.d omnium eſt victrix. 146.1.d.2.b inuicta Chriſti patientia. 509.1.a maximè in flagellatione. 525.2.a & in alijs ludibrijs. 528.2.d

Paucitas ſaluandorum per varios typos oſtenditur. 179.2.d.& ſeqq.

S. Paula è ſacra Scriptura in omnibus aduerſis ſententias proferebat. 7.2.a.b eius pœnitentia. 111.2.a eius compunctio. 123.2.d eius beatitudo. 125.1.a & in iniurijs patientia. 147.1.b

S. Paulinus Nolanus vendidit ſe VVandalis in ſeruum vt filium viduæ redimeret. 4.2.d.391.2.b pauper erat. 168.1.a quod omnibus abdicatis pauperem vitam cum coniuge viueret, maniacus habetur. 248.1.d eo moriente terra concuſſa eſt. 558.2.c

S. Paulus Apoſt. Gentibus tradidit Euangelium. 8.1.d cur tentatus ſit tentationibus luxuriæ. 105.2.c in carcere Romano & aliàs ſubinde ex eleëmoſynis victitabat. 224.2.b aliàs ex opere manuum viuebat. ibid.c

S. Paulus Eremita à fratre & ſororis marito prodi veritus, in eremum conceſſit. 231.2.a

cur Pauor vehemens inducat ſtuporem. 490.1.d

Pauper eſt mundi dominus. 120.2.d omnia reputat vt ſtercora 121.1.a pauperes ſunt triplices, cenſu, ſpiritu, cenſu & ſpiritu. 117.2.c & qui ſpiritu pauperes dicantur. ibid. & ſeqq. pauperes Euangelio audiendo aptiores ſunt quam diuites. 242.2.b ijs quæ dantur, à Deo multiplicantur. 295.1.d Deus ipſis de rebus neceſſarijs proſpicit. 342.2.d ſunt ijs danda, quæ quis à ſe abdicat, & cur. 371.1.c ſunt fratres Chriſti. 465.1.b pauperes ſancti & Religioſi magni faciendi ſunt. 466.2.d pauperes ſpiritu beati ſunt. 116.2.d qui ſint hi. 117.2.a.b.d hi iam de facto poſſident regnum cælorum. 121.2.a in eo erunt primi. 378.1.a.b.2.a eſt ijs promiſſus theſaurus in cælo. 371.1.d

Paupertas via eſt ad perfectionem. 369.2.c.d.370.1.b.c cur ſit radix beatitudinis. 118.1.d eius bona. 119.2.a.b. & ſeqq. paupertas Chriſti. 196.2.d maximè morientis. 537.2.b paupertas voluntaria auro denotatur. 68.2.c eius ſunt varij gradus. 119.1.a.& ſeqq. cur ea prima ſit beatitudo. 2.a.b eam damnantes refelluntur. 197.2.a in quo conſiſtat. ibid.b eius effectus & elogia. 197.1.c.370.1.b eam ſectantes quæ merces in cælo maneat. 373.2.a.374.2.a paupertas ſpiritus oritur ex animi humilitate. 118.1.c eius tres ſunt gradus. 118.2.d huic nihil deeſt. 377.1.c

Pax præcedit actum ſacrificij. 138.2.a delectat angelos. 348.2.d pax Hebræis omne denotat bonum. 227.1.a.584.1.a eam Apoſtoli hoſpitibus ſuis apprecari iubentur. 227.1.b ſi eam hoſpites repellant, ad apprecantem reditura promittitur. ibid.d qualem pacem Chriſtus terris attulerit, & qualem non. 237.1.b

Peccator antè corruit, quàm diabolum adoret. 107.2.a magno in debito verſatur. 164.1.d verè ſenſu paruulus eſt. 350.1.d.2.c quatenus & quare corripiendus ſit. 351.1.b.c.352.1.b cur poſt priuatam correptionem coram teſtibus ſit corripiendus. 2.d peccator peruicax & Eccleſiam contemnens, ſicut Ethnicus, & publicanus, id eſt publicus peccator, eſt habendus. 354.2.a & excommunicandus. ibid.b peccator magnus rectè aliorum culpas minimas nequit corrigere vel iudicare. 176.2.b.c peccator conuerti cupiens mirè à diabolo tentatur. 579.1.a.b iam pœnitens ſeſe humiliat. 600.2.a ſenſim à Deo illuminatur. ibid.c iam conuerſus à ſe ipſo ſit alius. 323.2.b.c peccatores omnes ſumus. 164.1.d è peccatoribus naſci voluit Chriſtus. 45.1.c peccatores ſunt in continua eſurie. 211.1.a Chriſtum quodammodo rurſus in crucem agunt. 507.1.a eumq; ludibrio habent. 508.2.b.c ei ſuis peccatis exprobrant. 540.2.c & ei præbibunt acetum. 543.2.c peccatores etiam grauiſſimi, ad pœnitentiam ſunt admittendi. 264.2.c peccatores habituati ægrè ſaluantur. 180.1.c peccatores occulti non ſunt prodendi. 477.2.c peccatores quidam nec in hoc, nec in futuro ſæculo abſoluuntur. 263.2.d

Peccatum aliud veniale, aliud mortale. 137.2.a b peccatum ex diametro repugnat Deo. 205.2.c debet eſſe voluntarium. 303.2.a fugat angelos. 349.1.a eius & excommunicationis analogiæ. 355.1.c peccatum vnum mox trahit ad aliud. 511.1.b & ſecundum grauius priore eſt. ibid. 565.1.c peccatum mortale infinitam quamdam in ſe continet malitiam. 85.2.a.467.1.c eſt velut lepra contagioſa. 189.2.a.b.c quanta ſit Dei iniuria. 357.2.b eſt id infinitum debitum. ibid.c pro eo nulla pura creatura ex æquo poteſt ſatisfacere. ibid.d rectè comparatur talento. ibid. peccatum originale contra Pelagianos aſtruitur. 181.2.c id trahimus ex Adamo non tamen ratione particulæ alicuius carnis ex eo deciſæ. 305.1.c peccatis ſingulis pœnæ ex æquo admenſæ & decretæ ſunt in pœnitentialibus decretis. 85.1.d peccata, noſtra ſunt debita. 164.1.c ea remittere ſolus poteſt Deus. 205.1.c ſemel dimiſſa à Deo, peccatori ob ingratitudinem denuo non imputantur. 359.1.a eorum ſpinas luit Chriſtus ſpinis coronatus. 527.2.b 528.1.a ei peccata omnium, quæ ſibi proponebat, ſummam triſtitiam intulere. 490.2.d peccata in Spiritum ſanctum ſex ſunt. 264.1.b peccata priùs remiſit paralytico Chriſtus, quàm eum ſanaret. 204.2.c.& ſeqq.

Pecunia triplex, aurea, argentea, ærea. 223.1.d & quælibet dicta æs. 610.2.a eam ferre vetantur Apoſtoli, & cur. 223.2.a.b priſcis erat dea. 169.2.c.d ei ſimul & Deo ſeruire nemo poteſt. 168.2.d.169.1.c eius poſſeſſio Apoſtolis erat vetita. 223.2.c pecunia qua pontifices cuſtodes ſepulchri corruperunt, fuit ex ærario ſacro ſumpta. 565.1.c

Pedes & caput Chriſti myſtica quæ ſint. 472.1.b.c pedes amplecti & oſculari, ſignum eſt venerationis & reuerentiæ. 564.1.c

S.Pelagia virgo inſilijt in flumen ne violetur. 105.2.a

Pelagiani docebant nullum iuramentum Chriſtianis eſſe licitum. 143.1.a & iuſtos ſine peccato eſſe. 164.1.d & nullum diuitem poſſe ſaluari 370.2.b

in Pentecoſte facta eſt promulgatio legis nouæ. 97.1.a tunc vetus obligare deſijt. 2.a

Pera eſt ſacculus viatorius. 224.2.d

Peræa quæ regio Iudeæ ſit. 361.1.b.c

Peregrinus impoſtor fingens ſe Chriſtianum, Chriſtianorum auro ſuſſarcinatus in patriam redijt. 377.1.a

Peregrini & hoſpites omnes hîc ſumus. 70.2.a.552.2.d

Perfectio ſumma eſt in Deo. 368.2.a eà imitanda nobis eſt. 152.1.b perfectio Euangelij. 39.1.c modus citò ad eam perueniendi. 152.1.c.d conſiſtit in charitate Dei & proximi. 370.1.d perfectio virtutum eſt domus ſpiritalis animæ. 184.1.b.c quam perfectionem à ſuis exigat Chriſtus. 150.2.c.d quænam ſit præcepti, quænam conſilij. ibid.d 151.1.c

Perfecti Deo ſunt cariſſimi. 151.1.b quid obſeruare debeant vt in perfectione perſeuerent. 370.1.a omnia ſua relinquere debent. 2.d

Pericles orator dictus fulminare & tonare. 585.1.a eius in iniurijs patientia. 148 1.a

Periculũ minus licet adire, vt maius euitetur. 105.2.a an ſit ſimonia rem ſacram Permutare cum alia re ſacra. 223.1.a

S.Perpetua qua viſione viderit ſibi imminere martyrium. 179.1.d eius viſio de via cæli cultris obſita. 264.2.b.c

Perſecutio propriè quid ſit. 127.2 a ipſa acuit fideles & Religioſos. ibid.c.d eam pati ſumma eſt beatitudo. 129.1.b.2.a in ea eſt inuocandus Deus. 201.2.c ad eam conſtanter ferendam ſtimuli. 232.2.d eius aſperitate multi deficiunt à fide. 436.1.d.2.b in ea ſectatores Chriſti opem & amicos inueniunt. 606.2.a

Perſeuerantia in finem virtutis eſt conſummatio. 231.2.d

Perſicum Euangelium quàm antiquum, & vnde in Europam venerit. 11.2.c

an è Perſide venerint Magi Chriſtũ adorantes. 59.2.d

Petenti omni tribuendum. 148.2.a.d

Petitio filiorum Zebedæi malè erat fundata. 387.1.d.2.b.c

Petra vocatur S.Petrus, quia baſis & petra Eccleſiæ eſt. 316.2.a.b.& ſeqq. petra notat ſoliditatem & conſtantiam in fide Chriſti. ibid.b.317.2.a.d πέτρα & πέτρος Græcis lapidem ſeu petram ſonat. 316.2.d.& ſeqq.318.1.b petræ ſciſſæ ſunt moriente Chriſto. 547.2.c.d.& ſeqq.

S.Petronilla filia S.Petri, virgo obijt. 195.1.c

Petroſa terra, in qua ſeminatum ſemen non potuit agere radices, quos denotet. 275.2.b.279.2.b

S.Petrus quando & quomodo à Chriſto vocatus ſit. 111.2.d.112.1.a eius domus erat Bethſaidæ vel Capharnai. 195.1.a vocatus à coniugio à Chriſto reliquit vxorem & filiam, quæ ſanctæ fuere. ibid.b.c ſemper primus in ordine Apoſtolorum ponitur. 219.1.a.2.b eſt primus excellentia & auctoritate. 1.b eius primatus in quo conſiſtat. ibid.b.c habuit ſolus poteſtatem ordinariam. ibid.d priùs dictus Simon. 2.a.584.1.c ad Chriſtum venire ſuper aquas geſtijt. 297.2.c quia certò norat eſſe Chriſtum, eum qui apparebat. ibid.& ſeqq. eius fides hîc eluxit ibid. 298.2.b ambulat ſuper aquas. 298.1.b.c modica eius hîc diffidentia in cauſa fuit, cur mergi cœperit. ibid.d. 2.c.d fuit à Chriſto aliquantiſper per mare deductus, vt eius fides firmaretur. 299.1.b interrogatus, quid de Chriſto ſentiret, velut ſapientior & feruentior, reſpondet pro ſe & pro omnibus. 314.2.c.d eius confeſſio ſingillatim enucleatur. 315.1.a.b.& ſeqq. primus clarè inter Apoſtolos confeſſus eſt Chriſtum eſſe Dei filium. ibid.d.& ſeqq. ob id beatus ab eo dictus eſt. 2.b.d. eius pater dictus Iohannes, & craſi Ionas. ibid.d ſuper eum Eccleſiam ſuam fundandam promittit Chriſtus. 316.1.c.d hinc eſt petra & baſis Eccleſiæ. 2.a. 318.1.d.2.a quod pluribus probatur. ibid.c.& ſeqq.317 2.a.b ei datæ ſunt claues regni cælorum. 319.1.d.& ſeqq. quid ſibi claues illæ velint. 2.b.c.d ei totus mundus à Chriſto commiſſus. 320.1.a cæleſti pollet poteſtate. 321.1.a cur Chriſtum à morte retrahere ſatagat. 322.1.b.c quo ſenſu ab eo vocatus ſit ſatanas. ibid.d.& ſeqq. volebat in monte Tabor hærere in gloria. 334.1.a vnde agnouerit ibi Eliam & Moyſen. ibid.b. neſcit præ gaudio quid petat. 2.a.b.c cur pro eo tributum ſoluerit Chriſtus Capharnai. 342.2.c eius cathedra lignea ſeruatur Romæ: metonymicè cathedra Petri eſt poteſtas & auctoritas Pontificia docẽdi, & regẽdi omnes fideles totius orbis. 422.1.b in nocte paſsionis fidem non perdidit, ſed in fidei profeſſionem peccauit. 487.2.c.510.2.b tripliciter peccat dicens ſe numquam in Ieſu ſcandalizandum. 488.

488.2.b audijt, ter ab eo ſe negandum antequam bis cantet gallus. ibid c.d. ſtrinxit gladium non exſpectato Chriſti reſponſo. 499.1.a voluit Malcho caput findere. 2.a eius zelus cum Moyſis confertur: vterque regulam exceſsit emendabili animoſitate. 2.d non bene gladium hîc ſtringebat. 500.1.c Chriſtum captum ſequitur à longè. 503.2.a peccauit imprudentia, quòd ſe ad ignem miniſtris miſcuerit. ibid.d an ſteterit an ſederit ad ignem. 509.2.a quomodo eſſet in atrio foris. ibid.b cecidit ad vocem ancillæ. ibid.c eius prima negatio. 510.1.a.2.c negando mentitus eſt in re fidei. 1.b ter tantùm negauit, non ſepties, aut ſexies. ibid.c negationum eius ordo. ibid.d. an excuſari eius reſponſio, & negatio in bonum ſenſum capi poſsit. 2.a negando peccauit mortaliter, & Dei gratiã amiſit, cur permiſſus tam grauiter labi. ibid.b primo galli cantu à lapſu non eſt excitatus. ibid.d negauit ſecundò cum iuramento. 511.1.a item tertio cum deteſtatione. ibid.d reſpexit eum Dominus quo ſenſu & modo. 2.b.c galli cantu excitus vocis Domini eſt recordatus. 512.1.b cur egreſſus ſit foras vt amarè fleret: Iudæis negando non dedit ſcandalum. ibid.c eius fletus quo culpam deleret. 2.a auſtera eius pœnitentia per totam vitam, & aſsidua ploratio ad galli cantum. ibid.c 210.2.c cur ei Chriſti reſurrectionem nuntiari angelus iuſſerit. 562.2.a

Petrus primus Bracarẽſis Epiſc. an fuerit Samuel filius Vriæ Prophetæ occiſi à Ioakim rege Iuda. 593.1.b

Petr. Damiani quomodo Hildebrandum Cardin. vocet ſuum ſanctum ſatanam. 322.2.c

Petrus Gnapheus hæreſiarcha iniurius in SS. Trinitatem. 211.1.c

S.Petrus Martyr Dominicanus iniuſtè accuſatus & incarceratus Chriſto crucifixo conquerens, quid ex eo audierit. 543.1.a

in Phantaſia hominis multa dæmon poteſt repræſentare 107.1.a

Phriſæi ſibi ſanctitatem arrogabant. 301.1.a profitebantur certiorem legalium rituum notitiam. 82.2.d.301.1.a vnde dicti ſint. 83.1.a erant in pretio apud populum, eorum auctores: eos acriter taxant S.Ioannes, & Chriſtus paſsim. ibid.b cur viperis & ſerpentibus aſsimilentur. ibid.d.2.b 84.1.a.& ſeqq. 265.1.d.429.1.d eorum ſuperbia. 86.2.b.423.2.c.d. & ſeqq. Herodem in Galilæa licet regnantem inſtigarunt vt Ioannem caperet, & quare. 109.2.a internam concupiſcentiam docebant non eſſe peccatum. 133.2.d. 134.1.a.b à vera iuſtitia multum deficiebant. 134.2.d eleëmoſynam facturi tubam inflabant. 155.1.a putabant Chriſtum merum eſſe hominem, non Deum. 205.1.b.2.a diſcipulos Ioannis inſtigant vt petant à Chriſto quare cum ſuis non ieiunaret. 209.2.b.c erant non paſtores, ſed laniones ouium, & lupi. 216.1.d eorum obſtinatio audientium Ioannem & Chriſtum ex curioſitate. 247.2.d.248.1.b.c.2.a illum dicebant habere dæmonium, quia auſterè viuebat; hunc, quia communem vitam ſectabatur, vocabant guloſum. 248.1.d.2.c.d eorum ſuperbia in ſpernenda Chriſti doctrina. 251.1 a.b exactè ſabbatum obſeruabant, 259.1 d faciunt Chriſtum magum, qui ope dæmonis faciat miracula. 215.2.d 261.1.d erant ei aduerſarij quàm maximè. 263.1.d.2.a miracula eius tacitè perſtringunt. 267.2.d à Niniuitis coarguentur in die iudicij. 269.2.b & à regina Auſtri. 270.1.c.d ſuâ nequitiâ meruere occupari à dæmone, & à Deo puniri. 2.c.d. & ſeqq.271.2.b cur à Chriſto vocentur cæci. 304.1.d eorum cæcitas proueniebat ex priore inuidia eorum. 276.2.b.c.d & ſeqq. eorum zizania. 281.2.d quo prætextu docerent parentibus negandam alimoniam. 302.2.a.d erant hypocritæ. 303.1.c eorum error docentium non licere comedere manibus illotis. 2.a.305.2.d erant Chriſto offenſi. 304.1.a cur ab eo ſignum cælo petant. 267.2.b.c.311.1.a 312.2.a quare ei propoſuerint quæſtionem de vxoris dimiſsione. 361.2.a eorum labores magni & ſudores pro lege Dei. ſed ſæpè inutiles. 384.1.b eorum interitus & excidium prædicitur à Chriſto. 407.1.b.c.2.c.d.408.1.a cornutam quæſtionem ei propoſuere. 259.1.c.412.1.a.b.2.a.b ei adulantur. 412.2.c illum intricare volentes, in laqueum ſuum inciderunt. 413.1.c.415.1.d ei ignorantiam Scripturarum volunt affingere. 417.2.c docentur ab eo de perſona Meſsiæ. 419.2.a erant rectores populi, & magiſtratus, & multi eorum ſacerdotes aut Leuitæ. 302.2.b.422.1.c quatenus ijs erat obediendum. 422.2.a docebant, & non faciebant. 423.1.a quæ populo onera imponerent. ibid.a.b ſuam ſanctimoniam vanè oſtentabant. ibid.c.d cur dilatarent ſua phylacteria. 2.b octies ijs væ Chriſtus intentat, & quid per id innuat. 425.1.c.d quomodo regnum Dei hominibus clauderent, & intrare volentes intrare non ſinerent. 2.b viduarum domos emungebant. ibid.c cur grauius accepturi ſint iudicium. ibid.d multos Gentiles ad iudaiſmum pertrahere ſatagebant. 426.1.a eorum error circa iuramentum. ibid.c.d erant iniqui iudices. 427.1.a minima curabant, maxima negligebant. ibid.c.d eorum rapina & immunditia. 2.c cur ſint ſepulcra dealbata. 428.1.a quæ peccata admitterent in exſtruendis ſepulcris Prophetarum. ibid.b.c erant, vt & patres, propheticidæ. 2.b.c peccatorum impletâ menſurâ erant euertendi. ibid.d in die iudicij agnoſcere cogentur Meſsiam, quem viuentem deſpexerunt & in crucem egerunt. 432.1.c.2.a petunt à Pilato vt Chriſti ſepulchrum iubeat cuſtodiri, rabie & odio eius flagrantes. 553.2.d.554.a.b timebant ne reſurgeret. 554.1.b conati ei reſurrecturo omnimodis occludere exitum, reſurrectionis miraculum & fidem auxerunt. 2.b crebro & religioſè manus & vaſa lauabant. 301.1.b.427.2.a.b.597.1.a.b.& ſeqq. cur dicantur generatio adultera. 267.2.d.& ſeqq.601.1.a vide Iudæi, Pontifices, Scribæ.

Philippi etymon Græcum & Hebræum. 220.1.d

Philippus Apoſtolus candidus erat, ſed non ita acutus. 254.1.d an petierit priùs ſepelire patrem quàm Chriſtum ſequeretur. 198.2.c.d.& ſeqq.

Philippus maritus Herodiadis quando mortuus: eius modeſtia & iuſtitia. 593.2.d

Philippus Melanchthon Euangelij codicem ſemper penes ſe habebat. 8.1.c

S.Philippus Nerius omni petenti quod poterat dabat ſolatium. 149.1.a

Philoſophi non facientes ipſi quæ alios docebant, parum fructus faciebant. 134.2.c Philoſophorum quorundam in iniurijs patientia. 148.1.a.b

Phocion iniuriæ ſibi illatæ obliuiſci filiũ iuſsit. 150.1.d

Phœnicia erat confinis Iudææ. 306.1.b

varij erant Phœnices, etiam extra Syriam. 306.1.d

Phœnix non eſt vna auis in mundo. 84.1.a

Photinus Chriſtum negabat eſſe Deum. 188.2.b

Phylacteria quid ſint, & quare geſtarentur. 423.1.d

cur Pilato Chriſtus ſit traditus. 515.2.a.b. & ſeqq. ei præſentatus, de tribus criminibus à pontificibus accuſatur. 518.2.a.b ſed ipſe illa negligens ſolùm eum interrogauit an ipſe rex eſſet Iudæorum. ibid.d miratur Chriſti ſilentium. 520.1.a.b eius inſtantia ad eum liberandum. ibid.d.2.a.& ſeqq. verè voluit eum liberare. 2.b.521.1.b ab vxore monetur, ne in eum quid acerbius ſtatuat. 521.1.c.d an per eam ipſe conuerſus & Chriſtianus effectus ſit. 2.d.& ſeqq. in exilium Viennam miſſus ſe occidit. 512.1.a talione à Deo punitus eſt. ibid.b lauit manus quaſi à ſanguine Chriſti innocens: erat excors & leporinus. 2.d.& ſeqq. curauit Ieſum flagellari. 523.2.b.c eius in ipſum lata ſententia. 526.1.a eum condemnando tripliciter peccauit. 529.1.d quomodo titulum crucis ſcripſerit. 538.1.c Ioſepho corpus Chriſti concedens, factum ſuum aliquo modo texit. 552.1.a reddidit id gratis: cur miratus ſit quòd iam obijſſet. ibid.b dedit milites Iudæis ad Domini ſepulcrum cuſtodiendum. 554.1.c quid de Chriſto ad Tiberium Imp. ſcripſerit. 526.1.b 566.1.a.b

quod Pinnaculum templi fuerit, ſuper quo diabolus ſtatuit Chriſtum. 104.1.b erat faſtigium veſtibuli. ibid.c an fuerit pinnaculum acutum periboli & ſepti. ibid.d

Piſcatores, id eſt Apoſtoli, orbem ſubegêre. 112.2.b.d

Piſces ſunt typus hominum. 288.1.c

cur Plangent in extremo iudicio omnes tribus terræ. 445.2.d.446.1.a

Platonici Euangelia honorarunt. 2.1.d

Plebeij aliquando meliores ſacerdotibus. 405.2.d

Plutus deus diuitiarum eſt. 169.2.b

Pœnæ damnatorum non ſunt omnes æquales. 228.1.d eæ numquam ceſſabunt, ſed durabunt in æternum. 465.2.c.d pœna damni ibi erit grauiſſima. 193.2.c

Pœni erant è Phœnicia oriundi. 306.1.d

Pœnitens ſentit tentationes inuitus, 206.2.c

Pœnitentia non eſt tantùm emendatio morum in melius ſed & veteris vitæ per dolorem deteſtatio & deſtructio. 80.1.a.b.c pœnitentia dicta quaſi pœnæ tenentia. ibid.b pœnitentia digna quæ ſit. 85.1.d & ſeqq. eius effigies & deſcriptio. 2.c debet reſpondere peccatorum grauitati & multitudini. ibid.b eius vis. 618.1.d eius commendatio fuit ſumma finis & ſcopus prædicationis Chriſti. 110.2.b.c pœnitentia olim dura & rigida fuit, in pane & aqua per plures annos. 111.1.b poſt vitam fruſtranea eſt pœnitentia. 456.1.d.2.a pœnitentia alia bona, alia mala. 516.1.b

cur Pœnitentiarij Romæ virgas geſtent quaſi indices. 111.1.c

Politia non aduerſatur religioni. 414.2.b

quæ Pollinctura corporum Iudæis vſitata eſſet. 552.2.a

Pompa regis Chriſti Ieruſalem inuecti. 396.1.d.& ſeqq. 397.1.b cur eam adhibuit. 397.1.b.c.& ſeqq. 399.2.b

Pompeius qua occaſione Iudæos Romanis ſubiecerit. 413.2.d.414.1.a

Pontifex cur dicatur Beatiſſimus Pater. 315.2.c eius tituli. 318.1.b ei in Petro datæ ſunt claues. 319.1.d.2.a eius poteſtas in ligando quintuplex eſt. 320.1.d.2.a. & ſeqq. quam etiam alijs inferioribus paſtoribus communicat, reſtringit, adimit. ibid.c extendit ſe etiam in defunctos. ibid.& ſeqq. qualis eius ſit in hos poteſtas. 321.1.d quis ab eo ſub terra ligari vel abſolui mereatur. 321.1.d habet SS. Michaëlem & Gabrielem pro cuſtodibus. 348.1.c non eſt à Concilio corripiendus. 354.1.c & quia à Chriſto poteſtatem immediatè accepit, nullo caſu ab Eccleſia deponi poteſt. ibid.d cur ſe vocet ſeruum ſeruorum Chriſti. 390.2.d

quomodo in Chriſtum iam ad mortem damnatum Pōtifices Iudæi ſæuierint. 507.1.d.509.1.c ei tria crimina coram Pilato obijciunt. 518.2.c ei iam crucifixo inſultant, ſugillantes eius miracula. 539.2.a ei de cruce deſcendenti non credidiſſent eſto id iactent. 540.1.b auditâ Chriſti reſurrectione, eam abolere conantur. 565.1.b hinc corrumpunt cuſtodes pecuniâ: ſed dum eam opprimere moliuntur, magis augent. ibid.c.d eorum peruerſitas. 2.a quid cuſtodibus ſepulchri perſuaſerint. ibid.c quomodo eos apud Pilatum excuſarint. ibid.d vide Phariſæi, Iudæi, Scribæ.

Populi mutabilitas & ingratitudo. 403.1.c

Porta anguſta cæli quæ ſit, quæ lata ad perditionem ducens. 178.2.d.179.2.b.c porta aurea erat tam templi quàm vrbis. 400.2.c portæ inferi eſt totus infernus, vel hæretici, qui contra Eccleſiam & fidem Petri non præualent. 319.1.a

Portitores paralytici magnam oſtenderunt fidem, in eum Chriſto ſiſtendo. 204.1.b.c

Poſſe pro velle ſæpè in Script. capitur. 388.2.b.579.2.d.592.1.b

Poſſeſſio pecuniæ, & omnis rei temporariæ pretio æſtimabilis, vetatur Apoſtolis. 223.2.c

Poteſtas ciuilis vel Eccleſiaſtica eſt neceſſaria ad politicum regimen. 390.1.d poteſtas Pontificum eſt ſpiritualis. 320.1.a ipſorum poteſtas ligandi & ſoluendi ampliſſima eſt, & variè ab ijs exercetur. 320.2.a deriuant eam etiam in miniſtros Eccleſiæ ſibi ſubditos. ibid.b.354.2.c ea eſt triplex. 355.1.c poteſtas Eccleſiæ duplex, ſpiritalis, & temporalis. 499.1.d poteſtas in cælo & in terra data Chriſto quà homini eſt in incarnatione, & poſt reſurrectionem. 567.1.b.c poteſtas tenebrarum quæ dicatur. 501.2.d.& ſeqq.

Præceptum Apoſtolis datum de non poſſidenda pecunia, calceis, virga, &c. non fuit perpetuum, ſed temporale dumtaxat. 223.2.d.& ſeqq. at perpetuum quoad ſubſtantiam. 224.2.c præceptum correptionis peccantium non obligat niſi in magna neceſſitate. 351.1.d præcepta Euangelio propria recenſentur. 26.1.d item ea, quæ partim ſunt conſilia. 27.1.c item præcepta ſeorſim data Apoſtolis. ibid.d præcepta Dei grauia non ſunt. 254.2.a.255.1.c

Prædeſtinationis fidelium cauſa originalis eſt Dei beneplacitum. 251.2.d.252.1.b

Prædeſtinatorum duplex eſt ordo. 385.1.b prædeſtinati à Deo, damnari nequeunt. 144.1.c.d.2.a

Prædicationis Apoſtolorum ſumma fuit, inuitatio ad regnum cælorum. 222.1.b.c prædicatio Euangelij per totum mundum, ſignum eſt finis inſtantis mundi. 437.1.b prædicationis à Ioanne factæ quod fuerit initium. 576.1.b.c.2.a.b

Prædicator dignus eſt ſuſtentatione. 226.2.a.b eſt myſticè Chriſti mater. 272.2.b quæ in oratione à Deo priuatim hauſit, magno ſpiritu in populum effundat. 275.1.b.c quæque tempore congruo debet depromere pro captu auditorum. 288.2.d quare eum ſubinde orare oporteat. 296.2.a ſint ſicut fulgura & tonitrua. 560.2.d quo plus in alios docendo effundent, eo plus ſapientiæ & doctrinæ cælitus recipient. 277.1.a.b.586.2.a.b gloriari non debent in fructu concionis ſuæ, nec animo cadere ſi illius nullus fructus ſequatur. 587.1.c ſed patienter eum exſpectent. 2.a vide Concio, Concionator.

Præficæ quæ eſſent mulieres. 213.1.a

cur Prægnantes facilè fugere nequeant ijs non pepercere Romani in excidio Ieruſalem. 438.2.a

Prælatus quatuor conſtat virtutibus cardinalibus: qui ſi eas amittat, peribit. 131.1.c.d lux eſt mundi & vrbs in monte poſita. 2.b.d auctoritatem cum modeſtia copulet. 390.2.c eius duo vitia capitalia, audacia imperioſa & ſtudium voluptatum. 452.1.c eis conceſſa eſt poteſtas ligandi ac ſoluendi. 354.2.c eorum negligentia nocet Eccleſiæ. 281.1.d.2.a ipſis denunciandi ſunt priùs moniti peccatores & ſcandaloſi. 353.2.d.& ſeqq. qui deinde in eos etiam animaduertere poſſunt. 354.1.b Prælati peccantes ſunt ad Pontificem deferendi. 354.1.c Prælatis malis quatenus obediendum. 422.1.a.b vide Epiſcopus, Pontifex.

Præſcientia Dei infallibilis eſt. 441.2.a.b

Præſides Romani Iudæam adminiſtrarunt, tetrarcha Archelao in exilium pulſo. 76.1.a.c

rarò veteres Prandebant, aut ſaltem modicè. 192.2.b idq; circa veſperam. 409.1.b.c ideo prandij vix vlla in veteri Teſtamento fit mentio. 192.2.c

Primatus Petri in quo conſiſtat. 219.1.b

Primogenitus in ſacra Script. dicitur omnis ante quem nemo eſt natus. 58.2.a

in Principe ſumma virtus eſt beneuolentia & manſuetudo. 252.2.d principes non ſe ingerant negotijs Eccleſiæ aut Dei. 414.2.d principes ſacerdotum congregati manè diei Mercurij, ad tractandum de Chriſto occidendo. 470.1.d.2.a.c cur id faciant cum dolo. 2.c cur nolint in paſchate. ibid.d argenteos quos retulit Iudas, recipere noluerunt. 516.1.d eorum ſimulata ſanctitas. 517.1.c vide Scribæ, Phariſæi.

Priſcillaniſtæ dicebant ſtellam, quam vidêre Magi, fuiſſe fatum Chriſti. 62.1.a

Procula dicta eſt Pilati vxor, an ſaluata ſit. 521.2.a.c.d

Procurator vineæ mercedem reddens operarijs, quos deſignet. 383.1.a

quæ Prodigia vrbis Ieruſalem excidium præceſſerint. 436.1.a.b

Proditio Iudæ fuit immane ſacrilegium. 478.2.d eam detegit Chriſtus Apoſtolis. 477.2.d.478.1.a ordo detectionis huius. ibid.d

Profabulatio in parabolis quid ſit. 24.1.a

Proficientibus in ſpiritu quæ ſint obſeruanda. 369.2.d

Promiſſa Euangelica ſimul omnia recenſentur. 28.1.d 29.1.2.c

Propheta in Script. varia ſignificat. 180.2.a.b.429.2.d Propheta in patria ſine honore eſt. 291.1.b Prophetæ alicuius animam in Chriſtum migraſſe Phariſæi cenſebant, vel eum reſurrexiſſe, & hunc eſſe Ieſum. 314.1.d Prophetæ omnes in Chriſtum collimant. 5.1.d imperatiuum vſurpant pro futuro. 488.1.c cilicio vel ſacco cilicino vtebantur. 81.1.b geſtarunt ſandalia. 235.2.a penè omnes à Iudæis fuere interempti. 129.1.c.d eorum munus erat non ſolùm futura prædicere, ſed & populum docere, & legem Dei prædicare. 239.1.a eorum ſepulcra ædificare quatenus eſſet vitioſum. 428.1.b.c cur eos occiderent Scribæ. 2.a Prophetarum omnium maximus fuit Ioannes Baptiſta. 244.2.a.b

Prophetiæ Chriſti eo ordine, quo ab ipſo per ſe vel ſuos editæ ſunt diſpoſitæ. 32.1.b

Propoſitiones affirmantes ſæpè intelligendæ ſunt non vniuerſaliter, ſed commodè, & cum exceptione. 21.1.d at negantes abſolutè, & ſine vlla conditione. 2.b

Proſelytus erat qui à gentiliſmo ad iudaiſmum accedebat. 425.2.d

Proſperitas cuique velut tempeſtas eſt. 296.2.b

Proſtratio Iudæorum in horto ſignificat caſum eorum irreparabilem; item reproborum. 498.2.a.b

Prouerbia quædam, noua nouis conuenire indicantia. 212.1.b alia rem impoſſibilem ſignificantia. 372.1.d alia curam minimorum, & oſcitantiam in maximis denotantia. 427.1.d

Prouidentia Dei non eſt in aſtris ſignata. 62.1.b in ea eſt confidendum. 172.1.d.2.a.b ipſa mirabilis eſt. 2.c.d ipſe maximam gerit erga homines. 235.1.d

Prouiſionem vini, frumenti, olei, etiam annuam, non vetat Dominus, dum ſollicitudinem anxiam inhibet. 173.2.c

Proximo læſo priùs ſatisfaciendum, quàm ſacrificium offerendum. 138.1.b ei præſtandum aut non præſtandum, quod ipſi nobis fieri volumus aut nolumus. 178.2.b.c vt proximus peccans corripiatur, exigit fraterna charitas. 352.1.b idq; primò priuatim dein coram teſtibus. 2.d ei remittenda offenſa ex intimo corde. 360.1.a eſt diligendus proximè poſt Deum. 418.2.b.c & ſicut nos ipſos diligimus. ibid.d.419.1.a.b

Prudentes eſſe iubemur ſicut ſerpentes. 229.1.c.d.& ſeqq. prudens facilè pacem mutuam conſeruat. 604.2.d

Pſalmus CIX. de Meſſia non de alio quopiam eſt intelligendus. 419.2.c.d.420.1.c

Pſeudochriſti fuere varij apud Iudæos. 440.2.b.c

Pſeudopropheta eſt, qui auocat à via ſalutis, aut ad latam & peruerſam. 180.2.b

πτῶμα propriè eſt cadauer, à caſu. 442.2.a.443.2.b

Publicani dicti quod publica vectigalia redimant & exigant. 150.1.c an eorum officium ſine peccato poſſit exerceri. 208.2.d publicani & meretrices quomodo præcedant Phariſæos in regnum Dei 405.2.c.d

Pudor à pietate deterrens ſuperandus eſt. 392.2.c.d

Puella duodennis à Chriſto ad vitam reuocata quos peccatores denotet. 214.1.c

Pueri Chriſti vultus diuinus Magorum oculos, & magis mentem, feriebant. 63.1.d pueri quando ſtudio educandi, docendi & catechizandi ſint. 367.2.a.b malè eos arcent Anabaptiſtæ à baptiſmo. ibid.d ſunt communiter ſimplices, innocentes, candidi. 344.2.c & tales eſſe iubemur. ibid.d.345.1.c pueri, quibus Chriſtus manus impoſuit, euaſere in viros ſanctos & ſapientes. 368.1.a pueri et in Dominica palmarum acclamant. 402.2.a.b eorum laudibus delectatur Deus. ibid.c tripliciter eum laudant. ibid.d.& ſeqq. pueros à ſenioribus & ſacerdotibus benedictionem petere laudabile eſt. 367.1.a ſimplicitas puerilis apta eſt regno Dei. 367.2.c vide Paruuli.

S. Pulcheria quo ioco fratris Theodoſij Imp. oſcitantiam caſti-

caſtigarit. 386.2.c.d

Pulnerem de ſandalijs quomodo excutere iubeantur Apoſtoli, & quare id fieret. 227.2.d

Purgatorium eſſe euincitur. 264.2.d eius pœna ſemel finietur. 139.2.b in eo etiam valent Indulgentiæ. 320.2.c.d.321.1.c.d ei Chriſtus plenum & primum iubilæum dedit eò poſt mortem deſcendens. 553.1.d

cur Purpura data ſit à Papa Cardinalibus. 528.1.b

Puſillanimes confugiant ad Chriſtum agonizantem pro remedio. 491.2.d

cur Puſilli non ſint ſcandalizandi. 347.2.b vide Pueri.

Pythagoræ ſymbolum de via ſalutis & perditionis. 179.2.c docebat abſtinendum à carnibus & fabis. 303.2.b credebat animas ex vno corpore in aliud migrare. 593.1.a

QVadragenarij numeri myſterium, 51.1.d.2.b

Quadrageſima Montani hæretici poſt Paſcha. 210.2.d

Quadrageſimalis ieiunij variæ ſunt cauſæ. 99.2.c.d ſanitati corporis confert. 100.1.b altæ eius cauſæ ſymbolicæ, & myſticæ. ibid.b.c

Quadrageſimus numerus ſanus & ſanctus eſt. 100.1.a.b.

per Quadraginta annos multi ſine cibo vixere, 101.1.a

Quadraginta Martyres alacriter in gelidum ſtagnum inſilierunt. 524.2.b

Quadrans eſt quarta pars aſſis, aliàs triuncius, vel teruncius. 139.2.d eius dimidium erat minutum. 610.2.c

Quantitas alia eſt continua, alia diſcreta. 309 1.d

Quarantana deſertum deſcribitur. 98.1.c

Quaternarij numeri perfectio, 10.1.a.b

Quotidianum panem petere iubemur. 163.1.b.2.a quis is ſit in particulari. 2.b.c

RAbbi vox quid denotet. 423.2.d non ſolùm legis doctorem, ſed etiam virum principem ſignificat. 412.2.b

ῥάϐδος, id eſt virga, tria notat. 226.1.b.c

Raca quid ſit & quid fratri ſuo dicere raca. 136.1.d 2.a eſt id peccatũ mortale, vel veniale. 2.c.137.1.b

Rahab etſi meretrix, nominatur tamen in genealogia Chriſti. 45.1.c ob exploratores protectos nupſit Salmoni. ibid.d

Ramos de arboribus cæſos turba Chriſto triumphanti in via ſternebat. 397.2.b

Rarefactio aquæ in olla, oſtendit veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia. 481.2.d

Ratio recta eſt regula actionum humanarum. 286.2.c rationem donorum ſuorum exactam in die iudicij exiget Deus. 457.2.d

Rea Hebræis ſignificat ſocium, proximum, amicum. 149.2.a

Reciditia peccatoris non eſt ſpeciale peccatum, ſed tantùm circumſtantia generalis à peccatore volita. 359.1.b.c vide Relapſus.

Recipiens Apoſtolos, Chriſtum & Patrem eius recipit. 238.2.d

Reconciliatio fratri offenſo ante ſacrificium eſt præcepta. 138.1.c.d.2.a

Reginæ Æthiopibus imperarunt, & dictæ ſunt Candaces. 270.1.a Regina Auſtri quæ ad Salomonem venit, quomodo dicta, & vnde venerit. 269.2.d 270.1.a an ex Salomone filium conceperit. 270.1.a eius & Iudæorum antitheſes. ibid.d

quæ Regiones eſſent vltra Iordanem. 114.2.b quæ regions lepram adſerant. 187.2.b.189.2.b

quomodo Regna omnia mundi diabolus Chriſto oſtenderit. 106.1.b.c.& ſeqq.107.1.a regnum Iudææ Chriſto debebatur. 519.2.b quando id ceſſarit. ibid.c regnum cælorum Prophetæ veteres quidem promiſerunt, at Ioannes id prædicauit mox à Chriſto prædicante reſerandum. 247.1.a 425.1.d regnum cælorum ſimile grano ſinapis quod ſit. 282.1.d an id Chriſto adaptari poſſit. 2.b.c quo ſenſu regnum Dauid à Chriſto ſit reſtitutum. 608.1.a regnum Chriſti ſitum in paupertate & mundi contemptu. 67.1.c erat id ſpirituale & cæleſte, ideóque mite. 396.1.a.528.2.d non erat de hoc mundo. 519.1.b quà homo, duplex habuit regnum, etiam in terris viuens, ſpiritale & mundanum. ibid.c.d eius regnum ſuperat cetera. 2.a quodnam regnum eius viderint nonnulli Apoſtolorum ante mortem. 326.2.c.d id purpureâ chlamyde, qua indutus in paſſione fuit, ſymbolicè denotatur. 527.1.a regnum Dei ſpirituale eſt hîc in anima per gratiam, in futuro per gloriam. 80.1.d eſt id quadruplex. 159.1.d 2.a & quale ei in oratione Dominica apprecemur. 2.c.d regnum Dei primùm quærendum, nec non ea quæ ad illud ducunt. 173.1.b.c

Relapſus id peccatum peior eſt lapſu. 271.1.d

Religioſi cuiuſdam in iniurijs gaudium. 148.1.c cur Religioſi priſci dicerentur Aſcetæ. 370.1.c eorũm ſumma lætitia eſt in perſecutionum & iniuriarum tolerantia ſita. 129.2.c ſunt tropologicè Nazaræi. 76.2.b.78.1.b quomodo cum ſæcularibus agere debeant. 131.1.d.2.a terrena omnia parui faciant. 152.2.a alaudis comparantur. 170.2.c.d ſint pauperes ſenſu & cenſu. 197.1.c.d etiam ruſticis concionentur & opem ferant. 216.1.c apud quos hoſpitari debeant. 226.2.c.d non mutent facilè hoſpitium. ibid.d abnegare debent omnia negotia ſæcularia. 324.1.a vnà cùm Chriſto erunt iudices. 374.1.b.c idque ob quatuor cauſas. 2.b per tria vota quaſi per tres claues Chriſto concrucifiguntur. 535.2.c ſunt velut peregrini. 517.2.d dum peccant debent ad Superiorem deferri, & cur. 353.1.c.d.& ſeqq. omnes, præter Franciſcanos, poſſunt bona habere in communi, etiam immobilia. 197.2.b

omnia Relinquere propter Chriſtum eſt actus heroicus paupertatis. 373.2.b relinquens vnum propter eum centum digniora & meliora recipiet. 376.2.a.b

Reliquias Sanctorum quomodo honorare debeamus. 558.2.a eas Caluiniſtæ mergunt & comburunt. 589.1.d earum vſus & vis. 2.b

Remiſſio iniuriæ nobis illatæ eſt conditio peccatorum nobis à Deo dimittendorum. 164.2.b

Reprobationis infidelium & impiorum cauſa originalis eſt ſolum Dei beneplacitum. 251.2.d.252.1.b

Reprobi ſerò dolent ob neglectas in vita virtutes. 456.1.d.2.a & fruſtra opem implorant. 457.1.c à dæmonibus aut angelis ad iudicium raptabuntur. 446.2.d & latâ à Chriſto ſententiâ ſtatim per dæmones in tartara. 466.1.a vbi ipſum accuſabunt falſitatis & iniquitatis. ibid.2.d numquam inferno liberabuntur. 465.2.c in Deum, Chriſtũ & Sanctos blaſphemant ex deſperatione, odio & rabie. 461.1.a vide Damnati.

Repudij legem corrigit Chriſtus. 142.1.c id tantùm licitum eſt fornicationis cauſâ. ibid.

Reſigna-

Reſignatio ſui in voluntatem diuinam eſt optimum remedium in afflictione. 494.1.c.2.b

Reſpectus Chriſti ad Petrum negantem quomodo contigerit. 511.2.b.c

Reſpondere Hebræis idem eſt quod incipere loqui 22.2.c

Reſurrectio mortuorum eſt ſpes Chriſtianorum. 562 1.a cur ea vocetur regeneratio. 373.2.d hæc ſæpè in Scriptura aſſeritur. 415.2.d eſt ea facilior quàm creatio. ibid. reſurrectio Chriſti mortui eum, quis eſſet, euidenter euincebat. 268.1.b quid in nobis operetur. 386.1.a vocatur à Phariſæis error, at hæc eius diuinitatem confirmabat. 554.1.b.c eius ſeries paucis per ſtricta. 19.1.a.b.558.1.c.d ipſa velut excitatio à ſomno fuit, & ceu refloratio arborum. 562.2.c.d quo magis oppreſſa eſt à pontificibus, eo magis innotuit. 565.1.d.566.1.b.c

Reſurrexit Chriſtus die Dominica. 268.2.b cur ipſo reſurgente reſurrexerint Sancti. 548.2.a.b

Reſuſcitatio filiæ archiſynagogi allegoricè exponitur. 213.2.d item tropologicè. 214.1.a

Rex Iudæorum verè fuit Chriſtus. 538.1.c.2.a reges omnes è ſeruis orti & ſerui è regibus. 45.2.a reges Franciæ & Angliæ tactu ſuo ſtrumas curãt. 183.2.a reges Orientales nefas erat adire ſine munere. 67.2.d

Robertus rex Franciæ qua occaſione Ordinem ſtellæ inſtituerit, & quare. 61.2.c

Robur Chriſti iudicis in quo apparebit. 446.2.c

Romani in prandio parci erant, in cœna hilarius eſitabant. 193.1.a noctu ſingulis ternis horis mutabant excubias. 296.2.b diem in XII. horas per quatuor partes, ſic & noctem diuidebant. 269.1.b.d.382.1.d honeſtiores Græcam linguam & ſapientiam perdiſcebant. 573.1.d.574.1.c qua Iudæos occaſione ſubiecerint. 341.2.b varijs præſidijs eos in imperio continebant. 189.2.d an eorum in ipſos dominium iuſtum fuerit. 414.1.a.b.c ijs deuictis poteſtatem occidendi reos ademerant. 515.2.a.b valdè, tempore Titi, in Iudæos exacerbati erant ob rebellionem. 440.1.c

Rubor cæli veſpere ſignum eſt ſerenitatis craſtinæ. 311.2.a at manè tempeſtatum. 312.1.a.b

Rudibus ſæpè maiora Deus dat dona gratiæ quàm litteratis & ingenioſis. 459.1.b.c

Rufus filius Simonis Cyrenæi, fuit Dertoſanus Epiſcopus. 530.1.a

Rutilus color idem eſt qui rubeus. 311.2.b

SAba duplex eſt, vna in Arabia Felice, altera in Æthiopia. 60.2.c.269.2.d

S. Sabas tempore ieiunij ſolâ vixit Euchariſtiâ. 103.1.b

Sabbati ſumma erat Iudæis obſeruãtia & religio. 257.2.b.258.1.c.438.2.b.556.2.c.557.1.d idq; vſque ad ſuperſtitionem. 259.1.d in eo homo debet à labore quieſcere & Deo vacare. 581.2.a.b ſabbato licet curare & benefacere. 259.1.b.c.d 2.a.583.1.a.b cur non ſit commodum fugæ. 438.2.b id ſeruarunt primi Chriſtiani adhuc iudaizantes. 438.2.b in ſabbato capta Ieruſalem eſt. ibid.c.d id in Script. ſæpè vocatur ſabbata. 556.2.c ſi cum Paſchate concurreret, an paſcha transferretur. 475.2.b

Sacerdotes ſunt ſal terræ. 130.1.a.& ſeqq. ſint ſicut ſol. 131.2.b.c in oculis omnium verſantur. ibid.d curant & diſcernunt lepram animæ. 189.2.b quomodo ſenſim euaneſcant & pereant. 131.1.c.d ſacerdotes ſcandaloſi & indocti, cauſæ fuere hæreſeos. 131.1.b mali bene baptizant. 181.2.c & conſecrant. 183.1.b.c ſacerdotes in China celebrant tecto capite. 157.1.c ſacerdotes conſtituti Apoſtoli in vltima cœna, poteſtatem acceperunt alios poſt ſe conſecrandi. 482.1.c ſacerdotes priſci mactando victimas non violabant ſabbatum. 258.1.c.& ſeqq. ſacerdotum Iudaicorum ſordida auaritia. 401.1.c

Sacramenta quo ordine, & quibus verbis à Chriſto inſtituta. 34.1.a

Sacrificio non expiabatur homicidium. 138.1.b ſacrificium refert ſpeciem conuiuij, vnde in eo requiritur victima & libamen. 482.2.a ſacrificium Euchariſticum quàm præclarum ſit. 483.2.b

Sadducæi erant athei. 82.2.d vnde dicti. 83.1.a contra eos ſcriptus liber Sapientiæ & II. Machab. ibid. negantes reſurrectionem, Chriſto quæſtionem inextricabilem (vt putabant) de illa propoſuerunt. 415.2.a.b Dei quoque negabant potentiam ac prouidentiam, ibid.d ſolum Pentateuchum recipiebant, reijciebant Prophetas. 417.1.c

Sagena quid propriè ſignificet. 288.1.b.c quid ſagenæ miſſæ in mare ſimilitudine innuere Dominus velit. ibid.a.b

Sal eſt balſamum naturæ: eſt ſapientiæ ſymbolum: eſt ex igne & aqua, quomodo generetur. 130.1.a eius etymon: cibum inſipidum gratum reddit. ibid.d carnem à corruptione præſeruat. 2.a ſitim excitat, ſua acredine mordicat & pungit, ſiccat & vrit. ibid.b quatuor conſtat elementis. 131.1.c myſticè quid denotet. 604.1.b.c.2.a.& ſeqq.

Salamandra igne conſumitur, etſi non tam citò. 84.1.a

via Salaria Romæ vnde dicta ſit. 130.1.c

Saliri igne, quid ſit. 603.2.d.604.1.a.& ſeqq.

Saliua Chriſti ſaluifica erat. 597.2.b.599.2.a

Salome, & mater filiorũ Zebedæi, eſt eadem. 290.1.d fuit ſoror Iacobi Minoris. 2.c & conſobrina Chriſti. ibid.d adſtabat cruci Domini. 551.1.b inde domum redijt. 553.2.b

Salome ſaltatrix Herodiadis filia, mirè à Deo punita. 595.2.b

Saltatio myſtica quænam ſit. 248.1.a

Saltatrices olim conuiuijs adhibitæ, animos emolliunt. 594.1.b

Saluandi ſunt pauci. 179.2.d. & ſeqq.

Saluatores, quam gratiam ſanandi habeant à Deo. 183.1.d

via ad Salutem arcta eſt. 179.1.a.b.2.b qualem ſalutem apprecetur turba Chriſto Ieruſalem ingredienti. 398.2.a.b.399.1.a.b.400.1.a.b.c

Salutare oportet inimicos. 150.2.a.b ſalutantes Hebræi pacẽ apprecabantur. 227.1.a.b vide Pax.

Salutatio repulſa quomodo ad ſalutantem redeat. 227.1.d.2.b in ſalutationibus varia poteſt eſſe ambitio. 423.2.c

an Samſon in vtero matris fuerit ſanctificatus. 49.1.b typus fuit Chriſti è ſepulchro clauſo prodeuntis. 559.2.b

Sanati à Chriſto corporaliter, etiam ſpiritualiter ab eo ſunt ſanati. 205.1.b

duplex modus Sanctificandi Deum infinitè. 159.1.c

quam nominis Dei Sanctificationem in oratione Dominica petamus. 158.2.c.159.1.b

Sanctitas Euangelij quanta ſit. 39.1.c ſanctitas Dei vocatur eius attributa. 159.1.a ſanctitas noſtra conſiſtit in conformatione voluntatis noſtræ cum diuina. 162.1.a vide Perfectio.

San-

Sanctum ingredi non licebat laicis. 257.2.b vnde id non intrauit Chriſtus, quia non erat ſacerdos Leuiticus. 400.2.d
Sanctulus presbyter multiplicauit panẽ operarijs. 295.2.a
Sanctus fit alius à ſeipſo qui fuit. 323.2.b
Sancti omnes ex Euangelio petiere vitæ ſuæ formam. 7.1.d Sanctos multos aluit Deus ſine cibo. 103.1.a Sancti pulſantur horrendis tentationibus ad maiorẽ humilitatem, virtutem & meritum. 105.2.b.c eorum honor, honor eſt Dei. 144.2.d ipſi etiam ſe peccatores agnoſcunt. 164.2.a etſi diuites, diuitijs animum non affixere. 169.2.a eos viuos non ferunt multi, functos vitâ venerantur. 428.2.b ſunt velut aquilæ. 442.2.c.443.1.a.b.& ſeqq. ſemper ad moriendum fuere diſpoſiti. 450.2.c.d. gratiâ bene vtentes digni ſunt maiorem accipere. 461.2.a gaudebunt in cælo de ſuis donis, & de reproborum, quomodo. ibid. ibi erunt filij & heredes Dei. 127.1.b per eos quatenus iurare liceat. 144.2.c pro hominibus peccantibus orant nec apud Deum eos accuſant. 358.2.b cum Chriſto iudicabunt, & eamdem ſententiam ferent quam Chriſtus. 375.1.b certis locis, quibus in vita laborarunt, à Deo in cælo præficiuntur. 460.2.a Sancti non ſurrexerunt è monumentis niſi reſurgente Chriſto, & quare. 548.2.a.b non ſunt exinde rurſus mortui. ibid.c.d quinam potiſſimùm reſurrexerint. 549.1.a quibus apparuerint. 2.a Sancti plurimi miram in ſumptione Eucharistiæ animi dulcedinem ſenſerunt. 485.2.a Sancti qui auſterè vixerunt, claruere miraculis. 340.2.b Sancti omnes veteris teſtamenti cupierunt videre & audire Meſſiã. 278.1.a
Sandalia quid ſint: ea fuere permiſſa Apoſtolis. 225.1.c.d ſandalium S. Andreæ Treuiris aſſeruatur. 2.a
Sanedrim quod eſſet concilium. 137.1.a
Sanguis victimarum effuſus Deo libabatur. 483.2.a vnde ſanguinis fluxus in Iudæis habeat ortum, & an verè eum patiantur. 523.1.c.d cur ſanguis Chriſti in Euchariſtia à ſacerdotibus bibatur. 483.1.a vinum in eum tranſſubſtantiatur. ibid.b is ibi effunditur & offertur ſub ſpecie vini. 483.2.a.& ſeqq. cur ei potiùs quàm corpori tribuatur peccatorum remiſſio. 484.1.b quomodo is vocari poſſit vinum. 485.2.d
Sanitatis ſignum eſt debita cibi egeſtio. 305.1.a
Sapiens nihil miratur. 192.1.a
Sapientia condit animos ad inſtar ſalis. 130.1.a ſapientia Dei quo ſenſu iuſta declarata à filijs ſuis. 248.2.c.d.249.1.b.c
Sapor rex Perſarum Aurelianum Imp. fecit ſcabellum pedum ſuorum. 420.2.a
Sapricius iniurias remittere Nicephoro renuens, martyrij coronam amiſit. 164.2.c
quomodo Satanas in Iudam intrarit. 473.2.b
Satum Hebræis quæ eſſet menſura. 284.2.c tria ſata farinæ quid ſignificent myſticè, ſymbolicè, allegoricè & anagogicè. ibid.d.& ſeqq.
S. Satyri heroica fortitudo in contumelia ferenda. 237.2.c
SS. Sauinus & Cyprianus Martyres ſuper rotas extenſi canebant. 535.2.b
Scala Iacob ſymbolum eſt generationũ Chriſti. 44.2.a
Scandalizantis paruulum caſtigatio. 346.2.a.b ei æternæ damnationis væ intentatur. ibid. ſcandalizabat multos Chriſti humilis cõuerſatio & abiectio. 242.2.d ſandalizandi modi ſunt varij. 347.1.b
Scandalum tibi dantes amici, familiares, cognati, abſcindendi & deſerendi ſunt. 22.1.c.604.1.a.b ſcandalum tam actiuum quàm paſſiuum multos deperdit. 347.1.a.b.603.2.c quomodo neceſſe ſit fieri ſcandala. 347.1.b ſcandalum paſſi ſunt Apoſtoli in Chriſto, in nocte paſſionis. 487.1.b.c.2.a cur id Deus permiſerit, 2.d.& ſeqq. cur ſcandalum Phariſæorum parum curandum ſit. 304.2.a
Scientiæ ſenſim & paulatim inſtillandæ ſunt. 600.2.d
Sciſſio veſtium quare Iudæis vſitata: cùm ſuas ſcidit Caiphas, quid innuere vellet. 506.1.d hæc ſymbolicè innuebat morte Chriſti veterem legem ſcindi cum ſuo ſacerdotio. 2.a
quàm ſit Sciſſura petræ Golgotha profunda. 547.2.d
Scorpiones quibus flagellatio fit quid ſint. 525.1.b
Scribam ſe ſequi volentem quomodo Chriſtus perſtringat. 196.2.c.d.197.1.a Scribæ quinam dicerentur: ijdem etiam dicti legis periti. 66.1.a.422.1.c in propatulo orabant. 156.1.a & quidem ſtantes. ibid.d eorum in ieiunio hypocriſis. 166.2.d.& ſeqq. quomodo differrent in docendo, à Chriſto. 185.2.d.& ſeqq. eorum tres errores. 135.1.a eos Chriſtus correxit, eorumq; traditiones ſuſtulit. ibid.b.c eorum error circa homicidium. 136.1.b.c.138.1.b & circa concupiſcentiam carnalem in corde adhuc latentem. 140.1.d & circa præludia fornicationis. 2.b & circa iuramentum. 142.2.d.143.1.a.c.d odium inimicorum inferebant ex amore proximi. 149.1.d.2.a arrogabant ſibi cenſuram nouæ doctrinæ, & nouorum doctorum. 301.1.a deuorabant domos viduarum: ſanctitatem ſimulantes auaritiam pro pietate vendebant. 610.2.a in domo Caiphæ conuenerant; antequam Chriſtus ad eum duceretur. 503.1.d falſos teſtes contra Chriſtum vinctum conquirebant. 504.2.b.c eorum odij in Chriſtum tota cauſa erat, quod ipſe plebeius & vilis, vt videbatur, ſe faceret Dei filium. 505.2.b Chriſto iiſdem verbis in cruce illuſerunt, quibus ei illuſuros hoſtes eius prædixit Dauid. 540.1.c ei ita eos illuſuros prædixit & Sapiens. 2.b vide Phariſæi.
Scripturam Canonicam definire debet Eccleſia. 40.1.c
S. Scripturæ dignitas, vtilitas, maieſtas. 1.1.a eſt omnium ſcientiarum encyclopædia. ibid.c eſt ſcientia ſcientiarum, & apotheca rebus omnibus aduerſus mala omnia, & ad bona omnia procuranda, inſtructiſſima. ibid.a.b eſt velut ſpeculum noſtrum. 6.2.d quæ figuratè in ea accipienda ſint, quæ verò propriè. 22.1.b.c in ea multa dicuntur non ex rei veritate, ſed ex opinione hominũ illius temporis. 24.2.c rebus licet mutatis, eadem tamen nomina, quæ priùs habuere, iis aſſignat. ibid.d in ea multa habentur quæ magis conueniunt rei per allegoriam ſignificatæ, quàm ipſi allegoriæ & ſenſui eius litterali. 285.1.d ſæpè loquitur de rebus prout hominibus apparuit. 444.2.c exprimit gaudia Beatorũ ſpiritualia per corporalia. 486.1.d Scripturæ de paſſione Domini prophetantes ſunt eo patiente adimpletæ. 501.1.c.502.2.b
Scythæ herbam hippicen ore geſtantes duodecim dies ieiuni manent. 101.1.b
Σκυθρωπὸς propriè quid ſit. 166.2.b.c
S. Sebaſtianus martyrio affectus, quòd SS. Marcum & Marcellianum confortaſſet. 239.2.b
Sebaſtianus Munſterus obtruſit Euangelium Hebræum S. Matthæi: ſed ſuſpectũ eſt de falſitate. 40.2.d.41.2.a
Secreta mentis non ſunt euulganda, ne à diabolo impediantur. 104.2.d
Sectæ tres Iudæorum erant, cœptæ tempore Ionathæ Machabæi. 82.2.c
Sectatores ſuos Chriſtus ad paupertatem inuitat. 197.1.a.b
Secundùm quid ſignificet, dum dicitur Euangelium ſecundùm Matthæum. 39.2.b.c
Securis ad radicem poſita metaphoricè eſt indicium Dei imminens. 87.1.b.c
Seditiones graues in Iudæa fuere ante vrbis excidium. 435.1.d
Seductores cauendi ſunt. 435.1.b
Seleuciani hæretici ſuos ignè baptizabant. 88.2.d
Semen optimum quod ſit. 279.1.b ſemini analogia cum Euangelio. 274.2.a.& ſeqq.278.1.b vnde diſpar ſeminis fructus proueniat. 274.2.d.& ſeqq. ſemen auſteritate ſeruatur. 278.1.c.d cur ſemen in via diſpereat. 279.1.c.d
Semipelagianorum error circa prædeſtinationem. 250.1.c
quis ſit Senſus litteralis parabolarum. 23.2.c.d ſenſus communis an in corde ſit, an in cerebro. 305.2.b
Sententia eadem pluries & ad diuerſa propoſita à Chriſto accommodatur. 20.1.a ſententia Chriſti pro electis, quàm ſit futura iucunda. 463.1.b.c.d.2.d ſententia damnationis reproborũ expenditur. 465.1.d.2.a.466.2.b ſententiæ in Chriſtum velut reum mortis latæ indignitas. 506.2.c hæc in eum à Pilato lata. 526.1.a
Separatio iuſtorum à reprobis in die iudicij. 462.2.d
quomodo ſepelirent mortuos Iudæi. 552.1.c.d.2.a cur ſepelire patrem vetuerit Chriſtus eum qui ſe volebat ſequi. 199.2.a.b
Sepes vineæ quid denotet myſticè. 406.1.d
Septenarius eſt ſymbolum vniuerſitatis. 356.2.c.d.& ſeqq. eius duplicati myſteria. 51.1.d.2.a.b
Septuageſimi ſeptimi numeri myſterium. 356.2.c.d.
in Sepulcris exſtruendis tria peccata admittebant Phariſæi. 428.1.b ſepulchri Dominici forma. 552.2.c.553.1.a.b. eius celebritas & gloria. 553.1.a.b. cur ſaxo magno obſeratum eſſet, & à Iudæis obſignatum. 553.2.a.554.2.a.b vnum tantùm lapidem habuit, quo clauderetur, non duos. 559.2.a
Sequela Chriſti præcipitur: ſequẽdus is in modo viuendi. 371.2.a
Serapion dedit ſe & ſua omnia in ſubſidium pauperum, idque quò Euangelio morem gereret. 4.2.c
Serendi leges variæ. 279.1.b.c
Serenitatis ſignum eſt rubor aëris veſpertinus. 311.2.a
Sermo Chriſti an habitus in monte, an in loco campeſtri, & quando habitus. 116.1.d.2.a.b
Serpentes cur quadraginta diebus ieiunent. 100.1.a hieme non comedunt. 100.2.d eorum prudentia eſt nobis imitanda. 229.1.c.& ſeqq.
Serui fideles benignè habendi. 194.2.a ſerui à Deo in vineam Synagogæ miſſi, & à colonis malè habiti aut necati, ſunt Prophetæ. 406.2.c.d ſeruorum Chriſti gloria conſiſtit in paſſione & cruce. 397.2.a
Seſſio propriè iudicum eſt. 374.1.a ſeſſio iudiciaria promittitur omnibus, qui relictis omnibus Chriſtum pauperem pauperes ſequuntur. 2.c quid hæc ſeſſio denotet. ibid.d cur ſeſſio angeli ſuper lapidem ſepulchri Domini facta ſit. 559.2.c.d
Sethiani hæretici multa de Magis, & ſtella eis apparente, finxerunt. 64.1.b
Seuerianus Gabalenſis Epiſcop. quando floruerit. 565.2.b
Sexus femineus non eſt vitium, ſed naturalis conditio. 417.1.a
Sibyllæ de Chriſti paſſione vaticinatæ ſunt. 508.1.d
Siclus idem quod ſtater, vel tetradrachmus, vel florenus Brabanticus. 342.2.a.474.1.c
Sidon vrbs Phœniciæ vnde dicta. 250.1.a
cur Iudas militibus dederit Signum in Chriſto capiendo. 496.2.d ſigna temporum, quæ Phariſæos ſcire non poſſe Redemptor ait, quæ ſint. 312.1.d ſigna excidij vrbis & orbis. 435.1.c.d.& 2.a.b & maximè vrbis. 2.c.d.436.1.a.437.2.a.b & ea ſemper increſcebant. 436.1.b
Silentium mirum Chriſti coram Pilato. 519.2.c.d
cur ſilere Apoſtolos geſta in transfiguratione iubeat Dominus. 337.1.a.b
Simeon Epiſcopus II. Hieroſol. fuit frater S. Iacobi Minoris. 289.2.d.290.2.a alius eſt à Simone Chananæo. 290.1.a
Simeon Stylites quadraginta dies ſæpiùs ieiunauit virtute & gratia ſupernaturali. 100.1.d.101.1.d qua occaſione conuerſus ſit: eius vitæ breue elogium. 117.1.d quid ad populum quotidie concionaretur. ibid. curat paralyticum. 206.2.b
Simonis etymon. 112.1.d
Simon, apud quem Chriſtus conuiuatus, cur dictus ſit Leproſus. 471.1.c.2.a
Simon Apoſt. vnde dictus ſit Chananæus. 220.2.d an fuerit ſponſus in nuptijs Cana. 221.1.a cur dictus ſit Zelotes. ibid.
Simon Cyrenæus origine, an Iudæus, an Gentilis fuerit. 529.2.d fuit ad Chriſtum cum filijs conuerſis. 530.1.a compulſus eſt portare crucem Ieſu. ibid.c quomodo eam tulerit. 2.a.b
Simon Geraſenus milites in deſerto collegit qui Iudæos à Romanis defenderent, ſed in vrbem admiſſus, in ciues cædibus graſſatus eſt. 438.1.a.440.2.c.441.2.c
Simonis Magi arrogantia & impoſtura. 435.1.b ei Romæ à Nerone fuit ſtatua erecta velut Deo: eius diſcipuli fuêre varij hæretici. ibid.c.441.1.b
Simonia vetatur Eccleſiaſticis. 222.2.a.b.c
Simplices ſunt apti regno Dei. 367.2.c
Simplicitas columbæ nobis imitanda. 229.2.c
Sinapis granum non eſt minimum ſeminum. 283.1.a eius proprietates. ibid.& ſeqq.
Sindon eſt pannus lineus ſubtilis, dictus à Sidone vrbe Phœniciæ. 552.1.c.415.1.b in ſindone munda Chriſtus ſepelitur, eſt ſolus & ſeparatus. 586.1.a
Singulus & ſingularis, eſt ſolus & ſeparatus. 586.1.a
Sitis faciliùs expletur quàm fames. 124.1.c
tres libelli ſub nomine S. Sixti Pontificis editi, ſunt Pelagiani alicuius. 370.2.c
Societas bona parum prodeſt reprobis. 449.2.c ſocietas impiorum noxia eſt. 503.2.a.511.1.c
Societatem Ieſu tria conſeruant. 128.1.a iubetur omnia ſua munia exercere gratis. 223.1.b in ea peccans poteſt licitè ad Superiorem deferri, & ad hoc quilibet iuri famæ ſuæ cedit. 353.1.c & quæ huius rei ſit ratio. ibid.d
Socratis in iniurijs patientia. 148.1.b omnis terra ei patria erat. 70.2.b
Socrus S. Petri febricitans à Chriſto curatâ illicò ſurrexit. 196.1.c

Sodomia non tam graue ſcelus eſt quam infidelitas, hæreſis, blaſphemia, ſacrilegium, &c. 228.1.b.c.d

Sol dictus, quòd ſolus ſit in mundo. 98.2.d eſt typus ſacerdotum. 131.2.c.d quomodò ante orbis excidium ſit obſcurandus. 444.1.d eſt moriente Domino toto orbe obſcuratus. 541.1.b. & ſeqq. 542.1.a citiùs ortus videtur, Chriſto reſurgente. 556.2.b ſol occumbens videtur mergi mari. 579.1.d

Solers vox vnde deriuetur. 173.2.d

Sollicitudo hominum duplex eſt: vna ſedula & moderata, & hæc licita. 173.2.d altera nimia, immoderata & anticipata, & hæc vetita. 174.1.a vti & à Chriſto ſollicitudo anxia opes corrogandi. 170.1.b.c.& ſeqq.171.1.c.2.a.172.2.a.b.173.1.d.2.c.d ſollicitudo ſæculi & ſalutis quid in homine operetur. 280.1.b.c

Deus eſt Sollicitus pro nobis alendis & veſtiendis. 172.2.c.d.& ſeqq.

Somnium vxori Pilati immiſſum an à diabolo, an à Deo fuerit. 521.1.c.d

Somnus Prælatorum quàm ſit noxius. 281.1.d ſomnus cibum heſternum digerit. 590.2.c ſomnus Chriſti in tempeſtate. 201.1.a b

Sorores Chriſti quænam dicantur. 290.2.c

Species viſibiles poſſunt à Deo confirmari & multiplicari vt ſe ſpargant per loca longè diſſita. 106.1.c 2.b cur ſub vna ſpecie laicis ſufficiat communicare. 482.2.c.d

Speculator non eſt idem qui ſpiculator. 594.2.c

Spelunca S. Ioannis Baptiſtæ in deſerto deſcribitur. 79.2.c verſa eſt in eccleſiam. ibid.d

Sperare pro timere accipitur ſubinde. 452.2.a

Spes in Deum facit omnia aduerſa & tormenta vincere. 108.2.b eſt menſura orationis. 204.1.c

Spicas vellere olim erat licitum. 257.1.b

Spicatum nardinum vnguentum præſtantius foliato. 614.1.b

Spiculator idem eſt quod carnifex. 594.2.c

Spinæ coronæ Chriſti quales fuerint. 527.1.c

Spiridion Trimithuntis Epiſcopus in vna maxilla percuſſus præbuit alteram. 146.2.c furibus ea quæ ſibi ablata erant, vltrò condonabat. 148.2.b

Spiritualia per corporalia explicant Chriſtus, Apoſtoli, & Prophetæ. 2.2.c

Spiritus tria in Script. ſignificat. 117.2.d.118.1.a.b ſpiritu pauperes qui ſint. 117.2.c,d. & ſeqq. quod indicium, an ſpiritus bonus ſit an malus. 297.2.b ſpiritus Dei non eſt inuidus, ſed omni bono congaudet. 603.2.c ſpiritus vox cùm abſolutè ponitur ſignificat Spiritum ſanctum. 98.2.a

Spiritus ſanctus direxit Euangeliſtas in Euangelio ſcribendo. 39.2.c.& ſeqq. potiſſima fuit cauſa & actiuitas natiuitatis Chriſti. 50.1.c ſuppleuit in Deipara concurſum patris. 54.1.d cur ei attribuatur opus incarnationis Filij Dei, non Patri. 2.a.b quòd de eo Chriſtus conceptus dicatur, tria per hoc denotantur. ibid.b.c humanitatem eius efformans, omnem ſuam ſanctitatem in eam tranſfudit. ibid.c eius gratia datur in baptiſmo. 88.2.c deſcendit hic in Apoſtolos in Pentecoſte. ibid.b idq́; ſpecie ignis: etiam in alios. 89.1.b.c cur in columbæ ſpecie ſuper Chriſtum baptizatum deſcenderit. 94.2.c.d ſeptem eius dona in columba figurantur. ibid.d.& ſeqq. expulit Chriſtum in deſertum. 98.1.a.d.2.a non intendit tentationem eius. 2.a.b locutus eſt in Martyribus, dum ante præſides ſtarent. 231.1.c quæ dicatur blaſphemia in Spiritum ſanctum. 263.2.c.& ſeqq. 264.1.c vix ea remittitur. 264.2.b ei attribuuntur opera bonitatis & ſanctitatis Dei. 264.1.c ipſe S. Petro confeſſionem de Chriſti diuinitate reuelauit. 316.1.b.c in eius transfiguratione apparuit in ſpecie nubis. 336.1.b eius & Chriſti eadem ſunt opera & dona. 568.1.b

Splendor vultus Chriſti in transfiguratione fuit pluſquam cæleſtis, ſed diuinus. 330.2.a.b erat aureus, at transfuſus in veſtes erat albus. 332.1.c ſplendor eſt omnium qualitatum ſenſibilium nobiliſſima. 2.a

Spongia aceto plena, quia poroſa, eſt admota Chriſto dicenti ſitio: ea Romæ ſeruatur. 543.1.d

Sponſo honoris causâ addebantur olim comites iuuenes, & ſponſæ Virgines. 454.1.b Eccleſiæ ſponſus Chriſtus eſt. 2.a

Sporta aliud menſuræ genus eſt à cophinis. 310.1.a. 313.2.a

Sputa in faciem Chriſti congeſta à ſceleratis miniſtris: quæ atrox fuit iniuria & contumelia. 507.2.a

in Stabulo adoratur Chriſtus à Magis. 67.1.c

Stadia octo faciunt vnum milliare. 296.2.d.391.2.c

Stare & ſedere æquè proprium animæ beatæ. 374.1.a ſtare, apud Hebræos ſæpè ſignificat tantùm adeſſe. 509.2.a.560.1.a cur Ieſus ſtet cæcum illuminaturus. 393.1.a.b

Stater idem eſt quod ſiclus. 342.2.a

Staturam ſuam nemo adaugere poteſt, ſed ſolus Deus. 17.1.c.d

Status Deus iuxta vires naturæ contemperat. 459.1.a

Stella eſt ſymbolum regis & regni. 61.2.b an ſtellæ cuique ſua fata diſtribuant. 62.1.b ex earum concurſu indicant aſtrologi de moribus naſcituri. 2.a quomodo eæ ſint de cælo caſuræ ſub finem mundi. 444.2.c.d ſtella Magos ducens radios clariores verſus Iudæam extendit. 61.2.d ea non fuit fatum Chriſti. 62.1.b nec eius ortum, facta & miracula ſingula oſtendere potuit. ibid.d.& ſeqq. non fuit inſignita imagine pueri geſtantis crucem. 2.d an fuerit Spiritus ſanctus. 63.1.d an angelus, an cometa. 2.a fuit noua ſtella ceteras ſuperans productione, materiâ, loco, motu, tempore, duratione, magnitudine, varietate, fulgore. ibid.& ſeqq. quædam de ea figmenta. 62.2.c.64.1.b an ſupra Iudæam primo Magis apparuerit. 64.2.b an in Oriente hæſerit. ibid.c comitata eſt Magos. ibid.d.& ſeqq. etiam alij præter Magos eam viderunt. 65.1.c.d aliæ eius proprietates. ibid. anteceſſit Magos euntes in Bethlehem. 66.2.d

S. Stephanus I. Pontifex & Martyr, quòd Chriſtianos ad bonorum iacturam faciendam animaret, gladio cæſus eſt. 234.2.c.d

Stercoratio agri quomodo peragenda. 279.1.d

Stimulus ad virtutis ſtudium capeſſendum. 326.1.d

Stola erat veſtis polita & talaris: eâ Scribæ ad pompam vtebantur. 610.1.c

Strabus Rabani diſcipulus auctor eſt Gloſſæ. 200.1.c

an Stridor dentium ſit in inferno. 194.1.b

Subſtantiam omnem creatam poteſt Deus in aliam totaliter tranſmutare. 86.2.a

Subtilitas nimia in ſacra Scriptura cauenda. 23.1.c

Sudarium Veronicæ cum impreſſa Chriſti effigie Romæ aſſeruatur. 531.1.a

Super amplè accipi poteſt. 321.1.b

Superbia eſt omnis iniuſtitia. 91.2.d eſt mater diſſidij & belli. 92.1.a eſt onus gratiæ. 255.2.c

Superior gerat ſe modeſtè, non perfractè. 390.2.b.c ei contraria legi diuinæ iubenti non eſt parendum. 422.2.a Superior ſit pius, benignus, & velut miniſter. 424.2.c

Superliminare templi fractum atque diuiſum eſt in excidio vrbis & templi per Titum. 547.1.c

per Superſubſtantialem panem quid intelligatur. 163.1.a.c.2.a quis ſit is. 2.b.c. & ſeqq.

quæ Supplicia eſſent apud Iudæos in vſu. 531.2.b

Surdus ſemper eſt mutus. 215.1.c

Suſcipiens paruulos in nomine Chriſti, Chriſtum recipit. 346.1.a.b

Suſpendium Iudæ fuit clarum teſtimonium innocentiæ Ieſu. 517.1.a

non eſt Suſpicandum ſiniſtrè de viris probis. 55.2.a quia ſuſpicio mala de proximo noxia eſt. 176.1.a

Suſtentatio debetur prædicatoribus: vnde vocetur merces & ſtipendium. 226.1.b

Suſtinere idem eſt quod fauere, fouere, tueri. 169.1.b

Synagoga vocatur cœtus populi collectus. 289.1.b

Syrophœniſſa mulier vnde dicta ſit. 306.1.c

Syri vtuntur frequenter parabolis & prouerbijs. 23.2.b.130.1.a Hebræum ſchin ſæpè in tau commutant. 114.2.b

Syrus Matthæi, vti & totius reliqui Teſtamenti, textus eſt ex Græco traductus. 11.2.b.41.1.c eius interpres non eſt S. Marcus: fauet Catholicis contra hæreticos. 41.2.c.d hic ſæpè græcizat. 281.2.c Syriaca S. Marci verſio non eſt authentica. 574.2.c nec S. Matthæi eſt autographa. 41.2.b Syriaca lingua ſucceſſu temporum nonnihil variata eſt. 542.1.c

TAbernacula tria cur in monte Tabor peteret S. Petrus fieri. 334.1.c.d

in Tabor monte transfiguratus eſt Dominus. 329.1.a fuit fidelium peregrinatione celebris. ibid.b.d cur hunc montem potiſſimum Chriſtus elegerit. ibid.d eius altitudo, amœnitas, etymon. 2.a.b.c

Tactus Chriſti quàm ſalutifer. 188.1.d.2.a omnes morbidos ſanabat. 300.1.b tactus multarum rerum Iudæos olim prohibitus erat. 301.1.a.b tactus in capite maximè viget. 527.1.d.2.a.c

Talentum Atticum & Hebræum cuius ſint pretij. 357.1.d.2.a.458.1.d

Talionis lex iuſta eſt. 145.2.a ei Chriſtus opponit iniuriæ tolerantiam. ibid.c

Tamberlanus Baiazete Imp. Turcarum vſus eſt loco ſcabelli, equum aſcenſurus. 420.2.a

Tauri ſymbolici qui ſint. 410.1.a.b

Tecta Iudæorum erant plana. 234.1.c.437.2.c

Telonium eſt locus, in quo vectigal ſoluitur. 208.1.a

Tempeſtatem excitauit Chriſtus cùm transfretaret & cur. 200.1.d.2.a

cur Templum dicatur domus Dei. 402.1.a eſt locus orationis: quanta ei debeatur reuerentia. ibid.b.c per templum & altare iurans, quatenus obligetur, 426.1.c.d.2.a.b templi exterior facies oculos omnium in admirationem rapiebat. 434.1.a.b cur in templum argenteos Iudas retulerit. 516.2.b templum luxit mortem Chriſti, dum velum eius ſciſſum eſt. 546.2.c poſthac ipſum profanandum fore, hæc veli ſciſſio denotabat. ibid.d templum duodecim thronorum in Tiberiade à S. Helena conſtructum. 293.2.b cur templa noſtra Orientem reſpiciant. 536.1.d

Temporis magna habenda eſt ratio. 267.1.a tempus omne licet nobis longiſſimum, cùm Dei tamen æternitate comparatum modicum eſt. 443.2.d cur tempus Chriſti & legis Euangelicæ vocetur hora nouiſſima. 444.1.a tempus merendi morte clauditur. 457.1.a tempus fructuum vineæ Eccleſiæ quodnam eſſet. 406.2.b & quis is fructus 407.1.b

cur in Tenebris veteres ad lumen comederent. 193.1.c tenebræ per vniuerſam terram in morte Chriſti factæ ſunt: vnde illæ ortæ & quamdiu durarint. 541.1.b.c.& ſeqq. quid denotent ſymbolicè. 542.1.a quæ tenebræ exteriores dicantur, & vnde 193.1.c.d

Tentatio omnis à diabolo non oritur. 101.2.c facilè ſuperatur, ſi Deus & cæleſtia præ oculis habeantur. 108.1.d.2.a.b tentationes vt nobis obueniant, quatenus rogare liceat. 165.1.c.d non poſſunt à nobis vinci niſi ope Dei. ibid.d earum vtilitas. 165.1.d.200.2.b.c oriuntur ex Dei diffidentia. 298.2.d vincuntur ſpe & fide. 201.2.a.340.1.b in ijs per orationem eſt Dei gratia imploranda. 201.2.c.298.2.d. 488.1.b.494.2.b & propria agnoſcenda infirmitas. 488.2.c tentatio mundi eſt velut pluuia vehemens. 185.2.a vnde tentationes diaboli quibus Chriſtum aggreſſus eſt, habuerint originem. 102.1.c earum ordo. 107.2.d tentatio carnis & gulæ ſuperanda eſt ſpe in Deum; ſuperbiæ, timore Dei; auaritiæ & ambitionis, contemptu mundi & magnanimitate. 108.1.a tentationes horrendas Sanctis ſæpè dæmon ingerit. 105.2.b quod in ijs remedium. ibid.d tales occurrunt ad Deum conuerſis. 98.2.b earum nulla tam grauis, quin ſuperari poſſit. ibid.c ſunt eæ declinandæ, & ijs reſiſtendum cùm veniunt. 99.1.a

cur Chriſtus fuerit à diabolo tentatus. 98.2.b & ſeqq. tentatus faciat quod nautæ in tempeſtate. 200.2.c.d

S. M. Tereſia cenſebat omnia mundi damna inde manare, quòd homines veritates S. Scripturæ non penetrarent. 1.2.a voto ſe obſtrinxit facturam ſe in re qualibet quod erat ſanctius. 92.2.c.151.1.b erga S. Ioſephum mirè affecta, eius cultum omnibus commendabat. 48.2.d

per Terram non eſt iurandum. 144.2.a quam terram poſſeſſuri ſint mites. 122.1.c.& ſeqq. terra bona fructum dans ſeminis diſpar eſt, & denotat fidelem conſcientiam. 275.2.d qui ſint myſticè terra bona ſemen recipiens. 280.2.a b

Terræ motus accidit moriente Domino in cruce. 541.2.c.547.1.d quæ loca per eum diruta ſint. 547.1.d quæ huius motus ſit cauſa litteralis, myſtica & tropologica. ibid.& 2.a.b cur terræ motus factus ſit Chriſto reſurgente. 558.2.b.c. is ab angelo fuit excitatus. ibid.d

Tertullianus docuit illicitum eſſe fugere in perſecutione, ſed errat. 232.1.c

Teſſeradecades tres in generatione Chriſti triplicem Iſraëlis ſtatum denotant. 50.2.d

Teſtamentum Chriſti & fœdus cum Eccleſia, ſancitum eſt in inſtitutione Euchariſtiæ. 483.1.c

Teſtamentum vetus fuit figura noui: & vtriuſque conſonantia. 25.1.a.b vetus docuit Iudæos Deum non tam amare quàm timere, at nouum docet amare. 247.1.b ex illo nouum illuſtrandum eſt & confirmandum. 289.1.a

falſi Teſtes quid contra Chriſtum depromant. 504.2.c.d eius quod deponunt, ſenſum deprauarunt. 505.1.a.b

Teſtimonia falſa contra Ieſum quærebant Iudæi. 504.2.b.c & quæ. ibid.d

Teſtudines edunt Hiſpani. 81.2.d at ſunt Syris nauſeæ. 136.2.b

Tetrarchia qua occaſione poſt Herodis mortem in Iudæã inducta. 75.2.c

Thamar quo aſtu prolem è Iuda ſuſceperit. 45.1.d

Thebæa legio Chriſtiana ad mortem damnata ſeſe defendere noluit. 146.1.c

Theobaldus Comes laudatur à ſinceritate. 145.1.b

Theodoſius Imp. propria manu deſcriptum legebat quotidie Euangelium. 2.1.c petijt abſolutionem & pœnitentiam à S. Ambroſio. 355.1.b interceſſione S. Ioannis Bapt. Eugenium tyrannum profligauit. 595.2.d

Theotinus copula carnali oculos amiſit. 195.2.a

Theriaca fit ex viperis, præſentiſſimum contra venena remedium. 83.2.d.84.1.d

Theſaurus vocatur, quidquid amatur & magni fit. 167.2.d theſaurus defoſſus ſpectat ad dominum agri. 286.2.d theſaurus abſconditus quem in parabola attulit Chriſtus, quos repræſentet. 287.1.a.b

Thomas idem eſt quod geminus. 220.2.b

S.Thomas Apoſtolus poſt Chriſti reſurrectionem tres Magos conuertit. 60.2.d

S.Thomas Aquinas ſtudioſè cauebat feminas. 141.1.a

Thomæ Mori lepidum de ſua parua vxore reſponſum. 364.2.d à patre ſene benedictionem petijt. 367.1.a

Thori menſales quales eſſent. 477.1.b

Thus Chriſto quaſi Deo obtulere Magi. 68.1.a.c thuris quod etymon. ibid.b denotat orationem. 2.c

cur Tibicines in funere adhiberentur. 212.2.d.213.1.a

Timæus Pythagoricus in rebus naturæ erat verſatiſſimus. 607.1.b.2.a

Timon Athenienſis maniâ & melancholiâ laborabat. 248.1.d

Timor quorum ſit, & non ſit. 561.2.a
timor gehennæ vincit eculeos. 234.2.d

Titulos ſingulis Euangelijs præfixit Eccleſia. 40.1.b titulus crucis Chriſti habet nomen uotzeri ſcriptũ per tſade. 77.2.a ſcriptus à Romanis miniſtris parum curantibus & peritis, an Chriſtus diceretur Naſarenus per tſade, an per zain. 2.b qualis eſſet. 538.1.c fuit elogium eius, Deo ſic Pilati manum dirigente. ibid.d eum nemo Euangeliſtarum perfectè & plenè exprimit. 2.b exſtat Romæ in baſilica crucis in Ieruſalem. ibid.c ſcriptus eſt triplici lingua. ibid.d

Titi Imp. facilitas & comitas. 366.2.c agnouit ſe Dei ope Ieruſalem expugnaſſe, quòd is Iudæis iratus eſſet. 439.1.d

Tolerantia iniuriæ melior quàm vindicta: hæc ſubinde præcepti, ſubinde conſilij. 145.2.c.d

Tonitru ſemper miſcetur cum fulgure, & eius eſt cauſa, etſi poſt fulgur audiatur. 94.1.c eſt id viſum audiri Chriſto iam baptizato à Ioanne. ibid.

Tonſura ſacerdotum refert coronam Chriſti. 528.1.c

Tophet quis locus iuxta Ieruſalem. 138.1.a

Torcular vineæ quid denotet. 406.1.d.2.a

Tormentorum metu multi à fide defecere. 436.1.d

Torpor & paralyſis quî differant. 207.1.d

Traditionum auctoritas neceſſaria eſt. 40.1.b traditionum tria ſunt genera, diuinæ, Eccleſiaſticæ, ciuiles: vltimæ ſunt vel bonæ, vel malæ & Phariſaicæ. 303.1.b & hæ à Domino ſugillantur. 302.1.b Eccleſiaſticæ non ſunt abdicandæ. 301.2.b nec diuinæ. 302.1.c

Traducere quid ſit. 56.1.a

Traiani Imp. comitas & facilitas. 366.2.c

Tranſanimatio Pythagorica. 314.1.d ea non credebatur à Phariſæis. 2.a

Transfiguratio Chriſti, eius velut regnum fuit. 316.2.d in ea fuit repræſentata SS.Trinitas. 336.1.a cur eam ad ſex dies Dominus diſtulerit. 328.1.a.b & tres ad hoc aſſumpſerit Apoſtolos. ibid.d primum in monte orauit. 329.2.d cur facta ſit in monte, & quo monte. 328.2.d.& ſeqq. quomodo ſit peracta. 330.1.a.& ſeqq. non fuit phantaſtica. ibid. an manè an nocte contigerit. 335.2.b Chriſtus in ea non oſtendit Apoſtolis ſuam diuinitatem, nec mutauit vultus formam, eſſentiam, figuram, ſed aſſumpſit ingentem ſplendorem quaſi diuinum, qui in vultu & toto corpore reſplenduit. 330.1.b.c.d quo die & anno, & cur ſit transfiguratus. 331.1.a.b.& ſeqq. idq́ ſtans. 332.1.a fulgor veſtimentorum eius. ibid.& ſeqq. cur ei tunc apparuerint Moyſes & Elias. 2.b.c.& ſeqq. cur Apoſtoli tres timuerint. 336.2.a.b totius transfigurationis ordo & ſuccincta narratio. ibid.d.& ſeqq. cur de ea Chriſtus ſuos loqui vetet. 337.1.b.c

Transfiguratus eſt Chriſtus quater, & quomodo. 331.1.c.d

quomodo petat Chriſtus in horto, Tranſire calicem paſſionis à ſe. 493.1.c.d

Triangulari figurâ oſtenditur veritas corporis Chriſti in Euchariſtia. 481.1b

Tribulatio pro Chriſto libenter toleranda. 238.1.a
eſt generoſo animo excipienda. 496.1.c

Tribulus eſt genus ſpinæ. 181.1.b

Tribunal triplex Hebræorum erat. 136.2.d

an in Iſrael Tribus eſſent duodecim an tredecim. 375.1.c

quod Tributum Romani Iudæis indixerint. 341.2.a.b iuſtumne id an iniuſtum fuerit. 412.1.c.d cur id Chriſtus ſoluit pro ſe ſolo & Petro. 342.2.b.c

Triduum Chriſti in ſepulchro quomodo ſit computandum. 268.2.b.c.& ſeqq. 269.1.d

ante Trigeſimum ætatis annum Iudæo non licebat munia doctoris aut ſacerdotis obire. 79.1.b

SS.Trinitas in lege veteri tenuiter fuit adumbrata, in Euangelio apertè deſignata. 4.1.b.c.20.2.a in ea ſunt tres perſonæ, vna deitas. 20.2.b eius ſymbolum fuit familia S.Ioſephi cum B.Virgine. 53.2.a.b reuelata fuit in Chriſti baptiſmo. 95.2.c eius myſterium rudibus Apoſtolis ſenſim patefaciendum erat. 252.2.b ea fuit repræſentata in baptiſmo & transfiguratione Chriſti. 336.1.a eius myſterium Chriſtus clarè expreſſit in baptiſmi forma. 567.2.b eius opera ad extra ſunt indiuiſa. 568.1.b

Triſagion reuelatũ fuit à puero rapto in aëra. 402.2.c

Triſtitia animorum tormentum crudele. 207.2.c triſtitia Chriſti in horto vera fuit. 490.1.d fuit non ſolùm in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in voluntate, & quæ eius cauſæ. 2.b.c.& ſeqq. quæ cauſæ finales & morales. 491.1.d fuit voluntaria, non naturalis aut inuoluntaria. 491.1.c 493.1.b triſtatus eſt vſque ad mortem. 492.1.c

Tri-





Triumuiri Apoſtolorum ſunt tres. 221.2.c

Tſade littera Hebræa ſemper transfertur per ſ. 77.1.b

Tuba præibat ducendos ad ſupplicium. 529.2.b

Tunica eſt veſtis interior. 147.2.a tunica Chriſti inconſutilis qualis eſſet: ea Treuiris ſeruatur. 537.c.d tunicas duas geſtare Apoſtolos vetat Chriſtus: quomodo hoc intelligendum. 225.1.a

cur Turbam eiecerit Chriſtus puellam vitæ reſtituturus. 213.2.a qua intentione Chriſtum turbæ ſequerentur. 114.2.a.b quomodo eæ pedeſtres potuerint ſequi Chriſtum nauigantem. 293.2.d cur eas in veſperum vſque detinuit. 294.1.c earum ardor Chriſtum per triduum ſequentium. 309.1.a.b.c

Turcis quatenus reſiſtere debeamus, contra Lutherum. 161.2.a Turcæ bibituri vinum ſuperſtitioſa religio. 303.2.c

Turris vineæ quid & quos denotet myſticè. 406.2.a

Tutilimenus ob exactum periurium vapulat grauiter. 143.2.d

Tyranni & veri domini differentia. 390.2.a

Tyrus eſt vrbs munitiſſima Phœniciæ. 250.1.a

VÆ quibus Chriſtus intentat, ſunt rei culpæ mortalis, & gehennæ addicendi. 425.1.c.d

Vah eſt interiectio irridentis, inſultantis, exprobrantis. 539.1.d

Valentinianus ſenior negotijs Eccleſiaſticis ſe ingerere noluit. 414.2.d at iunior Arrianis fauens, eo in genere ab Ambroſio ſugillatus eſt. 415.1.a

Valentinus hæreticus cenſuit Chriſtum per B.Virginem quaſi per canalem tranſiiſſe. 56.2.a

Vallis Ennom deſcribitur. 138.1.a vallis Ioſaphat immediatè adiacet vrbi Ieruſalem. 395.1.b.c

Vanitas regnorum & honorum mundi. 528.2.d

Vas per templi atrium extimum ferri vetuit Chriſtus. 608.1.a

idem Velle quod Deus vult, ſumma perfectio eſt. 152.2.b

Velum templi erat duplex. 546.2.a quod ſit ſciſſum, moriente Chriſto. ibid.b.c & quæ ſciſſionis huius ſit cauſa litteralis, myſtica, & allegorica. ibid.c.& ſeqq.

Vendebantur olim à creditore, debitoris vxor & filij. 358.1.a vendere ſua & dare pauperibus, non eſt præceptum, ſed conſilium. 369.1.c vendentes templo Chriſtus eiecit poſtridie diei palmarum. 401.1.b idq́ duas ob cauſas. ibid.c & quidem ſecundò eos eiecit. ibid.d cur nemo ei reſtiterit. 2.b.c

Venditionis Chriſti pretium. 474.1.a.b.& ſeqq. quæ ſit myſtica Chriſti venditio. 2.c venditio Ioſephi fuit typus venditionis Chriſti. ibid.a

Venetiæ quomodo coaluerint. 574.1.b

Veneti ſumma religione S.Marcum colunt. 572.2.d

Ventilabrum tritici eſt vannus: eo denotatur iudicium Chriſti. 89.1.d.2.a

Venti ſymbolum ſunt tentationum diabolicarum. 185.2.b

quot Verbera Chriſto in flagellatione fuerint inflicta. 524.2.c

Verbum Dei cum fructu audiens, legens, meditans, teſſeram habet ſuæ prædeſtinationis. 7.1.b eius & ſeminis analogiæ. 278.1.b.c.& ſeqq. eſt id auſteritate ſeruandum. ibid.d verbo quo, & quomodo viuant fideles. 103.1.c verba ſunt prout eſt affectus. 265.2.a de omni verbo otioſo reddenda ratio in die iudicij. ibid.c verba noſtra ad Dei honorem tendere debent. 267.1.b otioſa verba qualiter cauere poſſimus. ibid.c.d verba prout erunt, ita iuſtificabimur, aut condemnabimur. 2.a verba omnia quæ in calicis conſecratione proferuntur, legitimam habent auctoritatem. 483.1.c ſeptem verba Chriſti in cruce. 545.1.a Verbum incarnatum ſtuporis eſt materia. 56.2.d id in carne humana latens, eſt ceu margarita in concha. 287.2.b

Verba apud Hebræos actum nunc inchoatum, nunc continuatum, nunc perfectum ſignificant. 21.1.c verba in Hitpael iis ſunt paſſiuæ ſignificationis, aut actionis reflexæ, vt idem ſit patiens qui agens. 587.2.b verba eorum actiua ſæpè inchoationem & conatum tantùm ſignificant, non actum perfectum. 615.2.a

Veritas in aquila denotatur. 443.2.b

Vermes infernales terribiles ſunt. 603.2.c

Veronica ſudarium Chriſto exhibet vt faciem ſudore & ſanguine madentem abſtergeret, quod ab eo recepit cum impreſſa eiuſdem effigie. 531.1.a mortua eſt in Gallia. ibid.b non fuit mulier hæmorrhoiſſa. 589.2.a

Verſiones originales Orientalis linguæ clarè Petrum & petram idem eſſe innuunt. 317.1.c.d

Veſpaſianus quomodo ad imperium venerit. 438.1.a habitus fuit à nonnullis pro Meſſia. 440.2.b

Veſpera ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, quomodo intelligatur. 555.1.a.& ſeqq. veſperam Hebræi vocant noctem. 556.1.c

Veſtem vnam auferenti quomodo danda ſit altera. 147.2.a.b veſtium vanitas & inanitas. 172.1.b veſtium aſperitas commendatur. 244.1.a veſtes Iudæorum quales eſſent: eas ſcindebant in luctu, vel auditâ blaſphemiâ. 506.1.c.d tres tantùm veſtes habuit Chriſtus, ſcilicet ſubuculam, tunicam, & pallium extimum. 225.2.a.538.1.a eius veſtes in transfiguratione fuere albæ & fulgidæ. 332.1.b.c.2.a cur veſte alba Herodes Chriſtũ induerit. 520.1.c quid veſtis alba ſymbolicè deſignet. ibid.d quid veſtis candida angeli in ſepulchro Dom. apparentis innuat. 561.1.a veſtis nuptialis denotat charitatem & vitæ ſanctitatem. 411.1.b quæ ſint veſtes ouinæ quas induunt lupi Eccleſiam vaſtantes. 180.2.b.c

Veſtigia genuum Chriſti ſunt impreſſa petræ, in qua orauit in horto. 492.2.c item iuxta torrentem Cedron in imo vallis Ioſaphat. ibid.d

Via ad perditionem & ſalutem eſt in hac vita. 179.1.c.d via, in quam cadit proiectum ſemen, quid ſit, & quorum corda repræſentet. 275.1.d.279.1.c.d via ſalaria Romæ vnde ſit dicta. 130.1.c viæ in quas Apoſtoli egreſſi ſunt, quid deſignent. 410.2.d

Victimæ priùs olim eleuabantur, deinde cremabantur: id aptatur Chriſto in crucem eleuato. 534.1.b

Victor Antiochenus peculiariter in Marcum ſcripſit. 574.2.c

Victoriæ matronæ Africanæ magnanimitas in tormentis. 237.2.c

S.Victoria carnalem fratrem, quia Gentilem, agnoſcere renuens, ſolos Chriſtianos fratres ſuos eſſe dixit. 272.2.d

Victorianus proconſul Carthag. quibus verbis ſe in tormentis animarit. 235.1.a

Videre homini deſiderabile eſt. 293.1.c

cur Viduæ ſint ad dandum proniores. 425.2.c

ſemper cuique Vigilandum eſt. 452.2.c quia dies mortis

mortis eſt incerta. 457.2.b.c

Vigilantius docebat melius eſſe diuitias retinere ad faciendas eleëmoſynas; quàm eas ſimul relinquere. 370.2.d

in quatuor Vigilias Romani & Iudæi noctem & diem diuidebant. 296.2.c.382.1.d

S.Vincentius Ferrerius vetabat ſuos pecuniam oblatam in via accipere. 223.1.c ſuos tamen habebat procuratores. 224.2.a

S.Vincentius & Pontianus Martyres in tormentis miram lætitiam præ ſe tulerunt. 535.2.c

Vindicta Dei in reprobos per procellas & fulmina aptè exprimitur. 184.2.a

Vinea cuique excolenda quæ ſit. 406.2.d

Vinum vetus optimum. 288.2.d vini non erat vſus ante diluuium. 296.1.a id dabatur reis ad mortem damnatis, cur. 532.1.a.543.1.d

Viperæ morſus quàm noxius. 83.1.d.84.1.b an ſit matricida. 83.2.a.c viperæ etymon. ibid.b.c fœtus eius rumpit ſecundinas. ibid.d viperæ amant vinum, & ſunt effuſæ in libidinem. 84.1.a vorant ſcorpios. ibid.b multis medentur morbis dempto veneno. ibid.d

cur Vir adeò appetat mulierem. 362.1.b vir lagenam aquæ baiulans eſt alius ab eo in cuius domo comeſtus eſt agnus paſchalis. 476.2.b viri inſignes à puero electi. 367.1.d

Virga tria denotat. 226.1.b.c & qualem quis vetet Chriſtus. ibid. permittit virgam viatoriam. ibid.a.d virga amicitiæ teſſera eſt. ibid.d notat poteſtatem Apoſtolorum. 2.a virgis olim cædebantur pœnitentes. 111.1.c

Virgilius de Chriſto à Sibylla dicta, Aſinij Pollionis filio adaptat. 44.1.b

Virginitas Deiparæ fuit angelica. 53.1.c

Virgo quædam oculos ſibi eruit, quò amaſij importunitatem retunderet. 141.1.a virgines ſunt angelis ſimiles. 416.2.a.b virgines quinque fatuæ, & quinque prudentes quos denotent. 455.1.c.d

Virtutis via initio eſt arcta, ſed ſenſim dilatatur. 179.2.b virtus inuicta vincit omnia. 184.2.c oppreſſa tandem triumphat. 234.1.a niſi ſit voluntaria, non eſt virtus. 303.2.a difficultatem quæ in ea conſiſtit, ſuperare nos docet Chriſtus agonizans in horto. 492.1.a virtus quæque tres habet gradus. 425.1.a virtus publicata citò exterminatur. 167.1.d atque ideo maximè celanda eſt. 189.1.a virtus faciendi miracula indita à Verbo humanitati Chriſti, erat qualitas moralis, putà virtus inſtrumentaria. 590.1.b virtutes decem orationi ſunt neceſſariæ. 307.2.c.d quæ virtutes in Euchariſtiæ ſumptione exerceantur. 484.2.d quæ virtutes cælorum mouendæ ſint. 444.2.d. & ſeqq.

Vim vi repellere licet. 145.2.b vim facimus regno Dei, quo ſenſu. 245.2.c.& 246.1.a.b

Viſio Dei ſumma eſt beatitudo. 126.1.c eius priuatio ingens damnatis eſt cruciatus. 465.2.a viſio rerum ſupernaturalium animum & oculos intuentium concutit. 564.1.d

Viſus hominis poteſt à Deo confortari, vt videat etiam remotiſſima obiecta. 106.1.c viſus feminæ quàm ſit illecebroſus. 141.1.a

Vita noſtra permiſcetur lætis & triſtibus. 70.2.c vita corporis exponenda diſcrimini & perdenda, vt vita animæ habeatur. 238.1.c qui ita perdet eam, illam inueniet in cælo. ibid.d.& ſeqq. vita præſens tempus eſt merendi. 457.1.a vita Chriſti ſuccinctè per annos digeſta. 13.1.a.& ſeqq. tota eius vita fuit beneficentia. 598.2.a vita ſancta inchoanda à lacrymis & pœnitentia. 90.2.d vita Chriſtiani eſt continua perſecutio & crux. 75.1.b.c vita æterna varijs rebus corporeis in Euangelio repræſentatur. 22.1.a eius nomine omne bonum deſignatur. 468.2.a

S.Vitalis martyrio coronatus, quòd Vrſicinum in morte nutantem confortaſſet. 239.2.b

Vitalum alapa quidam percutiens, & ſiniſtrè iudicans, à dæmone correptus eſt, nec liberari ab eo potuit, niſi in cella Vitalij. 175.2.a

Vites paſtinantur & repaſtinantur. 610.1.a

Vitium radicale & principale aſſiduè nobis impugnandum eſt. 152.1.d

Vitulus S.Lucæ ſymbolum eſt. 10.2.b

Viuere nos oportet quaſi hodie morituros. 450.1.c

cur Vnctio Palæſtinis vſitata: eſt ſymbolum lætitiæ & hilaritatis. 167.1.b.471.2.b vnctio myſtica quæ ſit. 472.1.a.b vnctio qua Apoſtoli ægros vngebant, non erat Sacramentalis. 592.2.a ſed eius præludium & typus. ibid.b

Vndecim dicuntur Apoſtoli, etſi vnus abeſſet. 618.2.c

Vnguentū in vſu erat apud Iudæos & Orientales. 471.2.b vnguenti Magdalenæ præſtantia. 472.1.a

Vocabula in Euangelio Latino græca. 139.2.c

Vocari Hebræis idem eſt quod eſſe. 57.1.c vocanti Deo ſtatim obediendum. 199.1.c.200.1.a.b

Vocati à Chriſto omnia illico relinquant. 113.1.b vocati ad Religionem ne ſe implicent ſuorum teſtamentis. 199.2.c cur vocati vltimò in gloria futuri æquales, etiam maiores, primò vocatis. 380.2.d.383.2.c.d.& ſeqq.

Vocatio Dei ad bonum, eſt velut ſtella apparens. 64.1.d eam reſpuere graue eſt ſcelus. 228.1.c vocatio Gentium ad fidem cœpit in tribus Magis. 65.a.b vocationis Apoſtolorum ordo. 111.2.c.d 112.2.a.113.2.a vocationis Chriſti efficacia. 208.1.d

Voluntas bona vel mala, operum aliquorum, ad quæ magis inclinat, bonitate vel malitia ſe prodit. 181.2.d.& ſeqq. voluntas malum appetens, eſt mala & vituperabilis. 140.2.a.b ab ea ſit actus malus peccatum. ibid. voluntas noſtra debet eſſe conformis voluntati diuinæ effectiuè, & in obiecto formali, non materiali. 160.2.a.b & quæ eius rei ratio. ibid.c nec item in permiſſione malorum. ibid.d. ſanctitas noſtra conſiſtit in conformatione voluntatis cum diuina. 162.1.a.b ex tota voluntate tripliciter Deus diligitur. 418.1.c voluntas Dei duplex eſt, beneplaciti & ſigni. 160.1.a hanc ſigni in oratione Dominica fieri poſtulamus. ibid b voluntas ſigni duplex eſt, præcipiens & conſulens. ibid.d qui Dei voluntati obedit, ei quoque ab alijs obeditur. 161.2.c huic angeli promptiſſimè obediunt. ibid. cùm eam fieri petimus, perfectiſſimè oramus. ibid.d eam facere, ſignum eſt boni Chriſtiani. 182.1.d in voluntate ſua Chriſtus paſſionem ſuam exhorruit. 490.2.b & in qua voluntate. 494.1.a voluntates duas is habuit, non vnam diuinam. 493.2.d voluntas humana virtute in eo fuit duplex. 494.2.b

Voluptatis via initio lata, paulatim magis magiſq; arctatur. 179.2.b voluptas carnis eſt ſpiritualis paralyſis. 207.1.a.b eius curatio adaptatur curationi paralytici Euangelici. ibid.

Vota tria Religioſorum per tria dona Magorum repræſentantur. 68.2.d

Vox



Vox de cælo delapſa ſimul, dum ſuper Chriſtum columba deſcendit. 95.2.c.d.& ſeqq. vox Chriſti iudicis erit velut tonitru. 457.2.a vox Dei Patris in transfiguratione Chriſti inſonuit poſt diſceſſum Eliæ & Moſis. 335.2.d

Vrbs in monte poſita ſymbolum eſt Eccleſiæ & ſacerdotum. 131.2.d vrbium magnificentia caduca eſt, & breui peritura. 434.1.c

Vrceus quod genus vaſis ſit. 597.1.c

Vrſæ quadragenarium ieiunium. 100.1.a vrſi hieme non comedunt. 100.2.d

Vſuras Iudæi permiſſas ſibi putabant. 461.1.b

VValdenſes hæretici docebant ſacerdotes & Epiſcopos debere eſſe pauperes. 197.2.a

VVamba rex Hiſpaniæ in morte monaſticen profeſſus eſt. 111.1.b

S.VVenceſlaus à matre & fratre proditoriè peremptus eſt. 231.2.a

VVicleſiſtæ docebant nefas eſſe iurare. 143.1.a & debere Epiſcopos eſſe pauperes. 197.2.a

Vxorem adulteram reſipiſcentem non tenetur admittere in gratiam maritus, ſed in alijs criminibus tenetur. 142.1.a vxorem aliam, dimiſſa priore ob adulterium ducens, mœchatur, ſecùs ac ſentiunt Græci ac moderni hæretici. 363.2.a vxorem non licet dimittere, niſi ob fornicationem, quid ſignificet. ibid.c.d at inſontem dimittere nefas. 364.1.a ipſa, adulterante marito, alteri nubere non poteſt, eo viuo. 364.2.b quis vxorem propter nomen Chriſti relinquere dicatur. 375.2.d vxor myſtica iuſti eſt ſapientia; peccatoris, ſtultitia. 358.1.a vxor Ducis cuiuſdam Veneti in ſummis nutrita delicijs, viuens computruit. 305.2.b vxor S. Petri quomodo dicta ſit: facta eſt Martyr. 195.1.b vxor Pilati mittit ad maritum pro liberando Ieſu. 521.1.c ſomnium eius à quo ei immiſſum. ibid.c.d an ſaluata ſit. 2.a dicta eſt Claudia Procula. ibid.c.d an virum conuerterit. ibid.d

ξέςης quod genus vaſis, an ſextarius. 597.1.c

Y Littera Pythagorica ſymbolum eſt ſalutis & interitus. 179.2.c

ZAin littera ſemper transfertur per z. 77.1.b vnde diabolus dicatur Zabulus. 233.2.c.d

quis ille Zacharias filius Barachiæ occiſus inter templum & altare. 430.1.d.& ſeqq. Zacharias pater Ioan. Baptiſtæ vltimus fuit veterum Prophetarum, qua de cauſa ab Herode infanticida occiſus ſit. 430.2.b.c

Zebedæi etymon. 113.1.c filij Zebedæi quare neſcierint quid peterent. 387.1.d.2 b.c an rectè dicant poſſe ſe calicem bibere. 388.2.b vide Iacobus.

Zelotæ vrbem & templum cædibus & ſanguine ciuium oppleuere. 438.1.a

Zelus aduerſus ſceleſtos non eſt peccatum. 135.2.c

Zeuxis moroſè pingebat, quia æternitati pingebat. 68.2.b eius de ſua pictura vuarum iudicium. 407.1.c

Zizania quæ vox, & quid ſonet. 281.2.a.c eius etymon. ibid.c myſticè denotant hæreticos & peccatores. ibid.d.285.2.c.d

in Zonis olim pecunia geſtabatur. 223.1.d zonam pelliceam S.Ioãnes Bapt. ad lumbos geſtabat. 81.1.d

FINIS.

 INDEX

# INDEX

## MATERIARVM MORALIVM

### QVÆ HOC PRIMO COMMENTARII VOLVMINE VBERIVS DEDVCVNTVR,

Verbis Euangelij per Dominicas, Feſtos dies, & Ferias nonnullas occurrentis accommodatarum, in gratiam & vſum concionantium·

*Meminerint porro hi, ſuis Euangelia ſingula capitibus quærere & conſulere, vbi vberiorem & peculiarem eorum explicationem, tam quoad ſenſum litteralem, quàm moralem & allegoricum, reperient; quaſdam tamen materias, quæ extra ordinem eſſe videntur, hoc in indiculo viſum fuit coaceruare.*




DOMINICA I. ADVENTVS.

ERVNT SIGNA IN SOLE. Rubens veſper ſignum eſt ſerenitatis, mane tempeſtatis. 311.2.a.312.1.a

IN SOLE. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ante ſæculi conſummationem. 444.1.d.& ſeqq. Eclipſis ſolis, quæ moriente Chriſto facta eſt, multa in ſe continet miracula. 541.1.d

ET OMNES ARBORES. Arboris & hominis analogiæ. 600.1.a.b Homo eſt arbor inuerſa. 2.a

CÆLVM ET TERRA TRANSIBVNT. Quamdiu mundus hic duraturus, & quando conſummandus ſit. 448.1.b.& ſeqq. Quatenus Chriſtus & angeli norint & ignorent horam & diem conſummationis ſæculi. 2.b.& ſeqq. *Vide notata Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

IOANNES IN VINCVLIS. Quare Ioannes hos diſcipulos ſuos ad Chriſtum miſerit. 241.2.a.b

PAVPERES EVANGELIZ. *Vide notata in feſto omnium Sanctorum, & Indicem Rerum v.* Paupertas.

ARVNDINEM VENTO AGITATAM. Arundo, quin & arena, ſymbolum eſt hominis inconſtantis. 185.1.b.c.d.243.1.d quis ſit arundo. 243.1.c.d

MOLLIBVS VESTITVM. Molles veſtes denotant luxum, & peccati ſunt illicium. 244.1.a.b Veſtes aſperæ commendantur, mollities earum ſugillatur.

PLVSQVAM PROPHETAM. Vt hoc Chriſtus de Ioanne dixit, ita & ipſe pluſquam Propheta fuit. 205.2.a In quo Ioannes pluſquam Propheta fuerit. 244.1.c.d *Vide Indicem Rerum v.* Ioannes.

DOMINICA III. ADVENTVS.

DIRIGITE VIAM DOMINI. Idque per fructus dignos pœnitentię: porro pœnitentia non tantum eſt vitę in melius emendatio, ſed & prioris per dolorem deteſtatio. 1.a

FRVCTVS DIGNOS POENITENTIÆ. Quæ dicatur digna pœnitentia. 85.1.d.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Pœnitentia.

FERIA IV. QVATVOR TEMPORVM.

*Vide notata in feſto Annuntiationis, eſt enim idem Euangelium; & Indicem Rerum v.* Incarnatio. Cur Chriſti aduentus in orbem tali tempore contigerit, quo contigit. 51.1 a.b. & ſeqq. Incarnationis Dominicæ myſterium diuerſimodè poteſt conſiderari. 56.2.d

DOMINICA IV. ADVENTVS.

VOX CLAMANTIS IN DESERTO. *Elogia plura S. Ioannis Baptiſtæ, vide in Indice Rerum v.* Ioannes Baptiſta.

OMNIS VALLIS IMPLEBITVR. Gloriæ fuga eſt via ad gloriam. 66.1.c Qui ſe humiliat, exaltabitur. 92.1.b *Vide notata in Indice Rerum v.* Humilis, Humilitas, *& Dominica X. poſt Pentecoſten.*

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

VT PROFITERENTVR. Qua occaſione Iudæi in deſcriptione cenſum ſoluerint Romanis. 341.2.a.b

BETHLEHEM. Cur in Bethlehem naſci voluerit Chriſtus, cauſa litteralis & moralis. 66.1.b.c

PEPERIT FILIVM SVVM PRIMOGENITVM. B. Virgo nonniſi vnicum filium, Chriſtum videlicet, peperit. 54.1.a *Vide Indicem Rerum v.* Chriſtus, B. Maria Virgo.

Cur Chriſtus dicatur filius hominis. 198.1.a.b ipſe item margarita eſt conceptus è cæleſti rore in puriſſimo Virginis vtero, velut in conchyli. 287.2.b.c

IN FESTO S. STEPHANI PROTOM.

A SANGVINE ABEL. Abel à fratre interfectus, fuit typus Chriſti à Iudæis iniquè necati. 430.1.a

QVEM OCCID. INTER TEMPLVM ET ALTARE. Quis hic Zacharias ſit. 430.1.d. & ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Zacharias, Martyr.

SICVT GALLINA CONGR. Gallinæ proprietates Chriſto adaptantur. 431.1.c.& ſeqq.

RELINQVETVR DOMVS VESTRA DESERTA. Ieruſalem excidium quę ſigna pręceſſerint. 435.2.c.d *Vide notata Dominica IX. poſt Pentecoſten.*

IN FESTO S. IOANNIS EVANGEL.

NON MORITVR. An Ioannes verè fuerit Martyr. 388.2.c.d *Vide notata in feſto S. Lucæ, & Indicem Rerum v.* Ioannes.

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

FVGE IN ÆGYPTVM. Qui ob cauſam Chriſtum recens natum in Ægyptum fugere oportuerit. 69.2.b.c.70.1.b quid hæc per illum conſecuta ſit bona. *Vide Indicem Rerum v.* Ægyptus, Balſamum.

OCCIDIT OMNES PVEROS. Cur hos Herodes necari iuſſerit. 71.1.a quot cæſi fuerint pueri. 73.2.a fuerunt hi velut agni paſchales & flores Martyrum. 74.1.b.2.a Sic pueros mente Chriſtus martyrio donat. 2.c Pueri Deum confiteri poſſunt ore, morte, &, ore & morte ſimul. 402.2.d

A BIMATV ET INFRA. Quare hoc tempus præciſè ſit deſignatum. 71.2.a.b.72.1.b.c. Quorſum Herodes hoc infanticidium ad biennium diſtulerit. 72.2.d.2.c.d

De Herodis geſtis, immanitate, morte. *Vide Indicem Rerum v.* Herodes Aſcalonita, Innocentes, Pueri.

ARCHELAVS REGNARET. Illius ad regnum acceſſio, regimen, geſta, relegatio. 75.2.c.d

DOMINICA INFRA OCT. NATIVIT.

VOLVIT OCCVLTE DIMITTERE. Cur S. Ioſeph voluerit B. Virginem prægnantem dimittere. 55.1.b.c cur Deipara ei non indicarit, quòd de Spiritu ſancto concepiſſet. 2.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Ioſeph.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

VOCATVM EST NOMEN EIVS IESVS. Ieſus hîc ſonat quod Emmanuel, id eſt nobiſcum Deus. 57.1.b.c Varia Hebræi nomina dabant Deo, at nullum tam dignum atque eſt Ieſus. ibid.d *Vide Indicem Rerum v.* Ieſus.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

ECCE MAGI. Magi vox quid ſonet: quales hi fuerint. 59.1.d.& ſeqq. eorum nomina, conuerſio, mors, tranſlatio. 61.1.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Dona, Magi, Stella.

VIDIMVS STELLAM EIVS. Quomodo è ſtella ortum Meſſiæ regis didicerint. 62.1.d.& ſeqq. Vocatio Dei velut ſtella eſt. 64.1.d

IN BETHLEHEM IVDÆ. Cur natus ſit Chriſtus in Bethlehem, cauſa litteralis & moralis 56.1 b.c

STELLA ANTECEDEBAT. Stella habet ſpeciem regiæ coronæ. 61.2.b.c Huius ſtellæ deſcriptio. ibid.d non erat hæc fatum Chriſti nati. 62.1.b.& ſeqq. qualis & quanta fuerit. 63.1.d.& ſeqq. præ reliquis ſtellis multa habebat priuilegia. 2.a.& ſeqq. comitata eſt hæc Magos per totam viam. 64.2.d.& ſeqq. Doctores velut ſtellæ ſunt. 64.2.a

CVM MARIA MATRE EIVS. Quid cum ipſa matre Magi fuerint locuti. 67.2.b

APERTIS THESAVR. SVIS OBTVLERVNT EI. Donum horum Magorum ſymbolicè & litteraliter exponuntur; cur hæc & non alia dona obtulerint. 68.1.a.b.& ſeqq. Exponuntur ea allegoricè & tropologicè. ibid. 2.a.& ſeqq.

MYRRHAM. Per eam denotatur paſſionum prauarum & concupiſcentiarum mortificatio, quæ aſſumenda eſt ab iis qui ad Chriſtum peruenire volunt. 68.2.c.69.1.c

Quia hodie recolitur quoque memoria baptiſmi Chriſti, hinc de eo nonnulla viſum annotari. Cur ſuper Chriſtum baptizatum deſcenderit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ. 94.2.c.& ſeqq. cur à Ioanne baptizari voluerit. 90.1.d.d dum baptizatur, vox de cælo delapſa. 95.2.c.d *Vide Indicem Rerum v.* Baptiſmus, Ioannes Baptiſta.

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHANIÆ

EGO ET PATER TVVS. Ioſeph fuit verè pater Chriſti, & paternum in eum habuit ius. 47.2.a.& ſeqq. Ioſephi dignitas multiplici ratione probatur. 48.1.c.& ſeqq. cur ei B. Virgo fuerit deſponſata & coniugata. 52.1.a.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Ioſeph.

ÆTATE ET GRATIA. Poſt hunc annum duodecimum Chriſti nihil in Euangelio de eo legitur vſque dum prædicare cœpit; quare interea videtur vnà cum Ioſepho fabrilem exercuiſſe: qualis autem faber fuerit docetur. 289.1.c

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

NVPTIÆ FACTÆ SVNT. Coniuges imitentur coniugium B. Virginis & Ioſephi, inter quos ſummus viguit amor & concordia: erat quippe eorum familia imago SS. Trinitatis, & cælum terrenum. 53.2.b. & ſeqq.

Matrimonium eſt indiſſolubile. 36.2.2.c ſoluitur tamen per adulterium alterutrius coniugis quoad thorum, non quoad vinculum. 363.2.a *Vide Indicem Rerum v.* Matrimonium, Nuptiæ.

SECVNDVM PVRIFICATIONEM IVD. Crebrò ſe Iudæi lauabant & purificabant. 301.1.a.b.2.b.303.2.a *Vide Indicem Rerum v.* Phariſæi.

BONVM VINVM PONIT. At Chriſto fuit oblatum vinum felle mixtum. 532.1.a.& ſeqq. deinde & acetum in hyſſopo. 543.2.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Vinum.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

LEPROSVS VENIENS. Lepra quàm grauis ſit morbus & contagioſus. 187.2.b

DOMINE SI VIS, POTES ME MVNDARE. Voluntatem ſuam diuinæ conformare, ſumma eſt perfectio. 162.1.a.b

VOLO. Voluntas Dei duplex eſt, beneplaciti & ſigni. 160.1.a.b Voluntas item Chriſti fuit duplex, humana & diuina: humana virtute fuit duplex, *naturalis & rationalis.* 494.1.a.b

OSTENDE TE SACERDOTI. Leproſi ad ſacerdotem venientes oſtendunt vim & efficaciam Sacramenti confeſſionis. 189.2.a.b

CENTVRIO ROGANS EVM. Quis fuerit hic centurio. 190.1.a eius legatio & poſtulatio ad Chri-

Chriſtum. 2.a.b eiuſdem, humilitas & heroicæ virtutes. 191.1.d.& ſeqq.

Pver mevs iacet. Seruos benignè habendos, oſtendit huius centurionis pro ſuo deprecantis inſtantia. 194.2.a

Paralyticvs. Paralyſis ſpiritualis. 207.1.a acediæ & paralyſis variæ analogiæ. ibid.c.& ſeqq.

Miratvs est. An in Chriſto propriè fuerit admiratio. 193.1.c.& ſeqq.

In tenebras exteriores. Vnde dicantur exteriores. 193.1.c.& ſeqq.

Fletvs et stridor dentivm. An damnati lacrymentur, & dentibus ſtrideant. 194.1.a.b an torqueantur frigore. ibid.c *Vide Indicem Rerum v.* Infernus.

## DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM

Motvs magnvs factvs est in mari. Hunc motum & tempeſtatem excitauit Chriſtus, & quare. 200.1.d.& ſeqq. cur diſcipulos ab eo iactari permiſerit. 297.1.a

Navicvla operiretvr flvctibvs. Eccleſia in medijs afflictionibus & preſſuris eſt velut nauis in medijs fluctibus. 200.2.b ea aduerſis creſcit & propagatur. 299.2.a *Vide Indicem Rerum v.* Eccleſia.

## DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Vnde habet zizania? Zizania quid ſit, & qui per ea denotentur. 281.2.a.& ſeqq.

## DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Grano sinapis. Sinapi quos myſticè denotet. 282.1.d.& ſeqq. Grani ſinapis & Euangelij analogiæ. 2.d. & ſeqq. Martyr eſt velut granum ſinapis. 283.2.c

Fermento. Eius & Euangelij analogiæ. 284.1.c. & ſeqq.

## DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

In vineam svam. Anima eſt vinea, vnicuique excolenda. 381.2.c.d

Qvod ivstvm fverit, dabo vobis. Non eadem merces datur Beatis in cælo. 318.1.a. 382.1.c

Redde illis mercedem. Merces ſupponit meritum. 129.1.d *Vide Indicem Rerum v.* Merces.

Volo et hvic. Voluntas Dei duplex eſt, beneplaciti & ſigni. 160.1.a.b quomodo eam fieri petere poſſimus, etiam in permiſſione malorum. 2.a.b.& ſeqq.

An ocvlvs tvvs neqvam est? Inuidiæ damna & remedia. 390.1.c *Vide Indicem Rerum v.* Oculus.

Qvia bonvs ego svm. Solus Deus eſt bonus per eſſentiam. 368.1.d.& ſeqq.

## DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Exiit qvi seminat semin. semen svvm. Euangelica prædicatio ſemini comparatur. 274.1.b.2.a.b.278.1.b.& ſeqq.

Secvs viam. Qui per viam denotentur. 275.1.d

Svper petram. Quos petra repræſentet. 279.2.b.c

Svper spinas. Opes ſpinis comparantur. 280.1.a.b illæ ſunt fallaces. ibid.c

Et a volvptatibvs vitæ. Concupiſcentiæ æſtus eſt velut febris quædam ardens. 195.1.d.2.b.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Concupiſcentia.

Volupras carnalis eſt velut ſpiritualis paralyſis. 207.2.a

Frvctvm afferv nt. Virtutum incrementum, ac perfectio per herbam, ſpicam & frumentum denotatur. 587.1.d

In patientia. Malorum tolerantia & patientia vincit malum & aduerſarium. 146.1.b.c ea ſubinde eſt præcepti,& ſubinde conſilij. 145.2.d

## DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

Et illvdetvr. Illudi ſe paſſus eſt Chriſtus, vt ſua tolerantia & paſſione Deum honoraret, vt patientiæ & virtutum omnium daret exemplum, vt Martyres ad opprobria & mortem tolerandam animaret. 508.2.a.& ſeqq.

Et flagellabitvr. Domini Ieſu flagellatio expenditur per omnes circumſtantias. 524.1.a.b.2.a.c.d *Vide notata in Feria VI. in Paraſceue.*

Domine vt videam. Cæcitas ſpiritalis graue damnum eſt. 392.1.d

## FERIA IV. CINERVM.

Hodie incipit tempus Quadrageſimale, pœnitentiæ ſubeundæ, deſtinatum, illa autem non tantùm eſt vitæ in melius mutatio, ſed & prioris per dolorem deteſtatio. 80.1.a quæ dicatur digna pœnitentia. 85.1.d.& ſeqq. quàm rigida & longa olim peccantibus præſcripta eſſet pœnitentia. 111.1.b.& ſeqq.

Cvm ieivnatis. Quadrageſimalis ieiunij noſtri cauſæ & antiquitas. 99.2.c.d.& ſeqq. cur Eccleſia carnes in eo prohibeat. 303.2.d Primorum Chriſtianorum ſtricta ieiunia. 100.1.c.d Apoſtoli ſtrictè quoque ieiunarunt poſt mortem Chriſti. 210.2.b.& ſeqq.212.1.a *Vide Indicem Rerum v.* Ieiunium.

Qvi videt in abscondito. Cur in ſecreto & abſque arbitris orandum ſit. 157.1.a

Pater tvvs reddet tibi. Merces ſupponit meritum præuium. 129.1.d Etiam calix aquæ frigidæ in nomine Chriſti datus, ſuam meretur mercedem. 239.2.c

Thesavros in cælo. Cur theſauro regnum cælorum ſimile eſſe dicatur. 287.1.a.b

## FERIA V. POST CINERES.

*Vide notata Dominica III. poſt Epiphan. eſt enim idem Euangelium.*

## FERIA VI. POST CINERES.

Ego avtem dico vobis. Multa legis præcepta Chriſtus reformauit & correxit. 5.2.c.d

Diligite inimicos vestros. Inimicorum dilectio à Chriſto iubetur, eius nouem ſunt gradus. 149.2.a.b.& ſeqq.

Fratres vestros. Inuicem enim fratres ſumus. 158.2.a

Estote avtem vos perfecti. Quam perfectionẽ à ſuis requirat Chriſtus. 150.2.c Qui perfectioni ſtudent, parent ſe ad irriſiones & opprobria. 233.1.d Abnegare ſeipſum quid ſit. 323.1.c.d.324.1.b.c *Vide Indicem Rerum v.* Perfecti.

Sicvt et Pater vester. Deus, noſter eſt pater. 158.1.b

Eleemosyna tva in abscondito. Opera bona quomodo ſint abſcondenda, & ſimul alij ea videre debeant. 132.2.a Non eſt eleëmoſyna danda ob vanam hominum laudem. 155.1.a.b ſic omne opus bonum mala intentione factum perdit fructum & mercedem ſuam. 154.1.c.2.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Eleëmoſyna.

## SABBATO POST CINERES.

Vidit discipvlos laborantes in remig. Cur diſcipulos in mari tempeſtate iactari Dominus permiſerit. 297.1.a

Venit ad eos ambvlans svpra mare. Quomodo hoc factum ſit. 297.1.b.c

## DOMINICA I. IN QVADRAGESIMA.

Dvctvs est Iesvs a spiritv in desert. A quo ſpiritu illuc actus ſit. 98.1.a cur fuerit ibi tentatus. 2.b.& ſeqq.

Postqvam ieivnasset. Ieiunium Domini fuit ſupernaturale. 100.2.b.c *Vide notata Feria IV. Cinerum, & Indicem Rerum v.* Ieiunium, Diabolus, Tentatio.

Accedens tentator. Non omnis tentatio ortum habet à diabolo. 101.2.d hic in inuitum & nolentem nihil poteſt. 105.2.d ipſe ſemel victus, identidem ad tentandum redit. 109.1.b an dæmon Chriſtum agnouerit. 583.2.d Tentatio ſæpè oritur à parua in Deum fiducia: quare tentatus ſpe conceptâ ad Deum per orationem recurrat. 298.2.d.& ſeqq.

Tentationum ſuperandarum modus. 108.1.d quomodo petere peſſimus vt ab ijs liberemur. 165.1.c Anima tentationibus pulſa eſt velut nauis in medijs fluctibus conſtituta. 200.2.c.d

Tvnc assvmpsit evm. Quomodo hæc aſſumptio facta ſit. 103.2.b.& ſeqq. & in quod templi pinnaculum. 104.1.b

Angelis svis mandavit de te. Angelo cuſtode Chriſtus opus non habuit. 105.1.a.b

Ostendit ei omnia regna. Quomodo Deus & diabolus id facere queant. 106.1.b.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Mundus, Regnum.

Si cadens adorav. me. Diuinitatem namque ambit diabolus, & ab olim ambiuit. 107.1.b.& ſeqq.

Vade satana. Cur Dominus S. Petrum ſatanam vocarit. 322.1.d.& ſeqq. ſic etiam aliàs Dominus dæmonem in laudes eius erumpentem ſilere iuſſit. 578.2.a.b

## FERIA II.

In maiestate sva. In quo maieſtas hæc ſita ſit. 462.1.a.b.d

Et angeli eivs cvm eo. Hi in corporibus ſplendidis iudicio interfuturi ſunt. 462.1.c & ſeqq. an paruuli ei intererunt. 2.b

Venite benedicti. Hæc ſententia pro electis expenditur. 463.1.b.c item damnationis, quæ in reprobos feretur. 465.1.d

Esvrivi enim. Cur miſericordes præ alijs cælo digni iudicentur. 464.1.b.c *Vide Indicem Rerum v.* Iudicium.

## FERIA III.

*Vide notata Dominica IX. poſt Pentecoſten.*

## FERIA IV.

Fratres tvi. Qui dicantur fratres Chriſti. 271.2.b.c.289.2.b quæ eiuſdem ſorores. 290.2.c

## DOMINICA II. IN QVADRAGESIMA.

Assvmpsit Iesvs Petrvm, &c. Cur tres hos Apoſtolos Dominus in montem hunc ſecum aſſumpſerit. 328.1.d

In montem. Quis fuerit ille mons? Videtur fuiſſe Tabor, & quare. 329.1.a.d.& ſeqq.

Transfigvratvs est. Quomodo hæc transfiguratio peracta ſit. 331.1.a cur eam ad ſex dies Dominus poſt eam promiſſam diſtulerit. 328.1.a.b Totum Domini corpus hîc reſplenduit. 330.1.c.d.& ſeqq. quàm fuerit hic ſplendor admirabilis. 2.a.b cur & quando Dominus ſit transfiguratus. 331.1.a.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Transfiguratio.

Apparvervnt illis Moyses et Elias. Quare hi duo cum Chriſto ibi apparuerint. 332.2.b.& ſeqq. & quidem in propria perſona. 333.1.c.d vnde eos S. Petrus agnouerit. 334.1.b.c

Nesciens qvid diceret. Idque præ ſummo animi gaudio. 334.2.a.b

Nvbes lvcida obvmbrav. Quos nubes hęc & quare obumbraret, 334.2.d

## FERIA II.

In peccatis vestris moriemini. Menſura peccatorum cuilibet ſtatuta eſt, quâ impletâ caſtigatur. 429.1.a.b

## FERIA III.

Omnia qvæcvmqve dixerint vobis, servate. Quatenus malis Prælatis parendum ſit. 422.2.a.b

Vt videantvr ab hominibvs. Erat hæc Phariſæorum ſuperbia gloriam hominum ambientium. 423.1.d

Primas cathedras. Ambitus doctrinæ & honoris à Chriſto vetatur. 424.1.a.b

## FERIA IV.

Mater filiorvm Zebedæi. Eius petitio expenditur. 386.1.d.& ſeqq.

Dominantvr eorvm. Quanta ſit dominantium & nobilitatis vanitas. 45.2.a

## FERIA VI.

Plantavit vineam. Vinea eſt Eccleſia. 405.1.d omnia quoque parabolæ membra ei applicantur. ibid.& ſeqq.

## DOMINICA III. IN QVADRAGESIMA.

Si avtem et satanas divisvs est? Quaſi id fieri nequeat: quia dæmones inter ſe conueniunt; eſt quippe inter eos ordo, vt alij ſint maiores, alij minores: alij principes alij inferiores. 215.2.c

In

In Beelzebvb eiicere dæmonia. Oſtendit Dominus ſe dæmonia non eijcere ope dæmonis. 261.1.d.& ſeqq.

Fivnt novissima peiora priorib. Quia relapſus in peccata peior eſt ipſo lapſu. 271.1.d

FERIA II.

Qvia nemo propheta acceptvs est in patr. Quæ huius rei ſit ratio. 291.1.b c

FERIA III.

Corripe evm. Fraterna correptio quare præcepta ſit, & an omnia omnino peccata corripienda ſint. 351.1.a.b hæc an ſit conſilij an præcepti. ibid.d ad quos illa ſpectet. 2.a.& ſeqq, quis in ea ſeruandus ſit ordo. 353.2.a.b certis tamen in caſibus ille non ſeruatur. ibid.b.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Correptio.

FERIA IV.

* Traditiones seniorvm. Traditiones Apoſtolicæ bonæ ſunt. 301.2.b.303.1.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Traditiones.

SABBATHO.

Deprehensam in adulterio. Adulterium ſoluit coniugium quoad thorum, non quoad vinculum. 363.2.a.& ſeqq.

DOMINICA IV. IN QVADRAGESIMA.

Vnde ememvs panes? Hoc panum multiplicatorum miraculum per omnes partes expenditur. 294.2.c.& ſeqq.

Panes hordeaceos. Qualem panem quotidianum & ſuperſubſtantialem petere in oratione Dominica debeamus. 162.2.a.& ſeqq. Hæc panum multiplicatio fuit præambulum Ven. Euchariſtiæ. 295.1.b.c *Vide Indicem Rerum v.* Euchariſtia, Panis.

Fvgit. Gloriam fugiens eam acquiret. 66.1.c *Vide notata Dominica X. poſt Pentecoſten, & Indicem Rerum v.* Humilis, Humilitas.

FERIA III.

Sanvm feci in sabbato. Iudæi ſabbatum ſuperſtitioſè obſeruabant. 259.1.b.c *Vide Indicem Rerum v.* Sabbatum.

Nolite ivdicare. Temerarium de proximo iudicium vetatur. 175.1.a.b Peccata aliena præ oculis habemus, propria minimè videmus, at poſt tergum reijcimus. 176.1.c.& ſeqq.

FERIA IV.

Blasphemiæ. Quomodo blaſphemia in Spiritum ſanctum non remittatur. 263.2.c.& ſeqq.

DOMINICA IN PALMIS.

Ecce rex tvvs venit tibi. Triumphus Chriſti cum pompa vrbem Ieruſalem ingredientis. 395.2.a cur tunc cum triumpho eam ingredi voluerit. 397.1.b.& ſeqq. ramis de arbore palma præciſis ſuum de morte & peccatis triumphum ac victoriam voluit præſignari. 398.1.a.b

Hosanna filio David. Hæc verba pluribus exponuntur; quid ſit Hoſanna, & cur à turba id Chriſto acclamatum. 398.1.d.& ſeq. 399.1.a.& ſeqq.

Filio David. Cur Chriſtus dicatur filius Dauid. 44.2.c

Infantes quoque lætis vocibus victori Chriſto acclamarunt. 402.2.a *Vide Indicem Rerum v.* Pueri.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Quo die Euchariſtia ſit inſtituta, an hoc, an præcedenti. 475.1.d.& ſeqq. an Iudas etiam cum alijs eam ſumpſerit. 477.1.c.d *Vide Indicem Rerum v.* Euchariſtia.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Paſſio Chriſti conſiderata noſtrum prouocare nata eſt amorem. 386.1.b.c Quod ſcandalum paſſi ſint Apoſtoli in nocte paſſionis. 487.1.b.c

S. Petrus in nocte paſſionis non peccauit in fidem, ſed fidei profeſſionem. 487.2.b.c

Coepit tædere. Triſtitia Chriſti in horto vera fuit. 490.1.c quæ fuerint eius cauſæ. 2.c.& ſeqq. quæ cauſæ finales & morales. 491.1.d.& ſeqq.

Transeat. Quomodo calicem paſſionis à ſe tranſire Chriſtus petat 493.1.c.& ſeqq. quis ſit ille calix. ibid.a.b

Non mea volvntas, sed tva fiat. Voluntas Chriſti duplex fuit, diuina & humana: & humana virtute fuit duplex naturalis & rationalis, & quânam mortem horruerit, & ambierit. 494.1.a.b

Gladio. S. Petri gladius non fuit culter, ſed enſis. 499.1.b.& ſeqq.

Dvodecim legiones angelorvm. Quanta ſit angelorum multitudo. 501.1.a ſunt in auxilium inuocandi. ibid.d

Comprehendervnt. Hæc Chriſti comprehenſio fuit atrox. 502.1.c.d

Exspvervnt. Illudi ſibi paſſus eſt Chriſtus, vt ſua tolerantia & paſſione Deum honoraret, vt patientiæ & virtutum omnium daret exemplum, vt Martyres ad opprobria & mortem tolerandam animaret. 508.2.a.d

Anathematizare. S. Petri negationes excutiuntur, & per omnes partes expenduntur. 509.2.a.b.& ſeqq.

Pilato. An Chriſtus à Iudæis Pilato ſit traditus. 515.2.a.& ſeqq.

Regnvm mevm non est de hoc mvndo. Chriſtus quà homo regnum habuit ſpiritale, id eſt Eccleſiam, & phyſicum ſiue mundanum. 519.1.c.d eius regnum omnia mundi regna ſuperat. 2.a.b ei regnum Iudæ debetur. ibid.b

Dimittere te. Pilatus verè voluit Chriſtum dimittere. 520.2.c.d

Flagellatvm. Flagellatio Chriſti expenditur per omnes circumſtantias. 524.1.a.b, 2.a.c

De spinis. Corona Chriſti ſpinea deſcribitur, eiuſque coronatio. 527.1.b.& ſeqq. cur fuerit ſpinis coronatus. 2.b.c

Chlamydem coccineam. Hæc deſcribitur. 526.2.b.& ſeqq.





Angariavervnt. Crucem poſt Chriſtum baiulauit Simon Cyrenæus. 529.2.c.& ſeqq. quæ eius rei myſtica cauſa fuerit. 530.2.a

Caluariæ mons vnde dictus ſit. 531.1.d.& ſeq.

Vinum felle mixtum fuit Chriſto ante mortem oblatum. 532.1.a.& ſeqq. item acetū. 543.2.a.b Clauis & funibus ſimul cruci fuit affixus, & quot clauis, quomodo ij per manus eius adacti. 532.2.b.& ſeqq. 533.1.b

Acerbitas crucis Chriſti. 533.1.c variæ crucifixionis circumſtantiæ. 2.a.b cur Dominus cruci fuerit affixus. 534.1.a.& ſeqq. 2.a.& ſeqq.

Eclipſis ſolis eo moriente facta multa continet miracula. 541.1.d

Quomodo Chriſtus à Patre fuerit derelictus. 542.1.d cur voce magna clamarit iam iam moriturus. 545.1.c.& ſeqq. cur moriatur capite inclinato. 2.c.d Dolor Deiparæ in morte filij ipſius. 550.2.a.b

DOMINICA RESVRRECTIONIS DOMINI.

Quomodo Chriſtus tribus diebus, & tribus noctibus fuerit in ſepulchro. 268.2.a.& ſeqq.

Chriſto reſurgente multa etiam Sanctorum corpora vnà cum ipſo reſurrexerunt. 548.2.a.b an hi iterum ſint mortui. ibid.c.d quinam Sancti tunc potiſſimùm reſurrexerint. 549.1.a.b Reſurrectio mortuorum in multis Scripturæ locis aſſeritur. 415.2.d *Vide Indicem Rerum v.* Reſurrectio, Sepulchrum.

Chriſtus reſurrexit è ſepulchro clauſo & obſerato. 559.1.b.c reſurgens matrem, quæ ipſo moriente ſummopere indoluerat, primùm adijt. 550.2.a.b Tota paſſionis & reſurrectionis illius ſeries. 557.2.d.& ſeqq. Cur terra tremuerit angelo lapidem à monumento remouente. 558.2.b.c quare hic ſuper lapidem ſepulchralem ſederit. 559.2.c.d & habuerit faciem inſtar fulguris radiantem. 560.1.d & ſeq.

Sepulchrum Chriſti quàm ſit glorioſum. 553.1.a.b quorſum id Iudæi obſignarint, & à militibus cuſtodiri iuſſerint. 554.1.b.& ſeqq.

Quàm varijs & quàm diuerſimodè Chriſtus ipſo reſurrectionis die ſe ſpectandum dederit. 564.2.b.c

FERIA II. POST PASCHA.

In omnibvs Scriptvris. Sacræ Scripturæ elogium. 1.1.a.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Scriptura, Euangelium.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Argvet mvndvm de peccato. Quia pectum mortale ſumma Dei eſt iniuria, ac debitum hominis peccantis infinitum. 357.2.b.c *Vide Indicem Rerum v.* Peccator, Peccatum.

DOMINICA V, POST FASCHA.

Petite et accipietis. Cur orantes & petentes non ſemper exaudiamur. 177.2.c.& ſeqq. Orationi decem ſunt virtutes neceſſariæ. 307.2.c.& ſeqq. oratio eſt velut animæ transfiguratio. 331.2.b.c *Vide de Oratione Indicem Rerum v.* Oratio.

Proverbivm nvllvm dicis. *Vide Indice Rerum v.* Parabola.



DOMINICA INFRA OCT. ASCENSIONIS.

Vt non scandalizemini. *Vide notata in feſto S. Michaëlis, & Indicem Rerum v.* Scandalum.

IN FESTO PENTECOSTES.

Lingvæ igneæ. Dictus eſt Chriſtus ſuos baptizaturus igne & Spiritu ſancto. 89.1.b

Mansionem apvd evm faciemvs. Diuerſimodè Deus & Chriſtus in anima manet. 568.2.a.b.& ſeqq.

Cur Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Chriſtum in ſpecie columbæ. 94.1.c.d. *Vide Indicem Rerum v.* Spiritus ſanctus, Gratia.

Quomodo blaſphemia in Spiritum ſanctum non remittatur. 263.2.c.& ſeqq.

FERIA II. POST PENTECOST.

Sic Devs dilexit mvndvm. Chriſtus eſt portentum amoris. 198.2.a.b

Non pereat. Animæ iactura eſt irreparabilis. 325.2.c

DOMINICA I. POST PENTECOST.

Perfectvs avtem erit. Perfectio Dei opt. max. nobis imitanda eſt. 152.1.b.c Perfectus eſſe qui cupit, omnia ſua relinquit vt Deum ſequatur. 370.2.d *Vide Indicem Rerum v.* Perfecti.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Docete omnes gentes. Euangelium per omnes gentes & prouincias non fuit diſſeminatum ante vrbis excidium. 437.1.a.b

Baptizantes eos. Baptiſmus eſt neceſſariis ad ſalutem. 619.1.b.c quando eum Chriſtus inſtituerit. 96.2.a.& ſeqq.

SS. Trinitatis cognitio Apoſtolis ſenſim patefacta eſt, & quare. 252.2.a.& ſeqq. eius ſymbolum fuit familia S. Ioſephi. 53.2.a *Vide Indicem Rerum v.* Baptiſmus, Trinitas.

Docentes eos serv. omnia. Omnia fidei myſteria in Euangelio traduntur. 4.1.b

Ecce ego vobiscvm svm. Chriſtus quomodo in anima maneat ſemper. 568.1.d

IN FESTO VEN. SACRAMENTI.

Panis qvem ego dabo. In Eccleſia iuge conuiuium nobis à Chriſto apponitur. 410.1.c Iubemur in oratione Dominica petere panem quotidianum & ſuperſubſtantialem; & quis ille ſit. 162.1.a.& ſeqq.

Euchariſtia quo die præciſè ſit inſtituta. 475.1.d.& ſeqq. Cur eam Chriſtus inſtituerit. 484.1.b.& ſeqq. eius veritas probatur diuerſis demonſtrationibus. 480.2.c.& ſeqq. eſt in ſe ſacrificium. 483.2.b.& ſeqq. alia quoque diuerſa huc ſpectantia. 482.2.a.& ſeqq. eius effectus. 485.1.d in illa ſemper Chriſtus eſt & manet nobiſcum. 568.1.d *Vide Indicem Rerum v.* Euchariſtia.

DOMINICA II. POST PENTECOST.

Vxorem dvxi. *Vidè notata Dominica II. poſt Epiphan. & Indicem Rerum v.* Mulier,

Non possvm venire. Diuites difficillimè cælum intrant. 372.1.a.b.d ſed per Dei gratiam intrare poſſunt. 373.1.d

### DOMINICA III. POST PENTECOST.

SVPER VNO PECCATORE POENIT. AGENTE. Quia iuſtificare talem difficilius eſt quàm creare, & peccata remittere maius eſt quàm miraculum facere. 205.2.c

Quomodo animæ conuerſio & viuificatio à Deo peragatur. 214.1.a *Vide Indicem Rerum v.* Peccator, Pœnitentia.

### DOMINICA V. POST PENTECOST.

QVI IRASCITVR FRATRI SVO. Ira quando ſit peccatum, & quando non. 135,2.b.c.137.1.b.c

RACA. Raca dicere fratri ſuo quid ſit, & vnde vox deriuetur. 136.1.d.& ſeqq.

FATVE. Conuitium grauis eſt iniuria, eaque penſanda ex affectu conuitiantis, & dignitate perſonæ cui dicitur. 137.2.c.d

VADE PRIVS RECONCILIARI FRATRI. Reconciliatio ante ſacrificium eſt præcepta. 138.1.c.d

### DOMINICA VII. POST PENTECOST.

ATTENDITE A FALSIS PROPHET. Tales ſunt hæretici, & praui doctores. 180.2.a

IN VESTIMENTIS OVIVM. Quæ ſint hæ veſtes ouinæ. 180.2.b.c

A FRVCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS. Voluntas bona vel mala ex operum aliquorum bonitate aut malitia ſe prodit. 181.2.d

### DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

QVASI DISSIPASSET. Auarus è contra ſeruit diuitijs ſua tenaci parſimonia. 169.2.a.b

DE MAMMONA INIQVITATIS. Opes veræ ſunt cæleſtes, eæque inamiſſibiles & ſtabiles. 167.2.b.c at terrenæ ſunt fallaces. 280.1.c *Vide Indicem Rerum v.* Opes, Diuitiæ.

### DOMINICA IX. POST PENTECOST.

NON MANEBIT IN TE LAPIS SVPER LAP. Quę ſigna præceſſerint excidium vrbis Hieroſolymitanæ. 435.2.c.d vnde id ortum habuerit. 437.2.d

EIECIT VENDENTES ET EMENTES. Quare hoc à Domino factum ſit. 400.2.b.401.1.b & ſeqq.

DOMVS MEA DOMVS ORATIONIS EST. Templa Chriſtianorum domus ſunt Dei, & locus orationis. 402.1.a.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Templum.

### DOMINICA X. POST PENTECOST.

IN TEMPLVM, VT ORARENT. Templum enim eſt locus orationis. 402.1.a.& ſeqq. Orandum genuflexo. 156.2.a Iudæi autem orabant ſtantes, vel in genua prouoluti. 1.b.c

IN TEMPLVM. Oratio publica in templo quanti ſit momenti. 157.1.b.c *Vide Indicem Rerum v.* Oratio, Templum.

NON SVM SICVTI CETERI. Multiloquium, quale eſt huius Phariſæi, in oratione cauendum. 157.2.a.b

QVI SE HVMILIAT EXALTABITVR. Gloriam fugiens ad eam perueniet. 66.1.c & qui ſe ad ima deijcit, exaltabitur. 92.1.b.390.2.c Humilitas Chriſto gratiſſima eſt. 253.2.d ipſa eſt via ad cælum. 345.1.b.d eius elogia. 347.1.a.b & gnomæ de eadem. 2.d *Vide Indicem Rerum v.* Humiles, Humilitas.

### DOMINICA XI. POST PENTECOST.

LOQVEBATVR RECTE. Verbum otioſum quod ſit. 265.2.d de eo reddenda eſt Deo ratio. ibid.c Quare verba noſtra ad Dei honorem ſint referenda. 266.2.c. & ſeqq.

TANTO MAGIS PLVS PRÆDICABANT. Sanctificari & glorificari Dei nomen quod & quomodo petere debeamus. 158.2.c.d.& ſeqq.

### DOMINICA XII. POST PENTECOST.

DILIGES DOMINVM DEVM EX TOTO CORDE TVO. Tripliciter Deus ex toto corde diligitur. 418.1.c *Vide Indicem Rerum v.* Amor, Charitas, Dilectio.

PROXIMVM SICVT TEIPSVM. Perinde ac nos ipſos diligimus, diligendi nobis ſunt alij. 418.2.c.& ſeqq.

### DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

*Vide notata Dominica III. poſt Epiphaniam.*

OSTENDITE VOS SACERDOTIBVS. Confeſſio Chriſtianorum quæ ſacerdoti fit, quomodo differret à confeſſione Iudæorum. 82.2.a *Vide Indicem Rerum v.* Confeſſio, Sacerdos.

FIDES TVA TE SALVVM FECIT. Quæ ſint diſpoſitiones ad miraculum aliquod impetrandum. 204 2.a

### DOMINICA XIV. POST PENTECOST.

NE SOLLICITI SITIS ANIMÆ VESTR. Nimia opum corrogandarum ſollicitudo à Chriſto vetatur. 170.1.b.c.173.2.c.d

RESPICITE VOLATILIA. Si aues cæli Deus paſcit, multò magis paſcet homines. 170.2.a.b

CONSIDERATE LILIA AGRI. Liliorum commendatio & venuſtas. 171.2.b.c ſunt ea pulchriora quàm Salomon & vniuerſi reges in omni gloria ſua. 172.1.a.& ſeqq.

SCIT ENIM PATER VEST. QVIA HIS, &c. Diuinæ prouidentiæ certò confidendum. 172.2.b.c *Vide Indicem Rerum v.* Prouidentia, Sollicitudo.

### DOMINICA XV. POST PENTECOST.

DEFVNCTVS EFFEREBATVR. Mortis memoriam ſemper in nobis diabolus ſatagit elidere, perſuadens nos adhuc diu fore ſuperſtites. 450.1.a.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Mors, Mortui.

### DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

DICVNT EI DAVID. *Vide notata in feſto Natiuitatis Domini.*

### DOMINICA XVIII. POST PENTEC.

CONFIDE FILI. Sicut blando filij nomine Chriſtus paralyticum hunc compellat, ſic & nouitij in fide & Religione leniter tractandi ſunt. 210.2.a.& ſeqq.

### DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

HOMINI REGI. Chriſtus quà homo, regnum habuit ſpiritale, id eſt Eccleſiam, & phyſicum ſiue mundanum. 519.1.c.d. eius regnum ſuperat





perat reliqua omnia. 2.a.b regnum Iudææ ei debitum eſt. ibid.b ſed regium eius diadema fuit corona ſpinea. 527.1.b.& ſeqq.

QVI FECIT NVPTIAS. Coniugium iuge nobis Chriſtus in Eccleſia inſtruxit. 410.1.c *Vide notata Dominica II. poſt Epiphaniam.*

### DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

MISERTVS AVTEM DOMINVS. Comitas & facilitas regum eſt virtus. 366.2.b.c

OMNE DEBITVM DIMISI TIBI. Peccata ſemel dimiſſa quomodo non ampliùs reuocentur. 359.1.a.b

MISERERI CONSERVI TVI. Immiſericordia nolentis proximo in ſe peccanti remittere facit, vt is propterea damnetur. 359.2.a.b

Ingratitudo quatenus peccatum augeat: eaque in quatuor peccatis maximè cernitur. 359.2.b.c

### DOMINICA XXII. POST PENTECOST

PHARISÆI. Quales eſſent Phariſæi & Sadducæi, & vnde orti. 82.2.c.d eorum hypocriſis & adulatio. 412.2.c 413.1.c. *Vide Indicem Rerum v.* Phariſæi, Sadducæi.

CVM HERODIANIS. Quinam eſſent Herodiani. 412.1.c

LICETNE CENSVM DARE CÆSARI. An Cæſari tributum ſit ſoluendum. 412.2.d an Iudæi iuſtè ei fuerint ſubiecti. 413.2.d

QVID ME TENTATIS HYPOCRITÆ? Hypocrita eſt Deo exoſus, eſt bicors & bilinguis. 155.1.b.c

OSTENDITE MIHI NVMISMA CENSVS. Qua occaſione cenſum Romanis Iudæi ſoluere cœperint. 341.2.a.b ſoluebant autem denarium. 413.1.d cuius pretij fuerit denarius, *vide Indicem Rerum v.* Denarius, As, Pecunia, Iudæi, Romani.

### DOMINICA XXIII. POST PENTEC.

NON EST MORTVA PVELLA, SED DORMIT. Mors cur ſomnus vocetur. 213.1.b *Vide Indicem Rerum v.* Mors, Mortui.

TIBICINES. Cur tibiæ in funere adhiberentur. 212.2.d

EIECIT TVRBAM TVMVLTVANT. Tumultus mentis & diſtractiones ex animo eijciendæ. 213.2.a

### DOMINICA XXIV. POST PENTEC.

Iudicium Dei imminens ſecuri ad radicem poſitâ denotatur. 87.1.b item ventilabro. 89.1.d an diem eius Chriſtus norit, & quatenus ignorare ſe dicat. 448.2.b.& ſeqq. cur eum Deus nobis voluerit eſſe incertum. 450.1.a an iudicium de nocte peragendum ſit. 456.1.a.b ei angeli in corporibus ſplendidis intererunt. 462.1.c.d Maieſtas Chriſti iudicis in quo conſiſtet. ibid.a.b.d

STATIM IN LOCO SANCTO. Vnde Iudææ excidium primùm ortum habuerit. 437.2.d

FVGIANT AD MONTES. Cur quàm citiſſimè fugere Dominus iubeat. 437.3.c.d.438.1.c.& ſeqq.

TRIBVLATIO MAGNA. Quàm Iudææ & vrbis excidium fuerit atrox & horribile. 439.1.a Eius cauſa vnica fuit Chriſti nex & interfectio. ibid.c.d

*Cornel. in Marcum.*

NISI BREVIATI FVISSENT. Afflictionis dies ſolet Deus ob electos & ſanctos abbreuiare. 440.1.b.c

PSEVDOCHRISTI. Tales ſeductores varij ſe Iudæis exhibuere. 440.2.b

DABVNT SIGNA ET PRODIGIA. Miracula ſubinde faciunt etiam ſeductores, ſed non ad ſtabiliendam ſuam hæreſim. 182.2.c

ET AQVILÆ. Sancti per aquilas repræſentantur. 443.1.a.& ſeqq.

SOL OBSCVRABITVR. *Vide notata Dominica I. Aduentus, & Indicem Rerum v.* Iudicium.

PAREBIT SIGNVM. In iudicio ipſiſſima crux Domini appparitura eſt. 445.1.d.2.a

FILII HOMINIS. Cur Chriſtus dicatur filius hominis. 198.2.a.b

### IN FESTO DEDICATIONIS ECCLES.

Templum eſt domus Dei, & orationis locus. 402.1.a.& ſeqq. *Vide notata Dominica XI. poſt Pentecoſten.*

### IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

ET VOCAVIT EOS. Vocatio Dei ad certum aliquem ſtatum eſt velut ſtella clara oculis mentis apparens. 64.1.d

### IN FESTO S. NICOLAI EPISC.

DISTRIBVIT ILLIS BONA SVA. Quomodo dona ſua Deus elargiatur, & qualia. 458.2.a.b & an vnicuique iuxta poteſtatem & vires. ibid.d

EVGE SERVE BONE ET FIDELIS. Epiſcopi ſint vigilantes, prudentes, fideles. 451.1.c *Conſule Indicem Rerum v.* Epiſcopi, Pontifex, Prælati, *& notata in Communi Pontificum.*

### IN FESTO CONCEPTIONIS B. VIRGINIS.

LIBER GENERATIONIS. Eius genealogia texitur eo ipſo quo texitur Ioſephi. 46.2.d

Vti ipſa fuit in vtero ſanctificata, ſic & alij non pauci. 49.1.a.b

### IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI.

S. Paulus fuit miniſter Euangelij. 8.1.d *Vide Indicem Rerum v.* Paulus.

### IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

TV ES CHRISTVS. Honorifica fuit hæc S. Petri de Chriſto confeſſio. 314.2.c.& ſeqq. vnde eum propterea Chriſtus Eccleſiæ caput & petram conſtituit. 316.2.a.& ſeqq.

TV ES PETRVS. S. Petri primatus in quo conſiſtat. 219.1.b.c ipſe eſt fundamentum totius Eccleſiæ. 318.2.a

ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEB. Eccleſia Chriſti ſemper eſt inuicta. 319.1.b.c

TIBI DABO CLAVES. Sunt ergo eæ ipſi Petro datæ, non Eccleſiæ. 319.1.d

S. Petrus magna fide fuit, cùm viſo Chriſto in aquas inſilijt. 297.2.c ſed parum in valida tempeſtate diffidens mergi cœpit. 298.1.d.& ſeqq. cur ſatanas à Domino dictus ſit. 322.1.d.& ſeqq. in nocte paſſionis non peccauit in fidem, ſed fidei profeſſionem. 487.2.b.c eius trinæ negationes expenduntur. 509.2.a.& ſeqq. *Conſule Indicem Rerum v.* Petrus.

## IN FESTO ANNVNTIATIONIS B. VIRGINIS.

Nazareth. Inde vocatus eſt Dominus Nazarenus, id eſt floridus. 77.1.c.d dictus quoque Nazaræus, id eſt ſeparatus, ſanctus, conſecratus. 76.2.b

Desponsatam viro. Cur B. Virgo Ioſepho fuerit deſponſata. 52.1.a.b item coniugata. ibid.c.& ſeqq. Fuit id verum, licitum & ſanctum matrimonium. 53.1.a

Paries Filivm. B. Virgo verè fuit mater Dei. 49.2.b.c Quantæ hæc maternitas ſit dignitatis. ibid.c.& ſeqq. *Vide Indicem Rerum v.* Maria Virgo.

Sedem David. Cur Chriſtus dicatur filius Dauid. 44.2.c habuit ius ad regnum Iuda per Ioſephum, qui legitimus eius pater fuit. 47.1.b.c

Spiritvs sanctvs svperveniet in te. De Spiritu ſancto enim Chriſtus fuit conceptus. 54.1.c.& ſeqq.

## IN FESTO S. MARCI EVANGEL.

Vitæ huius breue elogium. 571.1.a. & ſeqq. Qualis & cuias fuerit. 572.1.b.c quando ſcripſerit, & quâ linguâ. 2.a. 573.1.a.& ſeqq. *Vide notata in feſto S. Lucæ Euangeliſtæ, & in Communi Apoſtolorum, & Indicem Rerum v.* Marcus.

## IN FESTO S. PHILIPPI APOST.

An S. Philippus priùs patrem ſepelire voluerit, quàm vocantem Chriſtum ſequeretur. 198.2.1.d

## IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

*Vide Indicem Rerum v.* Crux, *& notata in feria VI. in Paraſceue.*

## IN FESTO NATIVIT. S. IOANNIS.

Qvis pvtas pver iste erit? Ioannes puer ſeceſſit in deſertum. 79.1.c eius veſtis. 80.2.d.& ſeqq. eius cibus erat mel ſilueſtre & locuſtæ. 81.2.b.c. 82.1.b *Conſule Indicem Rerum v.* Ioannes Baptiſta, *& notata in feſto Decollationis eius.*

## IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Non vnxisti. Vnguenta Iudæi paſſim in conuiuijs adhibebant. 471.2.b Quæ ſit myſtica vnctio pedum & capitis Chriſti. 472.1.a.b

Remittvntvr ei peccata mvlta. Peccata remittere cuiquam maius eſt, quàm miraculum aliquod patrare. 205.2.c *Conſule Indicem Rerum v.* Maria Magdalena, Mulier.

## IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

Mater filiorvm Zebedæi. *Vide Indicem Rerum v.* Salome.

Dic vt sedeant. Hæc matris pro filijs petitio per omnia ſua membra expenditur. 386.1.d.& ſeqq.

Cur S. Iacobus vnà cum fratre dictus ſit Boanerges, id eſt filij tonitrui, & quid ſibi velit vox Boanerges. 584.1.d.& ſeqq.

## IN FESTO S. LAVRENTII MARTYRIS.

S. Laurentius verè granum ſinapis fuit. 283.2.c.d

Qvi perdiderit animam svam. Qui animam perdiderit, inueniet eam, & vice verſa eam inueniens, eam perdet. 238.1.c.& ſeqq. 325.2.a.b Vita pro Chriſto libenter exponenda vt vitam habeamus. 238.1.c Animæ iactura eſt irreparabilis. 325.2.c

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Elegit dvodecim. Apoſtolorum electio, dignitas, tria munia. 218.1.b.c cur ſint duodecim. 2.c quis eorum ordo. 219.2.b.c

*Vide notata in feſto S. Lucæ, & in Communi Apoſtolorum.*

## IN FESTO DECOLLATIONIS S. IOANNIS.

Non licet tibi habere vxorem fr. tvi. Herodes hanc ducens triplex peccatum admiſit. 593.2.d

Misso spicvlatore. Hiſtoria decollationis S. Ioannis Baptiſtæ ab Herode peractæ texitur. 593.1.d.& ſeqq. 594.2.a.& ſeqq.

Ioannes Baptiſta verè Martyr eſt. 594.1.c.d ſeptem eius laureæ. 595.1.a quomodo ſit occiſus. ibid.& ſeqq. Herodias linguam eius acu diſcriminali perforauit; ſed mox in eam & omnes baptiſticidas ſecuta eſt Dei vltio. 595.2.a & ſeqq. *Conſule notata in feſto Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.*

## IN FESTO S. MATTHÆI APOST. ET EVANGEL.

*Vide notata in feſto S. Lucæ.*

Sedentem in telonio. Telonium quid ſit. 208.1.a

Svrgens secvtvs est evm. S. Matthæi prompta in Chriſtum ſequendo obedientia. 208.1.c.d

Pvblicani et peccatores. An officium publicanorum ſine peccato exerceri poſſit. 208.2.d

Misericord. volo, et non sacrific. Fratri noſtro ante ſacrificium nos reconciliari oportet. 138.1.c.d

## IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS ARCHANGELI.

Advocans Iesvs parvvlvm. Pueros amat Chriſtus ob quinque eorum dotes. 367.1.b.c quantâ curâ à parentibus ſint edocendi & educandi. 2.a.b Pueri infantes primò Deum ſonare doceantur. 402.2.c tripliciter Deum laudare poſſunt, morte, ore, ore & morte ſimul. ibid.d

Nisi efficiamini sicvt parvvli. Paruos & humiles ad martyrium Chriſtus euehit. 74.2.c cur paruulos imitari nos velit. 344.2.d

Qvi scandalizav. vnvm de pvsillis istis. Scandalum dantes grauiter offendunt. 346.2.b. & ſeqq. 347.1.a.b

Si ocvlvs tvvs te scandalizet. Quomodo oculus & manus eruenda & præcidenda: & quo pacto id intelligendum. 141.2.a. & ſeqq.

Angeli eorvm. Dantur angeli ad cuſtodiam omnibus hominibus tam iuſtis quàm iniuſtis, à primo die ortus vſque ad obitum. 347.2.c.d eorum munia. 348.1.b Caſtitas reddit nos angelis ſimiles. 416.2.a.b Quanta ſit angelorum multitudo. 501.1.a ſunt in auxilium aduocandi. ibid.b *Vide Indicem Rerum v.* Angeli, Gabriel, Michaël.

Faciem Patris mei. Deum ſemper vident angeli, etiam dum cælo abſunt. 349.1.b





## IN FESTO S. FRANCISCI.

*Vide notata in Indicem Rerum v.* Franciſcus.

## IN FESTO S. LVCÆ EVANGELISTÆ.

Ite, ecce ego mitto vos. Quæ præcepta diſcipulis ſuis dederit Dominus. 222.1.a.b.d. 223.2.a.& ſeqq. 236.2.c. 227.1.b. 228.1.a. 229.2.d. 230.2.c.d. 232.1.c

Sicvt oves. Viri Apoſtolici ſint ſimplices, & prudentes. 229.1.c.d, 2.b

Nolite portare saccvlvm. An ſemper mendicato Apoſtoli vixerint. 224.1.a.& ſeqq. qualem virgam geſtare vetentur & permittantur. 226.1.a.& ſeqq.

Dicite, Pax hvic domvi. Pacem cuilibet apprecari iubentur. 226.2.c & puluerem de pedibus excutere. 227.2.c

Dignvs est operarivs mercede sva. Merces ſupponit meritum. 129.1.d

Cvrate infirmos. Omnes credentes in primitiua Eccleſia patrabant miracula virtute Spiritus ſancti. 619.2.b.c Apoſtoli vngebant ægros, ſed non ſacramentaliter. 592.1.c.2.a.b

Appropinqvavit in vos regnvm Dei. Regnum Dei quadruplex eſt, quod augeri in oratione petimus, 159.1.d & ſeqq.

Euangeliſtæ ſunt quatuor. 9.2.d.& ſeqq. quomodo in quatuor Cherubinis Ezechielis repræſententur. 2.a.b

Euangelij præcellentia. 1.2.d eius auctor ac materia. 2.2.b.c in eo traduntur omnia fidei myſteria. 4.1.b.c ipſum eſt vitæ noſtræ beatitudo. 6.1.c cur vocetur margarita. 287.1.c *Vide Indicem Rerum v.* Euangeliſtæ. Euangelium.

## IN FESTO SS. SIMONIS ET IVDÆ APOST.

Et vos persequentvr. Animat ſuos Dominus ad mala ſuſtinenda. 228.2.b.c

## IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

In montem. Cur hîc in montem Chriſtus aſcenderit. 115.1.a.& ſeqq.

Octo beatitudines ſunt octo mundi paradoxa. 117.1.b earum præmium, ordo, connexio. 128.1.b.d.& ſeqq.

Beati pavperes spiritv. Quinam ſint pauperes ſpiritu. 117.2.b Spiritus hîc tria ſignificat. ibid.d.& 118.1.a Pauperes fuere plurimi SS. Patres. 120.1.b.c pauper eſt mundi dominus. 2.d Cur hæc paupertas ſit prima inter beatitudines. 119.2.a huius commendatio & elogium. 197.1.c.d eſt propria via & inſtrumentum perfectionis Euangelicæ. 370.1.b Perfectus omnia relinquit. 2.d

Beati mites. Quæ manſuetudo beata dicatur, eius effectus & gradus. 122.1.a.& ſeqq. eius acquirendæ media. 123.1.c Quam terram mites poſſeſſuri dicantur. 122.1.d.& ſeqq.

Beati qvi lvgent. Qui ſit beatus luctus, & quæ lugentium conſolatio. 123.2.a.& ſeqq.

Beati mvndo corde. Quænam ſit hæc mundities cordis, & quomodo comparetur. 125.2.d. 126.1.b

Beati pacifici. Qui ſint tales pacifici, & quomodo filij vocentur Dei. 126.2.b.& ſeqq.

Qvi persecvtion. patiuntvr. Vita Chriſtiani eſt continua crux & exagitatio. 75.1.b.c Quid ſit pati propter iuſtitiam, & quare id beatum cenſeatur. 127.2.b.c Malorum tolerantia vincit malum & aduerſarium: ea ſubinde præcepti, ſubinde conſilij eſt. 146.1.b.c Paret ſe ad irriſiores, tribulationes & preſſuram, qui eſſe vult Chriſti diſcipulus. 233.1.d Crucem quiſque habet & mortificationis materiam. 324.2.d

Sancti aquilis aſſimilantur. 443.1.a.& ſeqq. cum Chriſto iudice ſententiam ferent. 375.1.b & quidem in omnes homines, qui duodecim tribuum Iſrael nomine ſignificantur. ibid.c.d erunt in cælo poſt reſurrectionem ſicut angeli. 416.1.b.c

Cæleſtis gloriæ deſcriptio. 122.2.b Regnum cælorum quomodo vim patiatur. 245.2.c.& ſeqq. cur theſauro comparetur. 287.1.a.b non omnes parem in eo habebunt gloriam. 381.1.a. 382.1.c

*Vide Indicem Rerum v.* Paupertas, Manſuetudo, Luctus, Mundities, Crux, Perſecutio, Tribulatio, Cælum, Sancti, Beati.

## IN COMMEMORAT. FIDEL. ANIMAR.

*Vide Indicem Rerum v.* Mortui, Pontifex, Purgatorium.

## IN FESTO S. MARTINI.

*Vide notata in feſto S. Nicolai, & in Communi Confeſſorum, Communi Pontificum, & Indicem Rerum v.* S. Martinus.

## IN FESTO S. CATHARINÆ VIRG, ET MARTYR.

Qvia nescitis diem, neqve horam. Chriſtus in morte veniet inopinatò & derepentè ad inſtar furis. 450.2.b.c hinc Sancti mortis horam ſemper præ oculis habuerunt. ibid.d

*Vide notata in Communi Virginum, & Indicem Rerum v.* Virginitas, Virgo.

## IN COMMVNI APOSTOLORVM.

Apoſtoli quo ordine ſint vocati. 111.2.c.d ſunt piſcatores hominum. 112.2.b eorum electio, dignitas, tria munia. 218.1.b.c cur ſint numero duodecim. 2.c eorum ordo. 219.2.b.c cur ſint à Chriſto combinati, & cur plerique eius fuerint conſanguinei. 221.1.d.2.b quæ ijs præcepta dederit Dominus. 222.1.a.& ſeqq. 223.2.a.& ſeqq. 226.2.c. 227.1.b. 228.2.b 229.2.d. 230.2.c.d. 232.1.c an ſemper mendicato vixerint. 224.1.a.& ſeqq.

Vos estis sal terræ. Sal terræ quomodo Apoſtoli ſint. 130.1.a.b. & ſeqq. item lux mundi. 131.2.b.c nec non lucernæ. 132.1.c.d Igne ſaliri quid ſit. 604.1.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Apoſtoli.

Euangelium facit Apoſtolos. 7.2.c Ieiunarunt Apoſtoli poſt mortem Chriſti, etſi illo viuente non tam frequenter. 210.2.b.& ſeqq. 212.

212.1.a vngebant etiam ægros tempore vitæ Chriſti, ſed non ſacramentaliter, quaſi oleo Extremæ vnctionis. 592.1.c.& ſeqq.

IN COMMVNI PONTIFICVM.

*Vide notata in Indice Rerum v.* Epiſcopus, Paſtor, Pontifex, Prælatus.

Epiſcopi ſint fideles, vigilantes, prudentes. 451.1.c eorum multi deſignati ſunt indicio & aduolatu columbæ. 95.1.b.c

IN COMMVNI MARTYRVM.

In patientia possidebitis animas vestr. Malorum tolerantia & patientia vincit malum & aduerſarium. 146.1.b.c ea ſubinde præcepti, ſubinde conſilij eſt. 145.2.d

Martyres non ſint ſolliciti quid apud præſides ſint reſponſuri. 231.2.d animam perdentes, eam inuenerunt. 238.1.c.d.& ſeqq. 325.2.a.b ſunt velut granum ſinapis. 283.2.c.d Chriſtum crucifixum præ oculis habentes læti tormenta ſubierunt. 535.2.a.b

Quilibet poteſt eſſe Martyr ſeipſum vincendo. 230.1.b.c Qui Chriſtum coram tyrannis liberè confitebitur, hunc Chriſtus coram Deo & angelis profitebitur ſuum fuiſſe diſcipulum. 236.1.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Martyr, Martyrium.

IN COMMVNI DOCTORVM.

Qui docuerit sic homines. Doctores velut ſtellæ ſunt, & lucentes, & ad Chriſtum ducentes. 64.2.a priùs ipſi opere præſtent, quæ alios edocere volunt. 134.2.b ſint velut fulgur vitæ ſanctioris exemplo, & velut tonitru ſpiritus efficacia. 560.2.d

Vt videant opera vestra bona. Quomodo ea abſcondenda ſint, & tamen ab alijs videri debeant. 132.2.a

*Vide Indicem Rerum v.* Concionator, Prædicator, Doctor.

IN COMMVNI CONFESSORVM.

Abneget semetipsum. Abnegare ſeipſum quid ſit. 323.1.c.d Abnegationis definitio. 324.1.b.c Quis ſit ignis mortificationis. 604.1.a.b

Tollat crucem suam. Sua cuique crux toleranda, & in humeros libenter ſuſtollenda. 237.2.d.& ſeqq. Sic crucem poſt Chriſtum baiulauit Simon Cyrenæus. 529.2.c.& ſeqq. Quiſque ſuam crucem habet, & mortificationis materiam. 324.2.d

Ivgvm mevm svave est. In quo illa ſuauitas ſita ſit. 254.2.a.& ſeqq.

Religioſi omnia propter Chriſtum relinquunt. 370.2.d propterea erunt etiam iudices vnà cum Chriſto. 374.1.c.d idque quatuor ob cauſas. 2.b & ſedebunt: quid hæc ſeſſio denotet. 2.1.d. & ſeqq. Quod centuplum promittatur aliquid propter Chriſtum relinquentibus. 376.1.b.377.1.a.b.2.b.c

Conſtitutiones Religioſorum omnes ex Euangelio depromptæ ſunt. 7.1.d *Vide Indicem Rerum v.* Mortificatio, Religioſi, Sacerdotes.

IN COMMVNI VIRGINVM.

Inventa vna pretiosa margarita. Euangelium eſt margarita, item Chriſtus. 287.1.c.2.b

Virginitatis & continentiæ donum eſt in hominis poteſtate. 365.1.b.& ſeqq. reddit illa nos angelis ſimiles. 416.2.a.b *Vide Indicem Rerum v.* Virginitas, Virgo, *& notata in feſto S. Catharinæ.*

F I N I S.